Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA;

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS NON NISI POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS, DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS, EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS V.

SIXTI PAPÆ, DIONYSII PAPÆ, DIONYSII ALEXANDRINI, S. FELICIS, S. EUTYCHIANI, CAII, COMMODIANI, ANTONII, S. VICTORINI, MAGNETIS, ARNOBII.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS, EXCUDEBAT SIROU,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER, OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

SIXTI PAPÆ, DIONYSII PAPÆ, DIONYSII ALEXANDRINI,

S. FELICIS, S. EUTYCHIANI, CAII, COMMODIANI, ANTONII,

S. VICTORINI, MAGNETIS,

ARNOBII

AFRI,

OPERA OMNIA,

AD INTEGRAS D. COUTANTII, GALLANDII, ORELLII EDITIONES EXPRESSA,
ET PRÆCIPUIS RIGALTII, DAVISII, MURATORII, ORELLII
AC VARIORUM LECTIONIBUS ET NOTIS INSTRUCTA, NECNON ET ACCEDUNT
QUÆDAM DODWELLI CYPRIANICÆ DISSERTATIONES.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS
EXCUDEBAT SIROU,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.
1844.

ELENCHUS RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Succursale, au Petit-Montrouge, de l'imprimerie de Sirou, rue des Noyers, 37, à Paris.

DISSERTATIO PRIMA

AD SANCTI CYPRIANI

EPISTOLAM OCTAVAM,

AUCTORE DODWELLO,

DE VISIONIBUS, UTQUE VISIONUM SUARUM FIDEM COMPROBARINT VETERES, ETC.

§ 1. *Permansisse visiones et dona prophetica a temporibus Apostolorum usque ad Cyprianum ex auctore Apocalypseos, Hermete.* — § 2. *Clemente Romano et auctore Esdræ Apocryphi.* — § 3. *Ignatio.* — § 4. *Quadrato, Philippi filiabus, Ammia Philadelphiensi et Polycarpo.* — § 5. *Justino Martyre.* — § 6. *Melitone Sardensi, Alexandro Phryge, Attalo, aliisque.* — § 7. *Irenæo.* — § 8. *Perpetua et Saturo. Non fuisse illos Montanistas.* — § 9. *Verum non est, relictum Montanistis ab Ecclesia prophetiarum fuisse prætextum.* — § 10. *Contra post imperium Commodi, eo ipso argumento refutarunt Montanistarum prophetias catholici, quod veræ prophetiæ donum in Ecclesia Perpetuum futurum esset; cum tamen Montanistarum illud jam fuisset extinctum.* — § 11. *Ita Asterius Urbanus, Epiphanius.* — § 12, 13. *Auctor Actorum Perpetuæ et Felicitatis.* — § 14. *Visiones Natalis et Potamienæ, deque Alexandro Hierosolymorum, Fabiano Romæ constituendis Episcopis.* — § 15. *Agnoscit prophetias Origenes.* — § 16. *Declinatur testimonium Gregorii Nysseni de S. Gregorio Thaumaturgo.* — § 17. *Visio Dionysii Alexandrini.* — § 18, 19, 20, 21. *Visiones ipsius Cypriani.* — § 22. *Visio alia Dionysii Alexandrini.* — § 23. *Visiones palam enuntiari solitæ, idque ante eventum.* — § 24. *Ut fraudi, in visionum prætextu, subventum sit.* — § 25, 26, 27. *De argumentis quibus probaretur visionum fides, præsertim intrinsecis. Donum cogitationum patefaciendarum.* — § 28, 29, 30. *Futurorum prædicendorum. Futura, quæ vires alioqui creatas non excederent, ab alio tamen, præterquam Deo prædici, ex illius ævi principiis, non poterant.* — § 31. *Eodem redit, sive a Deo ipso immediate, si sive media aliqua creatura revelata fuerint.* — § 32. *Hypotheseos hujus cum phænomenis consensio veritatis argumentum est.* — § 33. *Ex aliarum prophetiarum fide ut aliarum fidem adstruxerint.* — § 34. *Verorum prophetarum omnia non fuerunt prophetica.* — § 35, 36, 37. *Aliqui prophetarum errores cum vera prophetia consistunt, et quinam illi.* — § 38. *Prophetiæ veritas ex communionis cui se adjunxerat propheta, unitate probata est.* — § 39. *Quorum prophetiæ omnes fuissent obscuræ, eorum fides aliter nisi ex communionis unitate commendari non poterat.* — § 40. *Visiones juvenum erant propriæ.* — § 41, 42. *Quid de illis sentiendum qui prophetias illas antiquorum ludibrio habuerint.*

§ 1. — Non est quod hic rabbinorum, aliorumve, qui prophetia egerunt visionibusque propheticis, compilationem lector expectet. Nos ea tantum seligemus quæ ab eruditis prætermissa, nondumve satis animadversa sunt, quod sciam, quæ tamen ad illius de quo agimus sæculi historiam aliquid videbuntur habere momenti.

Male itaque faciunt eruditi qui quæ legunt in illius sæculi auctoribus de visionibus, ea ad Montanum trahunt atque montanistas, quasi vero ab ipsis usque apostolorum temporibus visiones in Ecclesia defecerint, omnisque earum prætextus in ecclesia suspectus fuerit atque improbatus, solisque montanistis relictus. Nihil est omnino cur ita sentiant. Potius in omni illo intervallo, ab apostolis ad Cyprianum usque, perpetuus erat visionum usus, semperque ab Ecclesia probatus. Sub primi sæculi finem scripta illa est, quam habemus Apocalypsis, sive ab apostolo, seu forte a Joanne presbytero, quæ tamen omnis in visionum argumento versatur. Eodem circiter tempore Pastorem suum scripsit Hermes, sub Clemente enim scripsisse constat ex libro primo Vision., n. 2. Nec est quod moremur recentiora illa *Pontificalis*, carminum adversus Macionem aut quæ Pii nomen feruntur epistolarum ad Justum Viennensem, fidei omnia suspectæ, testimonia. Hujus opus cum tribus constet libris, primus visionum titulum præ se fert, totusque est in eo argumento. In secundo etiam de prophetarum spirituumque verorum falsorumque distinctione agit ex professo (*Mandat.*, 11, 12). Quorsum illud, nisi verorum quoque prophetarum dona eousque in Ecclesia permansisse credidisset? Hunc Blondellus larvatum prophetam somniatoremque appellat, montanisticarum superstitionum gurgitem (*Apolog. pro Sent. Hieronym.*, p. 16, 17). Idem tamen ibidem patrum aliter sentientium elogia pro more suo coacervavit admodum honorifica, et quidem a montanisticis superstitionibus alienissimorum. Ita nihil in eo montanisticum reperire potue-

runt montanistis coævi patres, quique illas supersti- A tiones primi damnarunt. Judicet lector φιλαρχαῖος cui sit potius fidendum.

§ 2. — Hermeti diximus coævum esse Clementem Romanum eumdemque donorum propheticorum patronum. Istiusmodi enim dona fuisse quibus superbiebant schismatis auctores, ex illis ejus verbis facile colligitur. Ἤτω τὶς πιστὸς, ἤτω δυνατὸς γνῶσιν ἐξειπεῖν, ἤτω σοφὸς ἐν δικαίᾳ κρισει (Clem. Al. διακρίσει, et rectius) λόγων. (*Ep.* I *ad Corinth.*, § 48, *et ex Asterio Urbano, lib.* V, c. 17.) Non alio spectant hæc nomina quam ad dona illorum temporum prophetica. Πίστις illa de qua gloriari poterant, non alia erat quam miraculorum illa quam λόγον πίστεως appellat Apostolus, quo loco dona Sp. S. λόγοι apud illum audiunt. Γνῶσις non quælibet erat cognitio, sed vero B mysteriorum illa quam in hæreticis eo nomine superbientibus ψευδώνυμον γνῶσιν idem vocat Apostolus. Eadem σοφία, quam et λόγον σοφίας nuncupat. Διάκρισις λόγων eadem est quæ et διάκρισις πνευμάτων, quo sensu dona Sp. S. λόγους appellatos esse diximus. Nisi forte λόγων pro λογισμῶν intelligamus, quo etiam sensu διάκρισιν πνευμάτων de cogitationum revelatione interpretabimur. His fortasse temporibus coævus erat auctor librorum Esdræ Apocryphorum, quorum partem longe maximam faciunt id genus visione atque revelationes.

§ 3. — Proximus est Ignatius; in quo id ipsum reprehendunt hi antiquitatis momi, quod est propheticis hisce donis magis, quam volunt illi, propitius. In § 7, Ep. ad Philadelph. suam ipsius prophetiam C commemorat, quam sibi vere revelatam fuisse Deum ipsum testem appellat. Εἰ γὰρ (inquit) κατὰ σάρκα μέ τινες ἠθέλησαν πλανῆσαι· ἀλλὰ τὸ πνεῦμα οὐ πλανᾶται, ἀπὸ θεοῦ ὄν. οἶδεν γάρ πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει, καὶ τὰ κρυπτὰ ἐλέγχει· ἐκραύγασα μεταξὺ ὤν. ἐλάλουν μεγάλῃ φωνῇ· τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, καὶ διακόνοις. οἱ δὲ πτέσαντές με ὡς προειδότα τὸν μερισμὸν τινῶν λέγειν ταῦτα. Μάρτυς δέ μοι (rectius editio interpolata suffragante etiam vetere interprete Usseriano, Εἰ δὲ ὑποπτεύετέ με ὡς προμαθόντα τὸν μερισμὸν τινῶν λέγειν ταῦτα, Μάρτυς μοι) ἐν ᾧ δέδεμαι, ὅτι ἀπὸ σαρκὸς ἀνθρωπίνης οὐκ ἔγνων. τὸ δὲ πνεῦμα ἐκήρυσσεν λέγων τάδε· χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου, etc. Idem de suis id genus donis in § 4, Ep. ad Trallianos illa: Μὴ οὐ δύναμαι τὰ ἐπουράνια γράψαι; ἀλλὰ φοβοῦμαι μὴ D νηπίοις οὖσιν ὑμῖν βλάβην παραθῶ· καὶ συγγνωμονεῖτέ μοι, μήποτε οὐ δυνηθέντες χωρῆσαι στραγγαλωθῆτε· καὶ γὰρ ἐγὼ οὐ καθότι, καὶ δυνάμενος τὰ ἐπουράνια, καὶ τὰς τοποθεσίας τὰς ἀγγελικὰς, καὶ τὰς συστάσεις τὰς ἀρχοντικὰς, ὁρατά τε καὶ ἀόρατα· παρὰ τοῦτο ἤδη καὶ μαθητής εἰμι. Nec vero singularem fuisse hac in causa Ignatium, ex aliis constabit illius ævi monumentis.

§ 4. — Ignatium proxime excepit Quadratus, qui apologiam pro christianis Hadriano dicavit. Hunc una cum Philippi filiabus quas S. Lucas prophetissas appellat, prophetica ipsum quoque gratia illustrem fuisse scribit Eusebius (*Hist. Eccles.*, III, 37). Et quidem hæc usque tempora attigisse illas Philippi A filias, ex illis probabile est quæ scripsit ad Victorem Polycrates. Quadrati διαδοχὴν Ammia Philadelphiensis et ipsa quoque prophetissa ad Montani ortum continuavit (*Asterius Urbanus ap. Euseb., ubi supra*). Polycarpo de suo martyrio omnium propheticum oblatum esse, testes sunt exceptione majores ipsi Smyrnæi in ea quam de ejus martyrio dederunt ad Philomelienses epistola. Hunc Doctorem apostolicum eidem atque propheticum appellant, fatenturque nihil esse ab eo prædictum quin esset eventu comprobatum. (*Ap. Euseb., Hist. Eccl.*, IV, 15.) Πᾶν γὰρ ῥῆμα ὃ ἀφῆκεν ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ καὶ ἐτελειώθη, inquiunt, καὶ τελειωθήσεται. Hunc An. CXLVII. passum esse vult, et quidem maxima verisimilitudine, noster eruditissimus Cestriensis.

B § 5. — De Justino Martyre idem habet Eusebius. Γράφει, inquit, ὡς ὅτι καὶ μέχρι καὶ αὐτοῦ χαρίσματα προφητικὰ διέλαμπεν (*Hist. Eccles.*, IV, 18). Recte quidem ille. Justini ad Tryphonem verba sunt illa: Παρὰ γὰρ ἡμῖν καὶ μέχρι νῦν προφητικὰ χαρίσματά ἐστιν· ἐξ οὗ καὶ αὐτοὶ συνιέναι ὀφείλετε, ὅτι τὰ πάλαι ἐν τῷ γένει ὑμῶν ὄντα εἰς ἡμᾶς μετετέθη. (*Dialog. cum Tryphon., p.* 308, B.) Eodem postea usus est adversus Judæos argumento, post Christi adventum, nullos fuisse apud Judæos, de quo ipsos eorum sensus testes appellat: μηκέτι ἐν τῷ γένει ὑμῶν κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος προφήτας γενήσεσθαι. ὅπερ καὶ ὄψει ὑμῖν ἰδεῖν ἔστι. μετ᾽ ἐκεῖνον γὰρ οὐδεὶς ὅλως προφήτης παρ᾽ ὑμῖν γεγένηται. (*Pag.* 314, C, D.) Permansisse autem apud sui quoque temporis christianos eorumdem sensuum testimonio confirmat, C eadem ἰδεῖν voce usus: καὶ παρ᾽ ἡμῖν ἐστιν ἰδεῖν καὶ θηλείας καὶ ἄρσενας, χαρίσματα ἀπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ ἔχοντας. (*Pag.* 315, B.) Tam ergo manifestum fuit christianis fuisse prophetas quam Judæis defecisse. Utrumque ita manifestum, ut argumenti vicem sustinere posset adversus adversarium. Eademque argumentandi forma usus est Apostolus, Gal., III, 2, per spiritum enim extraordinaria Spiritus dona intelliguntur.

§ 6. — Sub finem Marci de Melitone Sardensi illud habemus Polycratis Encomium, quod Sp. S. afflatus, cuncta gesserit, τὸν ἐν ἁγίῳ πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον (*Ap. Euseb., Hist. Eccl., lib.* V, 24). In eadem persecutione Alexander Phryx dicitur οὐκ ἄμοιρος Ἀποστολικοῦ χαρίσματος (*Ex Ep. Ludgun. et Vienn.* D *ap. Euseb., lib.* V, 1). In illa apostolica gratia hanc propheticam esse includendam jam vidimus ex simili Smyrnæorum de Polycarpo loco, ubi hæc duo conjunguntur (*Ap. Euseb., ib.*, 3). Revelationem Attalo factam de Alcibiade commemorat Ecclesia gallicana. Frequentesque aliorum diversis in Ecclesiis prophetias fidem montanisticis illis de prophetia prætextibus fecisse, auctor est Eusebius. Ita enim ille: πλεῖσται οὖν καὶ παραδοξοποιΐαι τοῦ θείου χαρίσματος εἰσέτι τότε κατὰ διαφόρους ἐκκλησίας ἐκτελούμεναι, πίστιν παρὰ πολλοῖς τοῦ κἀκείνους προφητεύειν παρεῖχον (*Euseb., ib., c.* 4). Ita montanistarum nondum erat proprius hic prætextus, ut hactenus existimarunt eruditi.

§ 7.—Idem de illo, id est, suo, quoque sæculo Irenæus (*Iren.*, *lib.* II, *c.* 58), cujus verba nobis græca servavit Eusebius : Οἱ δὲ καὶ πρόγνωσιν ἔχουσιν τῶν μελλόντων, καὶ ὀπτασίας καὶ ῥήσεις προφητικάς (*Apud Euseb.*, *Hist. Eccl.*, v, 7). Quod ille argumenti loco urget adversus hæreticos. Idem alibi : *Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus, et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia, et omnis gratia* (*Iren.*, *l.* III, *c.* 40). Negat numerum iniri posse donorum quæ suo tempore operata esset Ecclesia. Οὐκ ἔστιν ἀριθμὸν τῶν χαρισμάτων, ὧν κατὰ παντὸς τοῦ κόσμου ἡ ἐκκλησία παρὰ θεοῦ λαβοῦσα, ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, ἑκάστης ἡμέρας ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῶν ἐθνῶν ἐπιτελεῖ (*Iren.*, *lib.* II, *c.* 58; *ap. Euseb.*, *ib.*). Ex quo id quoque intelligimus, ea quam fuerint vulgaria. Ne vero falli potuisse hic suspicemur Irenæum, id quoque addit, non aliena duntaxat fide se ea retulisse, sed quæ propriis ipse auribus hausisset. Καὶ πολλῶν ἀκούομεν ἀδελφῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προφητικὰ χαρίσματα ἐχόντων, καὶ παντοδαπαῖς λαλούντων διὰ τοῦ πνεύματος γλώσσαις, καὶ τὰ κρύφια τῶν ἀνθρώπων εἰς φανερὸν ἀγόντων ἐπὶ τῷ συμφέροντι, καὶ τὰ μυστήρια τοῦ θεοῦ ἐκδιηγουμένων (*Ap. Euseb. ib.*). His quid dici potuit manifestius?

§ 8. — Tertulliani testimonia propterea non refero quod illum montanismi suspectum facit Rigaltius, nec negat apud eum propheticarum visionum exempla occurrere satis frequentia. Est et aliud coævum Tertulliano testimonium neutiquam sane prætermittendum, actorum Perpetuæ et Felicitatis. Ibi visiones habemus Perpetuæ et Saturi ; et quidem ipsis Martyrum manibus scriptas consignatas, Africanas etiam illas, planeque ad Cyprianicarum formam conceptas. Habemus etiam coævi auctoris præfationem, qua visionum istiusmodi usum e Joelis prophetia probat commendatque. Mirum est quod hinc scriptorem ipsosque adeo martyres montanistis favisse colligat doctissimus editor. Non est omnino verisimile, id si fuisset verum, fore illos in martyrum censu numerandos, colendamque etiam eorum in Ecclesia catholica memoriam. Nec enim a Cypriano inductam esse illam de negando schismaticorum martyrio sententiam, sed ab ipso usque Tertulliano Africæ fuisse receptam, probavit ex eodem Tertulliano Cl. Cestriensis. Et vero contra montanistas, potius quam ex eorum sententia, esse concepta, quæ huc trahunt viri eruditi, statim ostendemus.

§ 9.—Quod enim illi prophetiarum prætextum relictum putant montanistis ab Ecclesia, verum non est. Nec enim pro veris prophetis montanum ejusve mulierculas habuerant catholici, nec defecturam umquam crediderunt in Ecclesia prophetarum successionem. Utrumque docuerant contra montanistas catholici, possuntque ex eorum alterutro a montanistarum scriptoribus facillime distingui. Non bono, sed malo spiritui tribuebant illas montanistarum prophetias, unde illa ejus apud Eusebium querela (*Euseb.*, *Hist. eccl.*, v, 16, *ex Asterio Urbano*), pro lupo se, qui tamen agnus esset, haberi. Proinde Zoticum, cum se prophetare primum simularet Maximilla, Exorcistæ vices obire velle, cum ea tamquam dæmoniaca agere, ni ab aliis cohibitus fuisset, ait Apollonius (*Ap. Euseb.*, *Hist. eccl.*, v, 18). De Sota hoc idem testatur Ælius Publius Julius Develti Coloniæ Episcopus apud Serapionem, ex Euseb. *Hist. eccl.*, lib. v, c. 19. De prædicto Zotico Comanensi Episcopo et Juliano Apameno Asterius Urbanus ap. Euseb., ib., v, 16 (*Ap. Euseb.*, *ib.*, *c.* 16, 17, 18). Id catholici ex variis, quibus veri essent prophetæ ab Enthusiastis secernendi, colligebant : quod fuco oculorum supercilia capillosque illevisset Montanus; quod salaria prophetis suis mercaturamque quamdam eo prætextu constituisset; quod viros suos reliquissent ejus mulierculæ cum prophetissarum munus in se suscepissent; quod illæ quoque avaritiæ pecuniisque quavis tandem arte corradendis totæ incumberent; quod παρὰ τὸ κατὰ παράδοσιν καὶ κατὰ διαδοχὴν ἄνωθεν τῆς ἐκκλησίας ἔθος docuissent ; præsertim vero quod in insaniam illos profanus ille spiritus adegisset, quod veris prophetis numquam crediderunt contigisse Catholici. Hoc maxime argumentum occasionem dedit Tertulliano scribendi de Ecstasi adversus Apollonium.

§ 10. — Sed et alio illo, quod diximus, argumento adversus illos usi sunt catholici, hac arrepta ansa. Maximilla de se prædixerat, post se prophetissam aliam non futuram, sed consummationem. Verba ejus apud Epiphanium illa sunt : Μετ' ἐμὲ προφῆτις οὐκέτι ἔσται, ἀλλὰ συντέλεια (*Epiph.*, *Hær.* XLVIII, § 2). Quæ mihi sane suadent ut Blondelli sententiæ accedam, non quidem omnia illa oracula Sibyllina quæ extant hodie, a montanistis esse conficta, sed eorum saltem aliqua. Ibi enim in Marci imperium mundi hæc συντέλεια sive consummatio rejicitur. Sub illius autem imperii finem Marcellinam excessisse verisimillimum est. Cum enim ab ejus excessu ad suum quo scribebat annum, annos XIII, sive XIV, inchoatum numeret Asterius Urbanus (*Ap. Euseb.*, *Hist. eccl.*, v, 16, 17), non alio illa quam ad Commodi imperium aptius referri posse existimant eruditi. Contra catholici vel hinc illos prophetiæ prætextus falsi convincendos putant, quod suæ prophetiæ, vel ex confesso, finis foret aliquando statuendus. Verum prophetiam perpetuam fore, et ad mundi usque consummationem revera permansuram. Ita intelligebant Apostolum illo, ni fallor, loco (*Eph.*, IV, 11, 12, 13). Ita prophetas, Joelis, ut opinor, illum locum præcipue quem diximus. Qua ratiocinatione ita abfuerunt a negandis suorum temporum prophetiis, ut in quacumque Ecclesia non fuissent prophetæ, ea ne esset quidem pro Ecclesia habenda.

§ 11. — Ita argumentatus est Asterius Urbanus. Εἰ γὰρ μετὰ Κοδράτον καὶ τὴν ἐν Φιλαδελφείᾳ Ἀμμίαν, ὥς φασιν, αἱ περὶ Μοντανὸν διεδέξαντο γυναῖκες τὸ προφητικὸν χάρισμα, τοὺς ἀπὸ Μοντανοῦ, καὶ τῶν γυναικῶν τίνες παρ' αὐτοῖς διεδέξαντο δειξάτωσαν· δεῖν γὰρ εἶναι τὸ προφητικὸν χάρισμα ἐν πάσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ μέχρι τῆς τελείας παρουσίας ὁ Ἀπόστολος ἀξιοῖ (*Ap. Euseb. Hist. eccl.*, v, 17). Ita Epiphanius : Εἰ γὰρ δεῖ χαρίσματα

δέχεσθαι, καὶ δεῖ ἐν ἐκκλησίᾳ χαρίσματα, πῶς οὐκέτι μετὰ Μοντανὸν, καὶ Πρίσκιλλαν, καὶ Μαξιμίλλαν ἔχουσι προφήτας; ἆρα ἤργησεν ἡ χάρις; οὐκ ἀργεῖ δὲ ἡ χάρις ἐν ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ. μὴ γένοιτο. Εἰ δὲ ἕως τινὸς προφήτευσαν οἱ προφητεύσαντες, καὶ οὐκέτι προφητεύουσιν· ἀλλὰ οὔτε Πρίσκιλλα, οὔτε Μαξιμίλλα προφήτευσαν μετὰ (κατὰ scrib.) τὰς προφητείας τὰς διὰ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων ἐν τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ δοκιμασθείσας (*Hær.* XLVIII, § 2). Plane hæc Epiphaniano sæculo non conveniunt, quo jam in confesso erat hæc χαρίσματα eousque non permanasse. Existimo igitur ex antiquiore aliquo scriptore illum hæc imperite descripsisse.

§ 12.—Ad eamdem formam argumentatur vetus ille auctor, quicumque fuit, martyrum contemporaneus, actorum Perpetuæ et Felicitatis. Is ubi, allato Joelis loco, probasset, ita non deficere a V. T. illis N. Testamenti prophetias, ut sint potius ex adverso sub N. T. potiores expectandæ; hæc deinde subjungit in illam, quam dixi, sententiam: « Itaque et nos, qui sicut prophetias, ita et visiones novas pariter repromissas et agnoscimus et honoramus; cæterasque virtutes Spiritus Sancti ad instrumentum Ecclesiæ reputamus, cui et missus est idem omnia donativa administrans in omnibus, prout unicuique distribuit Dominus, necessario et digerimus, et ad gloriam Dei lectione celebramus. Ut ne qua aut imbecillitas, aut desperatio fidei, apud veteres tantum æstimet gratiam Divinitatis conversatam, sive martyrum, sive in revelationum dignatione: cum semper Deus operetur quæ repromisit, non credentibus in testimonium, credentibus in beneficium (*In Præfat.*). » Eo omnino spectat tota ea disputatio ne fraudi esset seculuris visionibus quod ultimis Ecclesiæ temporibus illas Deus revelare dignatus sit. Id ne esset, hoc sibi probandum sumpsit, ultimis esse illas præcipue temporibus, semperque ad consummationem usque expectandas. Poterant ea fortassis adversus Ethnicos dicta videri, poterant etiam adversus montanistas. Contra montanistas potius dicta crediderim, quia quæ dixerat, ea Scripturarum testimonio confirmavit. Id sane manifestum est quæ hic protulerat esse apud suos in confesso, quod a montanista scribi omnino non poterat.

§ 13.—Notetur enim inprimis scripta esse ab auctore anno Domini CCII, id est, anno ab obitu Maximillæ circiter XXIII; decessisse enim illam diximus anno Marci ultimo, id est, Dom. CLXXIX. Atqui ea si vera fuisset prophetissa, non jam alius erat propheta expectandus. Qui igitur alios adhuc expectavit, semper expectandos existimavit, fieri non potest ut illam pro vera prophetissa habuerit, nec proinde montanista esse potuit. Quamquam enim ea hæresis postea in varias deinde sectas distributa fuerit; in eo tamen omnes conveniebant, primas illas mulierculas, pro prophetissis fuisse agnoscendas. Notetur 2° ut sensu benignissimo Maximillæ verba interpretemur, et de mulieribus prophetissis, non de viris prophetis intelligamus: ne ita quidem hanc præfationem a montanista scribi potuisse, Perpetuæ enim prophetissæ visiones erat complexurus; quanquam certum sit hanc interpretationem ad mentem Maximillæ accommodari non posse. Quæ enim post se συντέλειαν fore dixerat, eam omnem prorsus prophetiæ usum exclusuram necesse erat. 3° Cum hac ipsa argumentatione, ante annos ad minimum decem, in secta illa refellenda usus fuerat Asterius Urbanus; quis credat eadem argumentatione usurum sectæ patronum? 4° Id etiam ex eodem Urbano constat de facto illos omnem suam prophetarum successionem in Maximilla terminasse, nec alium quemvis post illam admisisse successorem. Eadem argumentatione usus Epiphanius (*Hær.* XLVIII, § 2), post illius obitum neminem alium a montanistis ad sua usque tempora agnitum esse confirmat. Fieri igitur non potest ut montanista Saturum Perpetuamque in prophetarum album retulerit. Id saltem ex illa aliorum argumentatione concedat lector necesse est, qui ita argumentetur non esse eo nomine pro montanista æstimandum. Nec tamen aliud proferunt qui aliter sentiunt viri sane eruditi. Scio equidem lubensque concedo, in tota hac de prophetiarum perpetuitate argumentatione hallucinatos esse veteres, nec ad eorum auctoritatem minuendam facit, quod id genus erroris alios frequentesque agnoscamus. Nec enim aliud habuerunt sententiæ suæ fundamentum quam textus illos quos diximus, unde rectene argumentati sunt, non de testimonio eorum, sed vero de judicio est quæstio, in qua nullum habent a sua vetustate præsidium. Quod vero inde infero, de facto illos agnovisse in suo quoque sæculo prophetias, id jam in facto versabitur, de quo testimonium eorum erit pro suo sæculo certissimum.

§ 14.—Sed ut eo, unde digressa est, redeat oratio, eadem qua passæ sunt Perpetua et Felicitas, Severi persecutione, occurrebant et alia visionum exempla (*Auctor incognitus adv. Artemonis hæresin*, *ap. Euseb.*, *Hist. eccl.*, V, 28). Natalis inprimis confessoris illa sub romano pontifice Zephyrino, qua ab Artemonis hæresi ad catholicam Ecclesiam revocatus est (*Euseb.*, *Hist. eccl.*, VI, 5). Tum Potamiænæ aliæ, quibus non Basilides modo, sed et alii Alexandrini plures ad fidem christianam conversi sunt. Præterea revelationes visionesque aliæ, quarum prima jussus est Alexander e Cappadocia ut in Palæstinam migraret (*Euseb.*, *ib.*, *c.* 11), secunda atque tertia cum voce cœlesti quam בת קל appellant Judæi, quibus moniti sunt cum Episcopo suo Hierosolymitani, eumdem Alexandrum ut in Episcopatum admitterent. Sub Maximino vel Gordiano Fabianus revelatione Divina factus est Episcopus (*Euseb.*, *Hist. eccl.*, VI, 29), Sp. S. in illum, columbæ specie delapso, ad eamdem plane formam qua in Salvatorem delapsus fuerat.

§ 15.— Sub Gordiano, vel potius fortasse Philippo suos adversus Celsum tomos scripsisse videtur Origenes; nec enim στάσις illa cujus meminit p. 120, ad remp. referenda est (*Lib.* III, *adv. Cels.*), ut putavit interpres, sed ad sectas potius christianorum

Jam autem χρόνῳ πλείονι persecutionem passi non A erant christiani, quam etiam πάλαι fuisse dicit. Longam illam pacem omnino denotare videtur cujus meminit Cyprianus (*de Laps.*); intervallum nimirum a persecutione Severi ad illam Decii. Hoc autem tempore prophetica dona apud christianos viguisse, testis ipse est de suo tempore fide dignissimus, qui et rem omnem propheticorum donorum paucis absolvit. Οὔτε τῶν τῆς πίστεως ἀλλοτρίων παραπλήσιόν τι τοῖς προφήταις πεποιήκασι, οὔτε νεώτεροι καὶ μετὰ τὴν Ἰησοῦ ἐπιδημίαν ἱστόρηνται ἐν Ἰουδαίοις τινὲς προφητεύσαντες. τὸ γὰρ ἅγιον πνεῦμα ὡμολόγηται ἐκείνους καταλελοιπέναι ἀσεβήσαντας εἰς τὸν θεὸν, καὶ τὸν προφητευθέντα ὑπὸ τῶν παρ' αὐτοῖς προφητῶν (*Lib.* VII, *p.* 337) Idem supra de Judæis Justinus martyr. Pergit autem Origenes: Σημεῖα δὲ τοῦ ἁγίου πνεύματος B κατ' ἀρχὰς μὲν τῆς Ἰησοῦ διδασκαλίας, μετὰ δὲ τὴν ἀνάληψιν αὐτοῦ πλείονα ἐδείκνυτο, ὕστερον δὲ λάττοντα. πλὴν καὶ νῦν ἔτι ἴχνη ἐστιν αὐτοῦ παρ' ὀλίγοις, τὰς ψυχὰς τῷ λόγῳ καὶ ταῖς κατ' αὐτὸν πράξεσι κεκαθαρμένοις. Quod suo tempore vestigia duntaxat superesse dicat, ad prima illa christiani cultus primordia in pentecoste proculdubio respexit, utque voluit cum christianorum cujusque ordinis communia olim fuerint sub apostolis dona hæc, quæ diximus, prophetica, jam illustrium duntaxat primique meriti christianorum facta esse propria.

§ 16. — Benignum hic præberet argumentum vel una illa Gregorii Thaumaturgi, Origenis discipuli, vita a Nysseno conscripta: ni id metuerem ne certioris fidei monumentis fidem detraherem, si incertiora etiam C coacervarem. Hausit illa Nyssenus non e coævis monumentis, sed vero ex orali plerumque traditione, nec illa propius quam ex unius, ad minimum, ætatis intervallo deducta. Ea si coram accepisset, nec rem gestam aliter quam gesta est, ratiociniis nimirum suis conjecturisque auctam, posteris repræsentasset, non viderem sane cur Nysseno, cur cuivis probatæ fidei viro assensus esset denegandus. Talia sunt autem quæ hactenus protulimus, quæque deinceps proferemus.

§ 17. — Quare suppleat ejus locum alius ejus sub Origene condiscipulus, Dionysius Alexandrinus. Hic sub finem Philippi, ingruente Alexandriæ, populi in christianos ferocientis impetu, persecutione, divino monitu fugere jussus est, cui et fugæ viam præter opinionem aperuit. Ita de se ipse in sua ad Germa- D num epistola: κελεύσαντός μοι μεταστῆναι τοῦ Θεοῦ, καὶ παραδόξως ὁδοποιήσαντος, etc. (*Apud Euseb.*, *Hist. eccles.*, VI, 40). Hæc vera esse, Deum ipsum testem appellat: ἐγὼ δὲ καὶ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, λαλῶ, καὶ αὐτὸς οἶδεν ὅτι οὐ ψεύδομαι· οὐδὲ μίαν ἐπ' ἐμαυτοῦ βαλλόμενος, ἀθεεὶ πεποίημαι τὴν φυγήν. Quid hic faciemus? Viro sanctissimo ne jurato quidem credemus?

§ 18. — Ad ipsa jam Cypriani tempora devenimus, cujus si unius testimonia consulamus, nec erit sane quod dubitemus, fuisse visiones aliasque prophetias, nec fuisse etiam illas veracissimas. In hac ipsa quam tractamus epistola meminit visionis prius longe ostensæ quam tempestas vastitatis illius oriretur, quam jam antea futuram intellexerat. Et quidem illa de unanimitatis defectu talis erat qualem descripsit Apostolus, qua ipsa quoque cordium occulta manifesta redderentur. Erat et alia revelatio quam ad minimum famulum (se ea proculdubio voce denotarat) mandatam ait, dic illi, inquit, securus sit, quia pax ventura est. Jam longe aberant a pacis spe cum illa scriberet Cyprianus. Nec tamen dissimulandum propterea credidit, quin potius ipsam hanc epistolam fuisse fratribus legendam. Ita certum de eventu fuisse constat, fore nihilominus quod promissum erat.

Orta persecutione secessit. Id quoque ut Dionysium fecisse ostendimus, sic Deo pariter auctore constat fecisse Cyprianum. « Et audietis, inquit, omnia, quando ad vos reducem me Dominus fecerit, qui ut secederem jussit (*Ep.* X). » Idem in ep. XV, multisque in ejusdem vita Pontius. Lapsis pacem, eo inconsulto, temere concesserant presbyteri. De eo etiam, quid faceret, Deum habuit monitorem: « Castigare nos itaque divina censura nec noctibus desinit, nec diebus. Præter nocturnas enim visiones, per dies quoque impletur apud nos Spiritu sancto puerorum innocens ætas, quæ in extasi videt oculis, et audit, et loquitur quibus nos Dominus monere et instruere dignatur. » Quinque presbyteri lapsorum patroni, quas illi turbas dederint, ubique constat ex ejusdem epistolis. Id etiam ei a Domino cœlesti visione antea revelatum est. « Persecutio, inquit, est hæc alia, et alia tentatio; et quinque isti presbyteri nihil aliud sunt quam quinque primores illi, qui edicto nuper magistratibus fuerant copulati (*Ep.* XL). » Ita intellexit recteque, ut videtur, Pamelius: « Videtur mihi alludere ad visionem quampiam in qua apparuisse videntur cum magistratibus quinque primores, qui edictum contra episcopos una publicarent. »

§ 19. — Secundam illam sui temporis sub Gallo et Volusiano persecutionem jam antea ex revelatione divina didicerant, deque ea populum litteris etiamnum extantibus monendum existimarunt. Ita ad plebem Thibaritanam Cyprianus: « Nam cum Domini instruentis dignatione instigemur sæpius, amplius et admoneamur, ad vestram quoque conscientiam admonitionis nostræ sollicitudinem perferre debemus. Scire enim debetis et pro certo credere ac tenere, præssuræ diem super caput esse cœpisse (*Ep.* LVI), etc. » Deinde, paucis interpositis: « Nec putemus talia esse quæ veniunt, qualia fuerunt illa quæ transierunt. Gravior nunc et ferocior pugna imminet, » etc. Rursus idem cum synodo Cyprianus ad Cornelium: « Sed enim cum videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare cœpisse, et crebris atque assiduis ostensionibus admoneamur, ut ad certamen quod nobis hostis indicit, armati et parati simus, plebem etiam nobis de divina dignatione commissam, exhortationibus nostris paremus, etc. (*Ep.* LIV). » Postea: « Obtemperandum est namque ostensionibus atque admonitionibus justis, ut a pastoribus oves in periculo non deserantur, etc. » Rursus: « Placuit nobis, Spiritu sancto suggerente et Domino per visiones

multas et manifestas admonente quia hostis nobis imminere prænuntiatur et ostenditur, colligere intra castra milites Christi, etc. » Non credent hæc fortasse athei. Sed quid habent quo minus fide digna esse censeant? Visiones hic habemus, non multas modo, sed et manifestas; nec illas post eventum confictas, sed vero antea prænuntiatas, eventuque comprobatas; nec id obscura privati cujuspiam fide, sed synodi totius consentiente suffragio, mansurisque, si falsæ fuissent, in rei memoriam æternis monumentis, scriptisque consignatas sole, ut Hieronymus ait, clarioribus; non video quid præterea velle possent ad rem facti comprobandam, si modo ex æquo judicare vellent, nec fidem prorsus omnem hominibus derogare.

§ 20. — Adeo familiares Cypriano erant hujusmodi visiones, ut in disciplinæ etiam ecclesiasticæ exercitio illas acceperit, aliasque deinceps expectaret. Ita ille de Florentio Pupiano, fore « si plenissime satisfecisset ut communicationis ejus possent habere rationem manente tamen, inquit (*Ep.* LXIX), apud nos divinæ censuræ respectu et metu; ut prius Dominum meum consulam an tibi pacem dari, et te ad communicationem Ecclesiæ suæ admitti sua ostensione et admonitione permittat. Memini enim quid jam mihi sit ostensum, immo quid servo obsequenti et timenti de divina et dominica auctoritate præceptum; qui inter cætera quæ ostendere et revelare dignatus est et hæc addidit (verba erant proculdubio Christi in visione quæ subjungit) itaque qui Christo non credit sacerdotem facienti, postea credere incipit sacerdotem vindicanti. » Ita erant frequentes ea ætate divinæ revelationes, ut ne de resipiscente quidem Pupiano polliceri auderet quid esset statuturus, ne aliud fortasse a Deo juberetur, ut Deum proinde primum innueret esse consulendum, ut tandem Dei in rebellem pœnam expectaret, talem plane qualem apostolicarum censurarum comitem fuisse apud doctos in confesso est. Iterum de presbyteris qui, se inconsulto, lapsis communicaverant, « utar, inquit, ea admonitione, qua me Dominus jubet, ut interim prohibeantur offerre, etc. (*Ep.* X). »

§ 21. — Ita constat gravioris momenti omnia, quæ quidem publicum Ecclesiæ statum attinerent, esse istiusmodi visionibus prædicta. Designatus est a Cypriano lector Celerinus confessor (*Ep.* XXXIV). Is contra pro humilitate sua cum consentire dubitaret Ecclesiæ, Dei ipsius admonitu et hortatu in visione per noctem compulsus est ne negaret. Nec deerat quo de martyrio suo monitus est vir sanctissimus, somnium quidem illud, sed propheticum, et sane manifestissimum. Quo primum die in exilii Curubitani loco mansit, mors ejus et quidem ipsum martyrii genus prophetico symbolo repræsentata sunt. Ille dilationem unius diei petiit accepitque, donec res suas legitima ordinatione disponeret, Ecclesiæ fortassis illas. Dies ille pro idiomate Danielis atque Apocalypseos prophetico annum designabat. Responditque eventus accuratissime. Eo enim ipso die

A post exactum annum coronatum esse tradit Pontius, quo hoc illi ante annum fuerat ostensum (*Pont. in Vita Cypriani*). Quid hic dubitamus? De somnio? At a Cypriano ipso habuit Pontius domesticus atque exilii comes. De Pontio? At jam ante martyrii diem omnibus innotuerat, ut ne quid Pontius comminisci posset si vel maxime voluisset. « Medio enim, inquit, tempore imminens passio pro certo ab omnibus sciebatur (*Pont.*, *ib.*). » Quid quod illa ediderit Pontius quo tempore jam recens erat Cypriani memoria; quo multi adhuc superessent Cypriani hostes qui nomini ejus essent infensi, gentiles, lapsi, æmuli, ipsi etiam hæretici. Hosne igitur indormiisse, factique historiam, si falsa esset, tam refutatu facilem, prætermissuros, putant esse verisimile? De somnii itaque

B que fide? Atqui illam manifestissimus omnique exceptione major comprobavit eventus. Quamquam ergo defuissent illa, quæ vidimus de visionum usu alia tam diserta testimonia, ipsæ tamen sibi comprobandis vel solæ suffecissent cyprianicæ, totique adeo cultus christiani causæ commendandæ.

§ 22. — Ultimis Cypriani temporibus, pontificatu nimirum Xysti, ille cujus supra meminimus Dionysius Alexandrinus, visionis meminit qua factum dicit ut in hæreticorum librorum lectione confirmaretur. Ita enim scribit in epistola ad Philemonem Ecclesiæ romanæ presbyterum: ὅραμα θεόπεμπτον προσελθὸν ἐπέῤῥωσέ με, καὶ λόγος πρός με γενόμενος, προσέταξε διαῤῥήδην λέγων· πᾶσιν ἐντύγχανε οἷς ἂν χεῖρας λάβοις, διευθύνειν γὰρ ἕκαστα καὶ δοκιμάζειν ἱκανὸς εἶ,

C καὶ σοι γέγονε τοῦτο ἐς ἀρχῆς καὶ τῆς πίστεως αἴτιον (*Ap. Euseb.*, *Hist. eccles.*, VII, 7). Ab horum Dionysii temporum fine suorum temporum initium arcessit Eusebius (*Hist. eccles.*, VII, 32). Qui cum hoc in sua historia notatu dignum duxerit, quousque donorum propheticorum successio permanavit; id sane innuit suo jam tempore illam defecisse. Atque adeo post Constantini tempora primum a doctoribus quæsita est illius defectus ratio quamquam ne ita quidem omnimodam eorum defectionem agnoverint. At Constantino antiquiorem neminem fuisse puto qui illa defecisse crediderit; nedum ut de defectionis ratione laborandum esse censeret.

§ 23. — Est et illud animadvertendum, quod sane ad visionem illius sæculi commendationem plurimum

D facit, quamquam noctu essent dormientibusque, ut plurimum oblatæ, non tamen intra privatorum duntaxat hominum arcana esse reservatas, sed vero palam et in facie Ecclesiæ, prima quaque occasione enuntiatas. Id ab ipsis usque apostolorum temporibus observatum esse constat. Prophetiæ illæ quarum meminit epistola ad Corinthios, ecclesiasticorum erant omnino cœtuum. Inde tanta cœtuum illorum confusio, quod simul plures loquerentur, nec expectarent prophetandi vices; quod dona illa exercerent quibus Ecclesia ædificari non posset, ut qui dono linguarum uterentur sine dono interpretandi; quod mulieres etiam, prophetissæ nimirum, in cœtibus virorum præter sexus decorum, quodque sine

velis, passis fortasse capillis, ad modum Sibyllarum, prophetarent. Nec aliter Agabus famem illam œcumenicam prædixit, quæ imperante Claudio contigit; qua tamen prædictione moniti statim antequam fames ipsa evenisset, subsidiis pecuniariis subveniebant, ad eamdem plane formam qua Cyprianum jam vidimus persecutioni similiter prædictæ etiamnum futuræ occurentem (*Act*. XI, 28, 29, 30). Erant enim publicæ ut plurimum calamitates prophetiarum istiusmodi argumentum, vel personarum saltem publicarum. Ista S. Pauli vincula prædixit Agabus, Act. XXI, 10, 11. Prædixerunt et alii discipuli, v. 4; prædixit *πνεῦμα κατὰ πόλιν*, cap. XX, 23, id est, ut ego arbitror, *πνευματικοὶ* singularum ecclesiarum, quæ ea etiam ætate secundum civitates distributæ sunt. Ita denique postremorum temporum prædicti sunt errores (I *Tim*., IV): *πνεῦμα* etiam in eo loco de conventuum prophetis intelligo, quos cum dicit hæc *ῥητῶς* prædixisse, id nempe innuit, disertis hæc verbis esse prædicta, præter usitatum prophetiarum morem quæ symbolis ut plurimum intellectu difficillimis erant involutæ. Id saltem verisimillimum est privatorum nullas receptas esse prophetias qui se publico examini non probassent. Ita certe in publico munus suum exercuisse vidimus Ignatium. Publicum in usum prophetias suas scribere jussi sunt ejusdem sæculi prophetæ. S. Joannes, pseudo-Esdras, qui veri prophetæ personam induere voluit, et Hermas. Cypriani etiam tempore palam et in facie Ecclesiæ communicabant suas visiones. Visionem illam ipsius in exilio omnibus innotuisse jam ostendimus, uti etiam et illas de instante persecutione. Idque ex ipsa visionum mentione sane abruptissima, colligitur, tum in hac epistola, tum in ep. XL de quinque presbyteris, tum in ep. LXIX de Florentio Pupiano. Ita certe perstrinxit, nec ullam umquam *καθεξῆς* exponit, quasi rem commemoraret jam omnibus notissimam, quæque adeo narratione non indigeret.

§ 24. — Quod cum ita se haberet, jam optime cautum videbatur ne qui falsariorum doli fidelibus imponerent. Inprimis enim nulli ad hoc munus admitti potuerunt nisi quorum optima esset existimatio, vitaque ab omni fraudis astutiæque suspicione alienissima. Ita factum ut prophetæ, omni suspicione remota, de ejus duntaxât esse prophetia judicandum. Hoc autem judicandi munus, ut quam accuratissime præstaretur, optima etiam erant in publico præsidia. Aderant enim et alii prophetæ, aderant et prophetarum judices, qui dono essent discernendi Spiritus instructi, ipsi etiam famæ proculdubio integerrimæ. Horum si cum aliquo pugnaret cum id in confesso esset, eumdem Dei Spiritum sibi esse non posse contrarium; plane sequebatur jam locum esse suspicioni. Quamquam enim certum erat omnia divini Spiritus dona esse pariter infallibilia; id tamen etiam certum, quoad credibilitatis, quæ vocant, motiva, certiora esse argumenta cur unus crederetur afflatus quam cur alii; justumque esse ut qui minus esset credibilis, is a credibiliori judicetur. Quod etiam ad fraudem suspicionem attinet, alienissima erat ætas puerorum, quos Cypriani sæculo prophetasse jam vidimus.

§ 25. — Fraude itaque remota, alia tamen suppetebant argumenta quibus a Deo auctore profluxisse probaretur ea prophetia, vel enim alio edito miraculo se a Deo missum propheta confirmabat, quod signum prophetæ veteris testamenti scriptores appellant; vel intrinsecis prophetiæ argumentis a Deo illam emanasse probabat. Si miraculo se commendare vellet, aliud donum haberet necesse erit, quod tamen non est, ex Evangelii œconomia, necessarium. Intrinsecorum autem argumentorum, quæ eo præcipue spectabant ut revelationem illam probarent, naturæ vires superare, naturæque proinde auctori soli tribuendam, duo erant genera. Vel enim occultas hominum cogitationes proferebant, vel futura contingentia. Horum utrumque, èx illius præsertim sæculi principiis, soli Deo proprium, omnesque creaturarum vires superabat. Prius equidem; quia is solus *καρδιογνώστης*, rerum atque cordium scrutator, cui omnia sunt nuda atque *τετραχηλισμένα*. Proinde arcana Dei nemo investigare poterat nisi Spiritus Dei (I *Cor*., II, 11). Spiritum etiam discretorem cogitationum et intentionum cordis appellat Apostolus (*Heb*., IV, 12). Qui ergo alienas cogitationes aperuerat, is ubi fraudis omnis suspicio remota erat, non alio quam divino Spiritu afflatus credebatur.

§ 26. — Fuisse autem inter *πνευματικοὺς* Ecclesiæ qui eo etiam essent dono præditi, constat ex Apostolo I Cor., XIV, 24, 25: « Si autem, inquit, omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota: convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. Occulta enim cordis ejus manifesta fiunt: et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit. » In hoc Infidelis exemplo certum erat nihil agi potuisse ex condicto, ut proinde certissimum esset, qui ita cogitationes ejus manifestaret, non alio illas, quam divino Spiritu afflante didicisse. Hujus gratiæ frequens fit in Salvatoris historia mentio (*S. Mat*., IX, 2, 4; XII, 25; *Luc*., V, 22; VI, 8; XI, 17), a quo *χάριν ἀντὶ χάριτος* accepit Ecclesia. Eadem usus est in Ananiæ et Sapphiræ ut in Simonis etiam Magi causa S. Petrus. De Simone ita: *ἡ καρδία σου οὐκ ἔστιν εὐθεῖα ἐνώπιον τοῦ θεοῦ* (*Act*., VIII, 21). Rursus: *Εἰς γὰρ χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα*. In causa Elimæ magis S. Paulus (*Act*. XIII, 9, 10). Is enim plenus Sp. Sancto, non illud modo Elymæ factum, sed dolosam etiam indolem reprehendit, quamquam antea ignoti. Usum etiam vidimus Ignatium, cum schismaticorum occulta consilia primus in lucem protulit. Et quidem nescio annon hoc fortasse fuerit donum *διακρίσεως πνευμάτων* cujus meminit Apostolus. Affinibus certe verbis usi sunt scriptores sacri in hoc ipso Spiritus negotio. Dicitur *κριτικὸς ἐνθυμήσεων*, etc. *Heb*., IV, 12, *ἀνακριτικὸς*, I *Cor*., XIV, 24, et vere Spiritus pro corde cogitationibusque usu frequentior est quam ut de eo monendus sit lector.

§ 27.—Duo autem erant hominum genera quorum cogitationes ita patefierent. Vel enim aliorum prophetarum cogitationes patefecerunt cum quibus nullum ipsi commercium habebant, ex quo magna accessit rei prædictæ confirmatio. Ita de Timotheo non una erat sed multæ interque se consentientes prophetiæ de S. Paulo πνευμάτων κατὰ πόλεις, ut supra vidimus. His autem major erat adhibenda fides quod non humanorum duntaxat, sed divinorum quoque arcanorum conscii viderentur. Humanarum autem cogitationum duo erant genera quæ hoc dono essent manifestanda. Vel enim fidelium erant illæ, vel infidelium. Infidelium equidem si quis malo animo in ecclesiasticos conventus irrepsisset, vel prodendi causa, vel ludibrio exponendi, vel ut mundano affectui gratificaretur, id ipsum Spiritu revelante prodebatur; unde fiebat ut si ex eorum numero fuisset, quos Græci εὐγνωμονοῦντας appellant, non tam succenseret prodentibus, quam in eorum potius admirationem raperetur, ut in prædicto loco innuitur Epistolæ ad Corinthios. Fidelium autem cogitationes prodebantur, si qui essent in clerum adscribendi, ut in exemplo Timothei; vel si qua fraude usi essent, ut in Anania et Sapphira; vel etiam insidiis, ut Judam prodidit insidiantem ipse Dominus; vel alio denique fortasse quovis occulto flagitio. Id enim ipsum reprehendit in Anania et Sapphira (*Act.*, v, 4, 9) S. Petrus quod ausi essent non hominibus mentiri, sed Deo; quod Spiritum Domini tentarent. Quasi id exprobrasset, quod cum iis se cœtibus adjunxissent, in quibus Spiritus dona ipsi agnoverant; interque alia illud quoque quo arcana revelarentur; ipsi tamen occulta sua flagitia latere posse sperarint, seque ea impune laturos. Idque ipsum magnum proculdubio incussit occultorum etiam flagitiorum metum, cum nullas deinde latebras securas fore intellexissent, v. 5. Nec est quod in hac ipsa ratiocinandi forma vel ipsi athei poterunt merito reprehendere.

§ 28.—Erat tamen et aliud argumentum, et quidem ipsi prophetiæ dono intrinsecum, quo prophetiarum suarum fidem veteres confirmabant, futurorum nempe contingentium prædictio. Quæ quidem certa esse, et a Deo auctore fuisse intellecta est, cum ipsam confirmasset eventus. Eratque hæc argumentatio ex christianorum principiis certissima. Ipse Deus eo provocat apud Isaiam (*Isa.*, XLI, 23). Nec vero alteri quam Deo tribui de facto potuit hæc futurorum contingentium præscientia ex principiis christianorum. Ut enim demus multos esse eventus qui vires creaturarum non excederent; concessa tamen illa, quam christiani tuebantur, providentia, erant nihilominus certi quidam eventus qui nullam habebant causam a natura determinatam, ex qua poterant antea cognosci; et vero qui non ex una aliqua causa, sed ex omnium consensu complexuque orirentur (quales erant qui publicum spectabant plerique), illos vel unius causæ defectus, vel etiam unius interpositio, incertos fecit, ut proinde non

A possent nisi ex illa causa intelligi futuri cui aliarum omnium causarum complexio de facto esset obnoxia. Eam autem non aliam crediderunt christiani, quam primum, optimum maximumque Deum.

§ 29.—Crediderunt imprimis non casu factum esse mundum, ut volebant epicurei, sed certa quadam providentia, factumque etiamnum eadem regi providentia qua factus est. Crediderunt deinde liberum arbitrium nulli esse causæ alteri nisi Deo soli obnoxium. Proinde fati omnes illos sensus qui essent a supremi Dei decreto distincti, penitus rejiciebant, sive epicureorum illum a materialium causarum influentia petitum, sive astrologorum illum a cœlestium siderum sive motu deductum, sive etiam causalitate. Si ergo soli Deo liberum arbitrium obnoxium fece-

B rint, plane sequitur eventuum eorum certitudinem qui vel ab ipso libero arbitrio, vel a conditione aliqua per liberum arbitrium ponenda penderent, a Deo solo esse de facto deducendam. Quod vero ad materialium causarum eventus attinet, poterant illi motus universalis vim aliquam mechanicam agnoscere. Sed nec ita talem illam agnoverunt, ut creatura aliqua, cum qua nobis est commercium, vel ipsa possit ex universali illo motus consensu, futura contingentia cognoscere, vel nobis indicare. Indicare certe nulla potuit nisi intellectualis, quam christiani angelum appellamus. At qui cum nobis versantur angelos, eos certis creaturarum provinciis assignabant, universorum provinciarum λόγον, præsidem existimabant, ut proinde angelorum, quos dixi, cum

C nobis versantium, nullus motui universali fuerit admotus, ut possit ex causalitate sua de futurorum contingentium eventu judicare. Sed nec eos ita incorporeos agnoverunt ut possent omnia creata in speculo creatoris intueri. Nec omnia creata illis innotescere crediderunt, nisi quæ Deus illis revelare dignatus esset, nec etiam omnia illis revelare de facto esse dignatum. Mysterium de incarnatione ab Ecclesia didicisse angelos testis est Apostolus (*Eph.* III, 10). Tria etiam, ante incarnationem dæmonem latuisse, auctorem habemus Ignatium (*Ignat.*, *Ep. ad Ephes.*, § 19). Sed non vacat hisce ut singulis immoremur.

§ 30.—Liquet interim, data hac hypothesi, futura contingentia, sive a libero arbitrio, sive ab univer-

D sali motu, pendentia, neminem posse, nisi summo illo Deo revelante cognoscere. Sed nec si motum illum universalem cognovissent, vel ita possent de eventuum istius modi certitudine judicare. Nec enim ita mundum universum mechanice a Deo regi credebant, ut non aliquando contra motum illum universalem, sæpius tamen præter illum, Deus interponere et vellet et soleret; contra equidem, in miraculis: præter illum, quoties vellet ordinarias etiam electorum preces exaudire. Frustra enim essent piorum preces ut plurimum, pro bonis præsertim temporalibus; si nihil posset Deus præter universalis naturæ cursum, sine miraculo, præstare. Toties enim edenda essent istiusmodi miracula, quo-

ties bonorum essent preces audiendæ. Quod si præter universalem illum motum multa Deus et velit præstare soleretque; sequitur ex illo, si vel maxime innotuisset, nihil esse de futuris contingentibus certo pronuntiandum.

§ 31. — Quod si hæc, ut creatas vires ex natura sua non superarent, non tamen possent a creatura, nisi Deo revelante, cognosci; id unum abunde sufficit, ut quoties hominibus innotuissent, Deo tamen summo essent merito tribuenda. Nec enim id quærendum, Deusne ipse, an ejus jussu permissuque creatura aliqua, ei tamen subdita hominibus ea revelaret? sed, an, eo nolente, vis aliqua contraria? In eo enim versatur erroris periculum. Atqui, data hac, quam repræsentavimus, hypothesi; id certum erat hujusmodi revelationes a vi aliqua contraria esse non posse. Nec enim erat creatura quæ, Deo nolente, ea posset cognoscere; nec verisimile erat, angelis contrariis et suis suorumque hostibus infensissimis, Deum ea revelaturum, quæ non essent illorum naturæ debita, nec possent, nisi eo revelante, cognoscere. Sequitur ergo, ut angelorum ministerio in revelatione hominibus patefacienda uteretur, nisi bonis tamen minime usurum. Nec metuendum quin illi munere sibi commisso diligentissime fidelissimeque fungerentur. Ita constabat veras hasce de futuris contingentibus revelationes nisi a Deo auctore esse non posse.

§ 32.—Quamquam autem hypotheseos veritas, cujus justas hasce diximus esse atque legitimas consequentias, ex docentium auctoritate probata est, quæ et ipsa aliis erat miraculis commendata; facit tamen nonnihil ad præmissarum quoque veritatem, consequentiarum quoque ipsa probabilitas, tamque apta inter se et cum phænomenis connexio. Nam in hujusmodi causis quas ipsas nulla nostra a priori ratiocinatio attingit, id unum student homines, ut sibi quamdam fingant hypothesin quæ cum phænomenis apte conveniat, nec aliam quærunt ejus probationem, quam aptam illam cum phænomenis convenientiam, eamque veriorem judicant quæ phænomenis pluribus aptiusque respondet. Ita judicant de motibus orbium cœlestium, marium, ventorumque; de magnetis natura aliorumque id genus omnium. Nec tamen minus est a nobis occulta ratio providentiæ, quam orbium cœlestium. Nec minus apte convenit cum phænomenis hæc christianorum de providentia hypothesis, quam Ptolemæi illa, sive etiam Copernici, sive alterius cujusvis Astronomi cum motuum illorum phænomenis. Contra potius longe certiores erant christianorum etiam naturæ imperitissimorum, de futuris contingentibus prophetiæ, quam peritissimorum etiam astrologorum judicia. Ex quo id etiam sequebatur longe esse verisimilius, a Deo esse hæc, quam a quovis naturalium causarum consensu repetenda.

§ 33.—Probata ergo prophetiarum præteritarum ex eventu veritate, ita deinde prophetæ auctoritas accessit ad aliarum prophetiarum successum similiter expectandum. Quoque sæpius prophetiis ejus eventus respondissent, eo certius constabat non casui hæc, sed vero certis causis esse tribuenda. Cum vero duorum essent generum prophetiæ, aliæ claræ facilesque intellectu, in quibus nulla esse posset de vero prophetæ sensu dubitatio; aliæ rursus pro usitato prophetiarum idiomate, symbolis ænigmatibusque involutæ, ut ægre intelligi posset quænam prophetæ esset aut numinis sententia : ex priorum veritate de posterioribus erat solidissime judicandum. Si omnes obscuræ essent, ut in oraculis Apollinis Loxiæ, nostrorumque hodiernorum enthusiastarum deliriis; nulla jam erant intrinseca credibilitatis argumenta, ut nisi forte eum locum extrinseca supplessent, quantumvis veræ essent : at nullum certe habebant veritatis, quo a falsis internoscerentur, characterem, nec alios proinde, ut vera crederentur, obligabant. Sin aliquæ perspicuæ; jam facile judicium erat, de reliquis quid esset statuendum. Si eventus vel unius perspicuæ prophetiæ non respondisset; plane sequebatur nec reliquis esse fidendum, quin potius illas vel naturali enthusiasmo, vel alteri, potius diabolico spiritui quam divino esse tribuendas. Ita Maximillæ prophetias re ellit Asterius Urbanus (*Ap. Euseb., Hist. eccl.*, v, 16). Prædixerat illa imminere πολέμους et ἀκαταστασίας, cum tamen post annum tertium decimum jam elapsum, nec particulare bellum aut universale in terris fuisset, christianis etiam pax firma stabilisque permansisset. Inde concludit fidem ei omnem esse derogandam. Quod si evenissent quæ prædicta sunt, pro talium eventuum frequentia prophetæ fides magis erat minusve stabilita. Omnino solidissima erat hujusmodi argumentatio, nec video quid in ea reprehendere possint, nedum ridere, scurræ athei; nec quid simile obtendere possint pro suis, quas hodie venditant prophetiis, heri nudiustertiusque nati fanatici, sive eorum qui communi protestantium vocabulo censentur, sive etiam eorum quos mysticos appellant theologos pontificii. Neutri argumentis extrinsecis utuntur, sive miraculis, coram et in propatulo, inque infidelium facie editis, sive aliorum, a nobis etiam agnitorum prophetarum testimoniis. Neutri testimoniis intrinsecis, sive cordium infidelium patefactis occultis, sive futurorum contingentium prædictione, jam diu ante eventum manifesta, publicamque in lucem edita.

§ 34. — Monendi sunt interim lectores non esse tamen quod prophetarum omnia prophetico sint spiritui tribuenda. Ne hoc quidem Judæi de suis, nec de Pythiis Græci, nec de prophetis suis gentiles alii, Phœnices atque Ægyptii, nec qui prophetas agnoverunt, ullos docuisse arbitror. Elisæum latuit Sunamitidis infortunium. Humano etiam spiritu edidit nonnulla sanctissimus Apostolus. Non est igitur prophetæ fides in dubium vocanda, si qua illi humanitus dicta exciderint, hoc est, in iis quæ nec ipse Spiritui Dei, sed suo potius, tribuit. Ut si Apostolus in iis quæ se, non Domi-

num hortari monuit, errasset; non debuit id in A fraudem cedere aliarum ejus prophetiarum. Neque vero ita incerta est, ut voluit profanus Theologico-Politici auctor, horum utriusque distinctio. Quo loco cautionem interposuerant sacri scriptores, ea ipsa cautio signum erat, excipienda esse sola de quibus fuerat cautum, reliqua de alio esse spiritu intelligenda. Ita quia in scriptis epistolis, si qua suo spiritu protulisset Apostolus, id ipsum duxerat esse monendum, plane sequitur reliquorum auctorem divinum Spiritum esse habendum. Contra quia Ignatius, quæ divino Spiritu auctore edidit, eorum disertis verbis Spiritum auctorem præferebat, id quoque sequitur, iis exceptis, reliqua privato esse Ignatii spiritui tribuenda.

§ 35. — Sed et id existimant nonnulli, veros afflatosque Dei Spiritu prophetas, in revelatorum manifestatione suo esse spiritui permissos, ut pro suo B captu ea aliis ennuntiarent, qui alius erat in alio excultior atque exornatior. Si itaque in rebus obiter notandis, nec ad præcipuum prophetiæ scopum, quicquam facientibus, sive suæ memoriæ lapsu, sive dum se auditorum erroneis quidem illis, sed receptis tamen præjudiciis accommodant, quæ tamen erant argumentationibus, quam ipsa revelata, magis idonea, quia hæc probanda erant, illis uti poterant ut concessis : si in his inquam hallucinati essent, ne is quidem error esset spiritui prophetico imputandus. Quod itaque pro Zacharia Jeremiam laudat Evangelista ; quod 450 annos Judicibus, 40 Sauli tribuat Apostolus, quod incertum C stadiorum numerum memorat S. Lucas, incertum Baptizatorum S. Paulus; plane innuunt relictas esse scriptorum humanis captibus hujusmodi minutias, nec esse propterea quod in Spiritum divinum referantur.

§ 36.— Est et aliud exemplum in quo non illorum modo qui prophetias audissent, sed et ipsorum quoque prophetarum irrepere possint errores, in prophetiarum scilicet obscurarum interpretatione. Erant enim nonnullæ prophetiæ certo quodam Spiritus consilio, ita obscuræ, ut non possent sine alia revelatione intelligi; ut primæ non alium in finem datæ viderentur, quam ut sanctorum prophetarum curiositatem diligentiamque pro secundis impetrandis excitarent. Id videmus in Daniele præ- D cipue, in quo frequens est secundarum visionum pro primarum interpretatione mentio. Si itaque ante secundas visiones ipse primas ausus fuisset interpretari, humano omnino, non divino, spiritui tribuenda fuisset istiusmodi interpretatio, ut proinde ejus error, si quis fuisset, iniquissime esset in Spiritum sanctum referendus.

§ 37.— Idem statuebant veteres christiani de scriptis quoque prophetiis, sicubi fuissent obscuræ, nisi eodem quo dictatæ fuissent spiritu de novo revelante neutiquam esse certo intelligendas. Non est itaque quod miremur veterum de propinquo mundi fine hallucinationes. Nec enim illum disertis verbis revelaverat Spiritus. Colligebant potius ex tam frequenti extremorum temporum mentione in Veteris Testamenti prophetiis, quoties de rebus evangelicis occurrit mentio, quæ tamen de judaicæ œconomiæ ultimis temporibus satis commode poterant intelligi. Omnino æquum non est ut illos hominum errores Spiritui imputemus quos nec ipse Spiritus susceperat corrigendos; nec id ipsum asserebant qui ab illo spiritu afflati erant, esse id a spiritu susceptum. Suppetebat interim satis certa illa, quam diximus, judicandi ratio. Si enim vel illorum quæ perspicua erant, nec ullum habebant obscuritatis effugium, quæque spiritus nomine essent a πνευματικοῖς venditata, perpetuo constabat fides, nec a se ullibi dissentiens, id ipsum argumento erat satis manifesto et spiritu afflatos esse qui ea prædixerant, et quidem veracissimo illo atque adeo divino, ut proinde essent, in aliis quoque manifestis, spiritusque nomine manifesto venditatis, similiter credendi. Si contra perspicuorum fidem eventus fefellisset, id satis erat ad similium reliquorum fidem abrogandam.

§ 38. — Recte quidem hucusque, ni fallor, obscurarum prophetiarum fidem ex manifestis confirmavimus, cum ejusdem prophetæ fuissent obscuræ illæ cujus manifestæ. Quæret autem fortasse, nec immerito, lector, cum ad diversos illæ prophetiæ pertinerent, ut alterius manifestæ essent, alterius obscuræ omnes, nullæ manifestæ, quo pacto essent, in eo casu, obscuræ a manifestis comprobandæ? Poterat quidem ex indubii prophetæ testimonio dubius commendari. Erat tamen et alia probandi ratio a communi spiritus unitate petita. Ita enim ex illius ævi principiis licuit argumentari, qui ad unam eamdemque communionem pertinerent, eorum unum esse spiritum, ex iisdem sacramentis, iisdem scilicet gratiæ canalibus, ejusdemque instituti virtute derivatum. Nec ea dumtaxat generali ratione concludebant unum esse unius communionis spiritum, quod pari ratione fuisset iisdem sacramentis collatus, quæ cum symbola essent certorum quorumdam legaliumque pactorum, de ipso illo nimirum spiritu conferendo, non poterant sane alios obligare quam quorum illa essent symbola, ut non possit malus spiritus in homines irrepere nisi qui vicissim cum eo pacti essent; nec vero cum illo pacisci homines per symbola a bono spiritu constituta; sed quod etiam spiritus ipsum esset unitatis in eadem communione vinculum. Ut igitur ex illa exteriori communione erat de interna etiam communione præsumendum, ita etiam sequebatur qui eorumdem fuissent sacramentorum participes, fuisse etiam pariter unius ejusdemque spiritus participes. Data ergo præternaturali aliqua motione, quæ nec a corporeo aliquo affectu, nec a naturali enthusiasmo proficisci poterat, sed esset plane in spiritum aliquem conferenda; id inprimis supponendum erat, non alium esse illum spiritum quam qui in reliquis ejusdem communionis membris operaretur. Ita recte quis ex

reliquorum membrorum operationibus sive ἐνεργείαις de hujus quoque membri spiritu judicare poterat. Si bonus fuisset in aliis, malus utique in hoc esse non potuit. Quæ forte deerant in hoc membro argumenta quibus distingui posset utrumne ad bonorum esset, an potius malorum censum referendus; ea tamen in aliis ejusdem corporis mystici membris non deerant. Ita tandem eo deveniendum erat ut omnia quæcumque aliorum membrorum dona, nec dona modo, sed et argumenta, quibus hoc ipsum donum in aliis comprobatum fuerat; ea quoque ad hujus etiam fidem referenda essent, utcumque propriis fuisset argumentis destitutum.

§ 39. — Id tamen etiam sequebatur, nullum esse talium obscurarum prophetiarum nisi in Ecclesiæ unitate præsidium. Ut enim illæ suo nomine nihil haberent, quo commendarentur; ita, violata unitate, nihil ad earum fidem faciebant extrinseca hæc, quæ dixi, argumenta. Si quem alium prophetam testem adhibuisset, ne ipse quidem testis, extra unitatem habebatur idoneus. Quod vero aliorum dona manifestationesque attinet, nihil illa ad prophetam extra unitatem attinebant. Quin potius, ea ipsa ratione suspecta erat, ex his principiis, quælibet extra Ecclesiam prophetia, a bono spiritu esse propterea non posse quod esset extra unitatem. Cum enim Deus media conferendi spiritus instituisset sacramenta, id illum voluisse necesse erat, qui media a se instituta adhibere nolit, eum nec beneficia, per illa media obtinenda, consecuturum. Id ni voluisset, nulla fuisset mediorum adhibendorum obligatio. Et cum illa media a Deo instituta, non alia sint quam unitatis symbola (in unum enim corpus baptizamur, deque uno illo pane participantes in unum corpus coalescimus) id innuisse videtur nolle se aliis spiritum suum conferre nisi in unitate constitutis. Utcumque id certum, de facto illam obtinuisse apud veteres sententiam, non aliorum esse Dei Spiritum quam unitorum. Ita in hoc ipso donorum spiritualium argumento inferunt, eum qui in non-unitis versatur spiritum non esse illum Dei Spiritum qui unitatis est vinculum. Illa ipsa ratione Apostolum usum observavimus in secunda nostra de schismate parte nondum edita. Baptismum, quo Spiritus confertur, regenerationis lavacrum appellant. Ecquis dubitet nullum esse in non renatis spiritualis vitæ principium? Quin exorcismos baptizandis adhibebant paulo recentiores, id plane rursus innuentes in non unitis spiritum esse plane diabolicum. Hæc utinam secum serio perpendant qui hodie ita sentiunt magnifice de suo extra unitatem spiritu. Id saltem viderent non esse illam cum primævis christianis affinitatem quam tantopere jactant venditantque, in suis illis de spiritu prætextibus. Qui aliis utuntur quam a Deo institutis Spiritus conferendi mediis, alium illis esse quam divinum Spiritum justa est suspicio, deficientibus præsertim illis, quæ dixi, argumentis ipsi prophetiæ intrinsecis. Atque hæc de veterum prophetiarum fide; in quibus nihil

A video quod athei hodierni jure possint reprehendere.

§ 40. — De visionibus tamen id obiter animadvertendum, nescio an ab aliis animadversum, juvenum illas fuisse proprias. Id e celeberrimo illo Joelis loco colligo : *Prophetabunt filii et filiæ vestræ; senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt* (*Joel*, II, 28). Plane senibus ita somnia aptantur, ut juvenibus visiones. Vehemens nimirum illa humorum agitatio non erat nisi in ætatis vigore toleranda. Maximus enim imminebat in visionibus a visis terror, quem etiamnum tantum experiuntur qui rem habent cum phantasmatibus, ut macies illos et pallor occupet, sensimque in vitiosissimam corporis habitudinem conjiciat. Accedit κατοχῆς

B ipsius violentissima distortio, vultus trux, oculi ardentes, ora spumantia, palpitantium pectorum gravissimus anhelitus. Ita se quidem habuit in gentium prophetis, ut Tripodem invitissima accesserit apud Lucanum Pythia, et nonnullæ fuerint ipsa agitationis violentia extinctæ. Ita enim Lucanus (*Bell. civ.*, *lib.* v, *v.* 116) :

> Nam si qua Deus sub pectora venit,
> Numinis aut pœna est mors immatura recepti,
> Aut pretium : quippe stimulo fluctuque furoris
> Compages humana labat, pulsusque Deorum
> Concutiunt fragiles animas.

Et Valerius Maximus de delphico oraculo; « Unde ut certæ consulentibus sortes petuntur, ita nimius divini Spiritus haustus reddentibus pestifer existit (*Lib.* I, *c.* 8, *Exemp. rom.* 10). »

C Longe equidem violentior erat pseudo-prophetarum enthusiastarumque motus, ut hoc ipso catholici veros a montanistarum illis distinguendos esse censuerint. Nulla erat in veris prophetis insania, nulla κατοχῆς illa tam vehemens jactatio. Sibi ipsis constabant potius, prudentes scientesque prædicenda proferebant. Erat tamen visorum terror humanæ naturæ fragilitati difficile ferendus. *Horruit Danieli spiritus* (*Dan.*, VII, 15) : *collapsus est in terram* (VIII, 19); *non remansit in eo fortitudo, sed et species ejus immutata est in eo, et emarcuit, nec habuit quicquam virium* (X, 8); *jacuit consternatus super faciem suam et vultus ejus hærebat terræ* (*Ibid.*, 9); *stetit tremens* (*Ibid.*, 11); *in visione dissolutæ sunt compages ejus, et nihil in eo remansit virium, sed*

D *et habitus ejus interclusus est* (*Ibid.*, 17). Nec alius quam visionis propheticæ terror in Jobo (*Job.*, IV, 13, 14) describitur, et in Abrahamo (*Gen.* XV, 12). Non est itaque quod miremur juvenibus hæc quam senibus fuisse tolerabiliora. Proinde etiam apud ethnicos Tiresias juvenum esse κατοχὴν docet. Ita enim apud Senecam ille (*Œdip.*, *v.* 29) :

> Si foret viridis mihi....
> Calidusque sanguis, pectore exciperem Deum.

Cyprianus noster cum distinxisset visiones nocturnas, quæ sunt ad senum potius somnia referenda, a diurnis prophetiis, innocenti puerorum ætati hasce tribuit (*Epist.* X) : κατοχὴν nimirum, i.e

enim innuunt ejus verba superius exscripta, Spiritu sancto impleri, raptumque a sensibus, qui in illis Ecclesiæ contra montanistas disputationibus, extasis appellatur. Ut igitur Cypriano somnia sub vitæ finem objecta esse discimus ex Pontio, ita si illarum, quarum meminit, visionum aliquæ ipsi revelatæ fuerint, sequetur paulo post juventutem, vergente jam in senium ætate passum esse, quod est sane verisimillimum. Si enim senectutem provectam attigisset, fieri vix potuit ut non ipsi Tertulliano innotuerit, cum tamen nusquam legamus nisi in libris ejus fuisse versatum.

§ 41. — Fateor equidem fuisse etiam ætate Cypriani, qui somnia visionesque ludibrio haberent. Sed quales fuissent illi, prodit ipse in epistola ad Florentium Pupianum. « Quamquam, inquit (*Ep.* LXIX), sciam somnia ridicula et visiones ineptas quibusdam videri, sed utique illis qui malunt contra sacerdotes credere quam sacerdoti. » Plane innuit qui ita sensissent, alieno fuisse in Ecclesiam animo. Quod autem tales ita sentirent, non erat utique mirandum. Fuerunt enim ipsi fere prophetiæ coævi, id hominum genus quos Scriptura לצים appellat, qui quod argumentis numquam conficere potuerunt, id risu tamen atque jocis, scommatibus atque dicteriis conarentur ut religionem ludibrio exponerent. Et vero in prophetis gestus erant ab usu hominum communi nonnihil alieni, quos facile erat ridiculis hominibus repræsentare tamquam ipsos etiam ridiculos. Josephum fratres somniatorem appellarunt (*Gen.*, XXXVII, 19), quod ipse quoque observarat Cyprianus. Prophetam illum qui ab Elisæo missus Jehu regnum israeliticum promiserat, insanum vocarunt principes exercitus, nec tamen oraculum ab eo editum neglexerunt. Ita quem nomine tenus insanum vocassent, serio tamen pro insano neutiquam habendum duxerant. Et frequentes illæ temporibus etiam apostolicis cautelæ de non contemnendis extinguendisve prophetiis, id satis innuunt, quam proclives essent ad id faciendum homines de quo toties erant necessario monendi. Nec erat sane aliud illis temporibus expectandum quibus adeo essent prophetæ cervicosi atque ordinis publici perturbatores, cum simul plures loquerentur, cum prophetissæ in cœtibus virorum, capitibus etiam discoopertis, præter sexus modestiam, concionarentur; cum dona sua sine omni ædificationis utilitatisque respectu ederent prophetæ, essentque, ne in futurum ita deinceps facerent, Ecclesiastica tandem disciplina coercendi. Erant equidem hæc prophetis ipsis, non donis eorum propheticis, vitio vertenda. Quem enim habuerunt spiritum, subjectus illis esse dicitur, ne illius impetu hæc fieri dicerentur. Experimur tamen hodie, in simili adversariorum genere, quam facile officiariorum contemptus in contemptum vertatur officii; quam facile avideque minutias illas, si quæ alibi præter vulgi opiniones occurrant, iniquissimas profecto (ne quid dicam acerbius) boni honestique regulas, arripiant tamen ad contemptum personarum quorum conscientias male habet officii debita veneratio; quam item facile ita se transversum agi patiantur, ut ne causæ ipsius meritum quærendum putent, si quando de prophetarum personis minus honorifice senserint. Illis autem æquos esse judices nemo concedet.

§ 42. — Quod si illorum quoque prophetarum temporibus, qui certissima edidissent prophetiarum suarum testimonia, fuerint tamen istius modi censores, non est utique mirandum si in Cypriani etiam tempora inciderint, cum jam invaluissent inter philosophos Epicurei, qui præter naturalia omnia ludibrio habuerint. Id unum satis erat, si qui prophetias, quos diximus, penitius intellexissent, nec eorum intereral ut falsæ haberentur, eorum nemo illas in dubium vocarit. Vidimus autem Cypriano coævos prophetica dona in Ecclesia agnovisse, qui quidem illius sæculi doctissimi haberentur, rerumque ecclesiasticarum peritissimi. Neque verisimile erat tam severam in Ecclesia disciplinam vigere potuisse, nisi de numine in Ecclesia præsentissimo manifestissimis constaret indiciis. Quod si illum spiritus prophetici prætextum possent falsitatis convincere, jam labasceret una reliquorum fides, jam nihil erat quod Ecclesiæ communionem tot annorum pœnitentia tam ingrata ambirent; cum præsertim nullus esset magistratus qui cogeret, esset contra qui rebelles foveret, omnique opera in rebellionem pelliceret. Quod autem ad atheos epicureos attinet, fuit ea semper estque hodie illorum indoles, ut generalibus suis hypothesibus contenti, in exempla particularia ne quidem inquirendum putent. Quam illi fuerint in rebus ecclesiasticis hospites, vel unius Celsi exemplo manifestum est. Qui cum sibi omnia compertissima esse jactabundus gloriatus esset, in rebus tamen Ecclesiæ raro scopum attingit. Estque id in eo fere perpetuum, ut cum Ecclesiam ferire vellet, vix tamen ad alios quam hæreticos Ecclesiæ extorres pertineant ea, quibus Ecclesiæ causam labefactandam credidit. Egregium vero illum Ecclesiæ censorem, qui ne Ecclesiam quidem ab hæreticorum illi infensissimorum conventibus poterat distinguere !

DISSERTATIO SECUNDA

AD SANCTI CYPRIANI

EPISTOLAM QUARTAM VIGESIMAM,

AUCTORE DODWELLO.

DE PRESBYTERIS DOCTORIBUS, DOCTORE AUDIENTIUM ET LEGATIONIBUS ECCLESIASTICIS.

§ 1. *Presbyteri doctores Cypriano antiquiores, primariæ in Ecclesia dignitatis.* — § 2. *Apostolis coævi, a Judæorum Scribis doctoribus deducti.* — § 3. *Eorum officium in dono extraordinario fundatum.* — §§ 4, 5, 6. *Non omnium fuisse presbyterorum, ut vulgo putant, munus illud docendi.* — § 7. *In audientium doctore probando presbyteros doctores solos consuluit Cyprianus.* — § 8. *Audientes iidem qui catechumeni.* — § 9. *Voce etiam catechumeni usi sunt. Audientium nomen unde deductum.* — § 10. *Catechumenorum institutio mysteriis respondebat.* — § 11. *Doctor audientium Cypriano hypodiaconus. De Pantæno, Clemente Alexandrino, Origene, in schola Alexandrina catechistis.* — § 12. *Inferiorum ordinum ministri, nunc Cleri communi nomine censentur, nunc excluduntur, apud Cyprianum.* — § 13. *Cypriani legationes omnes, aliæque quarum mentio in ejus Epistolis.* — § 14. *Legationes per clericos, et quidem illos, ut plurimum, binos, raro hypodiaconatum excedentes ætate Cypriani.* — § 15. *Legationes aliæ Cypriano antiquiores, Clementis Alexandrini atque Irenæi.* — § 16. *Legationes Ecclesiæ Smyrnensis, Polycarpianæ atque Ignatianæ magis, quam Cypriani illæ, honorificæ.* — § 17. *Legationes sæculi Apostolici.* — § 18. *Pro moribus juris hospitalis expressæ.* — § 19. *Apostoli peregrinantes ita ab Ecclesiis recepti ut solerent a provincialibus suis præsides provinciarum.* — § 20. *Legationes illius sæculi maxime honorificæ.*

§ 1.—*Aut quando cum presbyteris doctoribus lectores diligenter probaremus, Optatum inter lectores doctorem audientium constituimus.* Observandum hoc munus presbyterorum doctorum, quod non Cypriani primum tempore natum erat, sed vero ab Apostolis usque ad ejus tempora deductum. Cypriano antiquior Tertullianus meminit. (*Præscript. adv. Hær., c.* 3.) « Quid ergo, inquit, si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr, lapsus a regula fuerit; ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? » A Ubi ita hujus doni meminit, ut plane ab officiis ecclesiasticis episcopatus et diaconatus distinguat. Quæ enim sequuntur, personarum sunt dona, non officiorum; eaque ipsa ita inter se gradibus distincta, ut proximum martyri gradum doctor occupet, nec viduis modo sit, sed et virginibus dignitate superior. Idem postea: « Est utique frater, inquit, aliquis doctor gratia scientiæ donatus? » etc. Meminit Tertulliano coævus martyr Saturus Aspasii presbyteri doctoris ab Optato episcopo dissidentis. (*In Act. Perpet. et Felic. in Vis. Saturi.*) Meminit variis in locis Hermas, lib. I, vis. 3: « Lapides quidem illi quadrati et albi, convenientes in commissuris, ii sunt apostoli, et episcopi, et doctores, et ministri, qui ingressi sunt in clementia Dei et episcopatum gesserunt, et docuerunt, et ministraB verunt sancte et modeste electis Dei qui dormierunt quique adhuc sunt, et semper cum illis convenerunt et in se pacem habuerunt et se invicem audierunt. » Mirum est quod hoc e loco eliciat Blondellus, eosdem fuisse episcopos atque doctores; quasi vero verba illa, et episcopatum gesserunt, ad doctores referenda sint, et non ipsos potius qui etiam præcesserant episcopos: præsertim cum occurrant ibidem verba illa, et docuerunt, quæ doctoribus aptissimæ respondeant. Fuisse equidem hoc dono instructos episcopos ut plurimum, est sane verisimillimum propter præceptum Apostoli, quo Episcopum vult esse διδακτικὸν I Tim., III, 2; II Tim., II, 24, atque adeo e presbyteris illum præcipue ad episcopatus honorem esse provectum quem eo dono constabat esse præditum. C At presbyterorum etiam doctorum jam exempla vidimus, ut proinde necesse non sit qui doctor fuerit, eum fore etiam episcopum. Frustra vero nos ad illos auctores refert Blondellus, qui post extinctum in Ecclesia doctoratus donum floruerunt. Sed ad Hermam nostrum redeamus. Idem rursus, lib. II, Mand. 4: « Etiam nunc, Domine, audivi a quibusdam doctoribus, quod alia pœnitentia non est, etc. » Lib. III, Simil. 9. « Quadraginta vero Apostoli et doc

tores sunt prædicationis filii Dei. » Postea : « Et dixit : Quoniam hi apostoli et doctores qui prædicaverunt nomen filii Dei, cum habentes fidem ejus et potestatem defuncti essent prædicaverunt his qui ante obierunt. » Iterum : « De octavo vero monte, in quo plurimi erant fontes in quibus adaquabatur omne genus creaturæ Dei, tales sunt qui crediderunt apostolis, quos misit Dominus in totum orbem prædicare : et quidam doctores qui caste et sincere prædicaverunt et docuerunt, etc. » Ex quibus omnibus id etiam intelligimus, quænam illa fuerit doctrina unde doctorum nomen habuerunt, munus illud prædicandi, ut loquitur Hermas, tantamque etiam fuisse eorum dignitatem, ut cum apostolis, ut plurimum, conjungantur.

§ 2.—Frequens etiam occurrit horum doctorum in B Sacris Litteris mentio : Actor., XIII, I, prophetarum et doctorum ; I Cor., XII, primo apostolorum, secundo prophetarum, tertio doctorum ante alia Spiritus extraordinaria χαρίσματα, v. 28, 29 ; Eph., IV, II, apostolorum, prophetarum, evangelistarum, pastorum et doctorum. Inseruntur hic Evangelistæ et pastores ; dona N. T. propria, nec a Pentecoste, quo tempore Spiritus effusus est, deducenda. Evangelistæ enim eo tempore necessarii erant quo evangelium ad exteros derivandum erat, quod nescio an ante Cornelii historiam contigerit, fieri certe vix potest ut mortem Stephani antecesserit, persecutionemque ea occasione excitatam. Pastorum munus tunc necessarium erat, cum Ecclesiæ eleemosynæ erant in pauperes distribuendæ. Est enim ea ipsa distributio ποιμαίνειν C I Pet., v, 2, juxta ea quæ supra disputavimus. Ita fiet ut donorum originalium proximus post prophetas locus sit doctoribus assignandus. Ex ipsa enim synagoga derivatum est ad Ecclesiam hujus muneris exemplum. Siquidem illi quoque erant sui Rabbini καθηγηταί, συζητηταὶ τοῦ αἰῶνος τούτου, Scribæ, νομικοί, νομοδιδάσκαλοι (his enim omnibus titulis insigniuntur) qui et διδάσκαλοι simpliciter appellantur, Luc., II, 46. Fuisse etiam apud ipsos munus admodum honorificum constat e Rom., II, 18, 19, 20, 21. Ut necesse esset Salvatori de eo discipulos suos monere, ne illum titulum ambirent. Quam tamen, una cum officio, ambitionem etiam christianis irrepsisse suspicio est, S. Jacob., III, I.

§ 3.—Ut autem omnia Ecclesiæ munera primis illis D originibus extraordinario Spiritus Sancti auxilio administrata sunt ; idem et in hoc quoque munere contigisse certum est. Id innuit verbum ἔδωκε Eph., IV, 11, referendum enim ad locum Ps. LXVIII, 19, v. 8, laudatum : Ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. Sunt ergo etiam doctores illis δόμασιν accensendi. Proinde inter Spiritus χαρίσματα habemus διδασκαλίαν, Rom., XII, 6, 7 : προφητείαν et διδαχήν, I Cor., XIV, 6, ad eamdem plane formam qua supra conjungi vidimus προφήτας atque διδασκάλους. Rursus, ibid., διδαχήν, v. 26. Nec aliam fuisse doctorum africanorum rationem ostendunt illa quæ superius e Tertulliano produximus (*Præscript.*, c. 14) ; quibus quem doctorem appellat, A eumdem gratia scientiæ donatum esse dicit. Probavimus enim istius modi Spiritus χαρίσματα ad Cypriani nostri tempora permansisse. Fateor equidem illa ætate donorum extraordinariorum usum in ordinariorum quoque munerum administratione fuisse. Sed vero munus hoc doctorum non minus fuisse quam donum ipsum doctrinæ extraordinarium, inde colligimus quod deficientibus hujusmodi donis, paulatim ipsum quoque munus in desuetudinem abierit. Nulla enim ejus occurrit in posteriorum sæculorum canonibus mentio. Nec etiam ullibi cum ordinariis episcopi, presbyteri aut diaconi officiis conjungitur in N. T. sed cum extraordinariis illis apostolorum, prophetarum, miraculorumque, quæ jamdiu defecisse omnes confitentur. Nec suppetunt patribus quarti sæculi et deinceps de eorum officio quod scribant ex sui sæculi receptis moribus vel evanida vestigia, sed perinde ac nos, e textu solum veterumque scriptis conjectantur. Videant igitur fratres Independentes qua ratione hoc officium continuandum censeant, cum tamen dona illa, quibus innixum probavimus, nec ipsi defecisse inficientur.

§ 4.—Animadvertendum præterea, cum de Presbyteris doctoribus meminit Cyprianus, id simul innuere, fuisse utique alios e presbyterio qui non fuissent doctores. Nec enim opus erat ut presbyteros doctores ab episcopis itidem doctoribus secerneret, ipse qui hæc scriberet episcopus. Nec locum habebant alii in eorum probatione qui in clerum promovendi essent, quam presbyteri. Idem Saturus, cum Aspasium presbyterum doctorem appellat. Cum igitur docendi illud munus ex Herma idem fuisse didicerimus, quod prædicandi, plane sequitur, non omnium fuisse presbyterorum, ut in Ecclesia concionarentur, nedum ita fuisse officio presbyterali essentiale, quam putant hodierni, schismatici ut qui illud munus non præstiterit, is ne pro presbytero habendus sit quidem. Nec vero recentiorum sæculorum id errori tribuendum erat. Idem etiam sub apostolis obtinuisse constat ex I Tim., v, 17, quamquam perperam colligunt προεστῶτας illos presbyteros, qui alii essent a κοπιῶσιν ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, fuisse laicos. Cur ita colligunt, nihil habent e textu, nihil e receptis illius sæculi moribus, subsidii. Sequitur itaque ne ipsos quidem apostolos donum illud in ordinandis exegisse prævium, nec inter χαρίσματα ipsa manuum impositione collata locum habuisse ; sed nec Deum ipsum, cujus nutu omnia tunc gesta sunt, quique Ecclesiæ in necessariis non erat proculdubio defuturus, tale hoc officium instituisse, ut ad ejus administrationem esset hoc donum omnino necessarium.

§ 5. — Cum etiam ex receptis ætatis suæ moribus suas plerumque consuetudines mutuo acceperint christiani ; vix puto ullum fuisse exemplum quo docendi munus cum sacerdotio esset necessario conjunctum. Judæis diximus scribas fuisse atque rabbinos, e tribu proculdubio sacerdotali illos. Longe tamen aberat ut tota familia sacerdotalis scribæ fuerint aut rabbini. Scribarum ordinem ab Ægyptiis for-

-lassis acceperint Judæi. Illis enim sui erant Ἱερογραμματεῖς viri sacrorum peritissimi atque doctissimi, ut proinde sacerdotes fuisse verisimillimum sit. Nec tamen propterea sacerdotes omnes Ἱερογραμματεῖς erant, quin paucorum potius fuisse videtur hæc dignitas, cum tamen tertia populi Ægyptii pars sacerdotalis fuerit. Idem de Atheniensium etiam gentiumque aliarum Ἱερογραμματεῦσι et Ἱερομνήμοσι statuendum, ut sine exemplo fuisse necesse sit, si hæc duo munera, tam inter se diversa, censuissent tamen sibi invicem fuisse conjungenda. Erant tamen admodum pauca, si qua sint omnino, quæ a Christianis inducta sunt sine exemplo.

§ 6. — Cum itaque probavimus, neque ex instituto, neque etiam de facto, presbyteros omnes fuisse docendi dono præditos; plane sequitur, qui dono illo B caruissent, ita non fuisse ad docendum obstrictos, ut potius ab eo docendi munere temperare debuerint. Id enim hortatur Apostolus, ut, quo dono quispiam fuisset instructus, ei unice incumberet, Rom., XII, 6, 7, 8, etc.: « Sapere quemquam ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei, v. 3; certo quodam consilio ita distribuisse Deum, ut nemo dona omnia ipse habeat, alter autem ut alterius defectus suppleat, sintque ita sibi invicem omnes mutuo necessarii, ut non sit SCHISMA in corpore (I *Cor.*, XII, 18, 24, 25). » Si itaque omnes qui dono quopiam caruissent, illud ne quidem exercere debuerint, sequitur illos quibus negatum esset docendi donum, ne docere quidem oportuisse. Agnoscimus interim ex Apostoli mente, si qui sint utroque dono præditi C et προστασίας et διδασκαλίας, illos esse merito, duplici illo, quem dicit, honore dignos. Neque hæc a nobis eo animo disputata sunt ut ignaviæ patrocinemur, si quis non sit aliis Ecclesiæ necessariis muneribus obstrictus. Nec id voluisse Apostolum existimamus, aut Ecclesiam primævam. Potius gaudendum existimarem atque gratulandum, si qua Ecclesia tales haberet presbyteros qui omnes huic docendi muneri ita satisfacere possent, ut nec illud ipsum indecore exequerentur, nec alia negligerent. Quod tamen schismatis prætextum faciant adversarii, siqui dono hoc destituti in sacros ordines admittantur, aliisve Ecclesiæ curis pariter necessariis distineantur, quo minus huic possint curæ unice invigilare; quod etiam reliqua negligant, preces publicas quotidianas, visi- D tationem fidelium, institutionem catechumenorum, sacramentorum celebrationem, moribundorum viatica, quod unius hujus muneris prætextu, ne tempus quidem sibi vacuum relinquant reliquis muneribus expediendis: ea sane ita non sunt apostolica, ita non primævæ christianitati conformia, ut ne probanda sint quidem.

§ 7. — Videmus porro in hoc audientium doctore probando non alios a Cypriano presbyteros quam doctores esse consultos. Idemque ab eo in aliis quoque causis observatum esse est sane admodum verisimile, ut qua in re quisque eminuisset, in ea illum duxerit esse consulendum. Proinde ita intelligendus est cum A communi presbyterorum consilio sua omnia a primo usque episcopatus exordio, gesta esse commemorat, ut in rebus singulis neminem, ad quem quidem ea res attineret, a consilio suo excluserit, omnesque etiam, cum res omnium interesset, admiserit. Id quidem exigebat apostolica illa de donis regula (cujus modo meminimus) ut quo dono quisque fuisset præditus, ejus exercitio unice incumberet, nec se aliis immisceret ad donum suum nihil attinentibus. Sequitur etiam idem esse donum quo audientes atque illud quo fideles essent docendi, quia in audientium doctore constituendo presbyteros doctores consuluit.

§ 8.—Erant equidem alii audientes in pœnitentium censu, qui ubi Scripturas atque διδασκαλίαν audiissent, e synaxibus erant excludendi. Et quidem illi Cypriano nostro coævi, si Gregorii Thaumaturgi epistolæ canonicæ credendum sit. Sed horum nullum in Ecclesia africana extat, quod quidem sciam, ea præsertim ætate, vestigium. Nec alios doctores habebant quam fideles. Erant enim omnium fidelium communes illæ, quibus hi intererant, auditiones. Neque vero ex usu Ecclesiæ africanæ alii audientes erant quam catechumeni. Jam supra vidimus qui catechumeni essent clero romano, Ep. III, eosdem audientes esse Cypriano, Ep. XIII. Constatque etiam e Tertulliano, quo nemo melior est Cypriani interpres. Apud illum audientes intinctis opponuntur, quo sensu tingui apud eumdem idem valet quod baptizari (*De Pœnit.*, *c.* 6, 7). Eosdem auditores appellat, quorum et tyrocinia memorat, ne quis dubitet alios esse quam catechumenos.

§ 9. — Et quidem ipsum hoc audientium nomen frequentissimum fuisse videtur. Nec tamen desunt, ea quoque ætate, exempla quibus iidem catechumeni audiunt, et quidem apud latinos etiam scriptores. Jam diximus hoc catechumenorum nomine usum esse clerum romanum. Usus etiam est et ipse Cyprianus Testim. lib. III. cap. 98; et Tertullianus, de Coron. Mil. c. 2; et Præscr. c. 41. Quod quarto tandem S. Augustini sæculo et deinceps solum obtinuit. Quod vero ad nomem audientium attinet, e sacro codice omnino ductum puto, ex illis nimirum locis quibus fides ipsa toties ἀκοὴ dicitur, quam auditum reddiderunt antiqui etiam interpretes. Ita, fides ex auditu, auditus autem per verbum, Rom., X, 17; Auditus fidei, Gal., III, 2, 5; Verbum auditus Dei, I Thess., II, 13. Ex veteri autem Instrumento deduxit Apostolus, Isa., LIII, 1: Quis credidit auditui nostro? Ita enim locum illum legerunt Tertulliani quoque Cyprianique interpretes. Ad illum autem Isaiæ locum nos disertissimis verbis retulit Apostolus, Rom., X, 16. Nihil huc faciunt vulgaria gentilium ἀκροάματα, quæ ludicra plerumque essent. Faciunt tamen fortasse philosophorum illa quæ non aliis crederentur quam initiandis, ad formam mysteriorum.

§ 10.—Illam certe mysteriorum formam repræsentabat tota catechumenorum erudiendorum ratio. Vivendi novam formam suscipiebant initiandi (*Meurs.*,

Eleusin., *c.* 17). Et quidem in ea totus est Clemens Alexandrinus, in antiquissimo ejus, quod habemus hodie, opere catechetico, Pædagogo videlicet. Erant etiam in Petromate libri rituales initiandis legendi primum, deinde describendi (*Id.*, *ib.*, *c.* 10). Et quidem de baptismi ritibus, de συντάξει et ἀποτάξει, conversione ad orientem occidentemque, etc., agit in Catechesibus suis Cyrillus Hierosolymitanus aliique.

§ 11. — Observandum denique ad officium hypodiaconatus spectasse illum audientium doctoratum. Idem Optato doctoratus audientium, quod lectio Saturo ad gradum lectoris promovendo, futuri nempe officii prævium experimentum. In Alexandrino κατηχήσεως, sive ἱερῶν λόγων, διδασκαλείῳ idem munus presbyteris fortasse nonnunquam assignatum. Pantænum vulgo existimant fuisse presbyterum, quamvis nescio sane veterumne quispiam eum ita appellet (*Euseb.*, *Hist. Eccl.*, v, 10; vi, 3, 6). Clementem ejus in eo munere successorem, presbyterum vocat Alexander Hierosolymitanus Episcopus (*Euseb.*, *Hist. eccl.*, vi, 11). Sed quando scripta est ab Alexandro ea epistola. jam successisse videtur in ejus locum Origenes, ut proinde non constet fueritne presbyter cum munere illo ipse fungeretur. Non tamen presbyteratui id fuisse munus necessario annexum constat, quod ad illud evectus fuerit a Demetrio Origenes, octavum decimum duntaxat ætatis annum agens, quo tempore non constat vel inferioribus quidem illis, quos pro sacris habent, ordinibus fuisse initiatum. Presbyteratum certum est, non ante iter Achaicum sub Alexandro Severo, ab eo fuisse susceptum. Idque eo fortasse consilio institutum est, quod fideles cum jam in sinum Ecclesiæ suscepti fuissent, proinde doctorem, habere debuerint, qui vel in Ecclesiæ æstimatione esset sacerdos. Ad sacerdotes enim pertinuisse illam scientiæ gratiam, qua donandum Tertullianus dixit esse doctorem, e veteris quoque legis præscriptio constat., Mal., ii, 7. Illa enim ipsa scientiæ voce usus est in eo loco, non modo vetus interpres hodiernus, sed ipse quoque Cyprianus. Catechumenis vero erudiendis, qui extra Ecclesiam siti essent, satis erat vel laicus, quem tamen, honoris causa, clero proximum eligebant. Præsertim cum, ex iis quæ de eorum sententia superius disputavimus, constet vel vulgus christianorum ita extraneis quibusvis sanctitate præcelluisse, ut essent merito, si ad illos conferrentur, pro sacerdotibus habendi.

§ 12. — Observandum insuper, ex eodem hoc Cypriani loco, lectores etiam atque hypodiaconos generali clericorum titulo censeri. Id sane innuit, cum per clericos ad romanum clerum scribendum esse dicit, eaque ipsa de causa, lectorem fuisse Saturum, hypodiaconum vero Optatum a se constitutum. Simili exemplo Felicianus acolythus clericus dicitur Ep. LV. Quod etiam ad lectores attinet, qui tamen inferior erat hypodiaconatu gradus, constat idem ex ejusdem epistolis de Aurelio et Celerino ad honorem lectoratus a se provectis. De Aurelio ita scribit, Ep. XXXIII: « In ordinationibus clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, etc. » Ergo et clericus erat Aurelius et ordinatus. « Merebatur, inquit, talis clericæ ordinationis inferiores gradus. » Erat igitur et hic quidam gradus clericæ ordinationis. Rursus : « Hunc igitur, fratres dilectissimi, a me et a collegis qui præsentes aderant, ordinatum sciatis; quod vos scio et libenter amplecti, et optare tales in Ecclesia nostra plurimos ordinari. » De Celerino ita Ep. XXXIV, dignum esse dicit : « Ut qui sublimiter Christum confessus esset, clerum postmodum Christi ministeriis ecclesiasticis adornaret. » Rursus eumdem « Celerinum fratrem, inquit, nostrum, virtutibus pariter et moribus gloriosum, clero nostro non humana suffragatione, sed divina dignatione conjunctum. » Idem tamen hac ipsa, quam in manibus habemus, epistola, lectorem Optatum clero dumtaxat proximum esse dicit, interque eos numerat qui ad clerum parabantur. Et in epistolis ejus vel cleri nomine, vel ad clerum, datis, nusquam occurrit aliorum mentio præterquam presbyterorum atque diaconorum. Quis non videt quam cleri nomine nunc laxius utatur, nunc strictius, pro more sæculi, ut qui uno sensu clerici appellantur, sint, ad alios si conferantur, laicis accensendi? Idem de recentioribus Ecclesiæ canonibus observare poteramus. Sed nos de Cypriani temporibus, aut etiam antiquioribus, impræsentiarum agere constituimus.

§ 13. — Est etiam observatione dignus mos illius sæculi in legationibus ecclesiasticis. Erant enim dignitatis, tum eorum a quibus, tum ad quos, mitterentur, observantissimi. Prima Cypriani legatio ad Romanos per Clementium hypodiaconum missa est; cujus mentionem habemus Ep. III, IV, XV. Secunda hæc est ad clerum romanum per Saturum lectorem Optatumque hypodiaconum. Meminit hac ipsa Ep. et XXIX, XXXII. Tertia, ad eumdem clerum per Fortunatum hypodiaconum, Ep. XXX. Quarta Novatiani ad Cyprianum de ordinatione sua per Maximum presbyterum, et Augendum diaconum, Machæum etiam quemdam atque Longinum, qui cujus ordinis fuerint, non constat, Ep. XLI. Quinta Cypriani cum synodo ad explorandam Cornelii ordinationem per Caldonium Fortunatumque episcopos, Ep. XLI, XLII, XLV. Sexta Cypriani privatim ad Cornelium per Primitivum presbyterum, Ep. XLI. Septima Ejusdem ad eumdem per Mettium hypodiaconum, et Nicephorum acolythum, Ep. XLII, XLIII, XLIV. Octava Cornelii ad Cyprianum per Augendum confessorem, Ep. XLVIII. Quem tamen ille locum in Ecclesia obtinuerit non liquet. Nona Antoniani ad Cyprianum per Quintum presbyterum, Ep. LII. Decima Cornelii ad Cyprianum per Saturum acolythum, Ep. LV. Undecima Cypriani ad Cornelium per Felicianum acolythum, Ep. ead. Duodecima Pomponii episcopi ad Cyprianum cum synodo per Paconium fratrem, Ep. LXII; sed nec ejus dignitas memoratur. Tertia decima Ecclesiarum Asturicensis et Emeritensis per episcopos suos Felicem et Sabinum, Epist. LXVIII. in ea causa qua de ipso fuerat episcopatu disceptatum. Subrogati enim

erant hi in locos Martialis et Basilidis Libellaticorum. Quarta decima: Quinti Episcopi Mauritaniæ ad Cyprianum primatem per Lucianum forte presbyterum, Ep. LXXI. Quinta decima: Cypriani, sed totius, ut videtur, Ecclesiæ africanæ nomine, ad Firmilianum Cappadociæ primarium, ut videtur, episcopum, per Rogatianum diaconum, Ep. LXXV. Sexta decima: Tandem eademque ultima Cypriani ipsius in exilio jam constituti ad collegas itidem episcopos eosdemque in metallis versantes, per Victorium Herennianum hypodiaconum, Lucanum, Maximum et Amantium acolythos, Ep. LXXVIII, LXXIX, LXXX.

§ 14. Notanda autem illa Cypriani verba: « Et quoniam oportuit me per clericos scribere, » etc. Ex quibus constat, pro sæculi illius more, legationes ecclesiasticas non aliis quam clericis fuisse credendas. B Id factum fortasse propterea quo major fides nuntiis ultro citroque referendis accederet. Id tulit certe ægerrime Cyprianus cum Ep. III cleri romani suspectam haberet, laborare ita epistolæ clericæ fidem, ne mendacio fortasse aliquo et fraude corrupta esset. Scio equidem epistolam clericam tam vocari posse illam quæ a clero romano scripta esset (*Ep.* IV), quam quæ Clementio hypodiacono, ipsi quoque clerico, legato tradita. Sed vero nuntii hoc in loco fides solius, non item illa scribentium, in dubium vocata est. Ergo clerici erant illi quoque legati de quorum dignitate aliter non constat. Et acolythi, et si qui alii inferiorum ordinum ministri, legationes obierint, illos quoque inter clericos, hoc ipso etiam argumento, numeratos fuisse necesse est. Notetur etiam plurimas C legationes duobus legatis fuisse commissas, præsertim transmarinas. Quod enim Novatianus quatuor miserit, id benevolentiæ captandæ gratia factum esse probabile est. Idem fortasse de legatione ad martyras statuendum, quatuor illos legatos vel in martyrum honorem esse missos, vel quod variis in locis martyres constituti essent, vel quo plures adessent fidei testes in Ecclesiæ eleemosynis distribuendis. Erant enim, in illa etiam ætate, alioqui aurea, malæ fidei exempla in re pecuniaria. Talis fuerat, in ipsa etiam Ecclesia africana presbyter Novatus, Ep. XLIX. Talis Felicissimus, Ep. XXXVIII. Talis denique (quis crederet!) Nicostratus ipse diaconus et confessor, Ep. XLVIII, XLIX. Id etiam animadversione dignum, præcipuum plerumque legatorum hypodia- D conum fuisse, nec eum gradum excessisse. Ita fuit in legatione, prima, secunda, tertia, septima, sexta decima. Quod si aliquando superior quispiam sit missus, id tunc plerumque contigit cum unicus mitteretur, ut numeri defectum ita personæ dignitate compensarent. Ita in legatione, nona, quarta decima, quinta decima. Quod aliter singulorum nomina, etiam inferioris ordinis, habeamus, non est tamen certum singulos duntaxat fuisse missos. Idem obtinuit, non in legationibus modo transmarinis, sed et in illis quoque quæ provincialium essent Episcoporum ad provinciarum primatem, qualis erat legatio illa quarta decima. Quod vero episcopi ipsi legationem

A obierint, factum id non est nisi rarissime, causisque alioqui gravissimis. In legatione tertia decima, causa manifesta est. In quinta etiam facilis. Erat enim inter episcopos disceptandum Cornelium atque Novatianum. Erat etiam de litteris formatis in posterum dandis cavendum, quarum omne commercium inter alios non erat quam episcopos. Quid quod synodi africanæ etiam missæ sunt, et ad synodum, provinciæ nimirum episcopos, ad quos spectabat episcopi romani ordinatio. Synodi enim nomine, uti a gentilium usu ad christianos emanavit, sacerdotum collegia quæque sive fraternitates appellantur, sive in conventibus, sive etiam singuli. Nec desunt etiam apud Ecclesiam hujus significationis exempla, si id inpræsentiarum agerem.

§ 15. Ita quidem se res habuit legatoria ætate Cypriani. Erant etiam nonnullæ Cypriano antiquiores legationes ad eamdem formam expressæ. Legatus ab Alexandro Hierosolymitano antistite (*Euseb.*, *Hist. eccl.*, VI, 11) missus est Ecclesiæ Antiochenæ totius Syriæ primariæ (cui et Judæa attributa est) Clemens Alexandrinus presbyter, sed solus. Plane ad exemplum legationis quartæ decimæ. Legatus erat martyrum lugdunensium viennensiumque ad Eleutherum romanum pontificem presbyter Irenæus (nec enim est quod episcopum illum tunc temporis faciat Blondellus) ipse itidem solus (*Euseb.*, *Hist. eccl.*, V, 4). Aliarum legationum, ut puto, non habemus exempla usque ad tempora Polycarpi atque Ignatii (*Vid. Vales.*, *Not. in locum Eusebii*). Illæ itaque ut se habuerint, age despiciamus.

§ 16. Et quidem epistola Ecclesiæ smyrnensis ad Philomelienses de martyrio Polycarpi, scripta est per Marcum quemdam fratrem, ad formam legationis duodecimæ quem latinus vetus interpres Martianum appellat, de cujus in Ecclesia loco nihil constat. Par est de Crescentis loco silentium, quo nuntio usus est in illa, quam ad Philippenses dedit, Epistola ipse Polycarpus. Epistolæ Ignatii (*Ep. ad Smyrn.*, § 12; *ad Ephes.* § 12). ad Smyrnæos, Ephesios, Philadelphienses, Burrho diacono, sed qui communi Smyrnæorum Ephesiorumque nomine ad illum missus fuerat, traditæ videntur. Reliquæ cui traditæ sint, non constat; sed Burrho etiam traditas, est sane admodum verisimile. Notanda enim Ignatii verba in Ep. ad Smyrnæos, ὃν ἀπεστείλατε μετ' ἐμοῦ. Non igitur ad Ignatium dumtaxat, sed cum eo missus est Burrhus (*Vid. Ep. ad Ephes.*, § 2), comes itineris futurus, nuntiusque legationibus obeundis. Quo nomine etiam Ephesios illos alios (*Ep. ad Rom.*, § 10), Crocum, Onesimum, Euplum atque Frontonem, missos puto, atque adeo non alios quam illos pertulisse epistolam ad Romanos. Eodem munere functus est Philo etiam diaconus, Cilix (*Ep. ad Philadelp.*, § 11). Sed nec Diaconi soli, alii etiam diaconis superiores legationes tamen obierunt tempore Ignatii. Honorabant Sanctum (inquiunt auctores martyri Ignatii martyri coævi) per episcopos, presbyteros et diaconos, Asiæ civitatis et Ecclesiæ (*Edit. Usser.*, p. 5). Qui certe ipse legationis mos

sæculum omnino Ignatianum sapit, non aliquod recentius. Id factum a Magnesiis testis ipse est amplissimus Ignatius (*Ep. ad Magnes.*, § 2), non Damam modo eorum episcopum, sed et presbyteros Bassum et Apollonium, et diaconum Sotionem secum fuisse Smyrnæ. Rogat ille sæpius Ecclesias, ut legatum aliquem mitterent confirmandæ sedi suæ antiochenæ episcopo destitutæ. Hunc ille nunc θεοδρόμον appellat (*Ep. ad Polycarp.*, § 7), nunc θεοπρεσβευτὴν (*Ep. ad Smyrn.*, § 11), cujus meminit etiam in Ep. ad Philippenses Polycarpus. Quos vero illæ legatos destinarint, ostendit idem sanctissimus martyr Ignatius in Ep. ad Philadelphienses: Αἱ ἔγγιστα (inquit) ἐκκλησίαι ἔπεμψαν ἐπισκόπους, αἱ δὲ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους (*Ep. ad Philadelph.*, § 10). Dubitatque in ea quam diximus ad Philippenses Epistola ipse Polycarpus, ipsene legationem obiret, an alium potius mitteret legatum. Ita non erat a loco etiam episcopali alienum ut ipsi legationum munere fungerentur. Ex quo etiam obiter constat quam non fuerit, eo sæculo, episcopi officium ita fixum, ut putavit Salmasius. Ipsum potius episcopi nomen a peregrinantium in græcis civitatibus officio desumptum erat. Et chorepiscopos περιοδευτὰς appellant Canones, quorum idem rure officium atque in urbibus episcoporum. Est autem περίοδος eadem illa vox qua apostolorum peregrinationes in antiquioribus Ecclesiæ monumentis denotari observavit ipse Salmasius. Nihil itaque vetat eosdem et apostolos fuisse et episcopos, et peregrinari potuisse et certis tamen Ecclesiis præesse. Præsertim cum non sit de aliorum apostolorum peregrinationibus e S. Pauli exemplo statuendum. Reliqui certe intra certas sese ut plurimum provincias continebant, sub illius sæculi finem, cum jam constitutæ essent ecclesiæ, et in ecclesiis episcopi. Non longe ab Hierosolymis peregrinatus videtur S. Jacobus, si veris monumentis credimus, etiam Actorum illis. Nec longe ab Hierapoli Philippum, nec ab Asia proconsulari Joannem discessisse innuunt Polycrates et Clemens Alexandrinus. In his limitibus nihil vetat in Ecclesiæ primævæ disciplina quin alii quoque peregrinari possint episcopi. Quid quod etiam S. Paulus (I *Cor.*, XV, 10) cum se reliquos apostolos in labore superasse contendit, id certe manifeste innuit, non esse reliquorum apostolorum labores e suo unius exemplo æstimandos. Singulos ab illo superatos esse apertius est quam ut de eo dubitari possit. Ita etiam ejus verba intelligi possunt ut omnes omnium labores, etiam collectos, longo post se intervallo reliquerit. Id si verum sit, reliquorum apostolorum labores æquare poterant episcopi. Æquavit fortasse Polycarpus, cum e Smyrna sua Romam sub Aniceto contenderet, inde fortassis in Galliam Lugdunensium illam Viennensiumque christianorum coloniam deducturus. Nulla certe primævæ Ecclesiæ indubia monumenta suadent hujus unius labores reliquorum apostolorum laboribus fuisse inferiores. Longe tamen abest ut episcopalis officii fines excesserit, vel ut eo nomine illum veterum quispiam reprehenderit. Quæ cum ita

A se haberent, erat utique omnino consentaneum ut non alios legationibus quam superiorum ordinum adhiberent, nondum in Ecclesiam introductis illis inferiorum ordinum ministris quibus usa est Ecclesia ætasque Cypriani.

§ 17. Plane referebant hæc Ignatiana ætatis etiam apostolicæ recentissima vestigia. Illorum opera præcipua in disseminandis potius, quam regendis Ecclesiis collocata est. Proinde consentaneum erat ut legati quam honorificentissimi deligerentur, præsertim, cum id ipsum Evangelii propagandi munus, eorum fuisset præcipue qui in primaria essent Ecclesiæ dignitate constituti, quales erant ipsi apostoli, evangelistæ, etc. Habebant igitur Ecclesiæ, præter illos, primarii nominis, Christi apostolos, ipsæ quoque suos

B quos itidem appellabant apostolos, propterea, ut videtur, quod nuntii vulgo mitterentur, ut repræsentarent, a quibus mitterentur, Ecclesias. Id enim ipsum innuere videtur, ea ætate, ipsum apostolatus nomen. Hi apostoli appellantur ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν (II *Cor.*, VIII, 23.) Ita Epaphroditus Philippensium erat apostolus (*Phil.*, II, 25.) Quæ autem beneficia illis collata sunt, ea non in illos solos sed εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν redundare credebantur, propterea quod ecclesias illas, ut dixi, repræsentarent. Ex quo intelligimus quantum aberrarit ab apostoli mente in horum apostolorum explicatione Walo Messalinus, cum secundarios hosce apostolos a primariis missos existimat ad ecclesias, non vice versa ab ecclesiis ad apostolos. Id si fuisset verum, ad πρόσωπον ἐκκλησιῶν attinere

C non potuit illorum ille cultus, sed vero ad eorum potius a quibus missi fuissent apostolorum. Quid quod durior illa omnis videatur interpretatio qua ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν dicendi erant qui ad ecclesias plantandas missi essent potius quam illi qui ab ipsis missi fuissent ecclesiis. Dei certe Christique appellantur apostoli non qui ad Deum Christumve, sed qui ab iisdem mittuntur, ut nova prorsus exemploque omni destituta sit contraria illa locutio. Ab hac potius mittentis personæ repræsentatione primariorum quoque videtur apostolorum origo deducenda. Principum satellites dicuntur quorum id officium est ut principibus coram adsint, semperque in eorum conspectu obversentur. Inde vultus principum intueri, atque ab eorum vultibus procedere dicuntur. Quos

D vultus appellant interpretes latini, eos פנים pro suo idiomate hebræi. Eam vocem πρόσωπον reddunt interpretes græci. Pro eo principum more Dei quoque præsentia majestatica vultus faciei que metaphoris in Scriptura obumbratur. Panis propositionis panis facierum appellatur, eorum nempe proprius qui principum commensales fierent. Angelus præsentiæ in propheta idem est qui Dei faciem intueri dicitur in Evangelio. Ut autem pro nuntiorum dignitate de principum erat contumelia judicandum, eo graviori quo nuntius fuisset honoratior; ita is honoris gradus summus erat, si quis esset in principum conspectu frequentissimus. Qui igitur e principis vultu egressus diceretur, illum si quis minus honorifice tractasset,

perinde erat ac si principem ipsum coram agentem A præsentemque contempsisset. Cum itaque communem sibi atque apostolis honorem fore contemptumque Dominus profitetur, id nempe innuit in eorum nuntiorum numero habendos qui essent ἀπὸ προσώπου. Idem ergo de his ecclesiarum apostolis statuendum ab ecclesiarum quasi vultibus fuisse, cum in utrosque, tam ecclesias nimirum ipsas, quam missos ab ecclesiis apostolos, communes redundarent honores atque contumeliæ, quasi unam utrique eamdemque personam sustinerent. Quod si verum esset, quod contendit Salmasius, secundarios hosce ecclesiarum apostolos non alia de causa fuisse ecclesiarum quam quia ad ecclesias plantandas mitterentur: non esset sane cur possent a primariis etiam apostolis hoc solo nomine distingui. Ipsi enim illi Christi apostoli ad hoc B quoque idem plantandarum ecclesiarum munus missi sunt a Christo atque destinati (*Eph.*, iv, 11, 12, 13). Certos enim et ipsi habebant ex pacto κανόνας, ne in hoc inferiores existimemus secundarios hosce fuisse apostolos. Quod vero munus illum Epaphroditi apostolatum proprie spectarit, ex eadem illa ad Philippenses Epistola facile colligimus (*Phil.*, iv, 18). *Habeo autem omnia, et abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis*, etc. Rem igitur pecuniariam spectabat illa legatio. Quod non ita tamen intelligendum erat, quasi, peracta ea dispensatione, ad suos e vestigio reverterentur. Qui ita missi essent, alias deinde legationes, ejus ad quem missi essent, nomine obierunt, idque in longinquas nonnunquam regiones, quoties id e re esset Ecclesiæ catholicæ C publica. Ita apostolos illos ecclesiarum commendat Corinthiis a se proculdubio eo missos. (II *Cor.*, viii, 24). Ita Ephesios ad se missos Romam destinasse videtur Ignatius (*Ep. ad Rom.*, *fin.*). Erant enim eo ipso consilio missi quos χειροτονοθέντας ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν συνεκδήμους dicto loco (II *Cor.*, viii, 19) memorat Apostolus. Inde intelligimus quinam essent apostoli συνέκδημοι quorum mentionem habemus (*Act.*, xix, 29) non alios utique quam hos, quos diximus apostolos. Iidem συνέποντες (*Act.*, xx, 4); συνεξελθόντες (*Act.*, xvi, 3); συνελθόντες, (*Act.*, xv, 38), quorum ad officium ita pertinebat viris illis primariis ministrare, ut, si qui recesserant, illi officio defuisse existimarentur. Ab hisce se desertum, in epistolis nonnunquam queritur Apostolus. Iidem διακοῦντες D (erat enim hæc eleemosynarum suppeditatio proprie sic dicta διακονία) (*Act.*, xix, 22); ὑπηρέται (*Act.*, xiii, 5). Et vero quamplurimi erant qui S. Paulo ita ministrarent, nonnulli equidem ab ipso assumpti, nonnulli ab ecclesiis ad illum delegati, nonnulli etiam a seipsis devoti atque dicati. Idem ab apostolis ipsis observatum est, ut gravissimis de causis legatos non alios adhiberent quam qui reliquis præcellerent. Ita factum in Concilio hierosolymitano, cum de circumcisionis necessitate ad Ecclesiam antiochenam mittendum esset Apostolorum decretum, non obvios quoslibet qui se ultro offerebant, sed electos e suo numero viros constituerunt qui hoc munere fungerentur. Ἔδοξε, etc. ἐκλεξαμένους ἄνδρας ἐξ αὐτῶν πέμψαι, etc. (*Act.*, xv, 22), quod et re ipsa præstiterunt. v. 25. Nec aliter Judæi, a quibus ad christianos emanasse videtur exemplum. Illi etiam ἄνδρας ἐκλεκτοὺς delegarunt in omnem terram, λέγοντες αἵρεσιν ἄθεον χριστιανῶν πεφηνέναι, teste, non uno in loco, S. Justino Martyre (*Dialog. cum Tryphon.*, *p.* 234, E, 335, C).

§ 18. Neque vero mirandum apostolis hæc præstitisse ecclesias, cum etiam plebeiis christianis eadem præstiterint, si quando in rebus rem christianam publicam attinentibus occuparentur. Erat nimirum non minima communionis pars in hospitii jure posita, quo spectant etiam veterum quamplurimæ litteræ commendatitiæ, quarum ad imitationem litteræ etiam ecclesiasticæ formatæ susceptæ conceptæque sunt. Hospitibus autem commorantibus sumptus gratis suppeditati sunt discedentibus xenia donata, et si necesse esset, comites itineris additi, si ultra essent profecturi. Hæc ex antiquissimis Homeri hospitiis manifesta sunt, quæ in mores Græcorum recentiorum deinde transierunt. Hanc φιλοξενίαν commendant aliquoties apostoli, et quidem eo in loco illam habuerunt primævi christiani ut privati aliquoties divites se suaque omnia sanctis undequaque peregrinantibus excipiendis dicarent. Talis fuisse videtur Gaius non S. Pauli modo privatus hospes, sed totius etiam Ecclesiæ (Rom. xvi, 23). Eodemque nomine commendatur a S. Joanne, tertia ejus Epist., ỳ. 5, 6, 7, 8. Talis etiam fuit Philemon, Ep. ad Philem., ỳ. 5, 6, 7, et Mnason Cyprius, Act. xxi, 16. Ecclesiarum tamen publicum id vulgo fuisse videtur officium. Illo nempe hospitii jure usas legimus in se invicem illorum temporum integras etiam civitates. Exempla habet nonnulla, ni fallor, in Verrinis Cicero. Ut proinde ad ecclesias, quæ civitates integras, pro illius quoque sæculi more, complecterentur, quæque civitatibus proinde conferuntur ab Origene (*lib.* iii, *cont. Cels.*), dimanare facillime potuerit. Præsertim cum Judæi etiam hierosolymitani cum provincialibus διασπορᾶς eadem officia, ante Christianismi etiam natales exercuissent. Ne longius abeam, id colligo ex Act. xxviii, 21, propterea qui in publicis essent Ecclesiæ officiis constituti, ad illos præcipue spectabant hæc hospitalitatis munia. De viduis Ecclesiæ ita scribit Apostolus (I *Tim.*, v, 10): *Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit.* De episcopo: *Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem* (I *Tim.*, iii, 2). Rursus de eodem: *Sed hospitalem, benignum sobrium* (*Tit.*, i, 8), etc. Is enim πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδέμων erat, teste S. Justino martyre (*Apolog.*, ii).

§ 19. Hæc igitur erga omnes erant peregrinantes communia ecclesiarum officia, quæ quin ipsis etiam apostolis officiosius præstarentur, nihil sane est quod dubitemus. Nescio quicquamne fuerit quo viri illustres, pro illius sæculi more, excipi solerent, quin idem illud in apostolis primariisque Ecclesiæ viris ex

piendis observarint etiam Ecclesiæ; et quidem eo promptiori animo, quod non illorum modo gratiam, quibus ea præstiterant, sed Dei adeo ipsius, cujus in opere occuparentur, se demereri crederent, participesque se illorum quoque operum futuros. Apostolo Romam venienti obviam effusi sunt fratres, usque ad Appii forum et Tres Tabernas (*Act.*, XXVIII, 15). Ignatio tamen ad martyrium properanti usque ad portum. *Melitenses discedentem multis honoribus honoraverunt, et navigantibus imposuerunt quæ necessaria erant* (*Ibid.* IV, 10). Erant hæc eorum proculdubio xenia. Discedentem ad navem usque comitati sunt Ephesii (*Act.* XX, 38). Hæc erat προπομπὴ, cujus etiam ipse quamplurimis in locis meminit Apostolus. Id autem ad honorem venientis, pro illius quoque ætatis consuetudine, spectabat, ut quo quisque dignitate esset illustrior, eo forent etiam illustriores ii qui in ejus occursum mitterentur. Idque etiam observatum in excipiendis provinciarum præsidibus, ut quem ad locum provinciæ primum appulissent, eo legationes a civitatibus, virorum in sua quisque civitate primariorum, mitterentur. Idem etiam a civitatibus vicinis observatum in peregrinationibus. Id cum christiani in apostolorum virorumque Ecclesiæ primariorum peregrinationibus imitarentur, id quoque imitatos verisimile est, ne venientium dignitati deessent legati. Quamquam enim fastum mundanum procul amandarint apostoli, erant tamen decori iidem observantissimi retinentissimique. Id certe S. Pauli fuisse videtur ingenium, ea indoles. Nec id quidem immerito. Cum enim in ita exceptis nullum esset, illis præsertim persecutionum sæculis, fastus periculum; multa tamen erant in his adiaphoris quæ ad subditorum cultum reverentiamque conciliandam facerent, quæ non erant sane negligenda, cum præsertim non imperarentur hæc officia, sed vero liberrimo ardentissimoque subditorum præstarentur obsequio.

§ 20. Atque hinc concludimus, quamquam aliunde non intelligeremus quem locum in Ecclesia obtinuerint qui his legationibus obeundis destinarentur, non esse tamen quod dubitemus quin is fuerit admodum honorificus. Ordinariorum horum Ecclesiæ ministeriorum in prima illi ævi apostolici historia, rarior occurrit mentio, episcoporum videlicet presbyterorum atque diaconorum. Frequentiores erant extraordinarii, apostoli, evangelistæ, pastores atque doctores et prophetæ notioresque omnino atque celebriores. Et probabile quidem est horum fuisse propriam primariam illam simplicissimamque Ecclesiæ administrationem; tum deinde, cum perturbatiorem illam inordinatioremque experti essent, paulatim in eorum locum successisse ministros illos, quos hodie retinemus, ordinarios, paulatimque, pro synaxeon disciplina, extraordinarios illos ordinariis factos esse subditos. Quando igitur synaxeon munia obierunt hi extraordinarii ministri, frustra expectabimus ordinariorum ministrorum mentionem. Id unum sufficit, fuisse illos, non summa modo dignitate, sed summo etiam, in Ecclesiæ administratione, loco, ut proinde, si quas illi legationes obierint, admodum illas fuisse honorificas necesse esset. Cum vero tandem, propter synaxeon disciplinam, ordinariis subjicerentur synaxeon ministris, adhuc tamen honorem proculdubio summum retinuerunt. Nec enim erant illi certis quibusdam ecclesiis affixi, sed potius totius Ecclesiæ catholicæ communes, quod (ea proculdubio ætate, cum in eo positæ essent supremorum ministrorum operæ, potius ut late christianitatem disseminarent quam ut ecclesias regerent jam fundatas constitutasque) fieri vix potest quin eorum officio anteferretur qui singularum essent dumtaxat ecclesiarum. Ex hoc autem extraordinariorum ministrorum numero fuisse videntur qui legati constituti essent. Ipsa illa eorum dona infidelium causa, potius quam fidelium, data esse agnoscit apostolus utiliora proinde futura, si in convertendis infidelibus potius quam fidelibus confirmandis, collocarentur. Cum præsertim eo ipso consilio missi essent, non qui venientes exciperent modo, sed qui comites essent et συνεργοὶ itinerantium atque peregrinantium. Sed vero aliam omnino administrandi rationem exigebat illius ætatis Ecclesia quam sequentium, ut frustra sint omnino qui nihil hodie in Ecclesia permittunt nisi quod ad illius apostolicæ Ecclesiæ accedit exemplum. Considerandæ sunt omnino circumstantiæ et prudentia adhibenda, qua certum est multis in rebus usos esse apostolos.

DISSERTATIO TERTIA

DE SECUNDO MARTYRII BAPTISMO,

AUCTORE DODWELLO.

§ 1. — *Cur singularem huic argumento dicemus dissertationem.* — § 2. *Ab antiquissimis usque Ecclesiæ temporibus ad nostra hæc descendit opinio.* — § 3. *Baptismus aqueus et unio externa cum Ecclesia prærequisita ad sanguineum martyrii baptismum.* — § 4. *Baptismum sanguineum aqueo prætulerunt veteres.* — §§ 5, 6. *Explicatur, hac in causa, locus Cypriani.* — § 7. *Defenditur hæc veterum sententia.* — § 8. *E quibus Scripturæ locis illam collegerint.* — § 9. *Observ. primo e factis Domini legitimam procedere argumentationem, præcipue id genus factis qualia adhibuerunt, hac in causa, veteres.*—§§ 10, 11. *Obs. secundo, non e factis modo, sed ex ipsis Domini verbis, constat pro baptismo habendum esse martyrium.* — § 12. *Obs. tertio, non verborum esse dumtaxat, sed rerum etiam ipsarum baptismi atque martyrii affinitatem. Locorum occasionem, in quibus de baptismo sanguinis agi crediderunt veteres,*

fuisse martyrium. Domini baptismus ejusdem erat martyrium, idque sensu Ecclesiastico. — §§ 13, 14, 15, 16. *Hæretici apostolis coævi martyrium negabant. Horum pseudo-Christos refellebat S. Joannes argumento a veri Messiæ adventu per aquam et sanguinem. Explicatur tota illa argumentatio.* — § 17. *Observ. quarto, in ipso illo initiationis expiationisque ritu, cui peccatorum purgationem tribuebant veteres, tam frequentem fuisse apud illos sanguinis quam aquæ usum : et quidem sanguinis initiatorum proprii.* — § 18. *Nec id modo in initiationibus, sed et in pactis obtinebat, pro moribus veterum antiquissimis.* — § 19. *Ut sanguini, in hoc expiationis negotio partes concedebant facile primarias, ita humani sanguinis, præ aliis etiam sanguinibus, vim longe maximam agnoverunt.* — § 20. *Obs. quinto, ad ipsum baptismi sacramentum pertinere sanguineum hunc baptismum, et quidem ita pertinere ut partem ejus præcipuam consummet.* — § 21. *Primo pactum baptismale pro illis (qui apud veteres obtinebant) pactorum esse moribus explicandum.* — § 22. *Secundo ut in aliis pactis, ita et in nostro quoque baptismali, duo esse a se invicem distinguenda diversarum partium officia, Dei alia, alia nostra.* — § 23. *Tertio, jus illud legale omne, quod pacti beneficio obtinemus, ad Dei promissiones, ex officii nostri præstatione esse deducendum.* — § 24. *Quarto, quæ nobis incumbunt in hoc pacto baptismali conditiones a nostra parte præstandæ e symbolorum solemnium significatione colligendum.* — § 25. *Quinto, in symbolis baptismi nostri sacramentalis solemnibus, non aquæ solius baptismus denotatur, sed etiam ille sanguinis; et quidem ita denotatur ut ad unum eumdemque baptismum uterque pertinere intelligatur.* — § 26. *Ita se habet de facto.* — §§ 27, 28. *Redditur facti ratio.* — §§ 29, 30. *Sexto, ita adumbratur in ipso aquei baptismi symbolo baptismus sanguineus, ut plane innuatur nullam esse aquei baptismi efficaciam nisi ad sanguineum baptismum referatur.* — §§ 31, 32. *Infertur septimo, non modo ex pacti baptismalis lege, sed vero ex ejusdem etiam æquitate, vindicari posse in sanguineo baptismo omnia beneficia a Christo, pro sua pacti baptismalis parte, præstanda.* — §§ 33, 34. *Infertur octavo plenam omnium peccatorum præcedentium indulgentiam tam esse martyrio, quam baptismo, concedendam.* — § 35. *Nihil esse alienum a baptismi natura quod temporis intervallo sejungantur a se invicem baptismus aqueus atque sanguineus.* — § 36. — *Nono martyrum sanguinem pro Christi sanguine habuisse veteres.* — § 37. *Decimo præcipue si, pro Christi exemplo, publica animarum causa fuisset effusus.* — § 38. *Defenduntur veteres.* — § 39. *Martyrium in altero etiam eucharistiæ sacramento spondemus.* — § 40. *In martyrio jus ad beneficia baptismi tam privativa, quam etiam positiva, consequimur.*

§ 1. — Diximus, superiori dissertatione (¹), in primorum temporum martyriis, locum ab auxilio divino primarium obtinuisse recepta illius ecclesiæ primævæ de martyrii dignitate dogmata, illud inprimis quo secundi baptismi vicem atque beneficia martyrio vindicabant. Hoc, quia alienum scio a recentiorum placitis qui suas sacrarum litterarum interpretationes, utcumque infirmas, nec certo aliquo ratiocinio nitentes, veterum tamen ratiociniis anteponunt; et quia tota hæc mysticæ argumentationis ratio, quæ mysticarum omnino scripturarum, hujusque adeo de sacramentis argumenti, est, suo quodam jure propria, contempta tamen vel neglecta est a celeberrimis plerisque nostrorum temporum interpretibus; et quia qui hanc veterum sententiam tuentur hodie scriptores pontificii, unam veterum auctoritatem tamen obtendunt, plane de eorum ratiociniis securi, rectene tam e Scripturis, et pro primævæ christianitatis captu (cui tamen soli Spiritum S. in Scripturarum concinnatione consuluisse alibi probavimus (*in Prolegom. ad Dom. Stearn., de Obstinat.*), atque adeo solide, collegerint : proinde consultissimum duximus si tam jucundo utilique argumento, propriam suam singularemque dissertationem assignaremus.

§ 2. — Ab antiquissimis itaque temporibus Ecclesiæ, recentissimaque apostolorum memoria, deducta hæc est de secundo martyrii baptismo sententia, et in Ecclesia vulgariter recepta. De Felicitate ita auctor Actorum (*Act. Perpet. et Felic., p.* 29, 30, *edit. Oxon.*) : « Item Felicitas salvam se peperisse gaudens, ut ad bestias pugnaret, sanguine ab obstetrice ad retiarium lotura post partum baptismo secundo. » Eodem spectat etiam gentilium de Saturo acclamatio cum uno leopardi morsu totus suo sanguine perfunderetur, salvum lotum ! salvum lotum! quod ita interpretatur Actorum auctor, ut ad secundam martyrii lotionem facta esset vel a nescientibus turbis allusio. Ita jam obtinuerat apud christianos ea loquendi ratio qua quis etiam martyrii pariter ac aquæ baptismo lotus diceretur. Secundæ porro intinctionis voce usus est de martyrio Tertullianus (*Tertull., de Patient., c.* 13, *de Bapt., c.* 16), quod et alibi secundi Lavacri, sanguinis nimirum baptismi, nomine designat. Nec aliter Origenes qui ex eo ipso baptismi officio colligit recte, martyrium baptismi nomine, meritoque, insigniri posse, quod peccatorum remissionem præstet pariter ac baptismus, ne solius nominis hic haberi rationem suspicentur adversarii (*Origen., in Matth., p.* 416, *edit. Huetii*) : καθὸ, inquit, ἄφεσιν λαμβάνει ἁμαρτημάτων ὁ ὑπομείνας. βάπτισμά ἐστιν· εἰ γὰρ τὸ βάπτισμα ἄφεσιν ἁμαρτημάτων ἐπαγγέλλεται, καθὼς παρειλήφαμεν περὶ τοῦ ἐν ὕδατι καὶ πνεύματι βαπτίσματος, ἄφεσιν δὲ λαμβάνει ἁμαρτημάτων καὶ ὁ τὸ τοῦ μαρτυρίου ὑπομείνας βάπτισμα, βάπτισμα τὸ μαρτύριον εὐλόγως λέγοιτ' ἄν, etc. Idem et in aliis locis sæpe habet idem Adamantius (*Origen., in lib. Judic., hom* 7 *et in Joan., tom.* VIII, *p.* 133, *edit. Huetii*). Idem sæpe noster *Cyprianus*, (*Cyprian., Ep.* LIV, *de Orat. Domin. Exhort.*

(¹) Cui titulus : *De primorum martyrum insigni fortitudine, ejusque causis.* Nobis erat primum in mente illam in hoc tomo inserere; multa vero propter male sonantia omittenda fuit.

Martyr. Ep. LXXIII), et recentiores alii *Cypriano* Patres quamplurimi, quos tædet in hoc loco sigillatim recensere. Inde enim consentientibus *Græcorum Latinorumque* suffragiis comprobata hæc opinio ad nostra usque tempora descendit.

§ 3. — Est porro illud animadversione dignum, ita inter se duos hosce aquæ atque sanguinis baptismos contendisse Veteres, ut nonnunquam postponant secundum hunc sanguinis baptismum aquæ illi primo, et vice versa nonnunquam anteferant, diverso id nimirum respectu atque consideratione. Quod quidem ad illud spectat aquei baptismi officium quo unimur Christo atque Ecclesiæ, quamquam superiori jam dissertatione ostenderimus suam quoque vim in hac ipsa quoque unione augenda saltem atque promovenda concessisse Veteres : ita tamen illam concesserunt ut vim interim ejus nullam agnoverint ad eorum unionem promovendam qui nondum essent prævio aliquo atque inchoato saltem unitionis vinculo Ecclesiæ conglutinati, seu communionis in officio eucharistico, seu baptismi reipsa suscepti, vel in voto saltem expetiti, quæ causa erat competentium Catechumenorum; vim rursus nullam ad martyrii beneficia nondum unitis impetranda. Nec enim martyrio beneficium aliquod tribuunt si quis extra unitatem passus fuerit; sed nec illud ejus beneficium agnoscunt, ut ea ipsa ratione quis unitus invisibili aliqua unitate censeatur si martyrium passus fuerit. Proinde hæreticorum schismaticorumque martyria, illorum videlicet, qui aliquo vel actu suo, vel Ecclesiæ, ab unitate abscissi essent, nec unitorum fuisse crediderunt, nec adeo ullius apud Deum pretii. Catechumenorum causam favorabiliorem censuerunt, qui non tam essent ab unitate sejuncti, quam eam ipsam unitatem nondum consecuti; quibus ita vitio non esset vertendum quod nondum essent uniti, ut contra laudi potius esset quod ecclesiasticæ disciplinæ leges observassent. Hi certe voto tam suo, quam Ecclesiæ, uniti jam erant; et cum se legibus ecclesiasticis subjecissent, eo ipso se politicæ unitatis membra professi sunt, quod mysticam illam unitatem, quantovis eam haberent in pretio, arripere tamen non auderent; expectarent interim, dum, per leges ecclesiasticæ politiæ eam rite adipisci liceret. Illis igitur æquum erat concedi unitatis beneficia, qui jam ea essent, quæ legitima esset, unitate conjuncti; nec ulla sua culpa impedirentur quominus illam quoque consecuti essent quæ nondum esset legitima. Erat autem martyrii fructus inter unitatis beneficia, pro illorum sæculorum sententia, censendus. Hanc catechumenorum causam agit in epistola ad Jubaianum noster Cyprianus (*Epist.* LXXIII). Damnasse autem hæreticorum schismaticorumque martyria notius est quam ut ulla probatione indigeat. Nec solum fuisse in hac causa Cyprianum, sed Ecclesia pariter universa suffragante, damnasse, ex ipso S. Augustino liquet, qui cum nostro martyri, in causa baptismi hæreticorum sese strenuissime opponit, hanc tamen ejus de hæreticorum schismaticorumque martyriis censuram ubique comprobat; ex ipsa etiam Ecclesiæ catholicæ praxi liquet, quæ cum verorum martyrum semper fuerit observantissima, numquam tamen illis hæreticos schismaticosve accenseuerit, nulla eorum nomina in fastos suos admiserit, nullam instituerit eorum solemnem commemorationem.

§ 4. — Quamquam ergo ad subjecti dispositionem necessarius sit prior ille aquæ baptismus, ut quis sanguinei baptismi possit fructum percipere; si tamen recte hanc comparationem instituere velimus, et de utriusque baptismi beneficio judicare, id porro quærendum utrius baptismi magis sit beneficium in subjecto rite disposito? Et quidem hujus beneficii respectu sanguineum baptismum aqueo prætulerunt Origenes et noster Cyprianus. « Baptisma sanguinis, inquit Origines (*Origen.*, *in Judic. homil.* 7), solum est quod nos puriores reddat, quam aquæ baptismus reddidit. » Quod, paucis interpositis, ita explicat : « Vereor ne istud baptismi eminentius sit isto baptismate quod per aquam traditur. Illo enim accepto, valde pauci sunt ita beati, qui id immaculatum usque ad exitum vitæ servare potuerint. Hoc vero baptismo qui baptizatus fuerit, peccare jam ultro non potest. Et si temerarium non est in rebus talibus audere aliquid, possumus dicere quod per illud baptisma præterita peccata purgantur, per istud vero etiam futura perimuntur. Ibi peccata dimissa sunt, hic exclusa. » In eamdem plane sententiam gloriosissimum hunc et maximum sanguinis baptismum appellat noster martyr, quod nempe gloriosiora sint et majora sanguinei baptismi beneficia quam sint ea quæ per aqueum sunt baptismum a subjecto rite disposito expectanda. Ita enim scribit ille in sua ad martyrium exhortatione : « Nos tantum, inquit, qui Domino permittente primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes et docentes hoc esse baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius : baptisma in quo angeli baptizant, baptisma in quo Deus et Christus ejus exultant, baptisma post quod nemo jam peccat, baptisma quod fidei nostræ incrementa consummat, baptisma quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aquæ baptismo accipitur peccatorum remissa; in sanguinis corona virtutum. Amplectenda res est et optanda, et omnibus postulationum nostrarum precibus expetenda, ut qui servi Dei sumus, simus et amici. » Multa hic habemus in hoc Cypriani nostri testimonio cum Origeniano illo communia, quæque tam communi assertioni, quam sibi invicem, lucem vicissim fœnerentur.

§ 5.— Gratiæ inprimis magnitudinem inde æstimat quod, cum post aquæ baptismum peccamus iterum, baptizalemque gratiam amittimus, in baptismo sanguinis nullus supersit metus futurorum peccatorum, ut proinde per illum tam futurorum securi reddimur quam præteritorum, cum præterita dumtaxat in aqueo baptismo expientur, quod etiam ante Cyprianum observaverat Origenes, et post Cyprianum nostrum sanctissima martyr Pelagia apud Ambrosium, lib. III, de

Virginib. Tum ad gratiæ quoque magnitudinem illud pertinere censet, quod, cum ad ἀρχῆς λόγον et θεμέλιον aqueum illum baptismum retulerit Apostolus (*Hebr.*, VI, 1, 2). Sanguinis hic baptismus ad fidei nostræ incrementa consummanda pertineat; quod, cum in aqueo baptismo renuntiantes mundo fruitionem Dei non nisi e longinquo tamen expectemus, per sanguineum statim Deo copulemur; quod, cum ibi peccatorum remissionem consequamur, hic præmium etiam coronamque expectare possimus; illic servos Dei nos, vel saltem ἀπελευθέρους profiteamur, hic etiam amici Dei agnoscamur. Porro potestate sublimiorem dicit hunc sanguinis baptismum, quod hominem ministrum ad aquæ baptismum adhibeamus, in sanguineo angelorum ministerio initiemur. Ut enim invisibilis plane est martyrum ille baptismus, saltem quod ad illam partem attinet quæ Deum ipsum spectat, ita certe invisibilem illam λειτουργίαν ad Deum ipsum diximus, pro mysticæ philosophiæ principiis, fuisse referendam. Ut autem in mystico sacerdotio duo erant officia visibili sacerdotio adamussim respondentia, superius aliud, quod βελτιωτικὸν sive τελειωτικὸν appellarunt, Christi proculdubio ipsius in hac mystica λειτουργίᾳ proprium; inferius aliud sive ὑπηρετικόν, quod angelorum etiam fuisse proprium nihil est quod dubitemus : ita certe baptismi munus ad inferius illud ministerium pertinuisse, alibi est a nobis, nisi fallimur, probatum. In externo enim aquei baptismi munere inferioris generis ministris usi sunt ut plurimum apostoli. Ut proinde idem sit de invisibili quoque illo mysticoque baptismo statuendum, ut exteriori baptismo adamussim respondeat, hic quoque ὑπηρετῶν fuisse usum, qui non alii esse potuerint, pro veterum illorum captu, quam angeli. Divinæ enim præsentiæ symbolum (Schechinam appellant Judæi) angelis tribuunt scriptores veteres tam Judæi, quam ecclesiastici, quam sacri et canonici; et quam Deo tribuunt nonnunquam apparitionem, eamdem alibi angelis assignant. Deus in rubo Moysi apparuisse legitur, quem tamen angelum appellat S. Stephanus (*Act.*, VII, 35). Deus in monte Sinai decalogum edidit, quam tamen eamdem legem ab angelis editam ait Apostolus (*Hebr.*, II, 2). Et vero in hoc cœlestium mysteriorum universo negotio, quod præstatur in visibilis ecclesiasticæ hierarchiæ mysteriis, officium ab ordinariis Ecclesiæ ministris, tam βελτιωτικὸν illud, quod dixi, quam etiam ὑπηρετικὸν idem angelis officium assignat Clemens Alexandrinus : ταύτας inquit (*Clem. Alex.*, *Strom.*, VII, *init.*), ἄμφω τὰς διακονίας ἄγγελοι τε ὑπηρετοῦνται τῷ θεῷ κατὰ τὴν τῶν περιγείων οἰκονομίαν, καὶ αὐτὸς ὁ γνωστικός, etc. Sed redeamus ad nostrum Cyprianum.

§ 6.—Idem denique addit mysticum hunc sanguinis baptismum in honore esse pretiosiorem. Quæ verba ad illa fortasse referenda sunt, quod cum in aqueo baptismo servi dumtaxat conscribimur, hic in sanguineo baptismo amicorum titulo longe honoratiori exornemur. Forte etiam ad externam divini hujus agonis pompam atque apparatum, quod nempe in eo Deus et Christus ejus exultent. Docet Dominus exultationem in cœlo esse in conversione peccatoris. Hanc conversionem illi ad baptismum aqueum fortasse retulerint, et exultationem in cœlo illam de angelorum exultatione intellexerint. Opponitur enim Deo cœlum (*S. Luc.*, XV, 21). Et cœlum cum τοῖς κατοικοῦσι conjungitur (*Apocal.*, XII, 12), quod certe de Trin-uno Deo ita commode intelligi nequit. Ita igitur Deum hujus sanguinei baptismi præsidem crediderunt, quod, cum martyrium agonibus, sive ludis theatralibus, contulissent, Deum Agonothetam fecerint, et quasi consulem in Orchestra spectatorem. Ipsa spectaculi voce a theatris desumpta usus hac in causa est Octavius (*Minut. Fel. Octav.*, p. 358). « Quam pulchrum (inquit) spectaculum Deo, cum christianus cum dolore congreditur. etc., ». Et noster Cyprianus (*Ep.* LVI) : « Spectat militem suum Christus ubique pugnantem. » Et postea : « Ecce agon sublimis et magnus, et coronæ cœlestis præmio gloriosus, ut spectet nos certantes Deus. Præliantes nos et fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant angeli ejus, spectat et Christus. » Et alibi (*Ep.* IX) : « O quale illud fuit spectaculum Domino, quam sublime, quam magnum, quam Dei oculis sacramento ac devotione militis ejus acceptum, etc. » Nec mirum hac eadem similitudine usos esse toties christianos, quam et ipsam eamdem adhibuerant ipsi etiam philosophi, Seneca *(Senec., de Prov., c.*3) et Epictetus (*Epist. ad. Arrian.*). Quamquam etiam altius repetitam fuisse verisimile est, a visionibus nimirum illis quibus Deus præsens laborantibus apparuerat. Ita S. Stephano Christus (*Act.*, VII, 55). Et in certamine Polycarpi vocem cœlitus emissam memorant Smyrnenses, ἴσχυε Πολύκαρπε, καὶ ἀνδρίζου (*Ep. ad Philom. ap. Euseb.*, *Hist. eccl.*, IV, 15). Et merito sane illi Dei hanc faventis præsentiam maximi honoris loco duxerunt. In eo autem prætulerint fortasse sanguinei hujus baptismi apparatum, quod, cum in cœlo gaudium esse memorant sacræ Litteræ in conversione peccatoris (aqueo nimirum baptismo expiati), cœli nomine cœlestes creaturas, angelos nimirum, intellexerint; hic Deum ipsum ejusque Christum plaudentes introduxerint.

§ 7.—Non me latet antiquitatis contemptores quam illi hæc veterum christianorum ratiocinia nullo sint in loco habituri. Quod martyrium baptismi secundi titulo insignierint; nec nudo dumtaxat titulo, sed præterea omnia prioris baptismi beneficia eidem attribuerint; nec eo ipso contenti, superiorem etiam eo ipso baptismo fecerint qui a Deo fuerat institutus : pro nudis illi proculdubio habituri sunt martyrum deliriis atque commentis. Indignabuntur porro, nec ferendam audaciam esse clamitabunt, tantum illos inventis suis tribuere ut commentitium suum baptismum baptismo a Christo instituto vel conferre audeant, nedum anteferre. Quæramus igitur meritone, an secus, in ea veteres fuerint sententia? Rogo interim atque obsecro, ut tantisper seponant affectus dum rationem reddimus cur ita senserint primævi christiani. Ita fiet ut et nobis æquiores sint, et sibi ipsis optime

consulant, si non sint in heroas illos, Christo procul-dubio charissimos, censores temerarii. Videamus itaque inprimis unde veteres secundum hunc baptismum collegerint. Inde intelligemus an proba fuerit et solida illa collectio. Inde num et illa quoque solida quæ de eorum inter se commissione prioribus illis principiis datis superstruxerint.

§ 8.—Et quidem recentiores ab antiquioribus illum accepisse manifestum est. Non sunt igitur in hunc nostrum censum recipiendi. Huc retulit martyr noster (*S. Luc.*, xii, 50). De quo, inquit, et Dominus dicebat habere se aliud baptisma baptizari (*Ep.* LXXIII, *ad Jubaian*). Retulit etiam Origenes. Locupletior est in eo probando Tertullianus : « Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet, de quo Dominus, Habeo, inquit, baptismo tingui, cum jam tinctus fuisset. Venerat enim per aquam et sanguinem, sicut Joannes scripsit, ut aqua tingueretur, sanguine glorificaretur. Proinde ut nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit. Quia qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur : qui aqua lavissent, etiam sanguinem potarent. Hic est baptimus qui lavacrum et non acceptum repræsentat, et perditum reddit (*Tertull.*, *de Bapt.*, *c.* 16). » Quod itaque Dominus passionem suam baptismum alium appellaverit; quod venerit in aqua et sanguine; quod cum aqua sanguinem in cruce e vulnere perfossi lateris emiserit : hinc colligunt Domini duplicem fuisse baptismum. Nec tamen Domini proprium fuisse e S. Matth., xx, 22, colligere poterant, in quo loco apostolorum passio baptismi nomine etiam intelligenda est. Videamus ergo rectene hæc atque legitime procedat argumentatio.

§ 9.— Recolendum itaque inprimis quod superius etiam observavimus (1), non dicta modo Domini nostri, sed et facta, quæ quidem *scriptis* habemus hodie mandata, prophetica esse, et in perpetuum Ecclesiæ usum conscripta, ut proinde ex id genus factis non sit futilis, ut putant vulgo, sed solida, argumentatio. Recte itaque concludit Tertullianus ex eo quod Dominus tam per sanguinem, quam per aquam venerit, christianis etiam tam sanguinem, quam aquam, esse proficuum. Recte iterum ex eo quod sanguinem pariter ac aquam e vulnere lateris emiserit, sanguinem quoque illum ex usu fore Ecclesiæ. Ne vero nimia permittatur in hoc genus argumentationibus licentia, observetur imprimis ea quæ hic protulerat Tertullianus Domini exempla non extraordinaria fuisse, sed ordinaria. In ordinariis facile admittent adversarii vitam Domini exemplum esse christianorum. Quod autem per sanguinem pariter ac aquam venerit, id nemo dubitet quin tale sit in quo eum imitari possimus, quod ipsum nos ordinarii voce intelligimus; quod porro etiam cum sanguine aqua e vulnere lateris emanarit,

(1) In Dissert. cui titulus : *De Unitatis principio*, etc., quam nec decuit præsenti adjungere volumini.

A id quoque concedent medici extraordinarium non fuisse si de aqua pericardii sit intelligendum. Observetur porro secundo christianam vitam ita in Novo Testamento describi quasi quod a Christo ad litteram gestum sit, id nos mystice gerere debeamus. Ita cum eo mori debemus, cum eo crucifigi, cum eo ignominiam ferre, cum eo sepeliri, resurgere et ascendere in cœlum. Notetur tertio, hæc de Christi passionibus esse vel primario intelligenda, ut quamquam gesta sint ab eo nonnulla imitationem nostram fortasse superantia; at quæ passus est, nos eadem pati debeamus. Notetur quarto, ita optime de sensu prophetiæ judicari posse si typus propheticus ad rem notam alludat in praxi Ecclesiæ ab eo repræsentatam. Ut enim in propheticis repræsentationibus id certum B est, non sui gratia typum; sed antitypi ab eo repræsentari a Deo esse designatum, ita id quoque certum est non alibi, quam in Ecclesia, illud antitypum esse quærendum. Ut proinde quoties aptum occurrit in Ecclesia antitypum quod typo examussim respondeat, nec de alio quæstio est, an ab eo magis ad vivum exprimatur, ita dubitari non possit quin id ipsum Deus designare voluerit; nec est in hac argumentationis methodo quippiam quod lascivientibus ingeniis permittatur. Est id sane veterum omnibus moribus omnino consentaneum, quicumque sunt in propheticorum symbolorum interpretatione versati. Id cum ob oculos haberent Novi Testamenti scriptores Novi Testamenti universam œconomiam antitypam esse, quæ fuerit in universa itidem Veteris Testa- C menti œconomia adumbrata : proinde cum quid in utraque œconomia simile repererint, id una etiam admittunt, quod alibi nuspiam, ut in id genus similitudinibus a similitudine prototypa ad antitypam solidam agnoscant et legitimam argumentationem. Et quidem ea certitudine certam agnoscebant hujusmodi argumentationem quæ cum ea obscuritate conciliari posset quæ styli symbolici et prophetici fere genuina est, ita saltem certam ut locum interim relinquat libero hominum arbitrio, ita certam ut hominibus cordatis abunde sufficiat ad praxim prudenter instituendam. Ita quibuscumque Veteris Testamenti locis aliquam habemus aquæ mentionem, ea omnia referunt etiam sacri scriptores ad Novi Testamenti aquam baptismalem, et quæ sint in nostro baptismo officia D observanda inde colligunt. Ita et in illo Atheniensium de muris ligneis oraculo Themistocles, cum Atheniensium causa editum perpenderet, inde prudentissime colligebat ex Atheniensium proinde moribus esse intelligendum. Et cum oracula Loxiæ, Delphici nimirum Apollinis, pariter ac Judæorum prophetiæ, non essent ad litteram, sed symbolice, potius exponenda; id porro quærendum duxit, ecquid esset in jam constituta Atheniensium Rep. quod cum muris ligneis aliquid haberet affine (nec enim in muros noviter exstruendos ipsum innuebat oraculum) et vero nihil erat quod in urbe quæ viribus floreret commerciisque maritimis, de quo muri illi aptius possent, quam de navibus intelligi. Nec vero

aliquid opponi in contrarium potest de hujus argumentationis incertitudine, quod non sit omnium fere prophetiarum oraculorumque commune ab ipsis usque utrorumque exordiis.

§ 10. — Hæc itaque omnia validissime procedent, si quinto id quoque supponatur, res ita a propheticis typis repræsentatas ad perpetuum attinuisse Ecclesiæ usum. Quæ enim ita perpetua futura sunt, ea Deo curæ esse certissimum est, ea maxime necessaria ut certo aliquo decreto stabilirentur; ea ad primarium Dei in propheticis symbolis consilium pertinuisse censenda sunt. In his itaque cum quid accuratissime quadrat, non fortuito id casui, sed certissimo Providentiæ consilio tribuendum est. Cum ergo quæ de Domini adventu legimus per aquam et sanguinem, de aqua etiam et sanguine e lateris vulnere profluentibus, pro styli prophetici idiomate, symbolorum vicem obtinuerint; cum ea in utrumque hunc Ecclesiæ baptismum aptissime conveniant; cum nihil sit quod dubitemus quin perpetuus uterque futurus sit: plane sequitur, ita esse Dominum commodissime intelligendum. Præsertim sexto si id quoque observetur, ni huc typos Domini referamus ut prænuntiarent quem ille voluit Ecclesiæ statum atque constitutionem, nihil certe esse quo aliunde constet Ecclesiæ disciplinam ab eo esse constitutam. Nec enim de ea disertis verbis a Domino alicubi cautum legimus. Quid quod hæc per symbola tradendi methodus ita est a Domino probata, ut multitudini omnia, discipulis etiam pleraque per symbola tradiderit; et quidem, pro veterum de se prophetiarum fide, ita erat traditurus. Tunc vero maxime idonea erat ea tradendi ratio cum res futuræ traderentur quibus nondum maturus esset auditorum captus. Cum enim talia traderet Salvator, etiam discipulos per symbola instituit, dedita nimirum opera, ne antea intelligerentur quam eorum fidem eventus comprobasset. Atqui Spiritus baptismus, quæ quidem sacramenti pars erat præcipua, non tamen ante resurrectionem erat communicatus, ut proinde illum quoque non disertis verbis, sed aquæ symbolo, prædiceret (*S. Joan.*, vii, 38, 39). Quod si baptismum Spiritus, qui ad gloriam ejus tantopere faciebat, obscuris tamen ænigmatibus involvendum duxerit, multo certe potiori ratione occultandus erat sanguinis illi atque martyrii quem modum possent omnino capere. Nec enim ad hunc ipsum Dominum eo sanguinis baptismo fungi oportere crediderant, in infidelitatem fere relapsi, cum id verum, præter expectationem suam, revera comperissent (*S. Luc.*, xxiv, 21), gravius omnino passuri scandalum si sibi quoque eumdem subeundum nondum maturi didicissent. Proinde quamvis eorum, quæ sua causa passuri erant discipuli, meminerit aliquoties Dominus, ne cum evenissent, eum latuisse, aut præter illius consilium evenisse, suspicarentur; id tamen caute admodum, et pro infirmorum captu fecit, ne dum ut baptismum sanguinis, qui status erat patiendi, perspicue commemoraret.

§ 11. — Observandum itaque secundo, id quoque negari non posse, passionem suam baptismum appellasse Salvatorem: et quod apostoli pro ejus nomine passuri essent, tantumdem apud illum valere ac baptizari eo baptismo quo esset ipse baptizatus (*S. Matth.*, xx, 22). Ita enim in græco habemus, et in aliis vetustissimis versionibus, desunt tamen ea verba in latino interprete vulgato, suffragantibus etiam Hilario Ambrosio (*Hilar.*, *can.* 30 *in Matth.*), Hieronymo (*Hieron.*, *lib.* iii. *Comm. in Matth.* xx), ipsoque, quicquid innuat in contrarium Grotius, Origene (*Orig.*, *in Matth.*, *tom.* xvi, *p.* 415, *Ed. Huetianæ*). Convenit tamen cum græcis codicibus vetustissimus interpres Syrus, et ut hic expungenda esse fateremur, quin tamen apud S. Marcum legenda sint (*cap.* x, 38, 39), nemo est qui dubitet, ut proinde nihil sit quod de argumento metuamus. Sed aliam hic significationem hujus vocis intelligent adversarii quam qua utimur cum de sacramento loquimur. Ostendant igitur aliam in illius ævi auctoribus quam quæ ad expiationem sanctificationemque pertinet. Eo certe spectabant, qui tum obtinebant baptismi, ut opinor, omnes, non hominum modo quibus in pharisæorum aut Joannis disciplinam adscriberentur, sed et vasorum quoque illi sacrorumque utensilium. Quando igitur notæ significationis vocem Dominus tribuit martyrio, id illum voluisse necesse est, idem fore a martyrio, quod a baptismis illis expectandum, ut nimirum tam sanguine a suis impuritatibus quam aqua, purgarentur atque expiarentur. Quod si dicant nuspiam indicasse Dominum hos esse fructus a martyrio expectandos, iidem observare poterant ne de baptismi quidem sacramento id umquam docuisse Salvatorem. Nulla certe mentio peccatorum expiandorum in ejus apud S. Matthæum institutione, nulla in ejus usu apud S. Joannem. Et tamen hunc baptismi sacramentalis fructum nos alibi ex apostolorum scriptis probavimus. Quod ergo ita docuerint apostoli, id ex nota illa, quam dixi, tunc temporis significatione vocis, et rei ipsius apud illos, a quibus illam Christiani, usu illos deduxisse est sane verisimillimum, nisi ad novam potius apostolorum revelationem hic, sine ulla prorsus necessitate, confugiendum putent adversarii. Quod si apostoli ex nota illa vocis significatione collegerint baptismo sacramentali vim illam peccatorum expiatricem esse tribuendam; quidni et nos, ex ejusdem vocis significatione itidem colligamus, sanguineo quoque baptismo vim eamdem purgatricem esse pariter tribuendam?

§ 12. — Ne quis autem putet unicum nostrum præsidium in vocis ipsa significatione esse positum; age, videamus, annon ex re ipsa constet recte hic a veteribus acceptum esse Salvatorem? Observandum itaque tertio, verisimillimam horum locorum occasionem, in quibus de baptismo sanguinis agi crediderunt veteres, fuisse martyrium. Alium illum baptismum, quo se dixit Dominus fore baptizandum, de passione ejus in cruce intelligendum

esse nemo dubitet. Ea autem ipsa passio, pro more A etiam scriptorum sacrorum, martyrium appellatur. Inde et ipse Dominus μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς (*Apocal.*, I, 5 ; III, 14) dicitur et μαρτυρῆσαι ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου τὴν καλὴν ὁμολογίαν (I *Tim.*, VI, 13). Quæ verba omnia martyrium, pro primævæ Ecclesiæ idiomate, designant. Nequid autem hic ab ecclesiasticis confictum arbitremur, etiam ipsam martyrii vocem significatione ecclesiastica usurpant sacræ litteræ. Ita μάρτυς Stephanus (*Act.*, XXII, 20), et μάρτυς ὁ πιστὸς Antipas (*Apocal.*, II, 13), quæ eadem Domino antea tribuerat, ut vidimus, auctor Apocalypseos, ne quis hic miretur martyris vocem etiam Domino tributam, sensu ecclesiastico, intellectam esse a veteribus. Ita certe alienam non crediderunt a Domino hanc hujus vocis significationem, ut propriam etiam fere B Domino fecerint ipsi martyres nonnulli apud Eusebium (*Euseb.*, *Hist. eccl.*, V, 2). Quod si Domini passio martyrium, eademque sit baptismi quoque nomine insignienda, ecquid novum alienumve dicimus si etiam de martyribus ecclesiasticis idem affirmemus ?

§ 13.—Sed et aliorum locorum occasionem eodem collimare est sane verisimillimum. Cum scriberet apostolus S. Joannes, jam orti videntur hæretici valentinianis quidem antiquiores, eorum tamen parentes atque origines, nec enim prorsus novum erat valentinianorum institutum, sed priorum hæreticorum inventa πρὸς ἴδιον χαρακτῆρα μεθάρμωσε, inquit de Valentino Irenæus (*Iren.*, *lib.* I, *c.* 5) cujusdam veteris opinionis semina natus est, teste C Tertulliano (*Tert.*, *adv. Valent.*, *c.* 4). Ut igitur Jesum a Christo diviserunt valentiniani, ad antiquiorum hæreticorum exemplum Apostolo coævorum, quorum occasione tam est in eo ipso argumento multus in prima sua epistola Apostolus; ita et martyria cum iisdem valentinianis eosdem etiam Apostolo coævos hæreticos sustulisse probabile est. In illam certe sententiam optime quadrabunt Apostoli argumenta, ut ante nos noster observavit Hammondus. Antichristi erant hi hæretici seu, quod apud Apostolum tantumdem valet, pseudo-christi, quod Christi Judæis promissi personam ipsi in se susciperent. Proinde illud innuit Apostolus totius Evangelii sui fuisse consilium, ut crederent Jesum fuisse filium Dei (*Joan.*, XX, 31), (quem nempe titulum Messiæ suo D e Ps. II, 7, illius sæculi Judæi asserebant), non autem illos hæreticorum antesignanos. Quare inter cætera argumenta quibus falsum illum de Christo prætextum refellit Apostolus, illo quoque usus est de veri Christi adventu per aquam et sanguinem. Hic est, inquit (I *Joan.*, V, 6), qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. A signis nimirum veri Messiæ argumentatus est de quibus inter Judæos, vel saltem illius ævi christianos, convenerat, tam ut Jesum nostrum verum Messiam comprobaret, quam ut pseudo-christos illos vel eo ipso baptismi nomine improbaret. Venit, inquit, per aquam et sanguinem. Nempe inter alios Messiæ titulos, quibus illum designatum intellexerant in Scripturis, erat vel præcipuus ille Ἐρχομένου. Ita habemus in S. Luc., VII, 19, 20 et alibi. Illum fortasse e celeberrimo illo loco, Gen., XLIX, 10, vel Ps. L. 3; XCIV, 13; XCVIII, 9, collegerint, aliisve similibus Scripturæ locis quibus Messias venturus dicitur. Quare cum Messias venturus appellaretur, tantumdem valent signa Messiæ ac signa adventus. Ita de vero Messia discipuli ejus; *Quod signum adventus tui?* (*S. Matth.*) et de falso Messia Apostolus: *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute et signis*, etc. (II *Thess.*, II, 9). Venire itaque per aquam et sanguinem idem valet ac per aquam et sanguinem se verum Messiam comprobare.

§ 14.—Nempe qui venturus erat in mundum is idem erat a patre mittendus atque sanctificandus (*S. Joan.*, X, 36). Ea autem sanctificatio qualis intelligeretur, e sanctissimo Judæorum officio, summo nimirum sacerdotio, optime colligemus. In illius itaque sanctificatione tam aquam quam etiam sanguinem locum habuisse constat ; *aquam* equidem *Exod.*, XXIX, 4 ; *Lev.*, VIII, 6 ; *sanguinem* autem *Exod.*, XXIX, 20, 21; *Lev.*, VIII, 23, 24. Ad Messiam enim tamquam mysticum evangelici fœderis sacerdotem, retulit in hac ipsa causa Apostolus Judæi pontificis exemplum, quod ille etiam passione sua esset sanctificandus. Τελειώσεος voce usus est apostolus (*Hebr.*, II, 10, 11; V, 8, 9), mystica nimirum illa, et sacræ mysteriorum præfecturæ propria. Ita tamen Christi hoc sacerdotium cum Judæorum sacerdotio contendit Apostolus, ut, cum in utriusque consecratione sanguinis usum adhibitum probasset, in eo eminuerit Christi sacerdotium quod suo dumtaxat sanguine consecratus fuisset Christus cum externo dumtaxat pecudum sanguine usi essent in sacerdotum suorum consecratione Judæi, *Hebr.*, IX, 25, 26. Idem et alibi sæpius inculcat, cum non taurorum hircorumve, sed vero proprio dumtaxat, sanguine Christum docet initiatum. Ergo cum Judæis in eo convenerat Apostolus, ad quorum principia suam hic aptavit argumentationem, ut pontificem fore Christum a summo nimirum Judæorum pontifice adumbratum, ita qui verus futurus esset Messias, sanguine pariter ac aqua tam ipsum fore lustrandum (vel, ut evangelica voce utamur, baptizandum) quam alios iisdem esse lustrandum. De aquæ baptismo id fuisse receptum constat ex ipsa illa pharisæorum interrogatione qua Joannem, ipse no se pro Messia venditaret, explorandum censuerunt : *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus neque Elias, neque propheta?* (*S. Joan.*, I, 25). Idem de sanguinis baptismo innuunt illa Domini ad discipulos : *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* (*S. Luc.*, XXIV, 25, 26) ? Hoc scilicet ex illis collegit Scripturis quarum sensum postea discipulis explicuit, cum eorum intellectus aperuisset ut Scripturas intelligerent, illis nimirum quæ vel ex illorum sæculorum concessis, vel certis

quibusdam illius sæculi ratiociniis, de Messia intelligendæ erant, quæque futuram commemorarent Messiæ passionem, quales proferunt quamplurimas non Novi modo Testamenti scriptores, sed et sequentium sæculorum patres quorum extant hodie disputationes adversus Judæos, Justinus, Tertullianus, Eusebius, etc.

§ 15. — *Illæ* ergo Scripturæ quæ, pro illius sæculi captu, de Messiæ passione intellectæ sunt, argumenti vicem obtinere poterant apud illos, qui, ut ab orthodoxis discrepabant in eo quod Jesum esse Christum negarint, ita et in eo vicissim a Judæis, quod Christum qualemcumque illum finxissent, venisse tamen crediderint. Ita ergo Jesum Apostolus Christum fuisse confirmavit, quod tam per sanguinem quam per aquam venerit, in eo nempe ponens emphasin atque argumenti vim, quod non in aqua solum venerit, sed in aqua et sanguine, quod nimirum illum de adventu in aqua prætextum nec pseudochristi quidem abjecissent, sanguinem dumtaxat inter adventus sui signa non adhibuissent (cum nec ipsi antichristi patiendi, seu exemplum, seu etiam institutionem, discipulis edidissent), qua ipsa ratione illos probat a Christi esse nomine excludendos, qui utrumque signum adhibere debuerit.

§ 16.— Nec alio referendum existimo quod, in Evangelio, signum illud de aqua et sanguine e lateris vulnere in cruce manantibus tantopere confirmandum crediderit Apostolus, quasi de eo fuisset maximopere dubitatum. *Et qui vidit*, inquit, testimonium perhibuit, et verum est *testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit, ut et vos credatis* (*S. Joan.*, XIX, 35). Ni quæstio fuisset inter æmulos Christi, ea, qua dixi, ratiocinatione terminanda, alia profecto Domini miracula abunde ejus a patre missionem confirmassent. Eorum tamen miraculorum testes nullos protulit, nedum tanta illa, qua hic usus est, asseveratione. Quid quod verba illa, ut et vos, emphasin quamdam habeant eximiam, reliqua nimirum miracula infidelium causa fuisse tam edita, quam scriptis etiam consignata; hoc unum aliis omnino adversariis fuisse destinatum illis nimirum quorum gratia scriptum fuisset Evangelium, antichristorum æmulorum assertoribus. Recte itaque hanc sanguinis pariter ac aquæ e Christi latere emissionem, atque duplicem hunc aquæ sanguinisque baptismum, eodem retulit Tertullianus. Quod enim adversus eosdem adversarios conscripta essent ab Apostolo, inde sane verisimile est eodem esse referenda. Et quia cum aquæ et Spiritus baptismis ita sanguis ab Apostolo (I *Joan.*, v, 8) confertur, ut ipse ternarium cum illis numerum conficiat; plane sequitur baptismi etiam rationem sanguini cum aqua fuisse communem. Quia etiam ex aquæ et sanguinis emissione ita antichristos refutat in Evangelio ut in epistola refutarat per adventum in aqua et sanguine: sequitur præterea, si in epistola per sanguinem baptismus sanguinis intelligendus sit, in emissione etiam illa aquæ et sanguinis, quæ in Evangelio memoratur, aquæ etiam sanguinisque baptismos esse similiter intelligendos. Ita itaque ex locorum occasione in quibus aquæ sanguinisque mentionem retulit hic Tertullianus, et cum Tertulliano vetus illa proculdubio Ecclesia, colligimus, non alium utique sanguinem quam baptismalem esse intelligendum.

§ 17. — At æquivoce, inquies, communis erat baptismi illa ratio aquæ, sanguini atque Spiritui, ut proinde non sit quod ex communi hac baptismi ratione inferamus sanguinei atque aquei baptismi fructus eosdem esse expectandos. Id ne dicatur, observamus præterea quarto in ipso illo initiationis expiationisque ritu, cui peccatorum illam purgationem tribuebant veteres, tam frequentem fuisse apud illos sanguinis quam aquæ, usum. In utraque illa tam Judæorum, quam Gentilium, initiatione sacrificiorum usum intercessisse nemo est quin facile concedat. Nota est apud Judæos etiam rabbinorum illa observatio qua tria dicunt in proselytismo esse observanda, circumcisionem, sacrificium atque baptismum. Et vero sacrificii vicem sustinuisse, ex veterum sententia, martyrium jam probavimus. Porro præter sacrificiorum sanguinem, ne id quidem erat a communi initiationum usu alienum ut suum quoque sanguinem ad sui expiationem adhiberent. Clarum illud est in circumcisione apud Judæos exemplum. Sed et in Bellonæ initiis sanguinem emissum esse discimus ex Tertulliano (*Apologet.*, c. 8) : Hodie, inquit, istic Bellonæ sacratus sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus suis datur signatis. Ejusdem ritus meminerunt et alii. Cum tamen ita scribat in Commodo suo Lampridius, « Bellonæ servientes vere exsecare brachium præcepit, » colligit Casaubonus plerumque ficta et simulata tantum fuisse vulnera Bellonariorum. Eo venerunt fortasse mollioribus suis interpretatiunculis fanatici recentiores. Sed verum fuisse sanguinis emissionem quæ ab antiquioribus introducta est, et verum illam quæ a militibus observata est Bellonæ initiatis, e supradicto Tertulliani loco colligimus atque Vegetii, aliorumque plerorumque qui hujus ritus meminerunt. Et vero vetustissimum fuisse illum lustrationis morem per sanguinis emissionem e quamplurimis constat Scripturæ locis : *Lev.*, XIX, 28 ; *Deut.*, XIV, 1 ; I *Reg.*, XVIII, 28 ; *Jer.*, XVI, 6. Ita nempe Baalitæ, ita Galli (quorum diem sacrum IX kal. april. quem et sanguinis diem appellabant, memorat in D. Claudio Trebellius Pollio, perperam enim ea ad Bellonam retulit Casaubonus, quæ ad magnam matrem ipse retulit Trebellius), ita Isiaci et Luperci flagris sese pectorumve tunsionibus male ad sanguinis missionem usque mulctantes. Eodem scilicet exemplo quo sua quoque cum dæmonibus fœdera Veneficæ etiam sanguine dicuntur hodie sancire.

§ 18.— Neque vero initiorum dumtaxat vicem supplebat baptismus, pacti etiam illam obtinebat. At paciscentium quoque mos erat suo invicem sanguine fœdera sancire. Ita circumcisionem suam intelligebant Judæi. Unde etiam qui pacto mosaico per sanguinem initiatus fuisset, eum, pro receptis Judæor

moribus, דמים חתן appellatum ad *Exod.*, IV, 26, observarunt Medus atque Gregorius, et ante illos in Lexico suo Schindlerus. Idem in gentilium quoque pactis obtinuit, quorum equidem memoriam aliquam hodie retinemus, antiquissimis. De Medis atque Lydis auctor est in Clio Herodotus, ὅρκια δὲ ποιέεται ταῦτα τὰ ἔθνεα τάπερτε Ἕλληνες· καὶ πρὸς τού τοισι ἐπεὰν τοὺς βραχίονας ἐπιτάμωνται, ες τὴν ὁμοχροΐην τὸ αἷμα ἀναλείχουσι ἀλλήλων. De *Scythis* in *Melpomene* : ὅρκια δὲ ποιοῦνται Σκύθαι ὧδε, πρὸς τούς ἂν ποιέωνται· ἐς κύλικα μεγάλην κεραμίνην οἶνον ἐγχέαντες, αἷμα συμμίσγουσι τῶν τὰ ὅρκια ταμνομένων. De iisdem Scythis atque Medis ita Solinus : « Haustu mutui sanguinis fœdus sanciunt, non suo tantum more, sed Medorum quoque usurpata disciplina. » (*Polyhist.*, c. 20.) Et vero aliorum barbarorum, quorum hæc recepta fuerit consuetudo, meminerunt historici etiam recentiores. Quamquam et in illis quoque brutorum sacrificiis idem intellexisse gentiles ostenderunt nostri adversus socinianos, hominum vicem gessisse illas brutorum mactationes similia sibi imprecantium si fidem fefellissent. Ergo ille quoque sacrificiorum sanguis humani tamen erat sanguinis vicarius, eodemque erat loco censendus ac si homo ipse sanguinem proprium oppignorasset. Cumque duplex esset hæc, quam dixi, tam apud Judæos quam gentiles, aquæ atque sanguinis, peccatorum expiandorum gratia, recepta lustratio; major tamen credita est, sanguinis, quam aquæ, efficacia. Leviora enim erant illa quæ aquæ aspersione expianda crederentur. Graviora quæque quæ piacula sive ἄγη habebantur, sanguine purganda erant. Homicidium inter piacula numerabant veteres, quod nimirum ipsi terræ maculam inureret nullo, præterquam sanguinis, lavacro eluendam. Ejus autem, si notus fuisset auctor, proprio ejus sanguine piaculum expiabant; sin latuisset, vaccæ sanguine in loco immolandæ. Neque vero cædes sola, sed et impuritas illa legalis e morticiniis contactu contrahenda vaccæ rufæ cineribus purganda erat. Quinetiam totius populi israelitici peccata in hircum emissarium (*Lev.*, XVI) imprecatione conjecta sunt, ejusdem ut Rabbini volunt, morte luenda. Nec alia Græcorum erat de suis quoque καθάρμασι sententia, ut ex Aristophanis scholiaste discimus (*Arist.*, *schol. in Plut.*). Tamque erat universalis hæc peccatorum per sanguinem purgatio, ut nullam hic exceptionem adhibeat Apostolus : *Sine sanguinis*, inquit, *effusione non fit remissio* (*Hebr.*, IX, 22). Ita consentaneum erat illorum temporum dogmatibus, ut cum utramque tam sanguinis, quam aquæ expiationem pro baptismo haberent, majorem tamen sanguinei baptismi, quam aquei, virtutem agnoscerent.

§ 19. — Et ut sanguini in hoc expiationis negotio, partes concedebant facile primarias; ita humani sanguinis, præ aliis etiam sanguinibus, vim longe maximam agnoverunt. Inde ortum duxit immanis illa, quæ apud veteres invaluit, ἀνθρωποθυσία, quod de delictis hominum expiandis humanus sanguis aptissimus videretur. Cum gravior aliqua immineret ab

A irato numine patriæ calamitas quæ multorum existium epidemicum minaretur, multorum vitæ paucorum erant sanguine redimendæ, sive is sacrificio esset, sive alio aliquo modo hauriendus. Eam ἀνθρωποθυσίας, apud Phœnicas rationem reddidit (*Ap. Euseb.*, *Præp. evang.*, I, 10; IV, 16 : *Porphyr.*, *de Abst.*, II, 56), apud Philonem Byblium, Pseudo Sanchoniathon auctor, ut vulgo creditur, vetustissimus. Eamdem dicunt rationem mythologi cur Phryrus et Helle sacrificio destinarentur, cum terræ sterilitas (ita enim Athamanti persuasit Ino) famem minaretur. Eamdem cur Leonis filiæ, cur Andromeda, cur etiam, apud recentiores Romanos, Curtius et duo Decii se, patriæ servandæ augendæve gratia, exitio devoverint. Exercitus salutem voluit Agamemnon Iphigenia filia sua ;
B voluit et hoste Polyxena, immolanda servare. Multa sunt eodem spectantia exempla quæ plenam fidem faciant quantum in humanis criminibus expiandis humano sanguini tribuerint, quantum etiam aqueis illum lustrationibus prætulerint. Apud Judæos ipsa circumcisio sanguineæ omnino expiationis (sive baptismum cum Domino appellare malis) vicem sustinebat, et quidem humano ipsius initiati sanguine faciendæ. Cum itaque id unum ad baptismi rationem proprie spectet ut in eo peccata expianda sint ; cum etiam, in ea expiationis ratione, exempla habuerit Dominus tam Judæorum, quam gentilium, qui sanguini beneficium illud, pariter ac aquæ tribuissent, qui humano etiam ipsius initiati sanguini, qui majorem quoque efficaciam sanguineæ lustrationi, quam
C vel aqueæ concessissent : Non erat sane consentaneum ut quam expiandi majorem in sanguine quam in aqua virtutem alii apud se fuisse gloriarentur, ea soli christiani destituerentur. Præsertim cum in eo versari, jam diximus, universam fere Novi Testamenti argumentationem, ut quæcumque essent, sive apud Judæos, sive gentiles, privilegia de quibus gloriarentur, ea christianis potiori præstantiorique ratione convenire probarentur. Non erat consentaneum ut, cum in eadem hac causa baptismi vocem adhiberent tam ipse Dominus quam Novi Testamenti scriptores, aliam tamen significationem intelligerent quam expiandi illam omnium notissimam receptissimamque. Non erat consentaneum ut, qui ita sensissent, aliter tamen loquerentur quam martyrem no-
D strum jam locutum observavimus, ut nimirum sanguinei baptismi vim etiam expiatricem aquei baptismi illi longe anteferendam existimarent. Tantum abest ut duram hanc, et a sacramentorum dignitate, et Domini mente alienam censere debeamus loquendi rationem, ut putant illam alienam adversarii.

§ 20. — Ita itaque ostendimus, quam hic omnia apte inter se congrueque, pro illius ætatis dogmatibus cohæreant, si ita Dominum ipsum, ita ejus apostolos, intelligamus. Inde sequitur pro hoc esse potius sensu præjudicandum, vel, si vocem malimus tertullianeam, præscribendum, ni clara occurrant in reipsa argumenta cur sit aliter intelligenda. Atqui

tantum abest ut in reipsa contraria habeamus argumenta, ut nihil magis faciat ad nostræ sententiæ confirmationem quam si rem ipsam penitius examinemus. Animadvertendum itaque quinto ad ipsum baptismi sacramentum pertinere, sanguineum hunc baptismum, et quidem ita pertinere ut partem ejus præcipuam consummet. Hoc ubi probatum dederimus, nemo erit, opinor, quin facile concedat præcipuum baptismi fructum ab eo esse jure meritoque expectandum. Nec alio spectat, ut puto, Apostoli illa comparatio qua aquam, sanguinem et Spiritum in unum ita contulit, ut, quemadmodum Pater, Filius et *Spiritus* sanctus unum sunt, ita aqua, Spiritus et *sanguis sint* in unum, quod nempe unum idemque præstent omnes compleantque officium. De baptismali aqua et Spiritu intelligendum observavimus, ut proinde baptismum illum sacramentalem supplere debeat sanguineus hic baptismus. Idque ipsum observavit ante nos Origenes, ne quis veterum dogmatibus minus consentaneam suspicetur nostram hanc interpretationem. Neque vero pugnat quod sanguineum hunc baptismum secundum appellarint iidem veteres. Ita enim intelligendi sunt, quod, cum renovari denuo non possit sacramentalis ille baptismus, in martyrio tamen ejus beneficia sint de novo, sine ejus tamen ipsius renovatione expectanda, et quod nova fidelium *adultorum* peccata, quæ quidem in aqueo baptismo remissa non essent, hic plene penitusque et pro baptismalis remissionis modo mensuraque remittatur. Quæ cum secunda sit remissio, non erit utique mirum si secundo etiam baptismo tribuenda videatur. Sed, misso Apostoli testimonio, age rem ipsam, ex propria hujus sacramentalis baptismi natura explicemus.

§ 21.—Recolamus itaque inprimis omne hoc baptismi negotium pactum esse quoddam fidelium cum Deo, nec aliunde rectius quam e receptis pactorum moribus explicandum. Esse enim Evangelii καινὴν διαθήκην ab illa scilicet diversam quæ Judæorum fuerat atque legis mosaicæ; esse etiam sub Evangelio non Testamentum modo, sed et pactum, eamque duplicem διαθήκης significationem evangelicis etiam temporibus convenire; esse etiam sub mystico israelitismo eadem omnino pacti beneficia quæ propria olim fuerant israelitismi litteralis, ut nobis Deus summus in proprium ascribatur Deum, nos illi vicissim in proprium ascribamur populum; nec illud modo, sed externam esse hanc nostram cum Deo confœderationem, ita nempe intelligendam, ut externum aliquod intercedat unionis politicæ vinculum tam nobis invicem, quam Deo etiam nobiscum commune, quo nos ipsi profiteamur Deo fœderatos, et ab aliis etiam fœderati agnoscamur, ad eumdem plane modum quo et Israel secundum carnem pro fœderato Dei populo, præ universi orbis gentibus, olim poterat agnosci : hæc, inquam, ita sunt ex Novi Testamenti ratiociniis manifesta, ut mirum sit esse hodie qui de nostra assertione dubitent. Hæc enim si vera agnoscamus : plane sequitur externa ea solemnia qui-

A bus in societatem christianorum politicam ascribimur, ea fœderis esse solemnia. Quis autem illud dubitet baptismi esse proprium officium ut per illum sacris christianorum initiemur, et in propriam ascribamur christianorum societatem? Convenit præterea quod qui confertur in christianorum baptismo Spiritus, is ἀῤῥαβὼν (quæ et arrha est scriptoribus romanis) in Novo Testamento appelletur. Erat enim in jure romano arrha pactorum propria, præcipue nuptialium. Nempe mysticam cum Ecclesia unitatem matrimoniali unitati respondere v ad Eph. innuit Apostolus. Propria porro arrha est illius temporis quo primo fœdus inimus. Inde sequitur ut de alia Spiritus collatione, præterquam baptismali, nequeat intelligi. Conveniunt denique et baptismi illæ in Ec-

B clesia primæva formæ, Credis? Credo, Abrenuntias? Abrenuntio. Sunt enim et illæ ad romanorum pactorum formas expressæ, rursus præcipue nuptialium, Das? Do; Spondes? Spondeo. Unde illud saltem necessario colligitur, pro pacto baptismum primævos saltem habuisse christianos.

§ 22. — Hinc sequitur secundo ut in aliis pactis, ita et in nostro pacto quoque baptismali, duo esse a se invicem distinguenda diversarum partium officia, Dei alia, alia nostra. Ad Deum spectant promissiones quibus cavetur de præstandis baptismi beneficiis, tam illæ quæ de præsenti præstandæ sunt, peccatorum omnium expiatio, Spiritus sancti donatio, mystica cum Christo unio, saltem externa, etc., quam quæ de futuris adhibentur officii nostri præmiis. Ad nos spectant quæ a nobis vicissim sponden-

C tur pro nostra pacti baptismalis parte præstanda. Quamquam enim promissiones fateamur extra pacta factas, sine alterius partis obligatione satis commode intelligi posse; at quæ alteram pacti partem constituunt, illæ mutua omnino utriusque partis exigunt officia. Ipsa hoc pacti ratio necessario supponit. Datæ enim fortasse, non certe pactæ, illæ promissiones dicerentur quæ nulla supponerent officia sibi ex adversa parte respondentia.

§ 23.—Sequitur tertio jus illud legale omne, quod pacti beneficio obtinemus, ad Dei promissiones, ex officii nostri præstatione esse deducendum. Est enim illud omnium pactorum commune ut quæ habentur in illis promissiones eæ conditionatæ intelligantur, nec antea debitæ quam præstitæ fuerint, ex altera

D parte, promissionum conditiones. Sed in id genus pactis quæ, ex altera parte, sola includunt beneficia aliis præstanda, nulla vicissim ab aliis recipienda, qualia sint pacta necesse est quæ Deo sunt hominibusque communia, nemo est quin æquum fateatur nullum esse posse jus ad beneficia, ni præcesserint conditiones ex altera parte præstandæ. Nos tamen de jure legali impræsentiarum agimus, non de sola æquitate. Et ut æquitas aliqua fortasse esse possit, ut qui conditionem implere voluerit, conditionis beneficium nonnumquam impetret, licet illam de facto nondum impleverit, cum nulla sua culpa a conditione etiam de facto præstanda impeditur; at legali saltem jure

carere qui conditionem de facto non præstiterit, A quocumque tandem rerum eventu fuerit impeditus, est omnino certissimum. In illis præsertim pactis adhuc validius procedit argumentum quorum conditiones non sunt conditiones dumtaxat ad arbitrium imponentis requisitæ, sed etiam dispositiones ex parte subjecti necessariæ. Cum itaque nullum hujus pacti redundet in Deum beneficium, sequitur quæcumque Deus a nobis postulat, ea nostri esse causa necessaria, ut proinde ni postulata præstemus, ipsis promissionem beneficiis obtinendis inepti reddamur atque indispositi.

§ 24.—Quarto itaque ut intelligamus quæ nobis incumbant in hoc baptismali pacto conditiones a nobis pro nostra pacti parte præstandæ, attendendum est quæ symbola sint a nobis in ipsis pacti solemnibus B adhibenda, et quid illa symbola, ex ipso Dei instituto significant, et pro legibus significationis symbolicæ quæ illa saltem ætate vigebant. Quæ enim symbola in pacti solemnibus usurpantur ea non significandi dumtaxat; sed obligandi etiam gratia instituta sunt. Ut enim sacramenta omnia, sive mysteria, pro sacris hominum cum Deo pactis intelligenda sunt, ita et id sacri omnis commercii genuinum est ut symbolice potius quam ad litteram, intelligenda sint, nec ita verbis, quam rebus, rerum tamen aliarum symbolis, officia illa repræsententur quæ partium inter se transigentium habentur obligatoria. Quæ itaque symbolis baptismalibus significantur ea nos spondere a nobis deinde præstanda virtute pacti baptismalis existimamur, ea a nobis præstita jus inde nobis faciunt ut promissa C divina ejusdem pacti evangelici virtute vindicemus.

§ 25. — Quinto in symbolis baptismi nostri sacramentalis solemnibus, non aquæ solius baptismus denotatur, sed etiam ille sanguinis, verum ita denotetur ut uno eodemque symbolo, uno eodemque denotetur elemento, ut proinde ad unum, ut diximus, eumdemque baptismum pertinere intelligantur. Ut enim, cum aqua adhibetur, peccatorum desertionem pollicemur, futuramque vitæ sanctimoniam quæ externo aquæ symbolo satis apte repræsentatur: ita cum in aquam descendimus et vicissim ex eadem emergimus, Christi mortem, sepulturam resurrectionemque repræsentamus, nosque etiam spondemus horum omnium participes, paratos nimirum ut quæcumque ille nobis immiserit, ea nos, illius causa ad mortem usque D toleraturos. Eodem symbolo, qua Christum respicit, intelligimus Christum sibi passiones nostras imputaturum, et quam mercedem ipse a Patre, pro suo cum Patre fœdere vindicat, eadem nostras quoque passiones esse remuneraturum. Ita constabit quo jure sibi baptismi nomen vindicent nostræ passiones, cum ad ipsam baptismi sacramentalis rationem spectent consummandam. Constabit etiam quo porro jure ejusdem sibi vindicent baptismi beneficia, cum illis etiam symbolis repræsententur quæ a Deo instituta sunt, et quæ hoc ipso consilio instituta sunt ut passiones nostras repræsentent atque spondeant, et quæ Dei etiam nobiscum paciscentis sunt quoque symbola sponsoria, ipsum præterea, pro mutuo pacti jure, ad præstanda ea quæ symbolis repræsentantur obligantia, se quoque nostras passiones pro suis agniturum, et suo merito, sua mercede compensaturum.

§ 26. — Et vero accuratissime, pro Domini nostri mente atque principiis conceptam hanc omnem fuisse argumentationem facile constabit si diversa diversarum Scripturarum asserta in unum colligamus quasi fasciculum. Repræsentari inprimis nostram in baptismo cum Christo passionem atque mortem, nec repræsentari modo, verum etiam ita repræsentari, ut cum Christi passione nostras uniat quodammodo et communes utriusque faciat, sexto ad Romanos capite satis aperte docet Apostolus. Unam esse nostram Christique passionem ex illis ejus verbis constat: *Mortui sumus cum Christo,* v. 8; *Vetus homo noster simul crucifixus est,* v. 6. *Consepulti sumus cum eo,* v. 4. Et quidem repræsentatione quadam ad vivum totam hanc transigi unionem illa innunt: *Complantati facti sumus similitudini mortis ejus,* v. 5. Nec alio quam baptismi officio: *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem,* v. 3, 4. Neque vero unio sola et mera hæc habenda est, et quæ tota in hominum imaginatione atque æstimatione constituta est. Eam diximus symboli sponsorii esse naturam ut una inferat legalem quamdam obligationem qua partes inter se paciscentes præstare id tenentur quod symbolis repræsentarint. Inde fit ut, quod sola similitudine fieri non potuit, nobis tamen ex hac ipsa repræsentatione jus quoddam ad rem ipsam proveniat, quo unionem ipsam internam et mysticam vindicare possumus, ejusque beneficia. Eo ipso principio nituntur id genus ratiocinia: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus; simul et resurrectionis erimus* v. 5; *si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo,* v. 6. Nec enim de alia morte hic agi quam typica hac atque symbolica in baptismo repræsentata jam ostendimus. Ea morte symbolica constabat jam defunctos esse apud quos ita argumentatur Apostolus qui mortis nimirum symbolis in baptismo usi fuerant. Inde tamquam e principio notorio legitima procedebat argumentatio si et illud subintelligamus symbola inter paciscendum usurpata esse etiam et ipsa sponsoria. Nec alia, ut existimo, hypothesi illud nititur etiam ejusdem Apostoli, alio tamen in loco ratiocinium: *Igitur, si consurrexistis,* inquit, *cum Christo, quæ sursum sunt quærite,* etc. (*Col.* III, 1). *Mortificate ergo membra vestra,* etc. (v. 5). Quod illos jam supponat consurrexisse, ad illud referri non potest quam ad emersionem illam ex aqua baptismali quæ resurrectionis erat symbolum, ut nimirum forensi pactorum idiomate tunc resurrexisse existimarentur cum usurparent resurrectionis symbolum. Inde recte colligit Colossensium officia, ea modo supponantur quæ jam ostendimus necessario esse supponenda. Cum enim mortis illo symbolo, immersione nimirum, sponderent se mem-

brorum suorum mortificationem curaturos; et resurrectionis symbolo id quoque spopondissent, ad novam se cœlestemque vitam esse resurrecturos: inde nemo non videt quam ille solide prudenterque argumentetur, cum e pacto promissoque illos hortatur ne officio deessent, fidemve fallerent. Infirmæ autem admodum et jejunæ forent id genus sequelæ si ex inani mortis resurrectionisque symbolo ad mysticam illos mortem resurrectionemque hortaretur.

§ 27.—Ita nimirum constat de facto, ex ipsa aquei baptismi institutione baptismum sanguinis excludi non posse, nec etiam e pacti baptismalis beneficio. Si *porro facti* rationem quærimus, ea est, ni fallor, altius e duobus præsertim principiis deducenda: quod scilicet Christi mors ea sit beatæ resurrectionis mercede coronanda; quod etiam illud sit in præcipuis baptismi beneficiis numerandum ut nimirum baptismi virtute illud consequamur ut nostra quoque mors sit Christo imputanda. Quod Christo, eo ipso mortis nomine, ea deberetur, quam dixi, resurrectionis merces, e Veteri quoque Testamento jam superius ostendimus. Ex illo nimirum antiquiori pacto quo de toto redemptionis negotio incarnationisque cum Patre transegit. Quod enim Christi resurrectio, non tam propriæ ejus et nativæ Deitati, quam Patri tribuitur; quod etiam Pater non Patris tamen in hac causa personam egerit, sed judicis; nec suæ in filium στοργῆς rationem habuerit, sed Christi potius in passione meriti: quod etiam Christus non pro sua hic æqualitate cum Patre, sed plane quasi subditus, sit considerandus, et obedientiæ merito præmium exaltationis a Patre reputarit; plane, inquam, hæc omnia arguunt non suam hic, sed vero alienam, et quidem a sua longe diversissimam a Christo susceptam esse personam. Et vero ipsa personæ, quam sustinuit, ratio pactum aliquod omnino postulat, et mutuum cum Patre consensum. Nec enim Christi nomine una aliqua, ut scholæ loquuntur, individua persona intelligitur, sed politica et publica quæ suo ambitu omnes omnium sæculorum locorumque omnium fideles complectatur. His enim omnibus convenire intelliguntur hujus beneficia. Poterant fortasse Christi merita præmium aliquod ex æquitatis jure sibi impetrare. Quod vero non ex æquo dumtaxat, sed pro justitiæ debito illud vindicent; quod non sibi modo, sed suis omnibus illud a Patre debeatur, sine pacto prorsus intelligi non potest quo Pater etiam personæ politicæ illam constitutionem acceptaret. Erat enim hoc antecedenter ad pactum ita arbitrarium, ut nulla Patrem, ni ita convenisset, vel æquitas obligaret, ut pro Christi meritis mercedem fidelibus persolveret, cum præsertim et ipsi Christo, in propria etiam persona persolvisset. Et quidem admodum consentaneum erat platonicis illius ævi dogmatibus, ut huic αἰωνίῳ Evangelii διαθήκῃ, quæ tamen erat terrestris, alia etiam responderet προαιώνιος in cœlis cujus virtuti sit etiam tribuenda terrestris διαθήκης efficacia. Ita probatum dedimus hoc pactum, quod licet asserant etiam recentiores, neutiquam tamen probant, nec

A probare umquam poterunt qui nullam nisi ex disertis Scripturarum testimoniis probationem admittunt.

§ 28.—Huic itaque cœlesti pacto duo illa tribuenda erant: primo ut jure etiam legali Christo præmium pro suis meritis deberetur; secundo etiam ut fideles universi unam in lege cum Christo personam constituerent. Nec enim de utrovis horum quicquam in terrestri pacto cautum legimus. Nondum tamen ad singulos homines descendit hoc pactum, ut intelligi possit quinam ad hanc politicam Christi personam homines pertineant ut sibi possint illius cœlestis pacti beneficia vindicare. Proinde præter hoc Patris cum Christo cœleste pactum; aliud præterea necessarium erat, Christi cum hominibus, et quidem pro captu humano externum, externisque symbolis celebran-

B dum, ut constet quinam illi sint qui a Christo pro suis agnoscantur. Hoc autem pactum ut ad sacramenta spectat in genere, ita propius et præcipue ad baptismum quod unicum initiationis sacramentum omnes agnoscunt. Illud enim proprie pactum appellamus quo jus pacti ejusdemque beneficia primum consequimur, non quo consecuti jus idem augemus atque consummamus. Qua itaque ratione ad baptismi consummationem ostendimus pertinere martyrium, eadem et ad pactum evangelicum pactique beneficia pertinere censebitur, ne quis nominis solius, non item rei per nomen significatæ, hanc baptismi cum martyrio communicationem interpretetur.

§ 29.—Observandum enim sexto, non ea tantum generali ratione adumbrari in baptismo martyrium,

C qua et reliqua omnia baptizati officia adumbrantur; sed quod ipsum aquei baptismi symbolum ita nostrum, quem diximus, sanguineum baptismum repræsentet, ut plane nulla sit aquei baptismi efficacia, nisi ad sanguineum baptismum referatur. Qua enim immersio in aquam vitæ animalis mortificationem, denotat, qua emersio ex eadem novæ etiam spiritualisque vitæ sponsionem, ea, qua dixi, sponsarii symboli significatione repræsentat; fateor nullum esse christianæ vitæ officium quin ad horum alterutrum referatur, cum κάθαρσιν omnia aut τελείωσιν spectent, ut loquamur cum pythagoræis, hæc ad novam mysticamque vitam, ad novam illa mysticamque mortem, similiter referenda. Nec tamen propterea novi baptismi beneficia quibuslibet vitæ christianæ officiis,

D sed ne omnibus quidem simul collectis, asserimus. Cum enim illud dixerimus præcipuum baptismi fuisse consilium ut Christi morientis resurgentisque imaginem ad vivum repræsentemus, inde etiam beneficii baptismalis spem omnem ab ea ipsa repræsentatione arcessamus; sequitur proinde ut qua vita atque morte Christum accuratissime exprimimus, in illis primarium baptismi consilium constituendum sit, ab iisdem baptismi etiam beneficia sint præcipue expectanda. Atqui corporeæ erant illæ Christi tam mors quam resurrectio, quibus nos profitemur in baptismo conformes, et quarum nos ibidem portemus imagines, ut in corporeæ resurrectionis causa (I *Cor.*, XV) loquitur etiam Apostolus. Mystica enim resurrectio si

sola in baptismo sponderetur, tota illa Apostoli argumentatio concideret. Est quidem verisimillimum inde ortum esse resurrectionem negantium errorem quod resurrectionem illam baptismi symbolicam de solius animæ mystica resurrectione, non item corporis intelligerent. Cum autem ex universa illa apostoli disputatione manifestum sit, illud fuisse præcipuum baptismi consilium ut, de quo præcipue illius ætatis fides vacillaret, de eo interponerentur promissiones in pacto baptismali omnium certissimæ; plane sequitur Christi resurrectionem, non aliam quam corpoream in baptismo exhiberi, cui et nostra respondeat resurrectio præcipue corporea. Quod vero ad mortem resurrectionemque mysticas attinet, tantum abest ut per illas possimus Christi φορεῖν εἰκόνα, ut ne vere quidem Christus eo sensu sit umquam mortuus aut resurrexerit. Mori ille peccato non potuit qui nunquam ei vixerat. Mortificare carnem non opus habuit qui nullam umquam sensit carnis rebellionem. Nec resurrexit ille ad novam spiritualemque vitam qui præterquam spiritualem vitam aliam nullam unquam duxerat. Mystica ergo mors atque resurrectio secundarias fuisse oportet, non primariæ in baptismo repræsentationis, quatenus et illæ, quamquam nullam cum Christo conformitatem ipsæ denotent, disponant saltem ad illam animarum nostrarum cum Christo conformitatem, quam et ipsam Christo fateor esse gratissimam.

§ 30. — Cum itaque mortis hæc resurrectionisque in baptismo repræsentatio ad corpora nostra primo referenda esse probaverimus : sequitur primarium baptismi consilium esse ut corpora nostra Christo devoveamus, nosque promptos spondeamus paratosque ut Christi causa mortem oppetamus, corporum videlicet. Inde reliquorum baptismi beneficiorum spem concipimus accipimusque omnium certissimam. Imprimis de beata resurrectione corporis nimirum illa, quæ corporis passionibus accuratissime respondet. Quæque ut præcipua erat plerisque ratio christianitatis, ea præsertim ætate, recipiendæ, ita creditu erat omnium difficillima, ut proinde consentaneum esset eam commendari argumentis omnino certissimis. Tum et mysticam quoque illam mortem resurrectionemque pollicemur, quæ secundaria immersionis nostræ emersionisque in baptismo significatione denotantur : et quatenus hæc eadem symbola pro Christi etiam parte adhibentur, is una spondet ne suam quidem operam nobis defuturam. Ita constat martyrium in primaria baptismi significatione contineri. Constat deinde ita a nobis interpositam hanc martyrii sponsionem, ut sit conditio ex nostra parte præstanda unde pendeant reliqua baptismi beneficia. Ita sequitur ex pacti hujus jure, martyrio saltem in voto deberi omnia baptismi beneficia. Sequitur ita ad baptismi consummationem spectare martyrium ut martyrium de facto præstitum spectat ad consummationem martyrii dumtaxat in voto.

§ 31.—Ne vero nimius videar in captandis baptismalis pacti minutiis, colligo septimo non modo ex illius pacti lege, sed vero ex ejusdem etiam æquitate, vindicari posse in sanguineo baptismo omnia beneficia a Christo pro sua pacti baptismalis parte præstanda, ne quid superesse videatur, cur dubitemus rectene hæc et pro Christi mente veteres collegerint. Cum enim jam ostenderimus conditionem a nobis præstandam, qua jus illud consequamur ad promissa Christi beneficia, hanc ipsam esse corporis nostri pro Christo devotionem; quod nihilominus recens baptizatis incruenta morte sublatis concedat tamen Christus baptismi beneficia, ratio non est quod conditionem illam præstiterint cui debentur ex pacti æquitate ejusdem beneficia, sed quod prima pacti beneficia gratis concedantur et sine ulla prorsus conditione, præsertim illis qui nondum actuali obligationi aut conditioni de facto præstandæ obnoxii essent, propter incapacitatem subjecti. Adultorum alia est omnino ratio. Quam enim conditionem nondum præstare possunt, eam velle saltem poterant, ut facti loco apud Deum habeatur illud ipsum votum. Sunt autem inter se admodum diversæ illæ æquitatis rationes qua quis excusatur a præstanda pacti conditione, et qua quis eamdem legis conditionem censetur implevisse, si minus ad litteram legis, at pro legislatoris sententia, si æquus modo adhibeatur legis interpres. Ita igitur martyrium in voto cum sit pro legis littera reipsa aliud, idem tamen censebitur cum martyrio de facto pro interpretationis æquitate. Ita fiet ut omnia baptismi beneficia soli debeantur martyrio, saltem in voto. Quod si etiam in baptizatis non martyribus, soli tamen martyrio in voto debeatur jus illud omne quod consecuti in baptismo sunt ad baptismi beneficia; quis est qui non videat potiori ratione tribuendum esse martyrio actuali? Est enim hæc legis ipsa conditio, non autem aliud quid quod æquo egeat legis interprete ut pro ipsa conditione censeatur. Quamquam igitur nusquam aliunde constaret, disertis evangelicæ legis verbis martyrio deberi baptismi beneficia; id tamen facile ex ipsa ejusdem ratiocinii sequela colligeremus.

§ 32.—Est enim ea in omni, humana quoque, legumlatione probata argumentatio qua legum casibus omissis e ratiocinii paritate prospicimus. Illis nempe canonibus generalibus oriunda, quod causis omnibus consultum cuperent legumlatores; quod rationem ubique ducem sequi vellent; quod denique quam rationem in una causa probassent, camdem essent et in aliis similiter probaturi. Inde contingit ut quæ ita constituta fuerint, non pro prudentium modo consiliis habeantur, sed legum etiam vim obtineant. Inde sequitur, si vel pro legum humanarum exemplo divina etiam legislatio esset instituenda, rationis paritatem pro divina esse lege intelligendam. Atqui major certe est ratio cur valere in divina legislatione debeat hæc argumentatio quam in humana. Falluntur enim in suis ratiociniis humani etiam legislatores, nec sequelas omnes prævident, etiam legitimas; ut proinde etiam cum recte argumentamur ex eorum principiis, adhuc tamen dubitare liceat essentne

tamen illi nostras sequelas probaturi. Deus tamen nec in principiis hallucinari, nec in sequelis, potest. Ita certum erit quam rationem in una causa probarit, in aliis etiam esse agniturum. Certum erit, si martyrii causa tanta beneficia in baptismo concedat, ipsi martyrio longe potiori ratione concessurum. Certum si martyrii vel votum tanta tamen et tam copiosa mercede compenset, nihil esse quod metuamus soluto voto eamdem mercedem esse negaturum. Certum denique proinde, si plenam numerisque suis omnibus absolutam peccatorum remissionem consequantur baptizati, fore omnino ut eamdem consequantur martyres.

§ 33.—Addo enim octavo non ita esse intelligendum hoc commune baptismi jus atque martyrii, ut in baptismo remittantur peccata virtute quidem illius in voto martyrii quod profitemur in baptismo, sola tamen illa quæ baptismum præcesserint, non item ea quæ inter baptismum admissa fuerint atque martyrium. Aliter veteres hoc etiam ipso paria facere censuerunt cum baptismo martyrium, quod ut in baptismo peccata omnia remittuntur, ipsum nempe baptismum præcedentia, non originale duntaxat, verumetiam actualia, idem sit de martyrio quoque sentiendum, delere scilicet universæ vitæ flagitia, nihil ut præterea supersit expiandum. Recte quidem illi e principiis modo explicatis. Si enim propter illud martyrii votum concedatur peccatorum præteritorum plena indulgentia; parem utique indulgentiam potius, ut dixi, expectabimus, eodem voto jam soluto. At par illa indulgentia esse nequit si quocumque tandem tempore susceptus baptismus peccata tamen præterita universa deleat, nec tamen alia in martyrio deleantur quam quæ baptismum præcesserint, tanto utique intervallo a se dissitum, cui et intervallo peccatorum nondum remissorum copia necessario responderit. Pro pacti certe æquitate, quo magis conditiones præstamus pro nostra pacti parte præstandas, eo consequitur accrescitque nobis jus ad mercedem a Deo præstandam validius; eo et vicissim major erit ipsius Dei ad mercedem, quam pollicitus est, præstandam, obligatio; eo etiam favorem Dei possumus, pro pacti ratione, ampliorem nobis vendicare. Quin et, missa pacti consideratione, favorem saltem, quem dixi, Dei illum tanto majori cum fiducia possumus expectare, quanto nostram versus Deum benevolentiam luculentius testatum facimus. Qui autem sanguinem suum pro Deo profuderit, hunc nemo dubitet longe certe testatiorem fecisse suam versus Deum benevolentiam, quam qui prompto fuerit duntaxat expeditoque ad profundendum animo. Et cum gratiæ speciali tribuamus si quis pro facto voluntatem fuerit interpretatus, signum est profecto factum ipsum ad justitiæ rationem propius accedere, longe certe adhuc propius siquando pacti etiam consideratio intercesserit. Est itaque naturæ pacti, est et rectæ rationi, prorsus consentaneum, ut quam peccatorum indulgentiam plenariam baptismo concedimus, eam nec martyrio negandam existimemus.

§ 34.—Quid quod illud etiam, pro receptis pactorum moribus, omnes æquum agnoscant, ut siquando stipulatione primum interposita nonnullæ præmii primitiæ stipulatori in manus tradantur; at certe fidem stipulationis liberatam, præstitamque pacti conditionem maneat præmii plenitudo, eo copiosior quo et illæ fuerint ampliores. Arrham tradunt in manus pacta nuptialia, at nondum dotem nisi consummato matrimonio. Idem et in aliis quæ ad bona passionesque spectant pactis solet obtinere. Verum hoc in illis præcipue pactis elucet quæ nondum adultorum nomine stipulantur tutores. Inchoato quodam jure vestit ipsa illa inchoata stipulatio. Donec tamen adulti fuerint, et ad annos conditionum præstandarum capaces provecti, pactumque suo quoque proprio nomine consummandum, nondum pleno jure atque consummato quæ jam consecuti sunt possidere censentur, nedum ut jus habeant tam firmum ad futura pacti præmia. Quorsum illud ni majori in pretio haberentur conditiones jam præstitæ, quam susceptæ duntaxat et fide quantumcumque firma præstandæ? Ita igitur consummati in martyrio baptismi pleniorem fore quam inchoati indulgentiam consentaneum est. Ut proinde, si peccata præterita eluantur in baptismo aqueo, nihil sit cur dubitemus fore etiam eluenda in baptismo sanguineo.

§ 35.—Quod enim spatio temporis interposito baptismum aqueum sequatur sanguineus, non est utique quod a baptismi natura alienum censeamus. Distinxit, ut vidimus, Apostolus tres baptismi partes, aquam, Spiritum et sanguinem. Nec tamen qui baptismo aqueo lustrarentur, semper tamen uno eodemque tempore spiritum etiam accipiebant baptismalem, ut alibi probavimus. Apostoli aqueo baptismo, superstite adhuc Domino perfusi sunt, cum tamen Spiritum nemo, nisi post ejusdem resurrectionem acciperet. Samaritanos aqua expiavit Philippus diaconus; Spiritum nemo poterat iisdem conferre præter apostolos. Quid igitur, aquæne soli tribuemus vim illam peccatorum præteritorum expiatricem? Ita fieret ut nova opus esset expiatione peccatorum aqueum baptismum consecutorum. Sicut enim in gentilium mysteriis elementa καθαρτικὰ viam τελειώσει parare credebantur, nequid superesset impurum cum sanctiora commercia ambirent; ita Spiritui proculdubio inserviebat aquea illa lustratio nequa vasis impuritas obstaret quo minus posset pro dignitate sua recipi. Prorsus itaque alienum erat ab ejus sanctitate ut quis illum impurus acciperet. Proinde necessarium erat ut ipse Spiritus vicem aquæ suppleret pro peccatorum expiatione baptismo aqueo recentiorum. Quod si Spiritui vim illam concedamus, non erit utique cur a sanguine alienum censeamus. Pro pacti ratione a sanguine potius expectanda erat, quod ille ad officium nostrum dispositionemque spectat quorum major haberi solet in pactorum jure ratio quam donorum Dei gratuitorum. Favet porro

quod pro illius ævi dogmatibus platonicis (e quibus omnis hæc theologia symbolica omnino explicanda est) cum a prototypis omnis illa symbolorum sive antityporum virtus deducenda crederetur; ita tamen symbolorum efficaciam explicabant, ut quidem ipsa per se nihil ad effectum conferrent, indicarent duntaxat cui prototyporum illa nativa virtus esset applicanda, ita ut ab ipsis prototypis omnis illa virtus, seu naturalis illa esset, seu juris etiam legalis, esset expectanda. Et cum æqua esse debeat paciscentium conditio qua juris illo conjunguntur inter se commercio; congruum profecto est ut quam vim symbolis divinis pro Dei obligatione concedimus, eamdem nostris pro nostra obligatione vicissim concedamus; et quo pacti jure Deus delinquentes afficit supplicio, eodem jure teneatur ad mercedem illis, qui conditionem præstiterint, retribuendam. Si itaque martyrii vel professio, martyrii absentis virtute remissionem peccatorum præstet, eamdem certe necessario oportet, ipsum, quando adest, præstare martyrium. Convenitque accuratissime, quod superius huc retulimus, cum stolas suas martyres in Agni sanguine lavisse narrantur. Nec enim id de baptismi lavacro ita commode poterat intelligi, quod omnium fidelium commune fuerat, sed de lavacro patientium proprio; nec de illorum duntaxat peccatorum expiatione quæ tantam illam tribulationem antecesserant, in baptismo scilicet aqueo expiata, sed illorum quoque quæ in ipsa illa tribulatione essent expianda.

§ 36.—Neque vero erit quod miremur tantam veteres baptismo martyrum sanguineo vim assignasse, si C et illud recolamus nono martyrum illum sanguinem Christo ipsi a veteribus fuisse attributum : et quidem ita Christo ut ne martyrum fuisse crederetur, nec in martyrum propria duntaxat commoda cessisse, sed vero in Ecclesiæ potius universæ. Hæc e veterum sententia alibi probavimus, et illud pariter ostendimus quam non essent a Scripturis sacrorumque Scriptorum principiis abhorrentia. Hæc itaque si concedantur, jam intelligemus quam solide illi prudenterque omnem hanc baptismi sanguinei efficaciam e Scriptura collegerint. Christi enim sanguini nemo dubitat convenire hanc peccatorum expiationem. Christi autem nomen pro universo Christi corpore mystico sæpissime intelligitur. Quidni igitur vim illam peccatorum purgatricem Christo ita intellecto asseramus? Nihil est profecto, cur quoties Christi sanguinem peccata nostra lavare atque purgare tradunt sacræ Litteræ, de personali ejus sanguine illas duntaxat intelligamus. Et vero nominis ratio suadet potius ut sit virtus hæc Christo cum ejusdem mystico corpore, communis. Quod enim nomen suum nobiscum communicet, id illo nempe consilio fecit ut et jura nomini respondentia intelligantur esse communia. Ut in matrimoniali unitate (quam hic adhibet Apostolus ad Christi mysticam cum Ecclesia unitatem explicandam) commune viro atque fœminæ nomen communia etiam utriusque in lege jura facit. Ita et cum martyrum sanguis pro Christi sanguine

A habetur, consentaneum est id idcirco fieri ut et jura utriusque sanguinis fiant invicem communia. Nihil autem est quod dubitemus quodvis Christi symbolum a vero tamen ejusdem atque originali sanguine superari. Eodem tamen rediturum diximus seu martyrum sanguinem pro suo Christus agnoverit; seu per mysticam utriusque sanguinis unionem proprii etiam sanguinis virtutem per martyrium applicuerit. Illa certe ipsa vel applicatio tanto efficacior esse debuit quo Christi sanguinem propius attingit, magisque viva repræsentatione exhibet.

§ 37.—Estque adhuc eo magis consentaneum recte veteres, et pro causæ æquitate hic esse argumentatos, Quod 10° non quibuslibet fidelium seu passionibus, seu mortibus tantam virtutem assignarint, sed illis B duntaxat quibus ad Christi mortis exemplum propius accessissent, cum nempe publica Ecclesiæ fratrumque causa sese obtulissent. Est quidem sanctorum omnium in conspectu Domini mors quælibet pretiosa. Est et adhuc pretiosior innocentium, eorum scilicet quos vis oppressit iniquorum hominum. Sed et illam Deo charam esse nihil est quod dubitemus qua occumbunt ii quibus officia sua quælibet vita sunt ipsa chariora, qui mortem præ peccato eligunt. Estque etiam hæc ipsa mors baptismali officio affinis, ne ab illius præmiis privilegiisque, putetur prorsus aliena. Nec illa procul-dubio Deo ingrata mors, quam tantis ethnici efferunt præconiis, qua quis patriæ vitam suam impendit, multorumque mortes una morte redimit, nec illa etiam a Christi exemplo aliena. Longe tamen omnium proxime ad Christi illud illustrissimum accedit exemplum, si et animarum causa quis, et communi quidem illa multorum, vel etiam omnium ubicumque fidelium, mortem oppetat; Si quis pro communi fide, pro communi fidelium corpore, pro communi unitate unitatisque communi vinculo, ut corpus Christi mysticum in sua integritate conservet, et nova insuper resipiscentium accessione locupletet. Hoc est ferri τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων, hoc est Christi, et quidem patientis, εἰκόνα portare; hoc est supplere quæ deerant Christi pro Ecclesia passionibus; hoc cum eo mori, crucifigi, sepeliri, cum et eadem patimur, et eadem etiam de causa, cum et passionem et passionis causam habemus cum Christo communem. Plane innuunt hæc omnia esse mysticam quamdam, in hac ipsa passio-D num causa communem nobis cum Christo unitatem, ut proinde ad unam utræque eamdemque passionum collectionem pertinere censeantur. In his autem de unitate mystica ratiociniis id genus canones, et quidem universales illos, agnoscit Apostolus : *Quod capiti convenit, id et membris esse commune; quod primitiis, id et massæ universæ*. Ni universales fuissent illi, quos diximus, canones, omnino subjungere debuit Apostolus cur in illa potius quam in alia qualibet causa essent agnoscendi. Argumentantis enim personam hic sustinuit Apostolus, non autem illius qui pro sua duntaxat auctoritate dictaret. Ita igitur quæ peccatorum expiatio capiti, eadem et membris; quæ hujus sanguinis primitiis, eadem et massæ con-

veniet. Ita scilicet nos incitare voluit Dominus ad A mortem pro fratribus lubenti animo constantique obeundam, ut in hac ipsa etiam causa ipsum imitaremur, ut sicut ipse pro nobis vitam posuit, et nos pro fratribus vitam poneremus I S. Joan., III, 16. Ita vitam pro Apostolo ponere parati erant discipuli, ipse vicissim pro discipulis. Ita Ignatius ἀντίψυχος eorum esse voluit qui episcopis adhærerent, quod scilicet eorum ψυχὰς ψυχῇ sua, vitas nempe vita, redimere voluerit. Inde tantus ille christianorum in se invicem amor quo illustres illos et conspicuos fuisse sua etiam ætate memorat Tertullianus. Damonis et Pythiæ Historia apud pythagoræos longe celeberrima est. Hos æmulati judæorum sunt esseni, illos christiani, quos tamen omnes longo intervallo superarunt. Ita conveniebat adamussim cum hisce B principiis praxis etiam primævorum christianorum. Ita praxim illam generosissimam prudentissimis etiam principiis fulcivit Dominus legislator omnium longe peritissimus.

§ 38.—Quæ cum ita se habeant, jam facile intelligimus nihil esse cur male audiant, hac in causa, primævi christiani. Baptismi titulo martyrium insignierunt. Nec temere id, nec pro suo duntaxat arbitrio. Christum nimirum ipsum habuerunt quem sequerentur auctorem. Sed cum titulo jura etiam baptismi martyrio tribuerunt, et quidem sacramentalis baptismi a Deo ipso instituti. Immane proculdubio facinus, si quæ a Deo essent in pacto sacramentali præstanda, ea suis adinventis assererent, nullo tamen nixi Dei promisso, nullo Dei legitimo vicario qui C Dei personam agere saltem posset, et Dei nomine ea polliceri quæ Deus ipse, propter legitimam delegationem præstare teneretur. Sed longe aberant ab eo scelere veteres ut Dei nomen, sine divina tamen auctoritate, suis institutis prætexerent. At impium profecto non fuit si conditiones a Deo ipso præstandas expectarent in pacto baptismali ab ipso instituto. Impium non fuit e baptismi sacramentalis consilio colligere si quid porro in pacto baptismali videretur inclusum. Impium non fuit hoc ipsum de martyrio colligere si qua possent legitima sacramentorumque propria argumentatione. Impium denique non fuit, si et martyrio, ubi id probassent, et jura quoque baptismalia assererent. Atqui baptismo martyrium non conferunt modo, sed etiam anteferunt. Male quidem id, si jam D constitisset sua nimirum humana instituta cum divinis ausos esse contendere. Sed vero aliter se rem habere ex dictis constat. Cum in pacto baptismali includi martyrium probarint veteres, immerito sane martyrium humanis institutis accensent adversarii. Jam non humana cum divinis instituta contendunt, sed divina cum divinis, vel unam fortasse potius divini instituti partem cum alia ejusdem instituti parte. Nihil autem vetat quo minus divinorum institutorum alterum altero possit esse præstantius : quin id potius necesse est quoties ad eumdem finem referuntur, cum aliqua tamen subordinatione. Quod enim finem illum propius attingit, id necessario erit, in medii ratione, præstantius. At a pactis symbolicis (qualia sacramenta esse omnes agnoscunt) sejungi nequit istiusmodi subordinatio. Cum enim symbola adhibeantur ad alia tamen officia a symbolis diversissima repræsentanda, ipsaque adeo illa repræsentatione spondenda, ut proinde mediorum utraque vicem impleant; constat tamen officii quam symboli longe potiorem esse rationem, jusque ad mercedem à Deo promissam conferre longe auctius atque validius. Dici tamen denique potest tam symbolum nostræ in baptismo professionis, quam conditionem quam eo symbolo spondemus a nostra pacti baptismalis parte præstandam, quamquam in pacto a Deo quidem instituto adhibeantur, ad humana tamen officia, partemque pacti illam quæ homines spectat, attinere. Ita non cum humanis divina conferentur, sed cum humanis officiis alia officia et illa quoque pariter humana, ut alia aliis meliora habeantur, et Deo gratiora. Fateor equidem horum officiorum jus ad mercedem pacto institutionique divinæ totum acceptum esse referendum. Id tamen ita verum est ut quamquam non propter opera Deus mercedem retribuat, at secundum opera fiat illa retributio, ut proinde in officiis nostris quo sunt quæque in se præstantiora et Deo gratiora eo exigantur a Deo paciscente diligentius, et mercede copiosiori coronentur.

§ 39.—Quamquam autem baptismi solius rationem in hac nostra dissertatione habuerimus; quod tamen de baptismo asseruimus, idem de altero Eucharistiæ sacramento asserere poteramus, repræsentare nimirum hic, atque adeo sponderi, nostrum pro Christo martyrium, ut proinde hujus etiam Eucharistia pacti præmia possint a martyribus vendicari. Nec enim aliter in pane Eucharistico fracto repræsentatur corpus Domini quam ut passum, fractum, crucifixum; nec aliter in effuso vino sanguis quam ut ipse etiam effusus. Quis est qui non videat quam sint hæc manifesto ad passiones Christi referenda ? Cum itaque per unum illum panem unum nos cum Christo corpus profiteamur, I Cor., x, 17, id plane pro symbolico spondendi ritu, spondemus, non in corpore modo nos, sed in ipsis quoque corporis passionibus cum Christo fore communicaturos, ut et ipsi nos paratos præstemus ut cum eo patiamur atque crucifigamur. Cum etiam dicitur hic sanguis pro multis effusus, id porro pollicemur, nos etiam, pro Christi exemplo, eo promptiori animo ad patiendum accessuros quo plurium salutem intelligimus nostra fore morte promovendam. Ita enim fore ut Christi patientis exemplum magis ad vivum repræsentemus. Proinde verisimilia sunt, et divino consilio prorsus consentanea, quæ de martyrii præmiis hucusque disputavimus, cum eo utrisque sacramenti pacta collineare videamus.

§ 40.—Quamquam etiam unicum illud hactenus tractaverimus baptismi beneficium (quod etiam ipsum privativum est) peccatorum scilicet remissionem, unde etiam sequitur impunitas, et ipsa etiam privativa; non est tamen inde ut propterea negemus jus esse

martyribus ad positiva baptismi beneficia. Si enim cum Christo patimur, cum eodem etiam regnabimus. Ita argumentatur Apostolus e canone harum mysticarum argumentationum proprio. Ita etiam et veteres cum primarium martyribus, ut ostendimus, in regno Christi, consessum assererent. Et merito quidem illi. Si enim Christo passuro merces proposita est; debebatur certe illi, præstita pacti conditione, tanta illa merces. Si et nos eamdem Christi patientis personam in nostra quoque passione sustineamus, et quidem eo ipso sustineamus consilio ut quæ jura Christo patienti pro pacto divino accrescebant, et nobis quoque similiter patientibus accrescerent; sequitur et nobis patientibus ingentem illam repositam esse mercedem, tantam scilicet quanta Christo, pro hujus pacti jure debebatur, et quidem ex ejusdem pacti eodem etiam jure. Ita fiet ut universa baptismi beneficia, tam negativa, quam etiam positiva, martyribus debeantur.

DE SIXTO II. ROM. PONTIFICE XXIII,

NOTITIA HISTORICA.

De Sixti II pontificatus annis.— In Stephani locum 24 augusti anno 257, Sixtus est ordinatus, quem natione græcum, et atheniensem philosophum fuisse ferunt romanorum pontificum catalogi. Quot autem annis pontificatum tenuerit, definiri nequit; in contraria enim veteres, recentioresque scinduntur chronologi. Siquidem Eusebius ipse annos octo in Chronico, in Historia vero annos undecim eidem adscribit (1). Cæteri econtra pontificum catalogi vix duos, aut unum Sixto concedunt (2), quem Cypriano teste (3), anno sequenti, martyrio coronatum fuisse, compertum est : quare, cum pontificatum anno 257, mense augusto susceperit, menses undecim, dies aliquot romanam sedem tenuisse sequitur, ut eruditorum plurimi, invitis etiam pontificum catalogis, demonstrant (4). Fortasse etiam Eusebius in Historia menses undecim præfuisse scripserat, qui menses postmodum aliena manu in annos commutati sunt ; nam ab Eusebii diligentia prorsus alienum videtur, tam turpiter in pontificum chronologia errasse (5). Iis vero, quæ in Chronico leguntur, ubi anni octo Sixto tribuuntur, non immoramur, cum sciamus Eusebii Chronicon undique interpolatum esse.

Ubi Ecclesiam romanam administrare Sixtum auditum Dionysio Alexandrino, ipsum adiit epistola : « Quæ de baptismo secunda est, in qua Stephani simul ac reliquorum episcoporum sententiam ac judicium exponit. » Virum prudentissimum fuisse, docet altera Dionysii epistola, qua Sixti consilium petit, de Sene, qui ab hæreticis baptizatus catholicum precibus, lacrymisque suis sacramentum regenerationis flagitabat, affirmans hæreticorum baptisma cum ecclesiastico nil commune habere. Verba sunt Dionysii (1) : *Opus habeo, frater, consilio tuo, et sententiam tuam expeto, ne forte ipse halluciner.* Durasse sub Sixto pontifice controversiam de baptismo, sub decessore ejus disceptari cœptam, colligunt eruditi (2) ex tribus epistolis, ab eodem S. Dionysio Alexandrino ad eum datis, quarum fragmenta recitat Eusebius (3). Neque S. Sixto placuisse morosam decessoris sui asperitatem, ostendunt verba Pontii Diaconi (4), cui Sixtus audit *Bonus et Pacificus Sacerdos.* Atque exinde colligit perdoctus Tillemontius (5), prædictam litem sua incredibili lenitate, atque indefesso studio sanctissimum pontificem composuisse. Reliquorum, quæ in pontificatu suo gessit, fere omnium abiit memoria. Illud ex Indiculo depositionis martyrum tradit Pearsonius (6), eum Petri et Pauli apostolorum corpora « ad Catacumbas transtulisse, magis in dies sæviente persecutionis ardore, ut ibi stationes tutius haberi possent (7). »

S. Sixtus II. martyrio coronatur v *augusti* 258. — Cæterum præclarissimo omnium facinore nominis sui memoriam Sixtus consecravit, inito pro fide martyrii certamine. Diem et locum martyrii S. Cyprianus in

(1) Euseb., in *Chron.*, p. 752; Euseb., *Hist. eccles.*, lib. VII, cap. 27.
(2) Anastas. Biblioth., t. I.
(3) Cyprian., ep. LXXX.
(4) Pag., in *Crit.* ad annum 257, num. 2, et ad ann. 258, num. 5; Tillemont., *Mémoires*, tom. IV, pag. 16; Coutant., *Epistolar. rom. pontificum.*, tom. I, pag. 258; Mansi, in not. ad Annales Baronii ad ann. 261, pag. 92; Basnage, ad ann. 258, num. 6; Pearson., ad ann. 257.
(5) Euseb., *Hist. eccles.*, lib. VII, cap. 5.

(1) Apud Euseb., loco cit., cap. 9.
(2) Tillemont., loc. cit., Sandini vitæ Rom. Pontificum. p. 47. edit. in-4°.
(3) Euseb., loco cit., cap. 5 et 9.
(4) Pont., in Vita S. Cypriani.
(5) Tillemont., loc. cit.
(6) Pearson., *Annal. Cyprianic.*, ad ann. 258, § 2.
(7) *Stationem* arbitratur Petavius in notis ad Epiphanium, pag. 356, religiosum illud officium, quo fideles statis diebus ad synaxim accedentes, ad nonam usque perseverabant : unde et pro multitudine ipsa, conventuque nonnumquam solet accipi. *Stationem* Du Cangius cœtum, sive conventum fidelium, maxime eum fuisse dicit, qui dominica fiebat die : judicat autem stationem dictam a metaphora, petita a militibus, qui, dum præsidium certo loco collocant, *stationem facere* dicuntur.

epistola ad Successum his indicat verbis: « Sixtum autem in Cæmetrio animadversum sciatis, octavo iduum augustarum die, et cum eo Quartum. » Quibus verbis apud Latinos qualibet punitio, apud Brissonium vero et Calvinum, aliosque Ictos percussio gladii seu decollatio significantur. De anno quoque plerique (1) in sententiam Pagii abeunt, scilicet passum esse anno Domini 258, eodem et quo S. Cyprianus, ut Pontius in Vita Cypriani. Coutantius (2) Bucheriani catalogi locum mutilum restituens, sententiam Pagii confirmat. Bucherianus enim Catalogus habet: « Passus est (Sixtus) VIII idus augusti a consulatu Tusci et Bassi usque in die XII kal. augusti, Æmiliano et Basso Coss. » Ut tenebræ ab hoc loco dispellantur, ex codice Fossatensi, ante verba a consulatu Tusci et Bassi, supplendum monet: Presbyteri præfuerunt; cujus supplementi ope comperimus, clerum romanum a mense augusto anni 258, usque ad XXI Julii anni 259, quo consulatum gerebant Æmilianus et Bassus, Romanam Ecclesiam administrasse. Hinc lux affertur Catalogis Corbeiensi atque Fossatensi, in quibus Sixto tribuitur annus I, menses X, dies XXIII aut XXIV, habita fortasse ratione a Sixti ordinatione ad ejus successoris Dionysii electionem. In Fossatensi et reginæ Suecorum Catalogo apud Bollandum cessasse dicitur pontificatus annos duos, intellige partem anni 258, et aliam insequentis anni partem. In libro Pontificali, ubi de annis sedis S. Sixti agitur, mira oscitantia delegitur, ut observat laudatus Coutantius.

Geminas Sixto II epistolas Isidorus adscribit. Prior ad Gratum quemdam episcopum, quam occasione Sabellii, Noeti, Ebionis, et Cerinthi scriptam contendit Binnius. Ostendit autem epistola, licere damnatis episcopis adire sedem apostolicam; data est kal. septembris Valeriano et Decio viris clar. coss. Posterior missa est episcopis per Hispaniarum provincias constitutis. In ea autem capita quinque continentur. Primum, si quis adversus episcopos vel actores Ecclesiæ causam habuerit, qui se geret? Secundum, de episcopis rebus expoliatis, aut a sede pulsis. Tertium, ut nullus episcopus alterius parochianum retineat, ordinet, vel judicet. Quartum, de episcopis injuste damnatis, et apostolica auctoritate restitutis. Quintum, quod excommunicati episcopos accusare non possunt. Data est XVII kalendas augusti, Valeriano et Decio viris clariss. coss. Nobis in silentium descendentibus, quivis has Sixto epistolas detrahere est idoneus. Primum falsissima est consulum annotatio. Valeriano non Decius, sed Gallienus collega fuit in consulatu, sedente Sixto. Insuper eodem anno scriptas esse decretales ostendit inscriptio. Anno vero 258, Sixtus qui sexto augusti passus est, kalendis septembris ad Gratum scribere non potuit. Potuisset quidem anno superiore, at impossibile est, dedisse ad Hispanos Epistolam Julii 16, anno 257, quo pontificatum nondum inierat. Deinde cum toto Sixti episcopatu gravissima persecutio romanæ incubuerit Ecclesiæ, est longe absurdissimum, epistolas ejus tenoris Sixtum condidisse, in quibus nulla afflictionis Ecclesiæ mentio nulla ad cruces patienti animo ferenda instigatio. Priori epistola impostor paginam includit integram ex Idacio Claro adversus Varimadum petitam. Componatur cum pag. 730 Biblioth. maxim. patrum, tom. V. Posterior vero quinquagesimæ quartæ Leonis Magni Epistolæ suffuratur initium: « Magno munere misericordiæ Dei, totius Ecclesiæ catholicæ multiplicata sunt gaudia. »

De Xysti sententiis; num sint papæ Sixti. — Quadringentæ et triginta sententiæ sunt Sixti ethnici philosophi, quæ in Latinum a Rufino translatæ, nonnumquam Sixto Papæ adscriptæ fuerunt. Quem cum Augustinus errasset errorem, libro secundo *Retractationum*, cap. 42, hæc chartis mandavit: « In libro de natura et gratia, verba quædam, quæ velut Sixti Romani pontificis et martyris Pelagius posuit, ita defendi, tanquam revera ejusdem Sixti essent; id enim putaveram, sed postea legi Xysti philosophi esse, et non Sixti christiani. » Christianum sane non sonat sententia 120: « Non petas a Deo id, quod cum habueris, non perpetuo obtinebis. » Non igitur aut pax animi, aut tranquillitas Ecclesiæ, aut corporis sanitas esset precibus impetranda. Abhorret et a fide sententia 125: « Quidquid non convenit ad beatitudinem Dei, non conveniat homini Dei. » Non igitur resurrectio corporis pars erit felicitatis sanctorum, utpote quæ gloriæ Dei immortalis pugnet. Neque satis pia hæc est sententia 184: *Derogare viro sapienti ac Deo, æquale ducito peccatum.* Cum splendente fuco Rufinus Xysti philosophi sententiis Sixti papæ martyris nomen imposuisset, meritas Hieronymo pœnas dedit. Qua de re insignis est locus in Epistola adversus Pelagium ad Ctesiphontem (1): « Illam autem temeritatem, imo insaniam ejus (Rufini) quis digno possit explicare sermone, quod librum Xysti pythagorei, hominis absque Christo, atque ethnici, immutato nomine, Sixti martyris, et romanæ Ecclesiæ episcopi prænotavit? In quo, juxta dogma pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, et de ejus dicunt esse substantiæ, multa de perfectione dicuntur, ut qui volumen philosophi nesciunt, sub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipso volumine nulla prophetarum, nulla patriarcharum, nulla apostolorum, nulla Christi fit mentio, ut episcopum et martyrem sine Christi fide fuisse contendat. » Inspiciantur sententiæ, et 248, quæ purum putumque pelagianismum olet, et 265, quæ facinus probat Origenis, virilia amputantis temperantiæ causa. — Gelasius Papa hoc

(1) Bianchini, in *Anastasio*, et dominus le Beuf in *Historia Ecclesiæ Antisiodorensis*, martyrium S. Sixti II anno serius adfigunt, nempe anno 259.

(2) Coutant., *Epistolar. roman. pontific.*, tom. I, pag. 158, num. 4.

(1) Hieronym., *Epist. ad Ctesiphontem* XXXIII, pag. 476, tom. IV, edit. Benedictin., et in caput XXII Jerem., et XVIII Ezechiel.

opus falso S. Sixto papæ ac martyri attributum inter apocrypha collocavit (1), vel opus ab hæreticis compositum. Impressæ fuerunt hæ Sixti in *Bibliothecæ patrum* tomo III, et separatim cum præfatione Rufini ad Apronianum, Basileæ, 1520; Coloniæ, 1522; Lovanii, 1618; Amstelodami, 1688; in Opusculis

(1) Apud Mansi, tom. VIII *Concil.*, p. 151.

A mythologis, physicis et moralibus Thomæ Gale, Lipsiæ, in-4°, 1725, per Sieberum Alemannum, qui etiam prætendit has sententias revera esse Sixti papæ et martyris. Duo etiam canones sub Sixti II nomine a Gratiamo erronee citantur (2).

(2) Decret. Gratiani, 2 Quæstion. c. 6, et 3. Quæst. c. 17.

SIXTI PAPÆ II EPISTOLÆ DUBIÆ.

EPISTOLA PRIMA.

AD GRATUM QUEMDAM EPISCOPUM.

Licere accusatis vel damnatis episcopis appellare, sive adire sedem apostolicam, sine cujus auctoritate causæ eorum terminari non debent.

Episcopus Sixtus Grato coepiscopo salutem.

Lætari et gaudere me (*Leo, epist.* 31) plurimum in Christo Jesu Domino nostro dilectionis tuæ scripta fecerunt, quibus evidenter ostenditur, quantum catholicam diligis fidem, et quantum pravorum hominum detestaris errorem. Omnis enim hæresis nimis est impia, et evangelicæ veritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, sed ipsa christianæ religionis conatur fundamenta convellere. Memor enim sum, me sub illius nomine ecclesiæ præsidere; cujus a Domino nostro Jesu Christo est glorificata confessio, et (*S. Leo, epist.* 31) cujus fides nullum unquam fallit, sed omnes quidem hæreses destruit. Intelligo autem mihi aliter non licere, quam ut omnes conatus meos ei causæ, in qua universalis ecclesiæ salus infestatur, impendam. Agnosce, fili charissime (*Ithacius, Adv. Varimadum, cap.* 12), non ex tempore, neque post tempora Filium Dei natum, sed ante omnia tempora de paterno utero inenarrabiliter generatum, ipso Deo patre per prophetam dicente: *In splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum genui te* (*Psalm.* CIX). Quam sententiam et Isaias propheta dubiis atque incredulis evidenter expressit, dum non aliunde filium, quam de Patre natum ineffa-

(1) *Epistola.* Hanc epistolam occasione Sabellii, Noeti, Ebionis et Cerinthi sectariorum scriptam esse ad Gratum episcopum, ipsum initium epistolæ indicat. Sabellius enim hæresiarcha hoc pontifice ab inferis progressus, omnem personarum distinctionem in Deo sustulit: reliqui vero Christum ante incarnationem nihil fuisse dicebant. Ut horum ergo errores solide refellat, et consulentem hac de re episcopum instruat, hanc ad illum epistolam scribit, apertis testimoniis scripturæ probans, Christum, quoad divinam naturam, æternum æterni Patris Filium esse, et a Patre distinctam in divinitate personam esse; ac semper sine ullo temporis principio extitisse. Reliqua, quæ et sequenti epistola notanda videntur, præcedentibus præcedentium pontificum epistolis annotata sunt.

B biliter ostendit: *In humilitate*, inquit, *judicium ejus sublatum est. Nativitatem ejus quis enarrabit* (*Isai.*, LIII)? Et in libro Job: *Sapientiam Dei*, ait, *unde invenies? Latet enim ab oculis hominum, et a volucribus cœli absconsa est* (*Job*, XXVIII). Expergiscere paululum, et si lumen scientiæ in teipsum aliquantum habes, invenies, cujus nativitas a propheta non potuit enarrari ex tempore, vel ut adstruere ipse conaris, non potuit generari. *In principio*, inquit Joannes evangelista, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.*, I). Et iterum: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Idem*). In isto igitur quod dicitur, *Erat*, si tempus quærere C volueris, non invenies: quoniam ex quo Pater, ex illo et Filius: et quod Pater est, id est etiam Filius, Salomone dicente: *Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci, ut in cœlo oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habito, et thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi. In omnem terram steti, et in populo primatum habui* (Ecclesiast., XXIV). Item ibi: *Cum præpararet cœlum, aderam illi, et cum sedem suam secerneret. Quando super ventos fortes faciebat in summo nubes, et cum certos ponebat fontes sub cœlo, cum fortia faciebat fundamenta terræ, ego eram, cum illo componens, et ego eram, cui adaugebat, cum lætaretur orbe perfecto* (*Proverb.*, VIII). Et in psalmo cen- D tesimo primo: *Tu, Domine, in principio terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Non enim erat ætas, aut aliquod tempus, antequam de Patre Filius nasceretur; quoniam qui tempora universa propria potestate constituit, ex tempore vel post tempora nasci non potuit (1). His paucis sententiis, breviter consultis tuis respondi, frater charissime. De cætero tuam moneo dilectionem, ut cunctos, quos errare cognoveris, ad catholicam fidem, et ad unitatem recte credentium conver-

(1) Hactenus Ithacii verba, unde fraus Mangonis detegitur evidentissime.

tere studeas, et tu numquam ab apostolico tramite recedas. Si autem te non audierint, et errantes (quod absit) permanserint, nobis eos manifestare, quam citius poteris : non tardes, ut apostolica auctoritate aut cito ad Ecclesiam convertantur, aut ab Ecclesia separentur. Audivimus etiam quod quidam erronei, et consentientes eis, te et reliquos infestent coepiscopos et episcopos aliquos comprovinciales ad vestram infamationem atque damnationem secum trahant.

Quapropter in hac sancta sede dudum a multis episcopis constitutum erat, et modo ad vestrum et cæterorum fratrum auxilium est denuo roboratum, ut omnes episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, libere apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, ut ab ea (sicut B semper fuit) pie fulciantur, defendantur et liberentur. Cujus dispositioni omnes majores ecclesiasticas causas et episcoporum judicia, antiqua apostolorum eorumque successorum atque canonum auctoritas reservavit, quoniam quando culpantur episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quam ejusdem sedis papæ fieri placuerit. Unde placuit, ut accusatus vel judicatus a comprovincialibus in aliqua causa episcopus, licenter appellet et adeat apostolicæ sedis (*Conc. Sard.*, *can.* 4, 5, 7) pontificem. Qui aut per se, aut per vicarios suos, ejusdem retractari negotium procuret. Et dum iterato judicio pontifex causam suam agit, nullus alius in ejus loco ponatur aut ordinetur episcopus : quoniam quamquam a comprovincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, C non tamen definiri, inconsulto romano pontifice, permissum est, cum beato Petro apostolo non ab alio quam ab ipso dictum sit Domino : *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlo* (*Matth.*, XVI *et* XVIII). Et si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud primatem diœceseos (*Hadr.*, *coll.*, *c.* 6), aut penes universalis apostolicæ ecclesiæ papam judicetur. Ait enim Jacobus apostolus : *Judicium sine misericordia illi fiet, qui non fecit misericordiam. Superextollit autem misericordiam judicio Jacob.* In omnibus ergo (*S. Greg.*, *epist.* 45, *lib.* VIII), fili charissime, cor custodi, sicut scriptum est : *Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit* (*Proverb.* IV). Hæc breviter prò commemo- D ratione rescripsi : sed peto ut pro me orare debeas, quatenus omnipotens Deus et a malignis me spiritibus, et a perversis hominibus custodire dignetur; quia in hac vitæ meæ peregrinatione mala me simul et multa circumdant, ita ut cum Psalmista jure dicam : *In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me. Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul* (*Psalm.* LXXXVII). Cœlestis gratia et nos in urbibus, et vos ubique protegat, quia antiquus hostis terrarum locis a tentatione non excluditur : quia si in paradiso hominem stravit (*Genes.*, III), quis locus extra paradisum esse potest, in quo mentes hominum penetrare non valeat? Antiqui enim A hostis, *cujus invidia mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.*, II), sunt semper oculi vigiles ad animas hominum illaqueandum, multosque sua pravitate secum in perditionem trahere cupit, qui suapte malitia a gloria lapsus est in miseriam. In sola ergo Creatoris nostri protectione fidendum est, cui ex intimo corde clamemus : *Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum, ut salvum me facias* (*Psal.* XXX *et* LXX). Data kal. septembris (1) Valeriano et Decio, viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA II.

ARGUMENTUM. — I. *Si quis adversus episcopos vel actores Ecclesiæ causam habuerit, quis se geret.*

II. *De episcopis rebus expoliatis, aut a sede pulsis.*

III. *Ut nullus episcopus alterius parochianum retineat, ordinet, vel judicet.*

IV. *De episcopis injuste damnatis, et apostolica auctoritate restitutis.*

V. *Quod excommunicati episcopos accusare non possunt, nec illi qui eos in sua non recipiunt accusatione, nec major a minori judicari, vel damnari.*

Dilectissimis fratribus per Hispaniarum provincias constitutis, Sixtus episcopus in Domino salutem.

Magno munere (*S. Leo*, *Epist.* 54) misericordiæ Dei, totius Ecclesiæ Catholicæ multiplicata sunt gaudia, cum ecclesiarum status eo viget ordine, quo apostoli, eorumque successores illum statuerunt. Et cum antiqui hostis astutia eum turbari cognoscimus, non modico contristamur mœrore. Quam ob causam, fratres, hortamur vos, monemus et flagitamus, ut a tramite apostolicæ institutionis nequaquam recedatis, nec a capite dissideatis, sed fidem et ordinem, quem apostoli et apostolici viri statuerunt absque hæsitatione teneatis. Nam si columnæ alicujus magnæ domus corruerint, ipsa postea domus minime stabit. Sic et vos, qui columnæ ecclesiæ estis, si labefactari cœperitis, sancta Ecclesia, quæ per vos regitur, tabescet et labetur. Hæc, fratres, quæ duo, valde timenda sunt, et summo moderamine pensanda, atque ne fiant, cavenda. Ipsa enim veritas per se dixit : *Vos estis sal terræ : quod si sal evanuerit, in quo salietur?* etc. (*Matth.*, V; *Rom.*, I). Ideo vos, charissimi, moneo, quia vobis debitor sum, et valde vos diligo. Et quando bona audio de vobis, congratulor satis : et econtra, quando adversa, nimis conturbor. Ego vero quamvis a vobis per longa terrarum intervalla disjunctus sim, sum tamen omnino vobiscum corde conjunctus (*S. Greg. epist.* 36, *libri* IV). Ideoque de vestra beatitudine erga me modis omnibus confido, quia cum me vicissim diligitis, a me longe non estis. Unde magis gratias referimus illi grano sinapis (*Matth.*, XIII; *Marc.*, IV; *Luc.*, XIII), quod ex modici despicabilisque seminis specie, ita ramis ex eadem radice surgentibus, atque se distendentibus, usquequaque

(1) Falsa temporibus nota.

diffusum est, ut in eis volatilia cœli cuncta nidificent A (*Matth.*, XIII) : gratiaque sit fermento illi, quod tribus farinæ satis (*Luc.*, XIII), totius humani generis massam in unitate conspersit : atque parvo lapidi, qui abscisus de monte sine manibus, occupavit universam faciem orbis terræ (*Dan.*, II). Qui ad hoc naturam nostræ carnis, et status servilis formam assumens, humiliter se usquequaque distendit, ut omni humano genere in unitatem redacto, totius corpus unitum perficeret ecclesiæ : atque ita ad istius compaginis pertineret commodum, membrorum partialis ista distinctio. Unde nos quoque a vobis longe non sumus, quia in illo, qui ubique est, unum sumus. Agamus ergo ei gratias, qui solutis inimicitiis in carne sua, fecit ut in omni orbe terrarum unus esset grex, et unum ovile sub uno pastore; semper memores, quod B vos veritatis prædicator admoneat, dicens : *Solliciti servate unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.*, IV). Vinculum enim pacis nemo servat, dum alium infestat aut verbis, aut factis persequitur. Ideo, fratres, ista prætulimus, quia audivimus inter vos accusationes exerceri, et pulsos a sedibus episcopos, aut suis rebus expoliatos judicari.

I.—Quapropter statutum est, ut si quis contra episcopum vel actores Ecclesiæ, se proprium crediderit habere negotium (*Hadr.*, *coll.*, *c.* 2, *ex Conc. Aurel.* V, *can.* 17), non prius adeat judices, quam ad eos recurrat charitatis studio, ut familiari colloquio commoniti, ea sanare debeant, quæ in querimoniam deducuntur. Quod si aliter egerit, communione privetur. C

II. — Nemo pontificum deinceps aliquem episcopum suis expoliatum rebus, aut a sede pulsum, excommunicare aut judicare præsumat, quia non privilegium, quo expoliari possit jam nudatus (*Idem in decret. Alexandri papæ, et in decret. Julii papæ*).

III —Nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque ejus voluntate, vel judicare : quia sicut irrita ejus erit ordinatio, ita et dijudicatio (*Hadr. coll. c.* 16); quoniam censemus, nullum alterius judicis, nisi sui, sententia teneri (*Anianus ad const. unicum tit.* 16, *lib.* IV, *cod. Theod.*). Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus poterit. Ista enim vobis deinceps tenenda, et fratres vicissim adjuvare mandamus (*Idem in decretis Sixti* I, *et similiter in decretis Julii* D *papæ*).

IV. — Fratres vero, quos timore terreno injuste damnastis, scitote a nobis juste esse restitutos. Quibus, ex sancti Petri et apostolica auctoritate omnia, quæ eis ablata sunt, integerrime reddi præcipimus, si non vultis vos et principes vestri a collegio nostro et membris ecclesiæ separari. Justo enim judicio Dei datur plerumque peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persequantur (*Prosperi sent.* 23, *et S. August. in Ps.* CXVIII); ut qui spiritu Dei juvantur et aguntur, fiant per laborum exercitia clariores. Illi tamen qui hoc agunt, nullatenus evadent pœnam : quia, ut ait Dominus : *Væ illi per quem scandalum venit* (*Matth.*, XVIII). Et quamquam juxta Salvatoris sententiam, *necesse sit venire scandala : væ tamen per quem veniunt*. De occultis enim cordis (*Prosperi sent.* 21, *et S. August. in eumdem Psalmum*) alieni temere judicare, peccatum est : et eum cujus non videntur opera nisi bona, iniquum est ex suspicione reprehendere, cum eorum, quæ homini sunt incognita, solus Deus judex sit justus, qui inspector est verus. Unde scriptum est : *Incerta non judicemus, quousque adveniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium* (I *Cor.*, 4) (*In decret. Ivonis, libri* IV). Et quamvis vera sint (*S. Isid. Synon.* II, *c.* 16), non tamen credenda sunt, nisi certis indiciis comprobentur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur. Nullus ergo potest humano condemnari examine, quem Deus suo judicio reservavit (*Hadr. coll. cap.* 51 *et* 67; *et Const. Magnus ad Patres Nicænos*). Hæc omnia summopere sunt præcavenda, ne præsumptores esse videamur. Et accusatio episcoporum non est facile recipienda, dicente Domino : *Non suspicies vocem mendacii* (*Exod.* 23). Et Apostolus (I *Timoth.* 5) inquit, adversus presbyterum inscriptionem non recipiendam absque duobus vel tribus idoneis testibus (*Vide epistolam* II, *Julii papæ, eadem νοθείας labe fœdatam*). Si hæc de presbyteris vel cæteris fidelibus sunt præcavenda, quanto magis de episcopis? Quibus cognitis, magis vos dominari velle manifestum est, quam consulere fratribus, aut sustentare eos, quia honor inflat superbiam : et quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam. Decuerat namque, juxta præfatas regulas, ut si aliquid egissent contra suum ordinem, mandare nobis, et expectare, quid ad vestra consulta rescriberemus, intantum, ut si etiam quidquam grave intolerandumque committerent, nostra præstolaretur censura, ut nihil prius aut aliquid aliud decerneretis, quam quod nobis placere cognoveritis, et a regulis præstitutis nulla, aut negligentia, aut præsumptione recederetis. Cesset hujusmodi, nec illi qui nos in sua nolunt recipere querela vel accusatione, nocumenta, quia nequaquam talia patienter ferre possumus machinamenta, quoniam convenit nobis paternarum sanctionum diligenter esse custodes. Merito namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori.

V. — Est insuper a sanctis prædecessoribus nostris plerumque jam statutum, ut nemo anathema in nostra suspiciatur accusatione pressa nostra auctoritate, præsumptio; citentur hujusmodi, cum nos super illos sciamus a Domino constitutos, non illos super nos. Et sicut major non potest a minore judicari, ita nec colligari; quia rarum est omne quod magnum est. Portemus onera omnium qui gravantur, quinimo, hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, cujus vice fungimur legatione, et cujus regula informamur, quatenus ejus fulti auxilio, ab omnibus nunc et in perpetuum tueamur adversis. Data XVII kalendas augusti (1), Valeriano et Decio, viris clarissimis, consulibus.

(1) Adnotatio falsa.

DECRETA SIXTI SECUNDI

Ex Gratiano (2 q. 6 et 3 q. 6).

Si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari apud primatem diœceseos, aut penes universalis apostolicæ Ecclesiæ papam judicetur.

A

Ex eodem ut supra.

Super appellatione, alterius provinciæ judices audire non oportet.

Si quis clericus super quibuslibet criminibus accusatus fuerit, in provincia, in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerceat actiones : nec existimet eum accusator suus alibi, aut longius ad judicium protrahendum.

EPISTOLÆ

QUÆ AD SIXTUM II, PAPAM ET MARTYREM ATTINENT.

EPISTOLÆ I. DIONYSII ALEXANDRINI EPISCOPI AD SIXTUM PAPAM FRAGMENTA.

Dionysius epistolas memorat a se scriptas tum ad Stephanum papam, tum ad Dionysium et Philemonem presbyteros, de baptismo hæreticorum et de hæresi Sabelliana.

1. Antea quidem litteras scripserat (Stephanus) de Heleno et de Firmiliano, ac de omnibus per Ciliciam et Cappadociam cunctasque finitimas provincias constitutis, testans sese ob eamdem illam causam ab illorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent. Ac vide negotii gravitatem. Re enim vera in maximis, ut audio, episcoporum conciliis decretum est, ut qui ab hæresi veniunt, primum doctrina instituti [catholica] ac deinde veteris et impuri fermenti sordibus per baptismum purgarentur. De his omnibus illum rogans et obtestans litteras misi.

B *Ἐπεστάλκει μὲν οὖν πρότερον (Στέφανος) καὶ περὶ Ἑλένου καὶ περὶ Φιρμιλιανοῦ, καὶ πάντων τῶν τε ἀπὸ τῆς Κιλικίας καὶ Καππαδοκίας καὶ Γαλατίας, καὶ πάντων τῶν ἑξῆς ὁμορούντων ἐθνῶν. ὡς οὐδὲ ἐκείνοις κοινωνήσων διὰ τὴν αὐτὴν ταύτην αἰτίαν, ἐπειδὲ τοὺς αἱρετικοὺς, φησὶν, ἀναβαπτίζουσι. καὶ σκόπει τὸ μέγεθος τοῦ πράγματος. ὄντως γὰρ δόγματα περὶ τούτου γέγονεν ἐν ταῖς μεγίσταις τῶν ἐπισκόπων συνόδοις, ὡς πυνθάνομαι· ὥστε τοὺς προσιόντας ἀπὸ αἱρέσεως, προκατηχηθέντας, εἶτα ἀπολούσασθαι, καὶ ἀνακαθαίρεσθαι τὸν τῆς παλαιᾶς καὶ ἀκαθάρτου ζύμης ῥύπον. καὶ περὶ τούτων αὐτοῦ πάντων δεόμενος ἐπέστειλα.*

Et aliquanto post prosequitur Dionysius.

2. Sed et dilectis compresbyteris nostris Dionysio et Philemoni, qui prius cum Stephano consentiebant, deque iisdem ad me scripserant, antea quidem paucis, nunc vero pluribus rescripsi.

Καὶ τοῖς ἀγαπητοῖς δὲ ἡμῶν καὶ συμπρεσβυτέροις Διονυσίῳ καὶ Φιλήμονι, συμψήφοις πρότερον Στεφάνῳ γενομένοις, καὶ περὶ τῶν αὐτῶν μοι γράφουσι πρότερον C *μὲν ὀλίγα, καὶ νῦν δὲ διὰ πλειόνων ἐπέστειλα.*

VARIORUM NOTÆ.

Antea quidem litteras. His præmittit Eusebius. « Ad hunc Xystum (Dionysius) secundam de Baptismo scripsit epistolam, in qua Stephani simul ac reliquorum episcoporum sententiam ac judicium exponit, ita de Stephano scribens. » Ubi hæc epistola non secunda ad Xystum, sed secunda de baptismo dicitur : quia nimirum Eusebius ab eodem Dionysio de eadem re unam ad Stephanum scriptam ante memorarat. Coustant.

De Heleno et de Firmiliano. Rufinus lib. vii, c. 4, vertit, *ad Firmilianum et Helenum*, etc., ac subnexa epistolæ hujus verba prætermittit. Firmilianus, epist. 75, ad Cyprianum, prædictarum provinciarum episcopos uno *Orientalium* nomine complectens, ait Stephanum modo cum Afris qui in meridie sunt, *modo cum Orientalibus* pacem rupisse. Coustant.

Decretum est. Iconii videlicet ac Synadæ, ut inferius explicatur, habitis, præter ea quæ in Africa celebrata sunt. Coustant.

Primum doctrina instituti. Interpretatio Valesii, *primum catechumeni fierent*, ideo non placet, quia hinc inducitur lector, ut rebaptizantium judicio, ab hæresi venientes catechumenorum munia prius obire debuerint, quam baptismum perciperent. Certe in concilio Carthaginensi iii, cui Cyprianus præfuit, episcoporum 86, sententias habemus : sed cum eos, qui ab hæresi veniunt, baptizandos esse omnes decernant; ut prius catechumeni fiant, nullus petit. Tantum Lucius a Thabeste dixit : « Hæreticos exsecrandos censeo, et ideo exorcizandos et baptizandos esse : » et cap. 37, Vincentius a Thibari : « Primo per manus impositionem in exorcismo, secundo per baptismi regenerationem tunc possunt ad Christi pollicitationem venire, » manus impositionem, quæ ipso Stephani consensu illis adhibenda erat, exorcismum interpretatus. Isti quidem Afri de doctrina tradenda pariter silent : sed nihil opus erat ut hac de re quidquam præciperetur, cum hæreticum, nisi catholicam profiteatur fidem, recipiendum non esse leges aliæ doceant. Coustant.

De his omnibus.... Firmiliano scilicet Heleno ac sociis, ut eos Stephanus a communione sua minime segregaret. Coustant.

Deque iisdem ad me scripserant. Valesius hic addidit *rebus*, quod verbum cum a græco absit, neque latine videtur exprimendum. Commode autem illud

In eadem epistola de Sabellianis hæreticis, inquit Eusebius, Histor., lib. VII, c. 6, ut pote qui tunc increbescant, Xistum certiorem facit his verbis.

3. Nam cum de doctrina, quæ nuper apud Ptolemaidem urbem Pentapoleos mota est, impia et plena blasphemiæ in Deum omnipotentem et patrem Domini nostri Jesu Christi, plena incredulitatis et perfidiæ ergà filium ejus unigenitum et primogenitum omnis creaturæ Verbum hominem factum, et quæ Spiritus sancti aufert intelligentiam : cum ab utraque parte et litteræ ad me allatæ essent, et fratres disceptaturi venissent, quantum Deo donante potui, planius edisserens, quasdam scripsi litteras; quarum exempla ad te misi.

A Περὶ γὰρ τοῦ νῦν κινηθέντος ἐν τῇ Πτολεμαΐδι τῆς Πενταπόλεως δόγματος, ὄντος ἀσεβοῦς καὶ βλασφημίαν πολλὴν ἔχοντος περὶ τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ καὶ πατρὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἀπιστίαν τε πολλὴν ἔχοντος περὶ τοῦ μονογενοῦς παιδὸς αὐτοῦ καὶ πρωτοτόκου πάσης κτίσεως, τοῦ ἐνανθρωπάσαντος λόγου, ἀναισθησίαν δὲ τοῦ ἁγίου πνεύματος· ἐλθόντων ἑκατέρωθεν πρὸς ἐμὲ καὶ πρὸ γραμμάτων, καὶ τῶν διαλεξομένων ἀδελφῶν, ἐπέστειλά τινα ὡς ἐδυνήθην παρασχόντος τοῦ Θεοῦ, διδασκαλικώτερον ὑφηγούμενος· ὡς τὰ ἀντίγραφα ἔπεμψά σοι.

EPISTOLÆ II DIONYSII ALEXANDRINI EPISCOPI

AD PHILEMONEM SIXTI PRESBYTERUM FRAGMENTA.

Ego vero hæreticorum libris legendis ac traditionibus ediscendis operam dabam, ad horam quidem exsecrandis illorum sententiis animum meum coinquinans, hanc tamen ex iis utilitatem percipiens, ut eos apud me refutarem, et multo amplius detestarer. Et cum frater quidam ex ordine presbyterorum me deterreret, ac vereretur ne eidem nequitiæ cœno commiscerer; quippe animum meum contaminatum iri, aiebat et quidem vere, ut ipse sentiebam : visione divinitus missa confirmatus sum, et sermo ad me factus diserte mihi præcepit dicens: Lege omnia quæcumque in manus venerint : idoneus enim es qui singula corrigas ac probes : et hinc tibi primum credendi causa et occasio exstitit. Visionem hanc suscepi, ut quæ apostolicæ voci consentiret, quosque majori virtute præditos ita compellanti : *Estote periti numularii* (I *Thes.*, xxi, 21).

B Ἐγὼ δὲ καὶ τοῖς συντάγμασι καὶ ταῖς παραδόσεσι τῶν αἱρετικῶν ἐνέτυχον, χραίνων μέν μου πρὸς ὀλίγον τὴν ψυχὴν ταῖς παμμιάροις αὐτῶν ἐνθυμήσεσιν· ὄνησιν δ' οὖν ἀπ' αὐτῶν ταύτην λαμβάνων, τὸ ἐξελέγχειν αὐτοὺς παρ' ἐμαυτῷ, καὶ πολὺ πλέον βδελύττεσθαι. καὶ δή τινος ἀδελφοῦ τῶν πρεσβυτέρων με ἀπείργοντος καὶ δεδιττομένου συμφύρεσθαι (al. συμφέρεσθαι) τῷ τῆς πονηρίας αὐτῷ βορβόρῳ· λυμανεῖσθαι γὰρ τὴν ψυχὴν τὴν ἐμαυτοῦ, καὶ ἀληθῆ γε λέγοντος, ὡς ᾐσθόμην, ὅραμα θεόπεμπτον προσελθὸν ἐπέῤῥωσέ με. καὶ λόγος πρός με γενόμενος προσέταξε διαῤῥήδην λέγων, πᾶσιν ἐντύγχανε οἷς ἂν εἰς χεῖρας λάβοις. διευθύνειν γὰρ ἕκαστα καὶ δοκιμάζειν ἱκανὸς εἶ. καὶ σοι γέγονε τοῦτο ἐξ ἀρχῆς καὶ τῆς πίστεως αἴτιον. ἀπεδεξάμην τὸ ὅραμα, ὡς ἀποστολικῇ φωνῇ συντρέχον τῇ λεγούσῃ πρὸς τοὺς δυνατωτέ- C ρους, γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται.

Deinde, inquit Eusebius, nonnulla de omnibus hæresibus interlocutus subdit.

Hanc ego regulam et formam a beato papa nostro Heracla accepi. Eos enim qui ab hæresibus venie-

Τοῦτον ἐγὼ τὸν κανόνα καὶ τὸν τύπον παρὰ τοῦ μακαρίου πάπα ἡμῶν Ἡρακλᾶ παρέλαβον. τοὺς γὰρ προσιόν-

VARIORUM NOTÆ.

de iisdem dictum intelligere est de Firmiliano, Heleno, quos a communione segregandos Dionysius ac Philemon presbyteri cum Stephano censebant. COUSTANT.

Nam cum de doctrina... Totum hoc fragmentum Rufinus licentia sibi consueta latine ita convertit : « Cum de ea doctrina, quæ apud Ptolemaïdam Pentapoleos civitatem nuper exorta est, plena blasphemiis in Deum patrem et Dominum nostrum Jesum Christum, negans vere esse eum filium Patris, nec primogenitum omnis creatura, similiter et Spiritus sancti auferens intellectum : pro quibus cum utræque partes ad me venissent, et præsentibus fratribus quæ commota fuerant discussissent, etiam litteris, prout Deus dedit parvitati meæ, prosecutus sum et scripsi singula quæque diligenter exponens. Quarum tibi exemplaria transmisi. » COUSTANT.

EPIST. II. — Fragmentis superioris epistolæ istud Eusebius proxime subnectit his verbis : *In epistola ad Philemonem Romanum presbyterum, quæ inter eas quas de baptismo scripsit est tertia*, ἐν τῇ τρίτῃ τῶν περὶ βαπτίσματος, *idem Dionysius hæc refert.* Nempe recensetur prima ad Stephanum, secunda superior ad Xystum, hæc tertia : eoque ordine notat Eusebius hanc epistolam ad Philemonem superiori ad Xystum non esse anteriorem. Quocirca defendi nequit opinio Baronii, qui fragmentum istud ex epistola sub Stephano scripta excerptum arbitratur. Neque tamen præmissa ad Xystum posterior est, utpote cujus D Dionysius in ea ipsa n. 2, meminit. Quapropter utramque censemus simul missam. Nec alia de causa hanc in illa commemoratam existimamus, nisi ut cum Xysto communicaretur. Et hæc igitur ad Xystum aliquo modo pertinet : ideoque fragmenta ejus nobis ab Eusebio transmissa hic exhibere nostri videtur instituti. Illa autem eo exhibemus libentius, quod ad quæstionem de baptismo illustrandam non parum conferant. COUSTANT.

Estote periti numularii. Verba eadem plurimi patres, a Cotelerio in lib. II *Constit. apost.*, c. 36, summa diligentia collecti, velut Christi aut apostoli laudant. In nostris tamen seu græcis seu latinis exemplaribus desiderantur. Eorum loco Rufinus, quem propterea ingentis confidentiæ arguit Cotelerius, substituere non dubitavit. *Omnia legite, quæ bona sunt tenete*, quomodo scilicet sententiam Pauli I *Thess.* v, 21 Augustinus lib. *de Nat. et grat.*, cap 39, profert. COUSTANT.

bant, etiamsi ab Ecclesia defecissent, immo nec defecissent, sed cum cœtus fidelium frequentare viderentur, insimulati essent quod perversæ doctrinæ magistros audituri adirent, ejectos ab Ecclesia, post multas preces non prius admisit, quam quæcumque ab adversariis audierant, palam publiceque enarrassent. Tum demum ad cœtus fidelium eos admisit, nequaquam ab eis petens ut baptismum iterato susciperent. Quippe jam antea Spiritum sanctum ab ipso acceperant.

A τας ἀπὸ τῶν αἱρέσεων, καί τοι τῆς ἐκκλησίας ἀποστάντας, μᾶλλον δὲ οὐδὲ ἀποστάντας, ἀλλὰ συνάγεσθαι μὲν δοκοῦντας, καταμηνυθέντας δὲ ὡς προσφοιτῶντας τινι τῶν ἑτεροδιδασκαλούντων, ἀπελάσας τῆς ἐκκλησίας, δεομένους οὐ προσήκατο, ἕως δημοσίᾳ πάντα ὅσα ἀκηκόασι παρὰ τοῖς ἀντιδιατιθεμένοις, ἐξέφραταν· καὶ τότε συνήγαγεν αὐτῶν ἑτέρου βαπτίσματος. τοῦ γὰρ ἁγίου πνεύματος πρότερον παρ' αὐτοῦ τετυχήκεσαν.

Rursus hac quæstione abunde ventilata subjicit.

Illud præterea didici, non nunc primum apud Afros tantum hunc morem fuisse invectum, sed et multo antea superiorum episcoporum temporibus apud populosissimas ecclesias; idque synodis fratrum Iconii et Synadæ habitis, necnon quam plurimis placuisse. Quorum subvertens sententias, in jurgia eos et contentiones conjicere nolim. Dictum est enim : *Non transferes terminos proximi tui, quos posuerunt patres tui* (*Deut.*, XIX, 14).

Μεμάθηκα καὶ τοῦτο, ὅτι μὴ νῦν οἱ ἐν Ἀφρικῇ μόνον τοῦτο παρεισήγαγον, ἀλλὰ καὶ πρὸ πολλοῦ κατὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπους ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλη-
B σίαις, καὶ ταῖς συνόδοις τῶν ἀδελφῶν, ἐν Ἰκονίῳ, καὶ Συνάδοις, καὶ παρὰ πολλοῖς τοῦτο ἔδοξεν. ὧν τὰς βουλὰς ἀνατρέπων, εἰς ἔριν καὶ φιλονεικίαν αὐτοὺς ἐμβαλεῖν οὐχ ὑπομένω. οὐ γὰρ μετακινήσεις, φησίν, ὅρια τοῦ πλησίον σου, ἃ ἔθεντο οἱ πατέρες σου.

EPISTOLÆ III, DIONYSII ALEXANDRINI EPISCOPI

AD DIONYSIUM TUM XYSTI PRESBYTERUM, AC POSTEA EJUS SUCCCESSOREM FRAGMENTUM.

Novatianum merito adversandum docet ob schisma, ob dogma impium, ob iteratum baptisma ad se venientium.

Nam Novatianum merito aversamur qui Eccle-

Νουατιανῷ μὲν γὰρ εὐλόγως ἀπεχθανόμεθα, διακο-

VARIORUM NOTÆ.

Qui ab hæreticis... Tres hominum classes istic a Dionysio videntur institui : prima eorum, qui apud
C hæreticos nati, et ab illis baptizati, ad Ecclesiam veniebant; altera eorum qui redibant ad Ecclesiam, a qua palam defecerant; postrema nonnullorum, qui licet Ecclesiæ cœtus frequentare non destitissent, clam tamen conveniebant hæreticos, eosque velut magistros audiebant. Quod si ita est, stare nequit quod Hieronymus lib. *de Script.. eccl.*, c. 79, scribit de Dionysio Alexandrino : *Hic in Cypriani et Africanæ synodi dogma consentiens, de hæreticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit epistolas.* Iste quippe præsul singulos proxime memoratos ad Ecclesiam venientes, nullo illorum baptismo iterato, a se decessoris ac præceptoris sui exemplo susceptos declarat Verum postulare videtur fragmenti hujus clausula, ut et ea quæ antecedunt, ad illos unos referamus, qui ab Ecclesia catholica ad hæresim defecerant. Ut ut est, hac in re Hieronymi testimonio inferior non est auctoritas Basilii Cæsareæ episcopi, qui quidem epist. canon. ad Amphiloch. c. 5, hæreticorum baptismum
D a Dionysio Alexandrino susceptum esse docet; ac mirari se ait, quo pacto tantus antistes, canonum peritia præditus, ne Pepuzenorum quidem baptisma, tametsi *in Patrem et Filium et Montanum Priscillamque baptizabant*, rejiceret. Sic porro loquitur Basilius, non quia baptismum in nomine Patris et Filii et Montani ac Priscillæ conferebant Montanistæ : sed quia Spiritus sancti vocabulo montanum ac Priscillam, per quos Spiritum sanctum locutum ac perfectius datum esse prædicabant, intelligere censebantur Spiritum sanctum. Insistit nempe Basilius vestigiis decessoris sui Firmiliani, a quo iidem hæretici credere arguuntur *Spiritum per Montanum et Priscillam* (apud Cyprian. legitur *Priscam*) *locutum;* adeoque *non veritatis Spiritum, sed erroris*. Denique ab iterando baptismo, seu a Cypriani Africanæque synodi dogmate quantum abhorreret Dionysius, sequens ejus ad Xystum epistola 4, comprobabit. COUSTANT.

Ad cœtus fidelium. Valesius et superius verbum συνάγεσθαι, *cum fratribus communicare,* et nunc συνήγαγεν *ad communionem admisit*, latine convertit. Utrumque cœtus sonat vel quos quispiam adit, vel quibus copulatur. Quocirca istud συνηγάγεν vertere liceret, cœtibus (subaudito *catholicis*) *copulavit*. Cui loquendi rationi concinens Siricius epist. 1, ad Himer., c. 1, dicit : « Hos per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis manus impositione. Catholicorum conventui sociamus. » Et Leo epist. 2, ad Rusticum c. 18 : « Per manus impositionem, invocata virtute Spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt. » COUSTANT.

Nequaquam ab eis petens. Apud Vales. : « Nequaquam existimans iterato baptismate eis opus esse. » COUSTANT.

Ab ipso acceperant. Videlicet Heracla, qui baptismum eis contulisse ponitur. Iis etiam, qui apud hæreticos baptizati sunt, collatus quodam modo dici potest Spiritus sanctus, ad accipiendum videlicet sacramentum, non ad percipiendam sacramenti gratiam, quam ab hæreticis percipi posse negant etiam illi patres, qui hæreticorum baptisma suscipiunt. Acceptum quippe sacramentum, remoto erroris obice quo virtus ejus suspensa tenebatur, et *supplemento ejus quod deerat accedente*, ut loquitur jam non semel laudatus Anonymus Lab. tom. I Conc. pag. 775, hoc est, ut ejusdem verbis utar, *fide postmodum sincerata* prorsusque purgata, integritatem tandem suam consequitur. COUSTANT.

Superiorum episcoporum. Cyprianus epist 71, ad Quintum, et epist. 2, ad Stephanum ab Agrippino invectum fatetur; Firmilianus vero epist. 75, ad Cyprian. in Oriente confirmatum docet *in Iconio, qui Phrygiæ locus est*, cum eo convenissent episcopi *ex Galatia et Cilicia et cæteris finitimis regionibus.* Cum autem hunc Dionysii locum Eusebius Historiæ suæ inseruerit, Cyprianum ejus sententiæ, quæ hæreticos rebaptizari volebat primum auctorem nequiit censere, licet illius verba lib. VII, c. 2, hoc sonare videantur. COUSTANT.

Dionysii fragmentum. Ex verbis epistolæ superioris

siam discidit, et ex fratribus quosdam ad impietatem et blasphemias pertraxit; qui impiissimam de Deo doctrinam in orbem invexit, et clementissimum Dominum nostrum Jesum Christum quasi immisericordem calumniatur; ac præter hæc omnia sacrum lavacrum irritum habet ac rejicit, fidemque et confessionem, quæ baptismo præmittuntur, subvertit, et Spiritum sanctum ab iis penitus fugat, etiamsi spes aliqua subsit; vel quod in illis permanserit, vel quod ad eos reversu s sit.

A ψαντι τὴν ἐκκλησίαν, καί τινας τῶν ἀδελφῶν εἰς ἀσεβείας καὶ βλασφημίας ἑλκύσαντι, καὶ περὶ τοῦ Θεοῦ διδασκαλίαν ἀνοσιώτατην ἐπεισκυκλήσαντι, καὶ τὸν χρηστότατον κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ὡς ἀνηλεῆ συκοφαντοῦντι, ἐπὶ πᾶσι δὲ τούτοις τὸ λουτρὸν ἀθετοῦντι τὸ ἅγιον, καὶ τήν τε πρὸ αὐτοῦ πίστιν καὶ ὁμολογίαν ἀνατρέποντι, τὸ τε πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐξ αὐτῶν, εἰ καί τις ἦν ἐλπὶς τοῦ παραμεῖναι ἢ ἐπανελθεῖν πρὸς αὐτούς, παντελῶς φυγαδεύοντι.

EPISTOLÆ IV, DIONYSII ALEXANDRINI EPISCOPI

AD SIXTUM II. PAPAM FRAGMENTUM.

De homine qui baptismo Ecclesiæ initiari expetebat, cum baptismum aliis verbis ac rebus apud hæreticos suscepisse se diceret.

Vere etenim, frater, consilio opus habeo, et sententiam tuam expeto, ne forte halluciner, super negotio quod mihi tale accidit. Quidam ex fratribus, qui ad ecclesiam conveniunt, jam pridem pro fideli habitus, et qui ante meam ordinationem, ac ni fallor, ante ipsius quoque Heraclæ episcopatum cœtus fidelium particeps fuerat, cum interfuisset baptismo eorum qui nuper baptizabantur, et interrogationes responsionesque audisset, ad me accessit flens et vicem suam ingemiscens. Pedibusque meis advolutus, confiteri atque dejerare cœpit, baptismum quo apud hæreticos initiatus fuerat, non hujusmodi esse, neque quidquam omnino habere cum hoc nostro commune: quipe plenum fuisse impietatis et blasphemiæ. Aiebatque animum suum acerbissimo doloris sensu compungi, ac ne oculos quidem ad Deum attollere se

B Καὶ γὰρ ὄντως, ἀδελφέ, συμβουλῆς δέομαι, καὶ γνώμην αἰτῶ παρὰ σοῦ, τοιούτου τινός μοι προσελτόντος πράγματος. δεδιὼς μὴ ἄρα σφάλλωμαι. τῶν γὰρ συναγομένων ἀδελφῶν πιστὸς νομιζόμενος ἀρχαῖος καὶ πρὸ τῆς ἐμῆς χειροτονίας, οἶμαι δὲ καὶ πρὸ τῆς τοῦ μακαρίου Ἡρακλᾶ καταστάσεως τῆς συναγωγῆς μετασχών, τοῖς ὑπόγυον βαπτιζομένοις παρατυχών, καὶ τῶν ἐπερωτήσεων καὶ ἀποκρίσεων ἐπακούσας, προσῆλτέ μοι κλαίων καὶ καταθρηνῶν ἑαυτόν. Καὶ πίπτων πρὸ τῶν ποδῶν μου, ἐξομολογούμενος μὲν καὶ ἐξομνύμενος τὸ βάπτισμα, ὃ παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς βεβάπτιστο, μὴ τοιοῦτον εἶναι, μὴ δὲ ὅλως ἔχειν τινὰ πρὸς τοῦτο κοινωνίαν· ἀσεβείας γὰρ ἐκεῖνο καὶ βλασφημιῶν πεπληρῶσθαι. Λέγων δὲ πάνυ τι τὴν ψυχὴν νῦν κατανενύχται, καὶ μὴ δὲ παῤῥησίαν C ἔχειν ἐπᾶραι τοὺς ὀφταλμοὺς πρὸς τὸν Θεὸν, ἀπὸ τῶν ἀνοσίων ἐκείνων ῥημάτων καὶ πραγμάτων ὁρμώμενος·

VARIORUM NOTÆ.

colligere est, eo ipso tempore, quo Stephanus papa de hæreticis non rebaptizandis scripsit, Philemonem ac Dionysium presbyteros eadem de re litteras ad Dionysium Alexandrinum misisse. Iisdem quoque Dionysius Alexandrinus primo paucis, ac deinde cum jam Stephano Xystus successisset, pluribus rescripsit, et quidem separatim, ut ex eo conficitur, quod epistola quæ ad Philemonem rescripta est, *tertia de baptismo :* et quæ ad Dionysium, *quarta* ab Eusebio appelletur. De hac porro idem Eusebius ita præloquitur : « Quarta ejus (Dionysii) de baptismo epistola ad Dionysium scripta est, tunc quidem Romanæ D urbis presbyterum, sed qui aliquanto post tempore ejusdem urbis episcopus constitutus est. Ex qua hunc ipsum Romanum Dionysium eruditissimum planeque admirandum virum fuisse testimonio Dionysii Alexandrini licet cognoscere. » Tum hæc præfatus, subnexum fragmentum subjicit. COUSTANT.

Lavacrum iritum habet. Quocirca in epistola 73 Cypriani ad Jubanianum legimus, *Novatianenses rebaptizare eos, quos a nobis sollicitant.* Et apud Augustinum append. tom. III antiquus auctor vet. et nov. Testam. quæst. 102, de ipso Novatiano ait : *In tantum irascitur nobis, ut et nos Christianos neget,* (ideoque baptismum nobis iterandum censeat), *cum sciat nos ea fide initiatos, de qua ipse præsumit.* Quibus concinit illud vulgati Ambrosii Comment. in I Cor. cap. I : « Sic enim erant, sicut nunc Novatiani et Donatiani, qui baptismum sibi vindicant, a nostris baptizatos reprobantes. » COUSTANT.

Etiamsi spes aliqua subsit. Græca vox ἐλπὶς interdum pro opinione usurpatur. Et hic quidem constructio ejus cum verbo præteriti temporis postulare videtur, ut illam ea ratione intelligamus. Neque vero cum Valesio hunc locum de lapsis in idololatriam, sed de Catholicis a Novatiano subversis interpretamur, quorum ille baptismum exsufflans, Spiritum sanctum sacramenti hujus munere acceptum fugabat, quamvis in eorum aliquibus, antequam subverterentur, Spiritum sanctum vel permansisse per innocentiam vel est ut cum Valesio per pœnitentiam rediisse credibile sit. Ita nihil opus quæramus, *In lapsis quomodo potest remanere Spiritus sanctus?* COUSTANT.

Dionysii Alexandrini fragmentum. De hac epistola Eusebius ita præloquitur : « Extat et quinta ejusdem epistola ad Xystum Romanæ urbis episcopum, in qua postquam adversus hæreticos multa disseruit, hujusmodi quiddam sua ætate contigisse narrat. » In ea autem narrat Dionysius quod nuper contigerat, cum baptisma publice ac sollemniter tradidisset. Unde hanc epistolam paulo post Pascha, vel certe Pentecosten, anni 258, scriptam esse colligitur. COUSTANT.

Baptismum quo apud hæreticos initiatus fuerat. Rufinus hæc ita reddidit : « Baptisma ab hæreticis aliter se suscepisse : quod tamen secundum ea, quæ nunc videret a nobis ministrari, nec baptisma duceret, eo quod esset repleta plasphemiis omnis illa confessio. » Dionysii ejusque decessorum ævo in Alexandrina ecclesia, ut baptismo non iterato susciperentur hæretici usu receptum fuisse ex hoc loco evidenter confi-

audere, quod scelestis illis verbis ac rebus initiatus fuisset. Quapropter exorabat, ut hoc purissimo lavacro susceptione et gratia donaretur. Quod ego quidem facere non sum ausus; sed diuturnam illi communionem ad id satis fuisse dixi. Nam qui gratiarum actionem audierit, et qui cum cæteris responderit Amen; qui ad sacram mensam adstiterit, et manus ad suscipiendum sanctum cibum porrexerit, atque illum exceperit, et corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps fuerit diutissime, eum adhuc de integro renovare non ausus fuerim. Porro illum

A καὶ διὰ τοῦτο δεόμενος τῆς εἰλικρινεστάτης ταύτης καθάρσεως καὶ παραδοχῆς καὶ χάριτος τυχεῖν· ὅπερ ἐγὼ μὲν οὐκ ἐτόλμησα ποιῆσαι, φήσας αὐτάρκη τὴν πολυχρόνιον αὐτῷ κοινωνίαν εἰς τοῦτο γεγονέναι. εὐχαριστίας γὰρ ἐπακούσαντα, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμὴν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, καὶ ταύτην καταδεξάμενον, καὶ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετασχόντα ἱκανῷ χρόνῳ, οὐκ ἂν ἐξ ὑπαρχῆς ἀνασκευάζειν ἔτι τολμήσαιμι· θαρσεῖν δὲ ἐκέλευον, καὶ μετὰ βεβαίας πίστεως, καὶ ἀγαθῆς συνειδήσεως τῇ μετοχῇ τῶν ἁγίων

VARIORUM NOTÆ.

citur. Illud quoque notandum, scrupulum homini de baptismo suo non ideo injectum, quia eum ab hæreticis, sed quia sub aliena forma, ut existimabat, suscepisset. Baptisma enim aliis verbis aut rebus, quam quæ Christus præscripsit, numquam in Ecclesia pro Christi baptismate, adeoque nec pro vero baptismo, habitum est. Non aliter sentiebat Dionysii decessor, etsi forsitan culpandus, quod hominem ab hæresi venientem, qua ratione baptizatus esset, interrogare neglexit. Hujusmodi incommodum ut caveretur deinceps, anno 314. concilium Arelatense can. 8, constituit, « ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum; quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur. » COUSTANT.

Verbis ac rebus. Valesius, *verbis ac ceremoniis.* Hic religioni est a græco tantisper discedere. Quinam vero essent hæretici, quæ res ac verba, quibus baptismum administrabant, ut exposuisset Dionysius, nemo non desideraret. Sed nec forte ipse ab eo, qui de baptismo suo ambigebat, quidquam nisi generalibus verbis ediscere potuerat. COUSTANT.

Susceptione et gratia. Christophors. *susceptione in Ecclesiam.* Musculus simpliciter *susceptione:* quam interpretationem sibi magis probari Valesius in notis declarat; quia in baptismo Deus nos tamquam filios suscipiat. Ipse in Eusebii textu præfert, *verissimaque adoptione.* Nos autem hunc locum sic intelligendum censemus, quasi legeremus, ut non modo *susceptione*, qua gaudebat in Ecclesiam receptus, sed et *gratia*, qua se privatum dolebat, *donaretur.* Ex hac Rufini interpretatione, *Propter quod exorabat mundari se et purificari ecclesiastico baptismate, ut et gratiam consequi posset Spiritus sancti*, illum legisse liquet παραδοχῆς χάριτος, sine media particula καί. Quæ lectio si vera est, latine vertendum erit *perceptione gratiæ.* COUSTANT.

Responderit amen. His consentanea sunt ista Justini martyris Apolog. 1, *Ubi absolvit* (sacerdos) *preces et Eucharistiam perfecit, omnis populus, qui adstat, succlamat dicens, Amen.* Οὗ συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν, πᾶς ὁ παρὼν λαὸς παρευφημεῖ λέγων, Ἀμήν. Quocirca Justinianus imp. Novel. 137, c. 6. *Jubemus*, inquit, *omnes episcopos et presbyteros non in secreto, sed cum ea voce quæ a fidelissimo populo exaudiatur, divinam oblationem .... facere.* Et mox, *Si solum benedicis spiritu, is qui idiotæ locum implet, quomodo tuæ gratiarum actioni subjiciet sanctum illud Amen?* Jam quidem superius pag. 157 not. *b*, observavimus fideles sacerdoti eucharistiam sibi tradenti, ac dicenti, *Corpus Christi*, aut *Sanguis Christi*, respondere olim consuevisse *Amen.* At Dionysium de responsione *Amen*, quæ consecrationis verbis subjiciatur, modo loqui orationis ejus series persuadet. Ab eo certe dictum narrat, quem postea ad altare percipiendæ eucharistiæ gratia inducit. Jam vero antiquatum morem revocare privati non

B est: sed alterum diutino usu nunc receptum vir humilitatis ac pacis studiosus semper prætulerit. Satis habebit, cum ad eum venerit sacræ liturgiæ locum, ubi antiqui respondere solebant *Amen*, eam fidem, quam illi hac voce exprimebant, sincero mentis affectu firmare, ut ex Ambrosii lib. de Myster. cap. 9, consilio, quod os olim loquebatur dicens *Amen*, *hoc est verum est*, nunc *mens intenta fateatur.* COUSTANT.

Et manus ad suscipiendum. Et hic usus, quo fideles Christi corpus manibus excipere solebant, antiquatus est, sed nulla lege abrogatus legitur. Eum saltem ad sæculum sextum in Galliis perseverasse Mabillonius noster lib. I *Liturg. Gallic.*, cap. 5, n. 25, ex lib. X Gregorii Turon., cap. 8, colligit. COUSTANT.

Renovare non ausus fuerim. An Dionysio responderit Xystus, ejusque scrupulum exemerit, nobis ignotum. Forte etiam huic papæ rescribendi opportunitatem persecutio ac mors non multo post interveniens sustulit. At eum, qui præscriptis a Christo verbis C baptizatus non fuisset, baptizandum esse superius allatus Arelatensis concilii canon 8, clare decidit. Quocirca et Nicænum concilium can. 19 Paulianistas ad Ecclesiam venientes baptizari voluit; *quia* inquit Innocentius epist. 16, ad Macedonas, cap. 10, *hæretici illi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti minime baptizabant:* adeoque nullum erat hujusmodi baptisma. *Quis enim*, inquit Augustinus lib. VI de Bapt. cont. Donat. c. 25, *nesciat non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat defuerint.* Christi tamen generale præceptum est, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc.; nec cuiquam, ab Evangelii prædicatione, salutem sperandam censet Ecclesia, nisi qui hoc præceptum re vel voto impleverit. Quantumvis frequentarit quis fidelium cœtus, ibique corporis ac sanguinis Christi particeps fuerit, de gratia Spiritus sancti ab eo percepta nemo certior esse potest, quam de hoc munere tum Cornelio tum sociis ejus indulto certus fuit Petrus: qui nihilominus eos omnes, quos Spiritu sancto plenos conspicie- D bat, baptizandos esse non dubitavit, *ut nihil prætermissum videretur,* inquit Cyprianus epist. 2, ad Steph., n. 1, *quominus per omnia divini præcepti atque Evangelii legem apostolica magisteria servarent.* Nec ambigendum mihi videtur, quin hoc ipsum Dionysio exploratum fuerit. Inde igitur angebatur potius, quod cum is, qui se rebus ac verbis aliis baptizatum dicebat, nulla certa ratione istud comprobaret, baptismum præter apostolicam doctrinam iterare vereretur. Eum nempe in se expertus est iterationis baptismi horrorem, quem fidelium animis insitum esse postea Augustinus lib. V de Bapt. cont. Donat. c. 5. testatus est. Et in hac dubitatione æstuans, de homine prædicto id sentire maluit, quod de aliis in Ecclesia non baptizatis Cyprianus epist. 73, ad Jubaianum, sentire se dixit: *Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, et eos, qui ad Ecclesiam simpliciter* (sine baptismo) *admissi, in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare.* Subinde vero formidinem hujusmodi Leo epist. 115, ad Neonem,

bono animo esse jussi, et cum firma fide ac bona conscientia accedere ad Sancta, et participem eorum fieri. Verum ille lugendi finem non facit, et ad mensam accedere exhorrescit, vixque rogatus interesse orationibus sustinet.

A προσιέναι. ὁ δὲ οὔτε πενθῶν παύεται· πέφρικέ τε τῇ τραπέζῃ προσιέναι· καὶ μόλις παρακαλούμενος συνεστάναι ταῖς προσευχαῖς ἀνέχεται.

VARIORUM NOTÆ.

levavit: ubi præmittens, *In primis itaque providere debemus, ne dum speciem quamdam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum*, fatetur quidem deinde, *inexpiabile esse facinus, lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire;* verum mox nihilominus addit: *Sed in hoc* (quem vere baptizatum nemo scit,) *nihil simile formidatur; quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod factum esse omnino nescitur.* Porro de baptismo, cujus causa Dionysius Xystum sibi consulendum duxerat, illud certo constabat, eum ab hæreticis fuisse collatum. Nec dubium quin si homo sic baptizatus Cyprianum et eos, qui cum illo Africana in synodo convenerant, adiisset, hunc baptizandum esse statim decrevissent. Et inde igitur Dionysium cum iisdem minime consensisse confirmatur. Hinc certe constat hominem illum, qui baptizatus ab hæreticis fuerat, ab Heracla in Ecclesiam sine novo baptismo fuisse admissum. Ipsevero Dionysius Heraclæ in recipiendis hæreticis morem sequi se conceptis verbis profitetur. COUSTANT.

NOTITIA

SCRIPTORUM QUORUMDAM QUÆ AD SIXTUM ATTINENT.

I. Præterea Dionysius aliam ad Sixtum scripsit epistolam, quam Eusebius, lib. VII, *Hist.*, c. 9, his verbis indicare satis habuit: « Est et quinta ejusdem Dionysii epistola de baptismo, ipsius et ecclesiæ quam regebat nomine, ad Sixtum et ecclesiam urbis Romæ, in qua de proposita quæstione prolixam admodum disputationem instituit. »

II. Pontius in Vita S. Cypriani hæc habet: « Jam de Sixto bono et pacifico sacerdote, ac propterea beatissimo martyre, nuntius venerat. Sperabatur jamjamque carnifex veniens. » Quæ verba sic summatim reddit Oxoniensis editor: « Sixtus pontifex romanus de persecutione secutura Cyprianum admonet; » B adeoque, si Pontii assecutus est mentem, dicendus est Sixtus passionis proximus ad Cyprianum litteras misisse, quibus eum de persecutione imminente certiorem faceret. Verum hoc tantum sibi vult Pontius, persecutionem Romæ flagrare, jamque de Sixti martyrio ac nece nuntium venisse, et Carthagine in dies carnificem expectari. Ibi enim perstringit hic diaconus quod Cyprianus epist. 82, ad Successum explicat, eos nempe venisse, quos Romam, ut veritatem explorarent, ipse miserat; a quibus et Valerianum adversus christianos ad senatum rescripsisse, et Sixtum animadversum, et huic persecutioni in Urbe præfectos quotidie insistere didicit. D. COUSTANT.

DE SANCTO DIONYSIO

ROMANO PONTIFICE

PROLEGOMENA.

ARTICULUS PRIMUS.

Ejus vitæ historia.

Dionysius origine Græcus, et patria Calaber vulgo creditur (1). De ejus rebus gestis usque ad annum 256 Jesu Christi nihil certi compertum habemus. Ea tempestate romanæ presbyterum agebat Ecclesiæ, quem Epistolis suis adiit Dionysius Alexandrinus. Ex illa, quæ quarta erat de Baptismo (2), « hunc ipsum Romanum Dionysium eruditissimum, planeque admirandum fuisse, testimonio Dionysii Alexandrini licet cognoscere. » Stephano faverat Dionysius; siquidem ipse ac Philemon Firmilianum et Helenum hæreticorum baptismum rejicientes a communione segregandos C cum Stephano papa censebant (3). Sed de sententia Stephani discessit postmodum, sive hæreticos cum Cypriano baptizandos esse judicarit (4), sive durius Stephani Afros vel excommunicantis, vel saltem excommunicationem minitantis factum improbarit. Id docet Dionysius Alexandrinus ad Sixtum Dionysii Romani decessorem epistola, quæ est secunda de Baptismo: « Sed et charissimis fratribus et compresbyteris nostris Dionysio et Philomeni, qui prius idem cum Stephano senserant, antea quidem breviter, nunc vero pluribus verbis scripsi. » Horum igitur duorum Romanæ Ecclesiæ Presbyterorum Sapientia, inquit Cl. Maranus (5), nec immerito mitigatum exi-

(1) Cave, *Hist. litterar.*, t. I, pag. 133; Joan. Georg. Walch., *Hist. Eccles.*, pag. 1001. Liber Pontificalis, *monachum* fuisse tradit, quod est longe falsissimum.

(2) Euseb., *Hist. Ecclesiast.*, lib. VII, cap. 7; et apud Galland., tom. III, Ep. 8, p. 523, in not. 5.

(3) Vide Coutantii not. 6, in Ep. 6, quæ est secunda *de Baptismo ad Sixtum II*, in hoc tomo, supra.

(4) Ita quidem censet Launoyus, tom. VIII, pag. 603. Sed perpaucos fore, inquit Cl. Maranus, in *Vita S. Cypriani*, § 30, pag. 100, edit. Venet. 1758, in fol., arbitror, qui Launoii conjecturam non explodant.

(5) Maran., loco citat., pag. CI.

stimamus edictum Stephani adversus rebaptizantes. A

Sanctus Dionysius quo tempore pontifex factus. — Sixto II, seu Xysto, in Valeriani persecutione extincto, Dionysius noster in sede romana successit. Quando et quamdiu sederit sanctus Dionysius, inter eruditos controvertitur. Notante doctissimo Petro Coutantio (1), sibi non cohæret Anastasius vulgatus seu Pontificalis liber, in quo Xystus VIII idus augusti capite truncatus, et Dionysius XI kalendas augusti ordinatus ponitur : ac nihilominus scribitur romana sedes a Xysti morte tantum *triginta quinque dies cessasse.* Eam autem Valeriani persecutione prohibente, ne Xysto successor daretur, ab VIII idus augusti a consulatu Tuscii Bassiusque in diem XII kalendas augusti Æmiliano et Basso consulibus, hoc est a die 6 mensis augusti anni 258, ad diem 21 mensis julii anni B 259, adeoque menses undecim ac dies quindecim vacasse verius ex Bucheriano Catologo aliisque comperimus. Per hoc intervallum romanam Ecclesiam presbyteri hujus Ecclesiæ cum diaconis, ut id moris erat, administrarunt. Postmodum vero anno 259 XI kalendarum augusti, seu 22 die mensis julii feria sexta, romanæ civitatis antistes electus est Dionysius, qui Xysto pontifice inter hujus Ecclesiæ presbyteros eminebat. « Fuit, » ut Bucheriani catalogi verba exscribam, « temporibus Gallieni, ex die XI kalendarum augusti Æmiliano et Basso consulibus, usque in diem VII kalendas januarii consulibus Claudo et Paterno, » adeoque a 22 die mensis julii 259, ad 26 diem mensis decembris anni 269. Unde sequitur, ut annos decem, menses quinque, dies quatuor (emor- C tuali nempe excluso) Ecclesiæ regimen tenuerit (2). Inde et falsi convincitur Pontificalis liber, in quo, cum descripta sint superiora Bucheriani Catalogi verba, Dionysius tamen annos sex, menses duos, dies quatuor, sedisse dicitur. Neque etiam ab errato immunis est ipse Bucherianus Catalogus, in quo eidem Papæ anni dumtaxat octo, menses duos, dies sex, adscribuntur. In pervetusto indiculo depositionis episcoporum romanorum, quem Bucherius pag. 267 edidit. Dionysii depositio seu sepultura consignatur in hunc modum : VI kalendas januarii Dionysius in Callisti.

Consecratum fuisse Dionysium a Maximo episcopo ostiensi (3) habent acta sancti Laurentii prope finem apud Surium die X augusti. Sane quidem antiqui moris fuisse, ut romanus episcopus consecraretur ab episcopo ostiensi, auctor est sanctus Augustinus (4) in Breviculo collationum cum donatistis. Hinc presbyteris ecclesias divisit (5), et cœmeteria et parochias, diœceses constituit (6). Apud hunc antistites pentapolitani accusarunt Dionysium Alexandrinum, « perinde atque id de Filio Dei sentiret, quod postea Arius sensit. Quibus ille auditis una scripsit, et contra Sabellii sectatores et contra eos, qui ejus essent sententiæ, quam cum post Arius protulisset, ab Ecclesia est ejectus (7). Misit quoque ad Dionysium (Alexandrinum) litteras, ut indicaret, qua de re accusatus ab illis fuisset (8). Concilium inde Romæ celebravit, in quo idem Dionysius episcopus alexandrinus, cum per epistolam aperuisset sententiam suam, ac purgasset objectum crimen, omnis exors culpæ magno consensu declaratus est (9). Idem pontifex creditur in eadem urbe habuisse synodum (10) contra Paulum Samosatenum episcopum antiochenum abrogantem Christo divinitatem. Sed qui ita credunt, eos decipi loco sancti Athanasii non recte intellecto, docet Pagius ad annum 264, § 4. Sub eodem pontifice anno circiter 262, vult Harduinus, celebratum in Africa concilium, in quo sancitum est, hæreticos non esse rebaptizandos, quemadmodum testatur Hieronymus in Dialogo adversus luciferianos, cap. VIII, his verbis (11) : « Denique illi ipsi episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo (Cypriano) statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum. » Verum istud ab uno Hieronymo discimus; alibi enim novi hujusce decreti mentionem fieri nullam invenias; quin et ipsa disputatio inter donatistas et sanctum Augustinum tale nihil penitus novit. Pamelius sanctum Dionysium alexandrinum testem hujus rei adducit; at judice novissimo editore operum sancti Hieronymi cum Baronio hallucinatur.

E vita migravit sanctissimus pontifex Dionysius anno Domini 269, 26 decembris, secundum Pagium, Basnagium et auctores *l'Art de vérifier les dates*. Perdoctus P. Berti (12) post Baronium (13) censet, Dionysium ad plures primum anno 271 abiisse, eo Baronii

(1) Coutant., *Epist. Rom. Pontif.*, pag. 269 et seq. D

(2) Ita Chronotaxin Pontificatus S. Dionysii ordinant Pagius in *Critic.* ad Baron., *Annal.*, ad annum 271, pag. 9; Basnage ad ann. 259, in *Annal. Polit. eccles.*, pag. 400; et Benedictini in opere : *l'Art de vérifier les dates*, pag. 243. Alias sententias videsis in diversis editionibus Pontificalis apud Schelstratenum, pag. 434 et 435, tom. I *Antiquitatis Ecclesiæ illustratæ.*

(3) Baron., ad ann. 261, § II.

(4) Sunt hæc verba Augustini in memorato Breviculo Collat. diei III, cap. 16 : « Nec Romanæ Ecclesiæ (episcopum) ordinat aliquis episcopus metropolitanus, sed de proximo ostiensis episcopus. Quod, ut docet Mabillonius, cap. 18 (*Comment. in ordinem romanum, pag.* 119), non ita accipiendum, quasi hic solus fuerit, sed præcipuus romani pontificis vice metropolitani consecrator. »

(5) Baron., ad ann. 263, § 31, 33, 34, 51.

(6) Liber Pontificalis, cujus verba Baronius ad ann. 270, § 17, explanat in hunc modum : « Dionysii opus fuit, parochias *a Decessoribus suis* distinctas limitibus certis, Presbyterisque divisas, *quas persecutio Valeriani turbaverat*, iterum dividere, ac pro ratione distribuere, cœmeteriaque singulis consignare. » Vide Blanchinum, in notis ad Anastasium Bibliothecarium, tom. II, pag. 230 et 231.

(7) S. Hilarius, lib. IV de Trinitate, § 12 : « Sabellius ipsum dicit Filium, quem et Patrem. »

(8) S. Athanasius, in *Epist. de Sententia Dionysii*, § 13, pag. 252 edit. Paris., Montfauconii, tom. I, part. I, pag. 198 edit. Patavinæ, 1777, in-fol.

(9) Apud Mansi, *Collect. Concilior.*, tom. I, pag. 1015. Harduinus ad annum 260 in suo concilior. indice refert hanc synodum romanam.

(10) Baron., ad ann. 265, § 4, 10.

(11) Hieronym., *Dialog. adv. Luciferianos*, num. 23, pag. 196, edit. Venet., in 4, de anno 1767, tom. II.

(12) Berti, *Hist. eccl.*, sive *Dissertationes historicæ*, tom. II, Dissert. I de *Rom. Epp.*, sæc. III, § XVIII, pag. 330, edit. August. Vindel., 1761, in 8.

(13) Baron., ad ann. 272, § 21.

argumento inductus, quod secunda synodus adversus Paulum Samosatenum Antiochiæ celebrata sit defuncto jam Claudio Augusto, qui decessit Aureliano. Nos vero vitam adhuc retinente Claudio, synodi epistolam ad Dionysium Romanum et alios episcopos scriptam fuisse anno 269 censemus (1).

Elogium S. Dionysii Romani. — Eruditionis singularis laudem, quam Eusebius, libro VII, cap. 7, *Hist. eccles.*, Dionysii Alexandrini testimonio fultus Dionysio nostro adtribuit (eruditissimum planeque admirandum virum eum appellans); vel quod ex ejus scriptis superest fragmentum, illi satis superque conciliat. In eo dum sabelliana profligare studet commenta, simul et Arii et tritheitarum placita prævertit atque pervertit, ac nicænæ synodo, quam postea sequeretur, cæterisque sequendam decerneret, fidem præmonstravit. In hoc prætcrea prudentiam patefecit suam, quod in Dionysium Alexandrinum quantumvis graviter accusatum, nihil asperi vel dixit, vel gessit: verum non dissimulans, quam grave esset, unde accusaretur, patienter sustinuit, quoad iste præsul abunde satisfaceret, injectamque de se suspicionem penitus depelleret. Adhæc a divo Basilio vocatur (2) sanctus Dionysius noster celeberrimus cum ob fidem, tum ob virtutes reliquas egregias: præsertim vero multis commendatur propter charitatis, misericordiæque in captivos opera. Siquidem Asiam minorem, barbarorum cum primis incursionibus evastatam, non litteris modo suis, sed et ære, quo christianorum plurimi in libertatem adserti sunt, recreavit (3). Divus Athanasius eum recenset inter A eos patres, quorum doctrinam, immo phrases et verba concilium nicænum usurpavit (4).

ARTICULUS II.

De scriptis S. Dionysii Romani Pontificis tum genuinis, supposititiis, ac præsertim de Fragmento Epistolæ ad sanctum Dionysium Alexandrinum seu potius adversus Sabellianos.

Magno Ecclesiæ damno sancti Dionysii romani episcopi scripta fere omnia injuria temporum periere. Librum edidit *de Duplici Hæresi* (5). Nec semel de viri magni lucubrationibus mentionem egit Athanasius: « Ex Dionysii Romani operibus, inquit (6), contra eos, qui filium Dei opus asseverant, ostenditur ariorum hæresim olim ab omnibus damnatam fuisse. » Verba quoque Dionysii affert libro *de Decre-* B *tis Synodi Nicænæ*, tom. I, pag. 275, vet. edit. et Benedictinor., Paris., § 26, pag. 231 et seqq.

Epistolæ I. Dionysii papæ ad Dionysium Alexandrinum notitia. Caussa et occasio exponitur ex Athanasio. — Dionysius Alexandrinus antistes, ubi apud Ptolemaidem Pentapoleos urbem exortam audivit Sabellii hæresim, quæ sanctæ Trinitatis personas confundebat, de hac Xystum papam certiorem facere, et quasdam ea de causa epistolas a se conscriptas ei mittere festinavit. Teste autem Eusebio, a Dionysio Alexandrino « Epistolæ contra Sabellium scriptæ sunt ad Ammonem Berenicensem (in Pentapoli) Episcopum, una ad Telesphorum, ad Euphranorem altera, et alia rursus ad Ammonem et Euporum. » Nominatim vero epistolis ejus ad Ammonem et Euphranorem C non nulli moti illum ad romanum pontificem detulerunt. Dionysius vero Romanus rem satis gravem duxit, ut Alexandrinum, prius concilio habito, commonere non differret.

Epistolæ illius causam et occasionem Athanasius in Epistola *de sententia Dionysii*, n. 13, exponit in hunc modum (7): « Cum Dionysius Alexandrinus contra Sabellii hæresim ad Ammonem et Euphranorem studio religionis permotus scripsisset, quidam ex Ecclesia fratres, sanæ quidem doctrinæ homines, non sciscitati tamen eum (Dionysium Alexandrinum) qua de causa ita scripsisset, Romam (8) se contulere,

(1) Videsis observat. Pagii in *Critic.* ad ann. 271, n. 2 et seqq.; et apud Mansi, in *Collect. Concilior.*, tom. I, pag. 109 » et seqq.

(2) Omnino autem nihil exposcimus novi, sed quod et cæteris olim beatis ac Deo dilectis viris usitatum et præcipue vobis (romanis pontificibus, ita Damasium papam alloquitur sanctus Basilius) Novimus enim ex serie memoriæ, a patribus nostris interrogatis, et litteris etiamnum apud nos asservatis edocti, *Dionysium*, beatissimum illum episcopum, qui apud vos et recta fide, et reliquis virtutibus enituit, invisisse ecclesiam nostram cæsariensem, et patres nostros per litteras consolatum esse, ac misisse, qui fratres captivos redimerent (*S. Basil.*, *Ep.* LXX, al. CCXX, *pag.* 164, *edit. Paris. Benedictor*). Observat in hunc S. Basilii locum perdoctus editor Julianus Garnier, quod, quæ Basilius de romanorum episcoporum in alias ecclesias beneficentia narrat, testimoniis D confirmetur et Dionysii Corinthiorum Episcopi apud Eusebium, *Hist. eccles.*, lib. IV, cap. 23, et Dionysii Alexandrini lib. VII, cap. 5, et ipsius etiam Eusebii, qui hunc morem in postrema persecutione servatum a Romanis fuisse declarat lib. IV, cap. 23. Memorata autem a Basilio calamitas sub Gallieno contigit, cum Scythæ Cappadociam, et finitimas regiones vastarent, uti testatur Sozomenus lib. II, cap. 6. Atque ex tantis malis magnum hoc bonum eruit Deus, ut christiani a barbaris abducti victores suos caperent, et ad Christum adducerent. Unde Basilius in Epist. 164, prima pietatis semina apud Gothos e Cappadocia pullulasse ait opera beati Eutychetis.

(3) S. Basilius insuper in libro de Spiritu sancto, cap. XXIX, n. 72, pag. 60, edit. Benedictin., Paris. Sancti Dionysii Romani auctoritate utitur ad confirmandas præcipuas religionis veritates.

(4) Athanas., *Epist. de Synodis*, n. 43, edit. Patavinæ, tom. I, part. II, pag. 605. A. B.; et edit. Paris., Montfaucon., tom. I, pag. 737.

(5) Basnage, *Annal. Polit. Eccles.*, tom. II, ad ann. 259, n. VIII, pag. 400, nullo citato auctore aut antiquo monumento pro hoc libro Dionysii *de duplici Hæresi*. Forte is liber nil aliud est, quam epistola ad Dionysium Alexandrinum, in qua duplicem hæresim et tritheitarum, et Sabellii confutavit Romanus Dionysius.

(6) Athanasius, tom. I, Opp., edit. Paris., 1627, pag. 558 et 918; et edit. Patavinæ, 1777, tom. II, part. I, *de Sententia Dionysii*, pag. 198 et seqq., n. 13, et part. II, n. 43, pag. 605.

(7) Athanas., *de Sent. Dionys.*, n. 13, pag. 198 et seqq., cit. edit. Patav.

(8) Subinde Julius I, Epist. I, n. 22, cum eusebianis quod se inscio Athanasius alexandrinum episcopum condemnasset, expostulavit his verbis: « Cur autem de alexandrina ecclesia potissimum nihil

illumque apud cognominem Dionysium Romanum A Episcopum accusarunt, » quod nimirum, ut et Athanasius, ibid. num. 4, prodit, in prædicta Epistola, n. 4, dixisset: « Opus et rem factam esse Filium Dei, non natura proprium, sed alienum a Patre secundum substantiam, qualis est agricola a vite, et faber a scapha: etenim cum sit res facta, non erat, antequam fieret. Quibus auditis », inquit Athanasius, num. 13, « Dionysius Romæ episcopus scripsit (1), et contra Sabellii sectatores, et contra eos, qui ejus essent sententiæ (cujus Dionysius Alexandrinus assertor putabatur), et: Ob quam Arius postea ab Ecclesia ejectus est. Scripsit (2) quoque ad Dionysium (Alexandrinum) litteras, ut explanaret ea, de quibus ab illis (fratribus supra memoratis) accusatus fuerat. » De iisdem litteris idem Athanasius, lib. de Synodis, B n. 43, hæc memoriæ commendavit: « Cum autem quidam ad Romanum Episcopum de Alexandrino detulissent, quod Filium rem factam et Patri non consubstantialem affirmaret, Romana Synodus (3) rem indigne tulit; Romanus autem Episcopus scriptis ad cognominem suum litteris, omnium (ea de re) sententiam notam ei fecit. »

Athanasiana verba expenduntur. Potior Baronii sententia distinguentis scriptum Dionysii Romani contra Sabellium ab ejusdem Epistola Dionysio Alexandrino inscripta. — Scriptum illud cujus priore loco meminit Athanasius, ab Epistola ad Dionysium, quam exinde ille memorat, distinguendum esse Baronius censet: alii de hac re dubitant (4). Sed potior nobis videtur Baronii sententia. Primo enim Athanasius Dionysii Romani contra sabellianos opus simplici verbo ἔγραψε designat; ac inde adjicit: ἐπέστειλε δὲ καὶ Διονυσίῳ: ubi particulæ δὲ καὶ distinctum quid notant, verbum ἐπέστειλε, *Epistolam scripsit* proprie sonat, ac subjecta vox Διονυσίῳ, cui inscripta erat Epistola illa, indicat. Ipsa etiam decori ratio, immo et æquitas postulabat, ut romanus pontifex tantæ sedis antistiti, qualis erat alexandrinus, tanti meriti, tamque arcta cum romanis præsulibus amicitia devincto, qualis erat Dionysius, ea, quæ adversus illum dicta fuerant, et quæ de iis esset sententia romana, privatis litteris, non publico scripto nota faceret. Præterea Dionysius Romanus in opere contra sabellianos non unum singularem episcopum, sed plures alloquitur. Denique in Dionysium seu Romanum, seu Alexandrinum minime convenit subnexi fragmenti exordium, in quo Dionysius Romanus tres Deitates a quibusdam induci præfatus, statim adjungit: « Audio enim quosdam, qui divinum Verbum apud vos prædicant, et docent, hujus opinionis magistros esse. » Non enim is amicum vagis ac generalibus hujusmodi verbis arguebat, sed speciales ipsi mittebat sententias ex scriptis illius excerptas, et ut eas explanaret, admonebat.

Epistolæ II (1), *seu operis Dionysii papæ adversus Sabellianos Fragmenti notitia.* — Insigne fragmentum Epistolæ contra sabellianos a Dionysio Romano exaratæ debemus Athanasio, a quo in Epistola de Decretis nicænæ synodi num. 26, sic laudatur (2): C « Dionysius quoque Romæ Episcopus scribens contra sabellianos, adversus illos, qui talia... (scilicet Verbum factum et creatum esse) audent dicere, indignatur his verbis. » Ex eo opere excerptum est, quod idem Athanasius, epistola de sententia Dionysii, num. 13, contra sabellianos, et eos, qui ejus essent sententiæ, ob quam Arius ab Ecclesia postea ejectus est, scriptum dicit, quodque ab epistola ejusdem pontificis ad Dionysium Alexandrinum simul missa distinguendum esse, in superioris epistolæ notitia probavimus. In hoc opere Dionysius tritheitarum dogma, cui Alexandrinus præsul favere videbatur, ita refellit, ut et sabellianorum sententiam, quam impugnabat idem Antistes, simul confutet. Eaque agendi ratione defensoribus Ecclesiæ magno docu- D mento fuit, quo contra hæreses ea prudentia sibi decertandum, esse scirent, ut et opposita non modo caverent, verum etiam simul debellarent. Fragmenti hujus stylus epistolam sapit, tractatus ac disceptationis fusioris more conscriptam, quales Dionysius Alexandrinus scribens ad Xystum, fuisse docet epistolas, quas adversus nascentem Sabellii hæresim miserat. Vel ad eas Pentapoleos ecclesias, in quibus orta et propagata erat Sabellii hæresis, vel ad ipsam alexandrinam, cui præerat Dionysius, vel ad ejus

scriptum est? An ignoratis hanc esse consuetudinem, ac primum scribatur nobis, et hinc quod justum est decernatur?» Hæc autem consuetudo num Dionysii temporibus antiquior sit, ignoramus; hic certe Athanasius alexandrini episcopi delatores non culpat, quod nomen ejus ad romanum pontificem detulerint, sed quod prius quæ vera esset illius sententia sciscitari neglexissent.

(1) Græce ἐπέστειλε δὲ καὶ Διονυσίῳ δηλῶσαι περὶ ὧν εἰρήκασι κατ' αὐτοῦ; ubi Pearsonius δηλώσας pro δηλῶσαι, legendum esse conjectat; adeoque Dionysium Romanum Alexandrino scripsisse, ut quæ adversus ipsum dicta fuerant, nota ei faceret. Et ea quidem conjectura cum Athanasii narratione satis cohæret, eoque veri videtur similior, quod ignorabat Dionysius Alexandrinus, quæ adversum se prolata essent, nec aliunde nisi scriptis ex urbe missis comperire poterat. Sed quia non alia de causa curavit Dionysius Romanus Alexandrino, quæ contra ipsum dicta fuerant, indicare, nisi ut is suam super illis mentem ac sententiam explicaret, nihil est periculi utramvis lectionem quis sequatur. Verum quod Dionysius Alexandrinus exinde præstitit, ea, quæ sibi objecta fuerant diluens, vulgatam lectionem quodam modo confirmat.

(2) Athanas., *lib. de Synod.*, n. 43, tomo I, part. II, pag. 605. edit. patav.

(3) Hinc comprobatur hactenus constans usus, quo romani pontifices de rebus ad se delatis nihil pronuntiare sine synodo solebant. Eum quoque morem, quo synodi decreta nomine suo mittere ac nota facere iidem pontifices consueverant, firmat Athanasius, cum litteras ad alexandrinum episcopum e synodo missas Dionysio papæ adscribit.

(4) Videsis Tillemont, *Mémoires*, tom. IV, pag. 142, sur S. Denis, pape, édit. Bruxell.; Ceillier, *Hist. génér.*, tom. III, pag. 327, in not. *a*.

(1) Hæc epistola in nostra editione facta est *prima*, cum epistola quæ prima exhibita fuerit a D. Coustantio, in hac ipsa extet notitia, hujus artic. II initio.

(2) Athanas., tom. I, part. I, *de Decret. Nic.*, n. 26, pag. 182, edit. Patavinæ.

delatores probabiliter missa est. Ad initium pontificatus Dionysii una cum superiore videtur referenda, utpote cui occasionem dedit accusatio, quam litteræ Xysto papæ missæ pepererunt. Hactenus perductus P. Coutantius monachus benedictinus e congregatione S. Mauri, tomo I *Epistolarum romanorum pontificum*, pag. 272 et seqq.

Editiones hujus epistolæ Dionysianæ fragmenti. — Fragmentum epistolæ seu operis Dionysiani adversus sabellianos a Coutantio editum, reimprimi curavit P. Mansi, tomo I Collect. ampl. concilior. una cum observationibus eruditissimi hujus monachi benedictini, a pag. 1009-1016. Idem fragmentum indefessus Gallandius, tomo III bibliothecæ suæ SS. veterum patrum inseruit, atque in eo edendo Coutantium V. C. sibi sequendum constituit. Christianus Fridericus Roslerus laudatum Fragmentum dionysianum græce tantum additis quibusdam in vernacula lingua observationibus ex Athanasii epistola de Decretis synodi nicænæ juxta editionem Montfauconii Parisiensem de anno 1698, exhibet in sua Bibliotheca vett. patrum, parte II, Lipsiæ, 1777, in-8°, pag. 381-384. Denique indefessus P. Dominicus Schramm, tomo VI Analysis SS. Patrum, anno 1784, Augustæ Vindelicorum impresso latine tantum præfatum Fragmentum reimprimi curavit a pag. 415-417.

Epistola Dionysii Romani ad Cæsarienses in Cappadocia deperdita. — Sanctus Basilius paulo superius allegatus testatur, Dionysium papam unam ad ecclesiam Cæsareæ in Cappadocia perscripsisse epistolam, ut eam consoletur de incursione Barbarorum, qua vexata fuerat; cujus αὐτογράφον in illius Ecclesiæ archivio magna cura adservatum ipse oculis suis viderat; verum sequioribus temporibus amissum dolemus.

Epistolæ duæ illustri Dionysii papæ nomine ornatæ circumferuntur. Prior ad Urbanum præfectum, hortatur eum, « sapienter disponere, et judicare quæ illi commissa sunt. » Data est IV nonas Februarii, Aureliano et Basso viris clarissimis consulibus. Posterior Severo scribitur episcopo : de Ecclesiis parochianis, ut singulæ singulis dentur presbyteris, et ut nullus alterius parochiæ terminos, vel jus invadat. Data est V id. septembr. Claudio et Paterno viris clarissimis coss. Subditas esse Dionysio epistolas, docent et stylus, Dionysio viro doctissimo indignus, et inscriptiones. Annum CCLXXI, aperuere Aurelianus et Bassus, quo tempore Dionysius ad fata venerat; Claudii quidem et Paterni consulatu epistolam scribere Dionysius potuit. Ad Severum tamen non scripsisse, eo constat, quod ignoraverit larvatus auctor epistolæ, Paterni collegam Claudium imperatorem fuisse, quod verum Dionysium latere, non potuit. Initium epistolæ impostori fœneravit Leonis epistola XXIV : « Olim et ab initio tantam percepimus a B. Petro apostolorum principe fiduciam. » Locos etiam inseruit ex Gregorio Magno. Consulantur et libri IV, epistola 52, et libri VII, epistola 113, S. Gregorii Magni epistolarum. Ambæ extant in noviss. Collectione conciliorum apud Mansi, tomo I, pag. 1004-1008. Easdem falsitatis convictas videre est in Blondelli Pseudo-Isidoro, pag. 349, seq. et apud Schelstratum, Antiquit. illustrat., tom. II.

Alia opera S. Dionysio male adscripta. — Ludovicus Jacobus a sancto Carolo (1), varia opuscula Dionysio Romano adscribit : nimirum ex fragmentis Commentitii Luitprandi ticinensis *librum de Situ Orbis;* sed est error satis manifestus, quando ipsi tribuitur liber de situ orbis, cum toto cœlo et majore, quam sæculi intervallo differat ab episcopo hoc Dionysio Dionysius Periegetes ethnicus, cujus carmen græcum insigne hujus argumenti habemus. Similiter ferri non potest, quod ab eodem auctore « Commentarius adversus arianas hæreses Dionysio papæ tribuitur, cujus tempore Arii hæretici nomen nondum erat auditum, quod fieri primum cœpit ab anno 316. Neque « adversus Paulum Samosatenum scripsit Dionysius papa, uti præfatus scriptor putat, sed Dionysius alexandrinus Episcopus, sicut a Caveo (2) jam bene notatum video.

ARTICULUS III.

Doctrina S. Dionysii Romani Pontificis.

§ I. — *De sanctissima Trinitate.*

Refutantur a S. Dionysio Tritheitæ et Marcionitæ. Tres divinæ Personæ propter naturæ Unitatem inseparabiles sunt. — Sicuti marcionitæ quodammodo tres Deos constituebant, dum in tres substantias alienigenas, et inter se omnino segregatas sanctam Unitatem dispartiebantur; hinc sanctus Dionysius appellat doctrinam hanc futilem ac diabolicam : « Nam futilis, inquit (3), Marcionis doctrina... diabolica est. » Subjungit deinde, hanc non esse doctrinam verorum Christi discipulorum, et acquiescentium Salvatoris præceptis : « Hi enim, » videlicet Christiani, « Trinitatem quidem non ignorant in divina Scriptura prædicari; tres autem esse Deos, nec in veteri, nec in novo Testamento doceri. Itaque, » concludit sanctus Pontifex, « admirabilis divinaque Unitas in tres divinitates non est separanda. » Tradit paulo superius idem sanctus Dionysius, divinum Verbum Deo Patri unitum esse, et Spiritum sanctum in Deo manere et habitare, et Trinitatem reduci et colligi in unum Deum omnipotentem, Dominum universorum. « Necesse est enim, divinum Verbum Deo universorum esse unitum, et Spiritum sanctum in Deo manere ac habitare, ac denique divinam Trinitatem in unum... Deum universorum omnipotentem... reduci et colligi. » Quæ verba apertissime ostendunt unum Deum in tres distinctum Personas; adeoque tres divinæ Personæ ex allata doctrina sunt ejusdem essentiæ, ejusdemque naturæ.

Nec nisi perperam detorqueri possent recitata

(1) Ludov. Jac., *Bibliothec. pontific.*, lib. II, pag. 62.
(2) Cave, *Hist. litterar.*, tom. I, pag. 153.
(3) Dionys. Rom., apud S. Athanas., *lib. de Decret. Synod.*, tom. I, pag. 231 et 232, edit. Montfauc., Paris., 1698, et tom. I, part. I, pag. 182, n. 26, edit. Patavinæ, 1777 ; item apud Mansi, tom. I, *Concil.*, pag. 1011 et seqq.; et apud Galland., tom. III, *Bibl. PP.*, pag. 538 et seqq.

S. Dionysii verba in confirmationem erroris sabellianorum, cum certum indubitatumque sit, non minus accuratum eum fuisse, cum de Personarum Trinitate, quam cum de Unitate naturæ disseruit. « Ita scilicet, » inquit, « divinæ Trinitati, et sanctæ Monarchiæ (1) prædicatio integra servabitur. » Deinde impiam appellat doctrinam Sabellii, qui dicebat Patrem esse Filium, et vicissim. « Illius enim (Sabellii), » ipsissima sunt S. Dionysii verba, « in eo consistit impietas, quod dicat Filium esse Patrem, et vicissim. » Nullum igitur dubium suboriri potest de orthodoxa fide sancti hujus pontificis quoad mysterium sanctissimæ Trinitatis.

§ II. — *De Consubstantialitate Verbi.*

Verbum est Patri consubstantiale. — Eadem ratione dubitare nemo potest de catholica ejusdem papæ fide quoad consubstantialitatem Verbi, quoniam qui catholicam doctrinam tradit de Trinitate, catholicam eodem tempore tradit doctrinam de consubstantialitate Verbi. Verum ut propositam veritatem magis magisque deprehendamus, probat sanctus Dionysius, quæ superius docuerat de unione Filii cum Patre, duobus sancti Joannis Evangelistæ oraculis, quæ ex ipsius Evangelio sunt deprompta; quæ sic habent : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.*, x, 30); *et ego in Patre et Pater in me est* (*Joan.*, xiv, 10). Hæc sunt momenta, quibus permotus S. Dionysius scribit (2), Verbum unitum Patri esse unione inseparabili, ita ut duæ istæ personæ sint una eademque Divinitas.

Verbum non est formatum vel factum, sed genitum ab omni æternitate. — Qua posita veritate, nemo absque culpa asserere potest Filium Dei factum vel creatum fuisse, « cum divina Scriptura illum genitum esse..., non autem formatum et factum esse testetur (3) : igitur non levis, sed maxima impietas

A est Dominum aliquo modo manufactum dicere. Nam si factus est Filius, erat tempus, quando non erat (1); atqui fuit semper, si utique est, ut ipse declarat, in Patre, et si Christus Verbum, Sapientia et Virtus est. » Nemo sane potest majori præcisione tueri æternitatem, divinitatem ac consubstantialitatem Verbi; et non nisi jucundissimum esse poterit catholicis intueri primarias has religionis veritates perspicue ac validissime assertas ab iis Ecclesiæ patribus, qui ante exortam Arii hæresim floruerunt.

Divinitas Spiritus sancti. — Cæterum S. Dionysius romanus episcopus tuebatur etiam in particulari divinitatem Spiritus sancti, quoniam S. Basilius Magnus ejusdem auctoritatem allegat, ut laudatam B divinitatem Spiritus sancti probet adversus eam impugnantes (2) : nullum autem recitat S. Dionysii Romani textum. Verum eamdem Spiritus sancti divinitatem e duobus locis prælaudati fragmenti adversus sabellianos licet colligere : ait enim primo « Spiritum sanctum in Deo manere et inhabitare (3). » Et dein statuit (4) : « Credendum esse in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Jesum ejus Filium, et in Spiritum sanctum. »

Tandem observandum, sanctum Dionysium Romanum locum Proverbiorum, viii, 22 : ἐν ἀρχῇ ἐποίησέ με., *in principio fecit*, interpretari in hunc modum : *Principem me fecit Dominus*, præfecit me... operibus suis (5). Et hac interpretandi ratione ab usitata veterum Patrum hujus loci expositione om- C nino discessit.

(1) Dionys. Rom. loc. cit. in fine fragmenti adversus Sabellium.
(2) Dionys. Rom., in frag. *advers. Sabellian.*, n. 2, pag. 1013, apud Mansi.
(3) His concinens nicæna synodus in symbolo *Filium genitum, non factum* profitetur. Athanasius autem Epist. *de sententia Dionysii Alexandr.*, n. 13, professionem illam primum ab hac synodo excogitatam non esse hinc recte probat. Cum enim, inquit, « Dionysius Romanus episcopus adversus eos etiam scripserit, qui Filium Dei rem creatam et factam dicunt, liquido constat, non nunc primum, sed D olim ab omnibus anathemate damnatam esse inimicorum Christi arianam hæresim. »

(1) Etiam hic prædamnat Dionysius celebre Arii effatum, ac præcludit nicæno concilio, ad symboli sui calcem anathematizanti τοὺς λέγοντας· Ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν. Quocirca cum Valens Arimini in Ecclesia clamasset : « Si quis dixerit, erat tempus quando non erat Filius, anathema sit. » Hoc audito, inquit Hieronymus, *Dialogo adv. Luciferianos*, « Cuncti episcopi et tota simul Ecclesia plausu quodam et tripudio Valentis vocem exceperunt, rati videlicet eum plane arianam hæresim, quæ Filium creatum volebat, his verbis ejurare. »
(2) Basil., *de Spiritu sancto*, cap. 29, n. 72.
(3) Dionys. Rom., in fragm. *adv. Sabellianos*, num. 1, apud Mansi, pag. 1012.
(4) Ibid., num. 3, pag. 1016.
(5) Id., ibid., num. 2

EPISTOLÆ I,

SEU OPERIS DIONYSII PAPÆ ADVERSUS SABELLIANOS

FRAGMENTUM.

1. Jam vero æquum fuerit disputare adversus eos, qui monarchiam quæ augustissima est Ecclesiæ Dei prædicatio, in tres quasdam virtutes ac separatas

Ἑξῆς δ' ἂν εἰκότως λέγοιμι καὶ πρὸς τοὺς διαιροῦντας [a] καὶ κατατέμνοντας καὶ ἀναιροῦντας τὸ σεμνότατον κήρυγμα τῆς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, τὴν μοναρχίαν, εἰς τρεῖς

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Codex Reg.* καταδιαιροῦντας *Montfaucon. Qui deerat editis articulus, fide hujus codicis nixus in textum recepi. Routh.*

hypostases tresque deitates dividentes ac discindentes destruunt (*Athan., ep. de decret. Nic. Syn. n.* 26). Audivi enim quosdam, quid apud vos divinum verbum prædicant et docent, hujus opinionis magistros esse qui quidem e diametro, ut ita loquar, Sabellii opinioni adversantur. Hic enim blasphemat, ipsum Filium dicens esse Patrem, et vicissim : illi vero tres Deos quodam modo prædicant, dum sanctam unitatem in tres diversas hypostases ab invicem omnino separatas dividunt. Necesse est enim divinum Verbum Deo universorum esse unitum, et Spiritum sanctum in Deo manere et inhabitare; adeoque divinam Trinitatem in unum, quasi in quemdam verticem, hoc est in Deum universorum omnipotentem reduci atque colligi. Insipientis enim Marcionis doctrina, quæ in tria principia monarchiam

A δυνάμεις τινὰς καὶ μεμερισμένας ὑποστάσεις καὶ θεότητας τρεῖς πέπυσμαι γὰρ εἶναί τινας τῶν παρ' ὑμῖν κατηχούντων καὶ διδασκόντων τὸν θεῖον λόγον, ταύτης ὑφηγητὰς τῆς φρονήσεως· οἳ κατὰ διάμετρον, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀντίκεινται τῇ Σαβελλίου γνώμῃ. ὁ μὲν γὰρ βλασφημεῖ, αὐτὸν τὸν Υἱὸν εἶναι λέγων τὸν Πατέρα, καὶ ἔμπαλιν· οἱ δὲ τρεῖς Θεοὺς τρόπον τινὰ κηρύττουσιν. εἰς τρεῖς ὑποστάσεις ξένας, ἀλλήλων παντάπασι κεχωρισμένας, διαιροῦντες τὴν ἁγίαν μονάδα. ἡνῶσθαι γὰρ ἀνάγκη τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὸν Θεῖον λόγον, ἐμφιλοχωρεῖν δὲ τῷ Θεῷ καὶ ἐνδιαιτᾶσθαι δεῖ τὸ ἅγιον Πνεῦμα· ἤδη καὶ τὴν Θείαν Τριάδα εἰς ἕνα, ὥσπερ εἰς κορυφήν τινα (τὸν Θεὸν τῶν ὅλων τὸν παντοκράτορα λέγω) συγκεφαλαιοῦσθαί τε καὶ συνάγεσθαι πᾶσα ἀνάγκη. Μαρκίωνος γὰρ τοῦ ματαιόφρονος δίδαγμα, εἰς τρεῖς ἀρχὰς τῆς μοναρχίας τομὴν B καὶ διαίρεσιν [a], παίδευμα ὂν διαβολικὸν, οὐχὶ δὲ τῶν

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Fortasse* τομὴ καὶ διαίρεσις, *et verbum* ἐστὶ *post* δίδαγμα *subauditur. Routh.*

COMMENTARII.

Monarchiam. Infra habet auctor fine ipso Fragmenti, τὸ ἅγιον κήρυγμα τῆς μοναρχίας. Vocem Τριάς etiam sæculo Ecclesiæ secundo Theophilum Antiochenum adhibuisse, notum est. Et ante Theophilum Athenagoras in *Legatione pro Christianis* hæc scripserat : Τίς οὖν οὐκ ἂν ἀπορήσαι, λέγοντας Θεὸν Πατέρα, καὶ Υἱὸν Θεὸν, καὶ Πνεῦμα ἅγιον, δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν τῇ ἙΝΩΣΕΙ δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει ΔΙΑΙΡΕΣΙΝ ἀκούσας ἀθέους καλουμένους ; § 10. Vid. et horum gemina in § 11. Routh.

Hypostases. Dionysius noster hic *cum tota sæcularium schola*, ut Hieronymi ad Damasum Epist. 10, C n. 4, verbis utar, *nihil aliud hypostasim nisi usiam novit*, et cum Ecclesia tota sacrilegam trium substantiarum, prædicationem, prout *substantia* voci græcæ οὐσία respondet, aversatur. Jam tum tamen in ecclesia, saltem alexandrina, usu receptum erat, ut ὑποστάσεως vocabulum ad personam significandam assumeretur. Id certe colligitur ex his Origenis in Johan., tract. 2, *Tres personas* (τρεῖς ὑποστασεις) *Patrem et Filium et Spiritum esse credimus*. Idem et lib. VIII contra Celsum, Patrem et Filium δύο τῇ ὑποστάσει πράγματα affirmat. Ipse Dionysius Alexandr. in epistolæ tertiæ sequentis fragmentis, n. 15. εἰ τῷ τρεῖς εἶναι τὰς ὑποστάσεις eodem intellectu dicit. Unde suspicio est id, quod nunc disserit Dionysius Romanus, in Alexandrinum cadere, qui cum in Deo τρεῖς ὑποστάσεις prædicare, velut trium substantiarum seu essentiarum divinarum triumque deitatum assertor, ac monarchiæ destructor audire cœpit, quood se ab hac opinione purgaret. Immo Basilius D epist. 41 eum antea *usiæ* seu *essentiæ diversitatem* inter divinas personas posuisse docet. Ubi vero Græcos ὑποστάσεως nomine personam intelligere constitit etiam latini *substantiæ* vocabulum ad eumdem intellectum accommodare non dubitarunt ut liquet nominatim de Augustino, lib. 7 de Trin. c. 5. n. 9. Coustant.

— At veriora istis, etsi voces οὐσία et φύσις pro ὑποστάσει, *persona subsistente*, ut ex Photio supra notavi, a veteribus similiter adhiberi consueverunt. de Dionysii Romani sententia scripsit postea cl. Maranus in præfat. in tomum tertium *Op. S. Basilii Magni* : « S. Basilius in libro de Spiritu Sancto, cap. 29. citat illud Dionysii, εἰ τῷ τρεῖς εἶναι τὰς ὑποστάσεις, etc. Tres ergo hypostases admittit Dionysius Alexandrinus, sed eos refellit, qui ex eo quod tres sint, divisas esse contendebant, quasi non una esset in tribus essentia. Atque id quidem accurate observandum, ut perspiciamus quam immerito Dionysium Romanum cum Alexandrino pugnare existiment duo eximii scriptores, Petavius lib. IV de Trin. cap. 1, et Pet. Coustant. Epist. Rom. p. 290. » (Scil. ad Dionysii Al. Fragm. ut jam monui. Addas his scriptoribus Tillemont. *Mem. Eccl.* Vit. Dion. Al. § 15. ad fin.) « Uterque enim unam hypostasin asseri contendit a Dionysio Romano in hoc testimonio apud Athanas. ἑξῆς δ' ἂν εἰκότως λέγοιμι καὶ πρὸς διαιροῦντας, etc. Nulla sane inter utrumque Dionysium sententiæ varietas : uterque hypostases divisas vituperat : neque C una hypostasis Romano affingi potest, cum idem prorsus dicat ac Alexandrinus. Sed potius ex eo quod tres hypostases divisas refellat, non obscura conclusio est nihil eum reprehensurum fuisse, si una in tribus hypostasibus essentia fuisset admissa. » p. VI. Hæc recte, ni fallor, Maranus. Est aliud præterea Dionysii Alex. a Basilio Magno, ibidem adductum fragmentum, quod his pauculis verbis constat. Θειοτάτη γὰρ διὰ τοῦτο. μετὰ τὴν Μονάδα καὶ ἡ Τριάς, infra p. 128, n. 15. Routh

Filium dicens esse Patrem et vicissim. Uno verbo hanc Sabellii hæresim enuntiant ariani apud Athanasium, lib. de Synod. n. 16, dicentes illum υἱοπάτορα prædicare quod Hilarius. lib. IV de Trin. n. 12, latine convertit, *ipsum dixit Filium quem Patrem*. Coustant.

Marcionis doctrina. Notior est Marcionis hæresis, qua duo principia, unum boni, alterum mali somniavit. Cyrillus tamen Jerosol. licet catech. 6, n. 16 hanc ejus doctrinam notans, dicat eum D *diversos Deos statuisse, alterum bonum, et alterum justum*, hoc est unum durum et severe punientem, alterum benignum et ad misericordiam pronum, catech. 16, n. 4, de discipulis illius præmittit : *Nos tres Deos annuntiamus, sileant marcionistæ;* tum n. 7. de ipso magistro subjicit : *Impiissimus Marcion tres Deos esse primus asseruit.* Qua autem ratione hoc ab eo assereretur, Epiphanius, hær. 42, n. 3, exponit. Verum Rhodon quidam Marcioni suppar apud Eusebium lib. VII, c. 13, primum scribit : *Alii perinde ac Marcion duo inducunt principia;* ac paulo post adjungit : *Alii rursus ab his tanquam tempestate in pejus abrepti, non duas solum, sed tres naturas posuerunt : quorum princeps et antesignanus est Syneros.* Augustinus vero lib. de Hær., c. 22 Epiphanii Eusebiique sententias sic perstringit : *Quamvis Epiphanius eum* (Marcionem) *tria dicat asseruisse principia, bonum, justum, pravum : sed Euse-*

secat et dividit, diabolica sane est, non autem verorum Christi discipulorum, vel eorum quibus Salvatoris disciplina placet. Hi enim probe norunt Trinitatem quidem in divina scriptura prædicari, tres autem esse Deos neque in veteri neque in novo Testamento doceri.

2. Sed neque minus culpandi sunt, qui Filium opus esse existimant, et Dominum factum esse, sicut unum eorum quæ vere facta sunt arbitrantur: cum illum genitum esse, ut congruit ac decet, non conditum aut factum, divina eloquia testentur. Non levis igitur, sed maxima est impietas, Dominum aliquo modo manufactum dicere. Nam si factus est Filius

A ὄντως μαθητῶν τοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν ἀρεσκομένων τοῖς τοῦ Σωτῆρος μαθήμασιν. οὗτοι γὰρ Τριάδα μὲν κηρυττομένην ὑπὸ τῆς θείας Γραφῆς σαφῶς ἐπίστανται, τρεῖς δὲ Θεοὺς οὔτε Παλαιὰν οὔτε Καινὴν Διαθήκην κηρύττουσαν.

Οὐ μεῖον δ' ἄν τις καταμέμφοιτο καὶ τοὺς ποίημα τὸν Υἱὸν εἶναι δοξάζοντας [a], καὶ γεγονέναι τὸν Κύριον ὥσπερ Ἕν τι ὄντως γενομένων, νομίζοντας· τῶν θείων λογίων γέννησιν. αὐτῷ τὴν ἁρμόττουσαν καὶ πρέπουσαν, ἀλλ' οὐχὶ πλάσιν τινὰ καὶ ποίησιν προσμαρτυρούντων. βλάσφημον οὖν οὐ τὸ τυχὸν, μέγιστον μὲν οὖν, χειροποίητον τρόπον τινὰ λέγειν τὸν Κύριον. εἰ γὰρ γέγονεν Υἱὸς, ἦν ὅτε οὐκ

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Reg.* δοξάσαντες. *Basil.* δοξάζοντες. *Et alia manu* γρ. δοξάσαν- B τας. *Montfaucon.*

COMMENTARII.

bius Synerum quemdam, non Marcionem, trium principiorum atque naturarum scribit auctorem. Coustant.

In tria Principia. Superius quidem Dionysius tres Personas divinas sic distinguit, ut *Dei universorum* appellationem Patri tribuere videatur: at subinde mentem suam explicans, divinam Trinitatem in unitatem naturæ, qua fit ut unus *universorum Deus* sit, convenire aperte docet. Quod cum ita sit, cumque idem sanctus pontifex *tria principia* respuat; quid *monarchiæ* nomine sibi velit, satis indicat, nempe unicum ab ecclesia credi rerum omnium principium. Nec ab hac sententia discrepat quod Tertullianus contra Praxeam, c. 3, dicit: *Monarchiam nihil aliud significare scio, quam singulare et unicum imperium.* Ideo enim unicum est imperium, quia principium est unicum. Notandum vero quomodo Tertullianus monarchiæ prædicationem cum Trinitatis fide conciliet atque componat. Exprobrarat illi Praxeas, quod monarchiam destrueret. Cui ille: *Qui Filium*, inquit, *non aliunde deduco, sed de* substantia patris, *nihil facientem sine Patris voluntate, omnem a Patre consecutum potestatem, quomodo possum de fide destruere monarchiam quam a Patre Filio traditam in Filio servo? Hoc mihi et in tertium gradum dictum sit, quia Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium. Vide ergo ne tu potius monarchiam destruas.* Quo ex loco perspicuum est et Tertullianum et Praxeam sibi mutuo objectasse, quod monarchiam destruerent; utrique vero fuisse persuasum, fidem ab eo funditus destrui, qui monarchiam destrueret. Valde igitur hallucinatur nuperus scriptor, qui ex male intellecto libri contra Prax., c. 10, loco, in quo Praxeas ejusque asseclæ *vanissimi Monarchiani* nuncupantur, monarchiæ assertores non secus atque hæreticos habendos, et ita a Tertulliano habitos esse contendit. Neque vero ille eis vitio vertit quod monarchiam tenere se profiteantur, sed quod abjecta ejus vera fide illam *vanissime* profiteantur; eo fere modo quo quis Christianum sibi nomen arrogantes, atque alienam a Christianis moribus ac fide ducentes vitam, recte falsos ac vanissimos Christianos appellaret, neque tamen Christianum nomen culpare aut respuere censeretur. Sic nec Prophetas damnat, qui falsos Prophetas vituperat. Sed de his hic satis. Certe Dionysio nostro *monarchia est augustissima Ecclesiæ Dei prædicatio.* Justini martyris exstat liber *de Monarchia Dei* ab Eusebio et Hieronymo laudatus. Irenæus quoque, eodem Eusebio teste, lib. v Hist., c. 20, epistolam ad Florinum *de Monarchia* inscripserat. Tatianus Or. contra gentes inter multa, quibus sibi exploratam divinarum Litterarum veritatem atque indubitatam docet, hoc etiam commemorat, quod *unam universorum monarchiam* (τῶν ὅλων τὸ μοναρχικὸν) *statuerent.* Ne Apelles quidem, Marcionis discipulus, in colloquio, quod cum Rodone habuit, hanc inficiari ausus est monarchiæ, seu unici principii, doctrinam. Ipso quippe Rodone teste apud Eusebium lib. v, c. 13, *unum principium esse dicebat sicut et nostra religio.* Athanasius similiter Orat. 4 *cont. Arian.* n. 1, in Deo *proprie monarchiam esse probat.* Et in Oratione contra gentes, eum qui monarchiam negaverit, atheon habendum esse non obscure docet his verbis: Ὥσπερ ἐλέγομεν τὴν πολυθεότητα ἀθεότητα, οὕτως ἀνάγκη τὴν πολυαρχίαν ἀναρχίαν εἶναι. Basilius lib. *de Spir. sancto*, cap. 18, C hoc sibi probandum proponit, *quomodo in Deo et Personas profitemur. nec proprium monarchiæ dogma excidit*, καὶ τὸ εὐσεβὲς δόγμα τῆς μοναρχίας οὐ διαπίπτει. Eadem est Gregorii Nazianzeni doctrina tum Orat. 25, tum Orat. 37, ubi objectum illud diluit, εἰ Θεὸς. καὶ Θεὸς. καὶ Θεὸς, πῶς οὐ τρεῖς θεοί. ἢ πῶς οὐ πολυαρχία τὸ δοξαζόμενον; Monet et Gregorius Nyss. Or. catech., c. 3, ut neque monarchiæ dominatus scindatur in diversas dissectus divinitates. His concinit Cyrillus Jerosol. catech. 6: *In monarchia autem prædicanda*, inquit Epiphanius, hær. 62, n. 3, *non aberramus; sed unam Trinitatem prædicamus.* Aliorum mitto ea de re testimonia: allatis tantum addo illud Augustini lib. xx, *cont. Faust.*, c. 19: *Discat ergo Faustus, vel potius illi qui ejus litteris delectantur, monarchiæ opinionem nos ex gentibus non habere*, etc. Coustant.

Dominum factum esse. Blasphemiæ huic, quam postea Arius impie propugnavit, oppositam fidem D professus esse atque Arianum dogma palam respuisse ariminensis concilii Patribus visus est Valens, cum teste Hieronymo, *dial. cont. Lucifer.*, callide clamavit: *Si quis dixerit creaturam Filium Dei ut sunt cæteræ creaturæ, anathema sit.* Ubi vero ille cum sociis jactare cœpit, *se Filium non creaturam negasse*, sed *similem cæteris creaturis;* merito contestabantur episcopi hac fraude delusi, *qui sine conscientia hæretici ferebantur, se nihil mali id sua fide suspicatos. Putavimus*, aiebant, *sensum congruere verbis: nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus.* Coustant.

Illum genitum esse. His concinens nicæna synodus in symbolo, *Filium genitum, non factum profitetur.* Athanasius autem Epist. *de sententia Dion.*, n. 13, professionem illam primum ab hac synodo excogitatam non esse hinc recte probat: *Cur enim*, inquit, *Dionysius, romanus episcopus, adversus eos etiam scripserit, qui Filium Dei rem creatam et factam dicunt*,

erat tempus quando non erat: atqui fuit semper, si utique est, ut ipse declarat, in Patre (*Joan.* XIV, 12). Et si Christus verbum, sapientia et virtus est (hæc enim Christum esse divinæ docent Litteræ, ut ipsi nostis), hæc sane virtutes Dei sunt. Quocirca si factus est Filius, fuit tempus quando hæc non erant: adeoque fuit tempus, quo sine his erat Deus: quod perabsurdum est. Sed quid pluribus de his apud vos disseram, viros Spiritu plenos, et apprime intelligentes quæ sequuntur absurda ex illa sententia, quæ Filium factum asserit? Ad hæc minime attendisse mihi videntur opinionis hujus duces; et idcirco a veritate prorsus aberrasse, qui aliter, quam quod sibi vult divina et prophetica Scriptura, explicant illud, *Dominus creavit me principium viarum suarum* (*Prov.* VIII, 22). Non enim una est, ut scitis, verbi *creavit* significatio. Nam hoc in loco *creavit* idem est quod, *præfecit* operibus ab ipso factis, factis, inquam, per ipsum Filium. At hic *creavit* non perinde intelligendum est, atque *fecit*. Facere enim et creare inter se differunt. *Nonne ipse ille pater tuus possedit te, et fecit te, et creavit te?* ait Moises in magno Deuteronomii carmine (*Deut.*, XXXII, 6). Sic etiam illos recte quis possit coarguere: O præcipites temerariique homines! ergone facta res est *primogenitus omnis creaturæ* (*Coloss.* I, 15), *ex utero ante luciferum genitus* (*Psal.* CIX, 3), qui ut Sapientia dicit, *Ante omnes colles gignit me* (*Prov.* VIII, 28)? Denique multis in locis divinorum eloquiorum cum genitum dici, at nusquam factum Filium, quis legerit. Ex quibus aperte convincuntur falsa de Domini generatione opinari, qui divinam atque inexplicabilem ejus generationem factionem audent dicere.

3. Neque igitur admirabilis et divina unitas in tres divinitates est separanda, neque factionis vocabulo dignitas ac summa magnitudo Domini est diminuenda: sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Jesum, ejus Filium, et in Spiritum sanctum: Verbum autem Deo universorum esse unitum: quippe, *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus* (*Joan.*, X, 30); et, *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.*, XIV, 10). Ita scilicet divina Trinitas et sancta monarchiæ prædicatio integra servabitur.

A ἦν· ἀεὶ δὲ ἦν, εἴ γε [a] ἐν τῷ Πατρί ἐστιν, ὡς αὐτός φησι. καὶ εἰ λόγος καὶ σοφία καὶ δύναμις ὁ Χριστός (ταῦτα γὰρ εἶναι τὸν Χριστὸν αἱ θεῖαι λέγουσι Γραφαὶ, ὥσπερ ἐπίστασθε)· ταῦτα δὲ δυνάμεις οὖσαι τοῦ Θεοῦ τυγχάνουσιν· εἰ τοίνυν γέγονεν ὁ Υἱὸς, ἦν ὅτε οὐκ ἦν ταῦτα. ἦν ἄρα καιρὸς, ὅτε χωρὶς τούτων ἦν ὁ Θεός· ἀτοπώτατον δὲ τοῦτο· καὶ τί ἂν ἐπὶ πλέον περὶ τούτων πρὸς ὑμᾶς διαλεγοίμην, πρὸς ἄνδρας πνευματοφόρους καὶ σαφῶς ἐπισταμένους τὰς ἀτοπίας τὰς ἐκ τοῦ ποίημα λέγειν τὸν Υἱὸν ἀνακυπτούσας· αἷς μοι δοκοῦσι μὴ προςεσχηκέναι τὸν νοῦν οἱ καθηγησάμενοι τῆς δόξης ταύτης [b] καὶ διὰ τοῦτο κομιδῇ τοῦ ἀληθοῦς διημαρτηκέναι, ἑτέρως ἢ βούλεται ταύτῃ [c] ἡ θεία καὶ προφητικὴ Γραφὴ, τὸ, Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, ἐκδεξάμενοι. οὐ μία γὰρ ἡ τοῦ Ἔκτισεν, ὡς ἴστε, σημασία· Ἔκτισε γὰρ ἐνταῦθα ἀκουσ-B τέον, ἀντὶ τοῦ, Ἐπέστησε τοῖς ὑπ' αὐτοῦ γεγονόσιν ἔργοις, γεγονόσι δὲ δι' αὐτοῦ τοῦ Υἱοῦ· οὐχὶ δέ γε τὸ Ἔκτισε νῦν λέγοιτ' ἂν ἐπὶ [d] τοῦ Ἐποίησε· διαφέρει γὰρ τοῦ ποιῆσαι τὸ κτίσαι. Οὐκ αὐτὸς οὗτός σου πατὴρ ἐκτήσατό σε, καὶ ἐποίησέ σε, καὶ ἔκτισέ σε; τῇ ἐν τῷ Δευτερονομίῳ μεγάλῃ ᾠδῇ ὁ Μωσῆς φησι. πρὸς οὓς καὶ εἴποι ἄν τις· Ὦ ῥιψοκίνδυνοι ἄνθρωποι· ποίημα ὁ πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ὁ ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου γεννηθεὶς, ὁ εἰπὼν ὡς Σοφία, Πρὸ δὲ πάντων βουνῶν γεννᾷ με; καὶ πολλαχοῦ δὲ τῶν θείων λογίων γεγεννῆσθαι, ἀλλ' οὐ γεγονέναι τὸν Υἱὸν λεγόμενον εὕροι τις ἄν. ὑφ' ὧν καταφανῶς ἐλέγχονται τὰ ψεύδη [e] περὶ τῆς τοῦ Κυρίου γεννήσεως ὑπολαμβάνοντες, οἱ ποίησιν, αὐτοῦ τὴν θείαν καὶ ἄῤῥητον γέννησιν λέγειν τολμῶντες.

C

Οὔτ' οὖν καταμερίζειν χρὴ εἰς τρεῖς Θεότητας τὴν θαυμαστὴν καὶ θείαν Μονάδα· οὔτε ποιήσει κωλύειν [f] τὸ ἀξίωμα καὶ τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τοῦ Κυρίου· ἀλλὰ πεπιστευκέναι εἰς Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, καὶ εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, τὸν Υἱὸν αὐτοῦ, καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα· ἡνῶσθαι δὲ τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὸν Λόγον· Ἐγὼ γὰρ, φησὶ, καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν· καὶ ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ Πατὴρ ἐν ἐμοί. οὕτω γὰρ ἂν καὶ ἡ θεία Τριὰς, καὶ τὸ ἅγιον κήρυγμα τῆς μοναρχίας διασώζοιτο. Extant hæc apud S. Athanasium *Epistola de Decretis Nicænæ Synodi*, D cap. XXVI, p. 231, ed. Benedictin.

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Reg. ut et exigit sensus. Editi et alii* εἰ δὲ. *Montf.*

[b] *Sic Reg. Alii vero et editi omittunt* ταύτης. *Mox Reg. pro* ἢ *habet* ᾗ. *Montfaucon. Sed hoc posteriori loco* ταύτῃ *in* αὐτῇ *mutandum videtur. Routh.*

[c] *Fortasse* αὐτή. *Routh.*

[d] *Sic Mss. et ed. Commel. Cæterum* ἐπὶ *idem hic significat ac* ἀντὶ *(edit. prior. lectio). Mox* τὸ κτίσαι, *quod abest ab ed. Commel. restituimus ex manuscriptis Reg. et Basil. hancque vocem legerunt Nannius et Ambros. Camald. Montfaucon. Sed et in ed. priori Paris.* τὸ κτίσαι *extat. Routh.*

[e] *Reg. et Basil.* ψευδῆ. *Montfaucon.*

[f] *Anne legendum* κολούειν *pro* κωλύειν? *Routh.*

COMMENTARII.

liquido constat, non nunc primum, sed olim ab omnibus anathemate damnatam esse inimicorum Christi Arianorum hæresim. COUSTANT.

Tempus quando non erat. Etiam hic prædamnat Dionysius celebre Arii effatum, ac præludit Nicæno concilio, ad symboli sui calcem anathematizanti τοὺς λέγοντας· Ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν. Quocirca cum Valens Arimini in Ecclesia clamasset, Si quis dixerit: *Erat tempus quando non erat Filius, anathema sit; hoc audito*, inquit Hieronymus, *dial. adv. Lucif.*, cuncti episcopi et tota simul Ecclesia plausu quodam et tripudio Valentis vocem exceperunt, rati videlicet eum plane Arianam hæresim, quæ Filium creatum volebat, his verbis ejurare. COUSTANT. —Ibidem ex Hieronymo constat, Valentem alia plurima et ipsum pronuntiasse, et Claudio pronuntianti consensisse, quæ cum alienis a Catholica fide dogmatibus conciliare difficile crediderim. Exempli gratia, ipse ait Valens: *Si quis dixerit de nullis extantibus Filium, et non de Deo Patre, anathema sit; atque Claudio hæc proferenti idem ille assensit: Si quis dixerit Filium Dei esse quidem ante omnia sæcula, sed non ante omne omnino tempus, ut ei aliquid anteferat, anathema sit.* ROUTH.

MONITUM

IN SUBJECTA FRAGMENTA.

I. Opus ex quo descripta sunt fragmenta subjecta, Athanasius lib. de Synod., n. 44, epist. de decretis Nicænæ synodi, n. 25, et epist. de sententia Dionysii passim laudat. Ejusdem meminere Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 29, et Hieronymus, de Script. eccl., c. 79, Sed hi duo Doctores non una ratione illud indicant. Hieronymus enim in libros quatuor distinctum docet: Basilius vero quædam illius verba tamquam ex secunda ad Dionysium cognominem epistola profert. Re autem vera et in libros distinctum esse, et epistolæ nomen ei congruere ex Athanasio constat : qui quidem in eadem epistola de sententia Dionysii et num. 13, dicit : « Dionysius quam *primum* sui purgandi gratia libros edidit, quos inscripsit Elenchus et Apologia, » et num. 14, de scripto eodem sic loquitur : « Epistolam suam Elenchi et Apologiæ titulo inscripsit. » Epistola igitur erat quatuor in libros distincta, adeoque una ex iis, quas Dionysius a se fusius et tractantis more dictatas, διδασκαλικώτερον ὑφηγούμενος, vocat (*Epist. 1, ad Xyst.*). Non ab eo statim, ut de accusatione sua commonitus fuit, missa est. Nam ne accusationi deesse videretur, si rescribere Romano præsuli diutius differret, huic epistolam præmisit, quam infra, num. 6, ipsum Dionysium Romanum alloquens memorat his verbis : καί σοι δι' ἄλλης ἐπιστολῆς ἔγραψα. Quocirca non modo *Epistola*, sed et *epistola secunda ad Dionysium cognominem* non male a Basilio appellatur. Simul etiam est *Elenchus* et *Apologia*; Elenchus quidem adversariorum et accusatorum Dionysii, qui in hoc opere coarguuntur atque confutantur, Apologia vero ipsius Dionysii qui in eodem de objectis erroribus sese purgare nititur. Quod cum feliciter præstiterit, impudentis calomniæ merito arguit Athanasius Arianos, quod ea velut Dionysii venditare non erubuerint, quæ ille palam aperteque rejecerit.

II. Ista Dionysii apologia eo majoris est momenti, quod specimini nobis sit eorum, quæ fecissent cæteri Patres Nicæno concilio superiores, quibus nonnulla exciderunt arianæ impietati in speciem cognata, si eos similis necessitas ad explicandam apertius mentem suam compulisset. Inde enim facile adducitur quisque ut credat, neminem ex eis futurum fuisse, qui non perinde atque Dionysius, eamdem perfidiam damnasset, ex hoc opere quæ exscribenda, quæ prætermittenda duxerit. Athanasius, num. 14, exponit in hunc modum : « Verba ejus quam plurima, quibus res in quæstionem adductas expendit, aut ex allatis ratiociniis colligit, aut interrogatos adversarios coarguit vel obtrectatores suos criminatur, ob librorum prolixitatem omittens, ea solum proponam, quæ ad criminationes diluendas necessaria videbuntur. » In iis vero, quæ exscribit, librorum ordinem minime servat, sed prout res tractatæ postulabant, nunc unum et alterum fragmentum ex libro primo profert, tum aliud ex secundo, subinde quartum rursus ex primo, cui aliud ex quarto adjungit. At cum nostri instituti sit operis ejusdem, utpote ad Romanum pontificem scripti, reliquias accurate colligere, singula fragmenta eo ordine exhibere satius visum est, quem servant inter se libri, ex quibus descripta sunt. Demum si gestorum quæ hoc opus præcesserunt, seriem expendamus, ad tempus circa quod elaboratum est, quodam modo pertingere licebit. Nempe aliquot Dionysii Alexandrini adversus Sabellianos epistolæ, Xysto pontifice vulgatæ, accusationi illius occasionem dederunt. Inde permoti nonnulli Catholici, ipso Alexandrino præsule inscio, Romam convolarunt, et quæ sibi in ejus scriptis displicebant ad Romanum pontificem detulerunt. Statim admonuit Dionysius Romanus Dionysium Alexandrinum. Is vero illi satisfacere primum brevibus, moxque prolixioribus litteris, *quam primum*, ut Athanasius notat, studuit. Quocirca nil vetat quominus hanc Dionysii apologiam ad annum 262 attinere censeamus. Eam quoque eruditus Tillemontius ad anni hujus exitum referri posse arbitratur. COUSTANT.

EPISTOLÆ II

DIONYSII ALEXANDRINI EPISCOPI AD DIONYSIUM ROMANUM,

Seu Operis quod Elenchus et Apologia inscribebatur, fragmenta.

Ex primo libro,

1. Non enim erat tempus, quando Deus non erat Pater.

1. Οὐ γὰρ ἦν ὅτε ὁ Θεὸς οὐκ ἦν Πατήρ.

Et in sequentibus (inquit Athanasius) profitetur Christum semper esse, ut pote verbum et sapientiam et virtutem.

Καὶ τοῦτο οἶδεν (ait Athanasius statim post) ἐν τοῖς ἑξῆς, ἀεὶ τὸν Χριστὸν εἶναι, λόγον ὄντα, καὶ σοφίαν, καὶ δύναμιν.

2. Neque vero Deus cum hæc non peperisset

2. Οὐ γὰρ δὴ τούτων ἄγονος ὢν Θεὸς, εἶτα ἐπαι-

postea Filium genuit : sed quia Filius non a se ipso, verum a Patre habet esse.

ποιήσατο, ἀλλ' ὅτι μὴ παρ' ἑαυτοῦ ὁ Υἱὸς, ἀλλ' ἐκ τοῦ Πατρὸς ἔχει τὸ εἶναι.

Et post pauca de ipso Filio dicit :

5. Cum sit splendor lucis æternæ, prorsus et ipse æternus est. Luce enim semper existente manifestum est et splendorem semper exsistere : eo quippe lux esse intelligitur, quod splendeat, ac fieri nequit ut lux non luceat. Rursum enim ad exempla veniamus. Si sol est, est quoque splendor, est et dies : horum si nihil est, multum abest ut sol adsit. Quod si sol æternus esset, dies quoque numquam deficeret. Nunc autem (neque enim ita se res habet) dies sole incipiente incipit, ac desinente desinit. Deus autem æterna lux est, quæ neque incœpit, neque deficiet unquam. Ipsi ergo prælucet ac coexsistit æternus splendor, qui sine initio exsistens et semper genitus, ante eum emicat, quique est ea sapientia, quæ dicit, *Ego eram qua gaudebat : et delectabar quotidie ante faciem ejus omni tempore* (*Prov.* VIII, 30).

Καὶ μετ' ὀλίγα (pergit dicere Athanasius) πάλιν περὶ τοῦ αὐτοῦ φησιν·

3. Ἀπαύγασμα δὲ ὢν φωτὸς ἀϊδίου, πάντως καὶ αὐτὸς ἀΐδιός ἐστιν. ὄντος γὰρ ἀεὶ τοῦ φωτὸς, δῆλον ὡς ἔστιν ἀεὶ τὸ ἀπαύγασμα. τούτῳ γὰρ, καὶ ὅτι φῶς ἐστι, τῷ καταυγάζειν νοεῖται, καὶ φῶς οὐ δύναται μὴ φωτίζον εἶναι. πάλιν γὰρ ἔλθωμεν ἐπὶ τὰ παραδείγματα. εἰ ἔστιν ἥλιος, ἔστιν ἡμέρα· εἰ τοιούτων μηδέν ἐστι, πολύ γε δεῖ καὶ παρεῖναι ἥλιον. εἰ μὲν οὖν ἀΐδιος ὁ ἥλιος, ἄπαυστος ἂν ἦν καὶ ἡ ἡμέρα· νῦν δὲ, οὐ γὰρ ἔστιν, ἀρξαμένου τε ἤρξατο, καὶ παυομένου παύεται. ὁ δέ γε Θεὸς αἰώνιόν ἐστι φῶς, οὔτε ἀρξάμενον, οὔτε λῆξόν ποτε. οὐκοῦν αἰώνιον πρόκειται, καὶ σύνεστιν αὐτῷ τὸ ἀπαύγασμα ἄναρχον καὶ ἀειγενὲς, προφαινόμενον αὐτοῦ, ὅπερ ἐστὶν ἡ λέγουσα σοφία, Ἐγὼ ἤμην ᾗ προσέχαιρε· καθ' ἡμέραν δὲ εὐφραινόμην ἐν προσώπῳ αὐτοῦ ἐν παντὶ καιρῷ.

Et paulo post sermonem de eodem sic prosequitur :

4. Cum ergo æternus sit Pater, æternus est et Filius, lumen de lumine. Ubi enim est genitor, est et proles. Si autem proles non est, quomodo et cujus potest esse genitor? Atqui ambo sunt, et semper sunt. Cum igitur Deus sit lux, Christus est splendor. Cum autem Spiritus sit, *Spiritus* enim, inquit, *est Deus* (*Joan.* IV, 24); congruenter rursum Christus vapor dicitur : *Est enim*, inquit, *vapor virtutis Dei* (*Sap.*, VII, 25).

Καὶ αὖθις ἐπάγει μετ' ὀλίγα (inquit Athanasius), περὶ τοῦ αὐτοῦ λέγων·

4. Ὄντος οὖν αἰωνίου τοῦ Πατρὸς, αἰώνιος ὁ Υἱός ἐστι, φῶς ἐκ φωτὸς ὤν· ὄντος γὰρ γονέως, ἔστι καὶ τέκνον· εἰ δὲ μὴ τέκνον εἴη, πῶς καὶ τίνος εἶναι δύναται γονεύς; ἀλλ' εἰσὶν ἄμφω, καὶ εἰσὶν ἀεί.

Εἶτα πάλιν προστίθησι ταῦτα (Athanasius ait) :

Φωτὸς μὲν οὖν ὄντος τοῦ Θεοῦ, ὁ Χριστός ἐστιν ἀπαύγασμα. πνεύματος δὲ ὄντος· Πνεῦμα, γὰρ, φησὶν, ὁ Θεός· ἀναλόγως πάλιν ὁ Χριστὸς ἀτμὸς λέγεται· Ἀτμὸς, γὰρ, φησὶν, ἐστι τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως.

Rursumque dicit :

5. Solus autem Filius semper coexsistens Patri, et plenus eo qui est, ipse etiam est, cum sit ex Patre (*ex Athan.*, *ibid.*, *n.* 17).

Καὶ ἐκ τοῦ δευτέρου (inquit Athanasius) πάλιν φησί

5. Μόνος δὲ ὁ Υἱὸς ἀεὶ συνὼν τῷ Πατρὶ, καὶ τοῦ ὄντος πληρούμενος, καὶ αὐτὸς ἔστιν, ὢν ἐκ τοῦ Πατρός. Hæc excitata sunt serie continua a *S. Athanasio in Epistola de Sententia Dionysii*, num. 15, p. 253, *ed. Benedictin.*

Ex eodem libro primo (1).

6. Cæterum ubi res factas et opificia quædam consideranda dixi, hujusmodi rerum velut minus idonearum cursim protuli exempla, quando dixi : Neque planta id est quod agricola, neque scapha id quod navium faber (*ex Athan.*, *ibid.*, *n.* 18). Deinde congruis et naturæ rei accommodatioribus magis sum immoratus, ac pluribus explicui quæ veriora erant, variis excogitatis argumentis, quæ

6. Πλὴν ἐγὼ γεννητά τινα φήσας νοεῖσθαι, τῶν μὲν τοιούτων ὡς ἀχρειοτέρων ἐξ ἐπιδρομῆς εἶπον παραδείγματα· ἐπεὶ μήτε τὸ φυτὸν ἔφην (adderem τὸ αὐτὸ εἶναι) τῷ γεωργῷ, μήτε τῷ ναυπηγῷ τὸ σκάφος. Εἶτα τοῖς ἱκνουμένοι καὶ προσφυεστέροις ἐνδιέτριψα· καὶ πλέον διεξῆλθον περὶ τῶν ἀληθεστέρων, ποικίλα προσεπεξευρὼν τεκμήρια, ἅπερ καὶ σοι δι' ἄλλης ἐπιστολῆς ἔγραψα· ἐν οἷς ἤλεγξα, καὶ ὃ προφέρουσιν ἔγκλημα κατ' ἐμοῦ ψεῦδος

COMMENTARII.

(1) Quorsum Dionysius sequentia in medium attulerit, Athanasius ita declarat : *Accusatores suos, qui eum mentiebantur dixisse, Filium unum eorum esse quæ facta sunt, et nequaquam esse Patri consubstantialem, iterum in libro primo coarguit his verbis.* Unde liquet ea in superiore Dionysii romani epistola confutata esse, quæ Alexandrino objecta fuerant. Ii enim, *qui Dominum factum esse, sicut unum eorum quæ facta sunt, existimant*, in illa, n. 2, refelluntur. Illud quoque notandum, eam fidem, qua Patrem et Filium unius substantiæ, seu *consubstantiales* credimus, fidelium animis ita semper fuisse insitam, ut cum hoc negare putaretur Alexandrinus antistes, statim a catholicis viris ad romanum pontificem fuerit delatus, nec ille distulerit sese ab hujusmodi opinione alienissimum demonstrare. Nec illud minori observatione dignum, quod non tantum rem verbo ὁμοούσιον significatam, sed et ipsummet verbum aliquo modo rejici fideles tot ante nicænum concilium annis indigne tulerint. COUST.

et tibi in alia epistola exposui; in quibus mendacii convicii etiam illud quod adversum me proferunt crimen, me scilicet non asserere Christum esse Deo consubstantialem. Tametsi enim me nusquam in Scripturis sacris hoc vocabulum vel invenisse vel legisse dico, alia tamen argumenta quæ subinde adjunxi, quæque illi tacuerunt, ab hac intelligentia nihil discrepant. Etenim prolem humanam, quæ certe ejusdem generis est atque genitor, in exemplum attuli; dixique revera parentes hoc solum distingui a filiis, quod ipsi non sint filii; aut certe necessario futurum esse, ut neque parentes essent, neque filii. Epistolam autem, ut prædixi, propter præsentem rerum conditionem, penes me non habeo: alioquin ipsa tibi quæ tunc scripsi verba, imo et epistolæ totius exemplum misissem, mittamque siquando mihi ejus copia fuerit. Memini porro plurimas ex rebus inter se cognatis similitudines adjecisse. Etenim plantam, sive ex semine sive ex radice succrescentem, aliam esse dixi ab eo unde pullulavit, tametsi ejusdem omnino sit naturæ: similiter et fluvium e fonte manantem aliam formam ac nomen accipere, neque enim fontem fluvium, aut fluvium fontem appellari, sed hæc duo esse; ac fontem quidem quasi patrem esse, fluvium vero esse aquam ex fonte. Verum hæc quidem et similia, quæ scripta sunt, se non videre quasi cæcutientes dissimulant: duabus autem voculis incompositis, quasi lapidibus, eminus me conantur impetere: non advertentes rebus ignoratis et quæ ut intelligantur interpretatione indigent, plerumque non modo aliena, sed et contraria exempla lucem afferre.

ὄν, ὡς οὐ λέγοντος τὸν Χριστὸν ʽΟΜΟΟΥΣΙΟΝ εἶναι τῷ Θεῷ. εἰ γὰρ καὶ τὸ ὄνομα τοῦτό φημι μὴ εὑρηκέναι, μηδ' ἀνεγνωκέναι που τῶν ἁγίων Γραφῶν, ἄλλα γε τὰ ἐπιχειρήματά μου τὰ ἑξῆς, ἃ σεσιωπήκασι, τῆς διανοίας ταύτης οὐκ ἀπᾴδει. καὶ γὰρ ἀνθρωπείαν γονὴν παρεθέμην, δῆλον ὡς οὖσαν ὁμογενῆ· φήσας πάντως τοὺς γονεῖς μόνον ἑτέρους εἶναι τῶν τέκνων, ὅτι μὴ αὐτοὶ εἶεν τὰ τέκνα, ἢ μήτε γονεῖς ἀναγκαῖον ὑπάρχειν εἶναι μήτε τέκνα. καὶ τὴν μὲν ἐπιστολὴν, ὡς προεῖπον, διὰ τὰς περιστάσεις οὐκ ἔχω προκομίσαι, εἰ δ' οὖν αὐτά σοι τὰ τότε ῥήματα, μᾶλλον δὲ καὶ πάσης ἂν ἔπεμψα τὸ ἀντίγραφον· ὅπερ ἂν εὐπορήσω, ποιήσω. οἶδα δὲ καὶ μέμνημαι, πλείονα προσθεὶς τῶν συγγενῶν ὁμοιώματα· καὶ γὰρ καὶ φυτὸν εἶπον ἀπὸ σπέρματος, ἢ ἀπὸ ῥίζης ἀνελθὸν, ἕτερον εἶναι τοῦ ὅθεν ἐβλάστησε, καὶ πάντως ἐκείνῳ καθέστηκεν ὁμοφυές. καὶ ποταμὸν ἀπὸ πηγῆς ῥέοντα, ἕτερον σχῆμα καὶ ὄνομα μετειληφέναι, μήτε γὰρ τὴν πηγὴν ποταμὸν, μήτε τὸν ποταμὸν πηγὴν λέγεσθαι, καὶ ἀμφότερα ὑπάρχειν, καὶ τὴν μὲν πηγὴν οἱονεὶ πατέρα εἶναι, τὸν δὲ πατέρα εἶναι ἐκ τῆς πηγῆς ὕδωρ. ἀλλὰ ταῦτα μὲν καὶ τὰ τοιαῦτα μηδὲ ὁρᾷν γεγραμμένα, ἀλλ' οἱονεὶ τυφλώττειν ὑποκρίνονται. τοῖς δὲ δυσὶ ῥηματίοις ἀσυνθέτοις, καθάπερ λίθοις, μακρόθεν ἐπιχειροῦσί με βάλλειν· ἀγνοοῦντες ὡς τῶν ἀγνοουμένων, καὶ προ οὐ μόνον ἀλλοῖα πολλάκις, ἀλλὰ καὶ ὑπεναντία τεκμήρια γίνεται τῶν ἐπιζητουμένων δηλώματα. (Hæc adducuntur a *S. Athanasio* in *Ep. de Sententia Dionysii*, num. XVIII, p. 255.)

Ex eodem libro primo.

7. Superius dictum est Deum esse fontem bonorum omnium, Filius vero dictus est fluvius *ab ipso* emanans: verbum quippe est mentis emanatio, et, ut humano more loquar, ex corde per os emittitur. Mens vero, quæ per linguam prosilit,

7. Προείρηται μὲν οὖν, ὅτι πηγὴ τῶν ἀγαθῶν ἁπάντων ἐστὶν ὁ Θεός· ποταμὸς δὲ ὑπ' (for. ἀπ') αὐτοῦ προχεόμενος, ὁ Υἱὸς ἀναγέγραπται· ἀπόῤῥοια γὰρ νοῦ λόγος, καὶ ὡς ἐπ' ἀνθρώπων εἰπεῖν, ἀπὸ καρδίας διὰ στόματος ἐξοχετεύεται, ἕτερος γενόμενος τοῦ ἐν καρδίᾳ

COMMENTARII.

Tibi in alia epistola exposui. Athanasius tum epist. *de Decretis nic. synodi*, n. 25, tum lib. *de Synod.*, n. 44, superiora hujus testimonii verba summatim perstringere contentus, ab his illud referre incipit: Καὶ δι' ἄλλης ἐπιστολῆς ἔγραψα, ἐν οἷς ἤλεγξα, etc., ubi vocabula σοι non extat. Verum cum a nullo vetere codice scripto aut edito hic absit, ac tutius sit de integritate alicujus sententiæ ex iis locis dijudicare in quibus plenior et integrior, quam ex iis in quibus minus integra aut decurtata profertur; nihil est cur aliam epistolam ad Dionysium Romanum ante scriptam hic memorari dubitemus; præsertim cum Basilius hanc secundam vocet. COUSTANT.

Nihil discrepant. Hoc est, idem de Christo sentire me demonstrant, quod illi consubstantialem eum prædicando intelligunt. COUSTANT

Epistolam autem. Hic aliqua memorari videtur Dionysii epistola, ex qua ipsius accusandi occasio accepta est, et unde, ut mox querebatur, adversarii ipsius ita in medium protulerant, quod unius substantiæ seu *homousii* vocabulum in Scripturis nusquam legisse se dixerat, ut tacerent argumenta vel exempla, quibus id, quod prædicto vocabulo significatur, asseverabat. Quapropter assentiendum est, ut videtur, Tillemontio, qui epistolam ad Ammonium et Euphranorem hic notari censet. Hinc etiam colligere est Dionysium turbulento tempore, quo propria etiam scripta penes se non haberet, hoc opus concinnasse. Quamvis enim Valeriani persecutio, hoc imperatore anno 260 deleto atque capto, cessarit, Alexandrinam tamen urbem ad annum 262, pacatam non fuisse Dionysii ipsius festivæ seu paschales epistolæ testes sunt. COUSTANT.

Voculis incompositis. Quibus scilicet Dionysius Patris et Filii distinctionem ostensurus, plantæ et agricolæ necnon scaphæ et fabri non satis accuratis similitudinibus usus fuerat. COUSTANT.

Mens vero. Hoc est, cogitatio, quæ vocis beneficio foras emittitur. Ea ipsa similitudo, qua nunc Dionysius unitatem simul et distinctionem Patris ac Filii illustrat, postea Augustino ad explicandum incarnati Verbi mysterium familiaris fuit. *Sicut ergo*, inquit serm. 119, nov. edit., n. 7, *verbum meum prolatum est sensui tuo, nec recessit a corde meo; sic illud Verbum prolatum est sensui nostro, nec*

alia est à verbo quod in corde existit. Hoc enim postquam illam præmisit, remanet, estque quale antea erat: illa vero præmissa avolat et circumquaque fertur; et sic utrumque in utroque est, tametsi aliud ab altero, et unum sunt, licet duo sint: sic namque Pater et Filius unum esse et in se invicem esse dicti sunt.

A λόγου, ὁ διὰ γλώσσης νοῦς προπηδῶν. ὁ μὲν γὰρ ἔμεινε προπέμψας, καὶ ἔστιν οἷος ἦν. ὁ δὲ ἐξέπτη προπεμφθεὶς, καὶ φέρεται πανταχοῦ. καὶ οὕτως ἐστὶν ἑκάτερος ἐν ἑκατέρῳ ἕτερος ὢν θατέρου· καὶ ἕν εἰσιν, ὄντες δύο. οὕτω γὰρ καὶ ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς ἓν, καὶ ἐν ἀλλήλοις ἐλέχθησαν εἶναι. (Allata hæc a *S. Athanasio* in *Epist. de Sententia Dionysii*, n. XXIII, p. 259.)

Ex secundo libro.

8. Singula nomina a me prolata se invicem nec separari queunt, nec dividi (*ex Athanas. ibid.*, *n.* 17). Patrem dixi, et prius quam Filii mentionem facerem, jam eum in Patre significavi. Filium adjunxi, ac Pater, etiamsi eum non prius nominassem, jam omnino in Filio comprehensus fuerat. Spiritum sanctum addidi: sed simul unde et per quem processerit subtexui. Illi autem ignorant, neque Patrem, qua *pater* est, a Filio alienari posse: nam illud nomen causa est evidens cohærentiæ et conjunctionis: neque Filium a Patre separari; hoc namque vocabulum *pater* communicationem indicat. Est et in manibus illorum Spiritus, qui neque a mittente, neque a ferente divelli potest. Quomodo igitur ego, qui talibus utor nominibus, illa a se invicem separata et omnino divisa existimem?

8. Τῶν ὑπ' ἐμοῦ λεχθέντων ὀνομάτων ἕκαστον ἀχώριστόν ἐστι καὶ ἀδιαίρετον τοῦ πλησίον· Πατέρα εἶπον, καὶ πρὶν ἐπαγάγω τὸν Υἱὸν, ἐσήμανα καὶ τοῦτον ἐν τῷ Πατρί. Υἱὸν ἐπήγαγον· εἰ καὶ μὴ προειρήκειν τὸν Πατέρα, πάντως ἂν ἐν τῷ Υἱῷ προείληπτο. ἅγιον Πνεῦμα προσέ- B θηκα· ἀλλ' ἅμα καὶ πόθεν καὶ διὰ τίνος ἧκεν ἐφήρμοσα. οἱ δὲ οὐκ ἴσασιν ὅτι μήτε ἀπηλλοτρίωται Πατὴρ Υἱοῦ, ᾗ πατὴρ, προκαταρκτικὸν γάρ ἐστι τῆς συναφείας τὸ ὄνομα. οὔτε ὁ Υἱὸς ἀπῴκισται τοῦ Πατρός· ἡ γὰρ ΠΑΤΗΡ προσηγορία δηλοῖ τὴν κοινωνίαν ἔν τε ταῖς χερσὶν αὐτῶν ἐστι τὸ Πνεῦμα, μήτε τοῦ πέμποντος, μήτε τοῦ φέροντος, δυνάμενον στέρεσθαι· πῶς οὖν ὁ τούτοις χρώμενος τοῖς ὀνόμασι, μεμερίσθαι ταῦτα καὶ ἀφωρίσθαι παντελῶς ἀλλήλων οἴομαι;

Paucis interjectis addit:

Καὶ μετ' ὀλίγα (inquit Athanasius), ἐπάγει λέγων·

9. Ita quidem unitatem indivisibilem in Trinitatem dilatamus, et rursum Trinitatem quæ minui nequit, in unitatem contrahimus.

9. Οὕτω μὲν ἡμεῖς εἴς τε τὴν ΤΡΙΑΔΑ τὴν μονάδα πλατύνομεν ἀδιαίρετον, καὶ τὴν ΤΡΙΑΔΑ πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν μονάδα συγκεφαλαιούμεθα. (Adducuntur hæc ab Athanasio, ubi supra, n. XVII, p. 254.)

Ex eodem libro secundo.

10. Si quis autem calumniator, eo quod Deum omnium factorem et creatorem dixi, putet me etiam Christi creatorem dixisse, advertat me prius Patrem ipsum appellasse; quo in vocabulo simul enuntiatus est et Filius (*ex Athanas.*, *ibid.*, *n.* 20). Postquam enim Patrem dixi factorem, subdidi: Neque pater eorum est, quorum est factor, si proprie is pater esse intelligatur qui genuit (latitudinem enim vocabuli hujus, *pater*, in sequentibus expendemus): neque factor pater, si solus opifex factor dicatur. Apud Græcos enim qui sapientes sunt, suorum librorum factores vocantur. Apostolus quoque ait: *Factor legis* (*Rom.*, II, 13; *Jac.*, IV, 12). Rerum etiam intrinsecarum, cujusmodi sunt

10. Ἐὰν δέ τις τῶν συκοφαντῶν, ἐπειδὴ τῶν ἁπάντων ποιητὴν τὸν Θεὸν καὶ δημιουργὸν εἶπον, οἴηταί με καὶ τοῦ Χριστοῦ λέγειν, ἀκουσάτω μου πρότερον Πατέρα φήσαντος αὐτὸν, ἐν ᾧ καὶ ὁ υἱὸς προσγέγραπται· μετὰ γὰρ τὸ εἰπεῖν Πατέρα ποιητὴν ἐπαγήοχα· Καὶ οὔτε πατὴρ ἐστιν ὧν ποιητής. εἰ κυρίως ὁ γεννήσας ΠΑΤΗΡ ἀκούοιτο· τὴν γὰρ πλατύτητα τῆς τοῦ ΠΑΤΡΟΣ προσηγορίας ἐν τοῖς ἑξῆς ἐπεξεργασόμεθα. οὔτε ποιητὴς ὁ πατὴρ, εἰ μόνος ὁ D χειροτέχνης ποιητὴς λέγοιτο. παρ' Ἕλλησι γὰρ ποιηταὶ καὶ τῶν ἰδίων καλοῦνται λόγων οἱ σόφοι. καὶ « ποιητὴς, » ὁ Ἀπόστολος εἶπε, « νόμου. » καὶ τῶν ἐγκαρδίων γὰρ, ἀρετῆς ἢ κακίας ποιηταὶ καθίστανται, ὡς εἶπεν, ὁ Θεος· Ἔμεινα

COMMENTARII.

recessit a Patre suo. Verbum meum erat apud me, et processit in vocem: Verbum Dei erat apud Patrem, et processit in carnem. COUSTANT.

Singula nomina, etc. Præmonet hic Athanasius, Dionysium adjecisse quod sequitur, ad amovendam alteram quorumdam suspicionem, qui aiebant: *Cum Patrem dicit Dionysius, Filium non nominat; et vice versa cum Filium dicit, Patrem non memorat: sed dividit, removet ac separat Filium a Patre.* COUSTANT.

Nomen. Hoc est quod subinde patres uno verbo dixere *relativum*, quod scil. ita cum altero connexum est, ut unum enuntiari nequeat, quin alterum simul menti obversetur. Quocirca Hilarius lib. VII *de Trinit.*, n. 31, de fide catholica ait: *Confitendo Patrem, confessa Filium est; credens in Filium, credidit et in Patrem: quia et nomen patris habet in se filii nomen; non enim nisi per filium pater est: et significatio filii demonstratio patris est, quia nisi ex patre sit filius.* COUST.

Communicationem. Scil. relationis, qua pater sine filio necesse nec cogitari potest. COUSTANT.

Si quis autem, *etc.* Quo in loco Dionysius dixerit quæ sequantur, Athanasius non indicat. In his certe habetur explicatio quædam superius dictorum repetitio. COUSTANT.

virtus et vitium, factores nuncupantur, quemadmodum dixit Deus: *Expectavi ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem* (*Isa.*, 5, 7).

A τοῦ ποιῆσαι κρίσιν, ἐποίησε δὲ ἀνομίαν. (Adducta hæc a *S. Athanasio*, ubi supra, n. XX, p. 257.)

Addit Athanasius, n. 21, Dionysium, *Quod Deum Christi factorem dixisset*, reprehendentibus, diversa responsa dedisse, quibus se purgaret, dicens.

11. Neque sic reprehendendum esse hoc dictum; se enim factoris nomine usum esse dicit propter carnem quam verbum assumpserat, quæ utique facta est. Quod si quis illud de Verbo dictum fuisse suspicetur, et id quoque remota contentione audiendum erat. Sicut enim Verbum rem factam esse non sentio; ita nec Deum factorem, sed patrem ejus dico. Sed et si quando de Filio disserens, obiter Deum factorem dixero, neque defensione careat hæc locutio. Nam sapientes apud Græcos librorum suorum factores se nuncupant, tametsi iidem librorum suorum patres sunt. Divina autem Scriptura motuum qui ex corde prodeunt, nos factores vocat, cum nos factores legis et judicii et justitiæ dicit.

11. Μηδ' οὕτως ἐπιλήψιμον εἶναι τὸν λόγον· εἰρηκέναι γὰρ ποιητὴν φησι διὰ τὴν σάρκα, ἣν ἀνέλαβε, γενητὴν οὖσαν αὐτὴν, ὁ Λόγος. Εἰ δὲ καὶ περὶ τοῦ λόγου τις ὑπονοήσοι τοῦτο λελέχθαι, καὶ οὕτως ἔπρεπεν αὐτοὺς ἀφιλονείκως ἀκοῦσαι. ὡς γὰρ οὐ ποίημα φρονῶ τὸν Λόγον, καὶ οὐ ποιητὴν, ἀλλὰ πατέρα τὸν Θεὸν αὐτοῦ λέγω. καὶ κἂν ἐξ ἐπιδρομῆς εἴπω ποιητὴν τὸν Θεὸν διηγούμενος περὶ τοῦ Υἱοῦ, ἀλλὰ καὶ οὕτως ἀπολογήσασθαι δυνατόν. ποιητὰς γὰρ τῶν ἰδίων λόγων Ἑλλήνων μὲν οἱ σοφοί φασι, B καίτοι πατέρας ἑαυτοὺς ὄντας τῶν ἰδίων λόγων. ἡ δὲ θεία Γραφὴ καὶ τῶν ἀπὸ καρδίας κινημάτων ποιητὰς ἡμᾶς διαγορεύει, ποιητὰς νόμου καὶ κρίσεως καὶ δικαιοσύνης λέγουσα.

Ex eodem libro secundo.

12. *In principio erat Verbum* (6): sed non erat Verbum quod Verbum produxerit (*ex Athan.*, *ibid.*, *n.* 25): *Verbum* enim *erat apud Deum* (*Joan.*, I). Dominus sapientia est: non erat igitur sapientia qui sapientiam produxit; *Ego* enim *eram*, inquit, *qua delectabatur* (*Prov.* VIII, , 30). Veritas est Christus: *Benedictus autem*, ait *Deus* veritatis.

12. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος· ἀλλ' οὐχ ἦν λόγος ὁ τὸν Λόγον προϊέμενος· Ἦν, γὰρ, ὁ Λόγος πρὸς τὸν Θεόν· σοφία γεγένηται ὁ Κύριος· οὐκ ἦν οὖν σοφία ὁ τὴν σοφίαν ἀνεὶς· Ἐγὼ, γὰρ, ἤμην, φησὶν, ᾗ προσέχαιρεν. ἀλήθειά ἐστιν ὁ Χριστός· Εὐλόγητος δὲ, φησὶν, ὁ Θεὸς τῆς ἀληθείας. (Profert hæc *S. Athanasius*, ubi supra, n. XXI, p. 260.)

Ex tertio libro.

13. Vita ex vita genita est, quemadmodum e C fonte flumen emanavit, et ex inextincto lumine splendidum lumen accensum est (*ex Athan.*, *ibid.*, *n.* 18).

13. Ζωὴ ἐκ ζωῆς ἐγεννήθη· καὶ ὥσπερ ποταμὸς ἀπὸ πηγῆς ἐρρύεσε· καὶ ἀπὸ ἀσβέστου λαμπρὸν φῶς ἀνήφθη. (Adducuntur hæc a *S. Athanasio Ep. de Sententia Dionysii*, n. XVIII. p. 256.)

Ex libro quarto.

14. Sicut mens nostra eructat a seipsa verbum (*Athanas.*, *ibid.*, *n.* 23), ut ait Propheta: *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal* XLIV, 2), estque utrumque alterum ab altero, proprium et ab altero disclinctum obtinens locum, cum illud quidem in corde, istud vero in lingua et ore commoretur et moveatur: neque tamen inter se distant, aut se invicem privantur; neque mens sine verbo est, neque verbum sine mente: sed mens verbum facit et in ipso apparet, ac verbum exhibet mentem in qua factum est. Et mens quidem est quasi verbum immanens, verbum vero mens prosiliens. Mens in verbum transit: verbum autem mentem in circumstantes auditores transmittit: sicque mens per verbum in auditorum animis insidet, simul ingressa cum verbo. Ac mens quidem est quasi pater verbi in seipsa existens;

14. Ὡς γὰρ ὁ ἡμέτερος νοῦς ἐρεύγεται μὲν ἀφ' ἑαυτοῦ τὸν λόγον, ὡς εἶπεν ὁ προφήτης, Ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν· καὶ ἔστι μὲν ἑκάτερος ἕτερος θατέρου, ἴδιον καὶ τοῦ λοιποῦ κεχωρισμένον εἰληχὼς τόπον, ὁ μὲν ἐν τῇ καρδίᾳ, ὁ δὲ ἐπὶ τῆς γλώττης καὶ τοῦ στόματος οἰκῶν τε καὶ κινούμενος· οὐ μὴν διεστήκασιν, οὐδὲ καθάπαξ ἀλλήλων στέρονται, οὐδὲ ἐστιν οὔτε ὁ νοῦς ἄλογος, D οὔτε ἄνους ὁ λόγος· ἀλλ' ὅγε νοῦς ποιεῖ τὸν λόγον ἐν αὐτῷ φανεὶς, καὶ ὁ λόγος δείκνυσι τὸν νοῦν, ἐν αὐτῷ γενόμενος. καὶ ὁ μὲν νοῦς ἐστιν οἷον λόγος ἐγκείμενος· ὁ δὲ λόγος νοῦς προπηδῶν· καὶ μεθίσταται μὲν ὁ νοῦς εἰς τὸν λόγον, ὁ δὲ λόγος τὸν νοῦν εἰς τοὺς ἀκροατὰς ἐγκυκλεῖ, καὶ οὕτως ὁ νοῦς διὰ τοῦ λόγου ταῖς τῶν ἀκουόντων ψυχαῖς ἐνιδρύεται, συνεισιὼν τῷ λόγῳ· καὶ ἔστιν ὁ μὲν οἷον πατὴρ ὁ νοῦς τοῦ λόγου, ὢν ἐφ' ἑαυτοῦ· ὁ δὲ καθάπερ υἱὸς ὁ λόγος τοῦ νοῦ, πρὸ ἐκείνου μὲν ἀδύνατον, ἀλλ' οὐδὲ ἔξωθέν ποθεν, σὺν ἐκείνῳ γενόμενος, βλαστήσας

COMMENTARII.

(1) *Librorum suorum patres sunt.* Ea mente a Clemente Alexandr. initio Stromatum dicti sunt *libri animæ liberi* ψυχῆς ἔγγονοι οἱ λόγοι. Subinde vero, n. 14, Dionysius idipsum planius explicat.

In principio, etc. Athanasius, postquam verba sequentia retulit, iis Sabellium simul et Arium profligari observat, ipseque iisdem subjicit explanationem, quam consuluisse operæ pretium fuerit.

COUSTANT.

verbum autem velut filius mentis, ne ante ipsam neque extra ipsam factum esse potest, sed cum ipsa existit, a qua germen et originem sumpsit. eodem quoque modo Pater maximus et mens universalis ante omnia Filium habet Verbum ac sermonem sui ipsius interpretem et angelum.

A δὲ ἀπ' αὐτοῦ. οὕτως ὁ Πατὴρ ὁ μέγιστος καὶ καθόλου νοῦς πρῶτον τὸν Υἱὸν Λόγον ἑρμηνέα καὶ ἄγγελον ἑαυτοῦ ἔχει. (Adducuntur hæc a *S. Athanasio*, ubi supra, n. 23, p. 259.)

Circa medium operis *.

15. Si eo quod tres sint hypostases, divisas dicant, tres sunt, etiamsi nolint; aut divinam Trinitatem prorsus e medio tollant. (*Ex Basilio*, *lib. de Spir. sancto*, *c.* 29).

15. Εἰ τῷ τρεῖς εἶναι τὰς ὑποστάσεις, μεμερισμένας εἶναι λέγουσι, τρεῖς εἰσι, κἂν μὴ θέλωσιν, ἢ τὴν θείαν ΤΡΙΑΔΑ παντελῶς ἀνελέτωσαν.

Ac rursum:

Καὶ πάλιν (inquit *S. Basilius M.*):

Θειοτάτη γάρ, διὰ τοῦτο, μετὰ τὴν Μονάδα, καὶ Ἡ ΤΡΙΑΣ.

Extant hæc apud *S. Basilium Magnum de Spiritu* B *Sancto*, cap. penult. p. 61.

Propter hoc enim, post unitatem, est et divinissima Trinitas.

Clausula totius operis.

16. His omnibus congruenter et nos, etiam forma regulaque a senioribus qui ante nos vixerunt accepta, concordi cum illis voce et gratiarum actionem et nunc etiam epistolam quam scribimus vobis absolvemus : Deo autem Patri et Filio Domino nostro Jesu Christo cum sancto Spiritu gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

16. Τούτοις πᾶσιν ἀκολούθως καὶ ἡμεῖς, καὶ δὴ παρὰ τῶν πρὸ ἡμῶν πρεσβυτέρων τύπον καὶ κανόνα παρειληφότες, ὁμοφώνως τε αὐτοῖς προσευχαριστοῦντες, καὶ δὴ καὶ νῦν ὑμῖν ἐπιστέλλοντες, καταπαύσομεν· τῷ δὲ Θεῷ Πατρὶ, καὶ Υἱῷ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, σὺν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, δόξα καὶ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. (Adduxit hæc *S. Basilius M.* in *Lib. de Spiritu Sancto*, cap. penult. p. 60, ed. Benedictin.)

De opere ipso hæc retulit S. Athanasius.

17. Queritur deinde (Dionysius), quod accusatores sententias suas non integras referant, sed truncatas, et quod non bona conscientia, sed mala pro libidine loquantur; quos similes ait beati apostoli epistolarum calumniatoribus. Certe singulis accusatorum verbis occurrens, omnibus eorum argumentis solutionem adhibet; cumque Sabellium prioribus illis scriptis planissime confutarit, his posterioribus fidem suam omnino piam declarat.

C 17. Αἰτιᾶται (Dionysius) τοὺς κατειπόντας αὐτοῦ, ὡς μὴ ὁλοκλήρους λέγοντας, ἀλλὰ περικόπτοντας αὐτοῦ τὰς λέξεις, καὶ ὡς μὴ καλῇ συνειδήσει, ἀλλὰ πονηρᾷ, λαλοῦντας ὡς θέλουσι. τούτους τε τούτοις ἀπεικάζει τοῖς τὰς τοῦ μακαρίου Ἀποστόλου διαβάλλουσιν Ἐπιστολάς...... ἀμέλει καὶ πρὸς ἕκαστον τῶν ὑπὸ τῶν κατηγόρων εἰρημένων ἀπαντῶν, πάντα τὰ παρ' αὐτῶν προφερόμενα θεραπεύει· καὶ Σαβέλλιον μὲν ἐν ἐκείνοις (scil. in prius scriptis) ἀνατρέπει, ἐν τούτοις δὲ δείκνυσιν ὁλόκληρον ἑαυτοῦ τὴν εὐσεβῆ πίστιν. (*De Sententia Dionysii*, num. XIV, p. 253.)

COMMENTARII.

* Basilius tria fragmenta subsequentia nobis asservavit, ac postremum quidem primo loco proferens, præmonet ipsa a se exhiberi verba, quibus *Dionysius Alexandrinus in secunda ad cognominem epistola sermonem*, περὶ ἐλέγχου καὶ ἀπολογίας, *finiit*, seu opus de quo agimus absolvit et clausit. Tum quod nos primum ponimus, huic subjiciens, illud citat in hunc modum : *Idem et circa medium scripti loquitur adversus Sabellianos*. Unde palam est opus illud, quod Athanasius in quatuor libros divisum notat, a Basilio in quatuor epistolas minime fuisse distinctum; alioquin is doctor totius operis clausulam *ex quarta*, non *ex secunda epistola* laudasset. Ipse etiam subjectum Dionysii testimonium *circa medium scripti* haberi indicans, totum illud opus velut unum scriptum, unamve epistolam, non diversas censere se confirmat. Pluris interest observare discrimen, quo Dionysii duo idem ἀποστάσεως vocabulum usurpant. Nam Romanus hac voce substan- D tiam seu essentiam et usiam intelligit, eaque ratione *tres hypostases* in Deo admittere refugit. Alexandrino vero nihil aliud *hypostasis*, nisi quod Latinis *personæ* nomen, sonat. Quocirca et *tres hypostases* catholice prædicat. Ideo enim Dionysio aliisque qui Sabellium impugnabant, non sufficere videbatur trium personarum prædicatio, quia et Sabellius tres in Deo personas, quales unus et idem homo in theatro repræsentare potest, ultro confitebatur. Quamquam Basilius Cæsariensis ep. 41, *ad Maximum philosophum*, Dionysium aliquando in Deo non solum ἑτερότητα ἀποστάσεως, sed et οὐσίας διαφορὰν constituisse, item ὁμούσιον primo respuisse, ac postmodum in apologia ad cognominem missa admisisse scribit. *Quo factum est*, inquit, *ut varius sit deprehensus et inconstans in conscriptionibus suis*. Verum aliter eum, si Athanasii epistolam de sententia Dionysii tunc legisset, locuturum fuisse Baronius putat.

COUSTANT.

EPISTOLA IV.

Ab Eusebio lib. VII *Hist.*, cap. 9 memoratur Epistola Dionysii Alexandrini ad Dionysium Romanum de Luciano : nec de epistola ista quidquam aliunde novimus. Porro Lucianus ille, de quo, seu cujus gratia scripta erat, creditur Cypriani successor, cujus Optatus lib. I meminit his verbis : « Erat altare loco suo, in quo pacifici episcopi retro temporis obtulerunt, Cyprianus, Lucianus et cæteri. » Ideoque scriptam non immerito existimat vir eruditus, ut inter Stephani Cyprianique sucessores pax illibata servaretur. Quemadmodum enim antea simul suscitavit Deus et Victorem, ut circa diem Paschæ apostolicam tueretur traditionem, et Irenæum, ut pacem inter dissidentes ecclesias componeret; ita et non sine Dei nutu eodem tempore Stephanus romanæ Ecclesiæ et Dionysius alexandrinæ præfuerunt; sed ut ille divinæ circa baptismum traditionis vindex, hic pacis ecclesiasticæ sequester esset. Quæ autem de hac epistola conjiciuntur, ut ad initia pontificatus Dionysii Romani referatur, postulant.

V.

Dionysii Romani episcopi ad Cæsariensem in Cappadocia Ecclesiam desideratur epistola, quam Basilius ejusdem civitatis episcopus Cæsareæ asservatam atque ipsa majorum memoria celebrem esse testatur (*Basil*, *ep.* 220, *et Damas.*, *ep.* 2, *n.* 3). Dionysius cum hac epistola, qua Cæsarienses consolabatur afflictos, legatos mittebat qui fratres eorum a captivitate redemptos liberarent. Hanc autem C Cæsariensium captivitatem contigisse conjectura est A post annum 260, quo Valerianus a Persis deletus captusque est. Exinde enim barbarorum incursionibus vicinæ Romanorum provinciæ patere cœperunt. Nominatim vero Scythas, hoc est Gotthos, circa annum 264, in Cappadociæ civitates excurrisse, indeque plures captivos secum abduxisse Philostorgius lib. II, cap. 5, tradit.

VI.

Apud Eusebium lib. VII, cap. 30, concilii Antiocheni legitur epistola « Dionysio (romano) Maximo (qui Dionysio Alexandrino successerat) et omnibus ubicumque in orbe terrarum collegis episcopis, presbyteris, diaconis, et universæ Ecclesiæ catholicæ » inscripta, qua Paulus Samosatensis ab episcopatu depulsus, et in ejus locum Domnus suf- B fectus renuntiatur. Pene quidem tota describitur ab Eusebio; sed cum præter inscriptionem nihil habeat speciale, quod aut ad Dionysium, aut ad ejus sedem attineat, eam indicare satis habemus. Concilium autem Antiochenum, unde scripta est, Eusebius, lib. II, c. 29, celebratum dicit « temporibus Aureliani imperatoris » : qui quidem anno 270, circa mensem aprilem Claudio II successit. Unde non longe ante Dionysii nostri obitum, aut eo etiam mortuo, sed cum mortis ejus nuntium Antiochiam nondum pervenisset, conscripta creditur.

VII.

Dionysio papæ Isidorus Mercator duas supposuit epistolas, unam ad Urbanum præfectum, alteram ad Severum episcopum, suo loco cum reliquis ejusdem opificis edendas.

CONCILIUM ROMANUM

IN CAUSA DIONYSII ALEXANDRINI, DE SABELLIANISMO ACCUSATI.

HABITUM ANNO CCLXIII, TEMPORE DIONYSII PAPÆ (1).

Concilium romanum. Hoc concilium auctore Dionysio papa celebratum est Romæ, anno Domini 263 hanc ob causam : cum Sabelliana, hæresis, auctore Sabellio oborta ac propagata, gloriosissimæ et adorandæ Trinitati personarum distinctionem auferret, Dionysius Alexandrinus sui officii esse ratus hominem Libycum sibi subditum refellere, in eum lucubrationes quasdam scripsit, quibus sinistro judicio Pentapolitanorum, non personarum tantum, sed etiam naturæ divinæ distinctionem ac diversitatem tueretur. Pentapolitani igitur eumdem Dionysium Alexandrinum, quasi de fide et Trinitate non recte sentiret, apud Dionysium pontificem accusant. Pontifex hoc episcoporum conventu indicto, Dionysium Alexandri- D num ad concilium citat et quid de natura ac ineffabil gloriosissimæ Trinitatis substantia sentiat, unam eamdemve, an vero diversam in tribus personis subsistentem divinam naturam esse credat, scripto profiteri mandat. Episcopus Alexandrinus calumniose accusatus, pontificis decreto paret, epistolam mentis suæ indicem, et criminis objecti purgatricem, quæ extat apud Baronium hoc anno, num. 34, cum quatuor apologeticis libris pro sui defensione conscriptis propediem afferendis, mittit. Quibus habitis, cum Pentapolitanorum accusantium, et Dionysii sese purgantis causa diu multumque discussa fuisset, prævio maturo consilio, Dionysius Alexandrinus episcopus, omnium episcoporum, qui huic concilio interfuerunt, sententia ac judicio ab accusatorum calumnia

(1) Dubius est annus.

teste Athanasio, in illo commentario quem de sententia Dionysii adversus Arianos conscripsit, abso- A lutus est (Vide Baron., anno 263, num. 30, usque ad 50).

ALEXANDRINÆ SYNODI DIONYSII

EX LIBELLO SYNODICO.

Synodus divina et sancta particularis, Alexandriæ collecta a confessore Dionysio, ejusdem archiepiscopo: quæ Sabellium divinitatis inimicum abdicavit.

Synodus divina et sancta provincialis, collecta Alexandriæ ab eodem Dionysio: quæ damnavit, et post mortem abdicavit Nepotianum episcopum Ægypti et Cerinthum: tamquam asseverantes, eoque errori plurimos alios involventes, in terrena Hierusalem Christi esse regnum, et millenarium annorum docentes: et præterea boum sacrificia et ovium mactationes tamquam legitimas exigentes.

Σύνοδος θεία καὶ ἱερὰ μερικὴ, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ συναθροιοθεῖσα ὑπὸ τοῦ ὁμολογήτου Διονυσίου, τοῦ ταύτης ἀρχιερέως, ἀποκηρυξασα τὸν Σαβελλίου τὸν ἀντίθεον.

Σύνοδος θεία καὶ ἱερὰ τοπικὴ, συναθροισθεῖσα ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ὑπὸ τοῦ προειρηγένου Διονυσίου, κατασεισάσα καὶ ἀποκήρυξασα μετὰ θάνατον, Νεποτιανὸν ἐπίσκοπον Αἰγύπτου, τὰ Κήρινθον· ὡς διαβεβαιουμένους B τὰ πλεῖαδα, ἐξαπατῶντας, ἐν τῇ ἐπιγείῳ Ἱερουσαλὴμ τοῦ Χριστοῦ εἶναι τὴν βασιλείαν, καὶ τὴν χιλιετηρίδα δογματίζοντας· πρὸς τούτοις βουθυσίας καὶ μηλοσφαγίας νομοθετοῦντας.

EPISTOLA I (1) DIONYSII PAPÆ AD URBANUM PRÆFECTUM.

Hortatur eum diligere et scrutari, ut rationabiliter et sapienter disponat et judicet ea quæ illi commissa sunt.

Dionysius episcopus Urbano præfecto salutem.

Summum bonum est amare amantes se; et econtra, pejus malum non est, quam ut cives civibus invideant. Gratias siquidem agimus tuæ charitati, quod fideles sancti Petri bene suscipis et adjuvas. Unde scias te a nobis nostrisque diligi, et tui tuorumque non modicam curam habere. Quapropter tuam hortamur dilectionem, ut bonum quod cœpisti (2), semper implere non differas, quia non laudatur initium sed finis. Sapientiam etiam te hortamur diligere et scrutari ut rationabiliter et sapienter disponas et judices ea quæ tibi commissa sunt dicente Domino per prophetam: *Erudimini, qui judicatis terram* (*Psal.* II). *Time ergo Deum, et mandata ejus serva* (*Eccles.*, XII). *Et dilige eum totis visceribus, et proximum tuum sicut teipsum* (*Marc.*, XII). *Deus altissimus creavit sapientiam in Spiritu sancto* (*Eccles.*, I), *et vidit, et dinumeravit, et mensus est. Et effudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem,* [a] *datum suum præbuit illam diligentibus se timor Domini gloriatio, et lætitia, et corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam et gaudium in longitudine dierum, timenti Deum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur. Dilectio Dei honorabilis sapientia. Quibus autem apparuerit in visu diligunt eum* [b] *in visione, et in agnitione magnalium suorum. Initium sapientiæ timor Domini. Et cum fidelibus in vulva concreatus est, et cum electis feminis graditur, et cum justis fidelibus* [c] *agnoscitur. Timor Domini scientiæ religiositas. Religiositas custodiet, et justificabit cor, jucunditatem atque gaudium dabit. Timenti Deum bene erit et in diebus consummationis* [d] *illius benedicetur. Plenitudo sapientiæ est, timere Deum, et plenitudo a fructibus illius. Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem et salutis fructum: et vidit et dinumeravit eam. Utraque autem sunt dona Dei, scientia et intellectus. Sapientia compartietur prudentiæ* [e], *et gloriam tenentium se exaltat. Radix sapientiæ est, timere Deum: rami enim illius longævi. In* C *thesauris sapientiæ, intellectus et scientiæ religiositas; execratio autem peccatoribus, sapientia. Timor Domini repellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari. Iracundia enim animositatis illius, subversio illius est. Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis. Bonus sensus usque ad tempus abscondet verba illius, et labia multorum enarrabunt sensum illius. In thesauris sapientiæ, significatio disciplinæ: execratio autem peccatori, cultura Dei. Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi, sapientia enim et disciplina, timor Domini: et quod beneplacitum est illi, fides et mansuetudo, et implebit thesauros ejus. Contumax non sis, et incredibilis timori Domini, et ne accesseris ad eum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum,* D *et non scandalizeris labiis tuis. Attende in illis, ne forte cadas, et ponas scandalum animæ tuæ, et adducas inhonorationem tibi, et revelet Deus absconsa tua.* Pro fide, frater, et justitia, ac pro salute animæ tuæ certa semper, et pro adjutorio fratrum, viriliter age, ut a Domino recipias remunerationem. Scriptum est enim: *Fili, conserva tempus, et devita a malo* (*Eccles.*, IV). *Pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. Ne accipias faciem adversus*

(1) Hæc et sequens pariter νοθεύεται.

(2) Idem est epistolæ textus cum 2. Felicis IV, similiter adulterata.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Carmen secundum datum suum et præbet, *Labb.*
[b] eam, *Labb.*
[c] Justis et fidelibus, *Labb.*
[d] Consolationis, *Labb.*
[e] Scientiam et intellectum prudentiæ sapientia compartietur, *Labb.*

faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium. Non verearis proximum tuum in casu tuo, nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore ejus. In lingua enim agnoscitur sapientia, et sensus, et scientia, et doctrina in verbis veritatis [a], *et firmentum in operibus justitiæ. Non contradicas veritati ullo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundere. Non confundaris confiteri peccata tua, et ne subjicias te homini pro peccato. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii. Pro justitia agonizare pro anima tua et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos, et eos evertet viriliter. Noli citatus esse in lingua tua, et inutilis, et remissus in operibus tuis. Noli esse* A *sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos et opprimens subjectos tibi. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta.* His fultus Scripturarum auctoritatibus, semper ita rectus, et a via veritatis ne avertaris, ut gratiam Dei semper acquiras, et bonorum hominum amicitia semper fruaris: tantoque tua facilius ab amore hujus sæculi mens exeat, quanto et impellitur, dum vocatur. Nam vos et præsentes videre cupimus, et absentibus colloqui, saltem per epistolam, desideramus. Unde optamus, ut vos beatus Petrus apostolorum princeps ad sua limina feliciter perducat, quatenus in omnipotentis gratia, perfrui vestra præsentia mereamur. Data IV nonas februarii, Aureliano et Basso viris clarissimis consulibus (1).

EPISTOLA II DIONYSII PAPÆ AD SEVERUM EPISCOPUM.

De Ecclesiis parochianis, ut singula singulis dentur presbyteris, et ut nullus alterius parochiæ terminos vel jus invadat.

Dionysius episcopus Sevon episcopo salutem.

Olim et ab initio (*S. Leo*, *ep.* 24) tantam percepimus a beato Petro apostolorum principe fiduciam, ut habeamus auctoritatem universali Ecclesiæ, auxiliante Domino, subvenire: et quidquid nocivum est auctoritate apostolica corrigere et emendare. Ad hoc enim divinæ (2) dispensationis provisio gradus et diversos constituit ordines esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret ex diversitate contextio, et recte officiorum generaretur administratio singulorum. Neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi C hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. Quia vero creatura in una eademque æqualitate gubernari vel vivere non potest, cœlestium militiarum exemplar nos instruit: quia dum sint angeli, sint archangeli, liquet quia non æquales sunt, sed in potestate et ordine, sicut nosti, differt alter ab altero. Si ergo inter eos, qui sine peccato sunt, ista constat esse distinctio, quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere? Hinc etenim pax et charitas mutua se vice complectuntur, et manet firma concordiæ in alterna et Deo placita dilectione sinceritas: quia unumquodque tunc salubriter completur offi- B cium, cum fuerit unus ad quem possit recurrere [b] præpositus.

De Ecclesiis ergo parochianis [c], unde apostolicam sedem consulere voluisti, qualiter sint custodiendæ per (3) Cordubensem provinciam, ac dividendæ sacerdotibus, nihil tuæ charitati melius nobis videtur intimare, quam ut sequaris, quod nos in romana Ecclesia nuper egisse cognoscitur. Ecclesias vero singulas singulis presbyteris dedimus, parochias et cœmeteria eis divisimus (4), et unicuique jus proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terras, terminos, aut jus invadat, sed unusquisque suis terminis (*S. Leo* I, *ep.* 89) sit contentus, et taliter ecclesiam et plebem tibi commissam custodiat, ut ante tribunal æterni judicis, ex omnibus sibi commissis rationem reddat, et non judicium, sed gloriam pro suis actibus accipiat. Hanc quoque normam, carissime, te et omnes episcopos sequi convenit: et quod tibi scribitur, omnibus quibuscumque potueris, notum facias, ut non specialis, sed generalis fiat ista præceptio. Crimina vero, quæ episcopis impingere dicis, per alios non sinas ullo modo fieri, nisi per ipsas qui crimina intendunt: si tamen ipsi digni et irreprehensibiles apparuerint, et actis docuerint publicis omni (5) se carere suspicione et inimicitia, et irreprehensibilem fidem conversationemque ducere. Nemini enim de se confesso, credi potest super crimen alienum, quoniam ejus omnisque rei

(1) Ann. 271. At si scribas Fusco et Basso erit ann. 258.

(2) S. Greg., ep. 52, l. IV, quibusdam leviter duntaxat commutatis.

(3) Corduba Hispali subjecta fuit tempore Dionysii papæ anno vero cir. 790, sub Mauris caput erat regni hispanici.

(4) *Ecclesias vero singulas singulis presbyteris dedimus, parochias et cœmeteria eis divisimus.* Hanc parochiarum distinctionem non primum a Dionysio, sed ab Evaristo factam esse, patet ex iis quæ supra diximus in notis ad vitam ejusdem Evaristi, verbis: *Hic titulos.* Verum cum in persecutione Valeriani publico edicto, de quo supra in notis ad vitam Sixti egimus, presbyteri ab Ecclesiis relegarentur, et christianorum in cœmeteriis conventus vetarentur, parochiarum, Ecclesiarum, et cœmeteriorum confusio sine dubio pace Ecclesiæ, concessa vicissim libera facultate adeundi cœmeteria, Dionysius romanus pontifex parochias presbyteris per exilium vel martyrium spoliatas, alias aliis assignavit, tempore persecutionis confusas iterum divisit, ac pro ratione distribuit, cœmeteria singulis, quod ante eum fecerant quidam anteque cessores, vicissim consignavit (vide Baron., anno 270, num. 17). SEVER. BINIUS.

(5) Conc. Arel., 1, c. 13, 15, q. 3. Nemini præterquam.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Verbo sensati, *Labb.*
[b] Recurrari *Lab.*

D [c] Parochialibus *Lab.*

confessio (professio, ita in ms.) periculosa est et (*Hadr. coll.* 64, *et an. interpretat. constitut.* 12, *tit.* I, *lib.* IX, *cod. Theodos.* 3, *q.* 4, *Alieni*) admitti non debet. Similiter alieni erroris socium, vel a sui voluntarie propositi tramite recedentem, aut sacris patrum regulis et constitutionibus impedientem, suscipere non possumus, nec debemus, nec impetere recte credentes, vel sanctorum patrum sanctionibus obtemperantes permittimus : quia infames omnes esse censemus, qui suam aut Christianam prævaricantur legem, aut apostolicam vel regularem libenter postponunt auctoritatem. Hæc (1) itaque, frater charissime, quæ pro affectu sacerdotalis nominis et honoris impendimus, tibi tuisque subditis, et omnibus tenenda, et aliis nuntianda, atque prædicanda mandamus, quibus et pietas ad utilitatem, et sit ad fructum dilectio. Unde abjurgando, hortando, suadendo, blandiendo, consolando [a], prodesse, quibus possumus, festinemus. Lingua nostra bonis fomentum sit, pravis aculeus. Timidos [b] retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides hortando [c] succendat, refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos consolatur, ut quia doctores [d] dicimur, viam salutis gradientibus ostendamus. Simus in custodia vigilantes, aditum contra hostio insidias solliciti muniamus. Et si quando perditam [e] ovem de commissis gregibus error abduxerit, toto illam annisu ad caulas dominicas revocare contendamus, ut de pastoris nomine quod habemus, non supplicium, sed præmium consequamur. Quia ergo in his omnibus divinæ gratiæ adjutorium opus est, omnipotentis Dei, assiduis precibus clementiam exoremus, quatenus ad hæc nobis operanda, et velle tribuat, et posse concedat, atque in ea nos via, cum fructibus boni operis, quam se pastor pastorum esse testatus est, dirigat, ut sine quo nihil agere possumus [f], per ipsum implere omnia valeamus. Data v Idus septembris (2) Claudio et Paterno viris clarissimis consulibus (3).

(1) S. Greg., epist. 113, lib. VII, cujus verba ac stylum nemo non statim agnoscet.

(2) An. 269.

(3) Idem Dionysius papa teste sancto Athanasio lib. de decretis synodi Nicænæ adversus Sabellianos insignem scripsit epistolam in qua *unitatem Dei in Trinitate et Trinitatem in unitate* egregie conformavit. Utinam ea nunc adesset ad refellendos novos veteresque Arianos et Sabellianos.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Consulendo *Labb.*
[b] Tumidos, *Labb.*
[c] Hortatur, *Labb.*
[d] Dectores *Lab.*
[e] Per devia, *Lab.*
[f] Facere nihil assurgimus, *Lab.*

DE S. FELICE ROMANO PONTIFICE,

NOTITIA HISTORICA.

Felix fit Pontifex, Romanus anno 269, *die* 28 *vel* 31 *decembris.* — Felix patria Romanus Constantii filius die 28 vel postremo anni 269, in Dionysii locum substitutus est (1). Hic insistens prædecessoris sui vestigiis nihil antiquius habuit, quam hæreses insurgentes in Ecclesiam profligare. Quamobrem cum recens esset vulnus a Paulo Samosateno inflictum catholicæ veritati, necdum obducta cicatrix de errore Sabellii, ipse de Filii Dei divinitate, ac pariter humanitate, naturisque duabus in una Persona distinctis ad Maximum episcopum alexandrinum Dionysii successorem scripsit epistolam, qua veluti ancipiti gladio utramque hæresim uno ictu confoderet; ut dum in Christo naturam monstraret divinam indivise humanitati conjunctam, Pauli hæresim condemnaret : dum vero humanam in eodem prædicaret a divina esse naturæ proprietate distinctam, et divinæ substantiæ in tribus personis subsistentiam demonstraret, Sabellium confutaret. Eidem ritum faciendi sacrificia *supra sepulchra aut memorias martyrum* (2)

(1) Euseb. *Hist eccles.*, lib. VII, cap. 30 et 32; Pagius, ad annum 274, n. 2; *l'Art. de vérifier les dates*, pag. 243; Saccarelli, *Hist. eccl.*, tom. IV, pag. 128.

(2) Bona, lib. I, *Rer. liturg.*, cap. 19, § 5. De Felice primo Summo Pontifice scribit Anastasius : Hic constituit supra sepulchra aut memorias martyrum missas celebrari, quia fortassis de hoc legem edidit, ne aliter fieri posset. Hinc existimaverim ortum morem consecrandi altaria cum reliquiis martyrum. Baronius, ad annum 275, § 2, scribit : « Ejusmodi institutionem longe ante Felicis papæ tempora Ecclesia sibi vindicat... Felicis ergo decretum stabilivisse videtur, quod absque scripto canone, traditione tantum simpliciter servaretur. » In hac sententia est etiam Tillemontius. Cæterum in hunc ipsum ritum verba Apocalypseos cap. VI : « Quare vidi sumptus Altare Dei animas interfectorum propter Verbum Dei, » notante Bertio in *Hist. eccles.*, tom. II, p 303, § XIX, Dissert. de Rom. Episcop., sæc. III, colligitur ex Ambrosio, Ep. 22, alias 54, ut ait : « Succedant victimæ triomphales, ubi Christus hostia est; sed ille super altare, qui pro hominibus passus est, isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. » Vide et Sermonem inter augustianos de SS., num. XI, nunc in appendicem rejectum. Confirmat ipsius ritus vetustatem prisca romanorum pontificum consuetudo sacrum peragendi supra beatorum apostolorum Petri et Pauli sepulchrum : unde Hieronymus adv. Vigi-

acceptum refert *liber Pontificalis*. Cum annos quinque catholicæ Ecclesiæ præfuisset, martyr decessit sæviente nona adversus christianos persecutione, quam Aurelius anno 272 exorsus fuerat (1).

Felix quando et quamdiu sederit? — Felicem quinque annis Ecclesiam gubernasse Eusebius tradit (2), A eique Bucherianus Catalogus, alter reginæ Suecorum, nec non Fossatensis, ac liber Pontificalis concinunt, quatenus eum temporibus «Claudii et Aureliani a consulatu Claudii et Paterni usque in consulatum Aureliani II et Capitolini,» hoc est ab anno 269 ad 274, pontificem fuisse docent. Ex hoc consensu minime ambigendum videtur, quin ipso anno quo vivere desiit Dionysius, adeoque post 26 decembris diem anni 269, Felix eidem successerit. At quo die vel mense idem papa obierit, non ita facile est eorumdem codicum auctoritate definire. Si enim Bucherianum consulamus catalogum, annis quinque mensibus undecim diebus viginti quinque Pontificatum gessit : adeoque non ad consulatum Aureliani II et Capitolini tantum, sed ad consulatum Aureliani III et Marcellini, hoc est ad annum 275 B Pontifex fuisse dicendus esset. In codice reginæ Suecorum, Fossatensi ac libro Pontificali annis quatuor mensibus tribus diebus viginti quinque sedisse, ac III kalendas junii in cœmeterio suo via Aurelia sepultus esse scribitur. Etiamnum in Ecclesia, secundum Martyrologia Bedæ, Adonis, Usuardi ac Romanum, S. Felicis Papæ et Martyris festum III kalendas junii celebratur. In Bucheriano autem Depositionis episcoporum romanorum indiculo (1), notatur ipsius depositio tertio kalendas januarii in Callisti. Quæ lectio ad superiorem revocari commode posset, cum hoc librariis facile accidat, ut III kalendas januarii, pro III kalendas junii scribant. Sed non item superior componi cum præmissis potest; cum ab exeunte mense decembri, quo Felicem ordinatum esse con- C stat, ad 29 diem maii, menses dumtaxat quinque solidi interjiciantur. Antonius Pagius in Bucherianum catalogum irrepsisse putat *annis* V, pro *annis* IV, atque hoc errato ex aliis libris correcto, retinendum esse annis IV, mensibus XI, diebus XXV. Et ex hoc catalogo sic emendato corrigere vicissim licet cæteros libros, cum antiquariis inusitatum non sit II, pro X, adeoque III mensibus pro XI mensibus pingere. Quapropter laudatus Pagius (2) Felicem die 28 decembris anni 269 ordinatum, et die 22 mensis decembris anni 274 vita functum censet. Et ei quidem suffragatur Bucherianus depositionis romanorum episcoporum Indiculus, si III kalendas januarii pro XI kalendas januarii, lapsu, ut diximus, librariis familiari, in eum D irrepsisse largiamur. Præterea Felicem ad anni 274 mensem decembrem vixisse, successori ejus tempus assignatum persuadet.

Num S. Felix martyr.— Idem papa martyris titulo ab ephesina synodo, Cyrillo aliisque decoratur. Nec obstat quod apud Bucherium in Indiculo citato sub titulo *Depositionis Episcoporum* recensetur; cum sub eodem titulo legamus et Lucium, quem martyrio coronatum fuisse Cypriani testimonio indubitatum est. Profecto S. Felicis martyrium, præterea catalogi præstantissimi, liber Pontificalis, Romanum, aliaque martyrologia testantur. Recte idcirco sapienterque

lantium sanctorum reliquiarum contemptorem ait : « Male facit ergo romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria? » Faciunt quoque eam in rem accurata illa martyrum monumenta ad instar sacelli altarisve exposita, quæ in Roma subterranea describit Paulus Aringhius, ac Boldetus, de Cœmeteriis, lib. I, cap. 8. —Vetustum autem illum morem, nedum fidelium pietati, sed etiam nascentis Ecclesiæ angustiis, atque persecutionum temporibus congruum, et opportunum proximis sæculis obtinuisse, demonstrant PP. sermones habiti ad martyrum mensas : quos inter 113 Augustini de Diversis, inscriptus *ad Mensam Cypriani*, in quo hæc habentur : « Sicut nostis, quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco, ubi propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani, mensa Deo constructa est. Tamen mensa dicitur Cypriani, non quia ibidem est umquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus; et quia ipse immolatione sua paravit hanc mensam, non in qua pascat, sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui et ipse oblatus est, offeratur. » Huc spectant S. Paulini versus Natal. IX :

Spectant de superis altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent sanctorum corpora sedem :
Namque et apostolici cineres sub cœlite mensa
Depositi, placitum Christo spirantis odorem
Pulveris inter sancta sacri libamina reddunt.

Prudentius item, hymno XI, περὶ Στεφ. :

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui martyris apposita,
Servat ad æterni spem vindicis ossa sepulcro,
Pascit item sanctis Tybricolas dapibus.

Ex vetusta hac consuetudine altaria supra memorias martyrum construendi condi sacras reliquias sub iisdem altaribus ab episcopo consecrante animadvertunt præcitato cap. 19. eruditissimus cardinalis Bona, et ad Felicem I, Emmanuel a Schelstrate, Franciscus Pagius, et Antonius Sandinus.

(1) Nonam dicunt Eusebius et Hieronymus persecutionem in Chronico, item Orosius, lib. VII, cap. 23. Quidam, ut est apud Baronium, ad ann. 273, § 4, eam esse credunt, quam S. Leo, Serm. 74, cap. 6, facit octavam et celebrem propter *innumera martyrum millia*. Lactantius, *de Mortibus persecutorum*, cap. VI : « Aurelianus, » ait, « qui esset natura vesanus et præceps, quamvis captivitatem Valeriani meminisset, tamen oblitus sceleris ejus et pœnæ, iram Dei crudelibus factis lacessivit. » Non *intentata* igitur dumtaxat persecutio ab Aureliano, ut visum Dodwello, sed et *executioni mandata*, uti loquitur, et probat Pagius ad ann. 272, § 9. Ideo autem Eusebius, lib. VIII *Hist. eccl.*, cap. 4, scribit diabolum veluti somno sopitum Ecclesiæ pacem non perturbasse ab Decii et Valeriani temporibus usque ad Diocletianum, «quia, » ut ait idem Pagius, § II, « persecutio ab Aureliano excitata brevissima fuit, cum econtra tam Decii, quam Valeriani persecutiones diuturnæ fuerant : ob quam etiam rationem Numeriani et Maximiani Herculei mentionem non facit, qui tamen ante persecutionem Diocletianam Ecclesiam vexarunt, uti ex annalibus liquet. »

(2) Euseb., *Hist. eccl.* lib. VII, cap. 32 : «Qua tempestate cum Felix quinque annis romanam gubernasset Ecclesiam, Eutychianus in ejus locum successit. » Pag. 230 edit. Taurinensis.

(1) Apud Schelestrat. et Brucher. in *Doctrina temporum*, pag. 269.

(2) Pag., *Crit.* ad ann. 274, n. 2.

Papirius ita Felicem alloquitur: « Vir fuisti fide, vita, scientia clarus, et martyrio subeundo idoneus, ut eventus docuit. Id enim sub Aureliano, quod negari non potest, severo, truculento, utque Flavii Vopisci verbo utar, sanguinario principe, et christiani nominis acerbissimo hoste pro Christo constantissime subiisti, ut decebat Constantii filium, hoc enim patri tuo nomen erat. Itaque non immerito Cyrillus Alexandrinus, et Vincentius Lirinensis, qui sub Cœlestino primo vixere, te sanctum martyrem appellant. Et alius ille episcopus te producebat testem, Romanæque Ecclesiæ doctorem appellabat dicens: *Sententia Felicis sanctissimi episcopi et martyris romani de Incarnatione Verbi et Fide.* » Innuit his verbis Papyrius S. Felicis epistolam ad Maximum episcopum Alexandrinum contra hæresim Sabellii et Pauli Samosateni.

Felici reddita Epistola encyclica ejus decessori Dionysio ab antiochena synodo inscripta. — Compertum est ex Eusebio (1), nominatim Dionysio romanæ urbis episcopo inscriptam esse encyclicam antiocheni concilii epistolam, qua de Paulo Samosatensi ob perversam doctrinam ac pravos mores a sede antiochena dejecto, et Domino in ejus locum suffecto admoneretur. « Quod quidem, » inquit Synodus (2), idcirco vobis significamus, ut ad eum (Domnum) scribatis, et ab eo communicatorias litteras accipiatis. Hic vero (Paulus) ad Artemam scribat, et ii, qui Artemam sectantur, cum illo communicent. Hæc autem epistola cum Dionysio, morte interveniente, tradi non potuisset, saltem successori ejus, quemadmodum subinde, quoties idipsum contigit, semper factum esse constat, reddita est.

Aureliani Imperatoris judicium Romanæ sedi gloriosum.— Interim Paulus, tametsi celebri adeo synodo, quam octoginta episcopis constitisse Hilarius tradit (3), condemnatus, e domo antiochensis ecclesiæ recedere, eamque Domno concedere diu detrectavit. Quocirca, « interpellatus imperator Aurelianus, Eusebii sententia (4) hoc negotium rectissime dijudicavit, iis domum tradi præcipiens quibus italici christianæ religionis antistites et romanus episcopus scriberent. Hac autem in causa interpellari nequit Aurelianus, nisi postquam is, Zenobia Orientis domina et Pauli patrona devicta, Antiochiam recepit: quod quidem sub exitum anni 272 contigisse eruditi notant.

Tam celebre judicium postulabat, ut Felix quam primum cum cæteris Italiæ episcopis conveniret; indeque cum iis ad Domnum scriberet, sese ratam habere illius ordinationem, et Pauli condemnationem confirmare. Nec ullus videtur dubitandi locus, quin Felix id, quod muneris sui erat, eo in negotio præstiterit. Cum enim decessoribus ejus id moris semper

(1) Euseb., Hist. eccles. lib. VII, cap. 3.
(2) Apud Euseb., loco citat., et apud Mansi, Collect. Concil., tom. I, pag. 1100.
(3) Hilarius, libr. *de Synodis*, n. 86.
(4) Euseb., loco citato.

A fuerit, ut quælibet res, quæ de diversis ecclesiis ad ipsos referebantur, cum synodis communicarent, et exinde responsa illis darent, cumque morem eumdem decessores illius per plura sæcula imitari non destiterint; quis ipsum rem neglexisse crediderit, quam imperatoris ethnici judicium toti Ecclesiæ tam utile, nominatimque romanæ tam gloriosum desiderabat? Tunc opportuna Felici data est occasio, qua Christi propugnaret Deitatem ac refutaret Paulum, qui Artemæ revocans impietatem *Deo*, ut antiocheni patres loquuntur, *bellum indicebat*, ἀντιτασσόμενον αὐτὸν τῷ Θεῷ; quia divinam Christo naturam negabat. Quidquid ea occasione aliisve scripsit Felix, ita interiit, ut vix modicum fragmentum nomine ipsius inscriptum ad nos pervenerit. Hunc tamen scriptis celeB brem exstitisse, hoc non levi argumento est, quod cum Apollinaristæ, ut commenta sua auctoritate idonea tueri viderentur, varia opera non obscuris quibusdam, sed insignioribus Ecclesiæ scriptoribus supponere studerent; hujus etiam Papæ nomine nonnulla sibi confingenda duxerunt. Neque etiam neglexerunt ephesini patres ejusdem auctoritate fidem tueri. Sane inter Patrum testimonia fragmentum laudant (1) *Felicis sanctissimi Episcopi Romæ, et Martyris ad Maximum Episcopum et Clerum Alexandrinum*, quod et Cyrillus Apologetico adversus Orientales ad Anath. VI. inseruit, et Marius Mercator (2) latinitate donavit.

Ejusdem fragmenti sinceritas adstruitur. Non desunt tamen qui fragmentum hoc Felici nostro abjudiC cantes, illud Felici, qui a Constantio imperatore in Liberii locum subrogatus est, tribuendum putent. Verum levis est omnino ratio, quæ eos in hujusmodi opinionem adduxit. Hoc quippe uno nituntur argumento, quod fragmentum istud in ephesino concilio, ut et apud Cyrillum Julii papæ testimonio postponatur. Si autem valeret ista ratio, Julio ac Felice dicendus esset posterior Cyprianus; siquidem is post illos in prædicto concilio citatur; et rursum Felice ac Julio antiquior censendus foret Atticus Episcopus C. P. quippe qui eisdem in laudato Cyrilli præponitur. Sed Vincentius Lirinensis (3), et Hypatius Ephesiorum episcopus in collatione cum acephalis, ubi eadem testimonia commemorant, Felicem Julio, prout exiD git temporum ordo, præponunt. Præterea nemo non videt indignum prorsus fuisse tanta Synodo, ut ad stabiliendam fidem, hominis ab Arianorum factione in catholici antistitis locum intrusi auctoritate uteretur. Neque vero *sanctissimi episcopi Romæ et Martyris* titulus, quo Felicem Cyrillus et ephesini patres exornant, in hominem hujusmodi convenit. Ipsa denique inscriptio, quæ Maximi Alexandrini nomen præ se fert, dubitare nos non sinit, quin subnexum fragmentum Cyrillus et ephesina synodus velut Felicis I testimonium laudarint. Quippe encyclica synodi antiochenæ epistola, Dionysio Romano simul et Maximo

(1) Concil. Ephes., act. I, pag. 512.
(2) Mar. Mercat., pag. 178 et 240, edit. Baluz.
(3) Vincent. Lirin., *Commonit.*, cap. 42.

Alexandrino inscripta, hunc Maximum Dionysii Alexandrini successorem Felici nostro æqualem fuisse, certo nos docet.

Adversa Lequienii opinio diluitur.— Verum alia ratione Michael Lequien doctis in Damascenum dissertationibus nihil jam superesse censet, cur idem fragmentum non tantum Felici nostro abrogare, sed et hæreticis adscribere dubitemus. Ubi enim plures epistolas Julii Papæ nomine ab apollinaristis confictas esse probavit, tandem subdit (1), epistola, quæ sub Felicis Romani nomine ferebatur, *unam naturam assertam* fuisse testantur Hypatius et Liberatus; nec proinde dubitandi locus superest, quin ex eodem, ac cæteræ, quas memoravi, fonte prodierit. Si tamen vir eruditus laudatis a se Hypatii ac Liberati verbis stare voluerit, ipsi testimonium, ab ephesino concilio ac Cyrillo prolatum, pro genuino Felicis fœtu admittendum erit. Et ad Hypatium quidem quod attinet, duplex distinguit Felicis testimonium, unum prolatum a Cyrillo in ephesina synodo et alibi, alterum vero ab acephalis in scriptis hæreticis, aut hæreticorum opera corruptis laudatum : tum hoc postremum rejicere contentus ut spurium, primum ultro ac libenter ut genuinum agnoscit. Verba illius expendamus.

Hypatii Ephesiorum Episcopi et Liberati Diaconi Verba de eodem fragmento expensa. — Acephali seu Severiani in collatione, quæ Justiniani imperatoris jussu in regia urbe anno 533 habita est, sanctos chalcedonensis concilii patres transgressionis postulant, « quia (2) beato Cyrillo et beato Athanasio Alexandrinæ civitatis Episcopis, Felice etiam et Julio Romanæ Ecclesiæ, Gregorio quin etiam mirabilium factore; et Dionysio Areopagita unam naturam Dei Verbi decernentibus post unitionem, hos omnes transgressi illi, post unitionem præsumpserunt duas naturas prædicare. » Quibus respondet Hypatius : « In tantum falsæ sunt Epistolæ sive testificationes illæ, quas dicitis, ut neque unam ex illis beatus Cyrillus voluerit recordari, nec in Epistolis, quas ad Nestorium scripsit, aut in his (3) quas contra blasphemias ejus protulit testificationes in sancta synodo ephesina, quando maxime debuit proferre eas, sed nec in expositione duodecim capitulorum adversus Theodoretum et Andream... sed nec adversus orientale (4) conditum. » Tum testimoniorum a Cyrillo ephesina in synodo prolatorum, nominatimque Felicis sinceritatem tuetur, atque his opponit in hunc modum : « Sed et hoc dicimus, quia duodecim gloriosorum patrum testimonia adversus Nestorii blasphemias in Epheso B. Cyrillus proferens, id est sancti Petri episcopi alexandrini et martyris, sancti Felicis episcopi romani et martyris, Cypriani episcopi carthaginensis et martyris, B. Athanasii et B. Theophili episcopo-

A rum Alexandriæ, Julii episcopi Romæ, Ambrosii et Basilii, Gregorii, et alterius Gregorii Amphilochii Iconii, et Attici Constantinopolitani, nullum testimonium eorum de una natura protulit. » Subjiciun acephali : « Quid ego suspicamini, quia nos eas falsavimus? » Epistolas scilicet, quas Felicis aliorumque nomine proferebant. Quibus Hypatius satisfacit his verbis : « Vos non suspicamur, sed antiquos hæreticos apollinaristas. » Tum iisdem hæreticis instantibus ac dicentibus, « Possumus ostendere, quia B. Cyrillus usus est istis testimoniis in libris adversus Diodorum et Theodorum ; » respondet idem Hypatius : « Modo maxime et illos adversus Diodorum et Theodorum libros ambiguos facitis, tamquam fictos adversus mortuos prolatos dicentes, qui non poterant re-
B fellere falsitatem. Si enim adversus mortuos prolati sunt, multo magis adversus Nestorium et eos qui contra capitula ejus scripserunt, proferre habuit eadem testimonia. Sed nunc videtur quia hæretici falsantes addiderunt ea. »

Liberatus vero primum hanc cum acephalis collationem cap. 9. memorat, ac deinde cap. 10 perstringens, quæ proxime ex illa descripsimus, subdit : « Cyrillus quatuor libros scripsit, tres adversus Diodorum et Theodorum, quasi essent Nestoriani dogmatis auctores, et alium de Incarnatione librum, in quibus continentur antiquorum patrum corrupta » (ita vetus codex corbeiensis, ubi in vulgatis mendose incorrupta) « testimonia, id est Felicis Papæ, Dionysii Areopagitæ Corinthiorum episcopi, et Gregorii
C mirabilis θαυματούργου cognominati. Contra quos catholici veritatis defensores sic acephalis responderunt, illos libros non esse Cyrilli, quoniam testimoniis, quæ in eis contra mortuos posuisse dicitur, contra viventem Nestorium non est usus, neque in aliquibus Epistolis. Unde dicunt illos libros nec dictasse Cyrillum, nec edidisse. » Cum igitur Liberatum ex Hypatii sententia loqui manifestum sit, unum censeri debet utriusque testimonium. Ex quo conficitur, unius ejusdemque Felicis nomine cum geminas ac sinceras, tum falsas aut adulteratas divulgatas litteras : et genuinas quidem in ephesino concilio, falsas autem seu corruptas ab acephalis fuisse laudatas.

Utut in dubium revocari possit ejus integritas. Catholica tamen est sententia. Omnis vero dubitatio ex ve-
D *terum auctoritate sublata.* — Inde tamen moveri me fateor, ne Felicis epistolam etiam in ephesino concilio, et a Cyrillo laudatam pro indubitata habeam, quod Cyrillus in epistola ad Successum et alibi *unam verbi naturam incarnatam* profiteatur. Neque enim aliunde ad hujusmodi professionem adductus videtur, nisi quod scripta, quæ apollinaristæ clarorum virorum nominibus confinxerant, eorum existimavit esse quorum nomina præ se ferrent. Hinc et Flavianus in confessione, quam ad Theodosium imperatorem misit : « Unum quidem, inquit (1), verbi Dei naturam, incarnatam tamen et inhumanatam, dicere non negamus, eo quod ex ambabus unus atque idem sit Do-

(1) Le Quien, Dissertat. Damasen., II, § VII.
(2) Labb., *Concil.*, tom. IV, pag. 1766, et apud Mansi, *Collect. Concil.*, tom. VIII, pag. 820.
(3) Ita intellige, quasi mox legeretur *testificationibus*.
(4) Hoc est in *Apologetico* adversus Orientales.

(1) Calced. Concil., part. cap. V, et liberat. cap 11.

minus noster Jesus Christus. » Utut est, si hæretici est fragmentum illud Felicis nomine inscriptum, ejus est, qui cum catholicus videri affectet, suas ab orthodoxa fide voces mutuatur. Illud certe cum Cyrillus et ephesina synodus sanctissimo papa et martyre Felice non indignum judicarint, atque ut ejusdem deinde Marius Mercator, Vincentius Lirinensis, Hipatius Ephesiorum episcopus, aliique catholici admiserint, quamdiu aliud non constabit, religioni nobis est hinc illud submovere. Sane ut orthodoxum quisque proferre tuto valeat, quod tanta auctoritate fulcitur.

Quin et ex eodem fragmento Apollinaris hæresis profligatur. — Apollinaris hæresis, quæ corpus hominis anima vel mente destitutum adeoque hominem imperfectum a Christo assumptum volebat, postremis hujus verbis profligatur. Quocirca vel hinc suspicio, ne forte illud apollinaristæ alicujus opificium sit, omnino removeretur, si hæreticorum illorum artes ac fraudes laterent. Sed ut prudens observavit laudatus Michael Lequienius, et Epiphanius (1) memoriæ prodidit, prædicare non dubitavit Vitalis Apollinarii discipulus, *omnino perfectus homo Christus extitit*, ac nihilominus mentem a Christo susceptam esse haud cunctanter negavit. Quod quo pacto componeret rogatus, respondit : « Eatenus perfectum hominem fuisse dicimus, si divinitatem illi loco mentis adscribamus, et carnem atque animam adjungamus sic, ut perfectus homo ex carne, anima et divinitate, quæ sit mentis instar, existat. » Verum mentitur iniquitas sibi. Quem enim potiori hominis parte caruisse censet, hominem perfectum non nisi per ludificationem appellat. Hactenus Coutantius.

Uti in cæteris veterum romanorum pontificum epistolis edendis Coutantium secutus est Gallandius; ita hujus pariter fragmenti Feliciani editionem adornavit ad exemplar Coutantianum ; ejusdem Coutantii judicium de hoc fragmento, atque vindicias prolego-

(1) Epiphan., Hæres. LXXVII, § 23.

A menis suis cap. 14, tom. III. Bibliothecæ veterum Patrum inseruit.

Tres adhuc Felici I assignantur epistolæ a pseudo-Isidoro. Prima ad Paternum episcopum sex capita continet : 1° Quod fautores inimicorum ab accusatione episcopali submoveantur. 2° Ne majores a minorum accusationibus impetantur. 3° Ne in re dubia non judicetur certa sententia. 4° Ut clerici suas actiones exerceant. 5° Quomodo primates in accusatum episcopum se gerere debeant. 6° Judices Ecclesiæ ne absente eo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant. Data est nonis junii Claudio et Aureliano viris clariss. coss. — Secunda epistola, de auctoritate sedis apostolicæ, et de episcopis accusatis, universis B per Gallias episcopis constitutis missa est. Data est V idus Augusti Claudio et Paterno viris clariss. coss. Tertia denique epistola ad Benignum episcopum duo complectitur. Damnat et eos, qui filium non videre Patrem contendunt, et illos qui affirmant Filium esse Patre minorem : Data nonis Februarii Claudio et Paterno viris clariss. coss. At frustra subdolum rete suum larvatus ille Felix tendit eruditis. Primæ Epistolæ falsissima est subscriptio. Sedente Felice nullus Claudii et Aureliani consulatus. Initium hoc epistolæ, gaudere me plurimum et exultare in Domino, verbaque sequentia bene multa extant Leonis in epistola XXXI. Secunda subscriptio veteratorem prodit. Vita in Dionysio morabatur idibus augusti Claudio et Paterno coss. Qui Felix ergo eo tempore, Galliarum C episcopis, decretalem mittere suam potuit? Initium quoque decretali fœneravit Leo epistola XXXII. Bonorum operum et spiritualium, etc. Nec uno hoc furto contentus subditus ille Felix, ex Petri episcopi Ravennatis ad Eutychem presbyterum Epistola verba desumpsit. Inspiciatur *Bibliotheca magna Patrum*, tom VII, p. 979, et Mansi, *Ampl. collect.* concilior., tom. I, pag. 1103—1114. Has Felicis I epistolas falsitatis convictas exhibet etiam Blondellus in Pseudo-Isidoro, pag. 353 et seq.

FRAGMENTUM

F Felicis sanctissimi episcopi Romæ et martyris ex epistola ad Maximum episcopum et clerum Alexandrinum.

De Verbi autem incarnatione et fide, credimus in Dominum nostrum Jesum Christum ex virgine Maria natum, quod ipse est sempiternus Dei filius et Verbum, non autem homo a Deo assumptus, ut alius sit ab illo. Neque enim hominem assumpsit Dei Filius, ut alius ab eo exsistat : sed cum perfectus Deus esset, factus est simul et homo perfectus, ex virgine incarnatus.

Φήλικος, τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Ῥώμης καὶ μάρτυρος ἐκ τῆς πρὸς Μάξιμον. τὸν ἐπίσκοπον καὶ τὸν κλῆρον Ἀλεξανδρείας ἐπιστολῆς.

Περὶ δὲ τῆς σαρκώσεως τοῦ Λόγου καὶ τῆς πίστεως, D πιστεύομεν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ἐκ τῆς παρθένου Μαρίας γεννηθέντα, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ τοῦ Θεοῦ ἀΐδιος Υἱὸς καὶ Λόγος, καὶ οὐκ ἄνθρωπος ὑπὸ Θεοῦ ἀναληφθεὶς, ἵν' ἕτερος ᾖ παρ' ἐκεῖνον. οὐδὲ γὰρ ἄνθρωπον ἀνέλαβεν ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱὸς, ἵνα ᾖ ἕτερος παρ' αὐτόν· ἀλλὰ, Θεὸς ὢν τέλειος, γέγονεν ἅμα καὶ τέλειος ἄνθρωπος, σαρκωθεὶς ἐκ παρθένου·

S. FELICIS PAPÆ I ET MARTYRIS
EPISTOLÆ DUBIÆ QUATUOR.

EPISTOLA I.

AD PATERNUM EPISCOPUM.

De judiciis et accusationibus et defensionibus sacrorum ordinum.

I. — *Quod detractores et fautores inimicorum ab accusatione episcopali submoveantur.*

II. — *Ne minores a majoribus accusationibus impetantur.*

III. — *In re dubia non judicetur certa sententia de his qui adversus clericum causam aliquam habebunt in provincia.*

IV. — *Clerici actiones suas exerceant.*

V. — *Primates in accusatum episcopum quomodo se gerere debeant.*

VI. — *Judices Ecclesiæ ne absente eo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant, et ne proditoris calumnia aut vox audiatur.*

Charissimo atque dilectissimo Paterno coepiscopo, Felix episcopus in Domino salutem.

Gaudere me plurimum (*S. Leo*, *ep.* 31), et exultare in Domino, dilectionis tuæ scripta fecerunt, quibus evidenter ostenditur, quantum catholicam diligis fidem, et quantum hæreticum detestaris errorem. Hæresis quippe est nimis impia, et evangelicæ veritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, sed ipsa christianæ religionis conatur fundamenta convellere. Quoscumque [a] enim rapit ad se, non solum in hoc vitium, sed in multa alia vitia ruere facit : et ipso suadente antiquo hoste, non solum persecutores Ecclesiæ, sed etiam sacerdotum ejus, fiunt. Una igitur mente corrigere curemus et insequamur tales, et ab hoste suo Ecclesiam, ejusque fideles et sacerdotes Domini, nitamur liberare. Præstabit vires omnipotens redemptor noster charitati atque justitiæ (*S. Greg.*, *ep.* 36, lib. IV) : præstabit nobis, longe a se positis, unitatem Spiritus sui ipse, cujus artificio, quasi in arcæ modum, quatuor mundi constructa lateribus, atque imputribilium lignorum compage, et bitumine charitatis adstricta est Ecclesia, ut nullius adversitate Spiritus, nullius venientis extrinsecus tumore fluctus perturbetur. Sed quemadmodum illius gubernante gratia, petendum est, ut nulla nos superveniens exterius unda conturbet, ita ex totis orandum est visceribus, frater charissime, ut suæ providentiæ dextera cumulum sentinæ nobis interioris exhauriat. *Adversarius* quippe *diabolus*, qui contra humiles sæviens, *sicut leo rugiens circuit*, *quærens quem devoret* (I *S. Petr.*, V), non jam, ut cernimus, caulas circuivit [b], sed ita valide in quibusdam Ecclesiæ necessariis membris dentem figit, ut nulli dubium, quia nisi unanimiter, faciente Domino, cunctorum provida pastorum turba concurrat, omne (quod absit) citius ovile dilaniet.

I. Quapropter detractores, qui divina auctoritate eradicandi sunt, et fautores inimicorum, ab episcopali submovemus accusatione.

II. Similiter ne summorum quispiam (*Hadr.*, *col.* 19), minorum accusationibus impietatur, aut dispereat.

III. Neque in re (*S. Greg.*, *ep.* 30, *lib.* VIII) certa B judicetur sententia, nec ullum judicium, nisi ordinabiliter habitum, teneatur.

IV. Si quis super quibuslibet criminibus clericum pulsandum crediderit, in provincia, in qua (*Hadr.*, *col.* 8) consistit ille qui pulsatur, suas exerceat [c] actiones, nec æstimet eum accusator alibi, aut longius pertrahendum ad judicium. Illi vero, qui pulsatus fuerit, si judices suspectos habuerit, liceat appellare primates.

V. Primates quoque accusatum discutientes episcopum, non ante sententiam proferant damnationis, quam apostolica freti auctoritate, aut reum se ipse confiteatur (*An. in const.*, *lib.* IX, *tit.* 40, *cod. The.*, 11, *q.* 3, *Irritum esse episcoporum*), aut per innocentes et canonice examinatos regulariter testes convincaC tur. Aliter irritam esse censemus et injustam episcoporum damnationem, et idcirco a synodo retractandam, ita ut oppressis ab omnibus, in cunctis subveniatur causis.

VI. Caveant (*Conc. Carth.*, IV, *c.* 28) judices Ecclesiæ, ne absente eo cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit, qui etiam rationem pro actione fratrum in præsentia dabunt. Proditoris vero nec calumnia, nec vox [d] audiatur. Nemo enim debitorem amplius potest cognoscere, quam ille qui injuriam ejusque sustinuit (*Cod. The.*, *const.* 3, *tit.* 10, *lib.* X) nequitiam. Omnes ergo qui in Christo volunt pie vivere necesse est ut ab impiis dissimilibus patiantur opprobria, et despiciantur tamquam stulti et insani (*Prosp.*, *sent.* 32, *ex Aug. in ps.* CXXII), qui præsentia bona perdunt, ut invisibilia et futura acquirant. Despectio tamen et irrisio talium in ipsos retorquebitur qui ipsos infestant : quia et abundantia eorum in egestatem, et superbia transibit in confusionem. Et quidquid justis adversitatum vel malorum D irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen. Et sicut aurum, quanto plus excoquitur, tanto melius efficitur : sic justus, quanto plus tribulatur (si ipsam tribulationem patienter portaverit) multo purior et charior Deo redditur. Unde ipsa per se Veritas dicit (*S. Matth.*, V) : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quocumque enim serpit *Labb.*
[b] Circuit *Labb.*
[c] Exerat *Labb.*
[d] Calumniatoris vox umquam *Labb.*

De talibus Dominus per Isaiam loquitur, dicens (*Isa.*, LXVI) : *Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus. Dixerunt fratres vestri, odientes vos et abjicientes propter nomen meum : Glorificetur Dominus, et videbimus in lætitia vestra : ipsi autem confundentur. Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. Antequam parturiret, peperit : antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit umquam tale ? et quis vidit huic simile ? Numquid parturiet terra in die una? aut parturietur* [a] *gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos ? Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus ? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus ? Lætamini cum Jerusalem, et exultate in ea omnes qui diligitis eam. Gaudete cum ea universi gaudio, qui lugetis super eam, ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus, quia hæc dicit Dominus : Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quia torrentem inundantem gloriam gentium quam sugetis. Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra sicut herba germinabunt. Et cognoscetur manus Domini servis ejus, et indignabitur inimicis suis. Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadriga* [b] *ejus, reddere indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis. Quia in igne Dominus dijudicat* [c], *et in gladio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti a Domino. Qui sanctificabantur, et mundos se putabant in hortis post januam intrinsecus, qui comedebant carnem suillam, et abominationem, et murem : simul consumentur, dicit Dominus. Ego autem opera eorum, et cogitationes eorum, venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis : et venient et videbunt gloriam meam, et ponam in eis signum. Et mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes, in mari, in Africa, in Lydia* [d] *tendentes sagittam in Italiam, et Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus : quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domo Domini. Et assumam ex eis in sacerdotes et in levitas, dicit Dominus : Quia sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato et veniet omni scaro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egredientur et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et* A *ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Quid aliud detrahentes faciunt (*S. Greg.*, *ep.* XLV, *lib.* VIII), nisi in pulverem flant, atque in oculos suos terram excitant ? Et unde plus detractationis perflant, inde magis nihil veritatis vident ? Tales tamen, frater charissime, portandi sunt et corrigendi, quia *cæci sunt, et duces cæcorum* (*S. Matth.*, XV). His, charissime, respondi breviter consultis tuis, quæ te et omnes episcopos regulariter tenere mandamus. Tuam tamen, frater, monemus prudentiam, ut pro statu Ecclesiæ et sacerdotum ejus, pro viribus elaborare studeas, et ordinem sanctæ romanæ et apostolicæ Ecclesiæ per omnia teneas, et violari sanctorum decreta non permittas, sed omnes quoscumque potueris, instruas, ut fructuosos manipulos B Domino repræsentes. Vale. Data nonis [e] junii, Claudio et Aureliano [f] viris clarissimis consuribus.

EPISTOLA II.

DE AUCTORITATE JUDICIS SEDIS APOSTOLICÆ, ET DE EPISCOPIS ACCUSATIS [g].

Felix episcopus universis episcopis per Galliæ provincias constitutis, in Domino salutem.

Bonorum operum et spiritualium studiorum Deum auctorem esse (*S. Leo. ep.* 32) non dubium est, qui eorum incitat mentes et adjuvat actiones. Unde lætari me fecerunt scripta vestra, ex bono studio et ex integritate fidei devotionis vestræ : sed ex afflictione et contritione vestra magna ex parte tristavere. C Tristis enim, tristes (*Petri Chrysologi, ep. ad Eutychem*) legi litteras vestras, et scripta mœsta mœrore debito percurri ; quia sicut nos Ecclesiarum pax, sacerdotumque ejus concordia et tranquillitas plebis audire [h] facit gaudium [i], ita nos affligit et dejicit fraterna afflictio. Vos tamen nolite multum tristari (*S. Greg. ep.* 45, *lib.* VIII), quia sicut ipsa per se Veritas ait : *Si de hoc mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret : sed quia de hoc mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus* (*S. Joan.*, XV), id est, mundi amatores. Quidquid tamen hi loquantur, aut adversum vos agant, vos tamen semper integram servate fidem, et puram habetote conscientiam, *ut integer spiritus. et anima servetur in die Domini* (I *Thes.*, V). Nos vero ad supD plementum vestrum fratres et coepiscopos nostros vocavimus amplius quam septuaginta, cum quibus hæc quæ subter habentur inserta, regulariter tractanda decrevimus. Vestris enim epistolis in omnium audientia perlectis, quæ multas (ut nostis) querimonias et oppressiones in se continebant vestras, decretisque, quæ sunt de accusationibus episcoporum, sancta sy-

(1) Falsas cos. nota quamcumque te vertas in partem.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Parietur *Labb.*
[b] Quadrigæ *Labb.*
[c] Dijudicabit *Labb.*
[d] Libya *Labb.*
[e] Nono kalend. *Labb.*
[f] Mariniano *Labb.*
[g] Et de memoriis martyrum *Labb.*
[h] Adire *Labb.*
[i] Gaudere facit gaudio cœlesti *Labb.*

nodus (1) dixit : Hæc sunt, quæ deinceps propter malorum hominum insidias, qui in Ecclesiam et in ecclesiasticos sæviunt viros indifferenter, et conservare firmissime volumus in sæculo : Si quis episcopus ab illis accusatoribus, qui recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquam ipse ab eis caritative conventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat, et eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad summos primates causa ejus canonice deferatur, qui in congruo loco, intra ipsam provinciam, tempore congruo (2), id est, autumnali vel æstivo, concilium regulariter convocare debebunt, ita ut ab omnibus ejusdem provinciæ episcopis inibi audiatur. Quo et ipse regulariter convocatus; si eum aut infirmitas (*cod. The. lib.* IX, *tit.* I, *const.* 10, 3, *q.* 2, *si episcopus suis fuerit*) aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debebit : quia ultra provinciæ terminos accusandi ante licentia non est, qua audientia rogetur. Nam si suis fuerit, aut Ecclesiæ sibi commissæ rebus expoliatus, aut (quod absit, quod alienum ab omnibus esse debet fidelibus) a sede propria ejectus, aut in detentione aliqua a suis ovibus fuerit sequestratus : tunc canonice antequam in pristino statu restituatur cum omni privilegio sui honoris, et sua omnia, quæ insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerant, legibus redintegrentur : nec convocari, nec judicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate (minime tamen judicandus) advenire sponte elegerit. Nullatenus ergo a quoquam respondere rogetur [a], antequam integerrime (3) omnia quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati ejus ab honorabili concilio legali ordine redintegrentur (4); præsul vero cum omni honore statui pristino reddatur, et ipse dispositis ordinatisque libere atque secure diu suis, tunc regulariter infra quatuor vel quinque, aut septem [b] menses, juxta quod possibilitas ei fuerit, et non ante, convocatus ad tempus, concilio in legitimo et canonico, veniat ad causam : et si ita juste videtur, accusantium propositionibus respondeat. Nam hoc summopere providendum est, ne antequam hæc fiant, coactus respondeat, quia contentio semper vitanda est. Adimi namque episcopo episcopatum (*Conc. Afr.*, *c.* 87), antequam causæ ejus exitus appareat, nulli christiano videri jure potest, quia talis præsumptio sacrilegium est, et auctor talium, sacrilegus. Quod si ægrotans fuerit episcopus (3 *q.* 3, *si ægrotans*), aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se legatum ad synodum mittat. Nec a communione suspendatur, cui crimen intenditur (*Concil. Carth.* III, *can.* 7); nisi ad causam suam dicendam electorum judicum die statuta litteris evocatus, minime occurrerit : hoc est, nisi eum aliqua præoccupaverit necessitas infra spatium prædictorum mensium, et eo amplius, prout causa dictaverit. Quod si ex utraque parte ad causam dicendam venerint; quia unus absque altero audiri non debet, quærendum est in judicio, cujus sint conversationis et fidei atque suspicionis accusatores aut qua intentione hoc faciant : quia ad hoc admitti non debent, nisi bonæ conversationis et rectæ fidei viri, hi videlicet qui omni suspicione careant, et bona vita clareant, neque infames existant. Quod si accusatorum personæ in judicio (3, *q.* 10. *Si accusatorum personæ*) episcoporum culpabiles apparuerint (*idem*, *Conc. Carth.*), ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas asserere (non tamen criminales) vel ecclesiasticas voluerint. Infamis enim persona (3, *q.* 7, *Infamis persona*), nec procurator potest esse, nec cognitor. Absente vero adversario (3, *q.* 9, *Absente adversario*), non audiatur accusator : nec sententia, absente parte alia, a judice dicta, ullam obtinebit firmitatem (*Vide Anianum in sent. Pauli*, *lib.* V, *tit.* 2 *et* 5) : neque absens per alium accusari (3, *q.* 9, *Absens per alium*), aut accusare potest, nec affinis illis admittatur. Neminem ergo exhiberi de provincia ad provinciam (*Vide novellam tertiam libri tertii et Anianum et cod. Theod. const.* 4, *lib.* II, *tit.* I), vel ad comitatum oportet, nisi ad relationem judicis, ad quem fuerit appellatum, id est, ut auctor semper rei forum sequatur. Si quis autem judicem sibi adversum senserit, vocem appellationis exhibeat quam nulli oportet negari (*Huc usque caput* 5, *coll. Hadr.*, *quibusdam subinde insertis*). Peregrina vero judicia (3, *q.* 6, *Peregrina judicia*) generali sanctione prohibemus : quia indignum est, ut ab externis judicetur qui comprovinciales (*Hadr. coll.* 17, *ex const.* 10, *tit.* 1, *lib.* IX, *cod. The.*) et a se electos debet habere judices. Hæc, fratres, ad vestram et omnium coepiscoporum opem et defensionem in synodo unanimiter sunt decreta, ut si forte aliqui (*Concil. Hisp.* II, *c.* 13) stultorum vos accusare, qui diabolicæ deceptionis errore decepti sunt, voluerint, dum ista legerint vel audierint, resipiscant et ad unitatis concordiam revertantur : et quod prius erat in ultionem, transibit in gloriam. Nam procul dubio multi sunt, qui (secundum apostoli vocem) *prurientes auribus, a veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur* (I *Tim.*, IV) et ad nocumenta honorum [c] transeunt. Ait (*idem conc. cit.*) autem idem apostolus de infidelium ignorantia : *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I *Cor.* II). Similiter si hi Dominum perfecte agnovissent et amassent, numquam servos ejus perturbassent, nec verbis aut factis persecuti essent. Quod [d]

(1) Syn. romana dicitur Hadr., coll. c. 5, sed qua, quove tempore nondum patet. Ex hac enim epistola, quæ spuria est, nihil colligi potest.
(2) Apud Had. legitur : tempore a canonibus prævero idem apostolus dicit : *Si enim cum inimici essefixo* Nicænis. Inde arguitur fraus interpolatoris.
(3) Ita et manuscr.
(4) Concil. rom. III, sub symmacho.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cogatur *Labb.*
[b] Sex, aut *Labb.*
[c] Bonorum *Labb.*
[d] Quum *Labb.*

mus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus A (*Rom.* v), cur insequimur fratres? Cur perturbamus statum Ecclesiæ Dei, et eos qui ei servire debent, affligimus? Martyres enim passi sunt (*idem Conc. cit.*), non tamen animæ eorum occisæ sunt in corporis passione, ore Veritatis attestante : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (I *Matth.* x). Ubi agnosci oportet, quod si animæ martyrum, corpore perempto, suppliciis extingui non possunt, nec animæ prædicatorum et doctorum persequi debuissent, aut perturbari, et a Dei famulatu averti, quia cum corporibus non deficiunt. Tales autem perturbatores Ecclesiæ non solum prædicta agunt mala, sed et memorias (*Conc. Gangrense, cap.* 20, *interp. Dion.*) martyrum execrantur. Quapropter in præfata constituimus synodo, vobis- B que et omnibus Ecclesiis tenendum et agendum mandamus, ut super memorias martyrum missæ celebrentur, ne memoriæ eorum a talibus extingui, aut veneratio possit prohiberi. Vos vero, fratres, nolite multum turbari, nolite vexari, sed confortamini in Domino, et in potentia charitatis ejus (*Ephes.*, vi). Habetote interim ista ad suffragium vestrum, apostolica auctoritate decreta : et scitote nos semper paratos habere etiam (si necesse fuerit) usque ad mortem, ad quæcumque vobis necessaria fuerint (Domino opem ferente) perficienda. Illi tamen, auctore Deo, peribunt, et vos stabitis, si tamen labor vester non fuerit inanis, sed plenus fide et charitate. *Væ*, inquit propheta, *qui potum dat amico suo, mittens fel suum* (*Habac.*, ii). Et iterum sapientissimus C Salomon ait (*Hæc eodem in ep. Felicis* ii, *ad Ægyptios*) *: Qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. In cogitationibus ergo impii interrogatio erit. Sermonum autem illius auditio ad Dominum perveniet, et ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur.* (*Sap.*, i). Hæc enim si amplecti voluissent proprio et sano sensu, ad reprobum sensum minime laberentur : sed per Dei timorem sermonum suorum præcaventes custodiam, piam sanctorum patrum diffinitionem sine quadam nocumenti præsumptione, utique conservassent. Quoniam dicit sacrum eloquium : *Consilium bonum conservabit te, et mens bona custodiet te* (*Prov.*, ii). Non enim de fontibus salutiferis spiritualiter ad acquisitionem D æternæ vitæ procedunt tales accusationes et detractiones, atque ideo competenter nos beatus Paulus apostolus præmuniens ait : *Non debere plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.*, xii), in definitione pietatis perdurantes. Qui enim hæc prætereunt, non tantum læsi sunt, decidentes a corroboratione sua, sed insipientiæ suæ dereliquerunt domibus memoriam, ut in his, in quibus peccaverunt, minime latere potuissent. Gloria enim et contumelia in loquela (*Eccles.*, v), et in loquela linguæ hominis [a] casus illius est. Ideoque conveniens est, hanc quidem ostensionem reprehensionum illorum nostris actibus inseri, ne ulterius jam talia patiamini, seminantibus eis zizania et scandala, sed lætari in officiis et dogmatibus vestris mereamini. Igitur erubescant, ac talia et hujusmodi blasphemiam subtrahere festinent, si noluerint a sacerdotali nostro collegio segregati, et a totius christiani populi societate divelli. Licet namque de his plura et per necessaria, quæ in decretis sedis apostolicæ et ab apostolis eorumque successoribus, nostris videlicet prædecessoribus, statuta inveniuntur, dicere et conscribere potuissemus, tamen melius nobis visum est, ut epistolam oratione claudamus. Deus omnipotens et hujus unigenitus Filius, et salvator noster Christus hoc vobis tribuat incitamentum, ut omnibus fratribus et coepiscopis nostris, quibuscumque tribulationibus laborantibus, totis succurratis viribus, et cum eis compatientes, crucem ejusdem Domini Salvatoris portetis, ut veri ipsius discipuli coram omnibus appareatis, ut et vos, et qui vobiscum sunt, hic et in futuro meliora possideatis, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.*, ii). Per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et cum quo omnipotenti Deo gloria in sæcula sæculorum. Amen. Valere vos opto, charissimi fratres. Data quinto idus augusti, Claudio et Paterno viris clarissimis consularibus (an. Christi 269, nondum mortuo Dionysio).

EPISTOLA III.

AD BENIGNUM EPISCOPUM.

I. *Errant qui Filium non videre Patrem contendunt, eo quod Deum nemo vidit umquam.*

II. *Errant affirmantes Filium minorem Patre, quia ille invisibilis, Filius vero visibilis.*

Dilectissimo fratri Benigno episcopo, Felix episcopus, in Domino salutem.

Suscipientes fraternitatis tuæ epistolas (*Zacharias, ep.* v), quibus me requisisti super fidei documentis, quæ ab aliis habebantur aliter, quam rectæ fidei contineant sacramenta, prout Dominus dedit, pro fraternitatis amore respondere non resultavimus. Semper enim dubia et majora negotia, terminum ab hac sancta sede, a tempore apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consueverunt. Et ideo tu recte fecisti, quod hujus sanctæ sedis consultis te cæterosque firmari et instrui voluisti.

I. — Continebant enim litteræ tuæ, fratrumque tuorum, quod quidam dicunt, Filium non posse proprie videre Patrem, quia scriptum est : *Deum enim nemo vidit umquam.* Et alii fingunt : Ideo minor est Patre Filius, quoniam *Pater illi perhibet testimonium.* Quidam autem garriunt, quod ideo Patre minor est,

LECTIONES VARIANTES.

[a] In lingua hominis] *Labb.*

quia *invisibilis ipse dicitur* (*S. Joan.*, I; *S. Matth.*, XVII; *S. Marc.*, IX; *S. Luc.*, IX; I *Cor.*, IV; *Colos.*, I; I *Tim.*, I), Filius vero visibilis comprobatur. Hi enim ignorantes divinarum Scripturarum et apostolorum jura, ex proprio aut adulterino sensu talia fabricant, et seducere corda fidelium quærunt (1). Nos vero ad ipsius fontis originem redeamus, ex quo Filium Patrem semper videre potuisse vel posse, evidentioribus testimoniis Veteris et Novi Testamenti litteris docemus, Salomone dicente : *Est tecum sapientia, quæ novit opera tua, quæ adfuit tibi cum faceres orbem terrarum, et ipsa novit quid sit placitum coram oculis tuis.* Et Dominus in Evangelio : *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Et iterum : *Nemo Deum vidit umquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu* B *Patris, ipse narravit.* Et iterum Judæis dixit : *Vos non nostis eum, ego autem novi eum. Quod si dixero, quia non novi eum, ero similis vobis, mendax.* Item ibi : *Qui ex Deo est, hic novit eum* : Et iterum : *Ego novi eum, quia ab ipso sum.* Ecce docuimus quia videt semper Filius Patrem. Quomodo adstruunt eum Patrem non posse videre, in cujus sinu noscitur permanere? Si sereno sensu divinas recenseas Scripturas, invenies non solum Patrem Filio testimonium perhibentem, sed totam simul inseparabilem trinitatem, ipso Domino protestante, qui ait : *Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater* (*S. Joan.*, VIII). Et iterum : *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est, quia scio unde venio, et quo* C *vado* (*Ibidem*). Et de Spiritu Sancto : *Cum venerit Paracletus spiritus veritatis, ille testimonium perhibebit de me* (*Joan.*, XV). *Intende, quæso, intende quoniam, in quibus una testificationis virtus ostenditur, nullus ab alio neque potior neque inferior judicatur.*

II.—Sæpius ista jam diximus, quia secundum (2) hominis formam Filius visibilis dicitur, secundum vero deitatis substantiam invisibilis prædicatur, Paulo attestante apostolo : *O altitudo*, inquit, *divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.*, XI)! Et in Isaia : *Cui similem æstimatis eum, cum sit ipse invisibilis* (*Isai.*, XL)? Et item Apostolus : *Mihi autem minimo omnium sanctorum data est gratia hæc in gentibus, evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispositio sacramenti absconditi a sæculis, in quibus omnia creavit* (*Ephes.*, III). Item ipse : *Qui est*, ait, *imago Dei invisibilis* (*Coloss.*, I). Et ad Colossenses : *Ego Paulus minister, qui nunc gaudeo in passionibus meis pro vobis, et suppleo quæ desunt tribulationum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia, cujus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei in ministerium Christi*, A *quod absconditum fuit a sæculis et a generationibus* (*Ibidem*). Item ibi : *Ut consolentur corda eorum in charitate, in omnes divitias adimpletionis intellectus, in agnitionem mysterii, quod est Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.*, II). Et in psalmo LXXVI : *In mari est via tua, et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur.* Et in Salomone : *Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis investigabit* (*Eccl.*, I)? Item ibi : *Radix sapientiæ cui revelata est? et astutias illius quis agnovit* (*Ibidem*)? Item ibi : *Disciplina sapientiæ cui manifestata est, et multiplicationem ingressus illius quis intellexit* (*Ibidem*)? Item ibi : *Quoniam mirabilia sunt opera Domini solius, et gloriosa et absconsa, et opera illius invisa hominibus* (*Eccl.*, II). Ecce sicut Pater invisibilis est, ita etiam et Filius invenitur. Quomodo ergo ab illis, qui hoc dicunt quod mandastis, in eo quod nobis carnaliter se videri dignatus est, Patre inferior judicatur? Talibus nolite credere vos, et alios ab eorum sensu avertere docete. *Vos ergo servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore* (*Psal.* II). *Apprehendite disciplinam, ne pereatis de via justa.* Hæc vero (24, *q.* 1. *A recta ergo fide*) apostolorum est viva traditio, hæc vera charitas, quæ prædicanda est, ac veraciter diligenda ac fovenda, atque fiducialiter ab omnibus tenenda. Hæc sancta et apostolica mater omnium ecclesiarum (*Agath. ep. ad Const. Imp.*, *act.* IV. *conc.* VI *œcumenici*), Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam, a tramite apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec ab hæreticis novitatibus depravanda succubuit, sed ut in exordio normam fidei christianæ percepit ab auctoribus suis, apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus manet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, qui suorum discipulorum principi in suis fatus est evangeliis : *Petre*, inquiens, *ecce Satanas expetivit ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* (*S. Luc.*, XXII). Consideret itaque vestra excellens prudentia, quam bonum sit persistere in dispensatione vobis credita, et in fide recta, atque hæreticis et æmulis Christi repugnare, et numquam a veritatis tramite declinare. Quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus fides est, qui pro nobis mori non dubitavit, et D proprio nos suo redemit sanguine, fidem beati Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit : quod apostolicos pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse, semper cunctis est cognitum. Quorum et pusillitas mea, licet impar et minima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio, pedisequa cupit existere. Væ enim nobis erit, qui hujus ministerii onus susceptum habemus, si veritatem Salvatoris nostri Jesu Christi, quam apostoli prædicaverunt, prædicare neglexerimus. Væ erit nobis, si silentio veritatem oppresserimus, quam erogare nummulariis jubemur, id est, christianos populos imbuere et docere. Quid in ipsius futuro Christi dicturi sumus examine, si sermonum

(1) Videsis Ithacii adv. Varimadum Arianum, cap. 18, 19, 20, eorumque titulos, atque inde fraudem agnosce.

(2) Ithacii cap. 20, quo mentionem fieri vides superiorum.

ejus veritatem confundimur prædicare? Quid erit de nobis, cum de commissis nobis animabus, et de officio suscepto rationem justus judex Christus Deus noster districtam exegerit (I *Cor.*, IX; *S. Matth.*, XXV)? Ideo, fratres, hortor dilectionem vestram (*S. Leo. ep. adv. Manichæos*), obtestor et moneo, ut qua potestis et debetis, sollicitudine vigiletis, ad investigandos hæreticos, et inimicos sanctæ Dei ecclesiæ, et a sanis mentibus, ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua potestis, pro viribus extirpetis. Quoniam ut habebit a Deo dignæ remunerationis præmium, qui diligentius, quod ad salutem commissæ sibi plebis proficiat, fuerit executus: ita ante tribunal Domini de reatu negligentiæ se non poterit excusare, quicumque plebem suam contra sacrilegæ persuasionis auctores noluerit custodire. Data Nonis Februarii, Claudio et Paterno viris clarissimis consulibus (269 nondum electo Felice).

EPISTOLA IV (1).

AD MAXIMUM EPISCOPUM ET CLERICOS [a] ALEXANDRIÆ.

De Christi divinitate et humanitate fragmentum.

De incarnatione vero Verbi et fide credimus in Dominum nostrum Jesum Christum ex Maria Virgine natum, quoniam ipse est æternus Dei Filius: Nec enim hominem assumpsit Dei Filius, ut esset alter præter ipsum: sed Deus existens perfectus, factus est simul et homo perfectus, incarnatus ex Virgine.

Περὶ (2) δὲ τῆς σαρκώσεως τοῦ Λόγου καὶ τῆς πίστεως, πιστεύομεν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ἐκ τῆς παρθένου Μαρίας γεννηθέντα, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ τοῦ Θεοῦ ἀΐδιος Υἱὸς, καὶ Λόγος, καὶ οὐχ ἄνθρωπος ὑπὸ Θεοῦ ἀναληφθεὶς, ἵν' ἕτερος ᾖ παρ' ἐκεῖνον. Οὐδὲ γὰρ ἄνθρωπον ἀνέλαβεν ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱὸς, ἵν' ᾖ ἕτερος παρ' αὐτὸν· ἀλλὰ, Θεὸς ὢν τέλειος, γέγονεν ἅμα καὶ τέλειος ἄνθρωπος, σαρκωθεὶς ἐκ παρθένου.

(1) Hujus epistolæ fragmentum extat in concilio Chalcedonensi, actione prima, et apud Cyrillum in sua Apologia. Doctissimis quibusdam viris auctoribus, a Felice II scriptam fuisse existimatum est, hac de causa, quod prædictum fragmentum utrobique post epistolam Julii papæ attexatur. Verum argumentum et titulus epistolæ eam sententiam firmissime refellunt. Nam si scriptum est, quod titulus indicat, ad Maximum Alexandrinum episcopum, Dionysii successorem, non secundus, sed primus Felix eam scripsisse potuit: eodem enim tempore Felix Dionysii romani pontificis successor, universæ Ecclesiæ præsedit, quo Maximus post Dionysium Alexandrinæ Ecclesiæ præfuit. Occasio scribendæ hujus epistolæ hæc est: Cum a Paulo Samosateno catholicæ veritati recens vulnus inflictum esset, et cicatrix de errore Sabellii nondum obducta fuisset, Felix pontifex de Filii Dei divinitate, ac pariter humanitate, naturisque duabus in una persona distinctis, ad Maximum Alexandrinum episcopum hanc epistolam scripsit, ut bellum adversus Sabellium et Samosatenum a duobus Dionysiis horum antecessoribus cœptum, utriusque successores ardentibus animis prosequerentur. Proinde hac epistola velut ancipiti gladio utramque hæresim uno ictu confodit; ut dum naturam divinam in Christo humanitati ejusdem indivise conjunctam ostendit, Pauli hæresim condemnet: dum vero humanam in eodem Christo a natura divina distinctam esse, et divinæ substantiæ in tribus personis subsistentiam demonstrat, Sabellium confutet. Quod autem in Chalcedonensi concilio, et apud Cyrillum prædictis locis post Julii epistolam recenseatur, ex eo accidit, quod in his recensendis nullam temporis rationem habuissent. Vincentius autem Lirinensis adversus hæreses, cap. 42, probe intelligens tempore Felicis secundi nullum Alexandrinæ Ecclesiæ præfuisse episcopum, nomine Maximum, habita ratione temporis, primo loco Felicem, deinde Julium nominat. Addit idem Vincentius hanc eamdem epistolam Felicis papæ et martyris inter alia patrum testimonia in concilio Ephesino lectam fuisse (Vide Baron., anno Christi 273, num. 11, 12 et 13). SEVER. BINIUS.

(2) Græcum textum exhibemus ex actione I concilii Ephesini, in qua lecta sunt a Petro presbytero Alexandriæ et primicerio notariorum selecta ex sanctis Patribus testimonia de Incarnatione D. N. J. C. atque ex capite II partis III ejusdem concilii, sive Apologetico S. Cyrilli Alexandrini patriarchæ pro duodecim capitibus adversus orientales episcopos. LABB.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Clerum *Labb.*

DE SANCTO EUTYCHIANO PAPA

NOTITIA HISTORICA.

Eutychianus ordinatur papa die V *januarii* 275, *mortuus ann.* 283. — Eutychianus Marini seu Martini filius, Etruscus, patria Lunensis, ultimis anni 274 diebus, vel primis sequentis anni 275, Felici successit; die quinta januarii ordinatus fuit feria tertia, quæ eo anno cum die quinta januarii concurrit (1). Præfuit Ecclesiæ romanæ annis octo, mensibus undecim, diebus tribus, anno 283, VII idus decembris satis functus, ut in Catalogo Bucheriano legitur: *A consulatu Aureliani III et Marcellini, ad consulatum Cari II et Carini*, id est, a die quinta januarii anni 275, ad diem septimam decembris anni 283 vel octavam, qua die in indiculo depositionis episcoporum Eutychiani nomen legitur: *Sexto idus decembris Eutychiani in Callisti*, nempe in cœmeterio Callisti. Quare corrigendus Eusebius, qui decem tantum mensibus romanum pontificatum Eutychianum tenuisse

(1) Pagius, in *Critic.*, ad annum 274: Baronius 275, num. V, et ad annum 283, num. IX; Coustant., Epist. rom. pontif., tom. I, pag. 298.

scribit : et uti annotat Valesius, annos octo, quos Sixto auxerat, Eutychiano detraxit. Turpius adhuc erravit auctor Pontificalis Damaso adscripti, qui Eutychiani pontificatum a consulatu Aureliani tertio, et Marcellini ad Carum II et Carinum extendit; annumque unum, mensem unum, diem unum sedisse prodit.

De manichæorum hæresi et Manete. — Sub pontificatu Eutychiani insana Manichæorum hæresis, in commune humani generis malum exorta est (1); quæ utut non minus infamis et ridicula fuit, inter omnes tamen hæreses, quæ tribus primis Ecclesiæ sæculis extulerunt caput, celeberrima evasit, inque orbem terrarum latissime grassata est. Coriphæus hujus sectæ fuit mancipium natione Persa, qui nomen suum *Cubricum* in illud *Manetis* seu *Manichæi* permutavit; missus in carcerem ob acceleratam mortem filio Varananis, Persarum regis, quem per orationem se curaturum spoponderat; inde fuga elapsus, in Mesopotamiam venit, ibique errores somniaque sua disseminavit circa annum 277. Ab Archelao sapientissimo Mesopotamiæ archiepiscopo habitis in omnium conventu disputationibus non semel superatus est. Hinc iterum in Persiam rediens a satellitibus Persis detectus, comprehensus, et ad regem adductus fuit, qui, exprobrata Maneti et filii cæde, atque fuga e carcere ac vinculis, excoriari eum lege Persica ann. 278 mandavit, ac reliquum corpus bestiis devorandum tradi : cutem vero, qua tanta illius improbitas continebatur, tamquam utrem ante portas suspendi (2).

An Eutychianus martyribus sit accensendus? — Eutychianum martyrio obiisse Baronius cum in notis ad Martyrologium, tum in annalibus tradit atque post eum Blondellus (3). At inter confessores, ut ait Pagius (4), numerandus videtur; tum quia in Indiculo depositionis episcoporum, non vero martyrum a Bucheriani catalogi auctore inscriptus; tum etiam, quia illius obitus eo tempore contigit, quo, Eusebio teste (5), Ecclesia Christi altissima pace fruebatur.

Quid decreverit S. Eutychianus? — Commendandus hic sanctus pontifex ob singularem eam religionem, qua martyres prosecutus est. Suis enim manibus, teste auctore libri Pontificalis, duos et quadraginta supra trecentos tumulavit martyres, constituitque ne quis martyrem sine dalmatica aut colobio purpureo sepeliret (1). Consuetudinem, quæ alioquin obtinuerat, novo decreto asseruit, *ut fruges, fabæ, et uvæ super altari benedicerentur*, eam forsan ob causam, ut impugnaret errorem manichæorum, qui creaturas a malo principio ortas detestabantur.

Eutychiani Epistolæ subditæ. — Nomine Eutychiani duas commentus est Isidorus Peccator vel Mercator epistolas. Prior ad Joannem et ad omnes episcopos Boeticæ provinciæ, de fide incarnationis Domini. Posterior ad episcopos per Siciliam constitutos, tria complectitur. 1° De modo recipiendi accusationem adversus clericos. 2° Qui non admittantur ad accusationem religiosorum. 3° De modo procedendi in negotiis ecclesiasticis, cum procedi non debeat modo sæculari. Notas tamen decretalibus suis apposuit auctor, quæ vero Eutychiano non conveniunt. Epistola ad episcopos Boeticæ data est II idus aprilis, Aureliano et Marcello viris clarissimis coss. Atqui verus Eutychianus Marcellinum scripsisset, non Marcellum notasque Aureliani consulatus numerales de more addidisset. Nil ad veteratoris impudentiam addi potest, qui integrum ex Hilario capitulum, quod extat, et Leonis Magni ad Leonem Augustum epistola 97, c. 3, decretali inseruit suæ. Verba quoque, *admonemus etiam vestram fraternitatem*, etc., petuntur ex Gregorii Magni epistola 25, l. II. Posterior epistola Scripturam laudat ex versione mixta ex Italica et Hieronymiana. Adriani I decreta in gratiam Ingelrami metensis Episcopi interpolat, ut jam erudite observavit Blondellus.

LUMPER.

(1) Euseb., in *Chronico*, pag. 760, tom. VIII Hieronymi.

(2) Epiphan., *hæres.* 66; Cyrill. Hierosolym., *Catechesi* VI; Theodoret., *Hæretic. fabular.* lib. I; Hieronym., *de Script. Eccles. in Archelaum*; Zacagni, *Ecclesiæ latinæ et græcæ monumenta*; Vales., *Not. in Socrat.*; Ceillier, *Biblioth.*; *Fabricii*, *Biblioth. Græc.* tom. II; Walch., *Historie der Ketzer*, tom. I, p. 713.

(3) Blondell., *in Pseudo-Isidoro.*

(4) Pagi, not. 10 in ann. 283.

(5) Euseb., *Hist. eccl.*, lib. VIII, cap. 1.

(1) Blanchinus, in notis ad Anastasium bibliothecarium, tom. II, part. II, pag. 244, scribit : Vindicandorum martyrum curam promovens cautus pontifex providenter præcepit, ut adderentur judicia certa martyrii in eorum depositione. Adhiberi mandavit colobium aut dalmaticam non qualemcumque, sed purpuratam ad involvendos martyres, quos etiam *purpuratos* vocare consuevit Ecclesia in hymno omnium sanctorum : *Vos purpurati martyres*. Ante hoc decretum Eutychiani consueverunt christiani sacra martyrum corpora sepelire cum linteis ipsorum sanguine respersis. Permulti tamen martyres ante et post Eutychiani decretum candidis obvoluti linteis conditi fuere tumulo, uti cl. Laurentius Berti, Dissertat. I. *de Rom. Episcopis*, sæc. III, tom. II, § 21, pag. 337, observat nostri forte Reparatoris exemplo.

DE DECRETIS EUTYCHIANO

ADSCRIPTIS.

(Ex D. Coustantio desumpt.)

ARGUMENTUM. — 1. *Decreta duo. Unde probet Baronius primum decretum.* — 2. *Unde probari possit secundum.* — 3. *Dalmaticæ antiquus in Ecclesia usus.* — 4, 5. *Initium hujus usus Sylvestro perperam tribuitur.*

— 6-15. *Duæ epistolæ ab Isidoro suppositæ. Decreta decem Eutychiano adscripta.*

1. In libro pontificali Eutychianus constituisse dicitur « ut fruges, fabæ et uvæ super altario benedicerentur, » necnon « ut quicumque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica aut colobio purpurato nullatenus sepeliret. » Sed quæ in hoc libro cum de aliis pontificibus, tum nominatim de Eutychiano falsa prædicantur, his detrahunt auctoritatem. Verum utrumque admittit ac probat Baronius. Et primum quidem opportune ab hoc papa editum censet, ut adversus nascentem Manichæi hæresim, quæ fruges aliasque res corporeas ut a principio mali creatas execrabatur, fideles muniret. Præterea in opinionis suæ gratiam apostolicos citat canones 3, 4 et 5, qui tamen illi, præsertim ex Dyonisii Exigui interpretatione, adversari potius videntur. Nempe can. 4 cavetur ut « offerre non liceat *ad altare* præter novas spicas et uvas et oleum ad luminaria et thymiama. » Unde concedendum est saltem his canonibus vetari, ne fabæ, quas in altari benedicendas esse vulgatum Eutychiani decretum constituit, in altari offerantur. Tum sancitur can. 5, « ut reliqua poma omnia (seu reliqui omnes fructus) ad domum, primitiæ episcopo et presbyteris dirigantur, non offerantur *in altari* : » ubi id quod Eutychiani decreto *in altari* offerri præcipitur, his canonibus vetari audimus.

2. Ad decretum alterum quod attinet, idem Annalium parens ejus usum exinde *prætextu religionis* non tantum erga martyres, sed etiam erga sacros ministros inductum probat tum ex libro IV. Dialog. S. Gregorii papæ, cap. 40, ubi Paschasii diaconi *dalmaticam* ejus *feretro superpositam* narrat, tum ex gestis synodi romanæ anno 513 habitæ, in qua idem papa primo præfatur : « Hujus sedis rectoribus mos ultra meritum erupit, ut cum eorum corpora humanda deferuntur, hæc dalmaticis contegant, et easdem dalmaticas pro sanctitatis reverentia partiendas populus scindat. » Tum modestus ille pontifex morem illum prohibet his verbis : « Præsenti decreto constituo, ut feretrum, quo Romani pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur. » Simulque unde fluxerit ille usus, innuit dum inter hæc addit, « cum adsint multa a sacris corporibus apostolorum martyrumque velamina, » etc. Quasi diceret, Hic honor, qui apostolorum martyrumque corporibus jure delatus est, ad eos, quorum non est par sanctitas, immerito fuit translatus. Ut autem hunc honorem Eutychianus martyribus decerneret, ea excogitari potest causa, quod Manichæi sanctorum martyrum cultum non secus atque idololatriam respuebant.

3. Nec negandum colobii aut dalmaticarum voces antiquas esse. In vita S. Cypriani a Pontio scripta legimus : « Et cum se dalmatica exspoliasset (Cyprianus), et diaconibus tradidisset, in linea stetit. » Antiquus auctor, Quæst. Vet. et Nov. Test. apud Augustinum, Append. t. III, c. 49, cum romanæ ecclesiæ diaconis ita expostulat : « Quasi non hodie diaconi dalmaticis induantur sicut episcopi. » Ubi et

A dalmaticarum usum episcoporum proprium esse, et a romanis diaconis per arrogantiam usurpatum esse notat. Scribit et Cyprianus tolonensis episcopus in Vita S. Cæsarii arelatensis episcopi, eo ipso tempore, quo Symmachus papa Cæsarium « concesso specialiter pallii decoravit privilegio, diaconos quoque ipsius ad Romanæ instar ecclesiæ dalmaticarum fecisse habitu præeminere. » Testatur Gregorius, lib. IX, epist. 107, Aregium poposcisse, ut sibi et archidiacono suo utendi dalmaticis licentiam præberet. Quod ut « novum non inconsulte et subito » permisit, sed postmodum concedens, ipsas etiam dalmaticas ei Cyriaci abbatis opera transmisit. In bibliotheca Floriacensi istud legitur Zachariæ papæ ad Austrobertum episcopum viennensem scribentis : « Dalmaticam usi-

B bus vestris misimus : ut quia ecclesia vestra ab hac sede doctrinam fidei percepit et morem habitus sacerdotalis, ab illa etiam percipiat decorem honoris. »

4. Hinc colligere est quæ fides habenda sit vulgato Anastasio de Silvestro scribenti : « Et hoc constituit, ut diaconi dalmaticis in Ecclesia uterentur, » si præsertim hoc decretum non tantum de Romanis, sed de quibuslibet diaconis dictum intelligatur. Inde etiam refellitur quod alii dicunt, dalmaticarum usum in Ecclesiam primum a Silvestro invectum esse, cum antea colobiis uterentur sacerdotes ; aut quod in Silvestri Vita a Combefisio edita narratur, Euphrosynum scilicet Pamphyliæ episcopum Romam venientem colobium S. Jacobi fratris Domini secum attu-

C lisse, et cum eo indutus sacra peregisset, inde quidem factum esse ut Romani sacerdotes colobiis uterentur, sed postea nuditatis brachiorum tegendæ gratia colobia in dalmaticas fuisse commutata ; seu quod Anselmus Lucensis a Ducangio laudatus tradit : « A sancto Silvestro et presbyteris ejus colobiorum usus sumpsit initium, et Marcus ac Julius et Liberius ex ordine usi sunt. Post hos autem colobia in dalmaticas sunt commutata. » Unde sequeretur, ut dalmaticarum usum non Silvester, sed Damasus primus in Ecclesiam invexisse dicendus esset. Sed et quod de Cypriani dalmatica ex ejus Vita a Pontio scripta diximus, ejus usum in Ecclesia et Damaso et Silvestro antiquiorem esse persuadet : sicut ex testimoniis mox allatis conficitur, eumdem colobiorum usu vulgo cre-

D ditum esse recentiorem.

5. Colobia autem, sicut et dalmaticæ, erant tunicæ talares. Hoc distabant dalmaticæ a tunicis et colobiis, quod dalmaticis amplæ erant manicæ, tunicis strictæ, colobiis vel nullæ vel breves. De colobiis cum brevibus manicis habemus illud Cassiani, de Habitu monach., c. 5 : « Colobiis quoque lineis induti, quæ vix ad cubitorum initia pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus. » Dorotheus vero doct. 1. quærit, cur monachorum colobium manicis careat, cum cæterorum omnium manicatum sit. Idem et ubi addidit : « Colobium nostrum habet signum purpureum, » rursum quærit : Quid sibi vult signum purpureum ? » ac respondet : « Unusquisque militans regi purpuram

habet in chlamyde. » Et hæc quidem ratio ad decretum accommodari potest quod expendimus, quo nimirum cavetur, ne quis martyrem *sine colobio purpurato* sepeliat. Quapropter hæc paulo fusius edisseruisse non piguit, siquidem ad decretorum nonnullorum seu veritatem, seu falsitatem probandam inde lux affulget.

6. In editionibus conciliorum duabus adulterinis Eutychiani epistolis, quæ ex Isidori Mercatoris officina prodierunt, quæque cum cæteris ejusdem officinæ opificiis a nobis edentur, alia decem subjiciuntur decreta e variis canonum compilationibus collecta. Et primum quidem e Gratiano II, quæst. 3, c. 91, sic refertur: « Si quis episcopus aut abbas presbytero aut monacho suo jusserit missas pro hæreticis (addunt alii collectores *mortuis*) cantare, non licet et non expedit eis obedire: » Sed hoc tenuis quædam portio est amplioris decreti, quod Anselmus lib. II, sec. ms. German., cap. 117; Burchardus, lib. XIX, c. 105, et Ivo, p. 13, c. 117, pariter Eutychiano adscriptum exhibent in hunc modum: « Si quis dederit aut acceperit communionem de manu hæretici, et nescit quod Ecclesia catholica contradicit, postea intelligens, annum unum pœniteat. Si autem scit, et neglexerit, et postea pœnitentiam egerit, decem annos pœniteat: alii judicant septem: et humanius alii, quinque pœniteat. Si quis permiserit hæreticum missam suam celebrare in Ecclesia catholica, et nescit, quadraginta dies pœniteat. Si pro reverentia ejus, annum unum pœniteat. Si pro damnatione Ecclesiæ catholicæ [a] et consuetudinis Romanorum, projiciatur ab Ecclesia sicut hæreticus, [b] nisi habeat pœnitentiam: si habuerit, decem annos pœniteat. Si recesserit ab Ecclesia catholica in congregationem hæreticorum, et aliis persuaserit, et postea pœnitentiam egerit, duodecim annos pœniteat, quatuor (apud Anselmum *tres*) annos extra ecclesiam, et sex (apud eumdem *septem*) inter auditores, et duos adhuc extra communionem. De his in [c] canone dicitur, ut decimo anno communionem sine oblatione accipiant. Si episcopus aut abbas jubet monacho suo pro hæreticis mortuis missas cantare (en verba a Gratiano laudata) non licet et non expedit obedire eis. Si presbytero contigerit, ubi missam cantaverit, et alius recitaverit nomina mortuorum, et [d] simul nominaverit hæreticos cum catholicis, si post missam intellexerit, hebdomada [e] pœniteat: si frequenter fecerit, annum integrum pœniteat. Si quis autem pro morte hæretici missam ordinaverit, ut pro religione sua [f] ejus reliquias ibi tenuerit, et nescit differentiam catholicæ fidei; et postea intellexerit, pœnitentiamque egerit, reliquias ibi debet igne concremare, et annum unum pœniteat. Si autem scit, et neglexerit, pœnitentia commotus [g] decem annos pœniteat. Si quis a fide

A catholica discesserit sine ulla necessitate, et postea ex toto animo pœnitentiam acceperit, tres annos extra ecclesiam, id est inter audientes, juxta nicænum concilium (Can. 11) septem annos in ecclesiis inter pœnitentes, et duos annos adhuc extra communionem pœniteat. » In ms. German. Anselmi collectionem complectente proxime legimus: « Tres annos pœniteat extra ecclesiam, unum inter audientes, juxta nicænum concilium; » quod primo placuerat, quia audientes in ecclesiam intrabant, et ibi lectiones et conciones cum fidelibus aliis audiebant. Sed hanc lectionem non permittit laudatum nicænum concilium, cujus verbis decreti hujus concinnator verba *extra ecclesiam* temere adjecit. Ut autem sileam in hoc decreto repetitum *missæ* nomen aliaque sæculum

B Eutychiano recentius redolere, inscriptionis ejus falsitatem citatum nicænum concilium, quod quadraginta duobus annis post Eutychiani mortem celebratum est, plane prodit. Neque vero sibi constat Gratianus: nam majorem ejusdem partem XXIV, quæst. I, c. 41, Julio adscribit. At ex capite 2 Pœnitentialis Hieronymo attributi, iis varietatibus quas ad marginem annotavimus exceptis, totum descriptum est.

7. Alterum: « Nihilominus etiam, » etc., quo abbatissa puellam virginem vel viduam velare prohibetur, ex Gratiano, XX, quæst. II, cap. 3, descriptum, apud Burchardum quoque lib. VIII, c. 17, et Ivonem p. 7, c. 38, ut ex decretis Eutychiani, c. 13, profertur. Est autem Parisiensis VI concilii, anno 829 habiti, lib. I, cap. 43.

C 8. Tertium: « Prædicandum est etiam ut perjurium fideles caveant, » etc., depromptum est ex Gratiano, XXII, quæst. I, c. 17, qui quidem priores secutus est canonum collectores, Anselmum, lib. II, secundum ms. German., c. 58, Burchardum, lib. XII, c. 14, Ivonem, p. 12, c. 71, apud quos velut ex decretis Eutychiani, c. 26, pariter citatur. Pertinet tamen ad Theodulfum Aurelianensem episcopum, cap. 26, apud Sirmondum, tom. II conc. Gall., pag. 217.

9. His subjicitur quartum: « Si quis membrorum truncationes, et domorum incendia fecerit, sive fieri jusserit, aut facienti consenserit, quo usque de his unicuique legaliter et amicabiliter coram episcopo civitatis aliisque civibus non emendaverit, ab Ecclesia se privatum cognoscat. Si vero post secundam et

D tertiam conventionem cuncta, in quibus arguitur, non emendaverit, tamquam ethnicus et publicanus ab omni christianorum collegio separetur » quod licet Gratianus, XXIII, quæst. 8, c. 31, post Ivonem, p. 13, c. 40, et Burchardum, lib. XI, c. 30, Eutychiano attribuat, eo tamen recentius jure videatur.

10. Quintum: « Si quis gentilis gentilem uxorem dimiserit ante baptismum; » et sextum, Simili modo si unus ex conjugatis baptizatus est et alter gentilis, »

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et consuetudinis Romanorum *apud Hier. non exstat.*
[b] Nisi pœnituerit *apud Hier.*
[c] In synodo *Hieron.*
[d] Et si unum nominaverit hæreticum *apud Ans.*
[e] Jejunet *apud Hier.*
[f] Reliquias de illo fecerit, quia multum jejunavit, et postea *apud Hier.*
[g] Quadraginta *apud Hier.*

Gratianus xxviii, quæst. 1, c. 2 et 3 suppeditat. Huic præluserant Burchardus, lib. xi, c. 59 et 60, necnon Ivo, p. 8, c. 195 et 196. Utrumque descriptum est ex Pœnitentiali Theodori Cantuar. cap. 13 et 45, ut videre est apud Petitum, tom. i, pag. 11, et Dacherium Spicileg., tom. ix.

11. Quod septimo loco e Gratiano, xxxv, quæst. 6, c. 7, descriptum est *de juramento synodali*, cujus initium: « Episcopus in synodo residens, post congruam exhortationem, septem ex plebe ejus parochiæ, vel eo amplius, prout viderit expedire, maturiores, honestiores atque veraciores viros debet in medium advocare, etc. » eadem ratione refertur et apud Anselmum lib. vi, secundum ms. German., c. 146. Extat et apud Burchardum, lib. i, cap. 91 et 92, velut ex decretis Eutychiani papæ, cap. 9. Sed apud hunc cap. 92 et 93 subjiciuntur 88 capitula, de quibus velut ex ejusdem Eutychiani præcepto interrogandi sint qui prius sacramento synodali se constrinxerint. Porro omnes illi collectores in hac sacramenti formula consentiunt, qua « allatis Sanctorum pignoribus, » a jurante exigitur « quod tu nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celes episcopum, aut ejus missum cui hoc inquirere jusserit, quandocumque ex hoc te interrogaverit. *Sic te Deus adjuvet, et istæ Sanctorum reliquiæ.* » Cui similis est ista interrogandi formula apud Gratianum, ibid., c. 5, relata in hunc modum: « De ista parentela, quam dicunt esse inter illum N. et inter illam ejus conjugem N. quidquid inde scis aut audisti a tuis vicinis, aut a tuis antiquioribus propinquis, quod tu per nullum ingenium, nec propter amorem, nec propter timorem, aut per præmium, aut per consanguinitatem celabis episcopum tuum, aut ejus missum cui hoc inquirere jusserit, quandocumque te ex hoc interrogaverit. *Sic te Deus adjuvet, et istæ* Sanctorum *reliquiæ.* » Atqui hæc novissima formula (quæ et apud Burchardum lib. vii, c. 25, et apud Ivonem, p. 9, c. 61, anepigrapha est; neque enim, ut putarunt Pithæani fratres, ad hanc pertinet superioribus decretis præfixa Gregorii ex concilio Rom. citatio) a Gratiano ut ex Ordine Romano citatur. Probabile est igitur et ex eodem Ordine repetitum esse superius decretum.

12. Fatendum tamen est in romanam Ecclesiam hujusmodi morem nonnisi sequioribus sæculis invectum esse, et in ea, sicut et in Oriente, saltem ad sextum usque sæculum, hunc obtinuisse usum, ut testimonium dicturi Evangelia sibi proposita, nulla sacrarum reliquiarum mentione facta, tangerent: cujus rei fidem facient epistola 15 Vigilii papæ, n. 2, Pelagii I fragmentum 44, ad Decoratum, Mopsuestenæ synodi gesta concilii quinti generalis actioni 5 inserta, sextum concilium generale, act. 14, pag. 977. Superioris autem formulæ adhibendæ, seu supra Reliquias jurandi præceptum apud Baluzium, tom. i, Capitul. in Capitulari iv, anni 803, sive de lege Ripuariense, cap. 57, pag. 398, et apud Sirmondum tom. ii, conc. Gall., pag. 246, legitur his verbis: « Omne sacramentum in Ecclesia aut supra reliquias juretur: et quod in Ecclesia jurandum est, vel cum sex electis, vel, si duodecim esse debent, quales potuerit invenire; et sic juret: *Sic illum Deus adjuvet, et illi Sancti quorum istæ reliquiæ sunt*, ut dicat veritatem. » Ejusdem rei præceptum atque usum apud prædictum Baluzium, pag. 60, videre est in Dagoberti regis Capitulari ii, anni 630, sive lege Alamannorum, cap. 7, ubi sancitur: « Ista sacramenta debent esse jurata, ut illi conjuratores manus suas super capsam ponant, et ille solus, cui causa requiretur, verba tantum dicat, et super omnium manus manum suam imponat, ut sic illi Deus adjuvet vel illæ reliquiæ, etc. » Vide concilium Franeofordiense anno 794 celebratum, can. 9, ubi aut tactis Evangeliis, aut coram propositis reliquiis jurandi mos indicatur.

13. Decretum illud: *Malum magnum ebrietatis*, quod ex librorum xvi, libro xiv, cap. 2, vulgatum est, quodque apud Burchardum, lib. xvi, cap. 2, et Ivonem, p. 13, c. 71, offendimus, est Moguntiaci concilii anno 813 celebrati, canon 46.

14. Quod huic subjicitur: « Episcopi ac Dei ministri non debent comessationibus et vinolentiis nimiis incumbere, » velut ex iisdem libris, ibid., c. 3, descriptum, similiter et Burchardus, lib. xvi, c. 3, et Ivo, part. xiii, c. 70, exhibent, ac nihilo magis ad Eutychianum pertinet, sed ad Remense secundum concilium, anno 813 habitum, cujus est canon 18.

15. Postremum: *Observandum est nobis*, quo ministris Dei præscribitur quibuscum convivari ipsis liceat, ex librorum xvi, lib. xiv, cap. 10, desumptum, et eadem ratione a Burchardo, lib. xvi, c. 10, et Ivone, p. 11, c. 78, laudatum, est Capitularis Theodulfi episcopi Aurelianensis caput 13.

EUTYCHIANI PAPÆ

EXHORTATIO AD PRESBYTEROS EX ANTIQUO CODICE VATICANO.

Fratres et sacerdotes Domini, cooperatores nostri ordinis estis. Nos quidem, quamvis indigni, locum Aaron tenemus; vos locum Eleazari et Ithamaris: nos vice duodecim apostolorum fungimur; vos ad formam septuaginta duorum discipulorum estis: nos pastores vestri sumus; vos plebis vobis commissæ: nos de vobis rationem reddituri sumus summo pastori Domino nostro Jesu Christo; vos de plebe vobis commissa: nos de vobis pastoribus; vos vero de ovibus, id est de plebibus vobis commendatis: et ideo, filii charissimi, prævideamus periculum tanti officii nobis commissi. Admonemus itaque et obsecramus

A fraternitatem vestram, ut quæ vestræ nostræque saluti, suggerimus, memoriæ commendetis. Inprimis admonemus ut vita et conversatio vestra irreprehensibilis sit : scilicet, ut cella vestra sit juxta ecclesiam, et in domibus vestris feminas non habeatis : omni nocte ad nocturnas surgite ; cursum vestrum certis horis decantate : missarum celebrationes religiose peragite : corpus et sanguinem Domini cum timore et reverentia sumite. Nullus scaccis vel alearum ludis intendat : vasa sacra manibus propriis abluite et extergite. Nullus cantet missam nisi jejunus : nullus cantet qui non communicet : nullus cantet sine amictu, alba, stola, manipulo, id est fanone et casula, et hæc vestimenta nitida sint, et ad nullos alios usus sint. Nullus in alba qua in suos usus utitur cantet. Nullus in ligneo aut in vitreo calice audeat missam B celebrare. Nulla femina ad altare accedat, nec calicem Domini tangat ; corporale mundissimum sit. Altare sit coopertum de mundis linteis. Super altare nihil ponatur, nisi capsæ et reliquiæ et quatuor Evangelia, aut pyxis cum corpore Domini ad viaticum infirmorum : cætera in nitido loco recondantur. Missale plenarium, lectionarium, antiphonarium, et librum quadraginta homiliarum unusquisque habeat. Locus in secretario vel juxta altare sit præparatus ubi aqua effundatur, quando sacra vasa abluuntur, et ubi vas nitidum dependeat cum aqua, ut sacerdos manus lavet post communionem. Ecclesiæ sint bene coopertæ et cameratæ, et atrium ecclesiæ sit undique munitum.

C Nullus extra ecclesiam per domos, nec in locis non consecratis missam cantet : nullus solus cantet missam : omnis presbyter clericum vel scholarem habeat qui epistolam vel lectionem legat, et ei ad missam respondeat, et cum quo psalmos cantet. Infirmos visitate, et eos ad confessionem reconciliate, et juxta apostolum oleo sancto ungite, et manu propria communicate. Nullus præsumat tradere communionem laico vel feminæ ad deferendum infirmo : nullus sacrum chrisma vendat : nullus vestrum pro baptizandis infantibus, vel pro reconciliandis peccatoribus vel infirmis, aut pro mortuis sepeliendis, vel pro consecrandis ecclesiis, præmium aut pretium sive munus exigat, vel ecclesias aliquorum data pecunia D vel aliquo malo ingenio subripiat. Videte ut per negligentiam vestram nullus infans sine baptismo moriatur. Nullus vestrum sit ebriosus vel litigiosus : nullus arma portet in seditione, nisi verbum Domini. Nullus canum vel avium jocis inserviat : nullus in tabernis manducet et bibat. Unusquisque vestrum, quantum sapit, plebi suæ de evangelio, vel de epistola, vel aliqua divina scriptura in dominicis et festivis diebus annuntiet. Curam *gerat* pauperum, peregrinorum, orphanorum, præbens eis refectionis hospitium, ut sustentationem habeant. Discordes ad concordiam revocet : viduas defendat, ut in his et aliis hujusmodi totius boni exemplum præbeat. Omni die dominico ante missam aquam benedictam faciat, et plebem suam et loca fidelium adspergat, et ad hoc solum agendum unum vas habeat, et circa atrium suum vel circa ecclesiam ad processionem eat. Sacra vasa et vestimenta sacerdotalia nolite in vadimonium dare negotiatori, vel alicui sæculari. Nullus vestrum minus digne pœnitentem cujuscumque rei gratia ad reconciliationem adducat, et ei testimonium reconciliationis ferat. Nullus vestrum usuram exigat, et conductor sui fenoris existat. Res et facultates, quas per diem ordinationis vestræ acquiritis, ad ecclesiam ad quam titulati estis, vel cui deservitis, pertinere sciatis.

Nullus sine conscientia et consensu episcopi ecclesiam acquirat et obtineat : nullus per potestatem sæcularium ecclesiam teneat : nullus ecclesiam, ad quam titulatus est, dimittat, et ad aliam migret : nullus plures ecclesias sine adjutorio aliorum presbyterorum habeat : nullatenus una ecclesia inter plures dividatur. Nullus alterius parochianum, nisi in itinere, aut si ad placitum fuerit, ad missam recipiat : nullus in alterius ecclesia, vel parochia missam cantet, absque proprii voluntate et rogatu presbyteri : nullus decimam ad aliam ecclesiam pertinentem recipiat. Nullus pœnitentem invitet carnem manducare et vinum bibere, nisi pro eo ad præsens eleemosyna fiat. Nullus præsumat baptizare, præter in vigilia Paschæ et Pentecostes, nisi pro necessitate et periculo mortis. Unusquisque fontes lapideos habeat : quod si non potest habere lapideos, habeat vas aliud ad hoc paratum, in quo nihil aliud fiat. Videte ut omnibus parochianis vestris symbolum et orationem dominicam insinuetis. Jejunium quatuor temporum, et rogationum, et litaniæ majoris, plebibus vestris omnibus modis observandum indicite. Feria quarta ante XL, plebem ad confessionem invitate, et eis juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde vestro, sed sicut in pœnitentiali scriptum est. Tribus temporibus in anno, id est in natali Domini et Pascha et Pentecoste omnes fideles ad communionem corporis et sanguinis, exceptis pœnitentibus, quibus prohibitum est, accedere admonete. Certis temporibus conjugatos ab uxoribus abstinere exhortamini, id est ab Adventu Domini usque ad transactas octavas Epiphaniæ ; et a Septuagesima usque ad transactas octavas Paschæ ; et a Rogationibus usque ad transactas octavas Pentecostes. Præterea, in omnibus sabbatis usque ad feriam secundam et vigilia sanctæ Mariæ, et sancti Joannis, et apostolorum, et vigiliis indictis aliorum sanctorum, et eorum festis, eulogias post missam dominicis diebus plebi tribuite. Nullus presbyter in itinere sine orario, id est stola, incedat. Nullus vestrum vestimentis laicalibus et diversis coloribus induatur. Nullus rem aut possessionem ecclesiæ aut mancipium vendere, aut commutare aut aliquo ingenio ab ea alienare præsumat.

Diem dominicum et alias festivitates absque servili opere a vespera in vesperam celebrare docete. Cantus et choreas mulierum et ludos joculatorios, et cantiones in ecclesia et in atrio fieri prohibete. Carmina diabolica quæ super mortuos nocturnis horis vulgus

facere solet, et cachinnos quos exercet, sub contestatione Dei omnipotentis fieri vetate. Cum excommunicatis nolite communicare : nullus præsumat cum eis vel missam cantare, sed et plebibus vobis commendatis hoc annuntiate. Nullus vestrum ad nuptias eat : omnibus denuntiate ut nullus nisi publice celebratis nuptiis uxorem ducat : nullus sponsam alterius accipiat, et nuptias fieri prohibete ab adventu Domini usque ad transactas octavas Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad transactum paschæ clusum, et a Rogationibus usque ad transactas octavas Pentecostes. Raptum omnibus modis prohibete, et ut ad proximam sui sanguinis feminam vel cum consanguineis suis usque ad septimam generationem nullus accedat, anathematizate. Pastores omnes et alios servientes suos ut unusquisque ad ecclesiam dominicis vel festivis diebus venire faciat admonete. Patrini filiolis suis spiritualibus symbolum, et orationem dominicam insinuent, vel docere eos faciant. Chrisma sub sigillo sit, aut sub sera, propter quosdam infideles. De mysterio vobis commisso vos admonere curamus, ut unusquisque vestrum, si fieri potest, expositionem symboli et orationis dominicæ juxta traditionem orthodoxorum patrum penes se habeat scriptam, et eam pleniter intelligat, et inde populum sibi commissum assidue prædicando instruat, et, si non noverit, saltem secum teneat et credat. Orationes quoque missarum et præfationes et canonem bene intelligat, et si non saltem distincte ac memoriter valeat proferre, epistolam et evangelium bene legere possit, et utinam sensum ad litteram possit manifestare ! Psalmorum versus et distinctiones regulariter ex corde cum canticis consuetudinariis pronuntiare sciat. Sermonem Athanasii episcopi, cujus initium est « Quicumque vult » memoriter teneat et omni die cantet. Exorcismos et orationes ad catechumenum faciendum, et ad fontem baptismi consecrandum, aut reliquas orationes super masculum et feminam singulariter et pluraliter valeat et sciat distincte proferre, et ordinem baptizandi ad succurrendum infirmis et ordinem reconciliandi secundum auctoritatem canonum, et ordinem unguendi infirmos unusquisque habeat et prudenter sciat. Ad infirmos quoque visitandos, et ad reconciliandum eos invitatus spontaneus currat, et eorum necessitati, non pro lucro terreno, sed pro illa charitate qua Christus nos dilexit, subveniat, et orationes et septem psalmos speciales circa eos decantare curet. Similiter ordinem in exequiis defunctorum agendis, preces, exorcismos quoque salis et aquæ memoriter teneat : cantum nocturnum, atque diurnum sciat. Computum si non majorem, saltem minorem, id est epactas concurrentes, terminos regulares, et si potest, cætera sciat. Martyrologium et pœnitentialem sapiat. Libellum istum unusquisque habeat et frequenter legat, ne oblivioni tradat ea quæ sunt sibi observanda. Quod, fratres charissimi, ut memoriter retinere et salubriter peragere valeamus, omnipotens Deus nobis concedere dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI

EUTYCHIANI PAPÆ ET MARTYRIS

EPISTOLA ET DECRETA DUBIA.

EPISTOLA I (1).

AD JOANNEM ET AD OMNES EPISCOPOS BEOTICÆ PROVINCIÆ.

De fide Incarnationis Domini.

Christus ut salva proprietate utriusque naturæ, verus Deus, et homo verus extiterit.

Charissimis fratribus Joanni et omnibus per Beoticam provinciam constitutis episcopis, Eutychianus episcopus in Domino salutem.

Hortatur nos æquitas postulationis, desiderio fraternitatis tuæ (*Symm. ep.* 5, *ad S. Cæsarium*), gratanter annuere [a], et consultis tuis breviter respondere. Et quamvis dilectionem tuam sciam ad omne opus bonum esse devotam (*S. Leo, ep.* 46), ut tamen efficacior fiat ad illos, qui sane non sapiunt, qualiter eos de incarnatione Salvatoris nostri informare debeas, mandamus. Unum igitur hoc immobile fundamentum, una hæc felix fidei petra, Petri ore confessa : *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi* (*S. Matth.*, XVI), tanta in se argumenta sustinens veritatis, quantæ perversitatis quæstiones, et infidelitatis calumniæ movebuntur (*S. Leo, p.* 97, *ex S. Hilarii libris de Trinitate, quos citat.*). Jam in cæteris dispensatio voluntatis paternæ sit. Ergo partus et corpus, postque crux, mors inferni, salus nostra est [b] humani enim generis causa Dei Filius natus ex Virgine est et Spiritu sancto, ipso

(1) Prior hæc epistola Eutychiani adversus Pauli Samosateni venena paratum antidotum habet. Docet enim Christum Dominum, quem Paulus purum hominem esse dicebat, verum et æternum Dei Filium, in tempore virtute Spiritus Sancti in utero beatæ Mariæ Virginis incarnatum esse, et per hoc nequaquam naturam divinam immutatam fuisse. SEVER. BINIUS.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Innuere *Labb.*
[b] Virgo, partus et corpus, postquam crux, mors, inferi, salus nostra est. Sic omnino legendum.

sibi in hac operatione famulante, et sua, Dei videlicet, inumbrante virtute, corporis sibi initia consevit, et exordia carnis instituit [a], ut homo factus ex virgine, naturam in se carnis acciperet, per quam hujus admixtionis societatem, sanctificatum in eo universi humani generis corpus existeret. Et quemadmodum omnes in ipso per id, quod corporeum se esse voluit, conderentur, ita rursum in omnes ipse per id, quod ejus est invisibile, referretur. Dei igitur imago invisibilis, pudorem humani exordii non recusavit, et per conceptionem, partum, vagitum, et cunas, omnesque nostræ naturæ contumelias transcurrit. Quid tandem dignum a nobis tantæ dignationis affectu [b] rependetur? Inenarrabilis ergo a Deo originis, unus unigenitus Deus, in corporis humani formam sanctæ Virginis utero insertus accrescit : qui omnia continet, intra quem, et per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur. Ad cujus vocem archangeli, atque angeli tremunt, cœlum et terra, et omnia hujus mundi resolvuntur elementa, vagitus [c] infantiæ auditur. Qui invisibilis et incomprehensibilis est, non viso, sensu, tactuque moderandus, cunis est obvolutus. Hæc si quis indigna Deo recolit, tanto se majoris beneficii obnoxium confitetur, quanto minus hæc Dei convenerunt majestati. Non ille eguit homo effici per quem homo factus est : sed nos eguimus, ut Deus caro fieret, et habitaret in nobis, id est, assumptione carnis, unus interna universæ carnis incoleret. Humilitas ejus nostra nobilitas est : contumelia ejus honor noster est. Quod ille Deus in carne consistens, hoc nos vicissim in Deum ex carne renovati. Plane [d] vitam suam nescit, qui Christum Jesum ut verum Deum, ita et verum [e] ignorat hominem. Et ejusdem periculi res est, Jesum Christum, vel Spiritum sanctum, Deum non credere, vel carnem nostri corporis in Christo denegaret (*Idem S. Leo, ibidem, ex eodem S. Hilario*). *Omnis ergo*, ait, *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est : qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et eum coram Patre meo, qui est in cœlis* (*Matth.* x). Hæc *Verbum caro factum* (*S. Joan.* I) loquebatur, et homo Jesus Christus, Dominus majestatis docebat, mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus et ipso illo inter Deum et homines mediatoris sacramento, utrimque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est; ita tamen, ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse, homo nascendo, desineret : et homo rursum, Deus manendo, non esset. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera est, Deum et hominem prædicare, Verbum et carnem confiteri : neque Deum nescire, quod homo sit : neque carnem ignorare quod Verbum sit. Natus igitur unigenitus Deus ex virgine homo (*Idem, eadem epistola, ex eodem*
A *S. Hilario*), et secundum plenitudinem temporum in semetipso profuturus in Deum hominem, hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se Dei Filium credi doceret, et hominis filium prædicaret et admoneret, loquens et gerens homo universa quæ Dei sunt, loquens et gerens deinde Deus universa quæ hominis sunt; ita tamen, ut ipso illo utriusque generis sermone, nunquam nisi cum significatione hominis locutus sit et Dei. Hæc [f] itaque fallendi simplices atque ignorantes, hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum divinæ naturæ infirmitatem mentiantur : et quia unus atque idem est, loquens omnia quæ loquitur de semetipso, omnia eum de divinitate locutum esse contendant. Nec sane negamus, totum illum, qui ei
B manet, naturæ suæ esse sermonem. Sed si Jesus Christus et homo et Deus, et neque cum homo sit tum primum Deus, neque tum, cum et homo sit et Deus, tum non etiam et Deus, neque post hominem in Deo, non totus homo totus Deus, unum atque idem necesse est dicatur ejus esse sacramentum, quod generis. Et cum in eo secundum tempus discernis hominem a Deo, Dei tunc atque hominis discerne sermonem. Et cum Deum atque hominem in tempore confiteris, Dei tunc atque hominis in tempore dicta dijudica. Cum vero est homine et Deo, rursum totius hominis, totius jam Dei tempus intelligis : siquidem illud ad demonstrationem temporis dictum est, tempori coaptato, quæ dicta sunt : ut cum aliud sit ante hominem Deus, aliud sit homo et Deus, aliud sit post hominem
C et Deum, totus homo et totus Deus, non confundas temporibus et generibus dispensationis sacramentum, cum pro qualitate generum, ac naturarum, alium cum sacramento hominis necesse est sermonem fuisse non nato, alium adhuc morituro, alium etiam æterno. Nostri igitur causa hæc omnia Jesus Christus gerens, et corporis nostri homo natus, secundum consuetudinem naturæ nostræ locutus est, non tamen omittens naturæ suæ esse, quod Deus est. Nam tametsi in partu et passione et morte naturæ nostræ rem peregerit, res tamen ipsas omnes virtute naturæ suæ gessit. Videsne ita Deum et hominem prædicari, ut mors homini, Deo vero carnis excitatio deputetur (1)? non tamen ut alius sit, qui mortuus est, et alius sit per quem mortuus resurgit. Spoliata enim carne,
D Christus est mortuus : et rursum, Christum a mortuis excitans, idem Christus est, carne se spolians. Naturam Dei, in virtute resurrectionis intellige : dispensationem hominis in morte agnosce. Et cum sint utraque suis gesta naturis, unum tamen Christum Jesum eum memento esse, qui utrumque est. Hæc

(1) Idem S. Leo, ibidem, ex eodem S. Hilario. Ex quibus lector perpendat quam hæc distet purpura a vilibus ac quotidianis mercatoris panniculis.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Instruxit *Labb.*
[b] Affectui *Labb.*
[c] Vagitu *Labb.*
[d] Nam sic plane *Labb.*
[e] Ne sic *Labb.*
[f] Hinc *Labb.*

igitur demonstranda a me paucis fuerunt, ut utriusque naturæ formam tractari in Domino nostro Jesu Christo meminissemus : quia qui manens in forma Dei, formam servi suscepit, ipse divinitatem nequaquam amisit. Cæterum, fratres, hortamur vos, ut moneatis eos converti ad eum (1). Unde scriptum est : *Fili, ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. Noli anxius esse in divitiis injustis : nihil proderunt tibi in die obductionis et vindictæ. Non ventiles te in omnem ventum, et non eas in omni via. Sic enim peccator probatur duplici lingua. Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui, et scientia : et prosequatur te verbum pacis et justitiæ. Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, ut intelligas : et cum sapientia fer responsum. Si est tibi intellectus, responde proximo : sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, et confundaris. Honor et gloria in sermone sensati : lingua vero imprudentis, subversio illius. Non appelleris susurro, et lingua tua ne capiaris, et confundaris. Super furem enim est confusio et pœnitentia, et denotatio* [a] *pessima super bilinguem : susurratori autem odium, et inimicitia, et contumelia. Justifica pusillum et magnum similiter. Noli fieri pro amico inimicus proximo. Improperium enim et contumeliam malus hæreditabit, et omnis peccator invidus et bilinguis. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam : et folia tua comedat, et fructus tuos perdet : et relinqueris velut lignum aridum in eremo. Anima enim nequam disperdit, qui se habet, et in gaudium inimici dat illum, et deducit in sortem impiorum* (*Eccl.* VI). Talibus exhortationibus, fratres, vicissim monetote, et bona semper sectamini, malaque vitate. Magnis enim (*Gelasius, ep.* 9) studiis (secundum beatum Apostolum) præcavendum est, *ne fides et disciplina Domini blasphemetur* (I *Timoth.*, VI). Et si illa nonnumquam sinenda sunt quæ (si cæterorum constet integritas) sola nocere non valeant : illa tamen sunt magnopere præcavenda, quæ recipi sine manifesta de coloratione non possunt. At si ea ipsa, quæ nullo detrimento aliquoties indulgenda credentur, vel rerum temporumque cogit intuitus, vel acceleratæ provisionis respectus excusat : quanto magis illa sunt nullatenus mutilanda, quæ nec ulla necessitas, nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas? Idcirco, fratres, ista prætulimus, ut hæ species, quas non licet offerri super altare juxta constitutionem apostolorum eorumque successorum (*Canon.* 3, 4, 5, *apost.*, *ex versione Dionysii exigui*), ad domum sacerdotum deferantur, et a sacerdotibus benedicantur, et per simplicem benedictionem benedicta, demum a populis sumantur : fabæ tantum et uvæ, et cætera, quæ apo-

A stoli constituerunt, super altare offerantur. Optamus igitur (*S. Greg.*, *ep.* 52, *lib.* IV), fratres charissimi, et totis omnipotentem Dominum precibus exoramus, ut dilectionem vestram in amoris sui constantiam, faciat magis magisque fervescere, atque in pace Ecclesiæ in una vos concedat manere concordia. Admonemus etiam fraternitatem vestram (*S. Greg.*, *ep.* 25, *lib.* II), ut in commissis vobis animabus solerter invigiletis, animarumque magis lucris, quam commodis vitæ præsentis intendatis. In continendis vero ac disponendis rebus ecclesiasticis diligentes custodes existatis, ut ex omni parte susceptum vos condigne gessisse pastoris officium, venturus judex, cum ad judicandum venerit, debeat approbare. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat (*S. Greg.*, *ep.* 50, *lib.*
B IV), honoremque a Deo vobis collatum, moribus servare concedat, atque cum multiplici fructu animas vobis commissas ad pascua æterna adducere, sibique condigne repræsentare adjuvet, vosque inter sanctos et electos suos collocare dignetur. Data II idus aprilis, Aureliano et Marcello [b] viris clarissimis consulibus (1).

EPISTOLA II.

AD EPISCOPOS PER SICILIAM [c] CONSTITUTOS.

I. *De modo recipiendi accusationem adversus clericos.*

II. *Qui non admittantur ad accusationem religiosorum.*

III. *De modo procedendi in negotiis ecclesiasticis, cum procedi non debeat modo sæculari.*

C *Dilectissimis fratribus universis episcopis per Siciliam constitutis, Eutychianus.*

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos (*Ephes.* I, *ex versione mixta ex Italica et Hieronymiana*) *in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate, prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificatus est* [d] *nobis in dilecto Filio suo in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ abundavit in nobis in omni sapientia et prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum*
D *ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt in ipso. In quo etiam sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, ut simus nos in laudem et gloriam ejus, qui ante speravimus in Christo : in quo et vos, cum audissetis verbum veritatis, Evangelium salutis vestræ, in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in*

(1) Deinceps quædam interpolator pro more inserit, et lacinias longiores ex Bibliis aliisque annectit.

(1) Anno 275, nondum defuncto Felice.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Devoratio *Labb.*
[b] Marcellino *Labb.*
[c] Male Merlinus et qq. alii Ciciliam *Labb.*
[d] Gratificavit *Labb.*

laudem gloriæ ipsius. Propterea et ego, audiens fidem vestram in Domino Jesu Christo, et dilectionem in omnes sanctos, non cesso, gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credidimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed et in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus, et plenitudo ejus: qui omnia in omnibus adimplet [a]. *Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris* (*Ephes.* II), *in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filiis* [b] *diffidentiæ, in quibus et nos aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem* [c] *carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri.* Modo, fratres, quia ex filiis iræ, sua gratia et gratuita miseratione fecit nos Deus filios suos: et nos, qui digni servi non eramus, nullis meritis præcedentibus, sed *sua* (ut diximus) *gratia facti sumus filii ejus: in quo clamamus, Abba Pater* (*Rom.*, VIII): sequentes ejus exempla, simul filii misericordiæ et justitiæ atque dilectionis, ut veri filii Dei et dici et esse, ipso auxiliante valeamus, deponentes (juxta Petrum apostolum) *omnem malitiam et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones* (I *Petr.*, II). Hi vero qui talia agunt, non filii Dei, sed potius filii nequam esse comprobantur, sicut Paulus ait Apostolus; *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur* (*Galat.*, V). Grave, fratres, verbum et horrendum nimis, quod ait: *Quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Et ipsa per se Veritas dicit: *Quid prodest homini, universum mundum lucrari, animæ vero suæ detrimentum pati* (*Matth.*, XVI)? Gravia sunt nimis, quæ prætulimus, et pervalde cavenda. Quibus enim regnum Dei præcluditur, procul dubio et Ecclesia denegatur. De quibus Dominus in Evangelio, potestatem apostolorum, eorumque successorem annuntians, ait: *Quorum demiseritis peccata, dimittuntur eis; et quorum alligaveritis, alligata erunt* (*Joan.*, XX; *Matth.*, XVIII): id est, quibus Ecclesiam interdixeritis, nisi reconciliati per satisfactionem fuerint, ipsis et janua regni cœlestis clausa erit.

I. — Unde ista præcaventes (2 *q.* 6, *Non ita in ecclesiasticis*), et stultorum animos prævidentes, cura pastorali cum omnibus episcopis, et sanctæ romanæ atque universalis Ecclesiæ utriusque ordinis fidelibus, statuimus, non ita in ecclesiasticis agendum esse negotiis, sicut in sæcularibus. Nam in sæcularibus legibus postquam vocatus quis venerit, et in foro decertare cœperit, non licat ei ante peractam causam recedere; in ecclesiasticis vero, dicta causa recedere licet, si necesse fuerit, aut si se prægravari viderit. Accusationis (1) vero ordinem talem [d] et dicimus [e] et servari jubemus, id est, si quis clericorum in crimine impeditur, non statim reus existimetur, qui accusari potuit, ne suspectam innocentiam faciamus. Sed quisquis ille est (1 *q.* 8, *Quisquis est ille*), qui crimen intendit, in judicium veniat: nomen rei indicet; vinculum inscriptionis arripiat: custodiat similitudinem; habita tamen dignitatis æstimatione patiatur; nec forte [f] sibi noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicit. Hæretici enim omnes, et suspecti, et excommunicati, homicidæ (*Hadr., coll.* 63) quoque atque malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, et qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magosque concurrerint, nullatenus ad accusationem sunt admittendi.

II. — Nulli infami umquam (3 *q.* 4, *Nulli umquam infami*), atque sacrilego, de quocumque negotio liceat adversus religiosum Christianum, quamvis humilis servilisque persona sit, testimonium dicere, nec de qualibet re, actione vel inscriptione, Christianum impetere. Omnibus quoque similiter accusandi, vel testificandi licentia denegetur, qui christianæ religionis et nominis dignitatem, et suæ legis, vel sui propositi normam, aut regulariter prohibita neglexerint (*Anianus, in Constant.* I, *tit.* 7, *lib.* X, *Cod. Theod.*)

III. — Similiter prohibemus, ut nullæ causæ a judicibus ecclesiasticis audiantur, quæ legibus non continentur, vel quæ prohibitæ esse noscuntur. Hæc non solum ecclesiasticæ, sed et sæculi leges observari præcipiunt (2). Non enim passim (*Concil. Carth.* II) vageque sacerdotum accusatio debet fieri. Nam si facile admitteretur, perpauci nimis invenirentur: quia *omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur. Beati autem qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Unde et ipsa per se Veritas ait (I *Tim.*, III; *Matth.*, V; *Joan.*, XVII): *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant*

(1) Hadr. coll. 7, ex cod. Theod., lib. IX, tit. 1, 2. Const. ultima ut sagaciter subadoratus est Anton. Aug.

(2) A quibusnam impp. latæ in favorem ecclesiasticorum? Tempore Eutychiani ejusque decessorum?

LECTIONES VARIANTES.

[a] Adimpletur *Labb.*
[b] Filios *Labb.*
[c] Voluntates *Labb.*
[d] Esse *Labb.*
[e] Didicimus *Labb.*
[f] *Al.* Patiatur ne forte, *Al.* Patiatur. Nec forte, *Labb.*

et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt: et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro eis quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt, et clarificatus sum in eis. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, et unum sint, sicut et nos. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi: et nemo ex his periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio, et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum: et mundus odio habuit eos, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, et mundus credat quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum, ut cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexi eos, sicut et me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater juste, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi, et hi cognoverunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis. Et idem Joannes apostolus et evangelista, in prima sua epistola, loquitur, dicens (I *Joan.* IV): *Charissimi, diligamus invicem, quia charitas ex Deo est: et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quia Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet et charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc intelligimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum salvatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est filius Dei, Deus in eo manet et ipse in Deo. Et nos vidimus et credidimus charitati, quam habet Deus in nobis, Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deum in eo. In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii, quia sicut ille est, et* A *nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui autem non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum, qui genuit, diligit et eum, qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus, quoniam diligemus natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata ejus faciamus. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus: et mandata ejus gravia non* B *sunt* (I *Joan.*, V). Et per prophetam, Dominus, monendo, ne lædantur discipuli sui, horumque successores, inquit (*Psal.*, XXXII, *ex vers. S. Hieronymi quam cum vetere et Italica permiscet*): *Circumdat angelus Domini in gyro timentes eum, et eruet eos. Gustate et videte, quoniam bonus est Dominus. Beatus vir qui sperat in eo. Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum. Leones indiguerunt, et esurierunt: quærentibus Dominum, non deerit omne bonum. Ambulate, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Quis est vir qui velit vitam, diligit dies videre bonos? Custodi linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Recede a malo, et fac bonum: quære pacem, et persequere eam. Oculi Domini super justos, et aures ejus ad clamorem eorum. Vultus autem* C *Domini in facientes malum, ut perdat de terra memoriam eorum. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Juxta est Dominus contritis corde, et confractos spiritu salvabit. Multa mala justo, et ex omnibus illis liberabit eum Dominus. Custodit Dominus omnia ossa ejus, unum ex his non confringetur. Interficiet impium malitia, et odientes justum culpabuntur. Redimet Dominus animas servorum suorum, et liberabit eos. Vos ergo, fratres* (*Psal.*, LIV), *super Dominum ponite corda vestra, et ipse enutriet vos, quia non dabit in æternum fluctuationem justis. Deus autem Dominus noster deducet inimicos nostros*, juxta Prophetæ vocem, *in puteum interitus quoniam viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. Vox autem semper sperate in Domino, et fiduciam* D *habetote in eo, quia ipse liberabit nos. Ipse est enim benedictus a sæculo usque in sæculum, et regni ejus non erit finis* (*Luc*, I). Data decimo tertio kalendas octobris (anno 283), Caro Secundo et Carino viris clarissimis consulibus (1).

(1) 13 *kalend. octob. Caro*, etc. Hinc confirmatur, quod supra diximus in notis ad Vitam Eutychiani, verbis: *octav. kalend. augusti*, verius esse, Eutychianum sexto idus decembris, non autem octo kalendas augusti, decessisse. Hæc epistola enim post augustum mense septembri scripta est: ideoque certissimum est, eum saltem, quod scribit pontificalis, mense julio ex hac vita non emigrasse. SEVER. BINIUS.

DECRETA EUTYCHIANI PAPÆ,

SI IN IPSO EUTYCHIANI NOMINE ERROR NON EST, QUÆ NON HABENTUR IN PRIORIBUS, A LABBEO DESUMPTA EX GRATIANO ET IVONE ET ALIIS.

PRIMUM.

Non est obediendum episcopo, qui pro hæreticis missam canere jubet.

Si quis episcopus, aut abbas, presbytero aut monacho suo jusserit missas pro hæreticis (1) cantare, non licet. Non enim expedit eis obedire.

SECUNDUM.

Abbatissa præsumens velare virginem, vel viduam, excommunicetur.

Nihilominus etiam in quibusdam locis insolitum invenimus usum stultitiæ plenum, et ecclesiasticæ auctoritati contrarium, eo quod videlicet nonnullæ abbatissæ, et aliquæ ex sanctimonialibus, viduis et puellis virginibus, contra fas, velum imponere præsumant, et ideo nonnullæ injuste velatæ putant se liberius suis carnalibus desideriis posse servire, et suas voluntates explere. Quapropter statuimus, ut si abbatissa aut quælibet sanctimonialis, post hanc definitionem, in tantam audaciam proruperit, ut aut viduam aut puellam virginem velare præsumat, judicio canonico usque ad satisfactionem subdatur (*In decret. Ivo. lib.* III, 20, *q.* 2. *Statuimus ut si abbatissa.*)

TERTIUM.

Fidelium consortio careat, qui pœnitentiam perjurii agere noluerit.

Prædicandum est etiam, ut perjurium fideles caveant, et ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande scelus esse, et in lege et in prophetis et in Evangelium prohibitum (*Levit.*, VI; *Josue*, IX; *Malach.*, III; *Matth.*, V). Audivimus autem quosdam parvipendere hoc scelus, et levem quodammodo perjuriis pœnitentiæ modum imponere. Qui nosse debent, talem de perjurio pœnitentiam imponi debere, qualem et de adulterio, et de fornicatione, et de homicidio sponte commisso, et de cæteris criminalibus vitiis. Si quis vero perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato, timens pœnitentiam longam, ad confessionem venire voluerit, ab Ecclesia repellendus est, sive a communione et consortio fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in domo sua eum recipiat.

QUARTUM.

Membra detruncans, domos incendens, absque judiciali auctoritate excommunicetur.

Si quis membrorum truncationes, et domorum incendia fecerit, sive fieri jusserit, aut facienti consenserit, quousque de his unicuique legaliter et amicabiliter coram episcopo civitatis, aliisque civibus, non emendaverit, ab Ecclesia se privatum cognoscat. Si vero post secundam et tertiam conventionem, cuncta in quibus arguitur, non emendaverit, tamquam ethnicus et publicanus, ab omni christianorum collegio separetur.

QUINTUM.

In potestate fidelis sit, post baptismum recipere uxorem quam ante dimiserat.

Si quis gentilis gentilem uxorem dimiserit ante baptismum; post baptismum in potestate ejus erit eam habere, vel non habere.

SEXTUM.

Fidelis infidelem discedentem sequi non cogitur.

Simili modo, si unus ex conjugatis baptizatus est, et alter gentilis, et sequi non vult, sicut dicit Apostolus : *Infidelis si discedit, discedat* (I *Cor.*, VII).

SEPTIMUM.

Synodale juramentum.

Episcopus in synodo residens, post congruam allocutionem septem ex plebe ejus [a] parochiæ, vel eo amplius, prout viderit expedire, maturiores, honestiores, atque veraciores viros, in medium debet advocare : et illatis [b] sanctorum pignoribus, unumquemque illorum tali sacramento constringere, ut amodo in ante [c] quidquid nosti, aut audisti, aut postmodum inquisiturus es, quod contra voluntatem Dei et rectam christianitatem in ista parochia, factum sit, aut futurum erit, si in diebus tuis evenerit, tantum ut ad tuam cognitionem quocumque modo perveniat, si scis, aut indicatum fuerit tibi, synodalem causam esse, et ad ministerium episcopi pertinere, quod tu nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam, ullatenus celes episcopo, aut ejus misso, cui hoc inquirere jusserit, quandocumque ex hoc te interrogaverit : sic te Deus adjuvet, et istæ sancto rum reliquiæ, et illud [d] sacramentum, quod juste [e] juravit de synodali causa, quod tu illud ex te, ita observabis, in quantum sapis, aut audisti, aut ab hac die in antea inquisiturus es, sic te Deus adjuvet.

(1) Cæteri collectores addunt mortuis : pro vivis enim et aliis malis etiam speciali oratione licitum est orare. LABB.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ipsius *Labb.*
[b] Allatis *Labb.*
[c] Antea *Labb.*
[d] *Burchardus legit,* istud; *et præponit hanc rubricam* Juramentum cæterorum.
[e] Iste *Labb.*

OCTAVUM.

(Ex decreto, quod est librorum sexdecim, libro decimo quarto, capite secundo.)

Et malum ebrietatis omnino vitetur.

Malum magnum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, Christianis modis omnibus cavere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum esse decrevimus, usque ad congruam emendationem.

NONUM.

(Ex eodem, capite tertio.)

Quod episcopi et Dei ministri ebrietate non debeant gravari.

Episcopi et Dei ministri, non debent comessationibus et vinolentiis nimiis incumbere, sed considerent sententiam Domini, dicentes : *Attendite, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.*, XXI; I *Thess.*, III). Moderate enim cibum, et necessarium sumptum sumant, ut juxta apostolum, sobrii sint, et parati ad servitium Dei.

DECIMUM.

(Ex eodem, capite decimo.)

Quales personæ sacerdotum epulis interesse debeant.

Observandum est nobis, ut et vos ab ebrietate abstineatis, et ut plebes subditæ abstineant, prædicetis. Et neque per tabernas eatis bibendo, aut comedendo; neque domos aut vicos curiositate qualibet peragretis, neque cum feminis, aut cum quibuslibet personis impuris, convivia exerceatis, nisi forte paterfamilias quilibet vos invitaverit ad domum suam, et cum conjuge sua, et cum plebe velit vobiscum spiritali gaudio lætari, et verborum vestrorum refectionem accipere, et vobis refectionem carnalem charitatis officio exhibere. Oportet enim, ut si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur spiritualibus epulis.

SYNODUS MESOPOTAMICA ARCHELAI.

Synodus divina et sacra particularis, collecta in Mesopotamia ab Archelao Carcharorum episcopo, et Diodoro sacerdote, contra Manem infernalem, et Diodonadem presbyterum : quæ multis modis confutatos hosce abdicavit.

Σύνοδος θεία καὶ ἱερὰ μερικὴ συναθροισθεῖσα ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, ἀπὸ Ἀρχελάου ἐπισκόπου Καρχάρων, καὶ Διοδώρου ἱερέως, κατὰ Μάνεντος τοῦ ἐρεβώδοις, καὶ Διοδωριάδου πρεσβυτέρου· ἥτις πολυτρόπως τούτοις ἐλέγξασα ἀπεκήρυξε.

DE S. CAIO ROMANO PONTIFICE

NOTITIA HISTORICA.

Caii papæ pontificatus et obitus. — Sanctus Caius, quem Pontificale Damasi tradit, natione fuisse Dalmatem, ex genere Diocletiani, ex Patre Caio, ut putat Coutantius, quem sequuntur Auctores *L'Art de vérifier les dates*, in locum Eutychiani suffectus fuit anno Domini 183, die XVII decembris, feria secunda (1). *Erat vir magnæ prudentiæ, magnæque virtutis*, ut est in Actis S. Sebastiani (2). Ab eo confirmatum dicitur institutum Ecclesiæ vetus, ut Clerici per septem ordinum gradus documentum sui dantes; tenderent ad episcopatum (3). Quæ præterea gessit pontificem agens per annos duodecim, menses quatuor, et dies quinque, latent tenebris obruta vetustatis, vivere desiit X kalendas maii, Diocletiano VI et Constantio Cæsare II consulibus, ut in catalogo Bucheriano legitur : de quo etiam indiculus depositionis addit : *Decimo kal. maii, Caii in Callisti.* Cæterum si fides catalogis romanorum pontificum habenda : *Caius fugiens persecutionem Diocletiani in cryptis habitans confessor quievit.* Inter martyres tamen ejus memoria in nonnullis martyrologiis recensetur. Nec mirum, cum eo titulo ii etiam aliquando exornarentur, qui etsi pro Christi fide certantes, vitam cum morte non commutassent, nihilominus pro pietate, dum viverent, persecutiones, ludibria, labores perpessi, in pace quieverant : quod Caio pontifici contigisse dubitari non potest, qui sub imperatoribus Diocletiano et Maximiano pontificatum tenuit. Minus etiam accurata est Eusebii Chronologia (1) dum annis quindecim circiter et usque ad sua fere tempora romanam sedem occupasse ait; quem annum decimum tertium vix attigisse constat.

Caii Decretalis subdita. — Unicam Caio romano pontifici decretalem, Felici episcopo datam, inscripsit Isidorus, sex capita complectentem. Primum, paganos et hæreticos non posse accusare christianos. Secundum, episcopum non esse accusandum apud judices sæculares. Tertium de episcopo, presbytero et diacono, vel reliquis clericis, apud episcopos accusandis. Quartum de his, qui negant Verbi Dei incarnationem. Quintum, quod ad spem vitæ æternæ perveniri non possit, nisi per mediatorem Dei et hominum Jesum Christum. Sextum, de ordinibus ec-

(1) Coutant., Epist. rom. pontif., tom. I, p. 306, cui etiam adstipulatur Mansi in not. ad annales Baronii.

(2) Act. Sanctorum, apud Bolland., die 20 januarii cap. 18.

(3) Septenarius Odinum numerus est in Epistola Cornelii Papæ apud Euseb., *Hist. eccl.*, lib. VI, cap. 43.

(1) Euseb., *Hist. eccl.*, lib. VII, cap. 32.

clesiasticis. Data est kalendis martii, diocletiano VI et Constantio II viris clarissimis coss. Quæ vel una subscriptio fraudem prodit. Sed imprudentia impostoris cum pravitate certat, utpote qui integrum Leonis Magni caput, quod in Epistola 97, secundum est, suum fecerit, et totidem verbis in Decretalem intulerit. Quæ si Leoni Magni Caius fœnerasset, in veterum testimoniis, quibus ad Leonem Augustum constat Epistola, ea dubio procul Leo papa annumerasset. Multo magis enim Caium et decessorem, et antiquiorem memorare debuit, quam Athanasium, Ambrosium, Augustinum, quorum auctoritatem usurpat debellandis hæreticis. LUMPER.

DE DECRETO UNICO

QUOD CAIO ADSCRIBITUR, CIRCA ORDINANDOS.

1. Papæ hujus non modo nulla ad nos transmissa est sincera epistola, sed nec ulla usquam memoratur. Tantum in pontificali libro dicitur constituisse; « ut omnes ordines in Ecclesia sic ascenderent : Si quis episcopus fieri mereretur, ut esset ostiarius, lector, exorcista, acolythus, sequens subdiaconus, diaconus, presbyter, et exinde episcopus ordinaretur. »

2. Quo decreto si constituisse intelligatur decere, ut quisque per ecclesiastica illa officia, non præcipiti saltu, ad episcopatum adscendat; jam hoc ante Caii tempora usu receptum fuisse fidem facit Cyprianus, cum Cornelii ordinationem legitimam fuisse inde probat (*Cornel.*, *ep.* 10, *n.* 7), quod « non iste ad episcopatum subito pervenisset, sed per omnia ecclesiastica officia promotus, et in divinis administrationibus Deum sæpe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus adscendit. » Qui autem sint illi gradus, ipse nos docet Cornelius, cum in ecclesia sua tunc extitisse memorat (*Ep.* 9, *n.* 4) « presbyteros 46, diaconos 7, subdiaconos totidem, acolythos 42, exorcistas et lectores cum ostiariis 52. » Cornelium tamen omnium illorum graduum officiis, nullo excepto, functum esse, non ausim affirmare.

3. Si vero superius constitutum veluti lex censeatur ecclesiastica, a qua nemo, nisi per eum qui legem tulit, immunis fiat, illud Caio longe recentius esse pluribus exemplis facile demonstratur. Posterius est hoc papa concilium Sardicense, utpote anno 347, habitum, cujus canone 10 (*Isidoro Mercatori* 13), sancitur, « ut si quis ex foro sive dives, sive scholasticus, episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur, quam lectoris et diaconi et presbyteri ministerium peregerit; » vultque « habeat uniuscujusque ordinis gradus non minimi temporis longitudinem, per quod et fides et morum probitas... possit cognosci. » Tribus illis gradibus subdiaconatum adjiciunt Græci, qui tantum hos quatuor ordinum gradus cum episcopatu agnoscunt, ut ex variis monimentis liquet, ac nominatim ex his synodi Octavæ, act. 10, cap. 5 : « Si quis... per omnes gradus ecclesiasticos definitis temporibus vitam inculpatam transisse reperiatur, ita ut in lectoris munere unum, in subdiaconi duos, in diaconi tres, in sacerdotii quatuor annos expleverit, ad episcopatus honorem evehatur. » Nunc igitur restat, ut etiam in latina Ecclesia, ac nominatim Romana, ab omnibus exactum non esse probemus, ut septem prædictos gradus prius obeant, quam ad episcopatum valeant efferri.

4. Siricius epist. 1, ad Himerium, n. 9 et 10, necnon Zosimus epist. 9, ad Hesychium, n. 2 et 5, quibus quisque gradibus ad episcopi aut presbyteri dignitatem provehendus esset definientes, non in ostiarii, sed « in lectorum primitus gradu, » ut verbis utamur Zosimi, « divini rudimenta servitii » poni præcipiunt. Immo dum Siricius de eo, qui grandævus baptizatur, constituit, ut si ad sacram militiam pervenire festinat, statim (a suscepto baptismo) lectorum aut exorcistarum numero societur, » non ab eo utrumque gradum, sed alterutrum tantum videtur exigere. Cui concinens Zosimus de eodem decernit, « ut post baptismum statim, si divinæ militiæ desiderat mancipari, sive inter lectores sive inter exorcistas teneatur. » Quamquam iste Zosimi locus explicari, sic potest, ut perinde ipsi sit « sive inter lectores, sive inter exorcistas, » atque « tum inter lectores tum, etc., » maxime cum his præmittat : « Assuescat in Domini castris, in lectorum primitus divini rudimenta servitii; nec illi vile sit exorcistam, acolythum, subdiaconum, diaconum per ordinem fieri. » Illud mirum, quod cum Siricius et Zosimus in laudatis epistolis singulos tam accurate describant gradus, quibus ad sacerdotii apicem perveniri velint, ostiarium tamen constanter taceant. Hunc sane non præteriissent silentio, si a Caio decretum superius prodiisset. Cum ipsis ea in re consentit supposititium quidem, sed tamen antiquum Silvestri Constitutum, seu Romanum II, sub Silvestro concilium, cujus capite 11, statutum est : « Ut nullus ex laica persona ad honorem acolythus [a] usque ad episcopatum sublevaretur, nisi prius fuisset lector annis xxx, deinde una die exorcista, et postea caperet onus acolythi, et faceret in eodem ordine acolythi annos decem, ut acciperet onus subdiaconi, et in subdiaconatu esset annos quinque, etc. » Ut hic nullum præterea de ostiario fit verbum, ita nec in iis ejusdem Constituti, cap. 7 : « Ut a subdiacono usque ad lectorem omnes subditi essent diacono cardinali urbis Romæ, in Ecclesia honorem repræsentans tantum, pontifici vero presbyteri, subdiaconi, diaconi, aco-

LECTIONES VARIANTES.

(a) *Forte* Acolythatus *Galland*.

lythi, exorcistæ, lector in omni loco repræsentans obsequium. » Idem tamen constitutum seu concilium cap. 3, ostiarii meminit, ubi legimus : « Ut non presbyter adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non exorcista adversus subdiaconum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam. » Quapropter ex Siricii Zosimive silentio minime inferendum est ipsis ignotum fuisse ostiarii gradum, quem, ut diximus, Cornelius agnovit. Inde tamen colligi potest illos ab eis, qui clero nomen dabant, nequaquam necessario exigendum censuisse, ut ostiarii ministerio fungerentur. Certe infantes, quos sacræ militiæ adscribi volebant, cum brevi potuerint lectorem officio fungi, non tam cito fiebant validi et ad implenda ostiarii munia idonei. Eorum quippe erat ab Ecclesiæ aditu indignos repellere. Augustinus, lib. *de Pastoribus, nunc Serm.* 46, n. 31, describit, quo pacto apud Donatistas ostiarius, « stans vel sedens ad ostium » basilicarum, eos interroget qui intrare velint, ac projiciat qui non sint ejusdem communionis. Cui muneri impares erant infantes. Longe post Siricii Zosimique tempora Gelasius epist. XI, c. 2, licet ostiarii gradum agnoscat, ibidem tamen præscribit : « Si quis etiam de religioso proposito et disciplinis monasterialibus eruditus ad clericale munus accedit... continuo lector vel notarius aut certe defensor effectus, post tres menses existat acolythus, maxime si huic ætas etiam suffragatur, sexto mense subdiaconi nomen accipiat ; « adeoque non modo ostiarii, sed et exorcistæ gradum præteriri permittit. Nil opus est hic exempla eorum proferre, qui aliquo prædictorum septem graduum, vel etiam pluribus prætermissis, episcopatum adepti sunt. Quocirca decretum, de quo agimus, ad Caium nihilo magis videtur pertinere, quam pertineat ad Silvestrum istud, quod nomine concilii Romani III, sub hoc papa vulgatum est : « Si quis clericatum promereri desiderat, hoc justum est, ut sit ostiarius annum unum, lector annos viginti, exorcista annos decem, acolythus annos quinque, subdiaconus annos quinque, diaconus annos quinque, et si ad honorem presbyterii accedat, et faciens in ordine annos sex... sic ab omni Ecclesia eligatur consecrandus episcopus. » COUSTANT.

EPISTOLA (1) CAII PAPÆ

AD FELICEM EPISCOPUM.

QUOD PAGANI NON POSSINT CHRISTIANOS ACCUSARE : DE ACCUSATIONE EPISCOPI, EJUSQUE ACCUSATORIBUS, DE EXPOLIATIONE AUT EXPULSIONE, ET DE INCARNATIONE DOMINI.

I. *Paganos et hæreticos non posse accusare Christianos.*

II. *Episcopum non accusandum apud judices sæculares.*

III. *De episcopo, presbytero, aut diacono, vel reliquis clericis apud episcopos accusandis.*

IV. *De his qui negant verbi Dei incarnationem.*

V. *Quod ad spem vitæ æternæ perveniri non possit, nisi per mediatorem Dei et hominum Christum Jesum.*

VI. *De ordinibus ecclesiasticis.*

Dilectissimo fratri Felici episcopo Caius.

Directas ad nos tuæ charitatis (*Vigilius, ep* 2), epistolas plenas catholicæ inquisitionis sollicitudine, gratanter accepimus, benedicentes Domini nostri clementiam : quia tales ab extremis mundi partibus dignatur suis ovibus providere pastores, per quos et pascuis valeant salutaribus abundare, et ab iniqui lupi [a] rapacitate servari, ut insidias nequeant ejus subreptionis incurrere. Unde certum est, quia promissæ vos beatitudinis gratia subsequatur, quando a vobis cœlestium perfectio doctrinarum, tam votiva suscitatione perquiritur. Scriptum est enim : *Beati qui perscrutantur testimonia ejus, et in toto corde exquirunt eum* (Psal. CXVIII). Hoc ergo, frater charissime, propositum tuæ consultationis tota mente tractantes, de te quoque provenire confidimus, qui regulam catholicæ fidei iisdem studes tenere vestigiis, quibus eam in apostolica sede cognoscis esse fundatam. Et quamvis *sonus eorum toto orbe diffusus, et usque ad fines orbis terræ verba eorum distensa* (*Psal.* XVIII, *ex vers. Hier.*), dilectionis tuæ corda Christo probaverunt esse fidelia : tamen si quid ex his in Ecclesia, quæ tuæ gubernationi, Domino auxiliante, commissa est, necdum plena luce claruerit, ad eumdem fontem, de quo illa salutaris manarat lympha, recurritis, id est, quod debita charitate sumus amplexi : quia fiducialiter de his, unde apud vos observantiam esse dixistis ambiguam, nostra voluistis responsione firmari. Quapropter dilectionem tuam in Domino salutantes, de singulis, quid juxta catholicam disciplinam teneat apostolicæ sedes auctoritas, subjectis aliquibus etiam sanctorum capitalis regularum, credimus [b] instruendum.

I. Primo quidem scias, paganos (1) et hæreticos (2, q. 7. *Pagani et hæretici*) non posse Christianos accusare, aut vocem eis infamationis inferre.

(1) Supposita ab Isidoro. LABB.

(1) Bar. in notis ad 31 Januarii. an. 351, ait Optatum hac voce primum fuisse usum, tum Prudentium, Aug., etc., nec ante impp. Chr. tempora usurpatam.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Antiqui hostes *Labb.*

[b] Credidimus *Labb.*

II. Deinde nemo umquam episcopum apud judices sæculares, aut alios clericos, accusare præsumat.

III. Et si quis episcopus, presbyter, aut diaconus, vel quilibet clerici, apud episcopos (quia alibi non oportet a qualibet persona quæ rite recipienda est) fuerint accusati (hæc et similia ex cod. Theod. et Aniano Hadr., cap. 22), quicumque fuerit, sive ille sit sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit; noverit, probationis documenta se debere inferre. Si quis ergo circa hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat se jacturam infamiæ sustinere, ut damno pudoris, æstimationis dispendio discat, sibi alienæ verecundiæ impune insidiari, saltem de cætero non licere. Nam qualiter ad concilium veniatur, aut qualiter de suis B rebus expoliati (3. q. 1. *Episcopus suis rebus expoliatus*), vel ejecti a sedibus propriis, aut qui accusatores sint recipiendi, quive non sint, aut qualiter ejectis et expoliatis sint omnia legibus redintegranda, quæ eis ablata sunt: et quia priusquam hoc factum fuerit, nullum crimen eis objici poterit, et qualiter illis induciæ post integram instaurationem anniversariæ, vel sex mensium, indulgendæ sint, et qualiter sua omnia licenter et pacifice, absque ullius gravi impedimento disponere, et suorum amicorum et ecclesiasticorum patrum conciliis uti debeant, sufficienter ab apostolis, eorumque successoribus, ac nostris prædecessoribus statutum esse putamus. Super his autem non reor amplius nunc fore disputandum, nisi si surrexerint talia, quæ adhuc non sunt manifesta. C Si eorum autem statuta non habueritis mittite fidelissimos scriptores, qui hæc coram fidelibus testibus excipere, vobisque reportare sub stipulatione valeant.

IV. Cæterum, ut satisfaciam consultis tuis de verbo incarnationis et veritatis, quicumque illi (1) sunt ita obcæcati (2), et a lumine veritatis alieni, ut Verbi Dei a tempore incarnationis denegent veritatem, ostendant in quo sibi christianum nomen usurpent, et cum Evangelio veritatis qua ratione concordent, si beatæ Virginis partu, aut caro sine deitate, aut deitas est orta sine carne. Sicut enim negari non potest, evangelista dicente, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.*, I), ita negari non potest beato apostolo Paulo prædicante, quod *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (II *Cor.*, V). Quæ D autem reconciliatio posset esse qua humano generi repropitiaretur Deus, si hominis causam mediator Dei hominumque non susciperet? Qua vero ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma A Dei æqualis est Patri (*Philipp.*, II) in forma servi particeps esset et nostri, ut mortis vinculum, unius prævaricatione contractum, unius morte (qui solus morti nihil debuit) solveretur? Effusio enim justi sanguinis Christi, tam fuit dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent: quoniam, sicut Apostolus ait: *Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia* (*Rom.*, V). Et cum sub peccati præjudicio nati, potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quam debitum servitutis. Quam itaque sibi in hujus sacramenti præsidio spem relinquunt, qui in Salvatore nostro negant humani corporis veritatem? Dicant quo sacrificio reconciliati: dicant quo sanguine sint redempti. *Quis est*, ut ait Apostolus, *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (*Ephes.*, V)? Aut quodnunquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus et æternus pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Licet *in conspectu Domini pretiosa justorum mors fuit* (*Psal.* CXV), nullius tamen insontis occisio, redemptio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt, coronas. De fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortis fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit, cum filius hominis, unus solus Dominus noster Jesus Christus, qui vere erat Agnus immaculatus, extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati. De quibus ipse dicebat: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (*Joan.*, XII). Fides etenim justificans impios, et creans justos, ad humanitatis retracta participium, in illo acquirit salutem, in quo solo homo se invenit innocentem, liberum habens per gratiam Dei de ejus potentia gloriari, qui contra hostem humani generis in carnis nostræ humilitate congressus, his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphavit. Licet ergo in uno Domino nostro Jesu Christo, vero Dei atque hominis Filio, Verbi et carnis una persona sit, quæ inseparabiliter atque indivise communes habeat actiones, intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, et sinceræ fidei contemplatione cernendum est, ad quæ provehatur humilitas carnis, et ad quæ inclinetur altitudo deitatis: quid sit, quod caro sine Verbo non agit; et quid sit, quod Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia nec conciperet Virgo, nec pareret, et sine veritate carnis, obvoluta pannis infantia non jaceret; sine Verbi potentia, non adorarent magi puerum, stella indice declaratum; sine veritate carnis, non juberetur transferri in Ægyptum puer, et ab Herodio persecutione subduci; sine Verbi potentia non diceret vox Patris, missa de cœlo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite* (*Matth.* III *et* XVII), et sine veritate carnis non protestaretur Joannes: *Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.*, I). Sine Verbi

(1) *Quicumque illi sunt.* Hæc verba quibus Pauli Samosateni aliorumque hæreticorum Filii Dei incarnationem negantium sententia doctissime ex Scriptura convincitur ac refutatur, hinc usque ad finem epistolæ haberi epistola I Leonis ad Leonem Augustum, in margine hujus epistolæ Surius annotavit. (SEVER. BINIUS.)

(2) S. Leo, ep. 97, ex qua jam supra quædam delibata in I Eutychiano papæ tributa epistola. Vide pag. 914, C.

potentia non fieret redintegratio debilium, et vivificatio mortuorum; et sine veritate carnis, nec cibus jejuno, nec somnus esset necessarius fatigato (*Matth.* IV; *Joan.*, XI; *Marc.*, IV; *Joan.*, X *et* XIV). Postremo; sine Verbi potentia non se Dominus Patri profiteretur æqualem, et sine veritate carnis non idem diceret Patrem se esse majorem, cum catholica fides utrumque suscipiat, utrumque defendat, quæ secundum confessionem beati Petri apostoli, *unum Christum Dei filium, et hominem credit et Verbum* (*Matth.*, XVI). Quamvis itaque ab illo initio, quo in utero Virginis *Verbum caro factum est* (*Joan.*, I) nihil umquam inter utramque formam divisionis exstiterit; et per omnia incrementa corporea, unius personæ fuerint totius temporis actiones; ea ipsa tamen ut ita dicam, quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus, sed quid cujusque formæ sit, ex operum qualitate sentimus. Dicant ergo isti hypocritæ, qui cæcis mentibus lumen nolunt recipere veritatis; in qua forma crucis ligno Dominus majestatis Christus affixus sit, quid jacuerit in sepulchro, et revoluto lapide monumenti, quæ tertia die caro resurrexerit; et in qua post resurrectionem suam non credentes quosdam discipulos arguebat, et hæsitationem cunctantium confutabat, cum diceret: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Joan.*, XIX; *Matth.*, XXVIII); et apostolo Thomæ: *Infer manum tuam in latus meum, et vide manus meas et pedes, et noli esse incredulus, sed fidelis* (*Luc.*, XXIV; *Joan.*, XX); qua utique manifestatione corporis sui, jam hæreticorum mendacia destruebat, ut universa Ecclesia Christi innovanda [a] doctrinis; hoc sibi non dubitaret credendum, quod apostoli susceperant prædicandum.

V. At si in tanta luce veritatis tenebras suas hæretica obduratio non relinquit; ostendant unde sibi spem vitæ polliceantur æternæ, ad quam nisi per *mediatorem Dei et hominum* (I *Tim.*, IV), hominem Jesum Christum, non potest perveniri. Sicut enim ait beatus Petrus apostolus: *Non est aliud nomen datum hominibus sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.*, IV); nec est redemptio captivitatis humanæ, nisi in sanguine ejus, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, et *qui*, sicut prædicat Apostolus (I *Tim.*, II; *Phil.*, II), *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum, factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesu Christus in gloria est Dei Patris.* Cum ergo unus sit Dominus Jesus Christus, et veræ deitatis, veræque humanitatis in ipso una prorsus

A eademque persona sit; exaltationem tamen, qua illum (sicut doctor gentium dixit): *Exaltavit Deus, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen* (*Phil.*, II), ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In forma quippe Dei æqualis erat Filius Patri (*Joan.*, X); et inter genitorem atque unigenitum nulla erat in essentia discretio, nulla in majestate diversitas: nec per incarnationis mysterium aliquid decesserat Verbo; quod ei Patris munere redderetur. Forma autem servi, per quam impassibilis deitas sacramentum magnæ pietatis implevit, humana humilitas est; quæ in gloriam divinæ potestatis evecta, est in tantam unitatem; ab ipso conceptu Virginis, deitatis et humanitatis conserta; ut nec

B sine Deo agerentur humana. Propter quod, sicut Dominus majestatis dicitur crucifixus, ita qui ex sempiternitate æqualis est Deo, dicitur exaltatus: quia inseparabiliter manente unitate personæ, unus atque idem est et totus hominis Filius propter carnem et totus Dei Filius propter unam cum Patre deitatem. Quidquid ergo in tempore accepit Christus, secundum hominem accepit, cui, quæ non habuit, conferrentur. Nam secundum potentiam divinitatis, indifferenter omnia, quæ habet Pater, etiam habet Filius (*Joan.*, V): et quæ in forma servi a Patre accepit, eadem in forma Dei etiam ipse donavit. Secundum Dei enim formam; *Ipse et Pater unum sunt* (*Joan.*, X); secundum formam autem servi, *non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui*

C *misit eum* (*Joan.*, IV, V, VI). Secundum formam Dei, *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Joan.*, V); secundum formam servi, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.*, XXVI). Et idem ipse est, sicut Apostolus prædicat, *et dives et pauper* (II *Cor.*, VIII). *Dives*; quia evangelista dicente: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.*, I). *Pauper* vero, quia propter nos *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibidem*). Quæ autem est exinanitio ejus, quæve paupertas, nisi formæ servilis acceptio, per quam, Verbi majestate velata, dispensatio humanæ redemptionis impleta est? Nam quia captivitatis nostræ re-

D solvi originalia vincula non poterant, nisi existeret homo nostri generis nostræque naturæ, quem peccati præjudicia non tenerent, et qui immaculato sanguine suo chirographum lethale dilueret, sicut ab initio erat divinitus præordinatum, ita est in plenitudine temporis perfectum, ut multis modis significata promissio in diu expectatum veniret effectum: nec posset esse ambiguum, quod continuit testificationibus semper fuerat nuntiatum. In magno autem sacrilegio se versari hæreticorum manifestat impietas, cum sub specie divinitatis honorandæ [b] humanæ

LECTIONES VARIANTES.

[a] Imbuenda *Labb.*

[b] Cum speciem deitatis honorando *Labb.*

carnis in Christo denegant veritatem : et religiose existimant credi, si dicatur in Salvatore nostro verum non esse, quod salvat ; cum ita secundum promissionem omnia sæcula præcurrentem [a], *mundus sit Deo reconciliatus in Christo* (I *Cor.*, v), ut nisi Verbum dignaretur caro fieri, nulla possit caro salvari. Omne enim sacramentum christianæ fidei, magno (ut hæretici volunt) decoloratur obscuro, si lux veritatis sub mendacio putatur latuisse phantasmatis. Non ergo quisquam sibi erubescendum existimet Christianus de nostri in Christo corporis veritate, quia omnes apostoli, apostolorumque discipuli et præclari ecclesiarum quique doctores, qui ad martyrii coronam, vel ad confessionis meruerunt gloriam pervenire, in hujus fidei lumine splenduerunt, consonis ubique sententiis intonantes, quod in Domino Jesu Christo deitatis et carnis una sit confitenda persona. Qua autem rationis similitudine, qua divinorum voluminum portione hæretica impietas se existimat adjuvari, quæ veritatem negat corporis Christi, cum hanc non lex testificari, non prophetia præcinere, non Evangelia docere, non ipse destiterit Christus ostendere ? Quærant per omnem seriem Scripturarum, quo tenebras suas, fugiant, non quo verum lumen obscurent : et per omnia sæcula ita veritatem invenient coruscantem, ut magnum hoc et mirabile sacramentum ab initio videant creditum, quod est in fine completum. De quo cum sanctarum litterarum nulla pars sileat, sufficit quædam consona veritatis signa posuisse, quibus diligentia fidei in splendidissimam latitudinem dirigatur, et sinceræ intelligentiæ luce perspiciat, quod in Filio Dei, qui se incessabiliter Filium hominis, et hominem profitetur, non sit Christianis erubescendum, sed constantissime gloriandum: quoniam, sicut ait beatus Apostolus (I *Tim.*, III) : *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (1).

VI. De episcoporum vero, et presbyterorum, diaconorumque, et sequentium clericorum ordinationibus, sanctos apostolos et successores eorum, et præcipue Anacletum (*Epistolæ* 2. *Nullius fidei apud doctos*), et prætérea alios, sufficienter statuisse cognoscimus : et idcirco non est necesse nunc replicari [b], nisi quod illi non statuerunt. Illud tamen nos statuentes (2) vobis et omnibus servare mandamus, ut ad ordines ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia ; qui ordinari merentur, id est, si quis episcopus (3) esse meretur, sit primo ostiarus, deinde lector, postea exorcista, inde sacretur acolythus, demum vero subdiaconus, deinde diaconus, et postea presbyter, et exinde, si meretur, episcopus ordinetur. Et regiones, sicut in hac urbe fecimus, per singulas urbes, quæ populosæ fuerint, diaconibus dividantur. Et quæcumque difficiles quæstiones per singulas provincias exortæ fuerint (*Innocentius, ep.* II), semper ad sedem apostolicam referantur (*S. Leo, ep.* LXXXIV, c. 7; *Vigilius, ep.* II). Bene vale, frater, et ora pro nobis. Data kalendis martii, Diocletiano sexto (4) et Constantio secundo viris clarissimis consulibus.

(1) Huc usque verba S. Leonis, ex quibus videas aliter olere catulos.

(2) *Illud tamen nos*. Quod hic et supra in vita Caii de hierarchia ecclesiastica constituta, a Caio pontifice instituta dicantur, nequaquam sic sunt intelligenda, quasi ipse primus instituerit, ut ad summum ordinem ascensurus, per inferiorum ordinum gradus sublime sacerdotii conscenderet : nam ejusmodi hierarchiæ ordinem, temporibus apostolorum in Ecclesia stabilitum fuisse, supra pluribus locis est enarratum. Caii igitur decretum nihil aliud constituisse videtur, quam quod ad tronum episcopalem nemo proveheretur, nisi qui in singulis inferioribus ordinibus, debito ac consueto tempore ministrasset. Vide Baron., anno 296, numero 2. SEVER. BINIUS.

(3) Verba Pontificalis.

(4) An. Christi 296

LECTIONES VARIANTES.

[a] Percurrentem *Labb.*

[b] Nos replicare nisi *Labb.*

DE COMMODIANO GAZÆO, ORIGINE AFRO,

PROLEGOMENA.

ARTICULUS I.

Ejus Vitæ Synopsis.

De Commodiano quid veteres meminerint? — Commodiani primus veterum meminit Gennadius, ejusque characterem satis bene his verbis expressit (1): « Commodianus, inquit, dum inter sæculares litteras etiam nostras legit, occasionem accepit fidei. Factus itaque christianus, et volens aliquid studiorum suorum muneris offerre Christo, suæ salutis auctori, scripsit mediocri sermone, quasi versu librum adversum paganos. Et quia paucum nostrarum attigerat litterarum, magis illorum destruere potuit dogmata, quam nostra firmare. Unde et de divinis repromissionibus adversum illos vili satis et crasso, ut ita dixerim, sensu disseruit, illis stuporem et nobis desperationem incutiens, Tertullianum et Lactantium, et Papiam auctores secutus (1). Moralem sane doctrinam, et maxime

(1) Gennad., de Scriptor. Eccles., cap. 15.

(1) Ac sane Papiam sequitur, probans dogma de mille annis cap. ultimo. Tertullianum vero in multis, quæ de gentium diis disputat. De Lactantio equidem dubito (inquit perdoctus Albertus Fabricius in *Bibl. med. et infim. latinitatis*, tom. I, pag. 406, edit. Patavinæ, 1754), licet Gennadio hac in parte suffragatus primum est etiam Rigaltius (nam in curis secundis

voluntariæ paupertatis amorem optime prosecutus, A studentibus inculcavit ». Hæc Gennadius : ex quo paucula Honorius quoque Augustodunensis (1). Sed post massiliensem presbyterum meminit etiam Commodiani Gelasius romanus pontifex, illius opus inter aprocrypha in suo decreto recensens.

Auctor Gazæum se nominat, cur vero? — Cujas vero fuerit hic auctor, plane incompertum, tacentibus de patria ejus antiquis scriptoribus. Nonnulli eum Italis ac Romanis ascribunt. Qui eum Afrum fuisse putant, conjecturam adhibent non plane contemnendam. *Gazæum* quidem se ipsum vocat (2) : utrum autem a Gaza Palæstinæ urbe, quis tuto adfirmarit? Atqui vero propius eruditis videtur (3), ipsum propterea ita se appellasse, quod in christianorum cœtum admissus, e gazophylacio, seu Ecclesiæ thesauro victum B acciperet. Quam quidem conjecturam ipsemet confirmare censetur, dum *mendicum Christi* se nominat, uti ex instructionis ultimæ litteris, quæ versus inchoant, retro sursum legendis, comperimus.

Afer existimatur. Utut sit, Dodwellus Afrum fuisse Commodianum ex eo conjicit (4) quod multa suis instructionibus habeat cum sancto Cypriano communia. In eamdem porro sententiam præiverat Rigaltius (5): quo judice, stylus auctoris africanæ ferociæ rusticitatem sapit; quæ tamen ad acumina Tertulliani, Cypriani, Minucii non infrequenter alludit. Suadere insuper videntur judice Caveo (6), quæ usurpat vocabula, afris scriptoribus pene propria, Zabulus, Zacones, etc.

Ex ethnica superstitione ad fidem Christi conversus, libellum composuit. Instructiones adversus gentium Deos inscriptum. — C Ortu et cultu fuisse ethnicum, satis indicat ipse cum in præfatione (7), tum dum alibi gentiles sic alloquitur (8) :

Et ego, qui moneo, idem fui, nescius errans.

Inde Instructione LXI, *se de cloaca levatum* dicit, id est, de sæculo, de idololatria. Cum igitur religionis christianæ expers, ethnicæ vero superstitioni adhuc addictus esset Commodianus, et in tenebris superstitiosarum et impiarum gentium versaretur, Dei munere accidit, ut sacris litteris evolvendis incumbens, ex earum lectione e nocte illa sensim emergeret, ac cœlesti lumine collustratus, Christo nomen daret (1) : quod quidem evenisse item Justino Martyri, Tatiano, aliisque, ex eorum monumentis probe novimus. Doctrina itaque salutari confirmatus, fideique zelo accensus, ad expugnandos imprimis divinæ veritatis hostium errores se convertit, operamque suam in refellendis illorum erroribus posuit; hujus igitur instituti causa libellum conscripsit sub titulo: *Instructiones adversus gentium Deos pro christiana disciplina.* Perstrinxit in ea falsa gentium numina, pravosque cultus, et quamvis ingenii atque artis præstantia heic minus appareat, satis tamen singularem sanctimoniam, verumque, nec simulatum erga Deum amorem declaravit.

Tempus inquiritur, quo claruit Commodianus. — De ætate, qua vixerit Commodianus, eruditi non conveniunt. Rigaltius (2), Dupinius (3), Ceillierius (4) floruisse eum putant Constantini Magni imperio, atque sub pontificatu sancti Sylvestri, cujus pontificis in scriptis suis Commodianum meminisse, communi eruditorum opinione fertur. Antiquiorem tamen ac Cypriano vel æqualem, vel supparem fuisse Dodwellus censuit (5); quare Caveus, cum in prima Commentarii sui de scriptoribus ecclesiasticis editione, inter quarti sæculi scriptores Commodianum recensuisset, in altera Oxoniensi editione Dodwelli conjecturis motus in eadem cum ipso sententiam abiit. Ad tempora sæculi secundi vergentis, sive desinentis eumdem refert *Sebastianus Pauli* (6), clericus regularis in dissertatione italice edita Neapoli, 1714, in 8° *de Poesi SS. Patrum græcorum, latinorumque in primis Ecclesiæ Christi sæculis.*

Gennadius expensus. — Si vero Gennadium audiamus, statuendum videtur sæculo IV, ut nimium, vixisse Commodianum : ait enim, ipsum *Tertullianum et Lactantium, et Papiam auctores fuisse secutum.* Atque hanc fuisse quidem Gennadii sententiam plerique existimarunt. Verum si ejus verba penitius inspiciantur, non sunt fortasse de nostri scriptoris ætate intelligenda, sed potius de placitis nonnullis, quæ re vera D cum iis auctoribus habuisse communia Commodianus comperitur : alioquin dicendus esset presbyter ille massiliensis censuisse, Papiam Tertulliano et Lactantio fuisse posteriorem, quem videlicet scriptoribus illis subjiciat; quod sane affirmare non ausim : ut proinde, meo quidem judicio, illud solum iis verbis

ad *instruct.* XXXIII, huic sententiæ ipse non multum tribuit) qui Sylvestri pontificis mentionem fieri *instruct.* XXXIII, v. 5, non dubitavit; ita enim illum versum legit : *Intrate stabulis Sylvestri ad præsepe Pastoris.* Confer Barthii Adversar. LIII, 5.

(1) Honor. Augustod., *de Scriptor. eccl.*, l. II, c. 15.

(2) Commod., *Instruct.* LXXX.

(3) *Gazæum* se vocat, non ab urbe aliqua, *Gaza* dicta ; sed a gazo, seu Ecclesiæ thesauro, ut a commodo Commodianus dicebatur. Hoc nomen erat gentilium; illud, christianus jam factus sibi indidit ; idque non alia forsan ratione, quam quod post conversionem pauper factus, ex communi Ecclesiæ ærario nutriretur. Unde et *mendicum Christi* se nominat. Cav., *Hist. litterar.*, tom. I, pag. 136 et 237.

(4) Dodwell., *dissertat. de Ætat. Commod.*, § 9.

(5) Rigalt., *præfat.* ad Commod.

(6) Caveus, loco cit.

(7) Ego similiter erravi tempore multo
Fama prosequendo : parentibus insiciis ipsis
Abstuli me tandem inde, legendo de lege.
(Commod. in *Præfat.*, v. 4 — 6.)

(8) Commod. *instruct.* XXXIII, v. 491, et *instruct.* XXXVI, v. 374 :

Gens et ego sui perversa mente moratus, ...

(1) Commod. in *Præfat.*, Versus 4 — 6.

(2) Rigalt., *Præfat.* in Commodianum.

(3) Dupin., *Bibl. des Auteurs*, tom. I, p. 326 et 328, in Not. edit. Colon. latinæ.

(4) Ceillier., *Hist. Général.*, tom. IV, cap. 6, p 179.

(5) Dodwell., *Dissert. de Commodiani ætate*, Oxonii, 1698, in-8°.

(6) Sebast. Pauli, *Dissert. de Poesi SS. PP.* p. 180.

insinuasse Gennadius videatur, Commodianum alicubi sectatum fuisse, quæ Papias primum, deinde Tertullianus, ac postea Lactantius minus recte tradiderunt.

Rigaltii sententia minus probatur. — Utcumque sit, Rigaltius Gennadii auctoritate, uti videtur, permotus, ejusque verba de Commodiani ætate accipiens; eam præterea ex ipsius auctoris instructionibus confirmare aggressus est (1): ratus nimirum temporis notationem sibi fuisse detectam qua illum Sylvestro romano pontifici, atque adeo Constantino Magno coævum statueret. In quam quidem rigaltianam sententiam tantum non omnes eruditi deinceps concessere.

Dodwelliana potior videtur. — Verum Henricus Dodwellus in antiquitatis indagatione rimator acerrimus, postquam veræ lectioni, Sirmondo tamen præeunte, Commodiani locum restituisset, a Rigaltio sollicitatum, quo suæ causæ præsidium quæreret; integrum deinde perlustrans opusculum, sævientibus adhuc Ecclesiæ persecutionibus illud fuisse conscriptum perspexit; adeoque Commodianum Cypriano potius, quam Sylvestro extitisse propriorem edocuit. Et viri quidem Critici pleraque argumenta sunt ejusmodi, quæ ad assensum extorquendum plurimum valere videantur: eaque strictim saltem in medium proferre animus est, cum plurimis haud præsto sit dissertatio *de Commodiani ætate*, quam V. C. Annalibus Velleianis, Quintilianeis, et Statianis subjecit Oxonii, 1698, in-8°.

Dodwelli sententia summatim a Caveo exposita. — Dodwelli sententiam summatim exponit perdoctus Caveus ita disserens (2): « Notandum igitur 1° Commodianum *ducentos* tantum a Christo annos numerare. Instruct. VI, vers. 2, gentiles ita alloquitur:

> Et si parvulitas sic sensit, cur annis ducentis
> Fuistis infantes? numquid et semper eritis?

Fatendum est, ducentos hoc loco annos non stricte esse intelligendos, quasi non fuerint paulo plures. Veres enim nondum adinventa accurata æræ christianæ Epocha, annos a Christo nato ad suam usque ætatem computantes, numero plerumque rotundo loqui solent, et in fine seculi proxime elapsi subsistere, resecto, plus minusque fuerit, quod excurrit, tempore. Quandoque et ita se explicat Arnobius, lib. I, pag. 9: *Trecenti sunt anni ferme, minus vel plus aliquid, ex quo cœpimus esse christiani.* Nec aliter olim Ennius, *septingenti sunt, paulo plus aut minus, anni.* Verum hoc numquam ab iis factum est, ubi qui supra numerum excurrunt anni, integrum istius sæculi spatium occupant; multo minus, ubi alterum etiam comprehendunt. Etiamsi igitur nondum exacto sæculo tertio, ducentos annos dicere potuit Commodianus, tamen ultra labentem currentis sæculi partem, nulla ratione extendi queunt. Invicto plane argumento, nulloque sophismate eludendo, auctorem nostrum intra tertii sæculi limites esse coercendum.

« Scripsit Commodianus vel pace vixdum plene reddita, vel persecutione mox expectanda. Hinc *pacem subdolam* vocat, Instruct. LXV; et persecutionem instare dicit: *agonia summe propinqua*, Instruct. LIII, v. 10. Fideles monet, ut martyribus assistant, seu, ut ipsius verbo utar, *admartyrizent*, Instruct. LVIII, v. 19, ubi etiam describit *pugnam cum tristitia*, et *palmam*, quæ *victoriæ* donatur, Instruct. LXII. Agit de iis, qui martyrium affectare præ se ferebant, Instruct. LX, v. 1: *Pastor si confessus* fuerit, id est, interpretante Rigaltio, si de nomine interrogatus, clare et constanter responderit, Sum Christianus; si thus aceræ profanorum imponere jussus, fortiter abnuendo clamaverit, non facio, *geminavit agonem*. Et, ne plura congeram, Cæsarem *Tyrannum* vocat Instr. XXIII, v. 14. Hæc aliaque plura sæculo tertio optime congruunt, quando cessante persecutione Deciana, pacem sub Gallieno redditam, infirmam quidem, et instabilem, persecutio sub Aureliano mox interrupit; Sylvestri vero temporibus convenire nequeunt. Constantino enim rerum in Occidente potito, quieta ac tranquilla erant omnia; nullus a gentilibus persecutionis metus. Vivebant Christiani sub ejus patrocinio tuti, legibus muniti, privilegiis ornati, divitiis et dignitatibus aucti, magistratus ubique, imperatoris exemplo, propitios et benevolos experti.

« Tota scribendi ratio ævi Cypriani ingenium, mores, et disciplinam imitatur. Iisdem pene cum Tertulliano et Cypriano loquendi modis non raro utitur, ut ubique observat Rigaltius. Novati schisma carpere videtur, Instruct. XLII. Reprehendit eos, Instruct. LXI, qui dum fratres *adversante mundo*, sub armis laborarent, ipsi *farti opibus, nec pugnarent, nec pugnanti se sisterent*, et cum viderent fratrem causa schismatis abstentum, optabant nihilominus in castris pacem, indulgentiam nempe lapsis dandam, antequam pax Ecclesiæ redderetur. Instruct. LVII, disciplinam non esse nimia indulgentia laxandam contendit. Instruct. LII, duo desertorum genera constituit: *Est alius nequam*, qui scilicet sacrificat idolo; *alius in parte recedit*, qui præsidi offert libellum, concussori pecuniam, ne in Capitolium sacrificaturus pertrahatur. Respicit, inquit Rigaltius, *thurificatos*, et *libellaticos*; et hi quidem posteriores vix alio, quam ævo Cyprianico, memorantur. Infinitus essem, si omnia recenserem, quæ de pœnitentibus, de martyrii zelo, de fuga in persecutione, de schismaticorum studiis, de pompa funerum, de filiis sub persecutione defunctis non lugendis, de Judæis, etc., cum Cypriano communia habet.

« Nulla, ne quidem levissima in toto hoc libello victoriæ a Constantino, de Maxentio nuper reportatæ, nulla signi crucis in cœlo miraculose apparentis, nulla gloriæ et felicitatis Constantini, vel immunitatum Ecclesiæ concessarum mentio, quod tamen ab homine immenso suæ religionis zelo flagrante, merito expectari poterat. Argumentum fateor negati-

(1) Rigalt., ad *Instruct.* XXXIII, vers. 494.
(2) Cave, *Hist. litterar.*, pag. 137, edit. Oxon. secundæ, 1740.

vum, sed quod non levem, apud æquos rerum æstimatores, vim atque auctoritatem habet.

« Illis ita expositis, restat, ut communem de tempore Sylvestri papæ sententiam breviter excutiamus. Ejus unica quidem basis et fundamentum est ipsius Commodiani locus, prout in editis habetur Instruct. xxxiii, v. 5, ubi gentiles ad Ecclesiam invitat:

Intrate stabulis sylvestri ad præsepe pastoris.

Verum hæc non sunt ipsius Commodiani, sed ingenii potius Rigaltiani commentum, et longe aliud respicere videntur. In codice Sirmondiano, ex quo descripsit Rigaltius, verba, ipsomet fatente, ita se habent:

Intrate stabulis sylvestri ad præsepia tauri.

Alloquitur gentiles nempe, tamquam belluinis animis, moribusque præditos. Hinc versu præcedenti, *corda fera et exasperata;* Instruct. xxxv. v. 1, *Indomita cervis*; v. 5, *Noli pecus esse ferinum*; v, 17, *Quasi bestius errans*. Hos igitur, instar taurorum, in sylvis campisque palantes invitat, ut Ecclesiæ stabula intrarent, ut ad Christi præsepe accederent; ubi, ut verbis proxime sequentibus loquitur, *latronibus tuti sub regia tecta manerent*. Non dubito igitur, quin cum cl. Dodwello levi mutatione legendum sit: *Intrate stabula Sylvestris ad præsepia tauri*: *Sylvestris* plurali numero pro Sylvestreis; utroque enim modo scribebant veteres. » — Hæc hactenus, et forsan plus satis ex doctissimo Caveo. Hic solummodo adhuc observo, quod Sirmondus legit: *Intrate stabiles vestra ad præsepia tauri*. In apographo autem erat: *Intrate stabilis Sylvestri ad præsepia tauri*. Tandem observo, quod cl. Schrœckhius in historia christiana parte iv, pag. 489 et cl. Oelrichs (1) sententiæ dodwellianæ accedant.

ARTICULUS II.
De libello quem Commodianus composuit.

Opusculi divisio et scopus. — Opusculum Commodiani *instructiones adversus gentium Deos* inscriptum, octoginta (2) universim complectitur capita: quorum priora sex et triginta ad homines potissimum diriguntur a christiana religione alienos; quibus vanitate impiorum numinum demonstrata, eos ad suscipiendam Christi religionem hortatur; quæ autem sequuntur usque ad quadragesimum quartum, Judæos respiciunt, quos auctor ad christiani nominis societatem graviter invitat; ubi simul de antichristo, de judicio et resurrectione verba facit: reliqua vero ad erudiendos præcipue catechumenos, Deique religiosos cultores, et singillatim ad pœnitentes pertinent; ne obliti scilicet christianorum officiorum ad sæcularia redeant.

Stylus auctoris. — Scripsit Commodianus *mediocri sermone, quasi versu*, inquit Gennadius. Nimirum Rigaltio interprete (1): « Versibus faciendis nec leges nec modulos servat: major ubique acrostichidis ratio, quam metri. Acrostichides vero sunt ex cujusque pœmatii titulis constructæ, sic adsignata cuique versui littera, ut a primo cujusque pœmatii versu totus deinceps poematii titulus per litteras versuum primas decurrat. » Alicubi tamen deficit hæc norma, ut anis locis animadversum est a viris eruditis (2). Versus autem Commodiani ita sunt comparati, ut numerus Hexametri carminis utrumque servetur, neglecta syllabarum quantitate, sicut in psalmo trochaico S. Augustini contra partem Donati, qui ejus scriptis contra Donatum, tom. ix operum præmittitur: vel sicut in aliis apud illustrem Scipionem Maffeium dissert. (subjecta ejus historiæ diplomaticæ) *Sopra i versi ritmici*, pag. 186, seqq. et in hexametris codici latino-biblico præmissis circa annum Christi 750, a Gregorio cardinali apud Justum Fontaninum, in appendice ad discum argenteum votivum, pag. 86, vel ut in carminibus politicis recentis Græciæ solet fieri, vel quale carmen hexametron græcum ex psalterio Ms. murbacensi edidit celeberrimus Montfauconius in Palæographia Græca, pag. 220.

Ad rationem autem scribendi quod attinet, durior illa quidem, quia et insolentes in Latio voces passim adhibitæ: sed vicissim græcæ ac latinæ antiquitatis scita non vulgaria interserit auctor, ut viris doctis observatum.

Operis pretium, et censura.—Cæterum in hoc ecclesiasticæ vetustatis monumento spectatur imprimis antiqua pietas: ejus enim Auctor ubique se prodit virum bonum, vere christianum, ab omni gloriæ sæcularis fastu alienum, et charitatis, quæ proprie christianum decet, cultorem egregium. At illud non est dissimulandum, nævis aliquot inspersum esse libellum, quos cum nonnullis vetustiorum Patrum communes habet Commodianus: cujusmodi sunt, quæ narrantur de Angelis desertoribus, unde nati gigantes (3); de chiliasmo, de anastasi prima, de felicitate terrena, etc. (4): quæ quidem in causa fuisse videntur, cur opusculum inter Gelasii apocrypha recenseretur: quemadmodum in eumdem censum referuntur item ob suos nævos Clemens Alexandrinus, Arnobius, Lactantius, Sulpicius Severus, aliique præstantissimi Auctores. Verum haud ita est accipienda Gelasii censura, ut ejusmodi vestutiorum scriptorum opera prorsus rejicienda existimentur; perinde ac si ea summus ille pontifex *ab Ecclesia omnino proscribat*, inquit magnus Baronius (5), sed ut publica in Ecclesia lectione priventur. Qua de re nos alibi ex cl. Fontaninio (6) plura observasse meminimus, scribit

(1) Male ad sæculum quartum rejicitur Commodianus. Oelrichs, *Commentarii de Scriptor. Eccles. latin. priorum sex sæculor*, pag. 44.

(2) Schurtzfleisch., *præfat.* ad Commodianum.

(1) Rigalt., loc. cit.

(2) In ultimo capite acrostichis non ut in aliis a primo ad ultimum, sed a postremo ad primum versum legenda refert verba: *Commodianus mendicus Christi*.

(3) Commodian., *Instruct.* iii.

(4) Id., *Instruct.* xviii, xliv.

(5) Baron., ad ann. 31, § 60.

(6) Fontanin., *Hist. Aquilej. litterat.*, lib. v, cap. 11, § 8, pag. 354.

perdoctus Gallandius (1), ex quo hæc deprompsimus.

Judicium cl. Dupinii de stylo, Auctoris charactere, operisque pretio. — A censura Gallandii non multum abludit perdocti Dupinii (2) de Commodiano, ejusque libello crisis. Stilus ejus, inquit hic, est durus, verba barbara, et cogitationes demissæ. Auctor videtur fuisse bonus, simplex, humilis, beneficus, Christi amore flagrantissimus, ejus religioni addictissimus, moribus austeris, vitio infensissimus, omnia sæculi hujus bona parvi faciens, quique optimus monachus fuisset, sicut observavit Rigaltius. Non erat tamen indoctus, atque imperitus; multa enim erudita, ad scientiam profanam pertinentia, in ejus opere habentur; immo nonnulla inveniuntur de gentilium diis rara, et exquisita. Videtur esse mentis sanæ, acris, et christianis præceptis moralibus instructissimæ.

Operis hujus synopsis seu analysis. — In tres partes dividi potest hoc opusculum. Prima, quæ triginta et sex strophas continet, inscripta est gentilibus, quos ad christianam religionem amplectendam hortatur, postquam deos, quos adorant, fictitios esse demonstravit. Secunda inscripta est Judæis, quos etiam ad fidem christianam amplectendam hortatur, ostendens legem fuisse figurativam. De antichristo, judicio ultimo, et resurrectione disserit. Ultima inscripta est christianis catechumenis, fidelibus et pœnitentibus, quibus præcepta moralia optima dat; a stropha quadragesima sexta incipit.

Apud hunc auctorem veterum errores plerique inveniuntur. Docet dæmones esse angelos mulierum amore corruptos, ex quorum cum illis commercio gigantes nati sunt; mundum post sex mille annos finitum iri; Neronem esse antichristum, duplicem fore resurrectionem : resurrectionem bonorum ante mille annorum regnum; et resurrectionem illam generalem, quæ in ultimo judicio fiet : post priorem resurrectionem bonos mille annos in terra mansuros; posteaque omnes homines judicandos, malos in ignem præcipitandos, et totam naturæ faciem mutandam.

Præcepta ejus moralia eximia sunt. Catechumenis commendat, ut vitam peccati expertem agant; pœnitentibus, dies noctesque orent, vitamque severissime exigant, ad delicti veniam impetrandam. Hortatur fideles, malum vitent, odiumque deponant, affirmans martyrium illis non profuturum, si fratres odio haberent. Apostatis peccati sui enormitatem exhibet. Monet omnes christianos, ut cum Christi milites sint, adversus affectus suos continuo dimicent. Spectaculis profanis adesse prohibet. Mulieribus christianis commendat, ut sint modestæ, luxum fugiant, et vestium magnificentiam. Optima præcepta dat pastoribus, et presbyteris, ut ministerio suo rite fungantur, vitam agant inculpatam, et avaritiæ expertem; imprimis autem pauperibus succurrant; divitibus, ait, ne propter divitias suas mente elatiores fiant, sed eas egenis impertiantur, illos juvent, ægros invisant, ac indigentes nutriant. Filiorum et cognatorum mortem non esse complorandam dicit. Funebres pompas et funera splendida damnat. Eos acriter reprehendit, qui in templo silentium non observant. « Dixit Domini sacerdos, » inquit (1), « Corda ad Deum tollite; respondetis vos ea ad illum habere, et mox a promisso disceditis. Deum orat pro plebe, interea fabulas inter vos vicissim narratis, ridetis, alienæ famæ obtrectatis, sermones inconsideratos seritis, quasi abesset Deus, qui omnia fecit, videt et audit. » Deum precantibus ait cor suum purificent, priusquam ad preces se conferant. Uno verbo, harum instructionum pars ultima eximias continet cohortationes, quibus Christiani virtutem sectentur, et vitium fugiant, et commonitiones adversus mores Christianorum depravatos, et illius sæculi flagitia sæculi nostri fere similia. Hactenus perdoctus Dupinius.

ARTICULUS III.

De Commodiani editionibus.

De editione Rigaltiana.— Hic tractatus Commodiani diu latuit in tenebris, et primum in lucem productus est elapso sæculo, cum Pater Sirmondus eum de antiquo manuscripto exscripsisset (2). Rigaltius hoc exemplum anno 1649, vel potius anno 1650, typis excudi jussit. Quantum vero curæ atque laboris Rigaltius Commodiano impenderit, ipsemet his verbis declarat : « Libelli vetus exemplar, » inquit (3), « apographum habui tantum ab eximio viro Jacobo Sirmondo; sed fœdis ubique fere mendis corruptum. Veterem scripturam, vel ipse Sirmondus habet, vel unde haberi queat, scire non diffitetur. Ego quidem valde assentior existimantibus, futilem esse, atque fallacem, immo plerumque in hac litterarum parte perniciosam conjectandi licentiam : sed ex istius libelli apographis constat, manum illam antiquam fuisse jam pridem depravatissimam. Itaque quod fieri solet in desperatis, libuit in isto misello Commodiano (non tamquam in ea re; nam esse pretii duco non minimi christianum, quem inter illustres censuit Gennadius) periculum facere, si qua posset industria libellus scriptoris antiquissimi editione nostra reformari ac restaurari.— Cæterum, qualiscumque iste Commodianus esse videbitur, ab Gennadio primum, inde ab Gelasio citatus; hoc tandem sæculo in Sirmondi manibus apparuit squallidus,

(1) Galland., *Bibl. vet. PP.*, tom. III, Prolegom, cap. 18, n. 2, pag. XLVIII.

(2) Dupin., *Bibl. Auctor.*, tom. I, pag. 327, edit latin. Colon.

(1) Commodian., *Instruct.* LXXVI : *Sacerdos Domini cum sursum corda præcepit*, in prece fienda, ut fiant silentia vestra, limpide respondes, nec temperas quoque promissis. Exorat ille Altissimum pro plebe devota, ne pereat aliquis, et tu te in fabulas vertis; tu subrides ibi, aut detrahis proximi famæ, indisciplinate loqueris, quasi sit Deus absens, omnia, qui fecit, nec audiat, neque cernat.

(2) Meminit ejus adhuc inediti apographi, et duo loca emendat Gilbertus Gaulminus ad Eustathium de Ismeniæ, et Ismenes amoribus, pag. 17 et seq.

(3) Nicol. Rigalt. *Præfat.* in Commodianum.

tamquam ex vinculis ac diutino apud Barbaros situ, A vindicias poscens. Nec vindicem sane alium optare potuit præstantiorem Sirmondo. Nam exinde ostensus et communicatus amicis, benigne excipi ac foveri cœpit. Neque ipsum hac editione sperare aliud velim, quam ut oblatus iterum Sirmondo, plena demum ac juxta apud eum manumissione prodeat, liberali schemate tersus ac nitidus. Interea vero dum id properatur, magnæ auctoritatis manumissorem exoratum cupio; ac, pro viri benignitate, confido fore, bonas ut in partes accipiat, horas aliquot a me impensas homini christianæ pietatis ac disciplinæ sanciendæ studiosissimo : nimirum ut appareat hodie Cypriano, sicut Minucius nuper adstitit Tertulliano : et jam uterque doctor suo gaudeat sequaci : uterque item minister suo serviat magistro, sive sacerdoti. B Sæculum iste suum malis moribus inquinatissimum castigat, acer ubique et horridus monitor : quasi prophetico furore carminum sonos fundit, negligens ordinis, negligens elegantiarum, asyndeta vel anacoluta passim, ut tamen existat in ipso neglectu cura et facultas, et vis aliqua dicendi. — Observationibus meis hoc præsertim studui, de scriptoribus ævo Commodiani proximis apponere, quod obscuris daret lucem. Conjecturas proposui, quales absque exemplaribus antiquis præstare nemo debeat; quibus tamen uti minime pudeat, quamdiu non contradicent exemplaria. » Hucusque Rigaltius.

Recensio editionum hujus libelli. — Primus itaque Commodianum e Jacobi Sirmondi apographo admodum mendoso edidit Nicolaus Rigaltius, Tulli Leucorum apud S. Belgrand et J. Laurentium typographos regios, anno 1650, in-4° (1), additis notis eruditis. Deinde subjectus est ad calcem Cypriani, C Minucii, Arnobii, et Julii Firmici, qui ejusdem Rigaltii et Philippi Priorii cura illustrati prodierunt, Parisiis, 1666, in-fol. Deinde omissis Rigaltii notis, tom. XXVII *Bibliothecæ Patrum*, Lugduni, 1677, in-fol. Ab eo tempore cum Rigaltii animadversionibus, Dodwellique dissertatione, et præfatione D. Henrici Leonardi Schurtzfleischii recusus est Wittebergæ, 1705, in-4°. Supplementum notarum in illum scriptorem ex Ezech. Spanhemii Bibl. cum laudati Schurtzfleischii Glossario et indice separatim excusum est Wittebergæ, 1709, in 4°. Posteriori suæ Minucii Felicis editioni Commodianum quoque notis suis et D Rigaltii illustratum subjunxit vir clarissimus Joannes Davisius Cantabrigiæ, 1711, in-8°. Eumdem scriptorem exhibet etiam poetarum latinorum collectio pisaurensis, tom. VI, anno 1756. Postremo Venetiis, anno 1767, in *Bibliotheca vet. PP.* tom. III, a pag. 621—653, recusus habetur Commodianus : suam autem Gallandius expressit editionem ad normam posterioris Rigaltianæ *Parisiensis*, ejusdem notis, cum davisianis observationibus textui suppositis, propriisque subinde animadversionibus adjectis. Gallandii editionem secutus est cl. P. Dominicus Schramm Banthensis Benedictinus in analysii SS. Patrum, tom. VI, Augustæ Vindelicorum 1784, a pag. 483—518. Ex manuscripto codice S. Albini Andegavensis loca quædam Commodiani emendavit Baluzius ad Cyprianum, pag. 454, 455, 458. Claudit recensionem opusculi hujus Caveus (1) optimis hisce Rigaltii verbis : « Usus et efficacia libelli hujusce fuerit constans et perpetuus amor Christi; animus ad martyrium fortis; pietas erga pauperes maxima. Hoc prætererea scire vitia, quæ etiamnum Ecclesiam dehonestant, esse vetustissima : infinitam semper fuisse de rebus divinis disputantium multitudinem, paucissimos vero Christianos. »

ARTICULUS IV

De Antonio Carminis adversus gentes auctore.

Carmen adversus gentes Commodiano subjectum; perperam Paulino Nolano attributum. — Commodiano adnectitur ob argumenti affinitatem a perdocto Gallandio *Carmen ad gentes*, quod sub nomine sancti *Paulini Nolani* superiore sæculo desinente, in lucem extulit Ludovicus Muratorius. At carmen hoc Paulinum auctorem non agnoscere, sed alium nomine *Antonium*, ex ethnica superstitione ad Christi fidem conversum, primus recte observavit Joannes Lironius Benedictinus in opere anno 1717 Parisiis edito et gallice inscripto : *Les Aménités de la critique, ou dissertations et remarques nouvelles sur divers points de l'antiquité ecclésiastique et profane :* de quo præter Auctorem Bibliothecæ historicæ et criticæ scriptorum congregationis S. Mauri (2) videsis Diarium eruditorum Parisiense (3).

Quis fuerit Antonius ille disquiritur. — Quis porro fuerit Antonius ille carminis auctor, haud equidem assequi valeo. Si græce scripsisset, facile fortasse inter Græcos occurreret, cui carmen referretur acceptum. Sed requirendus Auctor inter Latinos.

Fabricii conjectura de Antonio Fussalensi rejecta.— Et Fabricius quidem a tergo inscriptionis sui delectus argumentorum Hamburgi evulgati anno 1725 carmen, de quo agimus, cuidam Antonio Fussalensi adscribit, nulla reddita ratione cur demum ita censeat. Quodsi vero Antonium illum Fussalensem respexerit, cujus meminit sanctus Augustinus (4), a vero longe aberrasset vir eruditus. Nostrum enim Antonium priusquam Christo nomen daret, impio falsorum numinum cultui fuisse addictum, variis ex locis compertum habemus. Et primum quidem statim ab initio ait (*Carmen, vers.* 1) :

Discussi, fateor, sectas Antonius omnes.

(1) Clarissimus Remigius Ceillierius, tom. IV *Hist. Général.*, cap. 6, pag. 181, notat editionem Commodiani parisiensem de anno 1648, et Gallandius editionem Tulli Leucorum, 1649.

(1) Caveus, *Hist. litt.*, t. I, ad ann. 270, p. 138.

(2) *Bibl. Histor. crit. des Auteurs de la Congrégation de St-Maur*, pag. 201.

(3) *Journal des Savants*, ann. 1717, juin, pag. 654 et suiv.

(4) Augustin. *epist.* 209, al. 261, n. 3, et seqq. opp. tom. II, pag. 777, edit. BB.

Deinde pluribus interjectis, postquam deorum fabulas retulisset, subdit (*Ibid., vers.* 151-154) :

Hæc ego cuncta prius, clarum cum lumen adeptus,
Neque diu incertum, et tot tempestatibus actum.
Sancta salutari suscepit Ecclesia portu,
Postque vagos fluctus tranquilla sede locavit.

Et mox (*ibid., vers.* 161, 162) :

Ut modo qui nobis errorem mentis ademit,
Hic meliore via paradisi lumina pandat.

Verum Augustinianus Antonius episcopus fussalensis, catholicis parentibus ortus fuisse perhibetur. Sic enim de eo sanctus pater (1).

« Fussala (2), dicitur hipponensi territorio confine castellum : antea ibi numquam episcopus fuit. Obtuli non petentibus quemdam Antonium, qui mecum tunc erat, in monasterio quidem a nobis parvula ætate nutritum. »

Quo jure auctor existimatur Antonius Hieronymianus? — In aliam porro sententiam abierunt Historiæ litterariæ gallicæ scriptores clarissimi e congregatione S. Mauri, alium adferentes Antonium, cujus mentio fit in Epistolis hieronymianis (1). At eorum etiam opinatio mera conjectura est, non innixa ulli fundamento.

Quæ in eo recudendo a Gallandio cura exhibita? — Exegit Gallandius Carminis antoniani editionem ad exemplum posterioris muratorianæ de anno 1736, typis Veronæ, cum notis ejusdem Muratorii, quibus præterea intexuit observationes eruditas, quas ad idem Antonii Carmen illustrandum publici juris fecerat Cornelius Vonckius (*Vonck., Specim. critic., pag.* 1-10, *edit. Traject. ad Rhen.*, 1744). Neque illa prætermittenda Gallandius putavit, quæ in recensione *Speciminis critici* Vonckiani fuerunt ab Anonymo in Actis eruditorum lipsiensibus (*Act. erud., Lips.*, 1746, pag. 215 et seqq.) animadversa.

(1) Augustin. Epist. 209, al. 261, n. 3 et seq. opp. tom. II. p. 777, edit. BB.
(2) Augustin., loc. cit., n. 2, 3.

(1) *Hist. littér. de la France*, tom. II, pag. 193.

COMMODIANI

INSTRUCTIONES

ADVERSUS GENTIUM DEOS

PRO CHRISTIANA DISCIPLINA : PER LITTERAS VERSUUM PRIMAS.

I. — PRÆFATIO.

Præfatio nostra viam erranti demonstrat;
Respectumque bonum, cum venerit sæculi meta ;
Æternum fieri: quod discredunt inscia corda:
Ego similiter erravi tempore multo,
Fana prosequendo, parentibus insciis ipsis.
Abstuli me tandem inde, legendo de Lege.
Testificor Dominum ; doleo: pro civica turba !
Inscia quod perdit, pergens deos quærere vanos.
Ob ea perdoctus, ignaros instruo verum.

COMMENTARIUS.

PER LITTERAS VERSUUM PRIMAS. Eugenius episcopus Toletanus cujus opuscula Jacobus Sirmondus edidit, epitaphia duo scripsit per litteras versuum primas et ultimas. GALLAND.

Respectumque bonum. Septuaginta interpretes *Respectum*, dicunt ἐπισκοπὴν *visitationem*; divinæ scilicet gratiæ aut ultionis; benedictionis in vitam æternam; maledictionis in gehennam. Bonum respectum pollicetur Sapientia Salomonis justis et sanctis, cap. 3. *Et in tempore erit respectus illorum :* Καὶ ἐν καίρῳ ἐπισκόπης αὐτῶν ἐκλαμψοῦσι. RIG.

Legendo de lege. Legem hic et alibi passim appellat libros utriusque testamenti. RIG. — Ita quoque Minucius in *Etav.* cap. VII. *Specta de libris.* Ad quem locum observat Davisius, hanc loquendi rationem scriptoribus Africanis, et præsertim Tertulliano, esse familiarem. Sic ipsemet Commodianus infra Instr. XLVII. v. 745.

Fideles admoneo fratres de odio tollant.

DAVIS.

Doleo pro civica turba! Inscia quod perdit. Magis placet interpunctio quam exhibet Dodwellus in *Dissert. de Commodiani ætat.* § IX.

Doleo pro civica turba.

Dolet nimirum, inquit, pro suæ conditionis hominibus, erroris antiqui sociis. Sic Instr. XXII, v. 277.

Heu doleo, cives, sic vos hebetari de mundo.

Neque aliter Davisius, qui mox pro *perdit* rectius *Perit* legendum censet. DAVIS.

Ignaros instruo verum. Atque hinc titulus operi, *Instructiones*, christianæ videlicet pietatis. Habemus etiam sub eodem *Instructionum* titulo, Eucherii episcopi Lugdunensis duos ad Salonium libros, sæculo Theodosii junioris. RIG.

II. — INDIGNATIO DEI.

In lege præcepit Dominus cœli terræ marisque :
Nolite, inquit, adorare deos inanes,
De manibus vestris factos ex ligno vel auro ;
Indignatio mea nevos disperdat ob ista.
Gens ante Mosen rudis, sine lege morata,
Nesciensque Deum, morientes deos orabant,
Ad quorum effigies faciebant idola vana.
Translatis Judæis Dominus de terra Ægypti,
Imposuit legem postmodum, et ista præcepit
Omnipotens, sibi soli deservire, non illis.
De resurrectione quoque docetur in ipsa,
Et spe, fortunatum rursum in ævo vivendi,
Idola si vana relinquantur, neque colantur.

III. — CULTURA DÆMONUM.

Cum Deus omnipotens, exornaret mundi naturam,
Visitari voluit terram ab Angelis istam,
Legitima cujus spreverunt illi dimissi :
Tanta fuit forma feminarum quæ flecteret illos,
A Ut coinquinati non possent cœlo redire.
Rebelles ex illo contra Deum verba misere.
Altissimus inde sententiam misit in illos;
De semine quorum gigantes nati feruntur.
Ab ipsis in terra artes prolatæ fuerunt;
Et tingere lanas docuerunt, et quæcumque geruntur.
Mortales et illis mortuis simulacra ponebant.
Omnipotens autem, quod essent de semine pravo,
Non censuit illos recipi defunctos e morte.
Unde modo vagi subvertunt corpora multa :
Maxime quos hodie colitis deos et oratis.

IV. — SATURNUS.

Saturnusque senex ; si deus, quando senescit?
B Aut si deus erat, cur natos ille vorabat
Terroribus actus? sed quia deus non erat ille
Viscera natorum rabie monstrosa sumebat.
Rex fuit in terris, in monte natus Olympo ;
Nec divinus erat, sed deum sese dicebat.
Venit inops animi lapidem pro filio sorpsit.
Sic deus evasit : dicitur modo Juppiter ille.

COMMENTARIUS.

Morientes deos orabant, Baluzius in notis ad Cyprianum *de idolor. vanit.* ex codice ms. S. Albini Andegavensis legit *defunctos deos* orabant. Quæ quidem lectio confirmari videtur ex instr. XX, v. 262. *Adoratis enim stulti malo leto defunctos.*

De resurrectione quoque docetur. In lege Domini docetur de resurrectione corporum : docetur etiam de spe vitæ rursum vivendæ in ævo. Atque hinc jam auctor incipit dogma suum Millenariæ felicitatis adstruere. RIG. —*De resurrectione docetur in ipsa.* Lege. Opinoni suæ stabiliendæ nonnulla quidem Geneseos C loca torquebant Chiliastæ ; sed quibusdam etiam prophetarum ῥήσεσιν et Apocalypsi Joannis præcipue nitebantur. Vide Justini M. Dialogum cum Triphone, p. 239 ; Irenæum, l. V, capp. XXX et seqq., et Tertullianum contra Marcion., l. III, c. 24. DAVIS.

Et spe fortunatum. Tertullianus in hanc sententiam librum scripserat. *De spe fidelium :* et hunc librum habuit olim in suo Tertulliani codice Agobardus episcopus Lugdunensis, sicut indiciœ declaratur, exemplaris antiqui quod in bibliotheca regia servatur. RIG.

Rursum in ævo vivendi. In ævo, in orbe terræ, in hoc mundo. RIG.

CULTURA DÆMONUM. Quæ narrantur hæc Instructione de Angelis apostatis sive desertoribus, unde nati gigantes, ac de gigantibus dæmones auctores simulacrorum et idolatriæ, peculiaria fere sunt Comodiano. Etsi nolim insitiari, quæ sunt hac de re a veteribus Christianis tradita, originem traxisse de libro Enoch D apocrypho ; unde aliquid tamen Paulus ipse citavit. Sed tam varia super hisce ac diversa quisque commentus est, et sic omnes ab auctore suo, et aba se invicem, dissentiunt, ut quid traditionis instar poni oporteat, valde sit incertum ; præter hoc unum : valde esse temerarium mortali, de rebus divinis aliquid asserere, ultra quod est ab ipso domino nostro proditum. RIG.

Cum Deus omnipotens exornaret mundi naturam. κόσμον κοσμήσας, stellis angelis. κόσμον. Græci nomine ornamenti appellavere : eum et nos a perfecta absolutaque elegantia, *Mundum* Plinius initio libri secundi. RIG. — *Mundi naturam.* Ipsum mundum. Infra instruct. VII, v. 89, § 2.

Visitari voluit terram ab Angelis. Moses non dixit angelos, sed filios Dei, de quibus observavimus aliquid ad instruct. XXXVI. RIG.

Legitima cujus spreverunt. Mandata, leges.

Tanta fuit forma feminarum. Justinus, Athenagoras, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Sulpicius, Severus et alii, consimilia tradiderunt ex ille apocrypho Enoch : cujus verba ipsa Jos. Scaliger edidit notis ad Græca Eusebianæ chronologiæ, ubi de Egregoris. RIG.— Ex male intellecto Geneseos, cap. VI, 2, nata est hæc sententia. Josephus, *Antiq. Jud.*, l. I, c. III, num. 1 : Πόλλοι γὰρ ἄγγελοι θεοῦ γυναιξὶ συμιγέντες, ὑβριστὰς ἐγέννησαν παῖδας. Sic item auctor *Testament. Patriarch.* in Testam. Rubenis c. V. Aliorum scriptorum locos indicavit Pamelius ad Tertulliani Paradox. I. DAVIS.

Cœlo redire. In cœlum. VIRGILIUS, *Æneid.* XI, 191.

It cœlo clamor, virumque clangorque tubarum.

Sic *cœlo receptus* apud Phædrum, l. IV. Fab. XI, 3. Vid. Thom. Munckerum ad Hygini Fab. XV. DAVIS.

Ab ipsis in terra artes. Hanc opinionem ex pseudenocho sumpserunt veteres. Tertullianus *de Cultu femin.*, l. I, c. 2, hanc in rem plura suppeditabit. Vide et l. II, c. 10. DAVIS.

Non censuit illos recipi. Lactantius, l. II, c. XVI. « Tum in cœlum ob peccata quibus se immerserant, non recepti, ceciderunt in terram. » RIG.

Subvertunt corpora multa. Quod fieri creditur in caducariis, epilepticis. August., l. de Beata vita, p. 215 : Isti homines caducarii sunt : quo nomine vulgo apud nos vocantur, quos comitialis morbus subvertit. Observavimus ad illud Tertulliani ad Scapulam, *cum a dæmone præcipitaretur.* ID.

Quando senescit. Leg. *quomodo* (vel. *quo modo*) *senescit.* Non enim quærit Commodianus, quo tempore senescat ille qui deus habitus est, Saturnus. DAVISIUS.

Cur natos ille vorabat. Nota est fabula, Saturnum filios suos vorasse quum audisset a filio se regno esse pellendum, et uxorem, nato Jove, lapidem pro infante obtulisse voraci. Servius ad lib. XIII, Æneid. RIGAL.

Lapidem pro filio sorpsit. Et lapidem omnino torminalem. RIG.

V. — JUPPITER.

Juppiter hic natus in insula Breta Saturno,
Ut fuit adultus, patrem de regno privavit.
Proinde nobilium uxores sororesque delusit.
Præterea, sceptra fecerat faber illi Pyracmon.
Initio cælum terram Deus et mare fecit:
Terribilis autem iste, medio tempore natus,
Ex antro processit juvenis, furtimque nutritus.
Respice quod rerum auctor est Deus, non Jovis ille.

VI. — DE FULMINE IPSIUS JOVIS.

Dicitis o fiulti, Jovis tonat: fulminat ipse:
Et si parvulitas sic sensit, cur annis ducentis
Fuistis infantes; numquid et semper eritis?
Versa in maturam infantia, non capit ævum
Lusus: puerilis ætas cessit, sic et corda recedant.
Moribus virilibus consilia vestra debentur.
Insipiens ergo Jovem tonitruare tu credis;
Natus hic in terris lacte caprino nutritur.
Ergo si illum devorasset Saturnus,
In istis temporibus quis pluebat illo defuncto?
Præsertim si mortali patre deus nasci credatur,
Saturnus in terris senuit, et defecit in ipsis.
Illum non aliquis prophetavit prænasci.
Vel si tonat ipse, lex ab ipso lata fuisset.
A Seducunt historiæ per vates confictæ.
Ille autem in Creta regnavit, et ibi defecit.
Omnipotens vobis factus Alcmenes amator;
Vivos ipse modo similiter amaret, si viveret ille,
Impuros oratis, et dicitis esse cœlestes,
Semine mortali natos de gigantibus illis.
Auditis, et legitis natum in terra fuisse;
Unde bene meruit corruptor ascendere cælum?
Dicitur et fulmen cyclopas illi fecisse;
Immortalis enim habuit a mortalibus arma.
Tot rerum criminibus, parricidam quoque suorum,
Ex auctoritate vestra contulistis in altum.

VII. — DE SEPTIZONIO ET STELLIS.

De circulo zonæ fallit vos imperitia vestra,
B Ex eoque forte Jovem experitis orandum.
Saturnus fertur ibi, sed stella; nam ille
Expulsus a Jove, aut Jovis in stella credatur:
Poli qui sidera tractavit, solique sator,
Trojanis qui bellum fecit, Venerem almam amavit,
Ipsis sideribus aut Mars cum ipsa deprensus
Zelo maritali; deus nominatur adulescens.
O nimium stulti, qui putatis Majos ab astris,
Nascentes regere, aut totam mundi naturam!
In vulnera positi, et ipsi sub fata viventes

COMMENTARIUS.

Sceptra fecerat faber illi Pyracmon. Unus e Cyclopibus. Virgilius, *Æneid.* VIII, v. 424:

> Ferrum exercebant magno Cyclopes in antro
> Brontesque, Steropesque et nudus membra Pyracmon.

At aliter Hesiodus. *Theolog.*, v. 140. Cui consonat Apollodorus, *Bibl.*, l. I, c. I, § 2. DAVIS.

Non Jovis ille. Sic instruct. seq.: *Jovis tonat;* et sæpe deinceps usurpavit Jovis in primo casu: quod est etiam ab auctoribus multo etiam antiquioribus factitatum. RIG.

DE FULMINE IPSIUS JOVIS. Hoc tantum in apographo. At in acrostichide addidit Commodianus, *audite*; ridendo scilicet: nam toto poemate docet, Jovem non esse deum, non tonare, non audiri tonantem. RIG.

Et si parvulitas sic sensit. Parvulos intra annum vigesimum quintum dici Cujatius observavit, ad l. 2. *de fundis patrim.* quæ est Constantini, et ad l. 1. *de fugit. col.* quæ est Gratiani. Ea vero intra tempora vixit Commodianus, et sæculi sui sermone usus est; D quo etiam sermone utitur vetus interpres S. Scripturæ. RIG.

Cur annis ducentis. Annos ducentos a Christi sæculo numerat, trecensis adhuc currentibus. RIG.

Versa in maturam infantia. Vetus versio Pauli, I, ad Cor., cap. XIII, 11. *Cum essem parvulus, sapiebam ut parvulus, quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Appollonius apud Philostr., lib. 1, cap. XIII, pag. 23. μειράκιον ὢν ἐζήτησα, νῦν δὲ οὐ χρὴ ζητεῖν, ἀλλὰ διδάσκειν, ἃ εὕρηκα. RIG.

Tonitruare tu credis. Glossæ veteres: *Tonitruum, tonitru*, βροντή. Aliæ mss. βροντή, *Tonitruum*. βροντῶ, *Tonitruo*. βρονταῖος, Tonitruabilis. Legendum *tonitrualis*. Lucret., lib. 1:

> Neve ruant cœli tonitralia templa superne. RIG.

Lacte caprino. Amaltheam alii capram, alii capræ dominam statuunt. Vide sis Ovidii *Fast.* v. 113. Lactantium lib. I. *Divin. Instit.* cap. XXI. et Hyginum Poet. *Astron.* lib. II. cap. XIII. DAVIS.

Ganymedis amatori. In apographo legitur *amo*, et C superscriptum, *medis* Festus. *Catamitum*, *pro Ganymede dixerunt, qui fuit Jovis concubinus.* RIG.

Alcmenes amator. Ita editio Rigaltii paris., an. 1661, quam sequitur witembergensis, an. 1705. At Davisius in sua cantabrigiensi, ann. 1712. *Ganymedis amator.* Insinuante fortasse Rigaltio, qui hanc lectionem in nota expressit.

Et dicitis esse cœlestes. Nam et in cœlum dicitur raptus ab aquila Ganymedes. Videatur opusculum Eusebii, IV, edit. Sirm. pag. 198, 199. RIG.

Lapsus est Rigaltius V. C. Non enim de Ganymede nunc agit Commodianus, sed omnes gentium deos perstringit. DAVIS.

DE SEPTIZONIO. Septizonium dixere et septemzonium, et septizodium, omnem septenarium ordinem. Moles alias aliis superstructas; giganteos contextus. Septizonium Severi. Am. Marcel., XV: *Septizonium operis ambitiosi nymphæum.* Jos. Scaliger Animad. in Euseb., *chron.*, p. 209. GALL.

Expulsus a Jove. In apographo legitur: *Effugit expulsus a Jove.* Abundat verbum *effugit*, itaque dempto, constat versus et acrostichis. *Nam ille expulsus a Jove, aut Jovis in stella credatur.* Jovis, in primo casu, ut Instr. V. — *non Jovis ille.* RIG.

Poli qui sidera tractavit, solique sator. Sic emendandum videtur, ut Jovem derideat, soli conditorem sicut et poli; qui neque solum, neque polum condiderit. GALL.

Venerem almam amavit. Sic emendavimus, quod est in apographo, *avem mortalem amavit.* Mendose: nec ad rem faceret historia Ledæ in cycnum conversæ. At Jovialis in Venerem lascivia plena sunt poetarum figmenta. RIG.

Ipsis sideribus. In ipso cœlo. RIG.

Aut Mars cum ipsa deprensus. Martem notat in Venere deprensum.

Cum ipsa. Venere quæ est in cœlo, et in numero quidem stellarum. Hinc vero firmatur conjectura proxime allata. RIG.

Zelo maritali. Junonigenæ Vulcani. Ovid., IV. *Fast.*

Qui putatis Majos ab astris. In apographo legitur

Obsceni, curiosi, bellatores impiæ vitæ;
Et filios totidem mortales illi fecere;
Terribiles omnes, stulti, septizonio fortes.
Si stellas colitis, colite et bis sena sigilla;
Tum arietem, taurum, geminos, ferumque leonem.
Et denique vadunt in piscibus : eoque, probabis.
Lex sine lege fuga vestra, quod vult esse valebit.
Lasciva vult esse, sine freno vivere quærit.
Ipsi quod vultis eritis, et deos et deas oratis.
Sic ego colui dum erravi, quod modo culpo.

VIII. — DE SOLE ET LUNA.

De sole et luna, licet sint præsentanea nobis,
Erratis, quod ego prius, putatis oranda.
Sunt quidem in astris, sed non sua sponte currunt.
Omnipotens illos, cum conderet omnia primum,
Locavit ibidem cum stellis quarta dierum.
Errorem antiquus quin cum***
Et quidem in lege jussit, ne quis illos adoret.
Tot deos oratis, qui nihil de vita promittunt.
Lex quorum in terra non est, nec ipsi prædicti.
Vos autem seducunt sacerdotes pauci,
Numinis quid dicant aliquid morituri prodesse,
Accedite, legite, et discite verum.

IX. — MERCURIUS.

Mercurius vester fiat cum Saraballo depictus.
Et galeam aut pileum pinnatus, et cætera nudus.
A Rem video miram, deum cum saccello volare.
Currite pauperculi cum gremio quo volat ille,
Ut sacculum effundat; vos extunc estote parati.
Respicite pictum, quoniam vobis sic ab alto
Jactabit nummos; vos tunc saltate securi.
Vane, non insanis? colere deos pictos in axe?
Si vivere nescis, cum bestiis perge morari.

X. — NEPTUNUS.

Neptunum facitis deum ex Saturno pronatum :
Et tridentem gerit, ut pisces suffigere possit.
Patet esse deum cumatilem illo paratu.
Trojanis non ipse cum Apolline muros eduxit?
Unde deus factus inops cæmentarius ille?
Non cyclopem genuit monstrum? non majus et ipse
Vivere non poterat de suo? quod structura gerebat.
B Sic genuit generatus, qui fuit jam mortuus olim.

XI. — APOLLO SORTILEGUS, FALSUS.

Apollinem facitis citharædum atque divinum.
Primum de Maia natus in insula Delo,
Oblata mercede postmodum structor, obsecutus
Laomedonti regi Trojanornm muros eduxit.
Locavitque sese, quem deum seducti putatis :
Ossibus cujus amor Cassandræ flagravit,
Subdole quem lusit virgo, falliturque divinus.
Officio vervecis potuit scire bicordem.

COMMENTARIUS.

marhos; et sic ubique constanter, ubi tamen haud dubie legendum est *Maios*, hoc est Maia genitos, Atlantis filia. RIG.

Obsceni, curiosi. Interdum quidem *curiositas* in vitio ponitur, sed nihil ad rem facit quam tractat Commodianus. *Obsceni, furiosi* legendum omnino. DAVIS.

Et filios totidem mortales. Hoc est consimiliter mortales. RIG.

Et denique vadunt in piscibus. Etenim qui bis sena Zodiaci sigilla complectuntur versiculi vulgares, sic desinunt, — *Caper, amphora, pisces.* Pergit Commodianus ridendo : *Coque probabis.* Antecedit enim Aquarius : *probabis*; experieris, non esse deos, et coquina ipsa probabit. RIG.

Licet sint præsentanea nobis. Astra præsentanea dicit solem et lunam, quæ apprime omnium astrorum sentiuntur a nobis : quæ sunt efficacissima, validissima et spectatissima. Sic divi præsentes, Virgilio, apud quem et Nisus ad Lunam :

Tu dea, tu præsens nostro succurrere labori.
Æneid., IX, 404.

Erratis quod ego prius putatis oranda. Excidit vocula sensui prorsus necessaria. Leg. *erratis, quod, ut ego prius, putatis oranda.* DAVIS.

Nihil de vita promittunt. Vita immortali, æterna. RIG.

Promittunt. Horatius : *Quæ medicorum, promittunt medici.* Juvenalis : *Oculos medico nil promittente relictos.* RIG.

Cum saraballo. Hieronymus in Danielem : *Aquila, inquit, et Theodotio* saraballa *dixerunt, et non, ut corrupte legitur*, sarabara. Hesychius : τὰ περὶ τὰς κνημιδὰς ἐνδύματα. Tertullianus lib. *de Pallio*, ubi de Alexandro : *In captiva sarabara decessit.* Idem ad Martyras : *Deus scilicet non audiat penulatos, qui tres sanctos in fornace Babylonii regis orantes cum sarabaris et tiaris suis exaudivit.* Versio latina vetus Danielis, III, 94, habet *saraballa* : græca tamen re-
C tinet σαραβάρα. Isidorus, Orig. XIX citat ex Publio : *Ut quid ergo in ventre tuo Parthi sarabara suspenderunt?* Hieronymus in Dan. latine vertit, *braccas* : quæ versio verior videtur et aptior ad mentem Publii, Tertulliani et Commodiani. RIG.

Deos pictos in axe. Axis hoc loco ponitur eo sensu quo Virgilius dixit, Æn. IV, 481 :

Ubi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

In axe, in cœlo. Nam axis ἀνάστρος. SER.

A Commodiani mente procul aberravit doctissimus Rigaltius. *Axis* enim hoc in loco non *cœlum*, sed *asserem* denotat. Festus in voce : *Tabula sectilis* axis *appellatur.* Aulus Gellius *Noct. Att.* lib. II, cap. XII. *In legibus Solonis illis antiquissimis, quæ Athenis* axibus *ligneis incisæ sunt.* DAVIS.

Si vivere nescis. Hoc est, si non sapis ad Christum, vitæ auctorem æternæ. RIG.

Cum bestiis perge morari. Alludit ad bestias et
D ζωδια, quæ in Zodiaco pingi solent; ariete, tauro, leone.

Trojanis non ipse cum Apolline. Vid. Servium ad illud Virg., Æneid., II, 610 :

Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit.

Non cyclopem genuit monstrum. Polyphemum intelligit. Vid. Homeri Odyss., α, 70. Adi et Hyginum Fab. CXXV, ac Servium ad Æn. III, 678. Nonnulli tamen auctores hunc cyclopem aliis parentibus ortum tradunt. Vid. V. C. Jos. Barnesium ad Euripidis *Cyclop.* V, 644. DAVIS.

Apollinem facitis cytharædum. Eusebius, IV, opusculor. a Sirmondo editor., pag. 199 : *Nonne et citharista ille honestus? Primo quidem cur citharistas deos ponamus? etc.*

Officio vervecis. Officio haruspicis, qui exta vervecis inspexisset. RIG.

Bicordem. Vafram, versutam. *Bicordem* vocat,

Repudiatus enim discessit inde divinus.
Terruit hunc virgo specie, quam ille deberet.
Illa prior quæ debuerat deum amavisse,
Lasciviens qui Daphnem sic cœpit amare :
Et tamen insequitur, dum vult violare puellam;
Gratis amat stultus, nec potuit consequi cursu.
Vel, si deus erat, occurreret illi per auras.
Sub tectis illa prior venit, remansit que divinus.
Fallit vos gens hominum, nam victu tristi fuerunt.
Admeti pecora quoque pavisse refertur.
Lusibus impositis dum mitteret discum in altum,
Sublapsum non potuit retinere: prostravit amicum :
Ultimus ille dies fuit Hyacinthi sodalis.
Si divinus erat, mortem præscisset amici.

XII. — LIBER PATER, BACCHUS.

Liberum patrem certe bis genitum dicitis ipsi,
In India natus ex Jove Proserpina primum.
A Belligerans contra titanas profuso cruore,
Exspiravit enim sicut ex mortalibus unus
Rursus fato suo redditus in altero ventre
Percipit hoc Semele iterum Jovis altera Maia.
Abscisso cujus utero, prope partum defunctæ,
Tollitur, et datur Niso nutriendus alumnus,
Ex eo bis natus, Dionysus ille vocatur,
Religio cujus in vacuo falsa curatur.
Bacchantur et illi, qualia nunc ipsi videntur
Aut periculones Mimnermonisque sutores,
Conspirant in malo, proludunt ficto surore,
Ceteros ut fallant, dicturos numen adesse.
Hinc manifeste vides homines simile viventes,
Vino permotati primus quod expresserat ille,
Sub ludicro suo honorem illi dedere.

B

XIII. — INVICTUS.

Invictus de petra natus, si deus habetur,

COMMENTARIUS.

quæ duplici corde fuit, fefellitque amatorem suum. Uno corde promisit amplexus suos Apollini, ut ab eo disceret artem divinandi : altero corde perfida fuit; postquam didicit, negavit quod promiserat. Bicors, ambiguo corde, Hesychius Διψυχία, ἀπορία. Commodianus dixisset, *bicordia*, et in epistolis Barnabæ et Clementis, διψύχος, διγνώμος, διγνώσσος. RIG.

Terruit hunc virgo specie. Leg. *Torruit*. RIG.

Illa prior quæ debuerat. A quo tam efficacem scientiam percipere cupiebat. RIG.

Nec potuit consequi cursu. Julius Firmicus : « Sed ex isto mulierum corruptarum grege una puella amatorem deum et vitavit et vicit. Daphnem enim divinans deus et futura prædicens, nec invenire potuit nec stuprare. » Euseb. qui supra : « O injuriam! Virgo ob pudicitiam fugit : deus autem qui dicitur, ob amorem libidinis insequitur, et non comprehendit, etc. » Et paulo post : « Sed forte quædam poeta facilis et inconsiderate loquens mentitus de diis est talia, et non est insecutus virginem citharista, etc. »

Nam victu tristi fuerunt. In apographo legitur *bizo*, depravatum ex *victu*. RIG.

Tristi. Diro, misero, crudo, sive crudeli. RIG.

Admeti pecora quoque. Baluzius in notis ad Cyprianum *de idolor vanit.*, monet in ms. Commodiani exemplari S. Albini andegavensis scriptum esse *a primitia* pro *Admeti*. DAVIS.

Liberum patrem certe bis genitum. Consimilem fabulam narrat Julius Hyginus, Astron. CLXVII : « Liber, Jovis et Proserpinæ filius, a Titanis est distractus, cujus cor contritum, Jovis Semelæ dedit in potionem. Ex eo prægnans cum esset facta Juno, in Beroen nutricem Semelæ se commutavit, et ait : Alumna, pete a Jove, ut sic ad te veniat quemadmodum ad Junonem, ut scias quæ voluptas est cum deo concumbere. Illa autem instigata petit a Jove, et fulmine est icta; ex cujus utero Jovis Liberum exuit, et Nyso dedit nutriendum, unde Dionysius est appellatus, et Bimater est dictus. » Idem num. CLXXIX. Non. Dionysiacor. VIII, initio. RIG.

Jovis altera Maia. Jovis hic primo casu, ut supra Glossæ Isidori Maia, medica, obstetrix. RIG.

Ex Jove Proserpina primum. Absorpta est vocula. Leg. *ex Jove et Proserpina primum*. DAVIS.

Ex eo bis natus Dionysus. Hæc poetica nominis origo. Aliam tradidit Philostratus, Vit. Apoll. II. Νυσίος γὰρ ὁ διονυσίος. ἀπὸ τῆς ἐν ἰνδόις νυσής. Arsaces, Armeniæ rex pardalin sacravit elogio : REX ARSACES DEO NYSÆO Stephanus : Αεγται καὶ νυκεκ. Hoc igitur ex Philostrato colligere est, Nysam esse veluti femur Caucasi : hanc vero partem fuisse consitam vite, Baccho, Dionysio; atque inde fabulam Jovis gestantis in femore, ἐν μηρῷ Bacchum. Mensores agrorum; ut vertices et supercilia montium, sic etiam femur et suram et crepidinem, et corrigiam et pedem dixere Undæ et poetæ Dionysum femori Jovis insertum. RIG.

Aut periculones. Glossæ veteres, Ριφοκινδυνοκ, periculosus. Alii dixere, parabolum et parabolanum Paulus ad Phipp. παραβολευσαμενος τῇ φηχῇ Versio latina vetus Ms. *parabulatus de anima sua*. RIG.

C *Mimnermonisque sutores*. Sic legitur in apographo, Fortean scripserat Commodianus, *Mimnermomerique sutores*. γελωτοποιοι ῥαφῳδοι qui ex Mimnermi et Homeri carminibus in alium sensum consutis et concinnatis risum captabant in theatris. Videndus Athenæus lib. XIII. pag, 620. ubi de hilarodis et hilarotragœdis. RIG.

Simile viventes. Ut supra, hac ipsa Instr. *bacchantur qualia*. Juvenalis, *bacchanalia vivunt*. Aut *simile* adverbialiter dixit, unde simillime. RIG.

Vino permotati. Motantur bene poti, perpotati. Motari, frequenter motari, Frequenter moveri; saltare Hor. *Ut festis matrona moveri jussa diebus*. RIG.

Primus quod expresserat ille. Bacchus in India primus vini usum monstrasse dicitur. Unde et vitisator, et vitium repertor. GALL.

Ludrico suo. Ludis, orgiis trietericis. RIG.

D *Invictus*. Historiam Agdestis hujusce invicti, qui fuit magnæ matris filius, Agdi petræ, in Phrygiæ finibus, inauditæ per omnia vastitatis nepos, narrat ex Thimotheo Theologo Arnobius lib. V. adversus Gentes, ad eamque historiam Commodianus noster respexit, nec aliunde petenda est huic instructioni lux. Valde autem abludit Timotheus ab iis, quæ de eodem Adgesti referuntur in Achaicis Pausaniæ pag. 223. RIG.—*Invictus de petra natus*, Deus invictus, perpetuum Solis est epitheton : ideoque non Agdestis, sed Mithras denotatur. Vide sis Inscript. Gruteri. pag. 33. seq. Et omnia sane quæ de INVICTO tradit Commodianus, Mithræ tribuunt veteres. Hic enim *de petra* natus ferebatur, Hieronimus in Jovinianum lib. I col. 149. edit. BB. *Narrant et gentium fabulæ* MITRAM *et Erichthonium, vel* in LAPIDE vel in *terra*, *de solo estu libidinis esse generatos*. Etiam fur censebatur : unde βουκλόπος dictus est Porphyrio. περὶ τῶν νυμφῶν ἄντρου, pag. 292. DAVIS.

Invictus de petra natus. Arnobius (lib. V. sub init.): « Huic robur invictum, et ferocitas animi

Nunc ergo retro vos de istis date priorem.
Vicit petra deum; quærendus est petræ creator.
Insuper et furem adhuc depingitis esse;
Cum si deus esset unquam, non furto vivebat.
Terrenus utique fuit, et monstrivora natura.
Vertebatque boves alienos semper in antris,
Sicut et Cacus, Vulcani filius ille.

XIV. — SYLVANUS.

Silvanus unde deus iterum apparuit esse?
Inde forte placet, eo quod bene fistula cantat,
Largitur quoniam lignum; nam forte non esset.
Venalem emisti dominum cum empseris illi.
Aspice, deficit lignum. Quid illi debetur?
Non te pudet, stulte, tales adorare tabellas?

Unum quære Deum, qui post mortem vivere diat.
Secde ab istis qui sunt biothanati facti.

XV. — HERCULES.

Hercules quod monstrum aventini montis elisit,
Evandri qui solitus erat armenta furari;
Rustica mens hominum, indocilis quoque, pro laude
Cum gratias agere vellent, absenti tonanti.
Voverunt hostias inepti, ut deo orando,
Lactentes aras in memoriam sibi fecerunt.
Ex eo provenit de vetusto more colutur.
Sed deus hic non est, licet fuit fortis in armis.

XVI. — DE DIS DEABUSQUE.

Dicitis esse deos, qui sunt manifeste cruenti:
Et dicitis fata genesis adscribere vobis.

COMMENTARIUS.

fuerat intractabilis, insana et furialis libido et ex utroque sexu; vi rapta divastare, disperdere; ire immanitas quo animi duxerat; non deos curare, non homines, nec præter se quidquam potentius credere, etc.» Invictus autem deus etiam dictus est Mithras, quo nomine solem appellant Persæ: quod in antiquis inscriptionibus passim legitur. Quin et confundi aliquando videntur Agdestia cum Mithriacis, præsertim Christianorum scriptis: et Mithran virum fuisse abactorem boum tradidit Julius Firmicus lib. de Errore prof. relig. unde et statuis dixit: *Indignant sequi torquentem cornua Mithran.* Quod Adgesti Commodianus imputat. RIG.

Nunc ego retro vos de istis date priorem. In apographo: *Nunc ergo reticeo.* Unde hanc a quibusdam video confici scripturam, *Nunc ergo reticeo* quam arbitramur minime ad Commodiani mentem facere. Nam hoc sibi vult: Dicitis invictum de petra natum: date igitur, hoc est narrate de istis, Invicto et Petra, unde genus et originem traxerint. Etenim qui retro fuisse arguetur eorum parens aut creator, is haud dubie fuit prior, superior, major. Deinde ex historia Thimothei sive Arnobii subjicit: *Vicit petra deum;* cui Commodianus reponit: Si petra deum vicit quærendus est creator illius petræ, unde prognatus est deus ille vester Invictus. RIG.

Vicit petra deum. Arnobius (Lib. v. sub init.), ubi de lapidibus in orbem vacuum a Deucalione et Pyrrha jactatis: « Ex quibus, inquit, cum cæteris et hæc, magna quæ dicitur, informata est Mater atque animata divinitus. Hanc in vertice ipso petræ datam quieti et somno, quam incestis Jupiter cupiditabus appetivit, sed cum obluctatus diu, id quod sibi promiserat obtinere nequisset, voluptatem in lapidem fudit victus, etc.» En Juppiter a petra victus. RIG.

Insuper et furem adhuc depingitis esse. Sic Inst. LIII. *Et proprium satellem dedicat esse.* Et proxima instr. Seq. de Silvano: *Silvanus unde deus iterum apparuit esse.* RIG.

Cum si deus esset, unquam. Est qui malit: *Cum si deus esset utique non furto vivebat.* Sed hæc particula, *utique*, rursus occurret versu proxime seq. RIG.

Monstrivora natura. placet emendatio. *Monstruosa.* Leonino vultu. RIG.

Vertebatque boves alienos. Itaque Invictus iste, sicut et Mithras, prædones abigei, indignata sequi torquentes cornua, quod supra notavimus ex Statio. Et confirmat Luctatius ad Theb. I. Julius Firmicus: *Virum vero abactorem boum colentes, sacra ejus ad ignis naturam transferunt.* RIG.

In antris. In antra. Vide infra Instruct. XXIV, vers, 326 327; Arnobius, lib. II. pag. 6. edit. Plantin: *qui veram* IN ORBE *religionem induxit.* Iterum pag. 68: *Alii vero perpetuas* (esse dicunt animas) *nec* IN NATURA *posse degenerare* MORTALI, Hæc loca corruperunt critici recentiores. Plura similium locutionum exempla congessit Thomas Munckerus vir diligentissimus ad Hygini Fab. L. 92. DAVIS.

Silvanus. Glossæ veteres: Silvanus, Pan, θεὸς ὑγιεινός Syrinx, fistula. Unde commenti sunt Syrengem puellam amatam Pani. Servius ad III. Georg. *Pan, rusticum numen.* RIG.

Venalem emisti dominum. Commodianus scripsisse videtur. *Venalem emisti deum.* Sic. Instr. XVI: *Et qui fabricantur deos tibi nuncupas esse.* RIG.

Cum empseris illi. Nempe fistulam: absque illa esse non haberetur deus RIG.

Non te pudet, stulte tales adorare tabellas. Non te etiam pudeat, alias, quamvis concinniores adorare fabellas, sive tabellas? RIG.

Qui post mortem vivere diat. Quid si Commodianus scripserit, *duat?* archaice, pro *dederit*, ut fuat pro fuerit, et apud Festum *duit* dederit. Glossæ veteres: *Duit*, δοίη *Duint*, δοῖεν, δώσωσιν. In apographo, pro emendatatione ponitur, *post mortem vivere docet.* RIG.—*Procul dubio leg.* vivere DICIT. Sic infra Instr. XXI. 272.

Justitiam legis quære magis: illa salutis
Auxilium portat, et fieri dicit æternum.

Sed et ipse litterarum ductus emendationem nostram stabilit et confirmat. DAVIS. — Mihi magis probatur emendatio Regaltii. Neque enim Davisii conjectura firmatur ex v. 272. Inst. XXI. Lex quidem *dicit:* at deus vivere DAT. Minus vero placet quod hic reponit Vonkius, *vivere sciat* in Leet. Lat. lib. I. cap. IX. pag. 74.

Qui sunt biothanati facti. Biothanatos dicit, idololatras, qui peracto vitæ suæ curriculo præcipitantur in mortem æternam: at Christiani, de morte ad vitam vocantur immortalem. Huc non pertinent, quæ apud Tertullianum de aoris et biothanatis, sive biaiothanatis, lib. de Anima. RIG.

Monstrum Aventius montis. Cacum significat. Ovidius *fast.* I, 551.

Cacus Aventinæ timor atque infamia silvæ.

Virgilio *Æn.* VIII, 267, *semiferus* nominatur. Vid. Livium lib. I, VII et Dionysium Halic. l. IV, cap. XXXIX. DAVIS.

Rustica mens hominum. In apographo legitur; *rustica gens hominum.* RIGALT. — Non erat cur. ms. lectionem v. *gens hominum* repudiaret Regaltius: nam sana prorsus est sincera. Noster supra instr. XI. v. 147. *Fallit vos* GENS HOMINUM. Ovidius. *Amor,* lib. II. Eleg. XIV. 10.

Gens hominum vitio deperitura fuit.

Sic etiam Tertullianus in *Apolog* cap. XXVI. DAVIS.

Absenti Tonanti. Hoc est, mortuo Jovi.

Voverunt hostias. In historiæ fidem peccat Commodianus. Non eum Aborigines, sed Hercules ipse Jovi mactavit hostiam. Vide Ovid. *Fast,* I. 579. Et Dionysium. Halic. lib. cap. 39. DAVIS.

Et dicitis fata genesis. γένεσις, geneses, genituras. RIG.

Dicite nunc ergo quibus primum sacra ferantur.
Inter utrinque vias; mors immatura vagatur;
Si tribuunt fata genesis, cur deum oratis.
Deciperis vane; qui manes quæris orare;
Et qui fabricantur dominos tibi nuncupas esse:
Aut feminas quoque nescio quas deas oratis;
Bellonam et Nemesim deas, Fariam una cœlestem,
Virgines; et Venerem, cui conjuges vestræ delumbant.
Sunt alia præterea dæmonia fanis,
Quæ nec numerantur adhuc, et in collo feruntur,
Ut nec ipsi sibi, possint rationem reddere. Pestes
Exportari magis in ultimas terras deberent.

XVII. — DE SIMULACRIS EORUM.

Deludunt vos pauci scelerati vates inanes.
A Extricare suam dum quærunt vitam:
Subornant aliis esse sub mysteria falsum.
Inde simulantes concuti numine quodam,
Majestatemque canunt, et se sub figura fatigant.
Vidistis sæpe Dindymarios, quali fragore
Luxurias ineunt dum furias fingere quærunt,
Aut cum dorsa sua allidunt spurca bipenne:
Cum doctrina sua servant quod cruore sanant.
Respicite quo non illos nomine cogunt,
Ipsis qui se primum componunt integra mente.
Sed stipem ut tollant, ingenia talia quærunt.
Ex eo videte, quoniam sunt omnia ficta.
Obumbrant populum simplicem, perituri ni credant.
Res semel in vano de vetustate processit,
Ut vaticinanti credatur prodenti falsa.
B Majestas autem illorum nulla locuta est.

COMMENTARIUS.

Dominos tibi nuncupas esse. Sic instr. LIII. *Et proprium satellem dedicat esse.* RIG.

Fariam. In apographo legitur, *furiam.* Et inter deas censet Arnobius, *Lavernam, Bellonam, Discordias, Furias.* Hanc vero cælestem, alii Lunam, alii Atargatin, sive Astarten, alii deam Syriam nuncupant. RIG. — *Fariam una Cœlestem Virgines.* Apographi lectio non est deserenda, si modo locus commode distinguatur. Scrib. Furiam, *una Cœlestem, virgines.* Sic apud Gruterum CCCXVIII p. 4. *sacerdoti* CŒLESTIS *incomparabili.* Tertullianus Apol. cap. XII. *ad bestias impellimur: certe quas libero et Cybele et* CŒLESTI *applicatis.* Vide et cap. XXIV. ac Th. Reinesium ad primæ Classis Inscript. XXIX. DAVIS.

Cui conjuges vestræ delumbant. Luxu lasciviaque fractæ lumborum crispitudine fluctuant. Idcirco C Percius lasciva carmina *lumbos intrare* dixit. Hinc etiam delumbati et elumbes. RIG.

Quæ nec numerantur adhuc. Plinius Hist. nat. lib. II. « Et numina in iisdem innumerabilia invenimus: inferis quoque in genera descriptos, morbisque, et multis etiam pestibus, dum esse placata trepido metu cupimus. » — *In collo feruntur.* Ut solent amuleta, περίαπτα vel potius, succollantur. Itaque mox dicet: exportari magis in ultimas terras deberent. RIG.

Extricare suam dum quærunt vitam. Sic Horat. Ser. I. Sat. III. *Mercedem aut nummos unde unde extricat.* Glossæ veteres: *Extricare*, ἐκποδίσαι, expedi, ἐκπλέξον. Bibaculus, de Valerio Catone: *Omnes solvere posse quæstiones, unum difficile expedire nomen.*

Subornant aliis esse sub mysteria falsum. Hoc est, fraudibus et imposturis sic illudunt oculis vulgi, ut falsitas mysterio tecta et adumbrata non deprehendatur. Ex eo genere impostorum Galli Matris Magnæ, Romanis, Sangarium fluvium ponte transgressis, occurrere cum insignibus suis, inquit Livius lib. XXVIII. cap. XIX. *Vaticinantes fanatico carmine, deum Romanis vim belli et victoriam dare.* Ita vero scripsisse Livium: *vim belli et victoriam dare,* non ut in omnibus editis legitur: *viam belli* apparet ex Polybio: Φασκόντες προσαγγέλλειν τὴν θεὸν νίκην καὶ κράτος. Insignia impostorum dicit Livius, quæ Polibius, προστηθίδια καὶ τυπούς. RIGALT. — Sensus quem fingit Rigaltius, ex hisce verbis exsculpi non potest, fortean legendum:

Subornant aliis esse sub mysteria *sacrum.*

Seu falso persuadent aliis sanctum aliquid et divinum mysterium subesse. DAVIS.

Et se sub figura fatigant. Sub figura, sub persona, ficte, simulate. Pub. Syrus: *Heredis fletus sub persona risus est.* RIG.

Vidistis sæpe Dindymarios. Dindymarii sunt, pecora Dindymenæ Cybeles. Atys Catulli, ad suas Gallas: *Agite, ite ad alta Gallæ Cybeles nemora simul. Simul ite, Dindymenæ dominæ vaga pecora.* Martialis, XI, 82: *Spado Dindymus.* RIG.

Aut cum dorsa sua allidunt. Circa istorum nebulonum præstigias variant scriptores. Lucianus, lib. de Deâ Syria, τεμνόνται τε τοὺς πηχεὰς, καὶ τοῖσι νωτοῖσι πρὸς ἀλλήλους τυπτόνται. Apuleius, lib. VIII: « Brachiis suis humero tenus renudatis, attolentes immanes gladios ac secures, evantes exsiliunt; incitante tibiæ cantu lymphaticum tripudiant. » Et paulo post: « Ad postremum ancipiti ferro quod gerebant, brachia sua dissecant. » Et post alia quædam: « Arrepto flagro... indidem sese multinodis commulcant ictibus mira contra plagarum dolores præsumptione communiti. » RIG.

Dorsa sua allidunt spurca bipenne. In apographo; *parca bipenne.* Commodianus aliquid hic propudiose obsceni Galli cinædis exprobrare videtur. Glossæ veteres: ἰσχίον, *Dossum, Lumbi,* Glos. aliæ, ὀσφύες, ἰσχία. Apuleius: « Cerneres profectu gladiorum, ictuque flagrorum, solum spurcitia sanguinis effeminati madescere, etc. » RIG.

Cum doctrina sua servant. Hoc est: nequidquam doctrina sua servant, neque item cruore suo sanant. RIG.

Stipem ut tollant, ingenia talia quærunt. Supra eadem Instr. dixit: *Dum vitam suam extricare quærunt.* Talia vero jam ævo suo agyrtarum ingenia D fuisse testatur auctor libri *de morbo sacro,* qui vulgo fertur, Hippocratis: Ἀνθρώποι βίου δεομένοι πολλὰ καὶ παντοῖα τεχνέονται καὶ ποικιλλοῦσι. RIG.

Ingenia talia quærunt. Sic apud Tertullianum: *ingenium decoris*; *ingenia pœnarum*; *ingenia artium*, etc. RIG.

Obumbrant populum. Fallunt, objecta nube et umbra, fraudibus. RIG.

De vetustate processit. Ovidius IV, Fast.:

Pro magno teste vetustas
Creditur, acceptam prace movere fidem. GALL.

Vaticinanti credatur prodenti falsa. Forte hæc transposita fuere: *falsa prodenti.* RIG.

Majestas autem illorum nulla locuta est. Hoc de simulacris gentium Commodianus, ex oraculo Psalmi CXIII: *Os habent et non loquentur.* Majestas illorum,

XVIII. — DE AMMUDATE ET DEO MAGNO.

Diximus jam multa de superstitione nefanda,
Et tamen exsequimur, ne quid prætcrisse dicamur.
Ammudatemque suum cultores more colebant :
Magnus erat illis, quando fuit aurum in æde.
Mittebant capita sub numine quasi præsenti.
Ventum est ad summum, ut Cæsar tolleret aurum :
Defecit numen, aut fugit, aut transit in ignem.
Auctor hujus sceleris constat, qui formabat eumdem
Tot viros et magnos seducit false prophetans ;
Et modo reticuit qui solebat esse divinus.
Erumpebant enim voces, quasi mente mutata ;
Tanquam illi deus ligni loqueretur in aurem.
Dicite nunc ipsi, si non sint numina falsa ?
Ex eo prodigio quot perdidit ille propheta ?
Oblitus est iste prophetare, qui ante solebat.
Monstra adeo ista ficta sunt per vinivoraces ;
Audacia quorum damnabilis numina fingit.
Gestabant enim, et aruit tale sigillum :
Nam et ipse silet, nec ullus de illo prophetat
Omnino, sed vos ipsos perdere vultis.

XIX. — NEMESIACIS VANIS.

Non ignominium est, virum seduci prudentem,
Et colere talem, aut Dianam dicere lignum ?
A Mane ebrio, crudo, perituro creditis viro ;
Ex arte qui ficte loquitur quid illi videtur :
Severe dum agit, sibi viscera pascit.
Incopriat cives unus detestabilis omnes.
Adplicuitque sibi, simili collegio facto,
Cum quibus historiam fingit, ut deum adornet.
Ipse sibi nescit divinare, cæteris audet.
Succollat, quando libet, eum, et quando deponit.
Vertitur a se rotans cum ligno bifurci ;
Ac si putes illum afflatum numine ligni.
Non deos vos colitis quos ipsi false prophetant ;
Ipsos sacerdotes colitis, in vano timentes.
Sed si corde viges, fuge jam sacraria mortis.

XX. — TITANES.

Titanas vobis Tutanos dicitis esse.
B Immites tacitos sub culmine vestro rogatis.
Tot lares, ædiculas, simulacra ficta Titano.
Adoratis enim stulti malo leto defunctos ;
Non legem ipsorum legentes : non ipsi loquuntur.
Et deos audetis æramine dicere fusos.
Solveritis eos magis in vascula vobis.

XXI. — MONTESIANIS.

Montes et deos dicitis : dominentur in auro.
Obscurati malo, aliena mente juvantes.

COMMENTARIUS.

nempe simulacrorum de quibus est Instructionis titulus. *nulla locuta est*, hoc est, nihil locuta est : nulla fudit oracula. RIG.

DE AMMUDATE. Gratulabor monstranti alium scri- C ptorem, qui hujusce numinis mentionem fecerit. Terminatio Persicam vocem indicat ; ut sunt, Mithridates, Orondates, Tiridates, Meherdates. Et est apud Procopium in Persicis ἀμμουδίος, ager haud ignobilis, δαρὰς μετρὸν εἴχοσι σταδίων ἀπεχών, ubi castra Persarum adversus Romanos. Et apud Hesychium, *Datis*, nomen imperatoris Persæ : sed hæc quam sunt inania, si non aliunde confirmentur ? RIG.

NEMESIACIS. De Gallis Cybeles, Idæis, Bellonariis, Isiacis et Nemesiacis etiam scripta Gentium profanarum confuse disserunt. Nemesiacum describit Apuleius Mil. VIII : « Insit vaticinatione clamosa, conficto mendacio, semetipsum incessere atque criminari, quasi contra fas sanctæ religionis designasset aliquid, et insuper justas pœnas noxii facinoris ipse de suis manibus exposcere. Arrepto denique flagro, etc., » quæ supra de Dindymariis observavimus, ad Instr. XVII Ubi de fragore quo luxurias ineunt, et furias fingunt : qui fragor et furor etiam Nemesiacorum fuit, ut videre est in estis Apuleianis : « Ab ingressu D primo statim absonis ululatibus constrepentes fanatice pervolant, etc. » Propterea Nemesin Catullus deam vehementem esse dixit, epigrammate ad Licinium : *Ne pœnas Nemesis reposcat a te. Est vehemens dea, lædere hanc caveto*. Babrius, apud Suidam : Παρὴν δ' ἡ νεμέσις, ἡ τ' ἀδικ' ἐποπτεύει. Et alia hujusmodi ibidem in hanc sententiam de scriptoribus antiquis citata. Ammianus Marcellinus lib. XIV : « Hæc, et hujusmodi quidem innumerabilia ultrix facinorum impiorum, bonorumque præmiatrix operatur Adrastia ; quam vocabulo duplici etiam Nemesin appellamus, etc. » Hanc denique Apul., lib. de Mundo, *Necessitatem* esse dicit *ultionis ineffugibilem*. RIG.

Non ignominium est. Isidorus lib. IV, cap. ult., ubi de pœnis, quæ sunt legibus constitutæ, *Ignominium et infamium*. RIG.

Sibi viscera pascit. Apuleius : *Morsibus suos incursant musculos, brachia dissecant*. RIG. — Omnino lapsus est Rigaltius. Vult enim Commodianus, Nemesiacum dum *severe* agit, seu flagris et gladio corpus lacerat, victum sibi quærere. Hinc Instr. XVII, v. 213 :

Dum furias fingere quærunt,
Aut cum dorsa sua allidunt spurca bipenne. ..
Obumbrant populum simplicem, perituri ni credant.

Apuleius, *Metam.*, lib. VIII, pag. 173 : « *Ubi tandem fatigati vel certe suo laniatu satiati, pausam carnificinæ dedere ; STIPES æreas, immo vero et argenteas, multis certatim offerentibus, sinu recepere patulo*, etc. » DAVIS.

Incopriat cives.. Conviciis, opprobriis conspurcat, et quasi stercore conspergit. Glos Isidori a Vulcanio editæ : *Scurra, qui incopriatur. Scurrula, qui incopriat*. Scurras dictos fuisse Græco vocabulo κοπριος, jam pridem ex Dione et Svetonio viri eruditissimi docuere. Suidas ; κοπρίος ἀνὴρ ὡς ἀπὸ δημοῦ, λέγει δὲ τὸν κοπρολόγον. In apographo legitur *incopiat*. RIG.

Vertitur a se rotans. Planus ille artificio ligni decussatim bifurci rotat sese, ut imperita plebecula correptum a numine existimet, caducaria passione, subita ruina, vertigine ut ratione divina, axe divino circumactum. At nasuti rident impostorem, et inclamant : *Quære peregrinum*, et, *Tollat te qui non norit*. RIG.

Cum ligno bifurci. Agrimensores terminum dixere bifurcium, ungulam bifurcam. RIG.

Titanas vobis Tutanos. « Titanas Mauri pro regibus colunt. » Arnob., lib. I.

Immites, tacitos sub culmine vestro rogatis. Tot lares. Exempla an ms. : *Aut mutas, tacitas ;* a quo nimium recessit Rigaltius. Forsan leg. *Ita* MUTÆ TACITÆ *sub culmine vestro rogatis. Tot lares :* nam Lares, Mutæ deæ filii. Lactantius *Div. Inst.* I, 20. *Hanc* (Mutam) *esse dicunt, ex qua sint nati Lares*. Vide sis Ovid., *Fast.*, II, 572, 583, seqq. Statim vero legendum *ædiculæ* : quod Latini sermonis ratio demonstrat. DAVIS.

Solveritis eos magis. Utilius æramina illa conflata, et colliquefacta dissolveritis, unde fiant *urceoli, pelves, sartago, patellæ*. Juvenalis, sat. X, 64. RIG.

Montes et deos dicitis. In apographo legitur, *Montes ses deos dicitis*, quod accedere videtur ad deos Mon

Nam, si purus animus et mens serena maneret,
Te tibi de illis ipsi disputare deberes.
Excordaris homo, si putas, ut ipsi te salvent.
Seu regant, seu minuant. Si quid tu sani requiris,
Justitiam legis quære magis : illa salutis
Auxilium portat, et fieri dicit æternum.
Nam quod in vanis sequeris, per tempora gaudet.
In brevi lætaris, et postmodum plangis in imis.
Subtrahe te illis, si vis resurgere cum Christo.

XXII. — HEBETUDO SÆCULI.

Heu doleo, cives, sic vos hebetari de mundo !
Excurrit alius ad sortes, aves aspicit alter,
Balantum cruore fuso, manus inspicit alter,
Et cupit audire responsa vana credulus.
Tot duces, et reges ubi sunt consulti de vita,
Vel portenta sua scisse quid profuit illis ?
Discite quæso bonum, cives, simulacra cavete :
Omnipotentis enim in lege quærite cuncti.
Sic ipsi complacuit Domino dominorum in altis,
Ad probationem nostram dæmonas in mundo vagari

A Et tamen ex alia parte mandata præmisit
Cælestes fieri qui relinquunt aras eorum.
Unde non hoc curo disputare parvo libello :
Lex docet, in medio ciet, Consulite pro vobis.
In duas intrastis vias, condicite rectam.

XXIII. — DE UBIQUE PARATIS.

Dum ventri servis, innocentem esse te dicis,
Et quasi communis facis te ubique paratum.
Væ tibi stulte homo, mortem circumspicis ipse.
Barbaro de more sine lege vivere quæris ;
Ipse tibi hymnificas etiam insinere de verbo,
Qui simplicem fingis : simpliciter vivo cum isto.
Vivere te credis, dum ventrem cupis implere.
Exiguus tua in domo residere prave ;
B Paratus ad epulas, et refugiscere præcepta.
Aut quia discredis Deum judicare defunctos ;
Rectorem cæli facis te inepte pro illo.
Aspicis ad ventrem, quasi tu sis providus illi.
Tu modo profanus, modo sanctus esse videris.

COMMENTARIUS.

tenses : quorum mentio sit inscrip. quadam apud Gruterum pag. XXI, 3, ubi legimus ex deorum Montensium præcepto positam fuisse aram Jovi Fulgeratori. Nihilominus tamen scribendum hic esse arbitramur, *Montes et deos dicitis*; ut Montesiani Commodiano sint, qui numina quædam in Montibus esse crederent. Ideoque ait : *dominentur in auro Obscurati malo ;* avaritiem damnans eorum, qui felicitatis humanæ summam ponebant in nummis et auri congerie : C quod est malorum omnium irritamentum. Isti, inquit, dii dominentur in auro obscurati malo; quasi describat deos illos Manes Metallorum custodes sub obscuris et intimis montium cavis, invidentes mortalibus, nimium cupidis thesaurorum : qui nempe dii si forte prosint suffodientibus montium latebras avariis, prosunt inviti, tanquam nolentes, et aliena mente; hoc est, animo prorsus alieno sic juvantes, ut dici non debeant dedisse, quod nisi rapina non tollitur : nimirum expugnatione ac ruina non montis, multo igne, aceto multo suffossi rupique. Plinius, Hist. nat. XXXIII, principio libri : « Persequimur omnes telluris fibras, videmusque excavatos montes, mirantes dehiscere aliquando, aut intremiscere illam : ceu vero non hoc etiam exemplum indignationis sacræ parentis exprimi possit. Imus in viscera ejus, et in sede Manium opes quærimus. Illa nos ad inferos agunt, quæ occultavit atque demersit. Utinamque posset e vita in totum abdicari aurum; sacra fames, D ut celeberrimi auctores dixere, proscissum conviciis ab optimis quibusque, et ad perniciem vitæ repertum. » Et cap. IV. « Opem vicerit gigantum. Et paulo post : Relinquuntur itaque fornices crebri montibus sustinendis. Occursant silices : hos igni et aceto rumpunt. » Et post alia quædam : « Manes trahuntur ad homines, ut vitium importent. » RIG.

Nam quod in vanis sequeris, per tempora gaudet. Leg. *Nam quod* INANES *sequeris, per tempora* GAUDES. Commodianus Instr. II, v. 12 :

Nolite, inquit, adorare deos inanes,

Lactantius *Div. Inst.*, II, 1. *Gestio enim convictis* INANIBUS (alii codd. MANIBUS) —*singularis Dei adserere majestatem.* DAVIS.

Manus inspicit alter. Legendum crediderim :

Balantum cruore fuso, manes elicit alter.

Nam bestiarum sanguinem mortuis evocandis adhibebant, ut patet ex Homero *Odys.* A. 36, et Isidoro *Origin.*, lib. VIII, cap. IX, ne plures memorem. Immo nonnumquam humano cruore non abstinebant. Vide Janum Broukhusium ad *Tibulli* l. I. Eleg. II, 45. DAVIS.

Tot duces et reges ubi sunt consulti de vita. Hujusce artis astronomicæ professor Julius Firmicus lib. II, cap. ultimo, per adulationis aulicæ prudentiam disciplinæ suæ prævaricator esse maluit, quam periclitari quid etiam circa regnum sive imperatorum geneseis valeret. « Cave, inquit, ne quando de statu reipublicæ, vel de vita Romani imperatoris aliquid interroganti respondeas. Non enim oportet, nec licet, ut de statu reipublicæ aliquid nefaria curiositate discamus. Sed nec aliquis Mathematicus verum aliquid de fato imperatoris definire potuit. Solus enim imperator stellarum non subjacet cursibus : et solus est, in cujus fato stellæ decernendi non habent potestatem, etc. » RIG.

Portenta sua scisse. Quibus de se aliquid significatur ac præmonstratur. Glossæ veteres : *Portendit*, σημαίνει διὰ τέρας.

Dæmonas in mundo vagari. Baluzius ad Cyprianum *de Idolor. vanit.* pag. 571. edit. Paris. 1726. testatur, in veteri codice S. Albini Andegavensis legi *dæmones in mundo vagi.* Ita ipsemet Commodianus Instr. III. v. 36 :

Unde modo vagi subvertunt corpora multa.

In duas intrastis vias. De *duabus viis* multa collegerunt H. Menardus et J. B. Cotelerius ad *Barnabæ* epist. c. XVIII. In sequentibus leg. CONDISCITE *rectam.* DAVIS.

Et quasi communis. Ambiguum est in apographo, *communis* legi debeat, an *comis*. *Communem animum et levem.* dixit. Terentius. RIG.

Barbaro de more. Barbaros mores nuncupat, ritus ac religiones Gentium minime Christianarum, sæculi ritus, non Ecclesiæ. RIG.

Ipse tibi hymnificas. In apographo legitur, *hymnificis* quasi alludat Commodianus ad hinnitum jumenti. Et Græca phrasi dixerit, *Ipse tibi hinnificas incinere.* Ipse tamen Instructione LX. dicet *chorum hymnificatum*, pro Ecclesia quæ delectari solet hymnis et laudibus Dei ac Domini nostri. Latina versio Esaiæ, X, 30 : *Hinni voce tua filia Gallim.* RIG.

Exiguus tua in domo. Domi tuæ exilis et præparcus.

Paratus ad epulas. Potentiorum : etiam ubi apponuntur idolothyta. RIG.

Et refugiscere præcepta. Christi Domini, sive disciplinæ Ecclesiasticæ, et christianæ caritatis agapas. RIG.

In supplicem prodis dei, sub aspectu tyranni.
Senties in fatis cujus modo lege juvaris.

XXIV. — INTER UTRUMQUE VIVENTIBUS.

Inter utrumque putans dubie vivendo cavere,
Nudatus a lege, decrepitus luxu præcedis.
Tot vane prospicis, quid quæris iniqua?
Et quidquid egisti istinc remanere defuncto,
Respice tu stulte : non eras, et ecce videris.
Unde processisti nescis, nec unde nutriris;
Tu Deum excelsum fugis tuæ vitæ benignum,
Rectoremque tuum, qui te magis vivere vellet :
Vertis te in faciem et dorsum deo remittis :
Mergis te in tenebras, dum putas te in luce morari.
Quid in synagoga decurris ad pharisæos,
Ut tibi misericors fiat, quem denegas ultro?
Exis inde foris, iterum tu sana requiris.
Vis inter utrumque vivere, sed inde peribis.
Insuper et dicis : Quis est qui a morte redemit?
Ut credamus ei, quoniam ibi pœnæ aguntur,
Eia non sic, ut putas esse, maligne.
Nam illi prodest post funera, recte qui vixit.
Tu tamen mox moriens duceris in loco maligno :
In Christo credentes autem in loco benigno :
Blanditurque quibus hæret amœnitas illa.
Vobis autem dubiis, in vos sine corpore pœna,
Suscitat in fratrem tortoris ordo clamare.

XXV. — QUI TIMENT, ET NON CREDENT.

Quamdiu, stulte homo, Christum agnoscere non vis?
A Vitas agrum pinguem, et sterili semina jactas.
In sylva manere quæris, ubi latro moratur.
Tu dicis, et ego Dei sum; et foras oberras.
Ingredere jam nunc toties invitatus in aulam.
Matura jam messis, tempus totidemque paratum.
Ecce modo mete : quid? non te pœnitet? inde
Nunc, si non habes, collige : vindemia vina.
Tempus adest vitæ credendi tempore mortis.
Est Dei lex prima fundamentum posteræ legis.
Te quidem signabat crediturum in lege secunda,
Nec minæ ex ipso, sed ex ipsa tibi potentes :
Obstupe jam factus, jura te credere Christo;
Nam testamentum vetus de illo proclamat.
Credere enim opus est tantum in ipso defuncto,
B Resurgere posse, vivere tempore toto.
Ergo si quis ea discredis esse futura,
Dummodo vincetur reus in morte secunda,
Eventura canam paucis in isto libello.
Nam cognosci potest, ubi sit spes anteponenda.
Tamen vos adhortor quantocius credere Christo.

XXVI. — REPUGNANTIBUS ADVERSUS LEGEM CHRISTI DEI VIVI.

Respuis infelix bonum disciplinæ cælestis,
Et ruis in mortem, dum vis sine freno vagari.
Perdunt te luxuria et brevia gaudia mundi :
Unde sub inferno cruciaberis tempore toto.
Gaudia sunt vana quibus oblectaris inepte.
Non illa te reddunt hominem fuisse defunctum?

COMMENTARIUS.

In supplicem prodis dei. Hoc est, Christo supplicas, adgeniculatus simulacro Jovis. RIG.

Sub aspectu tyranni. Tyrannum dicit. Cæsarem non Christianum : simulacrum Jovis, diabolum. RIG.

Nudatus a Lege. Viduus operibus indictis lege Christiana. RIG.

Præcedis. Præcessisse dicuntur Christiani, qui sunt in ecclesiæ pace dimissi ad Dominum. RIG. Leg. procedis. DAVIS.

Quid in syn. decuris ad Pharisæos. In apographo legitur : *decurris sæpe bifarios*. RIG.

Duceris in loco maligno. Ad male Christianum : *duceris*, inquit, *in loco maligno*. Ad vere Christianum : *duceris in loco benigno*. Extra hosce duos ordines sanctus Ephrem Syrus, ævo Commodiani proximus, ab Hieronymo, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, laudatus, alium non esse medium ordinem docet. Deinde ait : « Loquor autem de altero quidem superno, altero vero inferno, inter quos medians est varietas D differentiæ retributionum. » Idem paulo post : Effugere gehennam, hoc ipsum est regnum cælorum ingredi : quemadmodum et eo excidere, est gehennam introire. » Hæc sunt a Gerardo Vossio de Græcis nondum editis Latine versa; atque ut ipse Vossius editione sua censuit, neutiquam Purgatorio præjudicant. Tertullianus ad Animam : « Affirmamus te manere post vitæ dispunctionem, et expectare diem judicii, proque meritis aut cruciatui destinari aut refrigerio : utroque sempiterno. » RIG.

Quibus hæret amœnitas illa. Amœnitatem intelligit Millenariorum. RIG.

In vos sine corpore pœna. Ignis æternus, qui etiam animas torret, exutas corpore. RIG.

Suscitat in fratrem clamare. Per *fratrem*, intelligit fidelem, Christianum. *Suscitat in fratrem clamare*, hoc est, advocare fratris auxilium, sicuti faciebat dives C ille purpuratus clamans ad Lazarum, ut intingueret extremum digiti sui in aquam. Lucæ, XVI. 24. RIG.

Tortoris ordo. Tentatoris, diaboli, exprobantis. damnato causam suæ damnationis; ut hanc etiam adjiciat damnati suplicio contumeliam. RIG.

Ingredere jam nunc toties invitatus. Instructione XXXIII : *Intrate stabiles Silvestri ad præsepe pastoris* RIG.

Tempus totidemque paratum. *Totidem* pro etiam, consimiliter, ut supra. RIG.

Est Dei lex prima. Vetus testamentum præ se tulit umbras et sacramenta sive mysteria Novi. RIG.

Nec minæ ex ipso. Deo, scilicet. Nam te salvum fieri vult Deus. Ideoque posita lege monstravit tibi viam salutis : quam si pravitate tua derelinquas, jam ipsa tibi via comminatur exitium. RIG.

Obstupe jam factus. Varro in libris de Re rust. dixit : *Excande me fecerunt*, et *Consue quoque faciunt* et *Perferue ita fit*. Ennius autem dixerat — *Saxo cere comminuam brum*. RIG.

Vincetur reus. Convincetur.

In morte secunda. Post corporis mortem, anima mortis æternæ pœnis addicta. Apoc., II : *Qui vicerit, non lædetur a morte secunda*. Tertullianus libro de Fuga in persec. *In stagno sulphuris et ignis, quod est mors secunda*. RIG.

Disciplinæ cœlestis. Divinæ, Christianæ. RIG.

Non illa te reddunt hominem fuisse def. Cogitatio mortis non te reddit tibi? non te revocat ad temetipsum? ad mentem sanam? Fortean vero legendum, *Terrebunt*. Non te illa terrebit cogitatio, adfore tempus, vel intra paucos dies futurum te in flatu hominis defuncti, cujus anima corripietur a dæmone crucianda? RIG.

Seu leves invadit. Omnino scribendum, *seu* LEVIS *invadit*, morbus scilicet. DAVIS.

Anni te non possunt jam triginta reddere doctum?
Nescius si primum errasti, respice canum.
Tu putas nunc vitam istic perfrui lætam
Injurias inter : ibi sunt damna tuorum,
Bella, vel infandæ fraudes, cum sanguine furta,
Ulceribus corpus vexatur, gemiturque ploratur,
Seu lèves invadit, aut longo morbo teneris,
Aut natis orbaris, aut perdita conjuge defles.
Deseritur totum : heu! ruunt dignitates ab alto,
Vitiis, pauperie, dupliciter certe, si languis :
Et dicis vitam, ubi vitrea vita mortalis?
Respice jam tandem hoc tempus irritum esse :
Sed in futuro tibi spes est sine dolo vivendi.
Vivere volebant utique parvuli rapti,
Sed vita privati juvenes senescere forte,
Lætitios dies, perfruique ipsi parabant;
Et tamen inviti reponimus omnia mundo.
Gens et ego fui perversa mente moratus,
Et vitam istius sæculi veram esse putabam;
Mortemque similiter sicut vos judicabam adesse;
Cum semel exisset, animum periisse defunctum.
Hæc autem sic non sunt, sed conditor orbis et auctor
Requisivit enim fratrem a fratre peremptum.
Impie dic, inquit, Ubinam frater? ille negavit.
Sanguis enim fratris ad me proclamavit in altum.
Torqueris, video, ubi nil sentire putabas :
Ille autem vivit, et loca dextera tenet;
Delicias fruitur, quas tu perdidisti, nefande;
Et cum revocasti sæculum; et ille prægressus,
Immortalis erit; nam tu sub tartara planges.
Vivit certe Deus, qui defunctos vivere fecit;
Innocuisque bonis ut reddat præmia digna :
Vesanis autem et impiis tartara sæva.
Incipe sentire judicia Dei, seducte.

XXVII. — STULTE NON PERMORERIS DEO.

Stulte, non permoreris, nec mortuus effugis Altum.
Tu licet disponas nihil te sentire defunctum,
Vinceris insipiens : vivit Deus conditor orbis,
Legitima cujus clamant valere defunctos.
Tu autem dum præceps sine Deo vivere quæris,
Extinctum in fatis judicas, et fatale credis.
Non ita disposuit, ut tu putas, Deus æternus,
Oblivitos esse mortuos de gesto priore.
Nunc nobis impertians fecit receptacula mortis;
Post cineres autem nostros videbimus illa.
Exuere stulte, qui putas per funera ut non sis;
Rectorem dominumque tuum nil posse fecisti :
Mors autem in vacuum non est, si corde retractes.
Optandum noscas : nam sero senties illum.
Rector eras carnis; non te certe caro regebat.
Exemptus ab illa, reconditur illa, tu horsum :
Recte mortalis homo separatur a carne :
Idcirco non poterunt oculi mortales æquari.
Sic habet abyssus noster de Dei secreto.
Da nunc ergo Deo, fragilis dum moreris, honorem :
Et crede quod Christus vivum te de mortuo reddet.
Omnipotenti laudes in Ecclesia reddere debes.

XXVIII. — JUSTI RESURGUNT.

Justitia et bonitas, pax et patientia vera
Vivere post fata faciunt, et cura de actu.
Subdola mens autem, noxia, perfida, prava,
Tollit se in partes, et fera morte moratur.
Impie, nunc audi, quid per malefacta lucraris;
Respice terrenos judices, in corpore qui nunc
Excruciant pœnis diros : aut ferro parantur
Supplicia meritis, aut longo carcere flere.
Ultime tu speras Deum irridere cœlestem,
Rectoremque poli, per quem sunt omnia facta?

COMMENTARIUS.

Dupliciter certe si languis. Si langues, si languore aliquo diuturno consumeris; atque ut supra dixit *si longo morbo teneris*. Unde illud : *Genus esse misericordiæ, cito occidi.* Rig.

Vitrea vita. Quod de fortuna dixit vetus scriptor, hoc de vita humana verissime dicatur : *Vita nostra vitrea est : tunc quum splendent, frangitur.* Rig.

Lætitios dies. Lætitiæ, Lætificos, Lætos. Valde mihi suspecta est istius vocabuli, formatura, nec pronuntiari quidquam potest, nisi inspecto codice antiquo. Vetus Interpres Latinus Epistolæ, quæ dicitur Barnabæ, εὐφροσύνην vertit *lætationem*. In edit. Paris. prave legitur : *legationes.* Rig.

Ille negavit. Etenim respondit : *nescio.* Negavit scire se, quod certissime sciebat; nam ipse recens adhuc erat a fratris nece; atque hoc mentitus Deo in quem non cadit ignorantia, impudentissime negavit Deum; et sacrilego mendacio, Dei scientiam suffurari, et quasi occidere conatus est : optavit eripi Deo divinitatem, τὸ Θεῖον. Rig.

Et cum revoc. sæculum. Repugnans adversus legem Christi, revocasti sæculum, revocasti diabolum, cui renuntiaveras. Rig.

NON PERMORERIS DEO. Non sic moreris, ut vel mortuus, effugias Dei manus : ut jam in defunctum Deus non habeat quid faciat. Rig.

Vinceris insipiens. Etiam invitus insipientiæ teneris. Rig.

Legitima cujus clamant. Legitima dicit leges et mandata Christi : disciplina ex fide custodita. Rig.

Valere defunctos. Vocatos scilicet ad vitam æternam.

Extinctum in fatis. Extinctionem, mortem. Davis.

Oblivitos esse mortuos. Oblivioni tradita esse, quæ defunctus quisque gessit olim, dum viveret in corpore.

Exuere stulte qui putas. Qui te per mortem sic exui putas, ut jam sis nullus, nec amplius tui supersit quidquam.

Optandum noscas. Illum videlicet Deum Patrem ac Dominum nostrum. Rigaltius.

Reconditur illa. Sepulcro.

Tu. Anima tua; principalissima pars tui. Rig.

Horsum. Horsum se capessit. Id.

Non poterunt æquari. Divinis.

Cura de actu. Supra dixit : *De gesto priore.*

Excruciant pœnis diros. Sic de ipso Christo, Instruct. 36, *per crucem dirus.* Glossæ veteres : *Dirus* Θεοχολώτος, δεῖνος *Diritas*, Δεινότης. Alia Glossæ : δεῖνος, *Malitiosus, iniquus, sævus, trux, acerbus, atrox.*

Grassaris, insanis, detractas nunc et Dei nomen;
Unde non effugies: pœnas per factaque ponet.
Nunc volo sis cautus, ne venias ignis in æstum.
Trade te jam Christo, ut te benefacta sequantur.

XXIX. — DIVITI INCREDULO MALO.

Differes, dives, nimium tua cuncta videndo
Insatiabiliter, quibus adhuc adhærere quæris.
Vivere post ista, dicis, non spero defunctus.
Ingrate summo Deo, qui sic Deum judicas esse;
Te qui nesciente protulit, deinde nutrivit:
Ipse prata tua gubernat, vineas ipse,
Ipse gregem pecorum, et quidquid possides ipse.
Nec istis attendis, aut tu regis omnia forte.
Cœlum hoc et terram et maria salsa qui fecit,
Reddere decrevit nos ipsos in aureo sæclo;
Et modo si credis, vivitur in Dei secreto.
Disce Deum, stulte, qui vult te immortalem adesse,
Ut gratias illi referas in agone perennes.
Lex docet ipsius, sed quia vagari tu quæris,
Omnia discredis, et inde in tartaros ibis:
Mox animam reddis, duceris quo te pœnitet esse.
Adluitur ibi pœna spiritalis æterna;
Lugia sunt semper, nec permoreris in illa,
Omnipotentem Deum jam nunc ibi sero proclamans.

XXX. — DIVITES HUMILES ESTOTE.

Disce, moriture, bonum te ostendere cunctis.
In medio populi quid te facis alterum esse?
Vadis ubi nescis, et inscius inde recedis.
Impie tractas, cum ipso corpore sitis
Tu semper divitias: nimium te tollis in altum,
Et typhum ducis, nec respicis pauperes ultro.
Subditos nunc vobis, nec parentes pascitis ipsos.
Heu miseri! fugiant longius mediocres a vobis.
A Vixit: et, extinxi. Pauper, Εὕρηκα, clamat.
Mox furiis ageris cum pereas ipse, Charybdis.
Indisciplinati sic vos divites estis.
Legem datis istis, non vobis paratis ipsis.
Exue te dives tantis malis, Deo perversus,
Subveniat utique tibi quod nunc operasti, si forte.
Estote comes numinis, dum tempus habetis,
Sicut ulmus amat vitem, sic ipsi pusillos.
Terribilem legem malis, bonis æque benignam
Observa nunc sterilis, subtutus in prosperis esto:
Tollite corda fraudis divites, et sumite pacis.
Et spectate malum vestrum. Benefacitis? Adsum

XXXI.—JUDICIBUS.

Intuite dicta Salomonis, judices omnes.
B Uno verbo suo qualiter vos ille detractat.
Dona quam et xenia corrumpunt judices: inde
Inde jus sequitur: datores semper amatis;
Cumque erit causa, victoriam tollit iniqua.
Innocens sic ego sum, nec vos incuso pusillus,
Blasphemium tollit Salomon quia aperte.
Vobis autem Deus est venter et præmia jura.
Suggerit hoc Paulus apostolus, non ego duplex.

XXXII. — SIBI PLACENTIBUS.

Si locus aut tempus favet, aut persona provexit;
Judex esto novus: quid nunc extolleris inde?
Blasphemas indocilis, de cujus præstantia vivis,
In fragilitate tanta non respicis unquam.
Per gradus et lucra avidus fortunæ præsumis;
Lex tibi non ulla est, nec te in prosperitate dinoscis.
Auro licet censeantur, bacchent aulica semper;
C Cruciarium Domini si non adorasti, peristi.
Et locus et tempus et persona tibi donatur
Nunc, si tamen credis: sin autem, pro eo timebis.

COMMENTARIUS.

δεινοποιῶ, *acerbo, inacerbo*. Et alibi: Θεοχολώτος *deiratus, nis. deo iratus*. Et apud Festum: Dirus *dei ira natus*. Juvenalis, *dis ille iratis genitus*. RIG.

Te qui nesciente protulit. Leg. *Te qui nescientem protulit*. DAVIS.

In aureo sæclo. In aurea Jerusalem: illo scilicet millenario inoffensæ felicitatis curriculo. RIG.

In Dei secreto. Supra dixit: *Sic habet abyssus noster de Dei secreto*. RIG.

Lugia sunt semper Fletus et stridor dentium. RIG.

Pauper, εὑρήκα, *clamat*. In apographo: *Vixit et extinxit pauper Ebrea clamor*. Emendatio præclara *Vixit, et extinxi. Pauper* εὑρήκα *clamat*. Ait Commodianus versu præcedenti: *Heu miseri! fugiant longius mediocres a vobis*: divitibus, scilicet. Deinde divitem inducit obloquentem in funere pauperis, quasi dum viveret importuni, ac nimium instantis: abegi tandem magnam a me molestiam: Vixit putidus ille Lazarus. Extinxi miserum. Tum de pauperis anima corpore exuta, et jam in cœlum assumpta. *Pauper*, inquit Commodianus, ευρηκα *clamat*; quod est: Inveni quod optaveram, quod petieram a Domino: Teneo viam qua itur in cœlum. Sic autem in ipsa lapidatione Stephanus: *Video cœlos apertos*, etc. RIG.

Furiis Charybdis. Angelis satanæ in inferni voragine, ubi non est substantia, sed inenatabile profundum. RIG.

Operasti. Hoc est, operatus est. Ἀχαϊκῶς, vel si mavis barbare. Simili licentia dixit instr. XXXI, v. 466: *Intuite dicta Salomonis*. Iterum instr. XXXIX, v. 481: *Bacchent aulica semper*. DAVIS.

Observa nunc sterilis. De sterilibus christianis dicetur Instr. LV. RIG.

Benefacitis? Adsum. Hoc ex persona Dei misericordiam offerentis, et resipiscenti gratiam atque auxilium præsentissimum suggerentis, se ipsum videlicet omnimodæ felilicitatis auctorem. RIG.

D *Dona quam et xenia corrumpunt judices*. Respicit, uti quidem credo, *ad Eccle.*, III, 16. In quem locum sic Hieronymus, t. V, p. 10, edit. Victor.: « Manifestus sensus est, sed nubilo interpretationis obvolvitur. Sub sole, inquit, isto veritatem et judicium exquisivi: et vidi etiam inter judicum ipsa subsellia, non veritatem valere, sed munera. » Vide psal. LXXXI, 2. DAVIS.

Victoriam tollit iniquæ. In apographo legitur, *victoria tollit iniquam*. RIG.

Blasphemium tollit Salomon. Sic in apographo legitur, ut supra, *ignominium et infamium*, instr. XIX. ID.

Deus est venter. In animo habuit Commodianus *Philipp.*, III, 19. DAVIS.

Judex esto novus. Novum magistratum adeptus.

De cujus præstantia. Dei, qui tanta tibi tam liberali manu præstat. RIG.

Cruciarium Domini. Sic legitur in apographo: *Cruciatum Domini, crucem Christi, Christum crucifixum*. τὸν μέγαν ἐκεῖνον τὸν ἐν τῇ παλαιστίνῃ ἀνασκολοπισθέντα. Pro cruciario, Græci dixere Martyrium: quo nomine

Tempera te Christo ; et cervicem illi depone.
Isti honor remanet et tota fiducia rerum.
Blanditur quando tibi tempus, cautior esto.
Ultima fatorum non providens quæ te oportet,
Sine Christo reviviscere non potes unquam.

XXXIII. — GENTILIBUS.

Gens sine pastore ferox, jam noli vagare.
Et ego qui moneo idem fui, nescius, errans.
Nunc ideo Domini figuram sumite vestri :
Tollite corda fera et exasperata sursum :
Intrate stabiles Silvestri ad præsepe pastoris,
Latronibus tuti sub regia tecta manentes.
In sylva lupi sunt; ideo refugite sub antro.
Bellaris insanis, nec respicis ubi moraris.
Uni crede Deo, uti mortuus vivere possis ;
Surgas et in regno cum fiet resurrectio justis.

XXXIV. — ITEM GENTILIBUS IGNARIS.

Indomita cervix respuit jugum ferre laboris ;
A Tunc juvat in campis crassis satiari siliquis :
Et tamen invita domatur utilis equa,
Minuiturque ferox esse, primum dedomata.
Gens, homo, tu frater, noli pecus esse ferinum,
Erue te tandem, et tecum ipse retracta ;
Non utique pecus, nec bestia es, sed homo natus ;
Tu te ipse doma sapiens, et intra sub arma,
Idola qui sequeris, nihil nisi vanitas ævi :
Levia vos corda perdunt pœne liberatos.
Ibi aurum, vestes, argentum ulnis refertur :
Bellatur ibi, dein cantatur pro psalmis Amor.
Vitam esse putas, ubi ludis, aut prospicis ista ?
Sortiris, ignare, extincta, aurea quæris ;
Inde non effugies pestem, licet ipse divinus.
Gratiam quam misit Dominus in terra legendam,
B Non requiris eam, sed sic quasi bestius errans.
Aurea præfata venient tibi sæcla, si credis,

COMMENTARIUS.

vocitatam fuisse basilicam, a Constantino Cæsare magnifice excultam, narrat Eucherius episcopus lugdunensis libello *de Urbis Hierosolymitanæ situ*. Ex eo vero in Vaticana libello doctissimus Jac. Sirmondus observavit alteram quoque basilicam ejusdem Constantini erectam fuisse, appellatamque proprio nomine : *Anastasin*. Hanc certe latini scriptores eo jure nuncupaverint resurrectionem, quo jure græci crucem dixere martyrium, basilicæ illius nomen, cujus præcipue mentionem fecit Eucherius. Porro C vocabulum illud, ἀναστάσιν, pro ipsa fidelium resurrectione, Commodianus noster ad sua latina transtulit, instr. XLIII. Nemo tamen idcirco basilicæ quoque nomen fuisse negaverit. Sed nummum sub Constantino cusum, cujus pars anterior exhibet viri, absque nomine ullo, vultum ; posterior vero, templi inter duos milites structuram : Christi Domini effigiem præferre, non alio magis argumento probabitur, quam quod Christus ipse dixerit, destructurum se templum hoc, se ipsum demonstrans, et triduo post reparaturum ; hoc est, se quoque ipsum resurrecturum, significans. Absque illo certe significatu, adversus eos qui forte vultum illum esse negaverint Christi, multo levioribus aget conjecturis, qui contradicet. Jam si veram illic esse Christi effigiem, perque annos trecentos servatam fuisse archetypi fidem credimus, cur tamdiu premitur res tanto studio cultuque christianis omnibus conspicienda? cur autem apud illos tamdiu latuit, qui tum formosum sibi depingi Christum volunt? Etenim Sirmondus qui num- D mum vidit, hoc tantum ait, faciem esse vividam et gravem. Austeram alicubi dixi, ut sic quam minime derogarem traditionibus patrum, primo illo Christi sæculo proximorum, quibus nec pudori fuit neque fraudi, neque item odio, Τὸ δύσειδες, τὸ ἀειδὲς, τὸ εὐτελὲς καὶ τὴν ὄψιν αἰσχρήν. RIG.

Tempera te Christo. Obtempera Christo : Compone vitam tuam ad Christi leges, secundum mandata Christi. RIG.

GENTILIBUS. Omnibus quidem ; sed iis præsertim, qui adhuc per Italiam passim et Romæ sæviebant in christianos, aut Christi nomen sive disciplinam oderant ac deridebant. RIG.

Domini figuram sumite vestri. Induite Christum Dominum. Paul. ad Rom., XIII, 14, et ad Galat., III, 27 : *In baptismo Christum induistis*. Sumite figuram, characterem Christi. Hoc est : Servate mandata et præcepta. Ipse Christus. Matth., XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*. Unde subjungit Commodianus : *Tollite corda fera*. RIG.

Tollite corda sursum. Alludit ad solemnem formulam, *Sursum corda*. RIG.

Intrate stabiles. In apographo : *Intrate stabilis silvestri ad præsæpia tauri. In* promptu fuit emendatio : *intrate sylvestri ad præsepe pastoris*. Quæ verba ad Ecclesiæ romanæ præstantiam faciunt non mediocriter RIG.

Nimium profecto recessisse videtur Rigaltius ab apographi lectione, quæ ipso teste sic se habet :

Intrate stabilis silvestri ad præsepia tauri.

Sirmondus apud Fabricium in *Delect. argument.*, p. 229, legebat :

Intrate stabiles vestra ad præsepia tauri.

Quæ magis placet quam Dodwelliana :

Intrate stabula silvestres ad præsepia tauri.

Davisius tamen Dodwello accedit : qui quidem pluribus suam hujus loci emendationem tuetur in dissertatione *de Commodiani ætate* §§ 6 et 9.

Sub regia tecta. In Ecclesia Christi. Sub rege Christo. RIG.

Refugite sub antro. In cryptis Ecclesiæ christianæ. Et fortean alludit ad illud temporis, quo Silvester, ad montem Soractem cum suis clericis delituisse creditur. RIG.

Crassis satiari siliquis. Horatius epistolar. II. Ep. I, *vivit siliquis et pane secundo*. RIG.

Domatur utilis equa. Hoc exemplo Philostratus narrat Apollonii fratrem a fratre suo juniore fuisse correctum. Κἀκεῖνον μὲν ὥσπερ οἱ καταψόντες τοὺς δυσηνιούς τε καὶ μὴ εὐαγωγοὺς τῶν ἵππων ἐς πειτῷ ἠγάγε καὶ μετεῤῥύθμισε τῶν ἁμαρτημάτων. etc., lib. I, c. 10.

Intra sub arma. In castris christianorum : fias miles Christi : in Ecclesia Christi. RIG. — Hæc locutio non potest id denotare, quod vult Rigaltius. Locus mihi videtur corruptus, quem levi mutatione sic emendarim :

Tu te ipsa doma sapiens, et intra sub antro.

Gentiles tamquam bestias alloquitur, quæ ex silvis in *antra* sunt compellendæ. Supra instr. XXXIII, v. 496.

In silva lupi sunt ; ideo refugite sub antro. DAVIS.

Bestius. De bestia fecit masculinum *bestius*. RIG.— Leg. *Sed sic, quasi bestius, erras :* ut res ipsa docet. DAVIS.

Aurea præfata. Hic etiam fabulam ingerit Millenariorum, sive aureæ et gemmatæ Jerusalem. RIG.

Rursus et incipies immortale vivere semper.
Illud quoque datur scire quod ante fuisti :
Subjectum te præbe Deo, qui cuncta gubernat.

XXXV. — DE LIGNO VITÆ ET MORTIS.

Adam protolapsus, ut Dei præcepta vitaret,
Belias tentator fuit de invidia palmæ ;
Contulit et nobis seu boni seu mali quod egit,
Dux nati nativitatis, morimur indeque per illum :
Ex divino ipse ut recedens exsul a verbo.
Finitis sex millibus annis immortales erimus.
Gustato pomi ligno mors intravit in orbem :
Hoc ligno mortis generamur vitæ futuræ.
In ligno pendet vita ferens poma, præcepta.
Cavete nunc vitalia poma credentes.
Lex a ligno data est homini primitivo timenda,
Mors unde provenit neglecta lege primordi :
Nunc extende manum, et sume de ligno vitali.
Optima lex Domini sequens de ligno processit.
Perdita lex prima ; gustat unde licet illi.
Qui deos adorat vetitos, mala gaudia vitæ.
Respuite gustum ; sufficiet scire quod esset.
Si vivere vultis, reddite vos legi secundæ.

A Templorum culturas, dæmonum fata vitate
Vertite vos Christo, et eritis Deo sodales.
Xanta Dei lex est, quæ mortuos vivere docet.
Imnum sibi solus Dominus proferre præcepit ;
Zabolicam legem omnes omnino vitate.

XXXVI. — DE CRUCIS STULTITIA.

De duplici signo dixi, mors unde processit;
Et iterum inde procedere vitam frequenter.
Crux autem stultitia facta est adulteræ genti.
Rex æternitatis per crucem dirus adumbrat,
Ut sibi nunc credant, o stulti morte viventes !
Cain juniorem occidit, nequam repertus :
Inde Enoch suboles Cainæa nati feruntur.
Sic gens iniqua increvit mundo, quæ nunquam
Transmittit animos in Deum : credere crucem
B Venit in horrorem, et dicunt se vivere recte.
Lex in ligno fuit prima, et inde secunda.
Terribilem legem primo, cum pace revenit.
In prævaricationes vanas elati ruerunt :
Trajectum clavis Dominum cognoscere nolunt :
Judicium cujus cum venerit, ibi dignoscent.
Abel genus autem credit modo Christo benigne.

COMMENTARIUS.

DE LIGNO VITÆ ET MORTIS. In hac instructione non servatur acrostichis, sed series litterarum alphabeti Sic et infra instr. LX, ubi tamen deest littera X.

Adam protolapsus. Alludit ad protoplastum. RIG.

Belias tentator. Diabolus, bestia pro serpens. Sic instr. LIII : *Tu tibi præterea in beliam parcere noli.* RIG. — In testamentis patriarcharum, sibyllinis oraculis et C aliis multis veterum scriptis, diabolus Βελίαρ, ut Commodianus *belias*, dicitur. Sed utraque scribendi ratio prorsus est vitiosa. Verum nomen est *belial.* Vide Usserium ad c. 11, Epistolæ ad Philippenses Ignatio adscriptæ. DAVIS.

Dux nati nativitatis. Otiosa jacet vox media, sensumque turbat. Leg. *Dux nativitatis :* hoc est, qui primus omnium natus fuit, seu protoplastus. DAVIS.

Cavete nunc vitalia poma credentes. Superiore versu Christum significans dixerat Commodianus : *In ligno pendet vita ferens poma, præcepta ;* cur ergo jam monet, ut *poma vitalia caveamus?* Omnino leg. : *Capite nunc vitalia poma credentes.* Sic mox v. 533 : *Nunc extende manum, et sume de ligno vitali.* DAVIS.

Lege primordi. Legem primordialem dixit Tertullianus, lib. adv. Jud., c. 2. RIG.

Optima lex Domini sequens. Lex secunda : Novum Testamentum, Evangelium. RIG.

Reddite vos legi secundæ. Sic supra, instr. XXVI. D *Non illa te reddunt.* RIG.

Dæmonum fata. Oracula idolorum, idololatrarum præstigias. RIG. — *Fata* quidem, *oracula* denotare monet Servius ad *Æneid.*, v. 703. Sed de responsis deorum non agit Commodianus. Meo periculo lege : *Templorum culturas dæmonum fana vitate.* DAVIS.

Xanta Dei lex est. Sancta. Sic *Xantones*, Santones. Elias Vinetus ad Ausonii epist. XI. RIG.

Zabolicam legem. Sic infra instr. LIX, v. 922 : *Cuncta de Zabuli pompa.* Et instr. LXVIII : *Zacones* pro *Diacones.* Lactantius *de Mortib. persecut.*, c. XVI. *Post illas novem gloriosissimas pugnas quibus a te Zabulus victus est, non est ausus ulterius congredi tecum.* Alii quoque scriptores ecclesiastici eamdem loquendi rationem usurpasse noscuntur : Hilarius in c. 26. Matth. Hieronymus in versione Homiliarum I, III, VI, IX et XI. Origenis in Ezechielem : ut reliquos prætereamus. Cæterum de particula διά in ζα æolicum mutata, consulere præstat virorum eruditorum observationes ad Hesychium noviss., edit. v. ζαβάλλειν : sed in primis Dissertationes Huetianas a Tilladeto editas, t. I, p. 93-95. Vide quoque infra Rigaltium ad inscriptionem *Instruct.* XXXVII. DAVIS.

DE CRUCIS STULTITIA. Aut composito vocabulo legendum, *crucistultitia* σταυρομωρία ; aut deerit acrostichidi versus.

Crux autem stultitia facta est. Paulus ad Corinth. Ἕλλησι μωρία. Hic vero Commodianus universim ad omnes gentes quæ idola colunt, ut per gentem adulteram significet Cainæam.

Per crucem dirus adumbrat. Ut supra, *obumbrant populum simplicem.* Cruce sua Christus sapientes sæculi pro stultis et fatuis habuit. Adumbravit eos diritate crucis, tam admiranda divinæ majestatis patrans facinora. RIG. — Blasphemiæ reus est, qui Salvatorem nostrum, *dirum* vocaverit. Leg. *Rex ætern. Diros adumbrat, ut sibi non credant.* Sic Instruct. XXVIII, v. 419. *Excruciant pœnis diros.* DAVIS. — Hac posita emendatione, respexerit Commodianus illud, *Luc.*, VIII, 18. *Ut videntes non videant, et audientes non intelligant.* Confer. et *Matth.*, XIII, 13. Et vide mox infra, v. 577.

Inde Enoch suboles Cainæa. In apographo legitur : *Inde Nohel suboles Cananæi.* De isto Enoch Eusebius, priore chronicorum libro, quem edidit Scaliger : « Iste Enoch alter est ; non qui transpositus est, ut non moriatur : ille enim filius est Jareth septimus ab Adam. » RIG. — Vid. *Genes.*, IV, 17. Hunc Ἐνώσον vocat Josephus, *Antiqq.*, l. I, c. III. Et ita sane nonnulla LXX viralis Interpretationis exemplaria. DAVIS.

Cum pace revenit. Qui sit horum verborum sensus, equidem non video. Fortean legendum : *Et inde secunda terribilem legem primo cum pace revincit.* ID.

Abel genus autem. Immo genus Sethi, quem ipse Adamus (seu potius, ipsa Eva) ait positum sibi a Deo fuisse semen aliud pro Abele, quem occiderat Cainus. Lucas, ad Sethum, non ad Cainum (ad Abelem), Christi genealogiam refert. Quæ autem de mialgamia filiorum hominum cum filiis Dei, qui et Egregori passim in scriptis veterum reperiuntur, tot fabularum intricata sunt commentis, ut quid affirmari liquido possit, minime discernant etiam perspicacissimi. Videatur Suidas, in vocabulo Μιαιγαμίαι, cum

XXXVII. — QUI JUDÆIDIANT FANATICI.

Quid? medius Judæus, medius vis esse profanus?
Unde non effugies judicium Christi defunctus.
Ipse cæcus eras, et ad cæcos intras, inepte:
Idcirco cæcum cæcus in fossam deducit;
Vadis ubi nescis, et inscius inde recedis;
Discentes ad doctos eant doctique recedant.
At tu ad eos vadis, unde nihil discere possis.
Exis pro foribus, inde et ad idola vadis
Interroga primum quid sit in lege præceptum;
Dicant illi tibi, si jussum est deos adorare.
Ignorantur enim propter quod maxime possunt.
At illi quoniam rei sunt, ex ipso delicto
Nihil de præceptis Dei nisi mirabile narrant:
Tunc tamen in fossam secum vos cæci deducunt.
Funera sunt, nimium de illis nota referre.
Aut quia concludit agrum congestus aratri.
Noluit omnipotens illos intelligere regem;
A scelere tanto refugit ipse cruentus.
Tradidit sese nobis superaddita lege,
Inde modo latitant nobiscum rege deserti.
Cæterum in illis si spem esse putatis,
In totum erratis, si Deum et fana colatis.

XXXVIII. — JUDÆIS.

Improbi semper, et dura cervice recalces,
Vinci vos non vultis, sic hæredes eritis.
A Dixit Esaias incrassato corde vos esse.
Aspicitis legem, quam Moses allisit iratus.
Et idem Dominus dedit illi legem secundam:
In illa spem posuit, quod vos subsanati reicitis.
Sed ideo digni non eritis regno cœlesti.

XXXIX. — ITEM JUDÆIS.

Inspice Liam, typum Synagogæ fuisse;
Tam infirmis oculis, quam Jacob in signo recepit:
Et tamen servivit rursum pro minore dilecta.
Mysterium verum et typum Ecclesiæ nostræ.
Intuite plene dictum Rebeccæ de cœlo:
Unde similantes alienæ, Christo credatis.
Deinde Thamar partum geminorum adite:
Ad Cain intendite, primum terræ cultorem,
B Et Abel pastorem, qui fuit immaculatus
In fratris exitio offertor mactatus a fratre.
Sic ergo percipite, juniores Christo probatos.

XL. — ITERUM IPSIS.

Incredulus populus, non est nisi vester, iniqui,
Tot locis et totiens reprobatus lege clamantum,
Et sabbata vestra spernit et tricesimas Altus
Respuit omnino universas vestras de lege,
Ut ne sacrificia faceretis illi præcepta;
Mittere qui dixit lapidem in scandalo vestro.
Iniqua si qui non crediderint morte perisse;
Perque alias leges salvari dilectos: inde

COMMENTARIUS.

Excerptis scaligerianis ex Enochi libro I, et Collectaneis petavianis, volumine de Angelis. RIG.

QUI JUDÆI DIANT FANATICI. Judaizant. In antiquissimis Cypriani codicibus concil. Carthag. Exorcidiare, pro Exorcizare. Sic et instr. XXXV, *Zabolicam legem* pro Diabolica, et passim *zacones*, pro *diacones*. RIG.

Ipse cæcus eras. Procul dubio legendum: *Ipse cæcus erras*. DAVIS.

Funera sunt. Alludit ad vulgatum illud, Δὶς κραμβὴ θάνατος: Crambe reposita mors est: *Occidit miseros Crambe repetita magistros*. RIG.

Aut quia concludit agrum congestus aratri. Acrostichidos modus non capit plura. RIG.

A scelere tanto. Scelus intelligit Judæorum, qui regem suum Dominum nostrum crucifixere. RIG.

Refugit ipse cruentus. In ipsa cruce Christus consummatis omnibus quæ Pater mandaverat, abdicavit populum ingratum, convertitque sese ad nationes exteras. *Cruentum* hic dicit, quem supra *dirum*. RIG.— Absit ut benignissimus humani generis Redemptor, *cruentus* nominetur. Leg. *A scelere tanto refugit ipse cruentos*: seu post tantum scelus *Judæos* istos sanguinolentos aversatus est (eodem sensu, quo supra v. 547). DAVIS.

Vinci vos non vultis. Sic supra Instr. XXVII. *Vinceris insipiens*. At insipiens, cum vinci se patitur, resipiscit. Judæi qui recalcitrant, vinci nolunt. RIG.

Quod vos subs. Leg. *quam*. nempe legem. DAVIS.

Inspice Liam. His argumentis pugnant, Justinus, Tertullianus, Cyprianus et alii Patres Christiani adversus Judæos.

Tam infirmis oculis. Cyprianus: *Majorem Liam oculis infirmioribus*. Sulpicius Severus: *Lia oculis deformior*. Hancce Liam Commodianus ait typum Synagogæ fuisse: at Rachelem juniorem et pulchriorem, Ecclesiæ Christianæ. Quæ sane comparatio *decutit supercilium Judæorum, qui Sinagogæ angustias, Ecclesiæ latitudini præferebant*. Hieronymus, Epist. ad Dardanum 129.

Quam Jacob in signo recepit. Suppositam sibi, pro C Rachele quam diligebat.

In signo. Mysterio et figura, veteris Testamenti.

Pro minore dilecta. In apographo, *pro minore delicto*. Mendose Cyprianus: *Minorem speciosam, in typum Ecclesiæ*. RIGALT.

Intuite plene dictum Rebeccæ de cœlo. Respicit auctor *Gen*. XXV. 23. Καὶ εἶπε Κύριος αὐτῇ (Ῥεβέκκῃ). Δύο ἔθνη ἐν τῇ γαστρί σου εἰσί· καὶ δύο λαοὶ ἐκ τῆς κοιλίας σου διασταλήσονται· καὶ λαὸς λαοῦ ὑπερέξει, καὶ ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι. Adeatur et D. Paulus ad Rom., IX, 12, 13. DAVIS.

Similantes alienæ. Virgil. — *Formam adsimilata Camerti*. RIGALT.

Lege clamantum. Scriptis Prophetarum. Sic Instruct. LVI. *Si propheta tantum acclamasset in nubem*.

Altus. Qui et Altissimus. RIGALT.

Et sabbata vestra spernit et tricesimas Altus. Digitum intendit Commodianus ad Esaiæ, I. 13, 14. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est* D *mihi. Neomeniam et sabbatum et festivitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea*. Pro *Neomeniis* et *Calendis* Commodianus *tricesimas* dixit. Sic et Horatius lib. I, *Sat*. IX, 69.

Hodie tricesima sabbata vin' tu
Curtis Judæis oppedere?

Hac de re videatur Scaliger, *Canon. Isagog*., lib. III, pagg. 223, 264. DAVIS.

Iniqua morte perisse. Mortuum esse: sublatum de rebus humanis. Humano, seu potius Ethnico more loquitur. Neque enim perisse dici debet, qui a mortuo die tertia revixit. RIGALT. — *Iniqua — morte perisse*. De Christo accepit dicta hæc verba Rigaltius. At inspecto Scripturæ textu, quem sane respexisse Commodianus comperitur, videtur auctor locutus, non de Christo, sed de incredulis Judæis, quos *iniqua* seu mala *morte perisse* tradit. Confer *Isa*. VIII, 14, 15 cum *Matth*. XXI, 42, 44.

Suspensam in ligno vitam, nec illi creditis,
Ipse Deus vita est : pependit ipse pro nobis.
Sed vos indurato corde subsannatis eumdem.

XLI. — DE ANTICHRISTI TEMPORE.

Dixit Esaias : Hic homo, qui commovet orbem,
Et reges totidem, sub quo flet terra deserta.
Audite quoniam propheta de illo prædixit :
Nihil ego composite dixi, sed neglegendo.
Tum scilicet mundus finitur, cum ille parebit.
In tres imperantes ipse diviserit orbem :
Cum fuerit autem Nero de inferno levatus,
Helias veniet prius signare dilectos.
Res quas Africæ regio et Arctoa natio, tota
In septem annis tremebit undique terra,
Sed medium tempus Helias, medium Nero tenebit.
Tunc Babylon meretrix incinefacta favilla,
Inde ad Jerusalem perget, victorque Latinus
Tunc dicet : Ego sum Christus quem semper oratis.
Et quidem conlaudant illum primitivi decepti.
Multa signa facit, quoniam ejus pseudopropheta.
Præsertim ut credant illi, loquetur imago.
Omnipotens tribuit ut talis evadat.
A Recapitulantes scripturas ex eo Judæi,
Exclamant pariter ad excelsum sese deceptos.

XLII. — DE POPULO ABSCONSO SANCTO OMNIPOTENTIS CHRISTI DEI VIVI.

Desideretur absconsus ultimus sanctus,
Et quidem ignotus a nobis ubi moretur,
Per novem tribum agens, et dimidiam nobis
O. . . . .
Præcepitque per legem vivere priscam :
Vivamus nunc omnes ; novella traditio legis :
Lex ut ipsa docet, aptius judico vobis.
Obrelictæ duæ tribuum et dimidia : quare
Ab istis dimidia tribuum ? ut martyres essent
Bellum cum inferret electis suis in orbem :
Seu certe sanctorum chorus prophetarum
B Consurgeret ad plebem, qui frenum imponeret illis,
Obsceni quos equi trucidarunt calce remissa ;
Nec rueret temere ad pacem manus aliquando.
Semotæ sunt istæ tribuum, et mysteria Christi
Omnia per istas complentur sæculo toto.
Sunt autem de scelere duorum fratrum enatæ,
Auspicio quorum facinus secutæ fuere.

COMMENTARIUS.

Dixit Esaias. Quæ sequuntur non sunt apud Esaiam, ut jam isthinc verissima sit Auctoris præfatio ; *Nihil se composite* dixisse. Sed est tamen apud Esaiam de Nova Jerusalem locus, qui ab Justino Martyre adversus Tryphonem citatur pro tempore illo mille annorum. Et est prophetiæ cap. LXV. RIGALT. — Memoria lapsus est Rigaltius, quum ea quæ sequuntur, apud C Esaiam non esse confirmaret : leguntur enim cap. 14, 16, 17. *Numquid iste est vir qui conturbavit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum ?* etc. Quod propheta de rege Babylonio dixerat, Commodianus ad Antichristum deflectit. DAVIS.

Qui commovet orbem, et reges tot. Commovet orbem et consimiliter reges. Jam sæpe observavimus hanc particulam *totidem* in hoc significatu.

In tres imperantes ipse diviserit orbem. Si sana sit exemplaris lectio, re vera Commodianus hæc *negligendo dixit.* Antichristus enim non *in tres imperantes orbem dividere*, sed tres reges superare debuit. Vide *Dan.*, VII, 24; Irenæum, lib. V, capp. 25, 26; et Lactantium, VII, 16. Forsan legendum :

In tres imperantes ipse devicerit orbem :

seu adversus tres imperatores pugnans, orbem subjugarit. DAVIS.

Nero de inferno levatus. Sic Instr. LXI, *de cloaca levatus.* Depravatissime in apographo : *Herode inferno levatus.* RIGALT.

Medium Nero tenebit. Sulp. Severus, Hist., II, 28, « Opinione multorum receptum fuisse ait, ipsum Antichristum venturum. » RIGALT. — Tres annos cum dimidio regnabit. Irenæus lib. V, cap. 25 : « Dabitur in manus ejus (Antichristi) usque ad tempus temporum et dimidium temporis : hoc est, triennium et sex menses, in quibus veniens regnabit super terram. » Vide sis et capp. 28, 30, ac Lactantium lib. VII, cap. 17. In eadem sententia fuit Hieronymus aliique veteres. DAVIS. — An *tribus?*

Tunc Babylon meretrix. Quæ in Apocalypsi Joannis habet in fronte nomen, *Mysterium ; Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terræ.* Tertullianus lib. adversus Judæos : « Babylon apud Joannem nostrum Romanæ urbis figura est. Proinde et magnæ et superbæ et sanctorum debellatricis. » Auctores finium regundor. *Babylonem* Romam dixere : ubi et observavimus, quæ huc pertineant pag. 271 et 313. RIGALT.

Victorque Latinus. Irenæus, lib. V, cap. 25. « Sed et LATEINOS nomen habet sexcentorum sexaginta sex numerum. Et valde verisimile est, quoniam novissimum regnum hoc habet vocabulum : Latini enim sunt, qui nunc regnant. Sed non in hoc nos gloriabimur, etc. » Quam iste Latinus ab illo Silvestro diversus ! ad cujus præsepe cunctos convocat Christianos, Instr. XXX. RIG.

Primitivi decepti. Sic Instruct. XXXV : *homini primitivo.* RIG.

Loquetur imago. Apoc., XIII, 15. Hoc etiam de Apollonii Tyanæi imagine narratur. ID.

Recapitulantes ex eo scripturas. Hesychius : ἀνακεφαλαιοῦνται, συμπληροῦνται, ἐπαναλαμβάνει. Frequenter usurpat hoc verbum Irenæus lib. V, c. 15, de ipso Christo : « Recapitulans, » inquit, « in se omnia quæ in cœlis, et quæ in terra sunt. » Et paulo post : « Hæc igitur in semetipso recapitulatus est, adunans hominem spiritui, etc. » Tertullianus lib. V, adv. Marc. : « Sicut verbum illud in Græco sonat, recapitulare, id est, ad initium redigere, vel ab initio recensere omnia in Christum. » Esdr. IV, 12, 25 : *Qui recapitulabunt impietates ejus, et qui perficient novissima ejus.* RIG.

D *Per novem tribum agens.* Leg. *Per novem* TRIBUUM agens. Sic mox, v, 638 : *Obrelictæ duæ* tribuum *et dimidia.* DAVIS.

Aptius judico vobis. Hæc verba levi mutatione sic correxerim : APERTIUS *indico vobis.* Obscura scripturarum de novem tribubus et dimidia, de Antichristo aliisque nonnulis se declaraturum profitetur Commodianus. RIG.

Sanctorum chorus prophetarum. Synodus episcoporum. RIGALT.

Obsceni quos equi. Carpit Novati et Novatiani scelera, qui absenti ejectique Ecclesia plebem adversus episcopos suos accenderant. Vid. Cypr. Epist. 49. RIG.

Nec rueret temere ad pacem. Hoc pertinet ad historiam lapsorum et schismaticorum, qui factiosis prensationibus episcopos perurgebant, ut pacem indignis etiam inviti concederent. RIG.

De scelere duorum fratrum. Quondam fratrum, hodie apostatarum. RIG.

Non immerito tales dispersi sunt ipsi cruenti :
Convenient iterum propter mysteria Christi.
Tunc autem properant compleri legis narrata.
Omnipotens descendit Christus ad suos electos,
Obscurati nobis qui fuerunt tempore tanto;
Millia tot facti : illa est gens vera cœlestis.
Non natus ante patrem moritur ibi neque dolores
In suis corporibus sentiunt, aut tubera naso.
Pausantes in lecto suo mature recedunt,
Omnia complentes legis : ideoque tutantur.
Transire jubentur ad Dominum partibus dextris,
Exsiccat fluvium quibus sicut ante trajectis;
Nec minus et Dominus ipse procedit cum illis,
Transiit ad nostra; veniunt cum rege cœlesti.
In quorum itinere quid dicam quod Deus educet?
Subsidunt montes ante illos, et fontes erumpunt :
Cælestem populum gaudet creatura videre.
Hic tamen festinant matrem defendere captam.
Rex autem iniquus qui obtinet illam, ut audit,
In partem boreæ fugit, et colligit omnes.
Sed cum se inlidet exercitu Dei tyrannus
Terrore cœlesti prosternuntur milite cœli;
Ipse cum infando comprehenditur pseudopropheta.
Decreto Domini traduntur vivi gehennæ.
Ex eo primores et duces servire jubentur.
Intrabunt tunc sancti ad antiquæ ubera matris.
Ut autem et illi refrigerent, quos male ille suasit,
A In variis pœnis cruciabit sibi credentes.
Ventum est ad finem, quo tolluntur scandala mundo.
Incipiet Dominus judicium dare per ignem.

XLIII. — DE SÆCULI ISTIUS FINE.

Dat tuba cœlo signum, sublato leone;
Et fiunt subito tenebræ cum cœli fragore.
Summittit oculos Dominus ut terra tremiscat;
Adclamat ut et audiant omnes in orbem :
Ecce diu tacui sufferens tanto tempore vestra.
Conclamant pariter plangentes sero gementes;
Ululatur, ploratur, nec spatium datur iniquis.
Lactanti quid faciet mater? cum ipsa crematur.
In flamma ignis Dominus judicabit iniquos :
Justos autem non tanget ignis, sed immo delinget.
Sub uno morantur, sed pars in sententia flevit.
B Tantus erit ardor, ut lapides ipsi liquescant;
In fulmina cocunt venti, furit ira cœlestis,
Ut quacumque fugit impius, occupatur ab igne.
Suppetium nullum erit, nec nautica puppis :
Flammat Amen gentes, et Medi Parthique fervent
In annis mille, ut ferunt operta Joannis.
Nam inde post annos mille gehennæ traduntur,
Et fabrica cujus erant, cum ipse cremantur.

XLIV. — DE RESURRECTIONE PRIMA.

De cœlo descendet civitas in anastasi prima :
Est quod referamus de fabrica tanta cœlesti.

COMMENTARIUS.

Cruenti. Truces, diri, atroces. RIG.

Propter mysteria Christi. In apographo : *propter mysteria castus*. RIG.

Compleri legis narrata. Hac loquendi formula usus est, deque Antichristo et fine sæculi consentanea Commodiano scripsit, circa annum Christi 360 Q. Julius Hilario : « Si nos imperio Dei, quod fidele est, audiamus, accipiamus necesse est quidquid nobis divina lex fideliter enarravit, etc. » RIG.

Aut tubera naso. In apogr. *ubera nato*, prave. Ozænam significat, vel potius polypum. Ozæna, malum ulcus in naso, a polypo pisce nuncupatum : et est καρκινώδες, nares urget et strangulat. RIG.

Pausantes in lecto. Inscriptio vetus Mediolani AURELIUS, EUSEBIUS, MATRI. CONTRA. VOTUM. FIDEL. PAUSANT. Gruterus p. ML. 9. RIG.

Transire jubentur ad Dom. Sic inscriptione antiqua, Viennæ Allobrogum. TRANSIIT SUB DIE... ORBIS. FAUSTO. VIRO. C. — CONSS. RIG.

Festinant matrem defendere captam. Hierosolymam significat. Videsis Instr. XLI, v. 623. DAVIS.

Prosternuntur milite cœli. Vid. Apoc., XIX, 19. In apographo legitur : *prosternuntur milites Eli*. RIG. — *Prosternuntur milite cœli*. Emendatio Rigaltii solœcam reddit orationem : præcesserat enim *tyrannus*, nomen singulare. Leg. *prosternuntur milites* ILLI, videlicet Antichristi. Vide Lanctantium, *Div. Instit.*, lib. VII, c. 17 et 19. DAVIS.

Pseudoproph. Apoc. XIX, 20.

Primores et duces servire. Infra Instr. LXXX, dicet : *Sub jugo servili portent victualia collo*.

Judicium dare per ignem. Tertullianus, lib. de Resurr. car., c. 25 : « Dehinc et igne dato, universalis resurrectionis censura de libris judicabitur. » RIGALT.

DE SÆCULI FINE. *Clausulam temporum* dixit Tertullianus lib. de Resurr. car. Alibi : *Clausulam sacrificationis et gloriæ sæcularis*. RIG.

Sublato leone. Hunc fore Neronem opinabantur christiani. Sulp. Severus, Dial. II, cap. 14, ubi de iis,
C quæ Angelus beato Martino nuntiaverat : *Cum ab eo de fine sæculi quæreremus, ait nobis : Neronem et Antichristum prius esse venturos*, etc. Et paulo post : *Denique, Neronem ab Antichristo esse perimendum* etc. RIG.

In flamma ignis. Paulus, II ad Thessal., I, 8, ἐν πυρὶ φλογός. Apoc., XIX, 12, φλὸξ πυρός. RIG.

Ut accupatur ab igne. Leg. *occupetur* : quod ipsa postulat latinitas. DAVIS.

Flammat Amen Amen. Verbum Dei : quo ipse Dominus designatur : ὁ πίστος καὶ ἀληθινὸς ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ. Apocal., III, 14. Quemadmodum vero hac Instructione Commodianus ait. *Flammat Amen*, sic per Ecclesiam Romanam ad similitudinem cœlestis tonitrui *Amen reboare* dixit Hieronymus. procœmio lib. II ad Gal. Vid. Isid. Orig. VI, cap. 19. RIG.

Ut ferunt operta Joannis. In apographo legitur : *Ut ferunt corpora sanctis* : quod procul dubio depravatum est. Emendamus : *Ut ferunt operta sancti*, vel potius *operta Joannis*. Veteres glossæ : *Opertum*,
D ἀπόκρυφον. Apocalypsin Latini dixere *Revelutionem*. De Apocalypsi Joannis, Sulpicius Severus, Hist. Eccl., II, 31, inter dubia recenset. Hieronymus epist. ad Dardanum CXXIX, num. 4, ubi de Epistola Barnabæ ad Hebræos : *Utramque*, inquit, *suscipimus* (epistolam nimirum ad Hebræos et Apocalypsin). Quæ certe Revelatio mysteria nobis exhibet valde operta et abscondita. RIG. — De Apocalypseos αὐθεντία jejune nimis Rigaltius heic. Fallitur vero dum scribit Apocalypsin inter dubia recensere Sulpicium Severum. Sic enim ille *Hist. eccl.*, lib. II, cap. 31 : « Domitianus, Vespasiani filius, persecutus est Christianos. Quo tempore Joannem Apostolum atque Evangelistam in Pathmum insulam relegavit : ubi ille arcanis sibi mysteriis revelatis, librum sacræ Apocalypsis (*qui quidem a plerisque aut stulte aut impie non recipitur*) conscriptum edidit. » DAVIS.

De cœlo descendit civitas. Tertullianus, lib. III adv. Marc. « Confitemur in terra nobis regnum repro-

Resurgemus illi qui fuimus illi devoti,
Et incorrupti erunt, jam tunc sine morte viventes:
Sed nec dolor ullus, nec gemitus erit in illa.
Venturi sunt illi quoque sub Antichristo qui vincunt
Robusta martyria: et ipsi toto tempore vivunt,
Recipiuntque bona quoniam mala passi fuere,
Et generant ipsi per annos mille nubentes.
Comparantur ibi tota vectigalia terræ,
Terra quia nimium fundit sine fine novata.
Inibi non pluvia, non frigus in aurea castra,
Obsidiæ nullæ, sicut nunc, neque rapinæ,
Nec lucernæ lumen desiderat civitas illa:
Ex auctore suo lucet, nec non ibi paret
Per duodecim] millia stadia lata; longa, sic alta;
Radicem in terra, sed caput cum cœlo peræquat,
In urbe pro foribus autem sol et luna lucebit.
Malus in angore septus propter justos alendos.
Ab annis autem mille Deus omnia perdet.

XLV. — DE DIE JUDICII.

De die judicii propter incredulos addo.
A Emissus iterum Dei donabitur ignis:
Dat gemitum terra verum, tunc in ultima fine
Iter agentes, et tunc increduli cuncti,
Evitante tamen sanctorum castra suorum,
In una flamma convertitur tota natura:
Uritur ab imis terra, montesque liquescunt:
De mare nil remanet, vincitur ab igne potente.
Interit hoc cœlum et astra, et ista mutantur.
Componitur alia novitas cœli terræque perennis.
Inde qui mereunt, mittuntur in morte secunda:
Interioribus autem habitaculis justi locantur.

XLVI. — CATECUMINIS.

Credentes in Christo, derelictis idolis, omnes
Admoneo paucis propter salutaria vestra.
B Temporibus primis per errorem si qua gerebas,
Erogatus enim Christo tu cuncta relinque.
Cumque Deum nosti, esto bonus tiro, probatus;
Virgineusque pudor tecum versetur in agno.
Mens bonis invigilet: cave ut non delinquas in ante.
In baptismo tibi genitale solox lavatur.

COMMENTARIUS.

missum; sed ante cœlum, sed alio statu; utpote post resurrectionem in mille annos; in civitate divini operis Jerusalem, cœlo delata; quam et Apostolus matrem nostram sursum designat. » Ibidem paulo post: « Constat ethnicis quoque testibus in Judæa per dies quadraginta matutinis momentis civitatem de cœlo pependisse. » etc.

In anastasi prima. Apoc., xx, 5. Tertullianus, lib. de Resurr. cap: « Diabolo in abyssum relegato, primæ resurrectionis prærogativa de soliis ordinatur. » Ex millenariorum disciplina duas constituit resurrectiones; primam resurgentium ad illam mille annorum terrenam felicitatem: alteram universalem, quum dabit Deus ignem totius orbis conflagratorem, ad supremi judicii censuram. Et tamen ipse Tertullianus alibi passim martyrum animas in ipsa martyrii corona statim rapi ad cœlum affirmat; aliis vero, et fidelibus quidem ipsis, moram resurrectionis opponit, ita ut apud inferos modicum quodque delictum breviore aut longiore mora illa resurgendi luant: sententiis certe perplexis et intricatis, ut solent esse mortalium, Dei consilia curiose nimis inquirentium, vel minus verecunde sollicitantium. Vid. lib. de Anim., 24, et Scorp., c. 12, Observ. ad Cypr. epist. LII. RIG.

Incorrupti erunt. Leg. *incorrupti erimus.* DAVIS.

Et generant ipsi. Hoc certe fuit eximie fatuum in illa millenarii temporis fabula. Lactantius, VII, 24: « Per eosdem mille annos infinitam multitudinem generabunt, et erit soboles eorum sancta et Deo cara, etc. » RIG.

Obsidiæ nullæ. Infra dicet: *Obsidiando perit.* RIG.

Malus in angore. Malum dicit, draconem, serpentem, diabolum, satanam, πονηρόν. RIG.

Angore. Angina, cruciatu.

Forte legendum *dominabitur ignis.* Seu cuncta vastabit DAVIS.

Iter agentes. Præfinitum in terra vivendi spatium peragentes, vel *in terra agentes.* RIG.

Evitante tamen. Ut supra, Instr. XLIII: *Justos autem non tanget ignis.* RIG.

Et astra, et ista mutantur. Forsan reponendum, *et astra vel ipsa mutantur.* Utut sit, cuivis patet sanam non esse vulgatam lectionem. DAVIS.

Mittentur in morte secunda. Prima est corporis, secunda animæ quæ est mors æterna, ignis æternus. Vid. Instr. LII. RIG.

Interioribus autem habitaculis. Etenim intrare, sive introire dicuntur sancti in regnum Dei, in vitam æternam. Mali contra, ejiciuntur, pelluntur, mittuntur in tenebras exteriores. RIG.

CATECUMENIS. Hoc vocabulum ita scriptum vulgo fuisse ævo Commodiani acrostichis indicat. Sunt autem κατηχούμενοι, Audientes, Competentes, διδασκόμενοι. RIG.

C *Cave ut non delinquas in ante.* Hoc est, ut vitam non vivas, qualem vivebas antequam esses ad fidem christianam vocatus. Sic instr. seq. *Unde non effugies peccatum prisca sectans.* Prisca sectatur qui, professus Christi nomen, redit ad vomitum, et vitam vivit sæculi vitiis dissolutam, qui moribus utitur quibus utebatur ante fidem Christo datam. RIG.

In baptismo tibi genitale solox lavatur. In apographo legitur: *In baptismo tibi genitale sola tenantur.* Prima visione placebat, baptismum genitalem diel, quo sensu dixit Cyprianus ad Donatum, *Undæ genitalis auxilio superioris ævi labem detersam:* ut hæc sententia Commodiani fuerit, novam in Christiano baptismo nobis nativitatem donari, qua nempe renascimur, depositis sordibus Adami veteris. Omnes enim ex eo nascimur, ejusque peccatum quasi per traduces longa serie propagatum in nos dimanavit. At renascimur in Christo, baptismo videlicet genitali. Qui sensus sane bonus est et verus. Sed quid fiet his, D quæ sequuntur in apographo, *sola tenantur,* vel *sola lavantur?* Sic igitur opinabar: sola peccata genitalia lavari baptismo, non ea quæ post baptismum, violata Christianæ disciplinæ fide, committuntur. Qui sensus satis, itidem commodus videatur, ut sit genitale peccatum, quod ab origine sua quisque secum infert. Verum, ne quid dissimulem, displicebat ea scriptura, genitalia sola baptismo lavari, quæ ipsa sui ambiguitate risum movet. Itaque pensitatius cogitanti subvenit alia hujuscemodi. *In baptismo tibi genitale solox lavatur.* Quæ lectio, etsi non penitus sublata ambiguitate, sed tamen correcta, lavacri genitalis necessitatem taxat, ut jam solox genitale dicantur sordes originalis peccati, quas elui baptismo credimus. *Solox,* usitatum Tertulliani Pallio vocabulum, sub Commodiani stylum, ut pleraque alia quæ passim observavimus, venit. Lanam crassam significare notat Festus. Οἰσυπεῖον, ἔριον ῥυπαρὸν προβάτων. Unde et Solœcismum dixere grammatici, et quidquid crassum aut pingue, inhonestum et turpe. RIG.

Nam si quis peccans catechumenus pœna notatur,
In signis illa vivat, sed non sine damno.
Summa tibi: gravia peccata devita tu semper.

XLVII. — FIDELIBUS.

Fideles admoneo fratres de odio tollant:
Impia martyribus odia reputantur in ignem;
Destruitur martyr, cujus est confessio talis:
Expiari malum nec sanguine fuso docetur.
Lex iniquo datur, ut possit sese frenare.
Inde debet carere dolis; similiter et tu.
Bis Deo peccas, qui lites fratri protendis:
Unde non effugies peccatum prisca sectans.
Semel es lotus, numquid poteris denuo mergi?

XLVIII. — FIDELES CAVETE MALUM.

Falluntur volucres, et silvarum bestiæ silvis,
Ipsis incanta, jactura quibus est tradita, mentis.
Decipiuntque quæstuosa, ut esca, sequentes;
Et vitare malum nesciunt, nec lege tenentur.
Lex homini data est, et doctrina vitæ legenda,
Ex qua recordatur, ut possit vivere caute,
Suique locum: mortis et deroget ea quæ sunt.
Condemnat se ipsum graviter, qui regi delinquit;
Aut ferro ligatus, aut de suo gradu dejectus,
Vel vita privatus perdit, quod frui deberet.
Exemplo moniti, graviter peccare nolite.
Translati lavacro magis caritatem habete.
Escam musciputi, ubi mors est, longe vitate.
Multa sunt martyria, quæ fiunt sine sanguine fuso.
Alienum non cupere, velle martyrii habere,
Linguam refrenare, humilem te reddere debes,
Vim ultro non facere, nec factam reddere contra.

COMMENTARIUS.

Nam si quis peccans catech. Cyprianus lib. III, ad Quirinum, art. 98. *Catechumenum peccare jam non debere.* In cujus articuli testimonium citat ex Epistola Pauli ad Rom., cap. III: *Faciamus mala, dum veniant bona.* Quasi dicerent quidam in Catechumenatu positi: Ludamus, indulgeamus voluptatibus et genio, quantum videbitur: etenim, quidquid peccatum a nobis fuerit, abluet baptismus. Nimirum, fuere tam impii, qui distulerint baptismum in extrema vitæ tempora, ut malitia sua diuturniore fruerentur, securi de istius lavacri, etiam in extremis, efficacia. Hoc vero Constantini Cæsaris baptismo crimini datum est. Multo prudentior et tutior illa prosperi Aquitani confessio: « Natum me quondam sub lege peccati, et transfusa in me a parentibus ordinaria mortis conditione captivum, ne longo ferocis domini jure detinerer, inter ipsa me vitæ initia, misericors et miserator Domine, liberasti. Ante inveni tyrannicidam, quam intelligerem servitutem, etc. » Rig.

Pœna notatur. Mox dicet: *sed non sine damno.* Prolato scilicet catechumenatus sui tempore. Patres synodi Nicænæ can. 15. de catechumenis qui prolapsi sunt, statuerunt, tribus annis eos a catechumenorum oratione separatos, postea recipi debere. Rig.

In signis illa vivat, Legendum arbitramur, *in signis ille vivat.* In signis, nempe christianis, ut *in castris.*

Summa tibi. Quasi diceret: *Hoc in summa tibi sit animo et memoria fixum.* Rig.

Fratres de odio tollant. Adversus hæc inter Christianos odia et dissensiones studiosissime Tertullianus egit libello ad Martyres: *In primis ergo benedicti, nolite contristare Spiritum sanctum*, etc. Fratres odio tollunt, qui per odia, fraternitatem evertunt; nec tantum de amicis, sed de fratribus faciunt inimicos; itaque scribendum *Fideles admoneo, fratres ne odio tollant.* Rig. — Importuna Rigaltii emendatio. Sic Instruct. XXII, v. 277:

Heu! doleo, cives, sic vos hebetari de mundo.

Et Instruct. I, vers 6:

Legendo de lege.

Ad quem locum videsis adnotata. Davis.

Expiari malum nec sanguine fuso docetur. Respicit. Commodianus ad I Corinth., XIII, 3. Davis.

Lex iniquo datur. Iniquum dicit eum, qui non est christianus. Rig. — Heic vero in animo habuit auctor I *Tim.*, I, 9. Vide sis et *Gal.* V. 23. Davis.

Ut possit sese frenare Sic etiam dicet Instruct. sequenti:

Lex homini data est, et doctrina vitæ legenda,
Ex qua recordatur, ut possit vivere caute. Rig.

Unde non effugies pecc. prisca sectans. Hoc est quod supra dixit *peccans in ante.* Utrum legas, *peccatum prisce sectans*, quod est in apographo; aut, *prisca sectans*, parum refert: sensus est idem. Rig.

Semel es lotus, numquid poteris denuo mergi? Amisisti baptisma, quod unum est. Præclara est Prosperi fides: *Licet ego a donis tuis recesserim, in me tamen tua dona manserunt.* Rig.

Ipsis incanta, jactura quibus est trad. mentis. Disrupto vocabulo, *incantamentis.* Quo fit ut versus etiam videatur disruptus. Consimiliter lusit Eugenius ille Toletanus, ad quemdam Joannem, cui displicebant versus nexi,

O Io, versiculos nexos qui despicis, hannes
Accipe di sollers si nosti jungere visos.

Hæc illius ævi technopaignia fuere. Tmesis: *Ipsis incantamentis jactura quibus est tradita.* Hoc est, quæ objecta sunt passim et negligligenter fallendis volucribus et bestiis. Incantamenta dicit, sophismata; omne genus fallaciarum capiendis volucribus et bestiis. Quidni autem et incantamenta dixerit hujusmodi dolos objectos, sive expositos fallendis avibus et bestiis incautis? Hæc vero tmesis, non est durior illa Enniana: *Saxo cere comminuam brum.* Rig.

Decipiuntque quæstuosa, ut esca, seq. In apographo superscriptum est, *Decipiunt quæ aurea.* Vera fortean scriptura fuerit, *Decipiuntque antra, ut esca, sequentes.* Antra, fossæ obtectæ virgultis et frondibus, subruendis bestiis insequentibus venatores. Rig.

Suique locum. Repetendum de præcedentibus *recordatur.* Lex homini data, facit ut recordetur vivere caute: facit, ut recordetur locum sui, hoc est, cœlum, si caute et recte vivat; infernum, si prave. Eadem vero lex facit, *ut deroget ea*, quæ sunt mortis: ut deprecetur a Deo mortem, quam peccando forte promeruit, æternam. Rig.

Escam muscipuli. Sic emendari videtur, quod est in apographo depravatum, *Et escam muscipuli, ubi mors et longæ vitæ.* Glossæ veteres: *Muscipulum*, μυάγρα; *Muscipula*, παγίδες; et in singulari feminino: *Muscipula*, παγίς. Phædrus lib. V, fab. 1: *Qui sæpe laqueos et muscipula evaserat.* Rig.

Velle martyrii habere. Sic legitur in apographo: nec aliud significat, quam velle martyrium tollere, sive habere: optare martyrium, cupere martyrem fieri. Rig. — *Velle... habere.* Voluntatem martyrii habere. Infinitivus pro nomine substantivo. Sic Persius, *Sat.* V, 53:

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Multa similia veterum loca collegimus ad Minucii Felicis *Octav.* cap. XXXIV. Ediderat Rigaltius, *velle martyrium habere.* Davis.

Mons patiens fueris, intellige te martyrem esse.

XLIX. — POENITENTIBUS.

Pœnitens es factus, noctibus diebusque precare :
Attamen a matre noli discedere longe,
Et tibi misericors poterit Altissimus esse.
Non fiet in vacuum confessio culpæ ; perinde
In reatu tuo disce manifeste deflere.
Tu si vulnus habes, herbam medicumque require.
Et tamen in pœnis poteris tua damna lenire.
Namque, fatebor enim, unum me ex vobis adesse,
Terroremque linquendum : sensi ipse ruinam.
Idcirco commoneo vulneratos cautius ire.
Barbam comamque fœdare in pulvere terræ,
Volutarique saccis, et petere summo de Rege,
Subveniet tibi, ne pereas forte de plebe.

L. — QUI APOSTATAVERUNT DEO.

Quando bellum autem geritur, aut ingruit hostis,
Vincere qui poterit aut latere, magna tropæa.
Infelix autem erit, qui fuerit captus ab illis.
Amittit patriam et regem, qui digne pro veritate
Pugnare, pro patria qui noluit, neque pro vita :
Obisse deberet, quam ire sub barbaro rege ;
Servitiumque petat, qui hostibus sine lege deferre.
Tu si prœliando moreris pro rege, vicisti.
At si manus dederis, incolumis lege peristi.
Transfluviat hostis : tu sub latebra conde :
A Aut si intrare potest, si nec ne, ne cessa :
Undique te redde tutum, tuos quoque ; vicisti.
Et vigilanter age, ne quis incurrat in illa.
Res infamis erit, si quis se propalat hosti.
Vincere qui nescit, et occurrit tradere sese,
Nec sibi nec patriæ laudem remisit ineptus.
Tunc vivere noluit, cum ipsa vita peribit.
Domini si quis inops, aut profanus ab hoste,
Eramen sonans facti, vel ut aspides, surdi,
Orare satis debent, aut se condere tales.

LI.—DE INFANTIBUS.

Duellum hostis subito venit inundans,
Et prius quam fugerent, parvulos occupavit inertes.
Improperandum eis non est, licet capti videntur :
B Nec quidem excuso : ob delicta forte parentum
Fuere promeriti ; ideo Deus tradidit illos.
Attamen adultos hortor in arma recurrant,
Nascanturque quasi denuo suæ matri de ventre.
Terribilem legem fugiant, semperque cruentam,
Impiam, indocilem ferina vita viventem.
Bellum enim aliud cum fuerit forte gerendum,
Vincere qui poterit, aut certe jam scire cavere,
S . . . .

LII.—DESERTORES.

Desertores enim genere non uno dicuntur.
Est alius nequam, alius in parte recedit ;

COMMENTARIUS.

Mons patiens fueris. Quid sit *mons patiens*, me quidem fugit. Leg. *mens patiens fueris*. Mentem quæ pars potior est hominis, pro toto homine posuit Commodianus. Vide supra Instr. XXVII, v. 406. DAVIS.

Pœnitens es factus. Ad pœnitentiam admissus. Etenim indulgeri sibi pœnitentiæ locum ambiebant, longa pœnitentiæ demonstratione. Ægre pœnitentia dabatur illi qui sic deliquerat ut probrum Ecclesiæ objiceret, retinenti secum tam ignominiosum peccatorem, ut expelli, abstineri ac prohiberi Ecclesia meruisset, qui Ecclesiam delicto suo fecerat ut erubesceret. Porro eadem Ecclesia non invidebat pœnitentibus ad Deum conversionem, apud quem de venia impetranda non desperabat. RIG.

A matre noli discedere. Ab Ecclesia, domina matre, cujus de uberibus alimur. RIG.

Sensi ipse ruinam. Sensi me mori, sensi unde ipse decideram. In apogr. *Sensisse ruinam*. RIG. — Leg. *sensisse ruinam*, ut est in apographo, cujus fidem temere deseruit Rigaltius. Fatebor, inquit Commodianus, me ruinam sensisse. DAVIS.

Volutarique saxis. In apographo : *volutarique satis*. Pœnitentis habitus, mala sui ipsius tractatio, extra lætitiam deversari, in asperitudine sacci, et horrore cineris, ab omni vitæ fruge dilati. In sacco et cinere volutantis, concinerati et conciliati : Tertullianus. RIG.

Ne pereas forte de plebe. Hoc est, de Ecclesia ; de turba fidelium, de populo Christi, de populo sancto. Erat enim tunc temporis Ecclesia, episcopus, presbyter, diaconus, plebs sive laici. RIG.

Quam ire sub barbaro rege. Barbarum regem dicit regem non christianum. RIG.

Si manus dederis. Thus in acerram miseris. RIG.

Undique te redde tutum. Dissentit a Tertulliano Commodianus : consentit autem Cypriano. Suadet in persecutione fugam, aut latebras. Immo in latebris et in fuga martyrium esse docet. Omnino vetat, ne quis incurrat, ne quis se offerat. Denique ait christia- C num qui se propalat hosti, esse sui ipsius traditorem. Si tamen incidat in hostem, vel opprimatur a persequentibus, tunc pro nomine Christi esse debere constantissimum. Nam si vitam negando redimat, cum ipsa vita periturum. RIG.

Tunc vivere noluit. Vitam æternam vivere noluit, qui parum fortis coram præside, coram tyranno fuit ; thura dedit idolo, vel negavit Christum : æternæ vitæ renuntiavit, ut momentaneam servaret. RIG.

Domini si quis inops. Ut simpliciter ethnicus. Inopem Domini dicit, qua forma de Saturno, *venit inops animi*, Instr. IV. RIG.

Vel profanus ab hoste. A persecutoribus nominis christiani subactus ; a quibus rediit negator. RIG.

Æramen sonans facti. I Corinth., XIII, 1 : χαλκὸς ἠχῶν. RIG.

Vel ut aspides surdi. Qui adversus Dei sapientiam aures suas obturant. — Respicit ad Psalm. LVIII, 5. DAVIS.

D *Orare satis debent*. Ita ut pœnitentiæ facultatem ab episcopo impetrare mereantur ; Ecclesia, quam negato Christo dehonestaverunt, placata per longam ac miserabilem exomologesin. RIG.

Aut se condere tales. Ita ut nuspiam posthac in Ecclesiæ castris conspiciantur. RIG.

De infantibus. Sensus est apertus : stabilienda tantum scriptura Instructionis in hunc modum, quo nunc edi curavimus. RIG.

Et prius quam fugerent, parvulos. In apographo : *Et priusquam fugeret parvulos occuparit inertes*.

Nascanturque quasi denuo. Metaphoram sumpsit ex *Joan.*, III, 3, 4. DAVIS.

Terribilem legem fugiant. In apographo : *Terribilem legem fugiens*. Fugiant, inquit, legem illam terribilem ethnicam, quæ sacrificare idolis jubet, cujus legis cultores flammis æternis sunt destinati. RIG.

Desertores. Desertorum duo genera constituit : Thurificatorum et Libellaticorum. RIG.

Est alius nequam. Qui sacrificat idolo ; quod est apud Deum principale crimen. RIG.

Sed tamen utrique judicia vera decernuntur.
Ecce militatur Christo, sicut Cæsari paretur.
Refugium regis pete, si delictor fuisti;
Tu illum implora, prostratus illi fatere :
Omnia concedet, cujus sunt et omnia nostra.
Repositis castris, ulterius cave delinquas.
Errare noli diu miles per spelæa ferarum.
Sit tibi peccare, desistere gestum immensum.

LIII. — MILITIBUS CHRISTI.

Militiæ nomen cum dederis, freno teneris.
Incipe tunc ergo dimittere pristina gesta :
Luxurias vita, quoniam labor imminet armis.
Imperio regis omni virtute parendum,
Tempora postrema si vis pertingere læta.
Ille bonus miles, semper exspecta fruenda;
Blandire noli tibi, desidias omnino mitte,
Ut tuo præposito cottidie præsto sis, ante
Solicitus esto, matutinus signa revise.
Cum videris bellum, agonia sume propinqua.
A Hæc gloria regis, militem videre paratum ;
Rex adest, optato propter spem dominicaturum.
Ille parat dona, ille pro victoria lætus
Suspicit, et proprium satellem dedicat esse.
Tu tibi præterea in Belian parcere noli :
Impiger esto magis, ut reddat famam pro morte.

LIV. — DE REFUGIS.

Damnatorum animæ merito seipsæ secernunt.
Ex hoc progeniti iterum ad sua recurrunt.
Radix cainæa, maledictum semen erumpit,
et in servili gente sub barbaro rege refugit,
Flamma quos æterna torquebit die decreto.
Vult vagus errare sine disciplina profugus,
Grassari per fauces viarum lege solutus.
Isti ergo tales, quos nulla pœna coegit,
B Si vivere nolunt, ab idolis respici debent.

LV. — DE LOLII SEMINE.

De semine lolii, qui stant in Ecclesia mixti.

COMMENTARIUS.

Alius in parte recedit. Qui ne pertrahatur in Capitolium sacrificaturus, paciscitur, oblato præsidi libello, concussori pecunia. RIG.

Judicia vera decernuntur. Heic, ut et apud optimos scriptores, *verum* JUSTI vel ÆQUI recipit potestatem. Videsis Broukhusium ad Propertii lib. III, Eleg. XIII, 11. DAVIS.

Militatur Christo, sicut Cæsari paretur. Militatur Christo, qui sacrificare idolo vetat; et in sacrificantes, etiam mortuos, animadvertit pœnis æternis; paretur Cæsari, qui mori jubet non sacrificantes idolo; nec habet, quid faciat mortuis : nam sic mortui pro Christo, qui sic Cæsari paruerunt ut mortem fortiter oppetierint pro Christi nomine, vitam vivunt æternam. RIG.

Si delictor fuisti. Delictorem dicit, peccatorem : et sic etiam loqui Cyprianum observavimus. RIG.

Repositis castris. Castris scilicet adversus Ecclesiam rursus positis, tu ipse post acceptam pœnitentiam repositus Ecclesiæ castris, noli amplius esse desertor. RIG.

Sit tibi peccare, desistere gest. im. Consimile est illud Instruct. XLIII : *Summa tibi : gravia peccata devita tu semper.* RIG.

Incipe tunc ergo dimittere prist. gesta. Supra dixit : *Cave, ut non delinquas in ante,* Instr. XLVI. Opponit heic. *dimittere pristina,* illi quod instr. XLVII, *sectari prisca.* Prisca seu pristina sunt, quæ ante fidem commissa sunt, et qualia peccant, ethnici sive profani. RIG.

Imperio regis. Intellige Christum, Ecclesiæ caput. RIG.

Ut tuo præposito cottidie præsto sis. Emendavimus, quod in apogr. depravatum fuerat, *ut tuo proposito.* Præpositum vocat, quem Justinus et alii, προεστῶτα; Tertullianus *præsidentem* : qui et *præpositum Ecclesiæ* dixit, et *præpositum baptismo.* RIG.

Agonia sume propinqua. Sume, præsume, intellige, in proximo esse festum et solemne certamen, ex quo patet in cœlum iter. Agonalem diem, et Agonalia festa certamina dixere Romani, quæ prius Agonia dicebantur; teste Ovidio, I Fast. :

Et prius antiquus dicebat Agonia sermo. RIG.

Optato propter spem dominicaturum. Scribendum videtur : *præter spem dimicaturum.* Venturum regem, id est, Christum, qui præsideat martyrio, certamini. Vigilate utique, milites Christi, *quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet* (*Luc.*, XII, 40). RIG.

Et proprium satellem dedicat esse. SATELLEM dixit pro SATELLITEM : *et proprium esse dedicat,* hoc est stabilem, firmum fortemque. In apographo superlitum animadverti veteris scripturæ vestigium, *deduat,* quam heic minime convenire arbitramur. RIG.

Tu tibi præterea in Belian parcere noli. In apographo scriptum fuerat : *Tu tibi præterea in delictis parcere noli.* Quæ scriptura ferri et explicari posset, nisi nos admoneret is qui apographum recensuit, veterem manum fuisse *in Belian.* Hoc est, Cave ne C desidia aut supinitate tua, dum tibi forte nimium blandiris, desis tibi ipsi adversus Belian, sive diabolum : ne tibi improvido obrepat satanas, malus, iniquus. RIG.

Impiger esto magis. Tantum absit, ut tibi perniciem inferat Belias tentationibus suis; quin potius ab iis famam reporta, ita ut sis exemplo fratribus disciplinæ ac fidei diligentissime servatæ. RIG.

De refugis. In apographo legitur *de refugiis,* et ante ultimum versum apparet lacuna, quasi *refugia* dixerit Commodianus, pro *refugis*; ut *servitia* pro *servis.* Nos deesse quidquam non arbitramur, et instructioni titulum fecimus, *De refugis* : sic fuerit nota lacunæ superflua. RIG.

Ex hoc progeniti. Ex hoc scilicet Belia, de quo Inst. præced. RIG.

Iterum ad sua recurrunt. Ad suos ethnicos, idololatras. RIG.

Radix cainina. Vel potius cainæa, ut supra Instruct. XXXVI. In apographo vitiose *radix cananæa.* RIG.

D *Sub barbaro rege.* Ut supra Christum simpliciter dixit *regem*, ita heic *barbarum regem* vocat Belian, Satanam, Antichristum. RIG.

Die decreto. Decretorio, censorio, die judicii, die respectus, in cognitione animarum, in respectione. RIG.

Si vivere nolunt, ab idolis respici debent. In apographo legitur : *Sydere volunt.* Secundum hæc vestigia scribendum : *Si videre volunt* quos adorent deos, nec fidem adhibere velint Deo vero, quia non vident, confidant autem simulacris suis æneis ligneisque ; aspiciant ea certe quantum voluerint, oculos habent æneos ligneosque, nec tamen vident; ergo talium fabricatores et cultores deorum, numinibus ipsi suis potiores se faciunt, et subsannant oculos deorum suorum cæcos; adeoque ob impietatem suam ab suis ipsi diis respui debent. At, si verum amamus, præferenda erit hæc scriptura : *Si vivere nolunt, ab idolis respici debent.* Etenim tota Commodiani philosophia est, vita æterna : quam si

Expletis temporibus messis, separatur a fructu
Lolium enatum, quod non miserat Dominus.
Omne lolium agricola collectum separat illud.
Lex ager nobis est : qui fecerit bonum in illa,
Ipsa utique nobis præstat requiem veram
Ipse dominator : nam lolium igne crematur.
Si ergo putatis, quoniam sub uno morantur,
Erratis : steriles christianos vos esse designo.
Maledicta fuit arbor sine fructu ficulna
In verbo Domini; et statim exaruit illa.
Non operas facitis, non donum gazo paratis.
Et sic promereri Dominum putatis inanes?

LVI. — DISSIMULATORI.

Dissimulas legem tanto præconio latam,
In tot prophetarum cœlesti voce clamantem?
Si propheta tantum declamasset in nubem,
Sufficeret utique Domini vox missa per illum.
In tot prophetarum volumina lex Domini proclamat;
Malitias nullus dimittit : ita æque de corde
Vis bona videre, et fraudibus vivere quæris.
Lex ipsa cur ergo processit tanto labore?
Abuteris Domini mandata, et te filium inquis.

A Tu si talis eris sine caussa, videris, inquam.
Omnipotens mites quærit sibi filios esse,
Rectos corde bono, devotos legi divinæ :
Immites autem jam scitis ubi demersit.

LVII. — SÆCULARIA IN TOTUM FUGIENDA.

Si quidam doctores, dum exspectant munera vestra,
Aut timent personas, laxant singula vobis;
Et ego non doleo, sed cogor dicere verum
Cum caterva mali pergis ad spectacula vana,
Ubi satanas fragoribus circo operatur.
Licere persuades tibi quodcumque placebit.
Altissimi proles; cum filiis Zabuli mixta,
Respicere num vis, queis renuntiasti, priora?
In ipsis versaris iterum, quid proderit Unus?
B Aut si pro languore datum; quod stulte profanus
I . . . .
Nolite diligere mundum, neque ambitum ejus :
Tanta Dei vox est, et tibi proba videtur.
Observas mandatum hominis, et Dei devitas;
Tu fidis muneri, quo doctores ora procludunt,
Ut taceant, neque dicant tibi jussa divina.
Me vera dicentem, sicut teneris, prospice summum :

COMMENTARIUS.

vivere isti, inquit, nolunt, ab idolis respici debent: hoc est, ab Satanæ ministris, qui nidulantur in cavis simulacrorum. RIG.

De semine lolii. Lolii parabola legitur Matth., XIII, 24. DAVIS.

Lex ager nobis est. Agri parabola significat nobis legem Christi. Ipse Christus : *Ego sum vitis vera* (*Joan.* XV, 1).

Steriles christianos. Infrugiferos, ἀγόνους, spadones, bonorum operum steriles. RIG.

Maledicta.... ficulna. Vide Matth., XII, 19. DAVIS.

Non donum gazo paratis. Gazum dicit, thesaurum sacrum, corbonam, gazam Ecclesiæ, gazophylacium. Instr. LXXII : *In gazo præterea de labore mittere debes. Arcam* dixerat Tertullianus : alii *concham.* Heic igitur Commodianus steriles christianos appellat, qui de facultatibus suis in usus pauperum nihil conferebant. Hanc sterilitatem Cyprianus *sacrilegam* esse ait, lib. de Opere et eleemosyna. Paulinus, epist. XXXIV, *aridas manus* dixit eorum qui negligebant in Ecclesia positam a Domino mensam indigentibus. Idem : *Cœlestis igitur trapezitæ hæc mensa est thesaurum vitæ struens, et ad margaritam negotiandam Dei fœnus exercens.* RIG.

DISSIMULATORI. Hypocritæ, qui se christianum simulat, et antichristiana, sive sæcularia et satanica vivit. RIG.

Declamasset in nubem. Hæc lectio prorsus est absurda. Legendum puto, *declamasset in orbem.* Ut mox v. 865. Vult Commodianus satis fuisse, si unus tantum propheta Domini leges mundo annuntiasset. DAVIS.

Ita æque de corde vis bona videre. Qua mente cupis Dei benedictionibus et benefactis affici, eadem optas per calumnias et dolos de fratris tui spoliis ditescere. RIG.

Omnipotens mites quærit. Matth., v, 5 : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Pacificatores, εἰρηνοποιοί.

Immites autem. Paulo ad Tim. II, 3, ἀνήμεροι, ἀφιλάγαθοι, oppositi benignis. RIG.

Scitis ubi demersit. In stagnum ignis, ubi *fletus et stridor dentium.* RIG.

SÆCULARIA IN TOTUM FUG. Hoc est, non esse dissimulandum : neque enim convenire Ecclesiæ cum sæculo. Ecclesia, Christus; sæculum, satanas : taque non permiscendam esse Altissimi prolem cum filiis diaboli : neque laxandam esse disciplinam nimia pastorum indulgentia, per gratiam aut sor-
C des. RIG.

Doctores. Doctores, præpositi, præsides, pastores, episcopi. RIG.

Cum caterva mali. Mali, id est, satanæ. RIG.

Ubi satanas fragoribus circo operatur. Tertullianus, lib. de Spect. *Cum ergo furor interdicitur nobis, ab omni spectaculo auferimur, etiam a circo, ubi proprie furor præsidet*, etc. RIG.

Circo operatur. In apographo scriptum fuerat : *Ubi satanas fragoribus comparatus.* RIG.

Queis renuntiasti priora. Priora dicit quæ supra, *pristina, prisca*, ea quæ *in ante* fidem. Ea vero sunt diabolus, pompa et angeli ejus. Tertullianus, et toto illo de Spectaculis. RIG.

Quid proderit unus. Leg. *quid proderit unctus*, id est, Christus, qui cruci fuit affixus ut homines a diaboli potestate retraheret, sibique *populum electum* faceret. Sic Instr. LXXII, v. 1151.

Aut si pro languore datum. Ad refocillandas aut re-
D creandas animi languescentis vires, ab iis mollissimis et facillimis doctoribus concessa tibi fuerint spectacula. RIG.

Nolite diligere mundum. I Joan., II, 15.

Neque ambitum. Hoc est, id omne quod mundo ambitur et continetur. Joannes dixit, *ea quæ in mundo sunt.* Tertullianus et Cyprianus dixere, *pompa diaboli.* RIG.

Observas mandatum hominis. Discernit inter mandata Dei, et mandata sive traditiones hominum; quod ostendimus sæpissime factum a Cypriano, secundum præcepta Pauli RIG.

Quo doctores ora procludunt. Et fiunt muti, non valentes latrare. RIG.

Me vera dicentem.... prospice summum. An igitur mendicus Christi se summum dixit? Leg. *Me vera dicente, sicut teneris, prospice summum.* Meo monitu ductus, Deo, sicut par est, temet addicas, DAVIS.

Prospice summum. Altissimum; Deum opt. max. qui est summus Doctor. RIG.

Filius cujus eras, illi te adsigna clientem.
Vivere si quæris gentiliter homo fidelis,
Gaudia te mundi removent a gratia Christi:
Indisciplinate quod leve licere præsumis,
Et caros histriones et cantica musica quæris;
Nec tali subolem garrire amentia curas:
Eum vita frunisci putas? improvidus erras.
Altissimus jubet, et justa præcepta devitas.

LVIII. — CHRISTIANUM TALEM ESSE.

Cum Dominus dicat, in gemitu edere panem:
Heic, ut quid nunc agis, qui cupis vivere lætus?
Rescindere quæris sententiam summi Dei missam
In protoplastum: vis frenum prodere legis.
Si Deus omnipotens cum sudore vivere jussit,
Tu qui jucundaris, eris jam exterus illi.
Indignatum ait Dominum scriptura Iudæis.
Ab esca refecti surrexerunt ludere filii.
Nunc ergo cur illos prosequimur sponte profectos?
Unde perierunt illi, nos cavere debemus.
Maxima pars vestrum luxuriis dedita paret.
Transgrederis legem, cum te fucis inficis: in te
Apostolus clamat, immo Deus per illum:
Licentia vestra vos, inquit, in ipsa deperdunt.
Esto ergo talis, qualem vult esse te Christus.
Mitis et in illo hilaris, nam sæculo tristis.
Excurre, labora, suda, cum tristitia pugna.
Spes cum labore venit, et victoriæ palma donatur.
Si refrigerare cupis, admartyriza.
Exspecta requiem futuram in transitu mortis.

LIX. — MATRONIS ECCLESIÆ DEI VIVI.

Matronas vis esse, christiana, ut sæculi domnas,
A Auro te circumdas, aut serica veste pudica;
Terrorem legis ex auribus vento remittis:
Res vanas adfectas, cuncta de Zabuli pompa:
Ornaris ad speculum, cincinnos fronte reflexos;
Nec non et inducis malis medicamina falsa:
In oculis puris stibium perverso decore,
Seu crines tingis, ut sint toto tempore nigri.
Est Deus inspector, penetrat qui singula corda;
Ceterum pudicis ista necessaria non sunt.
Casto atque pudico sensu pertundite pectus.
Lex Dei testatur tales abscedere leges.
Ex corde qui credit, feminæ marito probatæ
Sufficiat esse non cultibus, sed bona mente.
Induere vestes quas optat frigus et æstus
Aut nimium solis; tantum ut pudica proberis;
B Et in plebe Dei facultatis dona demonstra.
Das tibi momerium clarissima quondam.
Exanimata jacens precibus viduarum erecta,
In dando promeruit, non comtibus, inde levari.
Vos matronæ bonæ vanitatis fugite decorem.
In feminas congruit cultura lupanas.
Vincite malignum, pudicæ feminæ Christi.
In dando, divitias vestras ostendite totas.

LX. — ITEM IPSIS.

Audi vocem, quæ vis Christiana manere,
Beatus Paulus qualiter te ornari præcipit;
Cæliloquus item Esaias doctor et auctor:
Detestatur enim pravitatem mundi sequentes.
Exaltatæ, inquit, jacebunt filiæ Sion.
C Fas in Deo non est Christianam coli fidelem.

COMMENTARIUS.

Gentiliter. Ethnice. Sic Paulus ad Gal., II.

Subolem garrire. *Loquacem nidum* dixit Juvenalis, sat. V.

Eum vita frunisci. Vita illa quam Deus fidelibus suis pollicetur, frui putas? RIG. — *Eum vita frunisci*. Acrostichidis ratio legendum monet. *Dum vita frunisci putas, improvidus erras.* — *Frunisci*, frui. Vide Festum et Nonium, cap. 2. DAVIS.

CHRISTIANUM TALEM ESSE. Non hypocritam, non dissimulatorem, non sæcularia sectantem. RIG.

In gemitu edere panem. Respicit ad *Gen.* III, 19. DAVIS.

Eris jam exterus illi. Non cohæres Christi, non filius Dei, non municeps æternæ illius civitatis. RIG.

Ab esca refecti, surrexerunt ludere filii. Moses *Exod.* XXXII, 6. Locum laudat D. Paulus I *Cor.*, X, 7. DAVIS.

Sponte profectos. Judæos recutitos, curtos, λειποδέρμους, verpos. RIG.

Spes cum labore venit. Spes labori convenit. Spes alit agricolam. RIG.

Admartyrisa. Adsiste martyri, procede ad martyras, qui in carcere: horum necessitates pro facultatibus tuis adjuva: constantiam monitis, hortatibus fove, accende. Ipse Commodianus. Inst. LXI:

Certe si non ipse pugnat, vel suggerat illis.

Vetus inscriptio, Romæ, via ostiensi. MANDROSA MARTYRUM OBSEQUIIS DEVOTA TRANSEGI FALSI SECULI VITAM. Apud Grut., pag. MLV. RIG.

Cuncta de Zabuli pompa. Sic et Instr. seq. v. 958. Vide annotata superius ad Inst. XXXV, v. 543. DAVIS.

Crines ut sint toto temp. nigri. Etiam cum, appropinquante senio, candidiores fiunt. RIG.

Ex corde quæ credit feminæ marito prob. Sufficiat feminam marito qui credit ex corde, probatam esse, non cultibus, sed bona mente. RIG.

Das tibi momerium. Sic legitur in apographo. Hesych. Μομμό. Ὃ ἡμεῖς Μορμὼ φαμεν. τὸ φοβητρὸν τοῖς παιδίοις. Etymologicum: Μορμὼ, ὄνομα γυναικος· μεταφορικῶς ἐκ ταύτης τὰ πρὸς κατάπληξιν τυπωθέντα προσωπεῖα ἐκάλουν μορμολυκεῖα. *Momar*, Sicula dictio: habitus vituperandus et turpis. Festus, et Isidorus in Glossis. Ait igitur Commodianus, matronas christianas indecenter excultas, ipsas sibi momerium dare, indutas improbiore aut lasciviore cultu comptuque. RIG.

Das tibi. Circumdas. induis. RIG.

Precibus viduarum erecta. Thabitæ historiam tangit. Commotus viduarum precibus Petrus oravit Deum, ut suscitaret a morte Thabitam, et erecta est clamante
D Petro: *Thabita surge*. Act., IX. Cyprianus lib. de Opere et eleemos RIG.

Non comtibus. In apographo *non comitibus*: et superscriptum, *cultibus*. Lucretius, I, *Virgineos circumdata comtus*. RIG.

Feminas lupanas. In apographo, *Lupans*. Lupanas, λυκαίνας, lupas. Glossæ: Πόρνη *lupanaria*, meretrix; Πορνεῖον, *lupanarium*. RIG.

Audi vocem. Instructionis istius versus sunt abecedaria, sive alphabetica serie compositi. RIG. — Heic non servatur Acrostichidis ratio, sed series litterarum alphabeti, ut supra Instr. XXXV. Deest tamen hoc loco littera X. DAVIS.

Beatus Paulus præcipit. Respicit ad I *Tim.*, II, 9. Vide et Epist. ad *Titum*, II, 3. DAVIS.

Exaltatæ, inquit, etc. Horum verborum sensus legitur *Isa.*, III, 16 24. DAVIS.

Fas in Deo non est. Hoc etiam habet Commodianus

Gentili more quæris procedere, Dei sancta?
Has Dei præcones damnant in lege clamantes,
Injustas esse feminas, quæ se taliter ornant.
Capillos inficitis, oculos fuligine relinitis,
Levatis comulas granulatim, fronte depicta,
Malas medicatis quodam superducto rubore,
Nec non et inaures gravissimo pondere pendent;
Obruitis collum monilibus, gemmis et auro;
Palmas Deo dignas præsagio malo legatis.
Quid memorem vestes, aut totam Zabuli pompam?
Respuitis legem cum vultis mundo placere.
Saltatis in domibus, pro psalmis cantatis amores.
Tu licet sis casta, non te purgas sinistra sequendo:
Vos ideo tales Christus cum gentibus æquat;
Ymnificato choro placitoque Christo placete;
Zelantes fervore Christo offerte odorem.

LXI. — IN ECCLESIA, OMNI POPULO DEI.

Justus ego non sum, fratres, de cloaca levatus:
Nec me supertollo, sed doleo vestri, qui cerno
Ex tanto populo nullum in agone coronari.
Certe si non ipse pugnat, vel suggerat illis.
Cladem objurgatis; o venter effercite luxu,
Laborat frater adversante mundo sub armis,
Et fartus opibus nec pugnas, nec pugnanti te sistis?

A Stulte, non intendis unum bellare pro multis?
In talem pendet Ecclesia tota, si vincat.
Abstineri vides fratrem, et pugnare cum hoste.
Optas tu in castris pacem, foras ille repugnat:
Misericors esto, ut sis ante omnia salvus.
Nec metuis Dominum præconio tanto clamantem:
Inimicis etiam qui jubet alimenta præbere,
Prandia ab eo prospice Tobia, qui semper
Omnibus omnino diebus cum paupere sumpsit.
Pascere tu quæris, stulte, qui te denuo pascat.
Vis ille mihi paret, qui componi proponit?
Laute cibatum distento ventre declamat
Oppressus inopia frater juxta tabescens.
De die dominica quid dicis? si non ante locavit,
Excita de turba pauperem, quem ad prandium ducas.
B In tabulis spes est vestra de Christo refecto.

LXII. — MARTYRIUM VOLENTI.

Martyrium, fili, quoniam desideras, audi.
Abel qualis erat esto, aut qualis Isaac ipse, aut
Rectam qui diligit Stephanus sibi vitam in iter.
Tu quidem quod optas, res est felicibus apta.
Vince prius Malum benefactis, recte vivendo.
Rex ille tuus cum viderit, esto securus.

COMMENTARIUS.

a Tertulliano, et quæ deinceps hac instructione sequuntur. Rig.

Injustas esse feminas. Injustæ sunt, quæ damnant Dei manus: exprobrant Deo, quod non aliter ipsas ornaverit: affectant, quod noluit Deus: faciunt se alias, quam fecerit Deus· quod est injustum et inverecundum. Sic Tertullianus justum esse colorem negat de colorum adulterio confectum. Auctor naturæ Deus, interpolator satanas. Vid. lib. II de Cultu fem. Rig.

Oculos fuligine relinitis Nigro pulvere, quo oculorum exordia producuntur. Rig.

Levatis comulas. Juvenalis in VI:

....Tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. Rig.

Granulatim. Discriminatis per granos capillis. Granos intellige ipsa crinium flagella. Vetus interpres historiæ Judith: *Comam discriminavit, id est granam fecit.* Et in synodo Bracarensi: *Placuit Lectores granos gentili ritu non demittant* Glossæ vet. *Granitum*, κοκκωτόν. Isidorus Orig. XI: *Granos et cinabar Gothorum.* Jac. Sirmondus, et Jo. Savaro, ad Epist. II, lib. I, Sidonii Apollin. Alia dispositio crinium in gradus et anulos toto capite compto. Quintil., XII, 10. Rig.

Molas medicatis. Tertullianus: *Cutem medicaminibus urgent: genas rubore maculant.* Rig.

Palmas Deo dignas. Quas dignius debeatis ad Deum orantes expandere. Rig.

Præsagio malo legatis. Etenim damnationis præsagium est: cujus est apud Matthæum formula: *Ligatis manibus et pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores.* Rig.

Hymnificato choro. Ecclesiæ Christi. Rig.

Placitoque Christo placete. Cui Pater de cœlo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Rig.

De cloaca levatus. De sæculo, de idololatria. Supra Instr. XLI: *Nero de inferno levatus.* Rig.

Nullum in agone coronari. Hoc deplorabat etiam Cyprianus. Rig.

Cladem objurgatis. Lapsorum deformes reliquias. Cypr. lib. de Lapsis. Rig.

O venter effercite luxu. In apographo: *ovanter efficite luxu.* Rig.

Nec pugnanti te sistis. Ut obfirmes hortatu, consilio, exemplo; at refoveas subsidio. Rig.

Abstineri vides fratrem. Caussa schismatis abstentum. Rig.

Pugnare cum hoste. Stare adversus Ecclesiam cum hoste, cum aliis schismaticis. Rig.

C *Optas tu in castris pacem.* Ante pacem Ecclesiæ datam, optas præcipitem dari pacem abstentis. Cypr. Rig.

Foras ille repugnat. Ille lapsus vel abstentus contemnit Ecclesiam, aut adversatur Ecclesiæ. Rig.

Misericors esto Sis mollissimo corde, pius et beneficus erga pauperes. Rig.

Prandia ab eo prosp. Tobia. Propius accedet ad vestigia scripturæ quæ est in apographo: *Prandia ab eo prospisce Tobo.* Sic in Bibl. Theodulli præfatione aureis litteris: *liber Tobi.* Et in veteri Canone Scripturarum apud Anastasium Patr. CP. *Tobe et Tobias.* Tobias, Græce Τώβιτ καὶ Τωβίας. Et apud Suidam, Τώβιτ, ὄνομα κύριον, καὶ Τωβίας ὁμοίως. Pater vocatus Τωβητ, vel Τώβιτ, filius Τωβίας. In apographo, *ab eo prospice Lurna.* Supra scriptum *Jobba.* Tobiæ erga pauperes pietatem sacris paginis commendatam in suorum Testimoniorum lib. III Cyprianus contulit. Rig.

Qui te denuo pascat. Lucas, XIV.

D *Qui componi proponit.* Componi, sepeliri, qui de sepultura cogitat, qui se felicem putat, si quam primum componatur. Horatius: *Omnes composui. Felices! nunc ego resto, Confice.* Acro: *Omnes composui: Omnes in urnis sepelivi.* Rig.

Si non ante locavit. Promisit alteri, qui eum vocavit, cui copiam sui condixit ad prandium. Rig.

Excita de turba pauperem. In apographo, *Excute.* Hic vero locus indicat ævo Commodiani in Ecclesia diebus dominicis Agapas in usu fuisse. Rig.

In tabulis spes est. In tabulis Novi Testamenti. Rig.

De Christo refecto. Christus ipse, Matth. XXX, 35: *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare.* etc. Rig.

Rectam qui diligit Stephanus sibi vitam in iter. Procul dubio scribendum:

Rectam qui delegit rectam sibi viam in iter.

Vide Act. VI, VII.

Vince prius Malum. Satanam, qui in sacris Litteris ὁ πονηρός. Rig.

Rex ille tuus. Christus.

Ipsius est tempus, et nos in utrumque gerentes :
Ut si bellum abest, in pace martyres ibunt.
Multi quidem errant dicentes : Sanguine nostro,
Vicimus Iniquum, quo manente vincere nolunt.
Obsidiando perit, et ideo sentit Iniquus :
Legitimus autem non sentit pœnas adactas.
Ejulatuque zelando pectus pugnis pertunde.
Nunc si benefactis viceris, martyr in illo.
Tu ergo qui quæris martyrium tollere verbo,
In pace te vesti bonis ; et esto securus.

LXIII. — BELLUM COTTIDIANUM.

Belligerare quæris, stulte, quasi bella quiescant.
Ex protoplasto die pugnatur in fine vobis.
Libido præcipitat, bellum est, pugna cum illo.
Luxuria suadet, abutere, bellum vicisti.
Vino copioso parce, ne per illum (illud) aberres.
Maledicti retine linguam, unde Dominum adoras.
Compesce furorem : pacificum redde te cunctis.
Oppressos miseriis deprimere cave minores.
Tutorem accommoda tantum, et noli nocere.
Tramite vos recto ducite sincero præ zelo.
In tuis divitiis comem te redde pusillis.
De labore tuo dona, nudum vesti : sic vinces.
Insidias nulli facias, qui Deo deservis.
Aspice principium, unde periit invidus hostis.
A Non sum ego doctor, sed lex docet ipsa clamando.
Verba geris tanta vane, qui sub uno momento
Martyrium quæris otiosus tollere Christo.

LXIV. — DE ZELO CONCUPISCENTIÆ.

Dum cupis, inde peris ; dum ardes proximi zelo :
Extinguis te ipsum quando te incendis ab intus.
Zelaris alium, invide, de malo laborantem ;
Et te parem concupis fieri pecuniæ tantæ.
Lex sic non aspicit : dum illum incumbere quæris,
Omnia suspensus, vivis in ardore lucrorum.
Cumque reus tibi sis, ipsum te judice damnas.
Oculorum acies numquam satiatur avara.
Nunc ergo si redeas et cogites, vana cupido est.
C. . . . .
B Unde Deus clamat : Stulte hac nocte vocaris,
Post te mors ruit : cujus erunt ista talenta ?
In suprema ædis injusta lucra condendo.
Suggeret cum Domino unicuique vita diurna.
Congestet alius : tu bene vivere quære.
Et Dei cor conscius, ages super omnia victor.
Nec enim dico ut te in trivio tinnites,
Cum pro die tuo vigilas, sine fraude vivendo.
In esca perit avis, aut hæret improvida visco.
Arbitrare tibi simpliciter valde cavendum.
Excedant alii finem : tu prospice semper.

COMMENTARIUS.

Ipsius est tempus. Persecutionis et pacis. Rig.

Et nos in utrumque gerentes. Ipsi Christo serviamus in pace et bello. Rig.

Si bellum abest. Si persecutio cessat. Rig.

In pace martyres ibunt. Ut supra, *Martyres sine sanguine* : quibus etsi defuere tormenta, etsi defuit tyrannus, non defuit animus adversus quælibet tormenta fortis. Rig.

Quo manente vinc. nol. Manente Iniquo vincere nolunt, deficiunt, non perstant in fide, evertuntur, dejiciuntur de fide. Rig.

Obsidiando perit Iniquus. Obsidione diuturna satanas circa fortissimum christianum tandem fatigatur et frangitur. Rig.

Legitimus autem. Fortissimus Christianus, verus athletes, probe fidelis, non vincitur, non sentit pœnas ipsa tormenta superat. Rig.

Ejulatuque zelando pect. pug. pertunde. Ejulatum suum castigabit pugnis, et præ zelo et amore Domini zelabit mortem Sap., i, 12. Rig.

Martyrium. Martyrium subire : martyrem fieri. Sic loquitur versio Latina vetus Eusebii Cæs. opusculo de Resurr. i : *Ei qui occiditur, et ei qui martyrium tollit.* Rig.

Bellum Cottidianum. Hominis vita, militia est. πειρατήριον. Jobi vii, 1. Hanc vero sententiam fuse exsequitur Arrianus ad Epictetum. iii, c. 24 : Στρατεία τίς ἐστιν ὁ βίος ἑκάστου, καὶ αὐτὴ μακρὰ καὶ ποικίλη, etc., pag. 174. Hæc philosophus ille profanus, qui litteras nostras attigerat. Est autem multo perfectior sapientia Christi, apud Eusebium, septimo opusculorum quæ Sirmondus edidit Latina versione antiqua, Græcis si non jam interiere, adhuc latentibus, pag. 255 : « Semper persecutio est, semper invisibile bellum habetur, semper corona, semper abnegatio. Vultis videre certamina religiositatis ? Nonnumquam efferbuit quis ira adversus subditum sibi ; rememoratus autem Domini, deposuit acerbitatem : pejus enim est fervori incensæ iræ resistere, quam flammæ ignis quæ a foris habetur. Quia igitur martyr est qui propter Deum ad exteriorem flammam resistit ; martyr C et vere martyr, qui extinguit interius incendium invidiæ propter Dominum Jesum. » Et paulo post : « Certamina igitur cottidiana sunt ista, quæ per dies et noctes sunt nobis. » Deinde apponit exempla. Rig.

Belligerare quæris. Temere et furiose ad martyrium ruis, inquietus et turbidus Rig.

Compesce furorem. Noli contra furiatæ mentis adversarium refuriari ; nec maledicenti remaledicere, nec remordere mordentem. Rig.

Sincero præ zelo. In apogr. *sincero persæclo.* Rig.

Otiosus Christo. Qui nullis operibus vaces quæ mandatis Christi continentur. Rig.

Dum illum incumbere quæris. Incumbere in illum, tamquam in prædam. Rig.

Si redeas. Ad temet ipsum. Rig.

Stulte, hac nocte vocaris. Lucæ xii, 20 : Ταύτῃ τῇ νυκτὶ τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ. Cyprianus lib. de Opere et Eleemos. : *Stulte, hac nocte expostulatur anima tua : quæ ergo parasti, cui erunt ?* Martialis vii, 44 : *Rape, congere, aufer, posside : relinquendum* D *est.*

In suprema ædis. Luc. *in apothecas.* Rig.

Suggeret cum Domino unicuique vita diurna. Locus in mendo cubat, sed facile potest in integrum restitui. Leg. :

Suggeret cum Dominus unicuique vitam diurnam.

Vide *Matth.* vi, 31 ; *Luc.* xii, 29. *Vitam* pro *victu* posuit Commodianus. Donatus ad Terentii *Phorm.* Act. i, Scen. iii, 12 : *Vita et mores significat, et animam, et alimentum, et spatium vivendi. et fortunam accidentem viventibus.* Simili modo βίον adhibent Græci. Davis.

Ut te in trivio tinnites. Captandæ plebeculæ gratia cum tintinnabulo incedas. Rig. — Deleto pronomine, legendum : *Ut in trivio tinnites.* Vide Matth. vi, 2. Davis.

Simpliciter valde cavendum. Columbæ simplicitatem, serpentis prudentia temperare debes. Rig.

LXV. — QUI DE MALO DONANT.

Quid te bonum fingis alieno vulnere, vecors?
Unde tu largiris, alter cotidie plorat.
Ista tu discredis Dominum videre de cœlis?
Dona iniquorum non probat Altissimus, inquit.
Erumpes miseris, dum fueris locum adeptus.
Munera dat alter, ut alterum reddat inanem.
Aut si fœnerasti : duplicem centesima nummum,
Largiri vis, ut te, quasi malum malo depurges.
Omnipotens tales operas omnino recusat.
Donasti de lacrymis : candidatus ille ingratis
Oppressus usuris deplorat factus egenus.
Nactus præterea tempus captatoribus, hostis
Ad præsens populus; pretio tu sanctus iniquus,
Nec non et de lucro mercis vis te piare;
Te ipsum inludis, non alium, inique.

LXVI. — DE PACE SUBDOLA.

Dispositum tempus venit nostris : pax est in orbe;
Et ruina simul blandiente sæculo premit.
Præcipitis populi, quem in schisma misistis.
Aut facite legem civitatis, aut exite de illa.
Conspicitis stipulam cohærentem in oculis nostris,
Et vestris in oculis non vultis cernere trabem.
A Subdola pax vobis venit, persecutio flagrat.
Vulnera non parent, et sic sine cæde ruitis.
Bellum in absconso geritur, sub pace quod ipsa
De vobis vix unus caute se gessit.
O male muniti, et in occisione prædicti!
Laudatis pacem subdolam, et vobis iniquam.
Alterius facti milites, non Christi, peristis.

LXVII. — LECTORIBUS.

Lectores moneo quosdam, cognoscere tantum,
Et dare materiam cæteris exemplo vivendi;
Certamen fugere, lites totidemque vitare;
Terrorem premere, nec umquam esse superbos.
Obsequia justa malorum quoque deferte.
Reddite vos Christo similes, filioli, magistro;
Inter agrestina benefactis lilia sitis.
B Beati facti estis, cum feritis edicta.
Vos flores in plebe, vos estis Christi lucernæ.
Servate quod estis, et memorare potestis.

LXVIII. — MINISTRIS.

Mysterium Christi Zacones exercite caste,
Idcirco ministri facite præcepta magistri.
Nolite ludere personam judicis æqui,
Integrate locum vestrum per omnia docti,

COMMENTARIUS.

Qui de malo donant. Ignatius ad Trallianos : παραίνεί τις τῶν παλαιῶν, Μηδεῖς ἀγαθος λεγέσθω κακῷ τὸ ἀγαθον κεραννυς. Ric.

Dona iniquorum. Ecclesiastici, XXXIV.

C *Erumpes miseris.* Ut supra : *Illum incumbere quæris, omnia suspensus.* Instr. LXIV.

Duplicem centesima nummum. Ex pecunia fenore occupata, quot mensibus centesimam exegisti : ut apud Juvenalem Pollio, *qui triplicem usuram præstare paratus, circuit, et fatuos non invenit.* Et apud Horat., I Ser., sat. 2 : *Quinas qui capite mercedes exigit.*

Centesima. Hesdræ II, 5. *Reddite eis agros suos, quin potius et centesimam pecuniæ.* Græca Sixtinæ editionis tantum habent : καὶ ἀπὸ τοῦ ἀργυρίου τὸν σῖτον καὶ τὸν οἶνον, καὶ τὸ ἔλαιον ἐξενέγκατε ἑαυτοῖς. Deesse aliquid videtur. Latinus interpres latina sua ad ævi sui usum accommodavit. Chrysologus : *Usura mundi, unum ad centum. Usura Christi, centum ad unum.*

Candidatus. Candidatum dicit petitorem, rogatorem, mendicum, et candidatum fortean baptismi, quem Tertullianus dicit, *candidatum Dei.*

Tempus captatoribus. Annonæ flagellatoribus. Ric.

Hostis ad præsens populus. Qui jam avaritiam tuam detestatur : sed in futurum habebis etiam Deum ultorem. Ric.

Pretio tu sanctus iniquus. Hæc prorsus repugnant. Leg. *Pretio tu factus iniquus.* Davis.

De lucro mercis. Turpiter comparatæ, turpius repositæ ac reservatæ, ad captandum ex annonæ raritate lucrum. Ric.

Dispositum tempus. Pacis subdolæ. Sæculum a Deo sic ordinatum. Ejusmodi vero tempus a Cypriano descriptum fuerat, libro de Lapsis : *Traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat. Studebant augendo patrimonio singuli*, etc. Ric.

Præcipitis populi. Qui temere pacem dari volebat lapsis, qui ad pacem festinabant. Ric.

Facite legem civitatis. Legem, disciplinam civitatis Dei. Ecclesiæ. Cypr. epist. 10, 11, 12, 13, 14 Ric.

Conspicitis stipulam. Respicit ad *Matth.*, VII, 3, aut ad *Luc.*, VI, 41. Davis.

Et in occisione prædicti. Jeremiæ XLVIII, 15, et I, 27.

Laudatis pacem subdolam. Inceditis per ignes suppositos cineri doloso. Ric.

Lectores moneo quosdam. Quibus ea non erat peritia, quam Cyprianus in iis ordinandis requirebat. Epist. 24, 32 et 34. Ric.

Cognoscere tantum. ἀναγνῶναι : quod a Commodiano transfertur ad simplicem notitiam frontis et oris et vultus. Ric.

Certamen fugere. Contentiones, jurgia. Ric.

Terrorem premere. Non esse minaces. Ric.

Obsequia justa malorum. Episcoporum, atque etiam cæterorum, immo etiam sæcularium potestatum. Ric. — Legendum :

> Obsequia justa malis quoque deferte.

Nam vulgatam lectionem respuit Latini sermonis ratio. Davis.

Agrestina lilia. κρινὰ τοῦ ἀγροῦ. Matth., VI, 28.

Cum feritis edicta. Quæ ad martyrii coronam ducunt. Ric.

Vos flores in plebe. Ecclesiastici, XXXIX, 19, *Florete flores quasi lilium.* Quomodo autem in plebe lectores, qui etiam a Cypriano tam studiose velut in D gradu constituebantur, adhibita in consilium plebe aut ratam habente ordinationem? nam et inter lectores erat doctor audientium sive catechumenorum. Erat igitur lector in ordinatione quidem clericali, non autem sacerdotali, quæ ab episcopo, qui summus erat sacerdos, ultra diaconum aut subdiaconum non extendebatur. Adeoque florebat in plebe lector, melloproximus sacerdotio sive ordini sacerdotali. Videantur epistolæ Cypriani supra citatæ. Scripturas, sive codices sacros penes lectorem fuisse, docent Gesta purgationis Cæciliani et Felicis sub Constantino et Constantio Coss.

Vos estis Christi lucernæ. Etenim lectores ex ambone et pulpito Scripturas legebant in ecclesia.

Mysterium Christi Zacones. Idem Ignatius ad Trall. Δεῖ δὲ καὶ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Χριστοῦ Ἰησοῦ κατὰ πάντα τρόπον ἀρέσκειν. etc. Ric.

Zacones. Diacones, breviata dictione Græca. διακονοῦντες.

Mysterium Christi. Sacramentum Christi. Corpus

Susum intendentes, semper Deo summo devoti.
Tuta Deo reddite sacra ministeria aræ,
Rebus in diversis exemplum dare parati.
Inclinate caput vestrum pastoribus ipsi.
Sic fiet, ut Christo possitis esse probati.

LXIX. — PASTORIBUS DEI.

Pastor si confessus fuerit, geminavit agonem.
Apostolus autem tales jubet esse magistros :
Sit patiens rector, sciat ubi frena remittat.
Terreat in primis, et postea melle perungat.
Observetque prius ut faciat ipse quæ dicit.
Redditur in culpa pastor sæcularia servans,
In faciem cujus sis ausus dicere quidquam.
Bullit in inferno rumoribus ipsa gehenna.
Væ miseræ plebi, dubia quæ fronte vacillat.
Si talis aderit pastor, pœne perdita stat;
Devotus autem continet, recte gubernans.
Exhilarantur examina regibus aptis.
In talibus, spes est, et vivit Ecclesia tota.

LXX. — MAJORIBUS NATIS DICO.

Me solum exposcit tempus vobis dicere verum.
A Ab uno sæpe monetur, quod multi detrectant.
In me solum volo odia convertere vestra,
Omnium ut paveant præcordia tentatorem.
Respicite dictum, quod veritas odia tollat.
Jam prædixi quidem de pace subdola quanta.
Blandiens dum vobis subrepsit, heu, seductor.
Vos quia nescistis laqueos instare, ruistis.
Sorbetis omnino amara, sed est sæculi ipsum.
Non gratis agit, pro quo interceditis, ullus.
Ab igne qui refugit, agit in voragine, vestro :
Tunc petit suppetium miser denudatus a vobis.
Ipsi jam horrescunt judices peculantia vestra.
S . . . .
De breviori titulo non tot inararem,
Inspicitis docentes quibus vos tenditis ultro :
B Cum ipsis et epulas capitis, et pascitis ipsos.
Ob ea jam terræ pœne fundamenta intratis.

LXXI. — INFIRMUM SIC VISITA.

Infirmus si fuerit frater; de paupere dico ;

COMMENTARIUS.

Christi plerisque in ecclesiis Diaconi offerebant, quod postea vetitum Concil. arelatensi I, cap. 15 : « De diaconis quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere. » Arelat. II, 15 : « Ut diaconus in secretario inter Presbyteros non sedeat : et corpus Christi præsente presbytero tradere non præsumat. » Unde sequitur absente presbytero, tradidisse. Hoc vero mysterium caste exerceri vult Commodianus. RIG —Vide adnotata superius ad Instr. XXXV, v. 545.

Susum intendentes. Adisis infra Rigaltium ad Instr. LXXVII, v. 1204.

Rebus in diversis. Diversam partem pro contraria dixisse veteres, probe quidem scio : sed *res diversas* eo sensu legisse me non memini. Scribendum : *Rebus in adversis exemplum dare parati*. DAVIS.

Pastor si confessus. Si de nomine interrogatus clare et constanter responderit : Sum christianus. Si thus acerræ profanorum imponere jussus, fortiter abnuendo clamaverit : Non facio. RIG.

Sæcularia servans. Qui se adhuc sæcularibus immisceat. Sæcularia dicit opposita Christo, antichristiana. Contraria sunt Christus et sæculum, sive Satanas. Christus personas non respicit; sæculum sive Satanas loquitur nobilitatem, generositatem, magistratus. Christus simplicitatem, et sanctam paupertatem : sæculum divitias. Christus benignitatem, misericordiam, pietatem : Satanas regna, ultiones, perfidias, rapinas, incendia, triomphos. Plura de istis ostendimus epistola præfixa editioni nostræ Cypriani, quæ ab sæculo Commodiani summum cepisse videntur incrementum. RIG.

Plebi, dubia quæ fronte vacil. Ait Commodianus pastores, episcopos, presbyteros, frontem esse populi christiani : itaque, ut in acie militari, primis ordinibus collocandos esse milites fortissimos, qui sint exemplo cæteris. Tertullianus lib. de Fuga : *Sed quum ipsi ductores, id est ipsi diaconi, presbyteri et episcopi fugiunt; quis de gregario numero sustinebit, ad gradum in acie figendum suadentes*, etc. RIG.

Devotus autem. Bonus ille pastor, qui ponit animam suam pro ovibus. RIG.

Continet. Totum ovile continet in vestigio fidei constantis. RIG.

Examina regibus aptis. Etenim apium examina regem, sive ducem, quæque suum habere dicuntur. Cyprian. Ep. 69. RIG.

MAJORIBUS NATIS. Tales erant primores, patroni, locupletes, qui tenuiores in clientelam suam recipiebant. RIG.

Me solum solus ut plures altare Domini circumdabo, inquit Tertullianus adversus psychicorum gloriosissimam multitudinem, lib. de Pudic. RIG.

C *Ab uno sæpe*. In hanc sententiam fabulatur Phædrus Aug., lib. IV, Fab. 3 :

Plus esse in uno sæpe, quam in turba, boni.

Hac autem instructione Commodianus eorum qui inter ævi sui christianos auctoritate pollebant vitia carpit. Sed et cunctis passim instructionibus de neglecta disciplina tanto cordis affectu zeloque disserit, ut sui sæculi christianis desperationem salutis incutiat. Sensit oraculi veritatem Gennadius, episcopus massiliensis, nec amolitus est quidem vaticinii sive querelæ tristitiam, sed Commodianum ipsum posteris tradens, hoc discrimine fecit insignem. Neque tamen ista fuit solius Commodiani querela. Nam et pacem Ecclesiæ subdolam paulo ante Cyprianus opusculo suo de Lapsis arguerat : et postmodum Sulpicius Severus Historiæ sacræ libros suos hac certe miserabili deploratione conclusit : « Et nunc, inquit, cum maxime discordiis episcoporum turbari aut misceri omnia cernerentur; cunctaque per eos odio aut gratia, metu, inconstantia, invidia, factione, libidine,
D avaritia, arrogantia, somno, desidia essent depravata; postremo plures adversum paucos bene consulentes insanis consiliis et pertinacibus studiis certabant. » RIG.

Omnium testatorem.... Satanam. Heic certe Commodianus incutit desperationem episcopis. RIG.

Quod veritas odia tollat. Pariat, conciliet sibi. Sic ipse alibi dixit, *Martyrium tollere*, quod est patrare, reportare martyrii christiani gloriam. RIG.

Non gratis agit. Patrocinium vestrum venditis magno. RIG.

Peculantia vestra. Sic legitur in apographo : quæ scriptura, si vera est, *peculantia* dixerit *peculatum*, διαρπαγήν. RIG.

Et pascitis ipsos. Devoratis. RIG.

Terræ fundamenta. Inferos. Locus Esaiæ, c. XIV, 15, secundum Septuag. sic habet : Νῦν δὲ εἰς ᾅδην καταβήσῃ καὶ εἰς τὰ θεμέλια τῆς γῆς. Aquila et Theodotio dixere, εἰς λάκκον. Latina versio vetus : *in fundamenta laci*. Glossæ veteres : Λάκκος, *Lacuna, lacus*,

Nolite vacui talem visitare jacentem.
Fac sub Deo bonum, obsequia redde per numinum.
Inde revalescit, vel, si conciderit ille,
Refoveatur homo pauper, qui non habet unde
Mercedem tibi, pro illo sed conditor orbis et auctor.
Vel si pigeret ire ad pauperem, semper abosum,
Mitte nummos, et unde se resumere possit.
Similiterque soror si paupera lecto decumbit,
Incipiant vestræ matronæ victualia ferre.
Clamat ipse Deus : Frange tuum panem egeno.
Verbis opus non est visitare, sed benefactis.
Iniquum est, frater inopia victus ægrotet.
Satagite, non verbis, esum potumque requirit.
Inspicite tales, sed certe debilitatos,
Transigere sese qui non possunt, date subinde.
A Domino vobis spondeo dari quadruplum.

LXXII. — PAUPERIBUS SANIS.

Pauperies sana quid, nisi divitiæ adsint?
Ars certe si fuerit, jam et tu communica fratri.
Unum præsta tibi, ne superbus esse dicaris.
Polliceor, quoniam securior divite vivis :
Excipe doctrinam magni Salomonis in aures.
Responsorem in alto odit Deus pauperem esse :
Idcirco te subde, et honorem redde potenti.
A Blandus enim sermo, proverbium nosti, deriget.
Vincitur officio etsi fuerit ira vetusta.
Si lingua taceat, nil melius invenisti.
Sane si non fuerit ars unde vita regatur,
Aut operam præbe, aut cursum, jussu potentis :
Non pudeat neque pigeat procurrere sanum.
In gazo præterea de labore mittere debes ;
Sicut singularis illa, quam prætulit unctus.

LXXIII. — FILIOS NON LUGENDOS.

Filiorum casus licet et dolium cordis relinquat,
In nigris exire tamen nec plangere fas est.
Lex prudenter ait, animo nec pompa, dolere,
In Salomoniaco libro septimana finita.
Oblita Dominum de resurrectione promissa,
Si martyras feceris filios, sic voce deflebis?
B Non pudet infrenem gentiliter plangere natos?
Os laceras, tundis pectus, vestimenta deducis,
Nec metuis Dominum cujus optas regnum videre?
Luge quod fas est : noli tamen errare pro illis.
Vos ideo tales, quod minus quam gentes estis :
Germine zabolico facitis ut turbæ pronatæ;
Extinctos clamatis : qua gratia? false, peristi.
Nec dolore duxit pater filium mactandum ad aram ;
Dolore nec vates filium luxit defunctum :

COMMENTARIUS.

cisterna. Item : *Lamæ*, πηλώδεις τόποι. Tertullianus dixit, *stagnum ignis et sulphuris*, lib. de Fug. RIG.

Talem visitare jacentem. Clinicum, Grabbatarium. RIG

Pauperem, semper abosum. Importuni divitibus, et odiosi solent esse pauperes, sed et proximis etiam et amicis. φιλοιμισήσουσι φίλους πτωχούς. Prov., XIV, 20. RIG.

Unde se resumere possit. Unde ad sublevandam inopiam suam sumere aliquid possit, et sumpticulum facere parandis sibi necessariis, quibus doleat natura negatis ; ac tandem vires resumet suas. RIG. — *Unde se resumere, etc* Vires suas recuperare. Similiter Galli dicunt *se reprendre*. Vide Car. Dufresnii Glossarium. DAVIS.

Victualia ferre. Ipse Instr. ult. dicet... *portent victualia collo*.

PAUPERIBUS SANIS. Instructione præcedenti dixit, de infirmis et jacentibus : jam de valentibus et sanis, sed egenis ; qui tamen artis suæ quæstu parare sibi possunt, unde se exhibeant. Et hos quidem aliquid de subsidio artis suæ conferre vult fratribus infirmis. RIG.

Pauperies sana. Eccl., XXX, 14. πτωχὸς ὑγιὴς καὶ ἰσχύων τῇ ἕξει.

Responsorem in alto. Qui sic respondit quasi despiciat. Prov., XVIII, 25 : *Cum obsecrationibus loquitur pauper*.

Blandus enim sermo. Blandus sermo sæpe apud iratos plurimum valet, et gratia sua facit ut subsidant iracundo cristæ, ut fervor detumeat; confutat animum iracundi fervidum. Sic Lucilius dixit : *Coquus ahenum cum fervit, paula confutat trua*. RIG

Deriget. Rigorem solvit, emollit, fundit, liquefacit. Plautus eodem sensu dixit : *dirigere*, in Curcul. *Clipeatus elephantum ubi machæra dirigit*, hoc est, ita discindit aut transverberat, ut effuso sanguine prærigida belluæ moles dissolvatur, aut divisa prosternatur. Glossæ : ἀπευθύνω, *Derigo*. RIG. — Respicit Commodianus ad *Prov.* XV, 1.

Proverbium nosti. Glossæ veteres : θεολογία, *Dei proverbia*.

In gazo præterea. Supra. Instruct. IV : *Non domum gazo paratis*. Glossæ : *Gaza*, χρήματα, περσὶδι διαλέκτω. Cyprianus : *Et dominicum celebrare te credis, qui Corban non respicis?* Commod. LXI : *De die dominica quia dicis?* etc. RIG.

C *Singularis illa*. Vidua, solitaria.

Unctus. Christus. Tertullianus, Apolog., cap. 3 : *Christianus, quantum interpretatio est, de unctione deducitur*. Nomen de suavitate vel benignitate compositum. RIG.

In nigris exire. Ut mox erat gentium minime christianarum. Julius Paulus, Sententiarum lib. I, tit. de Sepulcris et Lugendis : *Qui luget, abstinere debet a conviviis, ornamentis, purpura et alba veste*. Atra vestis conveniens luctui color, tristior habitus; spem resurrectionis non habebant, mortuos suos lugebant ut perditos, ut jam nullos. At christiani, qui fideles fratresque suos ad vitam æternam migrasse, abiisse, præcessisse dicebant, non exibant in nigris, τὸ γὰρ μέλαν θανατῶδες. Itaque aversabantur omnia mortis præsagia. Nam et nigrum illud et ferale in tumulis Theta, et nigra in ve te senescere, ad christianos pertinere negabant, de vita post excessum æterna certos. RIG.

In Salomoniaco libro. Liber inscribitur *Ecclesiasticus*, *Sapientia Jesu* filii Sirach. Salomoniacum librum D vocat Commodianus, quia gnomas sive sententias continet ad exemplum Salomonis. RIG.

Septimana finita. Ecclesiastici, XXII, 13 : *Luctus mortui septem dies*. Morem fuisse antiquissimum discimus ex historia Jacobi, Genes., I 10, et ex iis quæ sunt ad eum locum, et ad Siracidem ab doctis viris notata ex Philone et Ammiano Marcellino. RIG.

Gentiliter plangere. More gentium. Paulus ad Thessal., I καθὼς καὶ οἱ λοιποί, οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα. Scilicet resurrectionis. RIG.

Quod minus quam gentes estis. Legendum : *Quid minus quam gentes estis*. DAVIS.

Extinctos clamatis. Ut supra Instr. XXX, *Vixit*, et, *Extinxi*, Extinctos ethnici dicebant defunctos : Christiani, præmissos, ad Deum translatos, evocatos a Domino. RIG.

Nec dolore duxit pater. Hæc Abrahami et Davidis exempla ad communem hunc de filiis non lugendis locum citavit Ennodius episcopus Ticinensis Epist. 1 lib. II, ubi Sirmondus hosce Commodiani versiculos

Omnipotentis enim nec flens deducebat alumnum,
Sed Deo devotus festinanter funus agebat.

LXXIV.— DE POMPA FUNERIS.

De funeris pompa sollicitus esse qui quæris,
Erras, Dei servus adhuc in morte placere,
Pro! exanimum corpus ornari funestum.
O vanitas vera, cupere defunctis honorem.
Mens mundi detenta, nec in morte Christo devota.
Proverbia nosti : per forum efferri volebat.
Adeo illi similes et fera mente viventes,
Faustum felicemque diem in exitu vultis habere,
Ut coeat populus, laudem cum luctu videre.
Non provides quonam merearis ire defunctus.
Ecce prosequuntur illi : tu jam forte cremaris
Redactus in pœnam Quid proderit pompa defuncto?
Incusatus eris qui ob ista collegia quæris.
Sub Vejove cupis vivere : te decipis ipsum.

LXXV.— CLERICIS.

Congruit in Pascha, die felicissimo nostro,
Lætentur et illi, qui postulant sumpta divina :
Erogetur eis quod sufficit, vinum et esca.
Respicite fonte quo memorentur ista pro vobis.
In modico sumptu deficitis Christo donare.
Cum ipsi non facitis, quo modo suadere potestis
Justitiam legis talibus? vel semel in anno.

A Sic multos urget blasphemia sæpe de vobis.

LXXVI.— DE FABULOSIS ET SILENTIO.

Dum leve videtur cuicumque neque vitatur,
Et quasi facile ruit, dum abuteris illud,
Fabulæ subveniunt, quo venisti fundere preces,
Aut pulsare domum stomachi pro delicto diurno.
Buccina præconum clamat, lectore legente,
Ut pateant aures, et tu magis obstruis illas;
Luxaris labia, quibus ingemiscere debes.
Obsera malis pectus, vel in pectore solve.
Sed quia divitibus faciunt pecuniæ frontem,
Inde perit omnis, quando sibi maxime fidunt.
Sic feminæ quoque coeunt quasi initient balneo;
Et de domo Dei facitis ceu nundinas, artent.
B Terruit sane Dominus domum orationis,
Sacerdos Domini cum *sursum corda* præcepit,
In prece fienda, ut fiant silentia vestra;
Limpide respondes, nec temperas quoque promissis.
Exorat ille Altissimum pro plebe devota,
Ne pereat aliquis, et tu te in fabulas vertis;
Tu subrides ibi, aut detrahis proximi famæ;
Indisciplinate loqueris, quasi sit Deus absens,
Omnia qui fecit, nec audiat neque cernat.

LXXVII.— EBRIOSIS.

Ebrioso modum non pono, sed belluam malo.

COMMENTARIUS.

et ipsius quidem Commodiani nomen, ab ævo Gennadii et Gelasii ignoratum primus indicavit. Eusebius opusculo de Resurrectione : *Noli enim quærere, si non est occisus Isaac : sed ex quo proposuit pater, mortuus est patri Isaac*, pag. 51 editionis Sirmondi. RIG.

Deo devotus. Glossæ : *Devotissimus*, καθοσιώτατος. Omnia pati et facere paratus. RIG.

Proverbia nosti. Sic Julianus Cæsar Dionysio cuidam : Μῦθον ἀκήκοας, et. Ἱστορίαν ἐπίστασαι. RIGALT.

Per forum efferri volebat. Quemadmodum ille apud Horatium Gargilius, qui :

Mane plagas, venabula, servos,
Differtum transire forum populumque jubebat. RIG.

Qui ob ista collegia quæris. Corporis artificum Libitinariorum, qui funera ad ritum ethnicum ministrabant magnifico apparatu; numerosissima turba prosequentium funus et majorum imagines. RIG.

Collegia quæris. Advocas, sic Instr. XIX, dixit COLLEGIUM FACERE : *simili collegio facto*. RIG.

Sub Vejove. Sub Idolis. In apogr. *sub vigore*. RIG.

Congruent in Pascha, die felicissimo. Quo pignus et arrhabonem accepimus resurrectionis in vitam æternam. RIG.

Qui postulant sumpta divina. Ita in apographo, ubi superscriptum est : *qui postulant sabbata divina*. Neutra lectio probabilis mihi videtur. Ista vero sensum efficiet huic instructioni convenientissimum : *Lætentur et illi, qui postulant sub acta divina*. Commendatur pietas erga pauperes; illos præsertim, qui postulant et rogant opem ac beneficia fidelium, sub id tempus quo solvitur Synaxis die Paschæ; sub id tempus quo pronuntiari solet missa, sive missio paschalis : sub id tempus, quo dimittuntur fideles, peractis solemnibus, peractis mysteriis, peractis rebus divinis. RIG.

Respicite fonte quo memorentur ista. In apogr. *Respuces de forte quo memorentur*. Quæ sunt corruptissima. RIG.

Cum ipsi non facitis. Supra Instr. LXIX, dixit : *Observetque prius, ut faciat ipse quæ dicit*. Apollonius : Δεῖ γὰρ νομοθέτην ἃ πεποίηκεν ἑαυτὸν, ταῦτα ἐπιτάγματα ἐς τοὺς πολλοὺς ποιεῖσθαι. Horatius : *Si vis me flere*,

C *dolendum est primum ipsi tibi*. Pharisæorum est, dicere et non facere : imponere plebi onera, quæ ipsi ne digito quidem velint attingere. RIG.

Sic multos urget blasphemia. Hoc de sæculi sui clericis Commodianus : et Clerici vocabulum tunc pertinebat etiam ad sacerdotem. Hoc de sæculo quoque suo testatur etiam ad Eustochium Hieronymus Epist. XXII, num. 16 : *Clerici ipsi, inquit, quos in magisterio esse oportuerat doctrinæ pariter et timoris, osculantur capita matronarum, et extenta manu, ut benedicere eos putes velle, si nescias, pretia accipiunt salutandi. Illæ interim quæ sacerdotes suo viderint indigere præsidio, eriguntur in superbiam*, etc. Quanta jam illis temporibus per Ecclesias spatia confecerat Antichristus? Jam ipsi præsides indigebant monitoris præsidio; et qui monitis suis regendæ plebis pontificium susceperant, mala prævaricatione præsidium ipsi suum deserebant. RIG.

DE FABULOSIS. Congerronibus, confabulatoribus. RIG.

Domum stomachi. Pectus. RIG.

Stomachi. Cordis, animi, conscientiæ. RIG.

D *Pro delicto diurno*. In apogr. legitur, *divino*. Delictum diurnum; quotidianæ incursiones. RIG.

Luxaris labia. Labia profanas, violas, dissolvis luxu, nequitia. Ut a luxuria, luxuriari; sic a luxu, luxari. ἀσωτεύομαι, *Luxo, luxurior*. Festus : *Luxantur a luxu dictum, id est, luxuriantur*. RIG.

Quasi initient balneo. Quasi ineunt balneum. Et versu seq. *Et de domo Dei ceu nundinas facitis artent* RIG. —Sensus, nisi fallor, postulat ut legatur : *Et de domo Dei faciunt ceu nundinas, artant*. DAVIS.

Ceu nundinas. οἶκον ἐμπορίου. Joan. II, 16. RIG.

Terruit sane Dominus domum orationis. Cum intorto flagello ejecit collybistas. Joan. II, 15. RIG.

Sursum corda. Prisca formula poscentis attentionem et silentium. Glossæ veteres : *Sus*, ἄνω; *sursum*, ἐπάνω. Item : Ἄνω, κατὼ, *sursum, deorsum*. RIG.

Pro plebe devota. Pro omni fraternitate. RIG.

Ebrioso modum non pono, sed belluam malo. In apographo legitur : *Ebrioso modum non puo, sed bellua malor*. Et prima quidem lectione statim se

Bibendo superbis, interior a mente recedis,
Regentis imperium tenens apud, stulte, Cyclopas :
Inde in historiis : Dum mortuus non bibo, dicis.
Optima mihi bibere, et corda sapere.
Subministra magis (quid amplius quæris abuti ?)
Infimo pauperclo, et eritis ambo refecti.
Si facias ista, extinguis tibi gehennam.

LXXVIII.— PASTORI.

Pascere qui quæris, et quod potuisti parasti ;
Assidue pascendo recte fecisti.
Sed tamen invise pauperem qui te non repascat.
Tunc erit mensa tua per unum Deum probata.
Omnipotens tales vel maxime pasci præcepit.
Respice cum pascis infirmos, et feneras Alto.
In illo vos Dominus voluit probatos adesse.

LXXIV. — ORANTI.

Orantem si cupias exaudiri de cœlo,
Rumpe de latibulis nequitiæ vincula.
Aut si benefactis ores miseratus egenis,
Ne dubites quin quod petieris detur oranti.
Tu sane si nudus benefactis Deum adores,
In totum ne facias sic orationes inepte.

A LXXX.— NOMEN GAZÆI.

Incolæ cœlorum futuri cum Deo Christo
Tenente principium, vidente cuncta de cœlo.
Simplicitas, bonitas, habitet in corpore vestro.
Irasci nolite sine causa fratri devoto :
Recipietis enim quidquid feceritis ab illo.
Hoc placuit Christo, resurgere mortuos, imo,
Cum suis corporibus, et quos ignis ussit in ævo,
Sex millibus annis completis mundo finito.
Vertitur interea cœlum tenore mutato :
Comburuntur enim impii tunc igne divino.
Ira Dei summi ardet creatura gemendo.
Digniores, stemmate et generati præclaro,
Nobilesque viri sub Antichristo devicto :
B Ex præcepto Dei rursum viventes in ævo,
Mille quidem annis ut serviant sanctis et Alto,
Sub jugo servili, ut portent victualia collo ;
Ut iterum autem judicentur regno finito.
Nullificantes Deum, completo millesimo anno,
Ab igne peribunt, cum montibus ipsi loquendo.
In bustis et tumulis omnis caro redditur acto,
Demerguntur inferno, trahunt pœnas in ævo.

COMMENTARIUS.

obtulerat emendatio : *Ebrioso modum non pono, sed bellua major.* Unde apparebat iste sensus : Deditus ebrietati, modum sibi non ponit ; nec ponere monentem audit ; sed major bellua, major helluo modum ponit combiboni suo, quem turbata mente crapula consopitum prostravit ; jam non mentis, non rationis compotem ; ac per hoc belluam. Sed hæc sunt exposita et coacta nimis. Itaque placet ista simplicior scriptura : *Ebrioso modum non pono, sed belluam malo.* RIG.

Bibendo superbis. In apographo legitur : *supernis* vel *superius.* RIG.

Regentis imperium tenens apud, stulte Cyclopas. Polyphemi. RIG.

Inde in historiis. In fabulis, in Odyssea. Glossæ : Ἱστορίαι, *monimenta.* Hesych.: Ἱστορεῖ, μυθεύει, ἱστορία, μαρτύρια, καὶ τὰ ὅμοια. RIG.

Optima mihi bibere. Hoc ex persona sua Commodianus apponit : intelligit autem bibere vitam æternam per Evangelia, præcepta et exempla Christi. RIG.

Extinguis tibi gehennam. Alludit ad historiam divitis purpurati, cujus lingua apud inferos tam ardenti cruciatu urebatur, ut de Lazari digito instillari sibi aquæ tantillum pro summo levamine exoptaret. Luc., XVI.

PASTORI. Convivatori, ἑστιάτορι. RIG.

Pauperem qui te non rep. Instr. LXI. RIG.

Feneras Alto. Cyprianus lib. de discipl. *Patrimonium tuum Deo fenera, Christum ciba.* RIG.—Salomon *Prov.* XIX, 17: *Qui pauperi miseretur, Deo fenerat :* ut habet vetus interpres apud Cyprianum *Testim. ad Quir.* lib. III, cap. 1. DAVIS

De latibulis. De intimo recessu cordis ; de penetralibus mentis tuæ. RIGALT.

Ores miseratus egenis. Paulinus, epist. XXXIV : *Aliud est, quando tu solus oras pro te : et aliud, quando multitudo pro te apud Deum trepidat.* RIG.

NOMEN GAZÆI. Id est *Commodiani* ; a Gaza, *Gazæus* : a Commodis, *Commodianus.* Commoda autem dicuntur opes, divitiæ, gaza. Glossæ veteres : Commoda, λυσιτελῆ, χρήματα. RIG.

Tenete principium. Nullus dubito quin ad illud Davidicum *Ps.* CIX, 4, respexerit auctor : *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Nimirum principium, ἀρχή, principatus : quod etiam Suetonius *principium* dixit, ut ad citati Psalmi locum monuit doctissimus Meldensium antistes Bossuetius.

Et quos ignis ussit in ævo. Legibus Cæsarum de pœnis, summa fuit ignium pœna. Christiani vero, etiam in corporibus defunctorum, rogos et busta exhorrescebant, præsaga formidine ignis illius æterni. Hoc igitur in primis curabant, ut martyrio devotis obfirmarentur animi adversus ignium tormenta. Petrus I, Epist., IV, 12, hortatur christianos ne expa-
C vescant martyrium si per ignes et ustionem corporis accidat, nec exhorreant ut rem novam, inauditam, insolitam, aut alienam christianis. μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει. Cyprianus Ep. LVI : *Nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem vestram fit*, etc., ubi etiam observavimus nonnihil. Atque hæc parodia sic fuerit christiana :

O quantos æstus, quantos patiere labores !
Si fuerint ignes res peregrina tibi.

Sex millibus annis completis. Justinus Martyr. Dial. cum Tryph. Jud., pag. 307, hoc se cum plerisque aliis recte sentientibus credere profitetur : Ἐγὼ δέ, καί οἵ τινές εἰσιν ὀρθογνώμονες κατὰ πάντα χριστιανοί, ἀνάστασιν καὶ χίλια ἔτη ἐν Ἱερουσαλήμ, etc. Hujusce temporis, annorum sex mille, consummationem sic putabat circa an. Chr. 369. Q. Julius Hilario, quem sarcinatores Bibliothecæ Patrum ediderunt ex bibliotheca Petri Pithœi : « A passione Domini Christi, ex quo tempore fide in se credentibus resur-
D rectionem pollicitus Dei Filius, anni compleantur necesse est quadringenti et septuaginta, ut concludatur summa sex millium annorum. Septimo millesimo incipiente, fide vera credentes liberabuntur e mundo. Tunc enim erit resurrectio prima sanctorum. De quadringentis vero et septuaginta annis a passione Domini in consulatum Cæsaris et Attici, die nono Kal. April. anni transierunt trecenti sexaginta novem. Restant itaque anni centum et unus, ut consummentur anni sex mille, etc. » RIG.

Completo millesimo anno. Epistola, quæ tribuitur Barnabæ, pag. 54 : Οὐκοῦν, τέκνα, ἐν ἓξ ἡμέραις, ἐν τοῖς ἑξακισχιλίοις ἔτεσι, συντελεσθήσεται τὰ πάντα. Vetus interpres latinus : *Unde scire debetis, quia in sex millia annorum consummabuntur omnia.* RIG.

Cum montibus ipsi loquendo. Luc. XXIII, 30 : *Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos ; et collibus : Operite nos.* Quod Oseas prædixerat, X, 8 (*Apoc.*, VI, 16). RIG.

Omnis caro redditur acto. Redditur et restituitur

Ostenduntur illis, et legunt gesta de cœlo
Memoria prisca debito et merita digno.
Merces in perpetuo secundum facta tyranno.
A Omnia non possum comprehendere parvo libello.
Curiositas docti inveniet nomen in isto.

COMMENTARIUS.

una cum actis et operibus cuique suis; ut secundum ea quæ gessit quisque, ad coronam aut gehennam mittatur. Rig.

Curiositas docti inveniet nomen in isto. Ab hoc postremo poematis versu susum relegens per litteras versuum primas inveniet. Commodianus mendicus Christi, et pro titulo: Nomen Gazæi, quod est *Commodiani*, a gazo, sive gazophylacio. Rig.

ANTONII CARMEN

ADVERSUS GENTES.

Discussi, fateor, sectas Antonius omnes;
Plurima quæsivi, per singula quæque cucurri:
Sed nihil inveni melius quam credere Christo.
Hæc ego disposui leni conscribere versu:
Et ne displiceat, quod talia carmina pando;
David ipse chelyn modulata voce rogavit,
Quo nos exemplo pro magnis parva canemus,
Dicentes quæ sunt fugienda, sequenda, colenda,
Cum tamen in cunctis et res, et caussa probetur.
Judaicum primo populum nec gratia novit
Mira Dei; nam tum Pharaoni ereptus iniquo,
Et mare transgressus pedibus, lucente columna
Cum duce, qui mergi infestos vidit equestres,
Et cui desertis nihilum quoque defuit agris,
Manna cui e cœlo, et fons de rupe cucurrit.
B Post hæc ipse Deum præstantem tanta negavit:
Dumque aliud numen dementi pectore quærit,
Ignibus incensis quod misit perdidit aurum.
Par quoque Paganus lapides quos sculpsit adorat,
Et facit ipse sibi, quod debeat ipse timere.
Tum simulacra colit, quæ sic ex ære figurat,
Ut quando libitum est, mittat conficta monetæ,
Aut magis in species convertat sæpe pudendas.
Hinc miseras mactat pecudes; mentesque deorum
Quos putat irasci, calido in pulmone requirit,
Atque hominis vitam pecoris de morte precatur.
Quid petit ignosci veniam, qui sanguine poscit?
Illud enim quale est? quam stultum? quamve notandum?
C Cum Deus omnipotens hominem formaverit olim,

COMMENTARIUS.

Antonius. Quem Paulinus heic alloquatur, quis me doceat? Nominativum pro vocativo adhibitum ab antiquis ostendit Vossius, lib. IV, cap. 5, *de Arte Grammat.* Murator.

Talia carmina pando. Corn. Valerius Vonckius, vir clarus, *Observata ad* hoc *Antonii carmen* exhibet in *Specimine Critico*, pagg. 1–10, quorum nonnulla recenset anonymus lipsiensis in *Actis eruditor.* 1746, pag. 215, seqq. Unde potiora quæ ad carmen istud illustrandum spectant, excerpere animus est. Heic itaque Vonckius legit: *Talia carmine pando.* Elegantius tamen, quam ferat ætas ac stylus auctoris. Galland.

Chelyn modulata voce rogavit. Licentius fortasse quam par sit, mutat vir criticus *chelyn* in *Deum.* Quidni porro scripserit auctor: *David ipse chelyn rogavit?* Nimirum respexerit ad *Psalm.* LVI, 9; CVII, 3: *Exsurge, gloria mea, exsurge psalterium et cithara.* Vonck.

Qui mergi. Ni poetica licentia Paulinus est usus, carminis rationi aliquid deest. Fortasse pro *mergi* legendum *mersos.* Murator.—Cl. Muratorius, ut laboranti metro succurreret, pro *mergi* reponebat *mersos.* Vonckius, *qui mergi funestos.* Neutra tamen emendatione opus. Sic enim etiam Virgilius per hiatum ejusmodi, Eclog. III, v. 6:

Et succus pecori et lac subducitur agnis.

Atque ita optimi poetæ sæpissime. Noster mox v. 15, similiter. A. Lips.

Et fons. Heic quoque laborat aliquantulum versus. Scriberem:

Manna cui e cœlo, cui, fons, etc. Mur.

Quo metrum huic versui restituant, editor quidem rescribit *Manna cui e cœlo, cui fons;* criticus vero facilius transponit *fons et.* Sed nihil hoc loco mutandum ob poetæ licentiam, lipsiensi anonymo jure videtur. Galland.

Ex ære figurat. Tertullianus, in Apolog., cap. 13, idem ethnicis objiciebat: « Domesticos deos quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis pignoD rando, demutando aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva; ut quisque contritus atque contusus est, dum diu colitur, ut quisque dominus sanctiorem expertus est domestica necessitate. Publicos æque publico jure fœdatis, quos in hastario vectigales habetis. Si Capitolium, si olitorium forum petatur, sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quæstoris divinitas addicta conducitur. » Cacabulum Tertulliano memoratum, quod vas spurcitiarum fuit, a Paulino modeste innuitur per hæc verba:

Aut magis in species convertat sæpe pudendas. Mur.

Mittat confictam. Leg. *mittat confracta monetæ.* Vonck.

Mentesque deorum. In pecudum cæsarum extis deorum mentem stulte perquirebant Gentiles. Ovid., lib. V, Metam.:

Fibra quoque ægra notas veri, monitusque deorum
Prodiderat.....

Audet homo formare deum. Ne crimina desint,
Hunc etiam vendit dominus, sibi comparat emtor.
Philosophos credam quidquam rationis habere,
Qui ratione carent, quibus est sapientia vana?
Sunt Cynici canibus similes, quod nomine produnt.
Sunt, et sectantes incerti dogma Platonis,
Quos quæsita diu animæ substantia turbat,
Tractantes semper, nec definire valentes;
Unde Platonis amant de Anima describere librum,
Qui præter titulum nil certi continet intus.
Sunt etiam Physici Naturæ nomine dicti,
Quos antiqua juvat, rudis atque incondita vita.
Namque unus baculum quondam, et vas fictile portans,
Utile quod solum, solumque putarat habendum,
Illud ut auxilii, atque hoc esset caussa bibendi.
Cum stare agricolam, manibusque haurire supinis
Potandas vidisset aquas, vas fictile fregit,
Quo procul abjecto, removenda superflua dixit,
Rusticus hunc docuit quod spernere posset et istud.
Hi neque vina bibunt, nec victu panis aluntur.

COMMENTARIUS.

Hunc eorumdem errorem Seneca, et ipse ethnicus, improbabat, Natur. Quæst., lib. II: « Nimis deum otiosum, et pusillæ rei ministrum facis, si aliis somnia, aliis exta disponit, etc. » Consule lib. Cæs. Bulengeri, *de Magia*, etc. MURATOR.

Etiam vendit. Ad hoc spectant rursus, quæ ex Tertulliano nuper attulimus. Julius Firmicus, de Err. prof. Relig., cap. 16: « Vendebatur deus, ut prodesset emptori, et emptor suppliciter adorabat quidquid paulo ante viderat subhastatum. » MURATOR.

Philosophos credam. Eleganter in hanc rem scripsit S. Eucherius in Parænet. ad Valerian. Inter alia hæc habet: « Brevi tibi liquebit, quanto hæc nostra, id est pietatis veritatisque præcepta, illis philosophorum præceptis præferri debeant. In illis namque eorum præceptis vel adumbrata virtus, vel falsa sapientia: in his vero consummata justitia, solida veritas continetur. Unde licet dicere, philosophiæ alios nomen usurpasse, nos vitam. Etenim qualia possunt ab his dari præcepta vivendi? Causam nesciunt. MUR.

Sunt Cynici. Vulgo κυνικοὶ dicebantur hi philosophi, hoc est *canini*, ἀπὸ τοῦ κυνὸς *a cane*, Diogenes Laert. In Antisthenis Vita hæc ait: κατῆρξε πρῶτος τοῦ κυνισμοῦ, *Cynicam primus sectam instituit*, et in ea princeps fuit. Hinc de illo Ausonius canit:

Inventor primus Cynices ego. Quæ ratio isthæc?
Alcides multo dicitur esse prior.
Alcida quondam fueram doctore secundus,
Nunc ego sum Cynices primus, et ille deus.

Idem vero Laertius, in Prooem., Cynicos de ignominia sic appellatos asserit: καὶ ἀπὸ σκωμμάτων, ὡς οἱ κυνικοί. Suetonius in Vespasiano: « Demetrium Cynicum in itinere obvium sibi post damnationem; ac neque assurgere, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit Canem appellare. » Eleganter quoque Augustinus, de Civ. Dei, lib. XIV, cap. 20: « Hoc illi canini philosophi, hoc est Cynici, non viderunt, proferentes contra humanam verecundiam quid aliud quam caninam, hoc est immundam, sententiam. » MURATOR.

Sectantes incerti. Plato plerumque Socrati adhæsit, ac idcirco inter Socraticos refertur a Laertio in Prolegom. Quia vero τὴν ἀρχαίαν Ἀκαδημίαν συστησάμενος, *veterem Academiam instituit, sectæ novæ* fundamenta jecit. Hinc Platonicorum secta. Proprie tamen ii vocabantur Academici. Laertius in Platonis Vita: Ἐτάφη ἐν τῇ Ἀκαδημίᾳ, ἔνθα τὸν πλεῖστον χρόνον διετέλεσε φιλοσοφῶν· ὅθεν καὶ Ἀκαδημαϊκὴ προσηγορεύθη ἡ παρ' αὐτοῦ αἵρεσις: *Sepultus est in Academia, ubi plurimum temporis philosophatus fuerat: unde et quæ ab eo fluxit secta Academica est appellata.* Augustinus de Civ. Dei, cap. 12, lib. VIII: *Cum Speusippus sororis Platonis filius, et Xenocrates in scholam ejus quæ Academia vocabatur, eidem successissent, ob hoc et ipsi, et eorum successores Academici appellabantur. Recentiores tamen philosophi nobilissimi quibus Plato sectandus placuit, noluerunt se dici Peripateticos aut Academicos, sed Platonicos.*

Incerti dogma. Prudentius in Apotheosi:

Consule barbati deliramenta Platonis,
Consule et hircosos Cynicos, quos somniat, et quos
Texit Aristoteles torta vertigine nervos.

Diu animæ. Versus aliquantum laborat. Scriberem:

Quos animæ quæsita diu substantia turbat. MUR.

Qui præter titulum. Egregius utique, celeberrimusque Platonis est liber, ubi *de animæ Immortalitate* quæstionem habet: sed si cum christianorum assertis, certissimisque nostræ fidei documentis componatur, *nil certi continet intus.* Homini ethnico, et longe a vera religione posito magnum fuit sapientiæ portentum, non irridendam omnino de ejusdem animæ perennitate proferre sententiam: in qua tamen quot errores erraverit, non est meum heic investigare, sed monere tantummodo, ibi in incertum pleraque ferri. Theodoritus, scriptor eruditissimus, Serm. V contra Græcos, hanc Platonis sententiam acutissime examinat, ac nutantem sæpissime deprehendit. Addit porro: Καὶ ὁ μὲν σοφώτατος Πλάτων περὶ τῆς ἀθανασίας τῆς ψυχῆς παμπόλλους λόγους διεξελθὼν οὐδ' Ἀριστοτέλη τὸν φοιτητὴν ἔπεισε τόνδε στέρξαι τὸν ὅρον. Ita vertit Acciajolus: *At Plato quidem sapientissimus, qui complures sermones de immortalitate animæ disseruit, ne Aristoteli quidem auditori suo persuasit eam positionem.* MURATOR.

Sunt etiam Physici. Φύσις græce, latine dicitur *natura*: hinc Physici, seu naturales philosophi. Laertius in Prooem.: Καὶ οἱ μὲν ἀπὸ τῆς περὶ φύσεω πραγματείας φυσικοὶ προσηγορεύθησαν: *Et alii, quod de natura rerum scripsere, Physici sunt appellati.* MURATOR.

Namque unus baculum. Laertius in Vita Diogenis: θεασάμενός ποτε παιδίον ταῖς χερσὶ πῖνον, ἐξέρριψε τῆς πήρας τὴν κοτύλην: *Intuitus Diogenes aliquando puerum cava bibentem manu, cotylum pera productum abjecit.* Hoc Diogeni universa scriptorum cohors adjudicat, ac Seneca potissimum Ep. 90, et S. Hieronymus, advers. Jovian., lib. II, qui Paulino concordes, non puerum, ut Laertius habet, sed rusticum Diogeni magistrum fuisse consentiunt. Quum vero Antisthenis, cynicorum antesignani, auditor iste fuerit, ac, cynicam philosophiam sectatus, cynici supra omnes cognomentum meruerit, utique miror cur Paulinus cynicos a physicis aperte distinguens, cuidam postea e physicis hoc Diogenis factum adscribat. Neque reponatur, veteres tripartitam coluisse philosophiam, ac propterea physicam, quæ pars e tribus erat, cynicis etiam competere; siquidem cynici hanc philosophiæ partem aversabantur, ac uni ethicæ operam dabant. Sunt Laertii verba in Menedemo: Ἀρέσκει οὖν αὐτοῖς (κυνικοῖς) τὸν λογικὸν καὶ τὸν φυσικὸν τόπον περιαιρεῖν, μόνῳ δὲ προσέχειν τῷ ἠθικῷ: *Placet ergo illis* (cynicis) *logicam ac naturalem philosophiam tollere, at uni ethicæ animum intendere.* Quæ vero Paulinus addit, omnino cynicis, non physicis conveniunt. MURATOR.

Hi neque vina bibunt. Expresse de cynicis id Laertius tradidit in Menedemi Cynici Vita: ἔνιοί τε γοῦν καὶ βοτάνοις, καὶ παντάπασι ὕδατι χρῶνται: *Plerique etiam herbis, et aqua frigida utuntur.* Et de Diogene in ejus Vita sic ait: ἐν οἴκῳ τε ἐδίδασκε διακονεῖσθαι λιτῇ τροφῇ

Nec lecto recubant, nec frigora vestibus arcent;
Ingratique Deo, quod præstitit ille, recusant.
Quid dicam diversa sacra? Et Dis atque Deabus
Condita Templa loquar? quæ sint Capitolia primum
His deus, uxorque dei, ipsamque sororem
Esse volunt, quam Vergilius notat auctor eorum
Dicendo: Et Soror, et Conjux. Plus de Jove fertur,
A Et natam stuprasse suam, fratrique dedisse;
Utque alias caperet, propriam variasse figuram;
Nunc serpens, nunc taurus erat nunc cygnus et arbos:
Seque immutando, qualis fuit indicat ipse,
Plus aliena sibi quam propria forma placebat.
Turpius his aquilam finxit, puerique nefandos

COMMENTARIUS.

χρωμένους, καὶ ὕδωρ πίνοντας. *Domi etiam ministrare docebat cibo levi ac vili contentos, et aqua.* MURATOR.

Nec lecto recubant. Celebre Diogenis Cynici dolium etiamnum habetur, in quo philosophus ille noctu diuque recubabat. Hunc alii Cynici imitati, Cresollius in Mystagog., lib. IV, cap. 20, sect. 3, de his ait: « Inanissimæ gloriæ caussa Cynici dormiebant in B herbaceis toris, aut nuda humo, ut ea vitæ duritate et fucata patientia, omnium in se oculos converterent. » Pallio itaque substrato incubare etiam isti solebant, quod innuit Martial. lib. IV, Epigr. 52 de Cynico agens:

Quem nudi tegit uxor abolla grabati.

Abolla autem pallium erat. MURATOR.

Nec frigora. Iis tantum vestibus caruere Cynici, quæ frigori arcendo inserviunt; tunica enim destituti solo utebantur pallio S. Cyprianus in his *exerti, ac seminudi pectoris inverecundum jactantiam* arguit. Vide Augustin. lib. XIV, de Civ. Dei, cap. 20. MUR.

Ingratique Deo. Recte Seneca, lib. de Brev. vitæ, cap. 14, Cynicos ait: *Naturam hominis excedere.* Tot corporis ab his philosophis quæsita incommoda superbiæ potius, quam veræ sapientiæ miracula fuere. Diogenes fastum Platonis se aliquando calcare profitebantur, cui Plato: *At fastu alio.* Tatianus Assyrius in elegantissima *oratione* adversus Græcos supra his consulatur. MURATOR.

Quæ sint capitolia. Mutila heic, et absque interpunctione (qua totus Codex MS caret) non facile enucleanda oratio occurrit. Adderem tamen binum *est*, ac ita distinguerem:

Quæ sint Capitolia? Primum
Hic deus est, uxorque dei est, ipsamque sororem
Esse volunt, etc.

Ita Muratori: Vonckius autem sic legit ac distinguit:

Quæ sint Capitolia, primus
His deus:

Ipsamque sororem. Virgilius heic a Paulino memoratus Æneid. lib. I, sic Junonem de se loquentem inducit:

Ast ego quæ divum incedo regina, Jovisque
Et soror et conjux...

Greg. Nazianz. Orat. I, in Julian. Ηρα τοῦ μεγάλου Διὸς ἀδελφὴ, καὶ ὁμόζυγος. *Juno magni Jovis soror, et conjux* Hanc ethnicis impudentiam exprobrat Augustinus, lib. IV, cap. 10, de Civ. Dei. Minucius quoque: *Deos colitis incæstos cum matre, cum filia, cum sorore conjunctos.* MURATOR.

Vergilius. Ita Codex. Politianus Miscell. Ep. 2, cap. 77, et lib. V. Ep. 3, apertis testimoniis evincit *Vergilium*, non *Virgilium* esse scribendum. Ita marmora plura, ita vetustissimi libri ferunt. Cæl. Rhodig. lib. VII Antiq. lect., cap. 4, et Manut. in Orthogr. aliis exemplis prolatis contrariam tuentur sententiam. Horum rationes apud Dausquium in Orthogr recolendæ, apud quem *Virgilius* rectius sonat. MURATOR.

Natam stuprasse. Non hic aliam intelligi quam Proserpinam Jovis e Cerere filiam fatebuntur omnes, quum ista Plutonis deinde fuerit mancipata conjugio. Verum quis illam a Jove stupratam affirmavit? Eusebius Cæsar. lib. II, de Præp. Evang., hæc habet: Κύει μὲν ἡ Δημήτηρ· ἀνατρέφεται δὲ ἡ κόρη· μίγνυται δ' αὖθις ὁ γεννήσας οὑτωσὶ Ζεὺς τῇ Φερεφάττῃ τῇ ἰδίᾳ θυγατρὶ, μετὰ τὴν μητέρα Δηὼ, ἐκλαθόμενος τοῦ προτέρου μύσους, καὶ μίγνυται δράκων γενόμενος. Hoc est: *Ceres peperit; educatur filia; huic Proserpinæ filiæ a se genitæ rursus Jupiter post matrem Cererem immiscetur prioris oblitus sceleris, ac draconis forma suscepta illam comprimit.* Hæc autem iisdem pene verbis Eusebius e Clemente Alexandr. in monit. ad Gent., hausit, cui Arnobium advers. Gent., lib. V, fuse rem hanc tractantem addere potes. Hinc lucem accipiet Ovidii locus VI Metamor. Inquit is Jovis adulteria recensens:

Aureus ut Danaen, Asopida luserit ignis,
Mnemosynen pastor, variusque Deoida serpens.

Deois heic Proserpina est, Cereris ex Jove filia: Græce enim Δηὼ ἀπὸ τοῦ δήω hoc est invenio, dicitur Ceres, et inde patronymicum nomen Deoidis Proserpinæ communicatum. Orpheus (seu quis alius sit auctor) ex hoc nefando concubitu Liberum genitum ait, cui adstipulatur Diodorus Sic. lib III Bibl. Hist. MUR.

Nunc serpens. Serpentis figuram induit Jupiter, quum Proserpinæ, ut nuper vidimus, se miscuit; Tauri, quum Europam asportavit; Cygni cum Ledam fefellit; ac denique arboris (nisi forte aurum pro C arbos heic legendum sit, quum in aliam quamdam feminam nefandus adulter procubuit. Hæc et alia Ovidius exprimit lib. VI Metam.

Fecit olorinis Ledam recubare sub alis;
Addidit ut Satyri celatus imagine pulchra
Juppiter implerit gemino Nycteïda fetu:
Amphitrion fuerit, cum te Tirynthia cepit;
Aureus ut Danaen, Asopida luserit ignis,
Mnemosynem pastor, variusque Deoida serpens.

Venuste etiam Græcus quidam duobus hisce carminibus lusit:

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δι' ἔρωτα
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

Fuit Jupiter cycnus, taurus, satyrus, aurum: propter amorem Ledæ, Europæ, Antiopes, Danaes. Hanc Jovis procaciam ridet Nazianzen. in orat. advers. Julian. τὰ πάντα γίνεται δι' ἀσέλγειαν, καὶ ἀκαθαρσίαν ὁ Ζεύς. etc. Quidvis efficitur Jupiter ob impuritatem, ac D libidinem. Plura pete ex Arnobio, Lactantio, Clemente, aliisque vetustissimis Patribus. MUR.

Turpius his aquilam. Per aquilam Ganymedem. rapuit Jupiter. De hoc Virgil., lib. III Æneid.

Quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.

Quidam tamen ipsum Jovem in aquilam conversum hujus rapinæ auctorem faciunt. Est Græcum carmen:

Αἰετὸς ὁ Ζεὺς ἦλθεν ἐπ' ἀντίθεον Γανυμήδην.

Jupiter aquila factus volavit ad pulchrum Ganymedem. Ovidius quoque, lib. X Metam:

Rex superum Phrygii quondam Ganymedis amore
Arsit: et inventum est aliquid, quod Juppiter esse,
Quam quod erat, mallet. Nullo tamen alite verti
Dignatur, nisi quæ portat sua fulmina terræ.

Est hæc Paullini nostri mens isto in loco. MUR.

Venit in amplexus. Quid dicit turba colentum?
Aut neget esse Jovem, aut fateatur dedecus istud.
Nomen habet certe, quod nec ratione probetur.
Sacra Jovi faciunt, et Juppiter optime dicunt,
Huncque rogant, et Jane Pater primo ordine ponunt.
Rex fuit hic Janus, proprio qui nomine fecit
A Janiculum, prudens homo; qui cum multa futura
Posset respicere, hunc duplici pinxere figura.
Et Janum geminum veteres dixere Latini.
Hic quia navigio Ausonias advenit ad oras.
Nummus huic primum tali est excusus honore,
Ut pars una caput, pars scalperet altera navem.

COMMENTARIUS.

Aut neget esse Jovem. S. Justinus martyr in Apolog., prima, quæ hactenus habita secunda, sic loquitur (§ XVI.) ἀπείη δὲ σωφρονούσης ψυχῆς ἔννοια τοιαύτη περὶ θεῶν, ὡς καὶ αὐτὸν τὸν ἡγεμένα, καὶ γεννήτορα πάντων. κατ' αὐτοὺς Δία, πατροφόντην τε, καὶ πατρὸς τοιούτου γεγονέναι ἔρωτί τε κακῶν, καὶ αἰσχρῶν ἡδονῶν ἥττω γενόμενον, ἐπὶ Γανυμήδην, καὶ τὰς πολλὰς μοιχευθείσας γυναῖκας ἐλθεῖν. « Absit enim a casta mente hæc de diis cogitatio, videlicet ipsum eorum B ducem et patrem omnium secundum eos Jovem, parricidam, et patre tali genitum, et præ amoris impotentia a pravis fœdisque voluptatibus victum, ad Ganymedem compluresque alias adulteriis immunitas feminas venisse. » Lactantius Ganymedis raptu memorato subdit: Hæc qui fecit viderimus an maximus, certe optimus non est. Plura in hanc rem Augustin. cap. 9. de Civ. Dei. et Arnob. lib. III adversus gentes.

Nomen habet certe. Quum tot sint Jovis flagitia, ut pote qui stupris familias exagitet, et sæpe Jovem ethnici sine caussa inimicum habeant, nomen Jovis huic deo non competere, ait, seu, ut opinatur Lactantius, Div. Instr. lib. I, cap. II. « Jovem Junonemque a juvando esse dictos Cicero interpretatur, et Jupiter quasi juvans pater dicitur: quod nomen in Deum minime congruit, quia juvare hominis est, opis aliquid conferentis in eum, qui sit alienus, et exigui beneficii. « Tum demonstrare pergit, quam parum summo Deo conveniat vocabulum istud. MUR.

Et Juppiter optime. Plinius in Paneg. *Parens* ait, C *hominum deorumque optimi prius, deinde Maximi nomine colitur.* Erat cognomen hoc præcipuum Jovis, illudque apud veteres scriptores sæpissime occurrit. Nostram ad rem faciunt Lactantius lib. I. Inst. Div. cap. 10. ubi inquit: « Quid horum omnium pater Jupiter, qui in solemni precatione optimus, et maximus nominatur? » Et infra « Hæc qui fecit viderimus an maximus, certe optimus non est: » Arnobius quoque lib. I. adversus gent. « Cum a vobis et Jupiter optimus, et maximus habeatur. » MUR.

Jane Pater. Veteres ut docet, Brissonius de Formul. lib. I. a Jano precationes auspicabantur. Martial. lib. X. epigr. 28. de hoc numine agens:

Annorum, nitidique sator pulcherrime mundi,
Publica quem primum vota precesque canunt.

Aurel. Victor in Brev. Hist. Rom: « In sacris omnibus primum locum Jano detulerunt usque eo ut etiam quum aliis diis sacrificium fit, dato thure in D altaria Janus prior nominetur, cognomento quoque addito, Pater. » Paulus Festi abbreviator in verbo *Chaos*: » Unde Janus detracta aspiratione nominatur, ideo quod fuerit omnium primus, cui primo supplicabatur « Arnob. lib. III. de ipso agens: » Atque ita per vos Dei nomen creditur, quem in cunctis anteponitis precibus. » Hinc, Ovid. lib. X. Fast,

Cur quamvis aliorum numina placem,
Jane tibi primum thura merumque fero?

Consulantur Macrob. lib. I. Saturn. cap. 9. Horat. Ep. 16, lib. I. Servius, in VII. Æneid., etc. MURATORI. — Recte conjecisse videtur Vonckius, at *Jane pater.* Mox vers. 70. pro *hunc* rescribit: *Hinc duplici pinxere figura,* optimo quidem jure.

Janiculum. Cyprianus, lib. de Idol. vanit., de Saturno agens, *Hunc fugatum,* ait, *hospitio Janus excepit, de cujus nomine Janiculum dictum est.* Solin. Polyhist., cap, II. Arnob. lib. I. et Augustin. lib. VII. de Civ. Dei, cap. IV. idem asserunt. Sed et Virgil. lib. VIII:

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Minucius: « Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocare maluit Latium, et urbem Saturniam de suo nomine; et Janiculum Janus ad memoriam uterque posteritati reliquerunt. » Miror Dionysium Halicarnass. tam accuratum alioqui Romanarum antiquitatum scriptorem scriptis prodidisse a Romulo Æneæ filio, Ascaniique et Remi fratre conditam Αἰνείαν πόλιν, ἀπὸ τοῦ πατρὸς, τὴν ὕστερον. κληθεῖσαν Ἰανῖκλον, hoc est *Urbem Æneam a patre denominatam quæ postea Janiculum appellata fuit.* MUR.

Qui cum multa futura. Est et hæc aliorum opinio asserentium ideo bifrontem Janum fingi, quia præterita respexerit, ac futura præviderit. Ovidius tamen lib. I. Fast.; Macrob., lib. I. Saturn., August., lib VII, de Civ. Dei, cap. VIII, aliique diversas excogitarunt rationes, quas recolere volenti ad manum erunt eorum volumina. Macrobius vero lib. citato, et potissimum cap. VII. Paulino adstipulatur. MUR.

Janum Geminum. Numa omnium primus Janum Geminum dedicavit. Velleius, lib. II. ita illum vocat: « Certe pacis argumentum Janus Geminus clausus dedit. » Plin. lib. XXXIV. cap. VII. « Præterea Janus Geminus a Numa rege dicatus. » idem cap. II, lib. XXXIII. « Nota æris fuit ex altera parte Janus Geminus, ex altera rostrum navis. » Ad hoc respiciunt sequentia Paullini carmina. Vide quoque Varronem, lib IV; de Lingua latina; Sueton., in Neron., cap. XIV, et Macrob, cap. IX, lib. I, saturn. MUR.

Nummus huic. Plutarchus, in Quæst. Rom. hac de de re scribit: Διὰ τί τὸ παλαιὸν νόμισμα πῆ μὲν εἶχεν Ἰανοῦ διπρόσωπον εἰκόνα, πῆ δὲ πλοίου πρύμναν. ἢ πρῶραν ἐγκεχαραγμένην; πότερον (ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν) ἐπὶ τιμῇ Κρόνου πλοίῳ διαπεράσαντος εἰς Ἰταλίαν; « Cur antiquum numisma ab una parte Jani bifrontis imaginem, ab altera navis aut proram, aut puppim insculptam habet? An, quæ vulgata opinio est, in honorem hoc fit Saturni, navigio in Italiam advecti? « Ipse quidem Plutarchus hanc rationem haud omnino probandam ait: sed huic acquievere probatissimi auctores. » Ovid. Fast., lib. I. cum Jano colloquens ita canit:

Sed cur navalis in ære
Altera signata est, altera forma biceps?

Janus respondet:

Caussa ratis superest: Tuscum rate venit in amnem.
Ante pererrato falcifer orbe deus.
At bona posteritas puppem formavit in ære
Hospitis adventum testificata dei.

Verum enim vero ab aliis disside e videtur Paulinus, quum ipsi Jano adventum in Italiam tribuit, quod alii ad Saturnum referunt. Athenæus. Deipnosoph., l. XV, non Italiæ solum, sed et Græciæ in usu fuisse asserit hujus modi nummos; ait enim: Τὰς κατὰ τὴν Ἑλλάδα πολλὰς πόλεις, καὶ τὰς κατὰ τὴν Ἰταλίαν, ἐπὶ τοῦ νομίσματος ἐγχαράττειν πρόσωπον δικέφαλον, καὶ ἐκ θατέρου μέρους ἢ σχεδίαν, ἢ στέφανον, ἢ πλοῖον. *Civitates in Græcia multas, in Italia, Siciliaque monetam cudere impressam bicipiti facie, et ex altera parte vel rate, vel corona, vel navigio.* Similes nummi visuntur etiamnum apud antiquitatis amatores et præsertim apud clarissimum virum S. R. I.

Cujus nunc memores quæcumque nomismata si-
[gnant.
Ex veteri facto capita hæc, et navia dicunt.
De Jove quid sperant, qui est a rege secundus,
Quique sacrificiis apponitur ore precantum?
Hic habet, et matrem captam pastoris amore:
Nam prior est pastor, quam Juppiter, aut Jovis ipse;

A Sed melius pastor castum servare pudorem
Qui voluit, sprevitque deam, qui sæva viriles
Abscidit partes, ne quando tangeret ille
Alterius thalamum, qui noluit ejus adire.
Hoc tamen, hoc egit sententia justa deorum,
Ne fieret conjux, qui non est factus adulter?
Nunc quoque semiviri mysteria turpia plangunt:

COMMENTARIUS.

Com. Franciscum Mediobarbum Biragum, qui amplissimum in re nummaria thesaurum possidebat, præteritisque annis laudatissimum emisit opus de Numism. Imper. quo Occonem mirabiliter auxit. Sed heu infortunium nostrum! Ereptus e vivis est hoc anno (A. 1697.) vir iste doctissimus, magnumque sui desiderium viris eruditis reliquit. Mur.

Nomismata. Numisma. et nomisma dicitur. Primum apud Horatium occurrit lib. II, ep. I; et Martial., lib. I, epigr. 40. Alterum in antiquis glossis, et apud auctores præstantissimos. Certe melius græcæ Orthographiæ accommodatur, quæ Νόμισμα habet. Mur.

Capita hæc et navia. Est ludus apud italos puerulos, quem vocant: *giocare a testa, o arma*, aut *a testa, o croce*, et apud Gallos *jouer à croix ou pile*. Ille ipse est, qui apud antiquos. Accipe auctoritatem. Aur. Victor (seu quis alius ille auctor sit), in lib. de Orig. gent. Rom.: « Istum etiam, » inquit; « usum signandi æris, ac monetæ in formam incutiendæ Janus ostendisse traditur, in qua ab una parte caput ejus imprimeretur, altera navis, qua vectus ille erat. » En ut auctor iste in Jani adventu Paulino concordat. Subdit: Unde aleatores posito nummo, opertoque optionem conlusoribus ponunt enuntiandi, quid putent subesse, caput, aut navem, quod nunc vulgo: corrumpentes naviandi dicunt. » Tu vocem hanc *na viandi* corrige, et *navia* repone. His consonat Macrobius, lib. I, cap. 7 Saturn.: « Cum primus Janus æra signaret, servavit et in hoc Saturni reverentiam; ut quoniam ille navi fuerat adductus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur. Æs ita fuisse signatum hodieque intelligitur in aleæ lusu, cum pueri denarios in sublime jactantes capita, aut naviam, lusu teste vetustatis, exclamant.» Andreas Schottus heic integre legi *naviam*, non *navim* ex 4. Mss. Pithæorum ait; sed mihi potius *navia*, aut *navium* legere placeret, id versus Paulini metro inconcusse docente. Certe Jo: Isaac. Pontanus in edit. Macrob. anni 1597, *navia* legit. Mur.

A rege secundus. Ante Jovem filium Saturnus regnavit. Expulsus dein filio reliquit regni aut cœlestis, aut terreni habenas. Lactantius lib. I. cap. 11. Div. Inst.: « Video alium deum regem fuisse primis temporibus, alium consequentibus. Potest ergo fieri, ut alius sit postea futurus. Atqui divinum imperium, aut semper immutabile est; aut si est mutabile, quod D fieri non potest, semper utique mutabile est. » Hinc Saturnia regna: ac ætas aurea Saturni imperio adscribitur Mur. Vir clarus perperam *a rege* intelligit de Saturno, quum denotetur Janus, quem supra ŷ. 67. dixerat priori præ Jove ordine in precibus gaudere. Idque adstruit sequens ŷ. 78. Quo etiam pertinet, præter scriptores citatos a Muratorio ad ŷ. 67. Catonis locus *de Re Rust.* cap. 134: « Prius quam porcum feminam immolabis, Jano struem commoveto sic: Jane pater te hac strue commovenda bonas preces precor. » Tum deinde: « Fertum Jovi moveto, et mactato sic: Juppiter te hoc ferto obmovendo bonas preces precor, etc. » Vonck.

Quique sacrificiis. Quod superius innuerat repetit, nempe ethnicorum precationes, votaque a Jani invocatione inchoari, deinde ad Jovem verti; quod sane numinum maximum, omniumque rectorem numquam decebat. Mur.

Hic habet et matrem. Atym pastorem deperiit Rhea, seu Cybele Jovis genitrix. Ille impudicæ nolens auscultare deæ, est eviratus. De hoc Ovide., lib. IV, Fast.:

Phryx puer in silvis facie spectabilis altis
Turrigeram casto junxit amore deam, etc.

B Hoc deæ facinus ethnicis exprobrat Minucius in Octav.: « Cybeles Dyndima, pudet dicere, quæ adulterum suum infeliciter placitum, quoniam et ipsa deformis et vetula, ut multorum deorum mater, ad stuprum illicere non poterat, exsecuit, ut deum scilicet faceret eunuchum. » Augustinus, lib. VI, cap. 7, de Civ. Dei: « Sacra sunt matris deum, ubi Atys pulcher adolescens ab ea dilectus, et muliebri zelo abscissus, etiam hominum abscissorum, quos Gallos vocant, infelicitate deploratur. » Mur.

Nam prior est pastor. Tantis ambagibus, ac discordiis Gentilium theologia constat, ut se per illam extricare nemo facile possit. Euseb. Cæs., lib. II, cap. 4, de Præp. ubi de Phrygum theologia disserit, Cybelem ante deorum connubia Atydis amore correptam ait. Verum quot capita tot sententiæ.

Aut Jovis ipse. Jovis in recto casu recte dicitur, Prisciano testante, apud veteres *Jovis* solum dicebatur a *juvando*, adjectoque altero vocabulo dictus est *Jupiter*, quasi *Jovis pater*, seu ut melius arbitratur C Lactantius, *Juvans pater*. Jovis in recto casu effertur apud Hyginum in Lib. Fabul. Nonnium Marcellum, aliosque quos consulere potes. Quidam severissimus censor Gallus Natalis Alex. libros quatuor *de Symbolo ad Catechum.* Augustino abjudicat, quippe quod illi stylus ab augustiniano, immo a grammaticorum dogmatis abhorrere videtur. Inter exempla hoc profert: *Illic fingitur, quod idem Jovis Junonem habeat sororem, et conjugem;* et nomen *Jovis* in nominandi casu usurpatum sugillat: verum decipitur, quum hujusce nominis usus apud gravissimos auctores obvius fiat, ac propterea Augustinum non dedeceat; nos istis contenti ad alias pergimus. Morat. — Melius forsan, *aut Jovis ipso*. Et heic *aut* scriptum pro *haut* vel *haud*. Prior, inquit, pastor est Jove, non Jupiter pastore, ut frustra poetæ garriunt. *Aut* vero ut plurimum veteres ἀντὶ τοῦ *haut* scribere consuevisse norunt eruditi. Vonck.

Sed melius. Magis ne placeret: *sed melior?* Mur.

Semiviri. Hi sunt Galli Matris deum sacerdotes, quibus virilia in Atydis evirati memoriam amputabantur. Lactantius, lib. I, cap. 17: « Deum mater, et amavit formosum adolescentem, et eumdem cum pellice deprehensum exsectis viribus semivirum reddidit. Et ideo nunc sacra ejus a Gallis sacerdotibus celebrantur » Minucius Cybeles impuritate detecta subdit: « Propter hanc fabulam Galli eam, et semiviri sui corporis supplicio colunt. Hæc jam non sunt sacra; tormenta sunt. » Vide Juvenal., sat. 2, ipsumque Paulinum, Natali XI. Mur.

Nec desunt homines. Totus est Augustinus, lib. VI, de Civ. Dei, et alibi in confutanda hac ethnicorum vanitate, ac subterfugio. Hi fabulas aniles internis scatere mysteriis, ibique philologicas veritates latere passim objiciebant; sed suismet illi rationibus confundebantur. « Deinde, » ait cap. 8, S. Doctor, « si ista Sacra, quæ scenicis turpitudinibus convincuntur esse fœdiora, hinc excusantur, atque purgantur, quod habent interpretationes suas: cur non etiam

Nec desunt homines, quos hæc contagia vertant,
Intus et arcanum quiddam quasi majus adorant:
Idque vocant sanctum; quo si vellit ire pudicus,
Iste profanus erit. Sic artior ipse sacerdos
Femineos vitat coitus, patiturque viriles.
O mens cæca virum! De sacris semper eorum
Scena movet risus, nec ab hoc errore recedunt.
Saturnum perhibent Jovis esse patrem huncque vorasse
Natos ante suos, et mox e ventre nefandas
Evomuisse dapes; sed postea conjugis arte
Pro Jove suppositum mersisse in viscera saxum;
Quod nisi fecisset, consumptus Jupiter esset.
A Huncque Chronon dicunt, ficteque Chronon, quia tempus
Quæ creat absumit, rursusque absumta promittit.
Cur tamen oblique nomen pro tempore fingunt?
Hunc etiam, quod sæpe sibi de prole timebat,
Ab Jove dejectum cœlo latuisse per agros
Italiæ, Latiumque, ideo tunc esse vocatum.
Magnus uterque deus! Terris est abditus alter,
Alter non potuit terrarum scire latebras.
Hinc Latiare malum prisci statuere Quirites,
Ut mactatus homo nomen satiaret inane.
Quæ nox est animi? quæ sunt improvida corda?
Quod colitur nihil est, et sacra cruenta geruntur.

COMMENTARIUS.

poetica similiter excusantur, atque purgantur? etc. » B Greg. Nazianzenus, in Orat. 1, advers. Julian., enumeratis quibusdam gentilium superstitionibus hæc subdit · ταῦτα ἐπεισκυκλείσθω τοῖς θαυμαστοῖς τῆς θεολογίας ἀκροαταῖς. εἶτ᾽ ἐπινοείσθω τούτοις ἀλληγορήματα καὶ τερατεύματα. καὶ τῶν προκειμένων ἐκπίπτων ὁ λόγος εἰς βάραθρα χωρείτω, καὶ κρήμνους θεωρίας οὐκ ἐχούσης τὸ στάσιμον. *Hæc eximiis, et admirandis divinitatis auditoribus inculcentur, posteaque his allegoriæ ac portentosæ interpretationes excogitentur, atque a propositis rebus aberrans oratio in barathra feratur, et præcipitia contemplationis nihil solidum habentis.* Mur.

Patiturque viriles. Deesse versum hic suspicor, sensus enim in ancipiti manet. Certe vox *abscindi* penitus hic necessaria, ut sit sensus: *patiturque viriles abscindi partes.* Mur. — Nihil hic deest: quod suspicatur Muratorius. Mirum profecto in re tantilla hæsitasse magnum virum. Enimvero perversam Cybeles sacerdotum castitatem exagitat Antonius, qui femineos vitent coitus; at, quod nequius longe, patiantur viriles. Hujusmodi flagitiis infames fuisse Gallos, Magnæ Matris sacrilicuIos, constat ex Ambrosio *de Virgin.* lib. I, c. 4: « Quid de sacris Phrygiis, loquar, in quibus impudicitia disciplina est, atque utinam sexus fragilioris? Vonck. »

Scena movet risus. Jul. Firmicus de error. profan. Relig., c. 13, hæc luculenter habet: « O facinorosæ cupiditatis triste solatium! O hominum deflenda persuasio! Scenam de cœlo fecistis, et errantes animos per abrupta præcipitia crudeli calamitate duxistis. » Et infra: « Ad theatrum potius templa transferte, ut in scenis religionum istarum secreta tradantur, et ut nihil prætermittat impietas, histriones facite sacerdotes. » Mitto Augustinum, Ep. 5, ad Marcellin., et lib. VII, c. 26, de Civ. Dei, et Tertullianum in Apologet., c. 15.

Saturnum. Rem fuse narrat Hesiodus in Theogonia, Natalis Com. in Mythologia, lib. II, et reliqui ethnicæ theologiæ eruditionem scriptis prosecuti.

Huncque Chronon. Scribendum fuerat *Cronon*, D Græce enim Saturnus est Κρόνος. At quia tempus significare dicitur, χρόνος quoque appellatur. De hoc Macrob. lib. I, Saturn., c. 22; Dionys. Halicarn., lib. I, Antiq.; Cicero, de Nat. Deor., lib. II, aliique agunt. Arnobius tamen hanc denominationem minime probat lib. III, advers. Gentes: « Nam si tempus, » ait, « significatur hoc nomine, Græcorum ut interpretes autumant, ut quod Chronos est, habeatur Cronos; nullum est Saturnium numen. Quis enim est tam demens, qui tempus esse dicat deum? etc. »

Quæ creat, absumit. Latinum reddidit eleganter Orphei, seu Onomacriti versum de Saturno, in ejus Hymno:

Ὃς δαπανᾷς μὲν ἅπαντα, καὶ αὔξεις ἔμπαλιν αὐτός.
Omnia qui profers, consumis et omnia rursus.

Pro voce *promittit* legerem *remittit.*

Latiumque ideo. Virgilius, Æneid., lib. VIII, de Saturno agens:

Latiumque vocari
Maluit. his quoniam latuisset tutus in oris.

Latiare malum. Crudelissimum hoc erat Ethnicismi piaculum. Jovi quem Latiarem appellabant, humana immolabatur hostia. Tertullianus, in Apolog., c. 9, rem prodit: « Ecce in illa religiosissima Urbe Æneadarum piorum est Jupiter quidam, quem ludis suis humano proluunt sanguine. » Locum illustrat egregie Cerda. Minucius: « Hodieque a Romanis Latiaris Jupiter homicidio colitur; et quod Saturni filio dignum est, mali et noxii hominis sanguine saginatur. » Et alibi: « Cum, Latiaris cruore perfunditur. » Porphyrius lib. II. περὶ ἀποχ. ἐμψ. Ἀλλ᾽ ἔτι καὶ νῦν τίς ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τῇ τοῦ Λαπαρίου Διὸς ἑορτῇ σπαζόμενον ἄνθρωπον; *Quin et nostro ævo quis nescit in magna Urbe Jovis Latiaris festo immolari ho-* C *minem?* Prudent. lib. I, in Symmachum:

Funditur humanus Latiari in munere sanguis.

S. Athanas. in Orat. contra Gent.: Καὶ οἱ πάλαι δὲ Ῥωμαῖοι τὸν καλούμενον Λαπάριον Δία ἀνθρωποθυσίαις ἐθρήσκευον. *Prisci quoque Latini Jovem Latiarem victimis humanis sunt venerati.* Tatianus contra Græcos: Εὑρὼν δὲ μὲν Ῥωμαίοις τὸν Λαπάριον Δία λύθροις ἀνθρώπων, καὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ἀνδροκτασιῶν αἵμασι τερπόμενον. *Item apud Romanos Latiarem Jovem humano cruore, et sanguine per homicidia fuso placari.* Dionys. Halic., lib. IV, Antiq. Rom., sacra hæc Jovi Latiari facta commemorat, neque tamen victimæ hujus meminit. Hinc dice, melius *Jovem Latiarem*, quam *Latialem* dici, quod quidam negant. Mur.

Et invictum. Quum hosce duos versus clariss. viro doctissimoque equiti, Prospero Mandosio communicassem, ut arcanam eruditionem mihi reseraret, rescripsit ille sibi ac illustrissimo Ciampino admodum sententiam probari Abb. Philippi Bonarotæ viri eruditissimi, cujus in scientia numismatum antiquorum peritiam brevi mirabimur; Hic enim agi de sacrificiis Mithræ asserebat, quæ maximam apud ethnicos famam sibi conciliarunt. Ego igitur, quum per viros tantos profecerim, rem paucis attingam, et præclaram explicabo eruditionem. A Persis omnium maxime solis cultus usurpabatur. Hunc *Mithram* vocabant, additumque illi *Invicti* cognomen. Plura apud Gruterum, p. 33 et seq. et apud Reinesium marmora occurrunt *Deo Invicto*, *Deo Invicto Mithræ*, *soli Mithræ*, *soli Invicto*, et *soli Invicto Mithræ* posita. Jul. Firmicus, de Err. Prof. Relig., c. 5. Jovem in duas dividi potestates, quarum unam (hoc est virilem) Mithram dici asserit. Herodotus, lib. I, de Persis, loquens: Θύουσι δὲ οὐρανίῃ Ἀφροδίτῃ, ἣν καλέουσι Μίθραν. *Sacrificant vero cœlesti Veneri, quam vocant Mithram.* Nicetas, ad Stelitevt. Nazianz.: Τὸν Μίθραν οἱ μὲν τὸν ἥλιον, οἱ δὲ τὸν νεφρὸν τοῦ πυρὸς, ἄλλοι ἰδικήν τινα δυνάμιν ὑπολαμβάνουσι. *Mithram alii solem, alii renem ignis, nonnulli peculiarem quamdam potestatem esse vo-*

Quid quod et invictum spelæa sub atra recondunt,
Quæque tegunt tenebris, audent hunc dicere solem?
Quis colat occulte lucem, sidusque supernum,
Celet in infernis nisi rerum causa malarum?
Quid quod et Isiacum sistrumque, caputque caninum
Non magis abscondunt, sed per loca publica ponunt?
A **Nescio quid certe quærunt, gaudentque repertum;**
Rursus et amittunt, quod rursus quærere possint.
Quis ferat hoc sapiens, illos quasi claudere solem,
Hos proferre palam propriorum monstra deorum?
Quid Serapis meruit, qui sic laceratur ab ipsis

COMMENTARIUS.

lunt. Itaque quum non solem tantum, sed quid aliud per Mithram significari videam, facile gruterainam inscriptionem, p. 22, num. 12, explicabo. Ita se habet illa : D. I. M. ET. SOLI. SOCIO SAC. hoc est, *Deo Invicto Mithræ, et Soli Socio sacrum.* Pro Mithra hic aliud Numen intelligendum est a sole diversum, non ipsemet sol *tamquam alienigena*, uti parum recte opinatur Reinesius ad Inscript 48. Cl. I. Legitur quoque in priscis Inscriptionibus NANNÆ. SEBECIO DEO. MITHRÆ quæ verba omnia ad solem Mithram referenda censet I. Cæs. Bulengerus c. 4, lib. I, de lic. et vet. Magia. Ego tamen tribus Diis dicatum marmor puto, ut NANNA sit *Dianæ Nannææ* nomen, de qua Liber I, c. 6, et Liber II, c. I, Machab. Hieronymus, et Josephus meminere : SEBECIUS pro *Jove Sabazio* intelligatur, de quo Orpheus, seu Onomacritus in Hymno

Κλῦθι πάτερ, Κρόνου υἱὲ, Σαβάζιε κύδιμε δαῖμον.

Audi pater, Saturni fili, Sabacie inclyte deorum.

Neque enim scio, qua auctoritate Bacchum etiam *Sabazium* dixerit Heinsius in Arist. Sacr. Sed hæc satis superque. MUR.

Spelea. Græcum est verbum σπηλαῖον, quod Latine spelunca dicitur: sed Græcum nomen et aures Ausoniæ toleravere. Virgilius, eclog. 10 :

Certum est in silvis inter spelæa ferarum, etc.

Claudianus de bello Get. :

Metuenda ferarum
Spelæa....

Mithræ Sacrificia secretissimis in antris peracta. Religioso silentio apud ejus cultores illic accepta mysteria servabantur. Quin ex iis sacris initiari volentes, multis cruciatibus probationem subibant. Hinc Suidas in verb. *Mithra* ait : Οὐκ ἂν οὖν εἰς αὐτὸν δυνήσαιτό τις τελεσθῆναι, εἰ μὴ διά τινων βαθμῶν παρελθὼν τῶν κολασέων δείξει ἑαυτὸν ὅσιον καὶ ἀπαθῆ. *Nullus autem potest initiari, nisi per quosdam suppliciorum gradus se sanctum, et perturbationum immunem ostenderit.* Hoc idem confirmant Nazianz. Orat. 3. Lamprid. in Commodo, ac Tertull. c. 15, de Cor. Mil. Sunt hujus verba : « Erubescite Romani commilitones ejus non jam ab ipso judicandi, sed ab aliquo Mithræ milite, qui cum initiatur in spelæo etc. » S. Justin. Martyr in Dialog. cum Tryphone Mithræ sacra peragi bis ait, ἐν τόπῳ ἐπικαλουμένῳ παρ' αὐτοῖς σπηλαίῳ, *in loco, qui apud illos spelæum, seu specus vocatur.* Vide Hieron., in Ep. ad Latam; Reines. Cl. I, n. 48. Inscript.; Bulenger. lib. I, c. 4, de lic. et vet. Mag.; Selden., de Diis Syris, Synt. I, c. 6; Salmas., ad Hist. Aug., fol. 349, 382, etc.

Quæque tegunt. Scribendum potius videtur *quemque tegunt tenebris.* Nihilo secius placet sensus. MUR.

Celet. Celo pro *lateo* insitatum verbum. Tegendi tantum, atque occultandi significatione usurpatum invenio. Me tamen monuit eruditissimus vir Michael Maddius clarissimi viri Car. M. Maddii dignissimum germen, apud Plautum in Bacch., Act. 3, scen., 2, legi :

Ut ut eris, moneo, non ce aois.

Et a Scholiaste Lambino ita explicari : *non falles, non latebis.* Certe si pronomen *te* heic subintelligendum contendis, et ego in Paulini versu pronomen *se* subintelligam. Si cui placeret emendare, legerem :

Celet in infernis ni se horum caussa malorum.

Sane in Cod. Ms. non *malarum*, sed *malorum* est scriptum. MUR. — Muratorius hic ingeniose profecto, sed omni emendatione facile carebimus, dum sic locum rite distinguamus :

B Quis colat occulte lucem, sidusque supernum
Celet? in infernis nisi rerum caussa malarum.

Quis, inquit, tam stupidus est, ut lucem occulte colat, et sidus supernum, solem puta, in spelæis atris abscondat? quum in infernis solus mali auctor habitet. Post *malarum* subaudiendum *est*, ut nemo non videt. Posset ceteroquin locus, servata vulgari interpunctione, alio et commodo satis sensu explicari, si violati metri dicam Antonio quis scriberet; cujus leges quum tot antiquiores poetæ sæpe neglexerint, idem cur a nostro alienum existimemus, nihil est quod exigat. Si quis ergo maluerit, ita interpretetur : et sidus supernum celet in locis abditis aut infernis, nisi rerum malarum causa? Ut ita in auferendi casu sumatur *causa*, non nominandi. VONCK.

Isiacum. In sacris Isidis sistra quatiebantur, et Anubidis caput caninum exponebatur. Lucan. lib. VIII, rem complectitur utramque :

C Semideosque canes, et sistra jubentia luctum.

Ausonius ad Paulinum nostrum scribens, Epist. 25.

Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus.

Anubis porro Cynocephalus etiam dicebatur, nomine ejus formam exprimente. Athanasius orat. contra Græc. ὁ παρ' Αἰγυπτίοις Κυνοκέφαλος Ἀνοῦβις. *Apud Ægyptios canina facie Anubis.* Ovid., Metam., lib. IX.

Cum qua latrator Anubis
Sistraque erant, nunquamque satis quæsitus Osiris.

De sistris consule Laurent. Pignor. in Mensa Isiac. et egregiam dissertationem Benedicti Bacchini eruditiss. et clariss. viri. MUR.

Nescio quid. Locum Minucii expressit Paulinus. Inquit ille : « Mox invento parvulo gaudet Isis, exsultant sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur, nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt, vel invenire quod perdant. » Jul. Firmicus,
D c. 2 : « Nihil hic invenis, nisi quod iterum aut quæras, aut lugeas. » Ipse Paulinus Nat., XI :

Nam quid, rogo, cæcius illis;
Qui non amissum quærunt, nusquamque manentem
Inveniunt?....

Quid Serapis meruit. Hic aquam hærere mihi lubenter fateor. Alicujus festi diei meminit Paulinus, quo Serapis multas induere figuras cogebatur : at hujus vestigia nusquam reperio. Certe Macrobius, et Plutarchus, in lib. de Osid., et Osir. nulla alia effictum forma Serapidem faciunt quam humana : πανταχοῦ ἀνθρωπόμορφον Ὀσίριδος ἄγαλμα, *ubique simulacrum Osiridis humana specie ostenditur.* Ab eruditioribus itaque exspectanda solutio. MUR. — Notum ex historiis, quid Ægyptii de Osiride (qui idem cum Serapide) tradiderint, eum nempe a Typhone interemptum, et in partes quatuordecim discerptum fuisse. Id autem in sacris suis Ægyptii repræsentabant : eoque respicit Plutarchus *de Iside et Osiride*, quando scribit,

Per varios turpesque locos? Hic denique semper
Fit fera, fitque canis, fit turpe cadaver aselli,
Nunc homo, nunc panis, nunc corpore languidus [ægro.
Talia dum faciunt, nihil hunc sentire fatentur.
Quid loquar et Vestam, quam se negat ipse sacerdos
Scire quid est? imisque tamen penetralibus intus
Semper inextinctus servari fingitur ignis.
Cur dea, non deus est? Cur ignis femina fertur?

A Ista quidem mulier, sicuti commendat Hyginus,
Stamine prima novo vestem contexuit olim,
Nomine de proprio dictam, quam tradidit ipsa
Vulcano, qui tunc illi monstrarat opertos
Custodire focos. Hic rursum munere lætus
Obtulit hanc Soli, per quem deprehenderat ante
Martis adulterium. Nunc omnis credula turba
Suspendunt Soli per Vulcanalia vestes:
Utque notent Venerem, tunc et portatur Adonis:

COMMENTARIUS.

Isidem in memoriam mariti Osiridis sacra instituisse, *sanctissimis sacrificiis admiscens imagines, indicia et exempla suorum eventorum.* VONCK

Hic denique semper Fit fera, etc. Existimarim equidem. Antonium, quum novisset Ægyptios plurima simulacra sub figura diversorum animalium colere, ea omnia ad unum Serapidem referenda censuisse. Concinit Paulinus *Natali* XI. ỳ. 98. Vide Martianum Capell. *de Nupt. Philol.* lib. II, p. 43. VONCK.

Nunc homo, nunc panis. Hic versus videtur corruptus. Legendum:

Nunc homo, nunc sanus, nunc corpore languidus ægro.

Dicit enim Poeta, Serapidem sub *hominis* figura repræsentari, qui nunc *sanus* sit, nunc *ægritudine languidus*. Vide Marshami *Chron.* sæc. XI, p. 319. VONCK. — Optime. Anonymo item lipsiensi perplacet hæc restitutio. GALL.

Quid loquar et Vestam. Vestam esse ipsam terram sunt quidam arbitrati, alii domorum omnium servatricem, alii etiam per illam purum ætheris ignem significari opinabantur. Hinc Orpheus illam non Siculas habitare regiones, sed in æthere morantem aiebat:

Εστία εὐδυνάτοιο Κρόνου θύγατερ βασίλεια,
Η μέσον οἶκον ἔχεις πυρός ἀενάοιο μεγίστου.

Vesta potentis Saturni filia regina,
Quæ mediam regionem ætheris magni ignisque habitas.

Alii alia, ut mirum non sit, si sacerdotibus ejus ignotum quoque quid illa sit, noster affirmet.

Cur ignis femina. Vidisti supra ex Orpheo Vestam pro igne sumi: addo nunc Ovid., lib. VI, Fast.:

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.

Et tamen is ante dixerat:

Vesta eadem est et terra....

Augustin. lib. IV, cap. 10, de Civit, Dei, ita fatur: « Eamdem terram Cererem, eamdem etiam Vestam volunt, cum tamen sæpius Vestam non nisi ignem esse perhibeant: » quod idem repetit lib. VII, c. 16. Vide Ciceronem de Nat. Deor., et in II, de Leg. Diodorum, aliosque. Miratur igitur, ridetque Paulinus, cur ignis femina dicatur. MUR.

Hyginus. Augusti libertus fuit Jul. Hyginus, ac Ovidii familiaris. Librum *fabularum* scripsit, qui etiamnum extat. Verum ibi citatum a Paulino locum nancisci non potui. Scripsit ille præterea libros *Genealogiarum*, et librum de *Penatibus*. quem laudat Macrob. lib. III, c. 14. Saturnal. librum *de proprietatibus Deorum*, Macrobio iisdem teste lib. III, c. 8, et *Confusaneas quæstiones* Fabio, Gellio ac Diomedi memoratas, quæ nobis omnia temporum voracitas invidet. Ex hisce libris propositam eruditionem procul dubio Paulinus noster hauserat. MUR.

Sicuti commendat Hyginus. Leg. *commentat:* quod rarius quidem, usitatum tamen. VONCK.

Suspendunt Soli. Vulcanalia festa erant in Vulcani honorem. De his mentio exstat in vetustissimis kalendariis apud Gruter., p. 133, 134, 135, et in alio non dissimili apud Dempster.. Rom. Antiq. in Paralip., ad cap. 4. lib. IV. Peragebantur autem X kalend. septemb. His Columella concordat, de Re Rust., lib. II, cap. 3: *Ceterum*, ait, *Augusto circa Vulcanalia, tertia satio est.* Meminit etiam Varro, de lingua Lat. In usu autem antiquis fuit idolorum cultoribus vestes falsis suspendere diis. Aristoph. in Avibus:

B ...... Τίς δὲ θεὸς
Πολιοῦχος ἔσται, τῷ ξανοῦμεν τὸν πέπλον;

Quis autem deus urbi præsidebit, cui dividemus vestes? Hoc est: Cui deo vestes suspendemus? Apuleius, lib. VI, As. Aur.: « Vides dona speciosa, et lacinias auro litteratas, ramis arborum postibusque suffixas » Alex. ab Alex., lib. 3, cap. 18: « In aliis mysteriis traditur mos, ut vestem in qua quispiam initiatur, templis et numinibus dicaret. » Hæc, et alia congerit Pinto Ramirez, in Spicileg. sacr., tract. I, cap. 2 et 22, § 15. Verum vestes Soli singulariter dedicatas apud neminem invenire potueram, quum eruditissimus Abbas Blanchinus, cujus curæ Em. Ottholoni bibliotheca demandata est, per clariss. Ciampinum quemdam hac de re apud Herodotum exstare locum me monuit. Est autem lib. II, ubi agit de Neco Rege: Ἐν τῇ δὲ ἐσθῆτι ἔτυχε ταῦτα κατεργασάμενος ἀνέθηκε τῷ Ἀπόλλωνι πέμψας ἐς Βραγχίδας τὰς Μιλησίων. *In vestitu autem curiosus quum fuisset, illum Apollini dicatum ad Branchidas Milesiorum misit.* MUR.

C *Portatur Adonis.* Erant quidem Adonia apud Gentiles, hoc est festa Adonidi sacra, de quibus meminit Aristophanes in Pace, et Ovid., Metam., lib. X, eo versu per Venerem prolato:

Annua plangoris peraget simulamina nostri.

Præsertim vero Alexandriæ, ut asserit Nat. Comes, lib. 5, cap. 16. Mythol. Adonidis solemnia fervebant, cujus imago magna cum pompa ferebatur. Sed heic allud inmui tempus patet, quo et Adonidis simulacrum portaretur, nempe in ipsis Vulcanalibus; ait enim: *Tunc et portatur Adonis.* Celebris est Veneris, et hujus pueri fabula. MUR.

Stercora tunc mittunt. Fimo dii Gentium dehonestari solebant. Doctissimus Abbas Blanchinus Othobonianæ bibliothecæ Præfectus per Cl. virum Jo. Ciampinum Orphei, seu Onomacriti versum de ritu simili, ut animadverterem monuit. Habetur ille apud Na-

D zianz., in Stelitevt. 1, adversus Julianum:

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε θεῶν, εἰλυμμένε κόπρῳ.

Juppiter gloriosissime, deum maxime, delibute ster- [core.

Seldenus, de Diis Syris, Synt. 2. cap 5. hunc eumdem recitat versum, sed ad *Jovem Stercoreum* non magis attinere censet illud εἰλυμμένος κόπρω, quam Virgilii de Jove verba:

Totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Quasi utrobique Jupiter arcanis naturæ involutus dicatur. Verum nil rei latina carmina cum græcis habent, et κόπρος ille, quo delibutus dicitur Jupiter, hujusmodi ab explicatione abhorret. Dii Stercorei fuere præterea, ac, ut ibidem notat idem Seldenus, *Beelzebul* sonat *Dominus Stercoreus*, et Rabbi Abraham Benkattun, versum 33. cap. 23 Exodi ita explicat: *Non sines apud te habitare, qui colunt deos*

Stercora tunc mittunt, ipsum pro stercore jactant.
Omnia si quæras, magis et ridenda videntur.
Additur heic aliud : Vestæ quas Virgines aiunt
Quinquennes epulas audis portare Draconi,
Qui tamen aut non est, aut si est, diabolus ipse est,
Humani generis contrarius antea suasor.
Et venerantur eum, qui nunc in nomine Christi
Et tremit, et pendet, suaque omnia facta fatetur.
Quæ mens est hominum, ut pro veris falsa loquantur,
Qui linquenda colunt, contraque colenda relinquunt?
Jam sat erit nobis vanos narrare timores.
Hæc ego cuncta prius, clarum cum lumen adeptus,
Neque diu incertum, et tot tempestatibus actum
Sancta salutari suscepit Ecclesia portu,
Postque vagos fluctus tranquilla sede locavit :
Ut mihi jam liceat, detersa nube malorum
Tempore promisso lucem sperare serenam.
Jam prior illa salus, quam perdidit immemor Adam,
Tunc vero suadente malo, nunc remige Christo,
Eruta de scopulis semper mansura resurget.
Rector enim noster sic undique cuncta gubernat;
Ut modo qui nobis errorem mentis ademit,
Hic meliore via paradisi lumina pandat.
Felix nostra Fides uni, certoque dicata.
Unus enim Deus est, substantia Filius una,
Unus in utroque est unus vigor, una potestas.
Namque Dei Verbum patrio de pectore Christus
Emicuit, semperque fuit, qui non quasi natus,
Ore sed egressus, chaos illud inane removit,
Et tulit informem contextæ noctis hiatum :
Distribuitque locis mare, terras, aera, cœlum.
Hisque dedit geminam pulsa caligine lucem.
Ast ubi cuncta novum stupuerunt surgere solem,
Quatuor hæc hausit variis exordia rebus.
Sunt homines terris, sunt addita sidera cœlo,
Aere pendet avis, liquido natat æquore piscis.
Sic elementa suis decoravit singula formis,
Nexuit hæc diversa licet, discretaque junxit,
Junctaque discrevit, quæ nunc divisa cohærent.
Claudit enim oceanus terram, mare clauditur, ipse

COMMENTARIUS.

peregrinos vel stercoreos, Sed cur Adonis stercora patiebatur? Causam invenisse mihi videor. Nonnulli Adonidem semen tritici esse statuerunt, inter quos Theocriti Scholiastes ita locutus est. Ἄδωνις, ἤγουν ὁ σῖτος, ὁ σπειρόμενος ἓξ μῆνας ἐν τῇ γῇ ποιεῖ ὑπὸ τῆς σπορᾶς, etc. *Adonis, videlicet frumentum satum sex menses humi sub satione degit.* Tam bene igitur Adonidi stercora aptantur, quam tritico. Quia vero inter Vulcanum, Venerisque amasios inimicitiæ intercedebant; hinc Adonis male habitus, quum Vulcani sacra peragebantur. Has ergo propiores causas arbitror, cur adeo turpia ille in Vulcanalibus subire cogeretur. MUR.

Ipsum pro stercore jactant. Leg. *ipsum pro !* stercore jactant. Heic enim loci *pro* rei indignationem indicat, nec præpositionis vice fungitur, sed interjectionis. VONCK.

Quinquennes epulas. Quum mihi horum carminum germana explicatio lateret, monuit me Joannes Ciampinus vir clarus et maximum Urbis decus, solutionem a Lipsio petendam cap. x de Vesta, et Vestal. Hunc equidem auctorem ante consulueram, sed incurioso effugerat hæc eruditio. Inquit autem is. « In ambage vel nube est, quod in Silvestri Actis quibusdam legitur : Draconis eum ora clausisse, et perpetuo ergastulo mancipasse, cui Kalendis singulis a Virginibus Vestæ suppeditari solita sunt alimenta. Nam quis veterum tale aliquid? eoque sperni aut abjici a magnis viris ut falsa, video. Me cunctante an non Tertullianus huc adspexerit ad Uxor. cap. 6. hisce verbis : Romæ quidem quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auspicia pœnæ suæ cum ipso Dracone curantes de Virginitate censentur. » Hæc Lipsius. Tu vero sodes intuere quantum ponderis hisce omnibus a Paulino accedat. Quomodo vero *quinquennes epulas* vocet, fateor me nondum percepisse. Habetur quidem in codice nostro scriptum *quenquennis*, at neque metrum, neque sensus hanc lectionem patiuntur, scriptumque pro *quinquenneis*. MUR.

Qui linquenda. Similis locus Minuciano : *Nonne ridiculum est, vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas?* MUR.

Ego cuncta prius. Heic versum unum, pluresve deesse nemo diffitebitur; quippe verba priora in incerto manent similemque sensum, ut compleantur, requirunt : *Hæc ego cuncta prius dubia mente volvebam, et probare nesciebam, clarum cum lumen adeptus sum*, etc. MUR. — Existimabat et Muratorius, heic aliquid deesse. Eruditus Vonckius legebat, *clarus sum lumen adeptus*, aut *clarum cum lumen adeptum*. Mihi tamen magis probatur Lipsiensis Anonymi conjectura. « Quid, inquit, si legeres *clarum* QUAM *lumen adeptus?* Sic omnia bene fluerent. Dicit Antonius : Hæc ego cuncta prius cogitavi, quam clarum lumen adeptus eram, sanctaque Ecclesia me recipiebat. » GALL.

Ecclesia. Ita effert alibi Paulinus hoc nomen metri gratia. In Epithal.

Grande sacramentum, quo nubit Ecclesia Christo.
Hic vos nectat amor, quo stringit Ecclesia Christum.

In Nat. IV quoque et alibi. Ita etiam usurpavit Anonymus, lib. I. contra Marcionem, iis carminibus, quæ Tertulliano adscribuntur :

Sic et Apostolico decurrit Ecclesia verbo. MUR.

Ut modo. Tempus designat, quo hæc scriptis mandabat, nempe annum 395, se enim Nolam nuper contulerat Paulinus, ut ibi religioso pioque vivendi instituto daret operam. Vide quæ disserui in Præfatione ad hoc Poema. MUR.

Hic meliore via, etc. Muratorius sic distinguebat :

Hic meliore via paradisi limina pandat
Felix. Nostra fides uni certoque dicata.

Sed cum viris eruditis ita distinguendus hic locus; non ut interpunctio sit post nomen *Felix*, ac illius velut Martyris Paulino celebrati nomen ad priora referatur. VONCK.

Distribuitque locis cœlum. Res disquisitione digna videtur Muratorio, quod mare, terras, aera et cœlum elementorum nomine distinguat auctor, neque hilum de *igne* cogitet. At philosophum heic egisse Antonium non putem : imitatus fortasse verba sacri scriptoris *Gen.* 1 ubi nec ulla *ignis* mentio. Prudentius etiam *ignem* non agnoscit tamquam elementum per se consistens, sed quod ex alio progignitur, lib. I. Symmach., v. 395.

Quidquid humus, pelagus, cœlum mirabile gignit,
Id duxere deos, colles, freta, flumina, flammas.

Quatuor hæc hausit. var ex. reb. Leg. *auxit* : nam *hausit* prorsus nihili. VONCK.

Sic elementa. Vix erit quisquam, cui nova non videatur Paulini sententia. En aperte *mare, terras, aera cœlum* elementorum nomine distinguit, neque hilum de igne cogitat. Res pulchra, et disquisitione digna.

Axe sub æthereo medius concluditur aer.
Hoc etiam cælum, quod nos sublime videmus,
Sex aliis infra est spatio surgentibus æquo,
Postque thronos septem, post tot cœlestia regna
Cætera pars omnis, quæ cunctis eminet ultra,
Quæ super excedit, quæ passim tendit in altum,
Quæ sine fine patet, quam nec mens colligit ulla,
Lucis inaccessæ domus est, sedesque potentis
Sancta Dei unde procul, quæ fecit subdita cernit.
Omnia sic constant, dum spiritus omnia cingit.
Hæc eadem quorum nobis conceditur usus,
Quæ polus inferior magna complectitur Urbe,

A Cuncta licet distent, una cum pace tenentur.
Denique nomen habent unum, sunt omnia Mundus.
Hunc etiam Græci Cosmon dixere priores:
Hinc ita compositum distinguens utraque lingua
Cosmon ab ornatu, Mundum de lumine dixit.
Nam quo sol nitet, hoc totum sordebat in umbra,
Et manet exemplum, quotiens nox omnia fœdat,
Et docet ex tenebris, quæ sit data gratia lucis.
Tot bona qui fecit, qui sic operatus ubique est,
Hic Deus de corde Dei, hic Spiritus oris,
Sancti sermo Patris, tantarum fabrica rerum:
Nec se Paganus laudet, si vitat idola,

COMMENTARIUS.

Medius concluditur aer. Absit, ut imaginariam illam ignis sphæram, quam Aristoteles ejusque sectatores lepide excogitarunt, ac etiamnum probant, Paulinus noster admiserit. Hinc aerem non a commentitiis illis flammis, sed ab æthere cælove conclusum affirmat. MUR.

Postque thronos septem. Non septem tantum, sed novem sub empyreo constitutos fuisse cœlos omnino fatendum. Septem ex iis errantia sidera tenent, ut habet versiculus:

Cynthia, Mercurius, Venus, et Sol, Mars, Jove, Satur.

Octavum a fixis sideribus occupatur; nonum vero primum mobile est, cui succedit empyreum. Nihilominus septem cœlos ante empyreum exstare diserte Paulinus sentit. Qua ratione quæris? Poetica facultate respondeo; siquidem apud poetas in octavo cœlo, videlicet in sidereo cœlo. Dei summi domicilium statuitur. Virgilius lib. 10. Æneid.

Conciliumque vocat divum pater, atque hominum rex
Sideream in sedem...

Sidon. Apollin. in Panegyr. Aviti de deorum concilio:

Ipse pavimentum sunt sidera, jam Pater aureo
Tranquillus sese solio locat...

Euripides in Jone Διὸς πολύαστρον ἕδος. *Jovis pavimentum multisidereum*, appellat, cui adde Chrysost., Orat. 2 de Dei nat. aliosque. Fuit hæc quoque veterum christianorum sententia. *De cœlorum diversitate* Philastrius brixiensis episcopus imaginariam hæresim recenset cap. 46, aitque: « Sive ergo seu cœlos secundum David, et septimum hoc firmamentum accipere quis voluerit, non errat: nam Salomon tres cœlos dicis, ita cœlum, et cœlum cœli. Paulus atque Apostolus usque ad tertium cœlum se raptum fatetur. Sive ergo septem quis acceperit, ut David, sive tres, sive duos, non errat. » MUR.

Unde procul. Virgilium imitatur, ita lib. x Æneid. canentem:

Conciliumque vocat divum pater, atque hominum rex
Sideream in sedem, terras unde arduus omnes
Castraque Dardanidum spectat.....

Liceat quoque italicorum vatum principem heic audire lib. I. Hierosolymæ Liberatæ.

Quando dall' alto soglio il Padre eterno,
Ch' è nella parte più del Ciel sincera,
Gli occhj in giù volse. e in un sol punto, e in una
Vista mirò ciò ch' in se 'l mondo aduna.

Complectitur Urbe. Romani imperii fines eosdem ac orbis terrarum Poetæ statuerunt. Rutil., in Itiner., eleganter:

Dumque offers victis proprii consortia juris
Urbem fecisti, qui prius orbis erat.

Scholiast. in Dionys. de situ orb. ὅπερ δὲ πόλις τοῖς αὐτῆς ὁρίοις καὶ χώραις ἐστί, τοῦτο ἥδε ἡ πόλις τῆς

B ἁπάσης οἰκουμένης, ὥσπερ αὐτῆς χώρας ἄστυ κοινὸν ἀποδεδειγμένη. *Quod autem est suis finibus et regionibus urbs aliqua, hoc Romæ est totius orbis provinciis, quasi commune totius habitabilis terræ oppidum* Hinc Roma Claudiano dicitur, *quæ fundit in omnes imperium.* Sic Plin, cap. 5, lib. XXXV, Romam esse *unam cunctarum gentium in toto orbe patriam* dixit. Plura pete a Bulengero, de Imp. Rom., lib. II, cap. 5. MUR.

Hinc ita. Arrideret: *Hunc ita.* MUR.

Cosmon ab ornatu. κόσμος Græcis est ornamentum. Ab hac significatione, mundi qui Græcis κόσμος dicitur, nomen derivatum censet Paulinus, quia re vera est mundus venusta ornamentorum series. Alii ἀπὸ κόσμου, qui est *ordo*, seu *modus*, nominis hujus etymologiam deducunt, quum mundus rerum simul nexarum atque ordinatarum vere sit status. Tertullianus, adversus Marcion., lib. I, poetæ nostro subscribit: « Ut ergo, » ait, « aliquid de isto hujus mundi C indigno loquar, cui et apud Græcos ornamenti et cultus, non sordium nomen est. » MUR.

Mundum de lumine. Honor. Augustodun. lib. de Imag. Mundi cap. I, Isidor., lib. III. Orig, cap. 28 et lib. XIII. cap. 1. *Mundum* quasi *movendum, quia in perpetuo sit motu*, dictum putant. Sed rectius Varro, Cicero, Plinius, Paulus I. C. et alii, *a munditie* appellatum volunt. Huic etymologiæ Paulinus accedit, dum *a lumine mundum* dici ait.

Hic Deus est. Hoc est divinum Verbum, Deique Filius, per quem ut supra cecinit, *omnia facta sunt et sine eo factum est nihil, quod factum est.* In Ms. dicitur: *Hic Deus de corde.* Apposui verbum *est.* Adhuc tamen claudicat versus: possem alterum *est* adjicere: *Hic est Spiritus oris* MUR. — Muratorius ob cæsuram supplet: *Hic Deus* EST *de corde Dei.* Et sic satis recte. Cæterum et Virgilius ante *hic* elisin sprevit lib. I. *Æn.*, v. 20:

Posthabita coluisse Samo. Hic illius arma.

D Similiter supra v. 54. ms. habebat:

His deus, uxorque dei, ipsamque sororem.

Ubi itidem cl. editor addit binum *est*: *Hic deus est, uxorque dei est.* Quoniam autem in hoc carmine tot occurrunt loca, in quibus si codicem ms. consulas, (at quem tutius?) desideratur cæsura aut elisis non admittatur; haud sane credibile mihi fit, casu omnia illa loca corrupta fuisse. Et forte in plerisque contra metrum peccarit Antonius, ut Poetis illius temporis cujus se prodit noster, haud insolens. Nulla enim omnino nobis adest ratio, cur in omnibus hisce scripti codicis spernatur auctoritas. VONCK.

Fabrica rerum. Fabrica pro *officina* proprie usurpari docuit Sipontinus. Ita forte capiendum heic nomen istud. Mea tamen sententia aut error in codicem irrepsit, aut carmen aliquod abest. MUR.

Nec se Paganus. De hoc nomine plura pete a magno Annalium parente Baronio in Martyrol. ad diem 31. Januar. Gothofredo ad lib. 6. C. Th. tit. 10. de Paganis etc. aliisque scriptoribus. Sæculo Christi

Ac satis esse putat, quod numine credat in uno.
Quid colet ille Deum, qui Verbum non colit ejus?
Qui non Virtutem simili veneratur honore?
Quique invisibilem incomprehensibilemque fatetur
Esse Deum, hic etiam Christum si cogitet, idem
Inveniet. quoniam Verbum comprehendere nemo,
Nemo videre potest; opera ejus sola videntur.
In Patre Natus enim, in Nato Pater omnia fecit,
Et quidquid virtute dedit, pietate tuetur.
Sic fuit, et steterit versus Salvator in ævum,
Qui tulit errores, qui fecit vera videri,
Placatoque Patri pereuntem reddidit orbem.
Nec mirum, si cuncta regit, qui cuncta creavit,
Qui dedit ex nihilo totum, lucemque tenebris
Prætulit, atque diem jussit succedere nocti;
Quodque in carne fuit, carnis peccata remittit.
Cernit enim, fragilem faciles incurrere lapsus,
Corripiensque tamen veniam dabit omnibus unam,
(Remque novam dicam, nec me dixisse pigebit)
Plusque pius quam justus erit. Si denique justus
Esse velit, nullus fugiet sine crimine pœnam:
Justus enim mala condemnat, pius omnia donat.
Hoc facit, ut rata sint venturæ munera vitæ,
Et quod culpa tulit, rursum indulgentia reddat:
Quæ si non fuerint plebi concessa roganti,
A Tunc prope nullus erit delicto liber ab omni.
Qui possit meritus promissa luce potiri?
Tangere tunc lætis cœlorum regna libebit;
Tunc poterit mors ipsa mori, quum tempore toto
Vita perennis erit, quia tunc in sede beata
Nullus peccandi locus est, ubi nulla cupido est.
Gloria tanta manet populo servata fideli.
Amplius hoc tribuit, majus dedit hoc quoque munus,
Quod peccatorem quem pœnitet, antea lapsum,
Non facis in numero turbæ peccantis haberi:
Quippe satis pœna est, cum sit sua culpa dolori;
Supplicium proprium timor est; tormenta reatus
Tum veluti patitur qui se meruisse fatetur.
Quid poterit melius, vel quid moderatius esse?
Judicat, inquirit, castigat, parcit, honorat,
Omnia qui vincit, nec ab ipsa vincitur ira.
B Quod de præsenti jam cernimus esse futurum;
Nam cum sæpe minax horrentia nubila cogit,
Et terrore pio rutilo nimis igne coruscat,
Tristibus et pluviis, et nubibus intonat atris,
Omne genus timet interitum; sed vita potestas
Desinet, et pariter cœlum mentesque serenat.
Hoc quoque tunc sperare jubet, qui se modo cuncta
Perdere posse probat, si perdere velle recusat.
Sic iteranda salus venturo ostenditur ævo,
Æternique Dei pietas æterna manebit.

COMMENTARIUS.

quarto nomen hoc Gentilibus aptari cœpit, quum iidem ab urbibus pulsi in *Pagis* agrisque profanam adhuc religionem exercerent. MUR.

Si vitat. In Ms. legebatur: *Si qui idola vitat.* Emendavi. MUR.

Numine. Ita scribere placuit pro *nomine*, quemadmodum habet Ms. MUR.

Versus Salvator. Illud *versus* mihi parum arridet. Fortasse *verus* scribendum est. MUR.

Vita potestas. Errorem aliis tollendum relinquo. MUR. — Illud *vita potestas* heic plane mortuum. Mu- C ratorius errorem aliis tollendum relinquit: Fabricius *victa* conjiciebat. Genuina, ni fallor, lectio. est *visa potestas.* Quando, inquit, signa majestatis suæ prodit supremum Numen, omne genus interitum timet: sed *potestas* ejus simul ac *visa est*, vel apparuit, desinet; atque ita cœlum, antea nubibus atris incinctum, serenat, et mœstas hominum mentes redivivo splendore consolatur. Quæ antecedunt et sequuntur hæc satis adjuvant, ut plura addere necesse non habeamus. VONCK. — Huic Vonckii emendationi calculum adjicit Anonymus lipsiensis.

DE SANCTO VICTORINO EPISCOPO PETAVIONENSI ET MARTYRE

PROLEGOMENA.

ARTICULUS I.

Ejus vitæ Synopsis.

Quo tempore clarus? Varia de eo Hieronymi testimonia. Quid ante Hieronymum Optatus Milevitanus? — Victorinum græcæ originis aut in confinio Græciæ saltem oriundum fuisse, ex iis, quæ Hieronymus attulit, tuto satis collegisse videtur Caveus (1). Petavionensis (2) in Pannonia superiore ad Dravum

(1) Cave., *Hist. litter.*, tom. I, pag. 147.

(2) Ita quidem legendum docuit, errore obsoleto, quo *Pictaviensis* Aquitaniæ in Gallia a Baronio ad D annum 303, num. 16, aliisque multis ferebatur episcopus, funditus exstirpato, Launoius Franco Gallus peculiari doctaque dissertatione, Parisiis, 1653, in-8°, et in opp. Collect.. tom. II, P. I, pag. 634, et seqq. In hac enim demonstrat, in quinque D. Hieronymi locis, ubi de Victorino sermo habetur, bis scilicet in Catalogo, cap. 74 et 101, semel adversus Vigilantium, semel adversus Helvidium, ac tandem semel in trigesimo sexto Ezechielis capite reperiri in antiquis editionibus *petabionensis*, vel *petavionensis*, vel *pictabiensis*, vel *pictabionensis;* idque nominis habere in Usuardi, Adonis et aliis vetustis martyrologiis, ut et in priori Merlini conciliorum editione, atque in edi-

nos docet Cassiodorus (1) circa annum 290, judice laudato Caveo, juxta Sixtum autem senensem (2) floruit circa annum 270. Martyrium subiisse dicitur secundum vulgatem opinionem sub Diocletiani persecutione anno 393 (3). Notante tamen Ceillerio (4) exacte determinari nequit tempus, quo martyrium passus fuerit. Equidem verisimile videtur sub Diocletiano sæculo IV, ineunte martyrio coronatum fuisse, siquidem suos *viros illustres* enumerans sanctus Hieronymus (5) Victorinum nostrum proxime præponit Pamphilo presbytero, qui anno CCCIX, martyrium subiisse sub Maximino comperitur, ut probe animadvertit Tillemontius (6). Ejus Natale quarto nonas novembris in martyrologiis celebratur. Verba sunt Adonis ad hunc diem : « Natalis S. Victorini Pitabionensis Episcopi, qui persecutione Diocletiana Martyrio coronatus est. »

Dum inter latinos patres Victorinum recenset Doctor maximus (7), Ecclesiæ columnam ipsum appellat (8); qui et *Origenis Tractatus* non ut interpres, sed ut proprii operis auctor transtulerit (9) : attamen inquit (10) *non æque Latine ut Græce noverat; unde opera ejus grandia sensibus, viliora videntur compositione verborum.* Atque in eamdem sententiam ad Paulinum scribens (1) : *Inclyto*, ait, *Victorinus Martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest* (2). Et alibi : *Sanctæ memoriæ martyr Victorinus cum apostolo dicere poterat, et si imperitus sermone, non tamen scientia* (3). Ac rursum : *Victorino Martyri in libris, licet desit eruditio, tamen non deest eruditionis voluntas* (4). Quod quidem dictum Hieronymianum de sæcularium disciplinarum eruditione accipiendum esse, ex ipsius Epistolæ argumento post Sixtum Senensem (5) colligunt Possevinus (6), Launoius (7), et Gallandius (8). Horum si vera sit sententia, inquit cl. Schœnemannus (9), quid Cassiodoro (10) faciamus, qui Victorinum ex oratore episcopum factum esse scribit? Legulejusne ex plebe fuit Victorinus? Nam oratoris professio etsi exquisitiori doctrina facile careret, plus tamen requirebat, quam eruditionis voluntatem, neque equidem modo leviter iis copiis fuisset tinctus, sine quibus ars ista nulla plane esse poterat, qui Hieronymus in scriptis ejus omnem prorsus eruditionem desiderare potuerit, video. Sed cum tam pauca nec ea quidem certa hujus Victorini supersint, vix hanc quæstionem dirimere licebit. Ante Hieronymum vero meminerat Victorini Optatus Milevitanus (11) illum referens in album *adsertorum Ecclesiæ catholicæ, a quibus superati sunt* Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, et cæteri usque ad Cataphrygas, temporibus suis nimirum *a Victorino Petavionensi, et Zephyrino Urbico, et a Tertulliano Carthaginensi.* Cui concilit idem Hieronymus, sanctum Martyrem adversus omnes hæreses stylum acuisse testatus (12).

ARTICULUS II.

De scriptis S. Victorini Episcopi et Martyris sinceris.

Recensio operum S. Victorini. — Scripsit sanctus Victorinus episcopus et martyr Hieronymo teste (13)

tione commentarii in Apocalypsin, huic auctori adscripti. Ex tot testimoniis variisque, quas profert, rationibus colligit tandem vir doctus, Victorinum illum, *Pictavii* Episcopum non fuisse, sed cujusdam urbis *Pannoniæ*, olim *Petabio*, sive *Petavio*, nunc vero *Petau*, nuncupatæ. Fuit autem Petaw Colonia et oppidum in Carnis (finibus Styriæ et Slavoniæ) Tacito dicta; et juxta recentiorem partitionem in ducatu Styriæ circuli Austriaci oppidum ad archiepiscopatum salisburgensem seu juvaviensem hodie spectans. Addit insuper Launoius Fortunatum pictaviensem presbyterum, qui complures Galliæ episcopos carminibus celebravit suis, multo magis certe laudavisse martyrem, *qui primus apud Pictavos christianam religionem suo sanguine consecrasset.* Neque de Victorino verbum ullum fecit in Historia, vel in opere, quod de martyribus Gregorius Turonensis composuit. Quo profundo silentio pictaviensis ille Victorini episcopatus obruitur.

(1) De quo libro (Ecclesiaste) et Victorinus de oratore episcopus nonnulla disseruit. Cassiod., *Institut. divin.* lit. C. V., tom. II, pag. 512, cap. 7, pag. 513 et cap. 9.

(2) Sixt. sen., *Bibl. S.*, lib. IV, pag. 308.

(3) Cave., *Hist. littér.*, l. c.; Pagius, ad ann. 303, not. 9; Basnage, ad ann. 303, n. 16; Tillemont, *Mémoire*, tom v, pag. 153.

(4) Ceillier., *Hist. Génér.*, tom. III, pag. 343.

(5) Hieronym., *de Script. Eccles.*, cap. 74.

(6) Tillemont., Mémoir., tom. v, P. II, pag. 215, edit. Bruxell., pag. 153.

(7) Hieronym., *præfat. ad commentaria in Matth.*, pag. 7, tom. VII, edit. Venet., 1769, in 4°, legisse me fateor in Matthæum... et Latinorum Hilarii, Victorini, Fortunatiani opuscula.

(8) Si auctoritatem suo operi præstruebat Rufinus, volens quos sequeretur ostendere, habuit in promptu Hilarium confessorem... habuit Ambrosium,... et Martyrem Victorinum, qui simplicitatem suam in eo probat, dum nulli molitur insidias. De his omnibus tacet, et quasi *columnis Ecclesiæ* prætermissis, me solum pulicem et nihili hominem consectatur. » Hieronym. a Rufin. in *Apolog.*, lib. I, pag. 351, et edit. Venet., tom. II, n. 2, pag. 459.

(9) Hieronym., *Ep.*, 41, p. 346, et edit. Venet., *Ep. ad Pammach, et Ocean.* 84, n. 7, tom. I, p. 529.

(10) Id., *de vir illustr.*, cap. 74, p. 914.

(1) Id., *Ep.* 49, *ad Paulin.*, tom. IV, p. 567, et edit. Venet., *Ep.* 58, n. 10, tom. I, p. 326.

(2) Ex hisce locis conjicit perdoctus Lardnerus, *Glaubwürdigkeit der evangelischen Geschichte*, Part. II, tom. III, pag. 186, quod Victorinus pleraque sua opuscula Latine scripserit, utpote illius regionis, in qua Episcopus erat, vernacula, cujus proprietatem ac elegantiam parum attigerat; Græcorum enim, notante Caveo, in quibus plurimum versabatur, idioma, Latine scribentis stylum nimis, ut solet, vitiavit. Unde illius opera præclara sententiis, sed obscura sermone erant, uti observat cl. Berti, tom. II, *Hist. eccles.*, dissertat. IV, § 24, p. 480, edit. Augustæ Vindel., in-8°, 1761.

(3) Hieronym., in *prolog. Comment. in Isai.*, tom. IV, pag. 5.

(4) Id., *Ep. ad Magnum. orat.*, § 5, tom. I, p. 427.

(5) Sixt. Senen., *Bibl. Sanct.*, lib. IV, p. 486.

(6) Possevin., *Apparat. Sac.*, tom. II, p. 523.

(7) Launoi., loc. cit., p. 645, seqq.

(8) Galland., *Bibl. veterum patrum*, tom. IV, *Proleg.*, cap. 2, p. 5. n. 1.

(9) Biblioth. lat. Patr., *Histor. liter.*, cap. 3, num. 8, pag. 143.

(10) Cassiodor., loc. cit.

(11) Optat. Milev., *de Schism. donatist.*, lib. I, cap. 9, p. 8, edit. Amstelod.

(12) Hieronym., *de vir. Illustr.*, in catal., cap. 74.

(13) Idem, loc. cit.

Commentarios in Genesin, in Exodum, in Leviticum, A *in Esaiam, in Ezechielem, in Habacuc, in Ecclesiasten, in Cantica Canticorum, in Apocalypsin Joannis, adversus omnes hæreses,* multaque alia; quæ tantum non omnia intercidisse temporis injuria videntur. Neque Trithemius (1) indicem operum S. Victorini adauget, sed mutato duntaxat ordine illius opuscula recenset. Operæ pretium tamen esse arbitramur, ut de iisdem operibus distinctius disseramus.

Primum itaque opusculum S. Victorini martyris, cujus S. Hieronymus in catalogo meminit, est commentarius in librum primum Moysis seu expositio in Genesin. Alibi S. Hieronymus (2) occasione quæstionis a Damaso papa propositæ : *cur Isaac vir justus et Deo carus non illi cui voluit, sed cui noluit, deceptus errore benedixit?* adducit scriptum aliquod sancti B Victorini in cap. XXVII, Geneseos.

Tractatus de fabrica mundi, videtur excerptum ex commentariis in Genesin.— Ex ejusdem commentario in Genesin, ut videtur, excerptum superesse putant Caveus et Lardnerus (3) fragmentum, quod in exemplari MS. ita inscribitur : *Incipit tractatus de Fabrica mundi S. Victorini.* Illud autem in lucem extulit Guilielmus Caveus ex vetusto Lambethanæ Bibliothecæ archiepiscopi cantuariensis codice 800 circiter annorum descriptum, iterumque ad fidem codicis ejusdem, qui unus extat, recognitum, cum aliquot virorum doctorum, Henrici Mauritii, et Joannis Batteley conjecturis margini adpositis. Sed cum Cavei editio minus accurate ad exemplar Ms. exacta visa fuerit, idem opusculum tertio recensuit J. Walkerus, qui et C nonnullas adjecit annotationes criticas, ut nuperus editor caveanæ historiæ litterariæ nos edocet (4).

Hoc fragmentum genuinus S. Victorini fœtus. — De fragmenti porro sinceritate, non est profecto, cur jure quis dubitet, inquit perdoctus Gallandius (5). Sive enim species venerandam codicis antiquitatem; sive nomen Victorini, quod in Mss. exemplaris fronte conspicitur; sive operis argumentum, quod Victorinum pertractasse, in Geneseos nimirum expositione, a veteribus proditum; sive stylum auctoris rudem et incompositum, uti ex Hieronymo discimus; sive potissimum chiliastarum placita heic adserta (6), quæ sane Victorinum fuisse sectatum, auctor est idem Hieronymus (7), omnia demum aperte clamant, hunc libellum, sive ἀποσπασμάτιον quoddam ex commentariis in Genesim, Victorino Petavionensi vindicandum. Sed conferas velim, pergit Gallandius, inprimis quæ habet auctor § 5, de septem Ecclesiis, ad quas suas misit Epistolas apostolus Paulus, cum iis, quæ Victorinus edisserit de iisdem septem Ecclesiis Paulinis, in suis scholiis in Apocalyp., I, 16, de quibus paulo post dicendum.

Ex commentariis in secundum et tertium Moysis libros, in Ezechielem, Habacuc et Canticum haud quidquam ad nos pervenit, sed omnia injuria temporis interiere.

Expositionis in Isaiam prophetam mentionem fecit S. Hieronymus in prologo commentarii sui in hunc prophetam his ce verbis (1) : « Magnique laboris et operis est, omnem Isaiæ librum velle edisserere, in quo majorum nostrorum ingenia sudaverunt. Græcorum dico. Cæterum apud Latinos grande silentium est, præter sanctæ memoriæ martyrem Victorinum, qui cum Apostolo dicere poterat, etsi imperitus sermone, non tamen scientia. » Alibi allegat interpretationem sancti martyris nostri Victorini textus Isaiæ, VI, 2, mysticam hunc in modum (2) : *Sex alæ uni, et sex alæ alteri.* Victorinus noster duodecim apostolos interpretatus est. Heic porro illud adnotasse haud otiosum fuerit, observat perdoctus Gallandius (3), scripsisse quidem Victorinum in Isaiam commentaria, sed non *juxta editiones quatuor* (scilicet juxta LXX, Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis) *usque ad visionem quadrupedum in deserto*, ut ex B. Hieronymi prologo in expositionem Isaiæ minus recte arguerunt Launoius (4) et Hodius (5). Non enim de Victorino, verum de Origene id tradidisse sanctum doctorem, ex ipso contextu compertum sit : quod probe perspexit eruditus Grabius (6).

Commentariis in Ecclesiasten Victorini. — In suo commentario in Ecclesiasten D. Hieronymus adducit expositionem S. Victorini in cap. IV, 13, hisce verbis (7) : « Origenes et Victorinus non multum inter se diversa senserunt. Post generalem illam sententiam, quæ omnibus patet : quod melior sit adolescentulus pauper et sapiens, quam rex senex et insipiens : et quod frequenter evenit, ut ille per sapientiam suam de carcere regis egrediens, imperet pro dominatore perverso; et rex insipiens perdat imperium, quod D tenebat : super Christo et Diabolo hunc locum interpretati sunt, quod puerum pauperem et sapientem

(1) Trithemius, cap. 46, *de scriptor. ecclesiast.*

(2) « Quoniam autem polliciti sumus, et de eo quid significaret, in figura adjungere, Hippolyti martyris verba ponamus, a quo et *Victorinus noster* non plurimum discrepat : Non quod omnia plenius executus sit, sed quod possit occasionem præbere lectori ad intelligentiam latiorem. » Hieronym., *ad Damas.*, Q. III, pag. 569, in tom. II, Bened., al. Ep. 125, et in noviss. edit. Venet., in-4°, tom. I, Ep. 36, n. 16, p. 169.

(3) Cave, *Hist. literar.*, tom. I, pag. 147, Lardner, *Glaubwürdig.*, part. II, vol. III, pag 189, et Galland., *Biblioth. veterum patrum*, tom. IV, *Proleg.*, cap. 2, pag. 6

(4) Cave., L. c. p. 149.

(5) Galland., loc. cit., p. 6.

(6) Victorin., *de Fabrica mundi*, sect. IV.

(7) Hieronym., *de vir illustr.*, in catal., cap. 18.

(1) Hieronym., *Prolog. in Isaiam*, p. 3, et tom. IV, edit. Venet., p. 5.

(2) Hieronym., *ad Damasum*, tom. III, pag. 518, edit. Bened., al. Ep. 142, et edit. Venet., tom. I, Ep. 18, n. 6, p. 50, *de Seraphim.*

(3) Galland., loc. cit., p. 5, n. 2.

(4) Launoi., loc. cit.

(5) Hodius, *de Biblior. text. origin.*, lib. III, part. II, cap. 1, § 4, p. 345.

(6) Grab., *de vitiis* LXX, *interp.*, cap. 2, § 12, pag 66.

(7) Hieronym., *Comment. in Ecclesiasten*, tom. II, p. 741, in fin., et edit. Venet., tom. III, p. 425, C, D.

Christum velint. » Meminit etiam Cassiodorus commentarii sancti Victorini ita inquiens (1) : *De quo libro* (Ecclesiaste) *et Victorinus... nonnulla disseruit.* Ex hoc Cassiodori loquendi modo verisimile adparet, Victorinum quædam duntaxat loca Ecclesiastis exposuisse.

De Commentario S. Victorini in Matthæum.— Sanctus Hieronymus in catalogo nullam mentionem facit de expositione S. Victorini in Matthæum. Verum in prologo sui commentarii in hunc evangelistam hæc habet (2) : *Legisse me fateor.... et latinorum Hilarii, Victorini, Fortunatiani opuscula.* Cassiodorus (3) vero diserte ait : *De quo* (Matthæo) *et Victorinus ex oratore episcopus nonnula disseruit.* Unde conjicit vir perdoctus Lardnerus (4), opusculum S. Victorini aut breves duntaxat observationes, aut expositiones singularium solummodo locorum laudati Evangelii complexum fuisse.

Commentarii in Apocalypsin divi Joannis a sancto martyre nostro adornati meminit et D. Hieronymus et Cassiodorus, qui ultimus de eo in hunc modum scribit (5) : « De quo libro (Apocalypsi) et Victorinus sæpe dictus episcopus difficillima quædam loca breviter tractavit » Hisce verbis judice Caveo (6) innuit Cassiodorus, Victorinum non tam integram Apocalypsin commentario illustrasse, quam difficiliora quædam loca tractasse. Generatim autem animadvertit illustris Ceillierius (7) : Neque certum esse, num sanctus Victorinus integros commentarios conscripserit, neque utrum libros sacros a capite usque ad calcem exposuerit. Siquidem satis manifeste adseverat Cassiodorus, sanctum episcopum nonnisi quædam loca Ecclesiastis, S. Matthæi, atque Apocalypseos explicuisse.

De S. Victorini scholiis in Apocalypsin Joannis.— Alterum porro ex Victorini scriptis, quod ad nos usque pervenit, sunt ejus scholia in Apocalypsin, quæ primus ex bibliothecæ casinensis codice in lucem eruit Basilius millanius, monachus casinas : prodieruntque Bononiæ, in-8° apud Ant. Ciaccarellum et Peregrinum Bonardum, anno 1558. Questus equidem est primus hic scholiorum editor, codicem Ms., quo usus est, adeo fuisse librariorum inscitia corruptum, ut sæpe vix divinando rectum posset assequi sensum.

De opere autem, deque illius auctore, nec non de cura, quam in eo illustrando impendit, haud otiosum fortasse fuerit ipsum audire, lectorem suum alloquentem his verbis : « Ut ne quid esset, » inquit, « in quo me aut plane indiligentem argueres, aut etiam accusares ut audacem, amice lector, sedulo diligenterque cavi; nam et opusculum hoc accuratissime perlegi; et cum multa in eo possem contra rectam scribendi rationem dicta improbare, nihil tamen fere loco mutavi, sed ea cujusmodicumque fuerunt, adnotavi, ut tuo potius vel starent, vel caderent judicio. Libellus certe ejusmodi est, ut cum magnam piis ac religiosis hominibus, qui hoc genus scriptis delectantur, utilitatem, tum vero ad ea etiam cognoscenda, quæ in Apocalypsi altissimis recondita sunt sensibus, adjumenti plurimum sit allaturus. Stylus autem tametsi a prisco illo candore linguæ latinæ, puritateque multum abest, quod temporum inclinatæ jam, si non prorsus collapsæ cum imperii majestate rei litterariæ mores, et gallicæ nationis, quæ necdum, ut nunc est, tum ingeniis, tum præstantissimarum artium cognitione culta erat, peregrinitatem referat : tantum tamen auctor iste brevitate sua præstitit, ut quorumdam verborum insolentiam utilitas argumenti abunde pensare possit. Nos certe cum idem ipse non verba quibus identidem impropriis et longe ab usu recte loquendi semotis utitur, sed sensus ipsos sequatur; noluimus in verbis eo ipso videri doctiores. Itaque vestigiis illius insistentes, quæ animadversione imprimis digna visa sunt, infra hic adnotamus. » Hactenus cl. Basilius Millanius editor : qui quidem, si ei locus Hieronymianus succurrisset de Viris illustribus superius nobis memoratus, neque gallum fuisse Victorinum, seu pictaviensem episcopum existimasset, neque de stylo ejus incompto adeo doluisset.

Hæc autem ex editore nostro propterea imprimis describenda censuimus, inquit Gallandius (1), quod hujusce opusculi editio, unica enimvero adeoque perrara, eos ad unum omnes hactenus latuerit, qui tum hoc, tum superiore sæculo de scriptoribus ecclesiasticis egisse noscuntur. Si enim iis perspecta fuisset illa, nullus dubito, quin ejusmodi scholia tanquam genuinum Victorini fœtum excepissent, agnovissentque simul, subdititium omnino esse, utpote mire interpolatum, commentarium in Apocalypsin, qui sub ejus nomine in bibliothecis Patrum circumfertur. Et primum quidem ex Cassiodoro discimus (2), Victorinum *de libro Apocalypseos difficillima quædam loca breviter tractasse* : quæ quidem notatio et nostris scholiis apprime congruere noscitur, et a pervulgato commentario aliena esse comperitur; ut cuilibet utrumque opus conferenti perspicuum fiet. Deinde quod rei caput est, in nostris *scholiis* regni millenarii nota comparet (3); quod sane Victorinum cum aliis antiquioribus agnovisse, superius ex Hieronymo accepimus.

Haud tamen dissimulandum videtur, scholia sua concludere Victorinum his verbis : « Ergo audiendi non sunt, qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant, qui cum Cerintho hæretico sentiunt. »

(1) Cassiodor., *institut. divin. lit.*, cap. 5.
(2) Hieronym., *Prolog. in Matth.*, pag. 8, et edit. Ven t., tom. VII, p. 7.
(3) Cassiodor., ibid., cap. 7.
(4) Lardner, loc. cit., p. 191.
(5) Cassiodor., loc. cit., cap. 9.
(6) Cave loc. cit., p. 147.
(7) Ceillier., loc. cit., p. 345 et 346.

(1) Galland., loc. cit. p. 6.
(2) Cassiod., loc. cit., cap 9.
(3) Victorin., *schol. in Apocalyps.*, I, 15; XX, 6

De quibus equidem illud primum dixerim cum Sixto senensi (1), ab aliena manu fortasse ita fuisse castigatam absurdam Victorini sententiam, in ejusque locum eam, quæ nunc habetur, repositam. Deinde vero existimaverim potius, verba hujusmodi revera fuisse a Victorino conscripta, quo nimirum ab ea regni terrestris opinione qua semel imbutus fuerat, propulsaret, quidquid maxime vitiosi placita Cerinthiana in illam invexerant : haud secus ac Justinus martyr, qui eamdem sententiam amplexus : « Credentes in Christum, » inquit, (2) « et eorum quæ tum ab ipso, tum a prophetis tradita sunt, veritatem agnoscentes, sciunt se una cum eo in illa terra futuros, et æterna ac incorrupta bona hæreditate accepturos. »

ARTICULUS III.

De sancti Victorini operibus aut dubiis aut suppositiis.

Pervulgatus in Apocalypsin commentarius Victorino abjudicandus. — Extat in SS. Patrum bibliothecis (3) commentarius in Apocalypsin, cui titulus est : *Victorini pitabonensis episcopi*; num vero illius sit genuinus fœtus, inter eruditos adhuc controvertitur. Perdoctus Caveus scribit (4) : « Aut ejus non esse, aut mire interpolatum et mutatum necesse est. In suo etenim commentario Victorinum chiliastarum errori favisse, diserte tradit Hieronymus (5), quem tamen hujus commentarii auctor strenue impugnat, dogmaque istud Cerintho hæresiarchæ adscribit. Citat etiam The dorum, historiæ ecclesiasticæ sub Justiniano conditorem, cujus collectanea habemus hodie, ut alia mittam. Unde evidentissime colligitur, Victorini si sit, egregias interpolationes passum esse, et aliam plane induisse faciem, ex quo e Victorini manu primum prodiit. »

Basnagius de laudato Victorini commentario in Apocalypsin hunc in modum pronuntiat (6) : « Multis ille liber fabulis refertus est. Existimat Jeremiam nondum vita abiisse; Neronem futurum antichristum, et in mundi fine venturum. Eo inclinat clarissimus Dupin in nova sua bibliotheca, Victorini commentarium esse : *il y a apparence qu'il est de lui.* Victorino tamen abjudicandum esse existimamus, judicemque damus Hieronymum (*in Papia*, cap. 18, in Catalogo) : Hic dicitur mille annorum judaicam edidisse δευτερώσιν, quem secuti sunt Irenæus et Apollinarius, et cæteri, qui post resurrectionem aiunt in carne cum sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in libro de spe fidelium, et Victorinus pictavonensis, et Lactantius hac opinione ducuntur. » Commentarius vero adscriptus Victorino, *millenariorum* percellit opinionem (1) : « Mille annorum regnum non arbitror esse terminum..... Ut mei sensus capacitas sentit proferri, quoniam denarius numerus Decalogum significat, centenarius virginitatis coronam ostendit. Qui enim virginitatis integrum servaverit propositum, et Decalogi præcepta fideliter impleverit..... iste vere sacerdos est Christi, et millenarium numerum perficiens, integre creditur regnare cum Christo, et apud eum recte ligatus est diabolus. » Doctissimus Lampe (2) valde probabile esse indicat, hunc commentarium falso Victorino adscribi. Econtra eruditus Dupinius postquam diversa in utramque partem adduxit argumenta, tamdem concludit (3) : « Non ergo adserendum, illud commentarium falso adscribi Victorino, quin vero similius est, illius esse genuinum fœtum. » Sapientissimus Tillemontius (4) pro more suo hanc quæstionem modeste ac diligenter petractavit. Fatetur primo diversis ex rationum momentis γνησιότητα illius commentarii in Apocalypsin in dubium revocari a non paucis ; sed adserit dein, sibi videri multo plura superesse argumenta, quibus ad credendum inducimur hunc commentariolum tamquam genuinum, ex tot sancti hujus martyris operibus atque laboribus, quoddam ἀποσπασμάτων (reliquum) esse suspiciendum : interim tamen etiam largiendum, loca in favorem chiliasmi olim inibi obvia, subsequis temporibus mutationem passa fuisse (5). Quid quod etiam cl. Tillemontius alibi (6) quædam quoque momenta subjiciat, ex quibus intelligitur, cur ea loca, quæ modo de chiliasmo in laudato commentariolo habentur, vel corrupta vel interpolata sint. Occurrunt hæc loca ad finem præfati opusculi, atque cuilibet primo intuitu facile innotescit, horum stylum a præcedentium stylo multum differre. Ad hæc est, quod facile omnino credamus, ejusmodi alterationes diversos antiquos SS. Patres quoad idem dogma subiisse (7). Nostra autem in præsenti casu conjectura magis adhuc confirmatur ex hoc, quod in ipsa hac interpretatione quædam adhuc vestigia de millenariorum opinione

(1) Sixt. Senen., *Bibl. sanct.*, lib. VI, annotat 348.
(2) Justin. Martyr, *Dialog. cum Tryphon.*, c. 179.
(3) In Biblioth. Paris., tom. I, Lugdun., tom III, pag. 414. Aliæ hujus Commentarii editiones recensentur in Jacobi le Long, *Bibliotheca sacra*, pag. 1003.
(4) Cave, loc. cit. pag. 147.
(5) Hieyronym., in *Catalog.*, cap 18, et *præfat. in Commentar. Victorini.*
(6) Basnage, ad ann. 303, n. 16.

(1) Victorin., *Comment.*, in Bibl. magna patrum, tom. III, pag. 421.
(2) « Quod eo minus congruum, cum librum hunc falso adscribi Victorino..... valde probabile sit. » Lampe, *Prolegom. in Joann.*, lib. I; cap. 4, n. 12, pag. 66.
(3) Dupin., *Bibl. des aut. eccles.*, tom. I, p. 194 et edit. lat. colon., p. 301.
(4) Tillemont., *Mémoir. Ecclés.*, tom. V, p. 218, et note 2, edit. Brux., p. 134.
(5) Id., ibid.
(6) Id., ibid., note 3, p. 444, et édit. Bruxell., p. 312.
(7) Id., Tom. II, *les Millénaires*, p. 251. Ubi adducit Sulpitii Severi Dialogum intitulam *Gallum*, et S. Irenæi lib. V, adv. Hæres. capita quinque postrema, in quibus error millenariorum omissus fuit.

offendantur; cum inibi adseratur (1) omnes sanctos conventuros esse, et Dominum nostrum Jesum Christum adoraturos. Sive vero laudatus commentariolus Victorini sit, sive non, deprehenduntur tamen in eo varii antiquitatis characteres. Huc refert Tillemontius auctoris loquendi modum de Romano Senatu (2), quod nimirum ea tempestate ille nomine suo et auctoritate sua persecutiones adversus christianos decreverit. Dein quæ de Nerone scribit (3), hunc in modum : *Unum autem de capitibus occisum in morte, et plaga mortis ejus curata est, Neromen dicit. Constat enim dum insequeretur eum equitatus missus a Senatu, ipsum sibi gulam succidisse. Hunc ergo suscitatum Deus mittet regem dignum dignis, et Christum, qualem meruerunt Judæi.* Quæ opinio communior fuit in primitivis Ecclesiæ sæculis, quam in subsequis.—Tertio dum recenset Divi Pauli Epistolas, altum apud eum silentium de Epistola ad Hebræos (4). Jam vero ætate sancti Victorini nostri, apud Occidentales vulgata opinio erat, Epistolam ad Hebræos D. Paulum nequaquam habere auctorem. Sic insuper notatu etiam dignum in hoc commentario, quod, dum propheta cum Elia venturus commemoratur, nulla de Enocho mentio fiat; sed dumtaxat, tradatur aliquos Moysen, aut Elisæum loco illius opinatos fuisse (5). Quod vero ipsius auctoris opinionem spectat, ille putavit Jeremiam fuisse, utpote cujus mors in scriptura non commemoratur. Hæc omnia respici possunt tanquam satis apta indicia antiquitatis laudati commentarii. Denique stylus in hoc opere observatus, cum charactere, quem de Victorini scribendi ratione S. Hieronymus notavit, optime convenit: quod scilicet *rudis et impolitus fuerit, grandia sensibus, et viliora videantur Victorini opera compositione verborum*. Ita censet vir doctissimus Tillemontius de commentario in Apocalypsin, utut simul etiam animadvertat, tutissimum fore, si quæstio de vero auctore indecisa relinquatur (6), quod judicium utroque pollice subscripsit perdoctus Lardnerus (7). Econtra reverendissimus Dominus Ceillerius adfirmare non dubitat, hunc commentarium merito adscribi S. Victorino patavionensi Episcopo ac martyri (8); sed nulla alia in suæ sententiæ confirmationem adducit argumenta, præter ea, quæ ex Tillemontio supra notavimus. Nostra vero ætate viri eruditissimi Gallandius (1), Oelrichsius (2), et Schœnemannus (3) *Commentarium in Apocalypsin* Victorino abjudicant. Mihi vero perplacet viri acutissimi summique critici Joannis Launoy circa auctorem hujus commentarii judicium ita sentientis (4) : « Ad Victorini commentarium in Apocalypsin, quem habemus in Bibliotheca Patrum, quod attinet, fieri potest, ut (si Cassiodoro creditur) partim illius sit, partim alterius : illius quidem in iis, quæ difficilium locorum explicationem continent : alterius vero, qui reliquorum locorum expositionem suppleverit. In summa res ista tota in eum adducta est statum, ut certum sit, nihil esse certi, quod vere affirmateque dici queat. »

Cæterum in laudato commentario hæc notatu digna offendimus præeunte cl. Ceillierio (5). Primo: In toto orbe septem ecclesias omnes esse, et septem nominatas, unam esse catholicam, Paulus docuit (6). Secundo, quod baptisma peccata auferat (7). Tertio, quod nicolaitæ nomen suum acceperint a Nicolao Diacono; quodque docuerint Idolothyta exorcizata licite manducari posse, pacemque fornicatoribus octava post lapsum die dandam esse (8). Quarto, auctor enumerat viginti quatuor Veteris Testamenti libros (9), nixus traditioni cujusdam Theodori (10). Ex eo-

(1) «Ubi illi (apostoli) primum steterunt, Ecclesiam confirmaverunt, id est, in Judæa, ubi omnes sancti conventuri sunt, et Dominum suum adoraturi.» Victorin., *in Apocal.*, p. 415.

(2) « Et vidi, » inquit, « mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, *Decreto Senatus illius* consummatæ nequitiæ, et omnem contra fidei prædicationem etiam factam indulgentiam ipse dedit decretum in universis gentibus. » Id., ibid., p. 420, B.

(3) Id., ibid., p. 420, D, et paria habet in scholiis in Apoc., cap. XIII, p. 61, apud Galland.

(4) Id., ibid., p. 415, E.

(5) Multi putant eum Eliam esse, aut Elisæum, aut Moysen, sed utrique mortui sunt. Hieremiæ autem mors non invenitur, quia omnes veteres nostri tradiderunt illum esse Hieremiam. Id. ibid. p. 418. D. Similia occurrunt in scholiis in Apoc., cap. XI, p. 59, apud Galland., tom. IV.

(6) Tillem. loc. cit.

(7) Lardner. loc. cit. p. 495.

(8) Ceillier., loc. cit., p. 346.

(1) Galland., loc. cit., p. 6, in prolegom., cap. III. Verba illius superiori articulo disserens de scholiis S. Victorini in Apocalypsin ad finem adtuli.

(2) « Neque genuinus commentarius (in Apocalypsin) qui inveniri solet in Bibliothecis Patrum. » Oelrichs, *Commentarii de script. eccles. lat.*, Lipsiæ, 1791, p. 46.

(3) « Qui jam sub nomine illius (Victorini) extat *Commentarius in Apocalypsin* in Bibl. Patrum, tom. III, eum non illius esse, aut certe misere mutilatum et interpolatum esse, ex Hieronymi in eum stricturis discimus, ubi chiliastarum opinioni auctorem favere dicit, quam hic potius impugnat et Cerinthi hœresin appellat. Magis etiam commentarius iste fraudis argueretur, si eo nobis uti liceret, quod Caveus in Cassiodoro (*de divin lect. c.* 9.) manifesto deprehendere sibi visus est, Victorinum non tam integram Apocalypsin commentario illustrasse, quam difficiliora quædam loca tractasse. » Schœnem., *Biblioth. Histor. literar. Patrum latin.*, tom. I, cap. III, n. 8, p. 115, et seq., Lipsiæ in-8., 1792.

(4) Launoy, tom. II, opp., part. I, p. 646, et seq.

(5) Ceillier., loc. cit., p. 347.

(6) S. Victorin., *Comment. in Apocal.*, apud Bibl. Patrum Lugdun. tom. III., p. 415. Similia occurrunt in scholiis in cap. II. Apoc., p. 53. apud Galland.

(7) Improperium est peccatum pristinum, quod aufertur in baptismo, et incipit vocari homo Christianus: quod est, invocetur nomen tuum super nos. » Idem, ibidem.

(8) Nicolaitæ autem erant illo tempore ficti homines et pestiferi, qui sub nomine Nicolai ministri fecerunt sibi hæresin, ut delibatum exorcizaretur, et manducari posset, et quicumque fornicatus esset, octava die pacem acciperet. Id. ibid. Similia habentur in scholiis S. Victorini in cap. II, Apoc., apud Galland., tom. IV, p. 54.

(9) « Sunt autem libri Veteris Testamenti, qui accipiuntur, viginti quatuor, quos in Epitomis Theodori invenies. » Id., ibid., p. 417. Confer Victorini schol. in cap. IV, Apoc., p. 56, apud Galland.

(10) Quisnam is Theodorus, haud facile determi-

dem commentariolo constat, Apocalypsin tunc temporis omnino agnitam fuisse (1). Spectat denique iste commentarius etiam Epistolam ad Hebræos (2). In appendice ad tomum tertium operum divi Augustini editionis maurinorum impressus habetur auctoris anonymi commentarius in Apocalypsin, desumptus plurimam quoad partem ex eo, qui præ se fert nomen sancti Victorini Petavionensis (3).

Huic commentario in Apocalypsin præfixa habetur Patrum (4) præfatio, Hieronymo adscripta, in qua Victorinus dicitur, idem sensisse cum Papia et Nepote; verum judice viro doctissimo (5) absque omni fundamento ille prologus seu Epistola ad Anatolium D. Hieronymo adscribitur, nullusque Criticorum, quod sciam, eamdem uti genuinam admittit.

Alia S. Victorino falso adscripta opera. — Tribuuntur etiam sancto Victorino nostro *carmina duo*, quæ habentur in sacrorum poetarum collectione *Fabriciana de Jesu Christo Deo et homine* unum; alter titulus est *lignum vitæ;* sed conjectura plane incerta, et ut mihi videtur, inquit Caveus (6), cui consentiunt clarissimi Duumviri Oelrichsius et Schœnemannus (7), falsa.

Observat Tillemontius (8), quod in variis manuscriptis sancto Victorino Petavionensi episcopo ac martyri Hymnus *de sancta Cruce*, seu de *Paschate*, vel *de Baptismo* inter D. Cypriani opera relatus (1) adtribuatur; eumdemque Hymnum venerabilis Beda noster sub nomine Victorini allegat (2) hisce verbis: Qua ductus opinione Victorinus pictaviensis antistes Ecclesiæ de Golgotha scribens ita inchoat.

Est locus ex omni medium, quem cernimus orbe,
Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt.

Est hoc carmen admodum præclarum, et spectato nostri auctoris stylo elegantius, quam ut possit vel debeat eidem adtribui. Ex hoc carmine cognoscimus referente Tillemontio (3), quod multi homines Christianam religionem profiteri ea ætate voluerint, qui ne quidem usque ad baptismum in ea immoti perseverarunt.

Carmen seu versus incerti auctoris adversus Marcionem vulgo inter Tertulliani scripta edi solitos, Victorino vindicare studet sæpe jam citatus Tillemontius (4). Quam sententiam etsi nostram facere nolumus (utpote levi nixam conjecturæ) (5) tamen opus illud ad sæculum tertium referre non dubitamus, quod tractatio docet, maximeque index Episcoporum romanorum, quem continet.

Recepit auctor istius scripti e libris ambiguis Epistolam ad Hebræos uti ex hisce constat versibus (6).

Sanguine nam vituli populum, simul omnia vasa
Atque sacerdotis et scripta volumina legis
Sparsit, aqua mixto. (*Collat. Hebræor.*, IX, 19).
Hoc Dominus noster, qui nos sua morte redemit,
Extra castra volens populi vim passus iniqui.
(*Vide Hebr.*, XIII, 12).
Fœderis hinc etiam novi inenarrabilis auctor
Discipulus Joannes animas pro nomine passas
Testatur tali sese vidisse sub ara,
Clamantes Dei vindictam pro cæde potentis.
(*Vide Apocalypsin*, VI, 9).

Et ibidem, pag. 805. edit, Paris., 1634, ac Venetæ, 1744, pag. 657.

Sic quoque Joannes : sic pandit Spiritus illi,
Tot numero soliis senioribus insuper albis
(*Vide Apoc.*, VI, 4).

Sanctus Hieronymus (7) citat commentarium Victorini in Dialogos M. T. Ciceronis; verum argumentum ejusmodi materiæ potius convenit Victorino Africano, qui fuit rhetorices professor.

natu. Num Latinus, vel Græcus trium primorum sæculorum? Forte Gregorius Thaumaturgus, hoc nomine abs S. Hieronymo decoratus in catalogo, cap. 65, vel Theodotus a S. Clemente Alexandrino in excerptis, p. 794 et 795, citatus. Perdoctus Dupinius, qui non dubitat, quin laudatus commentarius ævo justinianeo antiquior sit, credibilius esse putat, citationem Theodori a quodam sciolo adpositam fuisse. Vide Tillemont., t. v., p. 313, Dupin loc. cit., p. 301.

(1) Patet hoc e formulis, quibus Apocalypsin laudat istius libelli auctor. Verbi gratia Bibl. patrum tom. III, p. 419; « Liber apertus est, quem Joannes vidit. » Paucis verbis interjectis istum Joannem vocat Apostolum: « Sed quia dicit se scripturum fuisse Joannem, quanta locuta fuissent tonitrua, id est, quæcumque in Veteri Testamento erant obscura, et prædicata, vetatur scribere, sed relinquere ea signata; qui erat Apostolus, nec oportebat gratiam sequentis gradus in primo collocari. » Disserit porro de tempore scriptæ Apocalypsis, et ad locum Apoc., X, 11. sic commentatur: « Hoc est, quoniam, quando hoc vidit Joannes, erat in Insula Patmo, in metallum damnatus a Domitiano Cæsare. Ibi ergo vidit Apocalypsin. Et cum senior jam putaret, se per passionem accepturum receptionem, interfecto Domitiano, omnia judicia ejus soluta sunt, et Joannes de metallo dimissus. Sic postea tradidit hanc eamdem, quam acceperat a Domino, Apocalypsin. Hoc est, oportet te iterum prophetare. » Et ibidem, p. 420; « Intelligi oportet tempus, quo scriptura Apocalypsis edita est, quoniam tunc erat Cæsar Domitianus. Unus exstat, sub quo scribitur Apocalypsis, Domitianus scilicet. » Confer Victorini schol. in Apoc., cap. XIII, pag. 61, apud Galland.

(2) V. c., p. 418 : « Sicut igitur cœlum intelligitur ara aurea. »

(3) Videsis Admonitionem Maurinorum de subsequenti expositione in Apocalypsin, tom. XVI. opp. D. Augustini, edit. Venet., in-4°, p. 618.

(4) *Bibliothec. PP. Lugdun.*. tom. III, p. 414.

(5) Lardner., loc. cit. p. 195, 196.

(6) Caveus, loc. cit.

(7) Oelrichs, et Schœnemann, loc. cit.

(8) Tillemon., loc. cit., p. 134.

(1) *De Cruce Domini*, p. 4, append. oper. Cyprian.

(2) Beda, *de locis Sanctis*, cap. 2, p. 317, Cantabrig. 1722.

(3) Tillemont., loc. cit., pag. 134.

(4) Id., ibid.

(5) Quia scilicet huic opusculo optime congruit illud, quod divus Hieronymus de modica sancti Victorini linguæ latinæ peritia retulit.

(6) Inter opera Tertulliani Parisiis edita 1634, p. 804, et edit. Venet., 1744, p. 656.

(7) Hieronym., lib. I, c. 16, *adv. Rufin.*, p. 459. edit. Venet. 1766.

ARTICULUS IV.

Observationes theologicæ in genuina S. Victorini opuscula et editionum recensio.

Doctrina S. Victorini de quatuor Evangeliis, etc. — In Fragmento *de Fabrica mundi*, in quo de opere septimi diei disserit, observat S. Victorinus inter alia tanquam notatu dignum, quatuor animalia ante thronum Dei, quatuor Evangelia, et quatuor flumina in paradiso fluentia(1), Evangelium S. Joannis in eodem tractatu hoc modo adducitur (2), *Joannes Evangelista sic dicit: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* In scholiis suis in Apocalypsin beati Joannis de iisdem quatuor Evangeliis ita discurit (3): *Quatuor animalia quatuor sunt Evangelia.* « Primum animal simile leoni, et secundum simile vitulo, et tertium habens faciem similem homini, et quartum simile aquilæ volanti . . . . . Animalia igitur quod differentia sunt vultu, hanc habent rationem; simile leóni animal Marcum designat, in quo vox leonis in eremo rugientis auditur. Hominis autem figura enititur Matthæus enuntiare nobis genus Mariæ (4), unde carnem accepit Christus. Ergo dum enumerat ab Abraham usque ad David, et usque ad Joseph, tamquam de homine locutus est. Ideo prædicatio ejus hominis effigiem ostendit. Lucas sacerdotium Zachariæ offerentis hostiam pro populo, et apparentem sibi angelum dum enarrat, propter Sacerdotium et hostiæ conscriptionem, vituli imaginem tulit. Joannes Evangelista aquilæ similis, assumptis pennis ad altiora festinans, de Verbo Dei disputat. Marcus Evangelista sic incipiens: *Initium Evangelii Jesu Christi, sicut scriptum est in Isaia Propheta, vox clamantis in deserto*, leonis habet effigiem. Matthæus autem: *Liber generationis Jesu Christi Filii David, Filii Abraham;* hæc est facies hominis. Lucas vero dixit: *Fuit Sacerdos nomine Zacharias, de vice Abia, et mulier ei de filiabus Aaron;* hæc est imago vituli. At Joannes cum incipit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* similitudinem aquilæ volantis ostendit (5). Non solum autem Evangelistæ sed et ipsum Verbum Dei Patris omnipotentis, qui est Filius ejus D. N. Jesus Christus, fert easdem imagines in tempore adventus sui. Cum nobis prædicat, est tanquam leo, et catulus leonis: et cum propter salutem hominum homo factus est ad mortem devincendam, et universos liberandos, et quod seipsum obtulerit hostiam patri pro nobis, vitulus dictus est. Et quod mortem devicerit et ascen-A dit in cœlos extendens alas suas, et protegens plebem suam, aquila volans nominatus est. Hæ ergo prædicationes, quamvis quatuor sint, una est tamen, qui de uno ore processit. Oculos autem intus et foris habere ea animalia in prædicatione novi Testamenti, providentiam spiritualem ostendit, quæ et secreta cordis inspicit, et supervenientia videt, quæ sunt intus et foris. » In hoc S. Victorini loco omnia quatuor Evangelia, singulorumque initium, vel saltem ab initio statim obvenientes res in iis deprehendimus; unde hic locus a nobis maximo in pretio habendus est.

Evangelium Joannis quo tempore, ac qua occasione scriptum?—Non solum S. Victorinus adnotat tempus, quo S. Joannes suum Evangelium conscripserit, sed B qua etiam occasione permotus fuerit. Composuit scilicet illud, postquam in Patmos insulam Joannes relegatus fuit, eo consilio, ut eo tempore exortas hæreses refutaret atque destrueret (1). « Ostensa arundo similis virgæ (verba sunt S. Victorini) hæc ipsa est Apocalypsis, quam postea exhibuit Ecclesiis: nam et Evangelium perfectæ fidei nostræ salutis causa postea scripsit. Cum enim esset Valentinus et Cerinthus, et Ebion, et cæteri scholæ Satanæ diffusi per orbem, convenerunt ad illum de finitimis provinciis omnes episcopi, et compulerunt eum, ut et ipse testimonium conscriberet. » Haud absimilia habentur in commentario Victorini in Apocalypsin (2).

Actus Apostolorum a S. Victorino laudati. — Actuum apostolorum meminit sanctus Victorinus bina C vice in hisce scholiis in Apocalypsin: et quidem dum ita scribit (3): « Et nos legimus in Actis Apostolorum, quemadmodum loquens discipulis suis, raptus est in cœlos. » Atque alibi (4): « Sicut Petrus ad Judæos exclamavit: Dextera Dei exaltatus acceptum a Patre Spiritum effudit, hunc quem videtis. »

De Divi Pauli Epistolis. — In fragmento de fabrica mundi, quod Caveus primus edidit, occurrit in meditationibus Victorini in septimum diem, quo Deus ab omni labore requievit, inter alia de hoc notatu digno numero exempla et sequens : *Et septem Ecclesiæ apud Paulum* (5). Ubi margo editionis Cavei habet pro *Paulum*, *Apocalypsin*, sed male, et *recte Paulum;* nam Cyprianus, de exhortatione martyrii, pag. 125, edit. Amstel. et Bremensis, pag. 179, ait: D « Apostolus Paulus, qui hujus legitimi numeri et certi meminit, *ad septem Ecclesias scribit.* » Vide et

(1) Victorin., *de Fabrica Mundi*, cap. II, apud Galland., t. IV, p. 49; et apud Caveum, tom. I, p. 148; et in hac edit. Paris., hoc volum., p.

(2) Id., ibid., cap. IV, p. 50, et apud Cave, p. 149.

(3) Victorin., *schol. in Apocal.*, ex cap. IV, p. 55, apud Galland.

(4) Vide, ut tradat Victorinus Matthæum genealogiam nobis Mariæ non Christi describere, secus atque major hodie theologorum pars opinatur.

(5) Similia habentur in commentario S. Victorini in Apocalypsin, apud Biblioth. patrum. Lugdun., Tom. III, p. 416.

(1) Victorin., in schol. in cap. XI, Apocal., p. 59, apud Galland.

(2) Victorin., in Apoc., p. 418, C. in Bibl. patrum Lugd.

(3) Id., in schol. in cap. XII. Apoc., p. 60, apud Galland, et in hoc volum. Eadem habentur comment. in Apocal., p. 419, A. Bibl. patrum. Lugd. Coll. act I. 9—11.

(4) Id., ibid., in cap. I, p. 53, Galland. Coll., Act., II, 33. Similia occurrunt in comment. in Apoc., p. 415.

(5) Victorin. Fragm. de Fabrica Mundi apud Caveum Hist. litterar. p. 149. A. et apud Galland. tom. IV. Bibl. VV. PP. p. 50. B. § 5.

alia ibidem hunc locum illustrantia. Quod vero Victorinus intellexerit septem Ecclesias, ad quas tot Epistolæ in collectione paulina directæ sunt, ex duplici auctoris nostri loco, uno in scholiis in Apocalypsin, altero ejusdem in commentario in Apocalypsin manifeste constat; in utroque hæc habentur (1) : « Istæ septem stellæ sunt septem Ecclesiæ, ad quas fecit Epistolas; non quia ipsæ solæ sunt Ecclesiæ, aut principes, sed quod uni dicit, omnibus dicit. Unde et in toto orbe septennatim Ecclesias omnes, septem esse nominatas, et unam esse Catholicam, Paulus docuit, scribens ad septem Ecclesias, uti ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses. Postea singularibus personis scripsit, ne excederet modum septem Ecclesiarum. Et in brevi contrahens prædicationem suam ad Timotheum ait : ut scias, qualiter debeas conversari in Ecclesia Dei vivi. »

Prima Petri Apostoli Epistola a Victorino laudata. — Sanctum Victorinum divi Petri Epistolam primam agnovisse patet et ex scholiis, et commentario ejus in Apocalysin; ait enim ad verba hæc Apocalypseos, I, 6 : *Et fecit nos regnum et Sacerdotes* (2). « Id est omnium fidelium Ecclesiam, sicut Petrus quoque Apostolus dicit (3) : *Gens sancta, regale Sacerdotium.* »

Apocalypsis Joanni Evangelistæ diserte attribuitur. — In libelli fragmento S. Victorini, de Fabrica mundi, etiam Apocalypsis Joanneæ expressa mentio habetur. Nam leguntur in fine istius fragmenti verba hæc (4) : « Itaque sine dubio autem diei angeli duodecim, noctis angeli duodecim pro numero scilicet horarum; hi sunt namque quatuor viginti testes dierum et noctium, qui sedent ante thronum Dei coronas aureas in capitibus suis habentes, *quos Apocalypsis Joannis apostoli et evangelistæ seniores vocat.* »

Tempus scriptæ Apocalypsis et locus. — Adnotat S. Victorinus, episcopus et martyr, hisce in scholiis tempus, quo Apocalypsis a S. Joanne apostolo exarata fuit, dum ait in cap. XIII, 10 : « Intelligi oportet tempus, quo scripta Apocalypsis edita est : quoniam tunc erat Cæsar Domitianus; ante illum autem fuerat Titus frater illius; et Vespasianus, Otho, Vitellius et Galba. Isti sunt quinque, qui ceciderunt; UNUS EXSTAT, sub quo scripta est Apocalypsis Domitianus scilicet (5). » Et paulo superius in cap. X, 11, scribit (6) : « Hoc dicit propterea, quod, quando hæc Joannes vidit, erat in insula Pathmos, in metallo damnatus a Domitiano Cæsare : ibi ergo vidit Apocalypsin : et cum senior jam putaret se per passionem accepturum receptionem, interfecto Domitiano omnia ejus judicia soluta sunt, et Joannes, de metallo dimissus, sic postea tradidit hanc eamdem, quam acceperat a Deo Apocalypsin. » Confer Commentarium Victorini in Apocalypsin, tom. III. Bibl. Patrum Lugdun., pag. 420, C et G.

Numerus librorum Veteris Testamenti. — De Veteri Testamento sequentia notanda veniunt apud sanctum Victorinum nostrum. Computat viginti quatuor Veteris Testamenti libros dum ait (1) : « Viginti quatuor seniores viginti quatuor libri sunt prophetarum, et legis referentes testimonia judicii. . . ALAS SENAS testimonia sunt Veteris Testamenti librorum. Ideo viginti et quatuor totidem faciunt, quot sunt seniores super tribunalia sedentes. . . Sunt autem libri Veteris Testamenti, qui accipiuntur viginti quatuor, quos in Epitomis Theodori invenies (2). » Eadem fere verba occurrunt in Commentario Victorini, in Apocalypsin, in Bibl. Patrum, Lugd., tom. III, p. 417.

Veteris Testamenti cum novo connexio. — Tradit præterea sanctus martyr et episcopus, quod novum fœdus fidem atque fundamentum habere debeat in veteri fœdere, cui innititur, ac quasi superstruitur; scribit enim (3) : « Nec prædicatio cum novo populum Christianum significat cantantem canticum novum, id est confectionem suam publice conferentem. Novum est, Filium Dei hominem fieri : novum est, cum corpore in cœlum ascendere : novum est, remissionem peccatorum hominibus dare : novum, sancto Spiritu signare homines : novum est, sacerdotium accipere sacræ observationis, et regnum expectare immensæ repromissionis. Cithara, et chorda in ligno extensa, significat carnem Christi passionis ligno conjunctam : Phiala confessionem, et novi Sacerdotii propaginem : angelorum autem multorum, imo omnium laus, omnium salus est, et testimonium universæ creationis Domino nostro referentium gratulationem liberationis hominum de clade mortis. Resignatio sigillorum apertio est Veteris Testamenti, et prædicatorum prænuntiatio in novissimo tempore futurorum (4). »

De Jesu Christo Domino nostro docet S. Victorinus (5), quod sit Filius Dei ante originem sæculi apud Patrem genitus, homo factus in anima vera et carne; pro salute nostra homo factus (6) : Patrem confiteri omnipotentem esse dicimus (verba sunt

(1) Victorin., in schol. in Apocalyps., cap. II, p. 53, apud Galland., et in Commentar. in Apocalyps., p. 415, D, E, in Bibl. Patrum Lugdun.

(2) Id., in schol. in cap. I Apoc., p. 52, B, et comment. in Apoc., p. 414, H, in Bibl. patrum Lugd.

(3) I Petr., II, 9.

(4) Victorin., Fragm. de Fabrica mundi, apud Cave p. 149, et apud Galland., n. VI, p. 51, et non in hoc volumine.

(5) Victorin., schol. in Apoc., p. 61, C, apud Galland., et in hoc tomo, pag.

(6) Id., ibid., pag. 59.

(1) Id., ibid., pag. 55.

(2) Id., ibid., pag. 56, A. Interciderunt sicut alia pleraque hujus Theodori monimenta : de quo, quid tibi pro certo referam, inquit Gallandius in nota I, non habeo : nam quo minus eumdem Heracliensem, aut Antiochenum illum esse affirmem, ratio temporum refragatur.

(3) Victorin., in schol. in Apoc., pag. 55, D. Conf. Comment. Victor. in Apoc., p. 417, A, apud Bibl. Pat. Lugd., loc. cit.

(4) Id., ibid., p. 56, D, E, in hoc vol., pag. et Commentar. in Apoc., p. 417, F.

(5) Id., ibid., p. 59, A.

(6) Id., ibid., p. 55, C.

S. Victorini) (1) et hujus Filium Christum « ante originem sæculi apud Patrem genitum, hominem factum in anima vera et carne, utraque miseria et morte devicta, et in cœlos, cum corpore a Patre receptum, effudisse Spiritum sanctum, donum et pignus immortalitatis. »

Septem dona Spiritus sancti. — In fragmento de Fabrica mundi, de septem donis Spiritus sancti in hunc modum disserit (2) : « Hi septem Spiritus nomina sunt eorum Spiritus, qui supra Christum Dei requieverunt (*Isaiæ*, XI). Summum ergo cœlum sapientiæ, secundum intellectus, tertium consilii, quartum virtutis, quintum scientiæ, sextum pietatis, septimum timoris Dei. Hoc igitur verbum cum lucem fecit, sapientia vocatur; cum cœlum, intellectus : cum terram et mare, consilium : cum solem et lunam, cæteraque, clara virtus; terræ ac maris excitat scientia; cum hominem finxit, pietas : cum hominem benedixit,ac sanctificat, timor Dei nomen habet.»

Jejunium in Parasceve. Diei Dominicæ celebratio Sabbatumque in Dominicam mutatum. — Meminit etiam sanctus Victorinus celebrationis dominicæ, et mutati sabbati in dominicam, dum ita loquitur (3) : « Et ut ex ea re longius enarrem : Ecce quatuor animalia ante thronum Dei, quatuor Evangelia, quatuor flumina in paradiso fluentia, quatuor generationes populorum ab Adam usque ad Noe, a Noe usque ad Abraham, ab Abraham usque ad Moysen, a Moyse usque ad Christum Dominum Filium Dei : Die quinto terra et aqua fœtus suos ediderunt. Die sexto creata sunt, quæ deerant, ac sic Deus hominem de humo instruxit, Dominum omnium rerum, quæ super terram, et super aquam creavit : prius tamen angelos atque archangelos creavit. Hic dies sextus *Parasceve* appellatur, præparatio scilicet regni. Idcirco autem prius opera sua consummavit, quam angelos crearet, et hominem fabricavit, ne forte adjutores se fuisse falsa dictione asseverarent. Hoc quoque die *ob Passionem Domini N. Jesu Christi, aut stationem Deo, aut jejunium facimus.* Die septimo requievit ab omnibus operibus suis, et benedixit eum, et sanctificavit; idcirco, ut die Dominico cum gratiarum actione ad panem exeamus, et non cum Judæis sabbatum observare videamur, quia ipse Dominus est sabbati, Parasceve solemus supponere et sabbatum. Christus igitur sabbatum corpore suo resolvit. Jesus quoque Nave et ipse sabbatum resolvit; die enim sabbati præcepit filiis Israel, ut muros civitatis Jericho tubicinibus circumirent, et bellum Allophilis indicarent. Mathathias autem princeps Juda sabbatum resolvit; nam præfectum antiqui regis Syriæ sabbato occidit, et Allophilos sua persecutione subjecit. Quapropter verum illud sabbatum septem millia anni, in quo Christus cum electis suis regnaturus est. »

(1) Victorin., in Schol. in Apoc., p. 55, D. Conf. Comm., p. 417 et Comment. in Apoc., p. 59, A.
(2) Victorin., de Fabrica mundi, n. 5 et 6, apud Galland. p. 50, et in hoc tomo.
(3) Id., ibid., p. 49, n. 2 et 3.

Editiones operum S. Victorini Petavionensis. — Tractatum sancti Victorini, de Fabrica mundi, primus edidit Caveus, tom. I Hist. litter. de Scriptor. Eccles., pag. 103, Londini, in fol., 1689, recusum cum nonnullis notis criticis cl. Walkeri, Oxonii, 1740, et Basileæ, 1741, a pag. 148—151, in Historia litteraria Cavei. Atque hanc postremam in recudendo hoc Victorini fragmento secutus est editionem Gallandius in Bibliotheca veterum Patrum, tom. IV, p. 40—52, quam more suo in aliquot sectiones divisit, auxitque nonnullis observationibus.

Scholia S. Victorini Petavionensis in Apocalypsin, Bononiæ, in-8, a Basilio Millanio, 1558, primum edita, et a Gallandio in Bibliothecam veterum Patrum recepta fuere, vol. IV, pag. 52—64. Analysin horum duorum opusculorum exhibet indefessus P. Dominicus Schrammius, tom. VIII, a pag. 24—56.

Commentarius S. Victorini in Apocalypsin, cujus editionem primam hucusque ignoro (ita scribit cl. Alb. Fabricius, *Bibl. med. et infimæ latinitatis*, tom. VI, lib. 20, pag. 295, edit. Mansi, 1754, Patavii, in-4) illatus est postea in Bibliothecas patrum, Parisiensem, de anno 1644, a pag. 507, tom. I Lugdunensem, pag. 414 — 421, tom. III.

Carmina duo, *de Jesu Christo, Deo et homine* unum, alterum de *Pascha*, seu lignum vitæ inscriptum, in Gregorii Fabricii poetarum veterum ecclesiasticorum operibus christianis, pag. 761, impressa habentur.

Ad hæc falsa Victorino adscripta opuscula pertinet editio facta Gothæ sub prelo Reyher. p. Jo. Mich. Schallium, 1652, in-8. Sanctæ reliquiæ duum Victorinorum, pictaviensis unus episcopi martyris, afri alterius Caii Marii, rhetoris primum romani et consularis viri clarissimi conversi, deinde disputatoris subtilissimi, hoc est christiana eorumdem in prorsa (sit vitio typ. excusum) et versa oratione scripta : Illius quidem commentarius in Apocalypsin Joannis, et tria elegantissima de Jesu Christo Deo et homine, ejusque Pascha seu cruce, nec non de septem martyribus fratribus Macchabæis, carmina : hujus, etc. Omnia et singula cum notis et præfatione D. Andreæ Rivini (Prof. Lips.), qui suis sumptibus excudi fecit.

De viris Victorinis. — Pro Coronide hic animadvertendum, 1° quod eruditissimus Launoius in altera minore dissertatione annotet etiam (1); sub eodem nomine (scilicet Victorini) quinque diversos auctores insignitos fuisse; quorum primus est, opinionis Praxeæ assertor, cujus meminit Tertullianus (2); secundus vero iste, de quo hucusque actum : romanus quidam rhetor, de quo Augustinus (3), tertius numeratur : quartus autem fuit ille massiliensis, cujus mentionem facit Gennadius (4). Ultimus tandem sive

(1) Launoii opp., tom. II, p. 945, et seq.
(2) Tertullian., *de Præscript. Hæretic.*, cap. 53.
(3) August., lib. VIII, *confes.*, cap. 2.
(4) Gennad., *de script. eccles.*, cap. 60. Conf. Sidon. Ep. lib. V, Epist. 21. Floruit hic massiliensis, judice Caveo, anno 434.

quintus, orator quidam, cognomine Lampadius, de A quo commemorat Photius (1). Videsis hanc dissertationem. 2° Quod Gelasius, romanus Pontifex, Victorini opuscula inter apocrypha suo decreto recensuit (2); ea fortasse de causa, quod millenariorum errore aspersa essent, ut testatur Hieronymus pluribus in locis. Sed, judice doctissimo viro Christ. Frider. Schmidio (3) loca Hieronymi nos quidem exceptione majora haud dixerimus. Quamvis enim recte affirmari possit, scriptores, quos pungit Hieronymus, *chiliasmum* tenuisse, atque in eo describendo passim *a Joannea Apocalypsi* aberrasse: falsissimum tamen est, eosdem viros crassis illis opinionibus fuisse addictos, quas *Cerintho* affingere soliti sunt veteres, quasque Lardnerus (*Lardner., in der Glaubwurdigkeit der evangel. Geschichte, tom.* II, *P.* II, *p.* 649 *et seqq.*) male facilis, doctoribus orthodoxis cum Cerintho illo communes fuisse arbitratur.

LUMPER.

(1) Phot., in Bibl., cod. 101, p. 276.
(2) Lab., *Concilior.*, tom. IV, p. 1261 et Mansi, *Collect. Concilior.*, tom. VIII, col. 152.
(3) Chr. Frid. Schmid., *Historia antiqua et vindicatio Canonis*, p. 335, in not.

S. VICTORINI MARTYRIS,

PETAVIONENSIS EPISCOPI,

QUI VERGENTE AD FINEM SÆCULO TERTIO FLORUIT,

FRAGMENTUM.

INCIPIT TRACTATUS VICTORINI, DE FABRICA MUNDI.

COGITANTI [a] mihi, [b] una cum animo meo conferenti, de fabrica mundi istius, in quo clausi tenemur, etiam velocitas fabricæ istius hæc est; sicut in libro Moy- B sis continetur, quem de conditione ipsius scripsit, qui Genesis appellatur. Totam molem istam, Deus sex diebus in ornamento [c] majestatis suæ expressit, septimo quibus [d] benedictione [e]. . . consecravit. Idcirco igitur, quoniam septenario numero dierum et

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ms.* Cogitante *Gall.*
[b] *Forte* et *addend. Routh.*
[c] *Forte* Ornamentum *Routh.*
[d] *Forte* Quietus *Routh.*
[e] *Forte suppl.* Sua *Routh.*

COMMENTARIUS.

Tractatus Victorini de Fabrica mundi. Commentarioli edendi his verbis rationem reddit Guil. Cavius in *Hist. Lit.*, t. I, p. 147: « Extat penes me Victorini *tractatus* hactenus ineditus *de Fabrica Mundi*, quem ex vetusto codice bibliothecæ Lambethanæ descripsit vir cl. Henricus Mauritius, S T.P. Domino archiepiscopo a sacris domesticis, mecumque benigne communicavit. Et secunda jam vice ad finem ms. codicis recognovit vir doctissimus candidissimusque Joannes Batteley, doctor theologus ejusdem archiepisocpi sacellanus. Quis fuerit hic Victorinus, in cod. ms. non dicitur. Nostrum vero esse tum stylus, C tum res ipsa aperte clamant, præsertim cum in eo Chiliastarum error manifeste defendatur, quem Victorinum nostrum fovisse tradit Hieronymus (*de Script. Ill.*, c. 18). Videtur esse hic libellus ἀποσπασμάτιον quoddam ex *Comment.* vel in Genesin, vel in *Apocalypsin* decerptum, quod proinde tum propter venerandam antiquitatem, tum propter celerrimi martyris famam hic subjungam. Sic ergo habet codex Lambethanus, vitiose quidem in nonnullis, quæ sensum alicubi minus clarum reddunt. Conjecturas quasdam, quas prædicti doctores subministrarunt, in marginem conjecimus. » Hæc vir præstantissimus. Postea vero doctus illæ novæ editionis Historiæ Cavianæ adornator, non tantum opusculum istud repetendum curavit, sed et aliud præterea codicis Lambethani exemplum accurate descriptum adjecit, addita notitia ejus, quæ sequitur. » Codex hic ms. quem descripsit Henricus Mauritius, posteaque recognovit Joannes Batteley, uterque Domino archiepiscopo Cant. a sacris domesticis, codex est D mambranaceus in quarto bibliothecæ Lambethanæ, notatus ibidem, n° 90, vetustus sane, utpote qui 800, circiter annos habeat. Continet inter varios aliorum tractatus, hunc Victorini de Fabrica Mundi a p. 71, qui sine alterius codicis ope emaculari satis non potest, quod in aliis etiam libris, qui unico nituntur ms. codice, ut in Velleio Paterculo, Minucio, Arnobio, usu venit. Cum vero parum accurate descriptus antea et recognitus fuerit, denuo ad fidem ms. codicis recognovit vir cl. J. Walker S.T.P. et annotatiunculas insuper criticas in gratiam lectoris adjecit. » Accuratissimam autem postremam hanc recensionem fuisse mihi satis probavit ejusdem collatio cum codice ms., quam rogatu meo instituere dignatus est vir de patrio sermone litterisque humanioribus optime meritus Henricus Joan. Todd, qui domini archiepiscopi bibliothecam custodit. Ejusdem denique cl. Walkeri correctionibus, cujus merita in Ciceronem per Joannem Davisium satis nota sunt, symbolam addere meam constitui, nimirum ut purior, si non defæcata, evaderet sancti martyris oratio. Repetivit in tomo IV suæ *Bibliothecæ Patrum* Gallandius Walkeri et apographum et notas, inque sectiones opusculum ipse divisit. ROUTH.

Et una cum animo meo conferenti. Particulam *et* supplere ausus sum. ROUTH.

Velocitas fabricæ istius hæc est. Saltem verbo durius hoc est, haud tentandum tamen, cum tota oratio scabra sit et parum latina. ROUTH.

Conditione. Gloss. Vet. *Conditio*, κατάστασις. Hoc quidem loco pro *creatione* vox adhibita, sæpius quod ecclesiasticos scriptores poni solita est pro *re creata.* ROUTH.

Septimo... consecravit. Ms. *septimo quibus laborem*

cœlestia et terrestria reguntur, principii loco, de A hac septimam ad omnium septimanarium rigionum [a] metibor, et prout potuero, virtutis diem in eam [b] consummationem conabor exprimere.

In principio fecit Deus lucem, eamque duodenario mero horarum, die noctuque, divisit, idcirco videlicet, ut laboribus hominum requies [c] locum noctem dies superduceret, rursus dies supervinceret; hac se [d] alterna vice labor quetis [e] refoveretur, quies exercitatione rursus diei temperaretur. *Quarto die fecit duo luminaria in cœlo, majus et minus, ut alterum præesset diei, alterum nocti* (*Genes.*, I, 16, 17), solis et lunæ; cæteraque sidera posuit in cœlo, *ut lucerent super terram*, et discernerent tempora et annos et menses et dies et horas per stationes.

Nunc ratio veritatis ostenditur, quare dies IIII, tetras nuncupatur [f]; quare usque ad horam nonam jeju- B namus [g], usque [h] ad vesperam, aut superpositio usque in alterum diem fiat. Mundus itaque iste ex quatuor elementis constat, igne, aqua, cœlo, terra. Hæc igitur quator elementa temporum [i] tetradem faciunt. Sol quoque et luna per anni spatium quatuor tempora efficiunt, veris, æstatis, autumni, hyemis; et hæc tempora tetradem faciunt. Et ut ex ea re longius enarrem, ecce quatuor animalia ante thronum Dei (*Apoc.*, IV, 6). quatuor evangelia, quatuor flumina in paradiso fluentia (*Gen.*, II, 10), quatuor generationes populorum, ab Adam usque ad Noe, a Noe usque ad Abraham, ab Abraham usque ad Moysem, a Moyse usque ad Christum Dominum, Filium Dei; et quatuor animalia (*Apoc.*, IV, 7) hominis, vituli, leonis, aquilæ; et quatuor flumina (*Gen.*, II, 11), Fyson, Geon, Tygris, Euphrates. Homo Christus Jesus auctor eorum, quæ supra memoravimus, tetrade ab impiis comprehensus

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Forte* Septimana ad omnium septimanarum rationem *Walker. Routh.*
[b] *Forte* Divinæ *Routh.*
[c] *Forte* Requietis *Walker. Routh.*
[d] *Forte* Ac sic *Walker.*
[e] *Forte* Quiete noctis *Walker.*
[f] *Forte* Nuncupetur *Routh.*
[g] *Forte* Jejunemus *Routh.*
[h] *Forte* Aut usque *Routh.*
[i] *Forte delend.* Temporum *Walker.*

COMMENTARIUS.

Benedictione ::: *consegravit*, cum *c* super *g* scripto. Verba *quibus laborem*, transfixa sunt lineola a recenti manu; ex vestigiis scripturæ veteris sic restituo — septimo *quievit a labore* et benedictione consecravit. Sic infra, *die septimo requievit ab omnibus operibus suis, et benedixit eum*. WALKER. —Si hæ viri cl. correctiones in textum debeant recipi, ego quidem in ms. spatium relictum sit ante verbum *consecravit*, addendum putarim *eum*. Sed, ut verum dicam, longe recedere a litterarum ductu voces istæ videntur, ut malim eo *quietus* pro *quibus* reponere, et *sua* addere post *benedictione*. ROUTH.

Septimam..... regionum. Ms. *septimam ad omnium septimarium regionum*. Lego, *de hac septimana omnium septimanarum rationem* metibor. Infra, qui extra *ordinem septimanæ dispositionis* excessurus est. WALKERUS.

Virtutis diem in eam consummationem. Fortasse reponendum est, *virtutis* divinæ *consummationem*. Habes infra ad p. 306, l. 2. *Deus — opera sua consummavit*. ROUTH

Conabor. Gallandius ait: « Walkerus legebat *conamur*. Sed præcedentia *metibor—prout potuero—conabor* legendum suadent. Sic infra § 6, *ut mens parva poterit, conabor ostendere*. » In ms. quidem super litteram *o* posteriorem in *conamor* scripta est littera *u*, non a Walkero addita seu reposita. Habet Cavii apographum *conabor*. ROUTH.

Duodenario. *Duodecinario* ms. Correxerat Cavii apograph. ROUTH.

Requies — superduceret. Bene Walkerus *requietis* pro *requies*; Cavii apographum *superduceret* præbet pro *superduceret* lectione ms. ROUTH.

Hac se — temperaretur. *Hac* se alterna vice labor *quietis* refoveretur, Walkeri emendationes *ac sic*, et *quiete noctis*, commemoravi. *Ac sic* habes infra ad p. 305, l. 6. ROUTH.

Majus et minus—nocti. Sic correxit Cavianum apographum pro, majus *ut* minus ut alterum *præcessit* diei alterum *noctis*, et statim post, *cæteraque* pro *citheraque*, quod habet ms. ROUTH.

Et horas per stationes. In ms. legitur et *horis præstationes*. Conjecturam, quæ adposita erat ad Cavii marginem, recipi. ROUTH.

Dies IIII *tetras*, etc. Apud veteres christianos haberi sontæ sunt stationes, nempe religiosus cultus atque jejunium, tam quarta feria, quæ tetras vocabatur, quam sexta, parasceve dicta. Durabant autem istæ ad usque horam nonam, aut etiam ad vesperam; sed, re sic comparata, ut tempus producerentur, *jejunia* non stationes vocabantur, prout infra auctor ait. p. 306, l. 5, *Hoc quoque die* (sexto)— *aut stationem Deo*, aut *jejunium facimus*. Immo interdum, ut ostendit S. Victorinus, producebatur quartæ feriæ jejunium C in crastinum, quæ est *superpositio*. Vid. not. supra ad S. Dionysii, *ep. ad Basilidem*, vol. II, p. 419. Addendum *aut* ante *usque ad vesperam*. ROUTH.

Temporum tetradem. Monet delendum esse *temporum* Walkerus, quod ex sequentibus huc advectum est. Reposuerat *tetradem* pro *tetrade* Cavii apographum. ROUTH.

Ex ea re. Ita præclare, ait Walkerus, viri docti ad marg. Cavii pro *ex ære*. Igitur hoc recepi. ROUTH.

Quatuor generationes populorum, ab Adam, etc. Quid in mente inter hæc haberet Victorinus, haud capio, nisi quod tot sibi gentium origines in singulis istis quatuor genealogiis invenerit. ROUTH.

Et quatuor animalia, etc. Scil. in *Apoc.*, IV, 6, 7, per quæ quidem animalia vult signari quatuor evangelistas *Commentarius in Apocalyps.*, in *Biblioth. parisina patrum*, t. I, p. 1249, Victorino huic nostro adscriptus. Atque artis picturæ professores, dum evan- D gelistarum pingebant effigies, animalia eadem quasi symbola sive signa juxta eos ponere soliti sunt Immo Irenæus, lib. III, c. 11, gemina sectatus, quatuor tantum evangelia idcirco existere opportere, ostendere est conatus. Exciderit ne apud Victorinum vox *similia* post *animalia*, viso Joanne judices. ROUTH.

Euphrates. *Homo*. Legere vult Walkerus *et* Euphrates *Et* Homo. Sed priori quidem loco particula superflua esset, etsi in altero haud respuenda. Mox *auctor* pro *autor* ex ms. monente cl. Toddio, edidi. ROUTH.

Tetrade ab impiis. Ms. hic et paulo infra *tetradem* habet. Correxerunt et Cavii apographum, et Walkerus. Qui vero fiat, ut comprehensus esse dicatur Christus tetrade, seu quarta feria, vix intelligere me fateor. Gemina tamen habet Epiphanius in *Expos. Fidei Cathol.*, § 22: Συνάξεις, inquit, ἐπιτελούμεναι ταχθεῖσαί εἰσιν ἀπὸ τῶν ἀποστόλων. τετράδι καὶ προσαββάτῳ καὶ Κυριακῇ, τετράδι δὲ καὶ ἐν προσαββάτῳ ἐν νηστείᾳ ἕως ὥρας ἐνάτης. Ἐπειδήπερ ἐπιφωσκούσῃ τε-

est. Itaque ob captivitatem ejus tetradem [a] ob majestatem operum suorum, et [b] tempora humanitatis [c] salubria, frugibus læta, tempestatibus tranquilla, decurrant, ideo aut [d] superpositionem facimus.

Die quinto terra et aqua fœtus suos ediderunt. Die sexto creata sunt, quæ deerant; ac sic Deus hominem de humo instruxit, dominum omnium rerum, quæ [e] super terram et super aquam creavit. Prius tamen angelos atque archangelos creavit, quam hominem finxit, spiritalia terrenis anteponens. Prius enim lux, quam cœlum et terram [f]. Hic dies sextus parasceve appellatur, præparatio scilicet regni; Adam enim quem [g] ad imaginem et similitudinem suam consummavit. Idcirco autem prius opera sua consummavit, quam angelos creavit, et hominem fabricavit, ne forte adjutores se fuisse falsa dictione asseverant [h]. Hoc quoque die ob passionem Domini Jesu Christi aut stationem Deo, aut jejunium, facimus. Die septimo requievit ab omnibus operibus suis, et benedixit eum et sanctificavit. Hoc die solemus superponere; idcirco, ut die Dominico cum gratiarum actione ad panem exeamus. Et parasceve superpositio fiat, ne quid cum Judæis sabbatum observare videamur, quod ipse Dominus sabbati Christus per prophetas suos

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Forte* Tetrade et *Routh*.
[b] *Forte* Ut *Routh*.
[c] *Forte* Humanitati *Routh*.
[d] *Forte addend*. Stationem, aut *Routh*.
[e] *Legend*. quas.
[f] *Forte* Terra *Walker*.
[g] *Delet* Quem *Walker*.
[h] *Forte* Adseverarent *Walker*.

COMMENTARIUS.

τράδι συνελήφθη ὁ Κύριος, etc. Sed de consilio impio tum inito a Judæis ad rem sceleratam efficiendam verba interpretanda sunt; conf. *Marc.*, XIV, 1, quæ quidem Epiphanii verba, ut obiter hoc notem, inter ἀνέκδοτα Bibliothecæ coislinianæ male collocavit cl. Montfauconius. Vid. *Catalogi* Præfat., fol. 3, versa pagina, et p. 112, ubi tamquam si eadem fuerint Athanasii, afferuntur. Sed hoc misso, interpretationem meam firmat S. Petri Alexandrini Canon ultimus, qui hæc tradit : Οὐκ ἐγκαλέσει τις ἡμῖν παρατηρουμένοις τετράδα καὶ παρασκευὴν ἐν αἷς καὶ νηστεύειν ἡμῖν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως προστέτακται. τὴν μὲν τετράδα διὰ τὸ συμβούλιον ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ τοῦ Κυρίου· τὴν δὲ παρασκευὴν διὰ τὸ πεπονθέναι αὐτὸν ὑπὲρ ἡμῶν. τὴν γὰρ Κυριακὴν χαρμοσύνης ἡμερῶν, etc. Sic Canon restituendus, ut alii quoque monuerunt, ex vetustissimis mss. De observatione vero tetradis et parasceves, plura ibidem ad S. Petrum Alex. notabo. ROUTH.

Tetradem ob majestatem. Tetradem habet ms. cujus loco reponit *Tetrade*. Walkerus, sed ego tetrade, etc. ROUTH.

Et tempora..... decurrant. Delendam esse particulam *et*, ait Walkerus, et ex ejus sententia *decurrunt* pro *decurrant* scribendum est. Sed *ut* pro *et* malim legere, *humanitati* porro pro *humanitatis*. ROUTH.

Ideo aut [*stationem aut*] *superpositionem facimus*. Videsis quæ paulo ante ad col. 304, annotavi. ms. referente Walkeri apographo, *ideo aut superstitionem facimus*. Corrigitur ad Cavii marg *autem* pro *aut*, et in ipso apographo positum est *superpositionem* pro *superstitionem*, quod in ms. secundum Walkeri quidem recognitionem legitur, aliter vero se res habet teste cl. Toddio Propter illa quoque, quæ mox sequuntur ad lin. 2, p. 306. *Hoc die quoque—aut stationem Deo aut jejunium facimus*, illud ausus sum addere, quod in textu vides. ROUTH.

Ac sic Deus hominem. Quatuor hæc verba in cod. ms. ante illa *die sexto* ponuntur ; sed monente Walkero, verbis in hunc ordinem apud Cavianum apographum restitutis clara fiunt omnia. ROUTH.

Quam. Recte addita fuisse in apographo hæc conjunctio videtur. Paulo post statuitur, neque ante mundum conditum, nec diebus sextum antecedentibus angelos creatos fuisse, sed demum sexto die. Diversa tamen diversi sentiunt de re, quæ in sacris litteris vel haud omnino extat, vel certe haud liquido significatur. ROUTH.

Terram. Sic ms. et in margine Caviani apographi suppletum est *creavit*, sed Walkeri præfero emendationem. Interea de re ipsa ex principio libri *Genesis* aliud quid colligo, quam istud Victorinianum. Ante luminaria quidem cœlestia, quæ quarto die facta sunt, die primo lux creata est, sed non ante cœlum et terram; ἀδιοργανίστον, scripsit Julius Africanus in *Chronico* supra ad tom. II, p. 124, τέως (primo die) τὸ πρωτόκτιστον φῶς καὶ κεχυμένον. ROUTH.

Præparatio scilicet regni. Hoc est, sabbati magni, sive regni Christi, de quo infra aliquid videbis. ROUTH.

Quem. Addunt in margine Cavei : « Deest, *die sexto creatus est*. » Sed levi mutatione sic lego, Adam enim ad imaginem... consummavit. Deleto *quem*. WALKER.

Asseverarent. Hanc Walkeri emendationem commemoravi. Ms. habet *asseverant*. Cavianum apographum *asseverent*. Paulo supra ms. *crearet* pro *creavit*, quod in apographo correctum est. ROUTH.

Aut stationem Deo, aut jejunium, facimus. *Statio* hoc Victorini loco non solum pro collecta quæ vocatur, sed etiam pro abstinentia, posita est, et minus diuturna erat, ut ante dixi, quam jejunium. Illud enim ad usque vesperam durabat, neque stationis instar, hora nona concludebatur. Ita supra tradit auctor, die quarto a cibo abstinere solitum esse, aut ad horam usque nonam, aut ad vesperam, p. 303, l. 17. ROUTH.

Hoc die solemus superponere. Concil. Eliberitinum, can. XXXVI : *Errorem placuit corrigi, ut omni sabbato die* jejunii superpositionem *celebremus*. Tertullianus vero hunc morem jejunandi sabbato, quem romana saltem cum aliis christianis amplexa est Ecclesia, improbavit in libro *Adv. Psychicos*, cap. 14 : « Vos etiam (catholici) sabbatum si quando continuatis, nunquam, nisi in pascha, jejunandum secundum rationem alibi redditam. » Ita ille. Victorinus autem scribere pergit : « Et parasceve superpositio fiat, ne quod cum Judæis sabbatum observare videamur. » Quæ quidem verba ita interpretor : cum omnes dies festi, sole cadente, incipere solerent, oportebat christianos *superponere* jejunio diei sextæ quod ad vesperam durabat, ne cum Judæis, sabbato feriari solitis, sabbatum tamquam festum celebrare et observare viderentur. Supra de die quarto Victorinus dixerat : « Quare usque ad horam nonam jejunemus, aut usque ad vesperam, aut superpositio usque in alterum diem fiat. » Veruntamen Græci, aliique orientales, qui ex more antiquo observandi sabbatum, illo die non jejunare, nisi in pascha, consueverunt, negotium invertere, atque accusare Latinos judaizandi postea conati sunt. Ita Matthæus Blastares in *Syntagmate alphabetico*, Lit. A. p 9. de Sabbatio Sabbatianorum duce hæc habet, τῇ δὲ περὶ τὰ χείρω φιλοτιμίᾳ καὶ Ἰουδαϊκῶς σαββατίζειν ᾑρεῖτο, νηστείαν ἐν τούτῳ μετιών, καὶ τἄλλα παραπλησίως ἐκείνοις· καθὰ δὲ καὶ οἱ Λατῖνοι τανῦν. apud Beveregii *Synodicum*. Ubi mos jejunandi sabbato reprehenditur, non quod Judæi hoc die jejunare soliti sunt, qui contra epulabantur, sed quia

odisse animam suam dicit(*Is.*, I,13,14); quod sabbato[a] corpore suo resolvit : prius autem, cum ipse Moysi præciperet, ne circumcisio diem octavum præteriret, quæ die sabbato[b] plerumque incurrit, sicut in evangelio scriptum legimus (*Joan.*, VII, 22). Moyses prospiciens duritiam populi illius (*Mat.*, XIX, 8), idcirco die sabbati legebamus (*Ex.*, XVII, 9, 12; Col., II, 14), et seipsum crucifixit [c]. Et prælio quæ[d], ab allophylis sabbato (I *Mac.*, II, 31—41), ut caperentur, et velut severitatem [e] legis ad devetando [f] disciplinam formarentur.

Et ideo David in Psalmo sexto pro die octavo Domino[g] *rogat ne in ira, neque in furore* (*Ps.*, VI, 1), suo arguat eum, aut judicet; hic est enim revera futuri illius judicii dies octavus, qui extra ordinem septimanæ dispositionis excessurus est. Jesus quoque Nave, successor Moysis, et ipse sabbatum resolvit, die enim sabbati præcepit filiis Israel (*Jos.*, VI, 3), ut muros civitatis

LECTIONES VARIANTES.

a *Forte* Sabbatum *Walker*.
b *Forte* Sabbati *Routh*.
c *Forte* Levabat manus, et sic ipsum cruci fixit *Routh*.
d *Forte* Quærebantur *Routh*.
e *Forte* Severitate *Routh*.
f *Forte* Devitandam *Routh*.
g *Forte* Dominum *Walker*.

COMMENTARIUS.

tamquam sacrum diem incredulorum instar Judæorum Sabbatius atque Latini septimum observabant. ROUTH.

Quod sabbatum. Ms. quod sabbato. Lego quod sabbatum corpore suo resolvit. Sic infra WALKER. — Vid. Apostoli locum in *Epist. ad Ephes.*, II, 14, 15.

Quæ die. Scribendum monet Walkerus *dies* pro *die*, de qua tamen emendatione dubitandum est signatur, *Joann.*, VII, 23, ubi hæc sunt : *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus et in sabbato circumciditis hominem*. Adhibuit hoc loco auctor *plerumque* pro *sæpe*; nisi si aliud quid persuaserit tibi Epiphanii locus in *Hæres*, XXX, num. 32. — δείκνυται γάρ ὅτι οἱ περιτεμνόντες αὐτὸ τὸ γεννηθὲν ἐν σαββάτῳ, ἐὰν θελήσωσιν ἀκριβολογήσασθαι τὴν ὀγδόην ἡμεράν, εὑρίσκοντες εμπίπτουσαν ἐν σαββάτῳ, καὶ περιτέμνοντες ἔργον εἰργασάντο, καὶ τὸ σάββατον ἔλυσαν· ἐαν δὲ ὑπέρθωνθαι διὰ τὸ μὴ λῦσαι τὸ σάββατον, ἐνάτῃ λοιπὸν περιτέμνουσι τὴν περιτομήν, καὶ ἔλυσαν τὴν περιτομὴν, καὶ τὸν περὶ αὐτῆς τῶν ὀκτῶ ἡμερῶν ὅρον τοῦ προστάγματος. Ut dixisse censeatur Victorinus, circumcisionem *plerumque* fieri sabbato, si ille dies octavus fuerit a partu infantis. ROUTH.

Legebamus, etc., « Hæc omnia, » ait, Walkerus, « mendosissima sunt. » Ad marg. Caviani apographi annotatum est : « Deest fortasse *quod* ante *ipsum*, et forte legend. *prælioque* pro *prælio quæ*. » Plane quidem difficilis est loci emendatio, pro facultate mea tentanda. A Victorino enim, nisi fallor, *Exodi* cap. XVII, respicitur, ubi narratur : *Postquam dixisset Moyses ad Josue : Elige viros et egressus pugna contra Amalec.... cum levaret Moyses manus, vicisse Israel, sin autem paululum remisisset, superasse Amalec..... Fugavitque Josue Amalec et populum ejus in ore gladii*. Hoc autem die sabbati contigisse collegit sibi vir sanctus Victorinus ex stationibus fortasse in populi Israelis itineribus. Vel forte traditionem aliquam judaicam secutus. Lucem vero dabit loco, expositio quæ verborum Moysis facta est a Tertulliano in lib. III, contra Marcion. ut alios auctores omittam. « Jam vero Moyses quod utique tunc tantum, cum Jesus adversus Amalec præliabatur, expansis manibus, orabat residens, quando in rebus tum attonitis, magis utique genibus depositis et manibus cædentibus pectus, et facie humi voluntate orationem commendare debuisset, nisi quia illic ubi nomen Domini Jesu dimicabat, dimicaturi quandoque adversus diabolum, » crucis quoque erat habitus necessarius, « per quam Jesus victoriam esset relaturus, » c. 18. Hæc Tertullianus. Tum vero apostolus Paulus ita loquitur in *Epist. ad Coloss.* cap II, comm. 14 : *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis et ipsum tulit de medio, affigens* illud cruci. Porro, ut ex Machabæorum libro primo et capite secundo rem narrat Sabellicus, in *Hist. Sacr.* ex *Eneadibus ejus sumpt.*, lib. VI, pag. 279, ed. Lond., Ethnici Judæos « e montibus deducere sunt conati. Cæterum cum neque hortatione neque minis flecti potuissent, sabbatorum die quo Judæi, gentili instituto, pugnare prohibebantur, hostes montibus insinuati, nullis repugnantibus supra mille in speluncis ferro et igni crudeliter necarunt. Lata tum primum lex, ut sabbatis pro vita adversus hostes dimicare liceret. » Ad quæ respicit Victorinus, ni hic quoque fallor, in posteriori parte sententiæ. Quidni ergo satis bene ita procedat oratio? *Moyses prospiciens duritiam populi illius* (Israelis et Christo et novæ legi infensi, ac propterea rejiculi), *idcirco die sabbati* levabat manus, et sic ipsum *cruci fixit*. *Et prælio quærebantur ab allophylis sabbato, ut caperentur, et velut severitate legis ad devitandam disciplinam formarentur*, h. e. legem cæremonialem. Sequitur enim post cætera exempla allata istud veteri sabbato oppositum, *ut verum illud et justum sabbatum septimo milliario annorum observaretur*, p. 309, l. 8. Cæterum in ms. scribitur *i* super alterum *e* in *devetando*. ROUTH.

Die octavo. Annotatum est ad Caviani apographi marg. : « Titulus Ps. VI. est ὑπὲρ τῆς ὀγδόης. » Beda in *Hexaemero* : » Dictum enim est in titulo Psalmi in finem, in hymnis, pro octava psalmus David, quod de die judicii scriptum totus sequentis Psalmi textus docet, in quo iram venturi judicii timens propheta exclamat : « Domine, ne in judicio tuo arguas, neque in furore tuo corripias me, etc. » p. 21, t. IV, Operum Bedæ Basileæ editorum. Et diu ante Basilius Magnus in lib *De Spiritu sancto*, cap. 27, de die dominico, seu, τῇ μίᾳ τοῦ σαββάτου, ita scripserat : καὶ μία τοίνυν ἡ αὐτὴ, καὶ ὀγδόη, τὴν μίαν ὄντως ἐκείνην καὶ ἀληθινὴν ὀγδόην, ἧς καὶ ὁ ψαλμῳδὸς ἔν τισιν ἐπιγραφαῖς τῶν ψαλμῶν ἐπεμνήσθη, δι᾽ ἑαυτῆς ἐμφανίζουσα, την μετὰ τὸν χρόνον τοῦτον κατάστασιν, τὴν ἄπαυστον ἡμέραν τὴν ἀνέσπερον, τὴν ἀδιάδοχον, τὸν ἄληκτον ἐκεῖνον και ἀγήρω αἰῶνα. p. 56 ed. Benedictin. Iidem habet Asterius, *Homil. in Ps.* VI, apud Cotelerii *Eccles. græc. monumenta* tom. II. Τὸν ὑπὲρ τῆς ὀγδόης καὶ τῆς τῶν νεκρῶν ἀναστάσεως ψάλλων παρεκάλει, p. 56. Sed aliter plerique, interpretati sunt titulum istum. Confer interea *Concil. Carthag.* IV, de ipso octavo die, sive futuro sæculo; quod quidem dogma de octavo sæculo ab ipsis usque initiis Christianismi apud veteres invaluerat. ROUTH.

Qui extra ordinem septimanæ dispositionis, etc. Clemens Alex., *Strom.* VII, p. 866, ed Potteri : Μετά γ᾽ οὖν τὴν ἐν σαρκὶ τελευταίαν ὑπεροχὴν ἀεὶ κατὰ τὸ προσῆγου ἐπὶ τὸ κρεῖττον μεταβάλλων εἰς τὴν πατρῴαν αὐλὴν, ἐπὶ τὴν κυριακὴν ὄντως διὰ τῆς ἁγίας ἑβδομάδος ἐπείγεται μόνην. Et apud Tertullianum, *de Anima*, cap. 37, Theodoretumque, *Interpr. Psalm.*, p. 640, ed. Schulze, significat *ogdoas* cœlorum regnum, quod judicio supremo successurum est. ROUTH.

Jesus quoque Nave, etc. Quæ hic affertur proba-

Hiericho tubicinibus circuirent, et bellum allophylis indicarent. Matthias (Mathathias, *interp. Vulgat.*) autem princeps Judæ sabbatum resolvit; nam præfectum Antiochi regis Syriæ sabbato occidit (I *Macc.*, II, 26, 40, 41), et allophylos sua persecutione subjecit. Et apud Matthæum scriptum legimus; Esaias quoque et cæteri collegæ ejus sabbatum resolverunt (*Mat.*, XII, 3). Ut verum illud et justum sabbatum septimo milliario annorum observaretur. Quamobrem septem diebus istis Dominus singula millia annorum adsignavit, sic enim cautum est, *In oculis tuis, Domine, mille anni ut dies una* (*Ps.* LXXXIX, 4). Ergo in oculis Dei singula millia annorum constituta sunt, septem enim habeo oculos Domini (*Zach.*, IV, 10). Quapropter, ut memoravi, verum illud sabbatum, et septem millia anni [a] quo Christus cum electis suis regnaturus est. Septem quoque cœli sunt [b] illis diebus conveniunt; sic enim cautum est; *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Ps.*, XXXII, 6). Hi septem spiritus. Nomina sunt eorum spiritus, qui supra Christum Dei requieverunt, ut apud Esaiam prophetam cautum est. *Et requiescit super eum spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et virtutis, spiritus sapientiæ et pietatis, et replevit illum spiritus timoris Dei* (*Is.*, XI, 2. 3). Summum ergo cœlum sapientiæ, secundum intellectus, tertium consilii, quartum virtutis, quintum scientiæ, sextum pietatis, septimum timoris Dei. Ex hoc ergo, tonitrua mugiunt, flumina extenduntur [c] ignes conglobant, trabes ardentes apparent, sidera radiant, comæ horribilis curabitur [d]. Nonnunquam accedit [e] etiam sol et luna invicem visitantur [f]; atque illa ultra formi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Forte* Erit septimo milliario annorum, ut supra *Routh.*
[b] *Forte delend.* Sunt *Walker.*
[c] *Forte* Fulmina accenduntur *Walker.*
[d] *Forte* Cometæ horribilis cura agitur *Routh.*
[e] *Forte* Accidit ut *Routh.*
[f] *Forte* Visantur *Routh.*

COMMENTARIUS.

tio, cæteraque exempla atque argumenta adducta a Victorino pro futura sabbati abolitione, exstant ea omnia, si bene memini, tum apud Justinum martyrem, tum in Tertulliani opusculis. Hic tamen in lib. IV, cap. 12, *contra Marcionem* distinctione inter opus humanum sive *tuum* in Decalogi præcepto facta atque opus divinum, *ne tum quidem in arcæ circumlatione apud Jerichuntem sabbatum destructum fuisse*, statuit. ROUTH.

Antiochi. Cum monuisset legendum esse istud pro *antiqui* apographi Caviani margo, idem recepi. ROUTH.

Esaias quoque et cæteri collegæ ejus. Ubi dicuntur Esaias et cæteri prophetæ sabbatum solvisse? Sed tamen qui factum, ut irrepserit *Esaias* pro *David*, ratio me fugit. Apud *S. Matt.*, cap. XII, comm. 3, quærit a pharisæis Jesus: *Non legistis, quæ fecerit David, quando esuriit et qui cum eo erant?* Vid. *SS. Marc.* et *Luc.* Habet autem ms. *collegi*, unde legere vult cl. Walkerus *collegii*, sed apographum Cavianum hac quidem in re secutus sum. ROUTH.

Ut verum. Ms. et *verum*. Sed conjecturam virorum doct. ad Cavii apographum secutus sum. ROUTH.

Singula. *Singulis* fortasse legendum. Psalmi illud LXXXIX a Victorino adductum chiliastæ afferre solent. ROUTH.

Habeo oculos Domini. In margine Cavei, F. *habet oculos Dominus*. Sed recte *habeo*, id est, teneo, invenio. WALKER. — Zachariæ, cap. IV, comm. 10: *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram*. ROUTH.

Et septem millia anni. *Millia* Ms. Legendum videtur, *est*, vel *erit*, *septimo millenio*, vel potius, ut paulo supra, *septimo milliario annorum*. Sed Walkerus delendam esse monet tantum particulam *et*. Cæterum Victorinus post alios nonnullos patres septimum millennium regno Christi una cum sanctis ejus posthac celebrando attribuit, cui subsecuturum ultimum judicium ogdoasque; quæ tamen ipsa ogdoas ab aliis ad tempora Messiæ, sive adventum primum Christi relata est. ROUTH.

Sunt. Hoc monet delendum esse Walkerus. Ad septem quod attinet cœlos, de quibus nugatur Victorinus, verum est quod ait Origenes, lib. VI *Contra Celsum*, num. 21. Ἑπτὰ δὲ οὐρανοὺς, ἢ ὅλως περιωρισμένων ἀριθμὸν αὐτῶν, αἱ φερόμεναι ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ οὐκ ἀπαγγέλλουσι γραφαί. Idem ab Origene dictum ad fin. quoque num. 23. ROUTH.

Hi septem spiritus. Verba hæc a sequentibus distinguenda putavi; neque enim cum viris doctis, qui ad Cavii marginem nonnulla annotarunt, verba *eorum spiritus* in *eorum spirituum* mutarem. ROUTH.

Spiritus timoris. Ms. *spiritu timoris*, sed ita emendandum ait Walkerus post Esaiæ textum. ROUTH.

Tonitrua mugiunt, flumina extenduntur. In margine Cavii, F. *fulmina*. Lego, *fulmina accenduntur*. WALKER. — Plinius, *Nat. Hist.*, lib. II, cap. 38: *Hinc nubila, tonitrua et alia fulmina*. Ex hoc ergo, etc. h. e. ex cœlo timoris Dei. ROUTH.

Ignes conglobant. Dubito, utrum rescribendum sit, *ignes* se conglobant, an auctor hoc sensu verbum *conglobo* adhibeat, etsi elegantior oratio esset, si in sensum *procurationis* sive *expiationis* acciperetur. Vide Gesnerum in *Ling. Romanæ Thesauro*. ROUTH.

Comæ horribilis curabitur. Fortasse scribendum, *cometæ horribilis cura agitur*. Sed conjecit reponendum esse, *comæ horribiles currunt*, Samuelis Crellius. ROUTH.

Nonnunquam accedit etiam sol et luna invicem visitantur. Legerim, *nonnunquam accidit, ut etiam sol et luna invicem* (h. e. simul) visantur. In verbis porro, quæ sequuntur, forsitan reponendum est *aspectus* pro *aspectu*, et *efficiant* pro *efficiunt*. ROUTH.

Auctor autem totius creaturæ Jesus. Ms. *efficiunt*, *auctoritatem totius creaturæ justus*, etc. Hinc lego, efficiunt. *Auctor autem* totius creaturæ *istius; verbo* cognomen est. Vel, *Auctor autem* totius creaturæ *Jesus*. Sic supra, Homo Christus *Jesus autor* eorum. Vide Artemonium, id est, Samuelem Crellium, Præfat., pag. 21, ante initium Evangelii Joannis, etc., hæc perverse ad hypothesin suam trahentem, et corrumpentem. WALKER.—Ita ab Irenæo, vel fortasse etiam antiquiore aliquo Christiano, *pater generis humani* appellatur *Verbum Dei*. Vid. lib. IV, *Irenæi*, c. 31, al. 51, p. 259, ed. Massueti. Verba autem, *auctoritatem totius creaturæ* in Caviano apographo cum superioribus conjuncta sunt. Et vir cl. P. Wesselingius *Probab.*, cap. XIV, pag. 117, cum nondum edita erat egregia ista Walkeri conjectura, *juste* vel *justius* primitus scriptum fuisse pro *justus* statuit. Cum vero propter Victorini verba, quæ supra ad pag. 305 habentur, Walkeri posteriorem illam emendationem præferendam duxerim, ipsam haud dubitavi huic loco apponere. Si quis tamen maluerit alteram illam, *auctor totius autem creaturæ* istius, reponendum mihi quidem videretur, *auctori autem*, pro *auctoritatem*. *Istius* op-

bilia, lumine radiantia in acie aspectu ejus[a], efficiunt[b]. A Auctoritatem totius creaturæ justus[c]; Verbo cognomen est ei, sic enim dicit pater ejus, *Eructatum est*[d] *cor meum verbum bonum* (*Ps.*, XLV, 1). Joannes evangelista sic dicit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum : omnia per ipsum facta sunt, et sine eo factum est nihil* (*Joan.*, I. 1, 2, 3). Ergo primus factus creaturæ[e] est, secundus hominis[f] humani generis, ut ait apostolus (I *Cor.*, XV, 45, 47). Hoc igitur Verbum, cum lucem fecit, sapientia vocatur; cum cœlum, intellectus; cum terram et mare, consilium; cum solem et lunam cæteraque clara, virtus; cum terram ac mare excitat, scientia; cum hominem finxit, pietas; cum hominem benedicit et sanctificat, timor[g], Dei nomen habet.

Ecce septem cornua agnuli (*Apoc.*, V, 6), septem oculos Dei (*Zach.*, IV, 10); septem oculi (*Apoc.*, V, 6) stagnei[h] septem spiritus (*Apoc.*, IV, 5); septem faces ardentes ante thronum Dei (*Apoc.*, IV 5); septem candelabra aurea (*Apoc.*, I, 13); septem oviculæ (*Levit.*, XXIII, 18); septem mulieres apud Esaiam (*Is.*, IV, 1); septem ecclesiæ apud Paulum, (*Act.*, VI, 3), septem diacones; septem angeli (*Plus semel Apoc.*), septem tubas[i] (*Jos.*, VI, *vel Apoc.*, VIII); septem signacula libri (*Apoc.*, V, 1.) septem septimanæ, quibus pentecoste concluditur; septem septimanæ apud Danielem (*Dan.*, IX, 25); item quadraginta tres septimanæ apud Danielem; apud Noe septem omnia munda in arca (*Gen.*, VII. 2); septem vindictæ de Cain (*Gen.*, IV, 15); septem anni remittendi debiti (*Deut.*, XV, 1); lucerna cum septem orificiis (*Zach.*, IV, 2); septem columnæ sapientiæ in domum[j] Salomonis (*Prov.*, XI, 1).

Nunc igitur de inerrabili gloria Dei in providentia videas memorari; tamen, ut mens parva poterit, conabor B ostendere. Ut Adam illum per septimanam reformaverit, atque universæ suæ creaturæ subveniret[k], nativitate filii sui Jesu Christi Domini nostri factum est. Quis itaque lege Dei doctus, quis plenus Spiritu sancto, non respiciat corde, ea die Gabriel

LECTIONES VARIANTES.

a *Forte* Aspectus *Routh*.
b *Forte* Efficiant *Routh*.
c *Forte* Auctor autem totius creaturæ Jesus *Walker*.
d *Forte* Eructavit *Routh*.
e *Forte* Creatura *Routh*.
f *Forte* Homo Dominus *Routh*.
g *Forte* Timoris *Routh*.
h *Forte* Sunt agni *Cavii marg*. Septem oculi *Delend. censet. Walker*.
i *Forte* Tubæ *Routh*.
j *Forte* Domo *Walker*.
k *Forte* Subvenerit *Walker*.

COMMENTARIUS.

taverat quidem Crellius pro *justus* reponere, ut emendaret, *istius verbo cognomen est ei*, id est ei verbo, C quod supra memoravimus, cognomen est verbum Dei. Etenim cum ad hoc probandum, Christi verbum Dei nominari, adducat Victorinus locum Joan., I, 1, sequeretur eum legisse, *et Dei erat verbum*. Ita Crellium locum refinxisse, et argumentatum esse, mihi retulit, antequam Crellii librum vidissem, Baraterius, in *Anti-Artemonio*, seu *Initio Evangelii Joannis Vindicato*, part. I, cap. 16, § III, p. 110, ubi ipse legendum proponit : *Isti verbo cognomen est Dei*. ROUTH.

Eructatum est cor meum verbum bonum, LXX. Ἐξερεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν. Vulgata quidem habet. *Eructavit cor meum verbum bonum*. Nihilominus an Victorinus, qui, auctore Hieronymo, supra ad pag. 234, non æque latine ac græce noverat scribere, *eructatum est* pro *eructavit* posuerit, an potius, cor eructatum esse intellexerit, alii judicent. ROUTH.

Ergo primus factus, etc. Repositum ad marg. Cavii est, *Dominus* pro hominis. Amplector emendationem, totum vero locum ita legere velim. *Ergo primus factus creatura est, secundus* homo Dominus *humani generis, ut ait apostolus*. Scilicet in *Ep.* I *ad Cor.* XV, 43, 47. Mox ad l. 3, p. 240, verba exstant, *ut Adam illum per septimanam reformaverit, atque universæ* suæ *creaturæ subveniret*.

Hoc igitur Verbum — timor Dei nomen habet. Walkero teste, voces quæ sequuntur, ita in Ms scriptæ fuerant, emendante eas Cavii apographo : *cœlu* pro *cœlum*, *terra* pro *terram*, *sole et luna* pro *solem et lunam*, *cum terræ ac maris* pro *cum terram ac mare*; *homine* pro *hominem*. Sed recentiori manu litteram *m* super pleraque hæc verba scriptam fuisse in ipso codice, testatur cl. Toldius. Ego interim *timoris* pro *timor* malim legere. ROUTH.

Cornua. *Cornuta*, ms. correxi post *Apoc.*, V. 6. ROUTH.

Apud Paulum. Pro *Paulum* margo editionis Cavei habet. F. *Apocal.*, sed male, et recte *Paulum*; Cyprianus de Exhortatione Martyrii, pag. 125, ed. Amstel. : « Apostolus Paulus qui hujus legitimi numeri et certi meminit, ad septem ecclesias scribit. » Vide et alia ibidem hunc locum illustrantia. WALKER. — Fragmentum *De Canone S. Scripturæ*, quod primus edidit in *Antiquitatibus Medii Ævi* cl. Muratorius, hæc habet : « Cum ipse beatus apostolus Paulus sequens prædecessoris sui Joannis ordinem, nonnisi nominatim septem ecclesiis scribit ordine tali, ad Corinthios, etc. » ROUTH.

Septem diacones. Cons. notam ad Cornelii Fragmenta de numero diaconorum. De scriptura autem *diacones* Vossius in lib. *De vitiis sermonis* : « *Diacones et diaconibus* crebrum est scriptoribus ecclesiasticis etiam antiquis. Sed hos pietatis potius habemus magistros quam latinitatis. Elegantiores igitur semper *diaconus* dicunt, ut græce est διάκονος. » Lib. I, cap. 20. p. 82. Tertullianus vero Cyprianusque, quod ego meminerim, fere semper habent *diaconi*, dum res, fateor, se aliter habet in epistolarum cyprianicarum *inscriptionibus*, et ubi narrat Cyprianus in *Epistola ad Successum*, quæ est D Epist. 80, vel 82 : « Valerianum Imp. ad senatum rescripsisse, ut episcopi et presbyteri et *diacones* incontinenti animadvertantur. » Unde videtur nomen *diacones* eo tempore usitatius ac vulgatius fuisse. ROUTH.

In domo Salomonis. Sic legendum monet Walkerus pro *in domum S*. Qui septem sacramenta in Ecclesia esse statuunt, ut obiter id notem, plurima horum septenariorum numerorum in medium solent adducere, ut rem vel firment, vel illustrent. ROUTH.

Ut Adam illum, etc. Walkerum monentem verba hæc cum sequentibus, *nativitate filii sui*, etc., conjungi debere, non cum prioribus, secutus sum : is porro *subvenerit* pro *subveniret* vult reponere. *Nativitate* pro *nativitatem* correxerat Cavii apographum. Per *sanctam* autem *hebdomadam*, sive diversos bonitatis profectus, procedendum esse præcepit Clemens Alex., supra, ad p. 250. ROUTH.

Ea die Gabriel angelum Mariæ, etc. Quomodo hæc atque cætera hujuscemodi sibi collegerit Victorinus,

angelum Mariæ virgini evangelizasse, qua die draco Evam seduxit; ea die Spiritum sanctum Mariam virginem inundasse, qua lucem fecit; ea die in carne esse conversum, qua terram et aquam fecit; ea die in lacte esse conversum, qua stellas fecit; ea die in sanguine, qua terra et aqua fœtus suos ediderunt; ea die in carne esse conversum, qua die hominem de humo instruxit; ea die natum esse Christum, qua hominem finxit; eadem [a] die esse passum, quo [b] Adam cecidit; ea die resurrexit [c] a mortuis, qua lucem fecit Humanitatem quoque suam septenario numero consummat, nativitatis, infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, juventutis, perfectæ ætatis, occasum [d]. Judæis quoque humanitatem suam etiam his modis ostendi, cum esurit, sitit, cibum potumque dedit, cum ambulat, eas esse scit [e], cum super cervicalem [f] dormivit (*Marc.*, iv, 38); cum autem freta aut procella [g] pedibus ingreditur, ventis imperat, ægros curat, et claudos reformat, cæcos eloquentia instituit [h] videte Dominum se esse nuntiari ejusdem [i].

Duodenario numero dicere [j] ut supra memoravi, per duodenas horas bifarie divisus est lucis et noctis, per has namque horas, menses et anni et tempora et sæcula computantur. Constituta [k] sunt itaque sine dubio autem [l] diei angeli duodecim, noctis angeli duodecim, pro numero scilicet horarum. Hi sunt namque xxiiii testes dierum et noctium (*Apoc.*, iv, 4), qui sedent ante thronum Dei, coronas aureas in capitibus suis habentes, quos in [m] Apocalypsis Joannis apostoli et evangelistæ seniores vocat, idcirco quia seniores sunt et aliis angelis et hominibus.

EXPLICIT TRACTATUS VICTORINI DE FABRICA MUNDI.

Primus ex codice Lambethano edidit Gul. Cavius *in* (*Historia Litter.*, *tom.* i, *p.* 148.)

Interpretationem quæ sequitur, *Esaiæ*, c. vi, comm. 2, *commemorat S. Hieronymus*, *epist. ad Damasum*, t. iii, p. 518, *ed. Martianæi.*

Sex alæ uni (ex Seraphim), *et sex alæ alteri* (*Isa.* vi, 2), Victorinus noster duodecim apostolos interpretatus est.

De S. Victorini Interpretatione Ecclesiastis, *c.* iv, *comm.* 13, *ita S. Hieron.*, *Comm. in Ecclesiast. ad loc.*, *t.* ii, *p.* 741.

Origenes et Victorinus non multum inter se diversa senserunt. Post generalem enim illam sententiam, quæ omnibus patet, quod melior sit adolescentulus pauper et sapiens, quam rex senex et insipiens, et quod frequenter evenit, ut ille per sapientiam suam etiam de carcere regis egrediens imperet pro dominatore perverso; et rex insipiens perdat imperium, quod tenebat: super Christo et Diabolo hunc locum interpretati sunt, quod puerum pauperem et sapientem, Christum velint puerum, juxta illud, magnum tibi est vocari te puerum meum (*Isa.*, xlix, 6); pauperem vero, quia pauper factus est, quum dives esset (II *Cor.*, viii, 9); et sapientem, quia proficiebat ætate et sapientia et gratia apud Deum et homines (*Luc.*, ii, *comm. ult.*). Iste natus est in regno senis, etc.

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Forte* Ea *Walker.*
[b] *Forte* Qua *Walker.*
[c] *Forte* Resurrexisse *Walker.*
[d] *Forte* Occasus *Walker.*
[e] *Forte* Et secessit *Routh.*
[f] *Forte* Cervical *Routh.*
[g] *Forte* Procellosa *Deleto* aut *Routh.*
[h] *Forte excidit* Surdos facit audire, et mortuos restituit *Routh.*
[i] *Forte* Nuntiare eisdem *Routh.*
[j] *Forte* Dies *Routh.*
[k] *Forte* Constituti *Walker.*
[l] *Delend.* Autem *ait Walker.*
[m] In *delend monet Walker.*

COMMENTARIUS.

perinde atque alii veteres tractatores et chronologi, vix operæ pretium est, ut quis ostendat. Paulo post in Cavii apographo positum est *mundasse* pro *inundasse*. Routh.

Ea die in carne esse conversum, qua terram, etc. Non conveniret hoc cum illo ad lin. 13, *ea die in carne esse conversum, qua die hominem de humo instruxit*, quod factum esse ostenditur libro *Genesis* die sexto, dum terra et aqua die tertio apparuisse dicuntur, nisi aias Christi incarnationem in utero B. Virginis hæc quidem intelligi debere. Confer verba paulo supra ad lin. 9, et not. in Fragment. I *Chronici Africani*, vol. ii, pag. 239. Routh.

Qua terra et aqua fœtus suos ediderunt. Hoc factum die quinto esse dicitur ad p. 236, l. 28. At vero sua edidisse aqua quidem traditur die quinto, terra autem die sexto. Routh.

Ea die esse passum, qua Adam cecidit. Lapsum esse Adam eo ipso die, quo illum creavisset Deus, omnes fere statuunt. Routh.

Occasus. De morte vox interdum adhibetur. Routh.

Eas esse scit. For. scribendum, *et secessit.* Vox enim *secessit* vet. latino interpreti solennis. Verbi causa, *Cum autem audisset Jesus, quod Joannes tradi tus esset*, secessit (ἀνεχώρησεν) *in Galilæam* (*Matt.* iv, 12). Sed ad Cavii marginem legendum esse conjicitur *spicas* pro *eas*. Mox *cervical* legendum puto pro *cervicalem*, et *freta procellosa*, pro *freta aut procella*. Routh.

Cæcos eloquentia instituit. Eloquentiam Ms., et *clodos* antique pro *claudos*. Dixerat, *claudos reformat*, statim ante istud, *cæcos eloquentia instituit*. Hic vero propter septenarium numerum, de quo tot Victorinus habet, vix dubito quin hujusmodi quædam ille addidisset, *surdos facit audire, et mortuos restituit*. Conf. *Luc.*, vii, 22. Interea Melito sardensis in fragmento *Libri de Incarnatione Christi* ita scribit: Θεὸς γὰρ ὢν ὁμοῦ τε καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὁ αὐτὸς, τὰς δύο αὐτοῦ οὐσίας ἐπιστώσατο ἡμῖν· τὴν μὲν θεότητα αὐτοῦ διὰ τῶν σημείων ἐν τῇ τριετίᾳ τῇ μετὰ τὸ βάπτισμα, τὴν δὲ ἀνθρωπότητα αὐτοῦ, ἐν τοῖς τριάκοντα χρόνοις τοῖς πρὸ τοῦ βαπτίσματος. Routh.

Nuntiari ejusdem. Duodenario numero dicere. Locum mendosissimum ita emendes: *Nuntiare eisdem. Duodenario numero dies.* Lectorem enim ad initium commentarioli sui ad p. 305, l. 5, mittit auctor. Routh.

Computantur, etc. Ms. *computantur constituta sunt. Itaque sine dubio autem diei.* Walkerum verba inter se aliter distinguentem, et *constituti* scribentem, deleto *autem*, magis sequendum esse duco, quam viros doct. ad Cavii marg. qui partic. *et* addunt ante *constituta sunt*. Routh.

Quos [*in*]. Delendum ait *in* Walkerus. Minus recte *apocalypsi* in apographo Caviano exstat. Routh.

Sex alæ, etc. Victorinum, quem hoc loco propterea appellat *nostrum* Hieronymus, quod e scriptoribus

De Victorino ita scribit S. Hieronymus, Advers. Helvidium, t. iv, p. 141. A

De Victorino id assero, quod et de Evangelistis, fratres eum dixisse Domini, non filios Mariæ : fratres autem, eo sensu, quem superius exposuimus, propinquitate, non natura.

De Sententia quadam Victorini, aliorumque, ita S. Hieron. De Viris Ill., c. 18.

Hic (Papias) dicitur mille annorum judaicam edidisse δευτέρωσιν, quem secuti sunt Irenæus et Apollinarius et cæteri, qui post resurrectionem aiunt in carne cum sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in libro de Spe fidelium, et *Victorinus Petabionensis*, et Lactantius hac opinione ducuntur. B

De eadem Sententia ita S. Hieron. Comm. in Ezech., c. 36, t. iii, p. 952.

Neque enim juxta judaicas fabulas, quas illi δευτερώσεις appellant, gemmatam et auream de cœlo expectamus Hierusalem, nec rursum passuri circumcisionis injuriam, nec oblaturi taurorum et arietum victimas, nec sabbati otio dormiemus. Quod et multi nostrorum, et præcipue Tertulliani liber, qui inscribitur de Spe fidelium, et Lactantii institutionem volumen septimum pollicetur ; et *Victorini Petabionensis* episcopi crebræ expositiones ; et nuper Severus noster in dialogo, cui Gallo nomen imposuit. Et ut Græcos nominem, et primum extremumque conjungam, Irenæus et Apollinarius.

COMMENTARIUS.

Ecclesiasten inter alios S. Scripturæ libros, ait idem Hieronymus *De Viris Illustr.* a me huic fragmento præfixus. ROUTH.

Senis, etc., etc. Cum non constet, utrius tandem sint verba istæc, Origenis an Victorini, plura hic transcribere supersedeo. ROUTH.

De Victorino id assero, etc. Helvidius, dum perpetuam oppugnabat S. Mariæ virginitatem, Victorini verba quædam adduxerat. ROUTH.

Commentarium (1) scripsisse Victorinum in Joannis Apocalypsin, tradit Hieronymus supra *De Viris ill.*, p. 233. Ad tractatum autem quod attinet in tomo i *Bibliothecæ patrum parisinæ* editum, qui Victorini nomine inscriptus est, dicendum cum Tillemontio, *Mem. Eccl.*, tom. v, not. 2, in S. Victorin. Lardneroque *De Evang. Fide.* part. ii, lib. i, cap. 56, p. 196, etc., interpolatum quidem eum librum fuisse, et nonnullis in locis mutatum, sed majorem tamen partem ejus a Victorino revera scriptum, idque eo magis, quod in plurimis rebus commentarius iste cum illo *De Fabrica Mundi* fragmento, post Cavium nunc edito, pulchre conveniat. Confer et Ceillier, *Histoire générale des Auteurs sacrés et ecclésiastiques*, tome iii, cap. 21, § 3, p. 346. C

Age vero, breviora quædam *Scholia* Victorini *in Apocalypsin* quasi post liminio jam reducta sunt a Gallandio, quæ primus ex casinensi codice ediderat Basilius Millanius monachus casinas, Bononiæ, anno 1558. Aitque Gallandius, in *Bibliothecæ patrum* suæ t. iv, p. 6, se nullum dubitari, si viris doctis perspecta hujusce opusculi editio unica adeoque, perrara fuisset, « quin *Scholia*, tamquam genuinum Victorini fetum excepissent; agnovissentque simul subdititium omnino esse, utpote mire interpolatum, Commentarium illum in Apocalypsin, qui sub ejus nomine in patrum Bibliothecis circumfertur. » Sic ille. Quanquam vero vestigia antiquioris doctrinæ in his brevioribus scholiis subinde deprehendi, interpolata tamen isthæc ab aliquo male feriato fuisse mihi videbantur, si modo eadem ad Victorinum tertii sæculi scriptorem vere pertinerent. Extat in illis ad comm. 14, cap. i, Apoc. : *Caput autem ejus et capilli erant albi*, etc., interpretatio ista : *In capillis albis* abbatum *est multitudo* Iterum ad comm. 18, cap. xiii : *Numerus ejus nomen hominis, et numerus ejus sexcenti sexaginta sex*, post multa alia hoc additum est : *Item aliud ejus* (antichristi) *nomen gothice, quod per se liquebit, id est*, Γενσηρικὸς, *quod eodem modo græcis litteris computati* γ', *tres*, ε', *quinque*, etc. Significatur autem Gensericus Vandalorum rex, qui sæculo quinto catholicos in Africa vexarat. Alia mitto, sed notes lector, quæso, in eodem opusculo non tantum quod in fine adversus chiliastas scriptum extat, sed scholia adi in totum caput vicesimum eorumdem sententiæ opposita ; etsi, prout de altero commentario agens olim notavit Cavius, Victorinus in commentario suo, Hieronymo id diserte tradente, chiliastarum errori faverit, idemque profecto in fragmento, quod superest, *De Fabrica Mundi*, fecerit. Sed hæc hactenus. Poematum, quæ Victorino nonnulli attribuerunt, nullum pari gaudet testimonio atque breve illud carmen adhuc extans *de Cruce Domini* vel *de Paschate*, inscriptum, cujus duos priores versus Victorino adscripsit Beda venerabilis in libello *de Locis Sanctis*, cap. 3, pag. 489, tom. iii, ed. Basil. : « .... Qua ductus opinione, » inquit Beda, « Victorinus Pictaviensis antistes Ecclesiæ, de Golgotha scribens ita inchoat : »

> Est locus, ex omni medium quem credimus orbe,
> Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt.

D Verumtamen sententiæ illorum haud refragor, qui propter styli differentiam a Victorino carmen abjudicare velint ; nam latine loqui auctor poematis videtur, id quod de Victorino in tractatu *De Fabrica Mundi* vix dicendum. Facultas enim pure et emendate scribendi in cumulum sancti martyris laudum, teste pluribus locis Hieronymo, non accessit.

(1) Quamvis admiserimus Victoriniana scholia quæ hic noster respuit commentator, melius tamen visum est nobis notare quæ de scholiis in Apocalypsin Routh censuerit.

SANCTI VICTORINI

EPISCOPI PETAVIONENSIS ET MARTYRIS

SCHOLIA IN APOCALYPSIN BEATI JOANNIS (1).

INCIPIT EXPOSITIO.

EX CAPITE PRIMO.

1. *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus et ostendit servis suis quæ oportet fieri cito, et significavit. Beati qui legunt et qui audiunt sermones hujus prophetiæ, et servant quæ scripta sunt.* Principium libri beatitudinem legenti, atque audienti, et servanti promittit, ut lectioni studens exinde opera discat, et præcepta custodiat.

4. *Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est. Est*, quia permanet. *Erat*, quia cum Patre omnia fecit, et nunc ex virgine initium sumpsit. *Venturus est*, utique ad judicandum.

Et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt. Septiformem spiritum in Esaia legimus (*Esa.*, XI, 2), *spiritum* videlicet *sapientiæ et intellectus*, *consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, spiritum timoris Domini.*

5. *Et ab Jesu Christo qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum.* In homine suscepto perhibuit testimonium in mundo, in quo etiam passus, suo nos sanguine solvit a peccato, ac debellato inferno, primo resurrexit a mortuis, et *mors ultra ei non dominabitur* (*Rom.* VI, 9) : ipso autem regnante mundi regnum destructum est.

6. *Et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo.* Id est omnium fidelium Ecclesiam, sicut Petrus quoque apostolus dicit : *Gens sancta , regale sacerdotium* (I *Petr.*, II, 9).

7. *Ecce veniet cum nubibus, et videbit eum omnis oculus.* Qui enim primo in suscepto homine venit occultus, post paululum in majestate et gloria ad judicandum veniet manifestus. Quid autem dicit?

12. *Et conversus vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio*
A *hominis.* Similem dicit post mortem devictam, cum ascendisset in cœlos, adunatam in suo corpore cum spiritu gloriæ suæ, quam recepit a Patre potestatem.

13. *Quasi filium hominis ambulantem inter medium candelabrorum aureorum.* Inter medium dicit ecclesiarum, sicut in Salomone dicitur : *Inter semitas justorum ambulabo* (*Prov.* VIII, 20), cujus antiquitas est immortalitas, et majestatis origo.

Vestitum talari. In veste talari, id est sacerdotali, carnem quæ corrupta est (2) ad mortem, et habet per passionem sacerdotium, apertissime traditum.

Et præcinctus erat ad mamillas zona aurea. Mamillæ ejus duo sunt Testamenta, et zona aurea chorus sanctorum est, ut aurum per ignem probatum. Aliter, zona aurea accincta pectori conflatam conscientiam,
B et purum spiritualemque indicat sensum, qui traditus est ecclesiis.

14. *Caput autem ejus et capilli erant albi tamquam lana alba et tanquam nix.* In capite candor ostenditur, *Caput autem Christi, Deus est* (I *Cor.*, XI, 3). In capillis albis abbatum est multitudo (3), lanæ similes propter oves simplices, nivi, propter innumerabilem turbam candidatorum de cœlo doctorum.

Oculi ejus sicut flamma ignis. Præcepta Dei sunt quæ credentibus ministrant lumen, incredulis autem incendium.

16. *In facie autem ejus claritas ut sol. Claritas* quod dixit, apparitio illius fuit, qua locutus est hominibus facie ad faciem. *Solis* autem gloria minor est, quam gloria Domini ; scilicet propter ortum et oc-
C casum, et rursum ortum, quod natus sit et passus et resurrexit. Ideo dedit similitudinem scriptura, assimilans faciem ejus gloriæ solis.

15. *Pedes ejus similes aurichalco tanquam in for-*

COMMENTARIUS.

(1) Hæc Scholia S. Victorini, Bononiæ, anno 1558, primus edidit Basilius Millanius monachus Casinas ex ms. codice bibliothecæ Casinensis, qui et adnotationes adjecit. Hanc omnium primam editionem typis excudendam curavimus : mire siquidem interpolatæ, quæ in bibliothecis Patrum occurrunt.

GALLAND.

(2) *Carnem quæ corrupta est.* Hunc locum, nisi quid quispiam afferat melius, ita cuperem emendari : *Carnem quæ corrupta non est in morte, et habet per passionem sacerdotium, apertissime tradunt.*

(3) *Abbatum est multitudo.* Opusculum sane doctum et utile, si universum attendas, et de quo amare auctorem, et ei debere te plurimum lubens fateare. Sed alicubi ita friget, ut vix illud homine docto dignum censeas, et in dubium auctorem voces, quod interdum videatur recentioris cujuspiam hominis non admodum eruditi commentationem redolere : ut heic in *abbatum* appellatione. Nam quo tempore Victorinus floruit, Antonius primus abbas paulo anterior fuerat, nisi quis dixerit monachismum usque eo ardenter homines complexos eo tempore fuisse, ut plerique abbates exstiterint. Quid quod *abbatorum* etiam scriptum reperi ? nisi quis forte
D judicet *albatorum* legendum esse : quam suspicionem mihi satis fuerit indicasse, cum nullam certam in tanta rei et corrupti exemplaris ignoratione rationem assignare queam.

nace conflato. Pedes apostolos dicit, qui, per passionem conflati, in universo orbe verbum ejus prædicaverunt; per quos enim ambulavit prædicatio, merito pedes nominavit. Unde et propheta anticipavit dicendo : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* (*Psalm.* CXXXI, 7). Quoniam ubi illi primum steterunt, et Ecclesiam confirmaverunt, id est in Judæa, ibi omnes sancti conventuri sunt, et Dominum suum adoraturi.

16. *Et ex ore illius gladius ex utraque parte acutus procedens*. Per gladium bis acutum de ore ipsius emicantem ostenditur, ipsum esse, qui et nunc evangelii verbum, et prius per Mosen legis notitiam universo orbi protulit. Sed quia ex eodem verbo in omne genus humanum, tam Novi quam Veteris Testamenti B vindicaturus est; ideo bis acutus commemoratus est. Gladius enim militem armat, gladius hostem interficit, gladius desertorem punit. Et ut ostenderet apostolis quod judicium annuntiabat, ait : *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.*, X). Et postquam consummaverat parabolas ait ad illos : *Intellexistis hæc omnia? Et dixerunt, ita. Et adjecit : propterea omnis scriba doctus in regno Dei similis est homini patrifamilias proferenti de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.*, XIII, 51, 52) : nova evangelica verba apostolorum; vetera, legis et prophetarum præcepta; et hæc de ore suo processisse testatus est. Sed et Petro ait : *Vade ad mare et mitte hamum, et piscem qui primum ascenderit, tolle, et aperto ore ejus invenies staterem*, id est C duos denarios, *et dabis pro me et pro te* (*Matth.*, XVII, 26). Et David similiter per Spiritum ait : *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi* (*Psalm.*, LXI). Quia semel decrevit ab initio Deus, quod usque ad finem futurum est. Denique cum judex sit ipse a Patre constitutus propter hominis assumptionem, volens ostendere quoniam verbo prædicationis judicabuntur homines, ait : *Putatis quia ego vos judicabo in novissimo die? non, sed verbum* (inquit) *quod vobis locutus sum, illud vos judicabit in novissimo die* (*Joan.*, XII, 48). Et Paulus de antechristo ad Thessalonicenses ait : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* (II *Thess.*, II, 8). Et Esaias : *Spiritu* (inquit) *labiorum suorum interficiet impium* (*Esa.*, XI, 4). Hic ergo bis acutus gladius est, procedens de ore ejus. D

15. *Et vox ejus tamquam vox aquarum multarum* (1). Aquæ multæ, populi esse intelliguntur, seu donum baptismi, quod emisit per Apostolos dicens : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.*, XXVIII, 19).

16. *Et habebat in dextera sua stellas septem*. In dextera ejus stellas septem dixit : quia Spiritus sanctus A septiformis virtutis datus est in potestate ejus a Patre. Sicut Petrus ad Judeos exclamavit : *Dextera Dei exaltatus acceptum a Patre Spiritum effudit hunc quem videtis et auditis* (*Act.*, II, 33). Sed et Joannes Baptista anticipaverat, discipulis suis dicendo : *Non enim ad mensuram dat Spiritum Deus. Pater*, inquit, *amat Filium, et omnia dedit in manu ejus* (*Joan.*, III, 34, 35). Istæ septem stellæ sunt septem ecclesiæ quas nominat in vocabulis suis, et vocat eas ad quas fecit epistolas. Non quia ipsæ solæ sunt Ecclesiæ, aut principes; sed quod uni dicit, omnibus dicit. Nihil enim differunt, ut ex illa ratione quis paucorum similium majori numero anteponat. In toto orbe septennatim ecclesias omnes, septem esse nominatas, et unam esse catholicam Paulus docuit. Et primum quidem ut servaret et ipse typum septem Ecclesiarum, non excessit numerum. Sed scripsit ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Thessalonicenses, ad Philippenses, ad Colossenses Postea singularibus personis scripsit, ne excederet numerum septem ecclesiarum. Et, in brevi contrahens prædicationem suam, ad Timotheum sic ait : *Ut scias qualiter debeas conversari in Ecclesia Dei vivi* (I, *Tim.*, III, 15). Hunc typum et ab Spiritu sancto per Esaiam prædicare legimus : *De septem mulieribus quæ apprehenderunt hominem unum* (*Esa.*, IV, 1). Unus homo Christus est, non ex semine natus : septem vero mulieres septem ecclesiæ sunt, panem accipientes suum, et tunicis suis velatæ, quæ poscunt auferri improperium suum, tantum ut nomen illius vocetur super illas. Panem Spiritum sanctum, qui nutrit in vitam æternam, sibi videlicet per credulitatem promissam. Tunicæ vero suæ, quibus cooperiri se optant, immortalitatis est gloria, de qua Paulus apostolus ait : *Oportet ergo corruptibile hoc induere in corruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (I *Cor.*, XV, 53). Auferri vero improperium suum poscunt (2), hoc est emundari se a peccatis : improperium enim est peccatum pristinum, quod aufertur in baptismo, et incipiunt vocari homines christiani; quod est, *invocetur nomen tuum super nos*. In his ergo septem ecclesiis, unius Ecclesiæ catholicæ, fideles sunt, quia una in septem per qualitatem fidei et electionis est. Sive ad eos scribens, qui laborant in sæculo, et operantur (3) de frugalitate suorum laborum, et patientes sunt; et cum videant homines quosdam in Ecclesia dispensatores et pestiferos, ne dissensio fiat, portant. Admonet tamen eos de amore, ut in quibus fides eorum deest, agant pœnitentiam. Aut ad eos qui

COMMENTARIUS.

(1) *Et vox ejus tamquam vox aquarum mularum*. Non miraberis heic et aliis præterea locis aliquot apostoli verba inverso ordine legi, cum paulo post scriptorem hunc nostrum affirmantem audieris, in libri hujus interpretatione non verborum ordinem, aut textus consequentiam sed rerum intelligentiam lectorem sequi debere.

(2) *Auferri vero improperium suum poscunt*. Nos illud *poscunt* ex superiore lectione de nostro addidimus, ut locutionem clariorem efficeremus. Neque ratio a nobis ubicumque aliquid emendavimus, continuo reddenda fuerit; cum illud tam firmum est et per se planum, ut a quoquam quin ita sit scribendum, dubitari non possit : nam omnia persequi prope esset infinitum, usque adeo singula pæne verba perturbata et corrupta erant.

(3) *Operantur*. Crediderim hoc verbum pro *vivunt* usurpatum ab auctore fuisse, et *dispensatores* pro dissipatores. *portant* item pro ferunt (quæ duæ voces e vestigio sequuntur) dixisse.

in locis crudelibus inhabitant inter persecutores, ut perseverent fideles. Aut ad eos qui, sub prætextu misericordiæ, illicita peccata in Ecclesia faciunt, et aliis facienda ostendunt. Aut ad eos qui sunt in Ecclesia faciles. Aut ad eos qui negligentes nomine tantum christiani sunt. Aut ad eos qui humiliter instructi sunt, ut in fide fortiter perseverent. Aut ad eos qui student Scripturis, et laborant cognoscere arcana prædicationis, et Dei opus facere nolunt, id est misericordiam et amorem: omnibus pœnitentiam denuntiat, omnibus judicium annuntiat.

EX CAPITE II.

2. *Scio laborem tuum, et opera, et patientiam tuam.* In prima epistola sic ait, scio te laborare et operari, video patientem te esse: ne putes me longe morari a te.

Et quia non potes portare malos, et qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, et invenisti eos mendaces, et patientiam habes propter nomen meum. Hæc universa ad laudem spectant, et laudem non mediocrem: et tales viros, talemque classem, ac tales electionis homines oportet omnino admoneri, ne, istis Dei bonis concessis, fraudentur. Hæc pauca dixit se habere adversus illos.

4, 5. *Et charitatem tuam pristinam reliquisti, memento unde excideris.* Qui cadit, de alto cadit, ideo dixit, *unde;* quoniam usque ad novissimum, amoris opera exercenda sunt, quod est principale mandatum. Denique nisi fiat, minatus est movere candelabrum de loco suo, id est spargere plebem.

6. *Sic habes et tu odire opera Nicolaitarum.* Sed quoniam et ipse oderas tenentes doctrinam Nicolaitarum, laudem exspectas. Odire autem opera Nicolaitarum quæ et ipse oderat, hoc ad laudem spectat. Nicolaitarum autem opera erant illo tempore ficti homines et pestiferi, qui sub nomine Nicolai ministri fecerant sibi hæresim, ut delibatum (1) exorcizaretur et manducari posset: et ut quicumque fornicatus esset, octavo die pacem acciperet; ideo collaudat illos ad quos scribit, quibus talibus et tam magnis viris promisit lignum quod est in paradiso Dei sui.

Sequens epistola sequentem conversationem alterius classis et consuetudinem detegit. Denique ait:

9. *Scio tribulationem tuam et paupertatem, sed dives es.* Scit enim apud se talibus divitias esse reconditas, et detractationem de Judæis negantes, dicunt se esse Judæos, et non sunt, sed synagoga satanæ, quoniam ab antichristo colliguntur, quibus ait:

10. *Esto fidelis usque ad mortem.* Ut perseverent fideles esse usque ad mortem.

11. *Qui vicerit non lædetur a morte secunda.* Id est non castigabitur in inferno.

Tertia classis sanctorum ostendit esse viros, qui fortes sunt in fide, et non expavescunt persecutionem; sed quia et in illis sunt, qui proni sunt ad illicitas permixtiones, ait:

14, 16. *Habes ibi tenentes doctrinam Balaam, qui docebat in Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari: ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, sed pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Id est, quid præceperim dicam, et quid feceritis conferam. Nam Balaam (*Num.*, II) doctrina docebat Balab mittere scandalum ante oculos filiorum Israel, esse delibatum, et fornicari; id quod olim accidisse notum est. Ille enim hoc consilium dedit regi Moabitarum, et scandalizaverunt populum. Sic, inquit, inter vos habetis talem tenentes doctrinam, ut sub prætextu misericordiæ alios vitiaretis.

17. *Qui vicerit, dabo illi manna absconditum, et dabo illi calculum candidum.* Manna absconditum immortalitas est, gemma alba adoptio in filium Dei; nomen novum in calculo scriptum, Christianum est.

Quarta classis nobilitatem fidelium operantium quotidie, et majora facientium opera significat. Sed et ibi esse quoque faciles homines ad illicitas paces dandas et novas prophetias attendendas, ostendit, et arguit, et præmonet cæteros, quibus non placet hoc, qui cognoscunt nequitiam adversam, quibus malis et dolores inducere quærit in capite fidelium et pericula; et ideo ait:

24. *Non mitto super vos aliud pondus.* Id est, non dedi vobis leges, observationes et onera, quod est aliud pondus.

25, 26. *Sed quod habetis, teneatis, donec veniam; et qui vicerit dabo illi potestatem super omnes gentes.* Id est, judicem illum constituam inter cæteros sanctos.

28. *Et dabo illi stellam matutinam.* Primam resurrectionem scilicet; promisit stellam matutinam, quæ noctem fugat et lucem annuntiat, id est, diei initium.

EX CAPITE III.

Quinta classis collectio vel conversatio sanctorum declarat homines negligentes, et alias quam quas oportet in sæculo agentes operationes, nomine tantummodo christianos. Et ideo hortatur illos si quomodo reversi a negligentia possint salvi esse, et ideo ait:

2. *Esto vigilans et confirma cætera quæ moritura erant: non enim inveni opera tua plena coram Deo.* Non enim satis est arborem vivere, et fructum non habere; sicut non satis est christianum dici, et Christum confiteri, ipsum vero in opere non habere, id est ejus præcepta non facere.

Sexta classis est conversatio electionis optimæ. Consuetudo sanctorum declaratur, horum scilicet qui humiles sunt in sæculo, et rusticani in scripturis, et fidem immobiliter tenent, nec omnino ullo

COMMENTARIUS.

(1) *Delibatum* heic et alicubi posuit pro idolothyto, hoc est eo quod simulacris immolabatur. *Exorcizare* vero pro a temeratæ seu pollutæ religionis crimine expiare accipi videtur, quod est contra propriam verbi significationem: nam ἐξορκίζειν potius est obstringere, quam solvere religione.

casu fracti aut timore, retrahuntur a fide. Ideo ait ad illos :

8. *Dedi ante te ostium apertum, et quoniam servasti verbum patientiæ meæ.* In tam parvis viribus.

10. *Et ego te servabo ab hora tentationis.* Ut sciant hujusmodi gloriam suam : nec quidem in tentationem eos tradi permitti.

12. *Qui vicerit fiet columna in templo Dei.* Sicut enim columna decor est ædificii, sic qui perseveraverit, nobilitatem in Ecclesia consequetur.

Septima quoque Ecclesiæ collectio declarat, homines locupletes in dignitatibus collocatos, sed credentes ut locupletes, apud quos in cubiculo scripturæ quidem tractantur, foris autem sunt fideles, et a nemine intelliguntur, jactantes scilicet se, et dicentes se omnia cognoscere, præditi fiducia litteraturæ, opere autem vacantes, et ideo ait :

15. *Neque frigidos neque ferventes illos esse.* Id est neque incredulos, neque fideles : ad omnes enim omnia sunt. Et quoniam qui non frigidus est nec calidus, sed tepidus est, nauseam facit, ait :

16. *Vomam te de ore meo.* Nausea quamvis odibilis sit, tamen neminem lædit : sic et hujusmodi homines cum fuerint projecti. Sed quia tempus est pœnitentiæ, ait :

18. *Suadeo tibi ut emas a me aurum conflatum.* Id est, quo modo poteris pro nomine Domini pati tribulationes et passiones.

Et collyrio inunge oculos tuos. Ut quod libenter cognoscis per scripturam, hujus etiam opus facere coneris. Et quoniam si his modis homines de magno excidio ad magnam redeant pœnitentiam, non solum sibi sunt utiles, sed et multis prodesse possunt; mercedem non mediocrem eis promisit, nimirum sedere in solio judicii.

EX CAPITE IV.

Post hæc vidi et ecce ostium apertum in cœlo. Ostium apertum in cœlo, Novum Testamentum prædicatur.

Et vox prima quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens : ascende huc. Quando apertum ostenditur, clausum fuisse antea hominibus manifestum est. Satis autem et plene patefactum est, quando Christus cum corpore in cœlos ad Patrem ascendit. Vox autem prior quam audierat, cum dicit illam secum esse locutam, sine contradictione arguit eos, qui alium in prophetis, alium in Evangelio dicunt fuisse locutum ; cum magis ipse qui venit, ipse sit qui in prophetis locutus est. Joannes enim ex circumcisione erat ; et omnis ille populus qui Veteris Testamenti prædicationem audierat, illa voce ædificatus est.

Illa eademque vox, inquit, *quam audieram, illa mihi dixit : Ascende huc.* Id est spiritus, quem paulo ante quam filium hominis inter candelabra aurea ambulantem se vidisse fatetur : et nunc exinde recolit, quæ per legem in similitudinibus prænuntiata erant, et per hanc scripturam conjungit omnes priores prophetas, et aperit scripturas. Et quia postquam invitavit in cœlum omnes credentes in nomine suo Dominus noster, statim Spiritum sanctum effudit qui ferturus est (1) ad cœlum, ait :

2. *Statim fui in spiritu.* Et cum aperiatur per Spiritum sanctum mens fidelium, et illud eis manifestetur, quod et prioribus est prædicatum, significanter ait.

Et ecce sedes posita erat in cœlo. Sedes posita, quid est, nisi sedes judicii et regis ?

3. *Et supra sedem sedens, similis aspectu lapidi jaspidi et sardio.* Supra solium vidisse ait similitudinem jaspidis et sardii. Jaspis aquæ coloris est, sardius ignis. Hæc duo judicia posita esse usque ad consummationem orbis super tribunal Dei exinde manifestantur, quorum judiciorum unum jam consummatum est in cataclysmo per aquam, aliud autem consummabitur per ignem.

Et iris erat in circuitu throni. Iris autem circa solium eosdem colores habet. Iris arcus dicitur, de quo etiam ad Noe et ad filios ejus locutus est Dominus (*Gen.*, IX), ne timerent ultra diluvium in generatione Dei, sed ignem. Sic enim ait : Statuam arcum meum in nubibus, ut non jam aquam timeatis, sed ignem.

6. *Et ante sedem tamquam mare vitreum simile crystallo.* Id est donum baptismi, quod per Filium suum pœnitentiæ tempore, antequam judicium faciat, effudit. Ideo ante solium, id est judicium. Cum autem dicit mare vitreum simile chrystallo, aquam mundam, stabilem, non vento agitatam, non in proclivo defluentem, sed tamquam domum Dei immobilem traditam ostendit.

Et per circuitum sedis quatuor animalia. Quatuor animalia quatuor sunt Evangelia.

7—10. *Primum animal simile leoni, et secundum simile vitulo, et tertium habens faciem similem homini, et quartum simile aquilæ volanti ; habentia alas senas : et per circuitum et intus, plena oculis ; et requiem non habebant dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus omnipotens. Et procidentes viginti quatuor seniores ante sedem adoraverunt Deum.* Viginti quatuor seniores viginti quatuor libri sunt prophetarum, et legis referentes testimonia judicii. Sunt autem et vinginti quatuor patres, duodecim apostoli et duodecim patriarchæ. Animalia igitur quod differentia sunt vultus hanc habent rationem ; simile leoni animal, Marcum designat, in quo vox leonis in eremo rugientis auditur. Hominis autem figura enititur Matthæus enuntiare nobis genus Mariæ (2), unde carnem accepit Christus. Ergo dum enumerat ab Abraham usque ad David, et usque ad Joseph, tamquam de homine locutus est.

COMMENTARIUS.

(1) *Ferturus* pro laturus, et si non ex usu grammaticorum, uti etiam paulo ante *odire*, pro odisse, dicimus; lectionem tamen antiqui, et maxime vetustate venerabilis codicis immutare noluimus.

(2) *Hominis autem figura enititur Matthæus enuntiare nobis genus Mariæ.* Vide ut tradat Matthæum genealo-

ideo prædicatio ejus effigiem hominis ostendit. Lucas sacerdotium Zachariæ offerentis hostiam pro populo, et apparentem sibi angelum dum enarrat, propter sacerdotium et hostiam, ipsa conscriptione vituli tulit imaginem. Joannes Evangelista aquilæ similis assumptis pennis ad altiora festinans de Verbo Dei disputat. Marcus, itaque Evangelista, sic incipiens: *Initium Evangelii Jesu Christi, sicut scriptum est in Esaia propheta* (*Marc.*, I, 3): *Vox clamantis in deserto* (*Esa.*, XL, 3) leonis habet effigiem. Matthæus autem: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* I, 1); hæc est facies hominis. Lucas vero dixit: *Fuit Sacerdos nomine Zacharias de vice Abia, et uxor illi de filiabus Aaron* (*Luc.*, I, 5); hæc est imago vituli. At Joannes cum incipit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.*, I, 1); similitudinem aquilæ volantis ostendit. Non solum autem suas Evangelistæ quaternas similitudines in suis exordiis Evangeliorum exprimunt, sed et ipsum Verbum Dei Patris omnipotentis qui est filius ejus, Dominus noster Jesus Christus fert easdem imagines in tempore adventus sui. Cum nobis prædicat, est tamquam leo et catulus leonis. Et cum propter salutem hominum, homo factus est, ad mortem devincendam et universos liberandos. Et quod se ipsum obtulerit hostiam Patri pro nobis, vitulus dictus est. Et quod mortem devicerit et ascendit in cœlos, extendens alas suas et protegens plebem suam, aquila volans nominatus est. Hæ ergo prædicationes, quamvis quatuor sint, una est tamen, quia de uno ore processit. Sicut fluvius in paradiso cum sit unus, in quatuor partes divisus est. Oculos autem intus et foris habere ea animalia in prædicationem Novi Testamenti; providentiam spiritualem ostendit quæ et secreta cordis inspicit, et supervenientia videt quæ sunt intus et foris.

8. *Alas senas.* Testimonia sunt Veteris Testamenti librorum. Ideo viginti et quatuor totidem faciunt (1), quot sunt seniores super tribunalia sedentes. Sed sicut animal volare non potest nisi pennas habeat, sic, nec prædicatio Novi Testamenti fidem habet, nisi habeat Veteris Testamenti prænuntiata testimonia, per quæ tollitur a terra et volat. Semper enim, quod ante dictum est, et postea factum invenitur, illud fidem facit indubitabilem. Rursum et alæ si non hæreant animalibus, vitam unde trahant, non habent. Nisi enim quæ prædixerunt prophetæ, in Christo essent consummata, inanis erat prædicatio

A eorum. Hæc enim tenet Ecclesia catholica quæ et antea predicata, et postea consummata sunt. Et volat quippe et merito tollitur a terra vivum animal. Hæreticis autem qui testimonio prophetico non utuntur, adsunt et eis animalia, sed non volant, quia sunt terrena. Judæis autem qui non accipiunt Novi Testamenti prædicationem, adsunt alæ, sed non volant, id est inanem vaticinationem hominibus afferunt, facta dictis non conferentes. Sunt autem libri Veteris Testamenti qui recipiuntur viginti quatuor, quos in Epitomis Theodori invenies (2). Sed et viginti quatuor (ut diximus) seniores Patriarchas et Apostolos judicare populum suum oportet. Interrogantibus enim Apostolis et dicentibus: *Nos omnibus nostris relictis, secuti sumus te, quid erit nobis* (*Matth.*, XIX, 27, 28)?
B respondit Dominus noster: *Cum sederit filius hominis super sedem gloriæ suæ, sedebitis et vos super duodecim tribunalia judicantes duodecim tribus Israel.* Sed et de patribus qui judicaturi sunt, ait Jacob patriarcha: *Dan judicabit et ipse populum suum inter fratres suos, sicut et una tribus in Israel* (*Gen.*, XLIX, 16).

5. *Et a sede procedebant fulgura et voces et tonitrua et septem faculæ ignis ardentes.* Procedentia autem fulgura et voces et tonitrua a solio Dei, et septem faces ignis ardentes significant prædicationes et repromissiones adoptionis, et minas. Nam fulgura adventum Domini significant. Voces autem Novi Testamenti prædicationes Tonitrua autem quod cœlestia sunt verba. Faces ignis ardentes donum Spiritus sancti quod id ligno passionis est redditum. Et cum hæc
C fierent, cecidisse dicit universos majores natu, et adorasse Dominum, cum darent illi animalia gloriam et honorem, id est Evangelica actio scilicet et doctrina Domini (3) cum ademplisset ante per illos prænuntiatum verbum, digne meritoque exsultant sentientes secreta et verbum Domini ministrasse. Denique et quia venerat qui mortem disjungeret, et coronam immortalitatis solus dignus sumeret, omnes habebant pro gloria aliqua actus sui optimi coronas.

10. *Et projecerunt coronas suas sub pedibus ejus.* Id est, propter eminentem gloriam victoriæ Christi, omnes victorias suas projecerunt (4) sub pedibus ejus. Hoc est quod in evangelio supplevit Spiritus sanctus ostendendo. Cum enim, passurus novissime, venriet Hierosolymas Dominus noster, et exisset illi
D populus obviam, alii præcisis ramis palmarum viam sternebant alii tunicas suas subjiciebant; duos scilicet populos ostendentes, unum patriarcharum, alium

COMMENTARIUS.

giam nobis Mariæ non Christi describere, secus atque major hodie Theologorum pars opinatur.

(1) *Ideo viginti et quatuor totidem faciunt, quot sunt seniores.* In manuscripto ita legebatur, *Ideo viginti et quatuor faciunt tot numerum, quot et seniores*; qui error et si non a librario, sed ab auctore ipso manasse credendus est; eumdem tamen, quod cum recta loquendi ratione pugnet, additione adverbii *totidem*, ac, et, in *sunt*, verbum, mutatione tollendum censui.

(2) *In epitomis Theodori invenies.* Interciderunt sicut alia pleraque viri hujus monimenta; de quo quid tibi pro certo referam non habeo: nam quo minus eumdem Heraclieusem aut Antiochenum illum esse affirmem, ratio temporum refragatur.

(3) *Id est evangelica actio et doctrina Domini.* Nos in quarto casu hæc verba legenda et pro *Evangelica*, *Evangelia* scribendum esse existimamus. Cæterum de eo suo quisque judicabit arbitrio: nam quid ex ea structura verborum intelligas, dispicere satis non possumus.

(4) *Omnes victorias suas projecerunt.* Verba illa *suas* et *projecerunt* de nostro addidimus, *victoriæ* præterea pro quo *victoriam* legebatur, nullo (judicio nostro)

prophetarum, magnorum scilicet virorum qui quascumque habebant palmas victoriarum suarum contra peccatum, victori omnium Christo, eas sub pedibus jactabant. Palma autem et corona idem significant, quæ non dantur nisi victori.

EX CAPITE V.

1. *Et vidi in dextera sedentis super tribunal librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem.* Liber hic Vetus Testamentum significat, quod est datum in manibus Domini nostri Jesus Christi, qui accepit a Patre judicium.

2, 3. *Et vidi Angelum fortitudinis plenum, prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus? et nemo inventus est dignus neque in cœlo neque in terra, neque subter terram aperire librum.* Aperire autem librum est, per hominem mortem devincere.

4. *Hoc dignus facere nemo est inventus.* Neque in angelis de cœlo, neque in hominibus in terra, nec inter animas sanctorum in requie, nisi solus Christus Filius Dei, quem dicit vidisse agnum stantem tamquam occisum, habentem cornua septem. Quod non erat tunc prædicatum, et quidquid per varias oblationes et sacrificia, lex in illum meditata fuerat, ipsum implere oportebat. Et quia ipse erat testator qui mortem devicerat, ipsum erat justum constitui heredem Domini, ut possideret subtantiam morientis, id est membra humana.

5. *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David.* Hunc leonem de tribu Juda vicisse in Genesi legimus, ubi Jacob patriarcha ait : *Juda te laudabunt fratres tui : recubuisti, et dormisti, et surrexisti tamquam leo, et tamquam catulus leonis* (*Gen.*, XLIX, 8, 9). Ad devincendum enim mortem leo dictus est; ad patiendum vero pro hominibus, tanquam agnus ad occisionem ductus est. Sed quia mortem devicit, et prævenit carnificis officium, quasi occisus dictus est. Hic ergo aperit et resignat, quod ipse signaverat testamentum. Hoc significans Moses legislator, quod oportebat esse signatum et celatum usque ad adventum passionis ejus, velavit faciem suam, et sic est populo locutus : ostendens velata esse verba prædicationis usque ad adventum temporis ejus. Nam et ipse cum legisset populo, accepta lana succina (1), sanguine vituli et aqua aspersit populum universum dicens : Hic est sanguis testamenti ejus, qui mundavit vos (*Exod.*, XXIV. 7, 8). Animadverti igitur oportet hominem diligenter prædicare, et universa in unum cohærere. Nam non sufficit legem illam dici, sed est testamentum nominata est. Nulla enim lex testamentum vocatur, nec testamentum aliud dicitur, nisi quod faciunt morituri. Et quodcumque intrinsecus testamenti est, signatum est usque ad diem mortis testatoris. Ideo modo merito signatur per agnum occisum, qui tam- A quam leo confregit mortem, et quæ de eo prænuntiata fuerant replevit, et hominem liberavit, id est carnem de morte, et accepit possessionem substantiam morientis, id est membrorum humanorum. Ut sicut per unum corpus omnes homines debito mortis suæ ceciderant, per unum etiam corpus universi credentes renati in vitam resurgerent. Merito ergo facies Mosi aperitur et revelatur; ideoque Apocalypsis, Revelatio dicitur. Modo enim liber ejus resignatur, modo hostiæ oblationis intelliguntur, modo sacerdotum chrismæ fabricatio; sed et testimonia aperte intelliguntur.

8, 9. *Viginti quatuor seniores et quatuor animalia citharas et phialas habentes, et cantantes canticum novum.* Conjuncta Veteris Testamenti prædicatio cum novo, populum christianum significat cantantem canticum novum, B id est confessionem suam publice conferentem. Novum est, filium Dei hominem fieri. Novum est, cum corpore in cœlos ascendere. Novum est, remissionem peccatorum hominibus dare. Novum, sancto Spiritu signari homines. Novum est, sacerdotium accipere sacræ observationis, et regnum exspectare immensæ repromissionis. Cithara et chorda in ligno extensa significat carnem Christi passionis ligno conjunctam. Phiala confessionem, et novi sacerdotii propaginem. Angelorum autem multorum, immo omnium laus, omnium salus est, et testimonium universæ creationis Domino nostro referentium gratulationem liberationis hominum de clade mortis. Resignatio sigillorum, ut diximus, apertio est Veteris Testamenti, et prædicatorum prænuntiatio in C novissimo tempore futurorum; quæ licet scriptura prophetica per singula sigilla dicat, omnibus tamen simul, apertis sigillis, ordinem suum habet prædicatio.

EX CAPITE VI.

1, 2. *Et cum aperuisset agnus unum de septem sigillis, vidi et audivi unum de quatuor animalibus dicens, Veni et vide. Et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habens arcum.* Aperto sigillo primo dicit se vidisse equum album et equitem coronatum habentem arcum. Hoc enim per ipsum primo factum est. Postquam enim ascendit in cœlos Dominus, et aperuit universa, misit Spiritum sanctum, cujus verba prædicatores tamquam sagittas ad cor humanum pertingentes D emiserunt (2), ut evincerent incredulitatem. Corona autem super caput prædicatoribus est promissa per Spiritum sanctum. Cæteri tres equi, bella, fames et pestilentias in Evangelio a Domino nostro prædicata manifestius significant. Ideoque ait, unum de animalibus dixisse (quia omnia quatuor unum sunt), *Veni et vide.* Veni dicitur invitato ad fidem. Vide dicitur ei, qui non videbat. Ergo equus albus verbum est prædicationis cum Spiritu sancto in orbem missum.

COMMENTARIUS.

sensu, restituimus.

(1) *Succina.* Ex *Heb.* IX, 20. legendum videtur *coccinea.* GALLAND.

(2) *Emiserunt.* Dictionem hanc (*emiserunt*) addidimus, et *sagittas* ubi *sagittæ* prius legebatur, reposuimus : cuivis certe melior hæc lectio videri debet, quam illa antiquæ scripturæ, cui nos non valde confidimus.

Ait enim Dominus : Prædicabitur hoc Evangelium per totum orbem terrarum in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis.

3, 4. *Et cum aperuisset signaculum secundum, audivi secundum animal dicens, Veni et vide. Et exiit alter equus rufus, et sedenti super illum datus est gladius magnus.* Equus rufus et qui sedebat super eum habens gladium, bella futura significant, ut legimus in Evangelio : *Surget enim gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et erunt terræ motus magni per loca* (*Luc.*, XXI, 10, 11). Hic est equus roseus.

5. *Et cum aperuisset signaculum tertium, audivi tertium animal dicens, Veni et vide. Et ecce equus niger, et qui sedebat in eo habens stateram in manu sua.* Equus niger famem significat; ait enim Dominus, *erunt fames per loca :* proprie autem extenditur verbum usque ad antichristi tempora, quando magna fames est futura, quandoque omnes lædentur. Statera autem in manu libra examinis est, in qua merita singulorum ostenderet, ait dein.

6. *Vinum et oleum ne læseris.* Id est hominem spiritualem ne plagis percusseris. Hic est equus niger.

7, 8. *Et cum aperuisset signaculum quartum, audivi quartum animal dicens, Veni et vide. Et ecce equus pallidus ; et qui sedebat in illo, nomen illi Mors.* Equus autem pallidus, et qui sedebat super eum, nomen habebat, Mors. Hæc eadem quoque inter cæteras clades promiserat Dominus venturas, pestes magnas et mortalitates, cum enim dicat.

Et infernus sequebatur illum. Id est, exspectabat devorationem animarum multarum impiarum. Hic est equus pallidus.

9. *Et cum aperuisset quintum signaculum, vidi subtus altare animas interfectorum.* Animas occisorum vidisse se narrat sub ara Dei, id est sub terra. Ara enim et cœlum et terra dicitur, sicut lex ait, imaginaria veritatis facie mandans duas aras fieri (1), auream intrinsecus, et æream extrinsecus. Nos autem intelligimus aram auream cœlum ita dici, Domino nostro nobis testimonium perhibente ; ait enim : *Cum offers munus tuum ad aram* (utique munera nostra orationes sunt, quas offerimus) *et ibi recordatus fueris habere aliquid fratrem tuum adversum te, relinque ibi munus tuum ante aram* (*Matth.*, v, 23, 24). Utique ad cœlum ascendunt orationes. Ergo cœlum intelligitur ara aurea quæ erat interior : nam et sacerdotes semel in anno introibant qui habebant chrisma, ad aram auream, significante Spiritu sancto Christum hoc semel facturum. Sicut ara aurea cœlum agnoscitur, sic et ara ærea terra intelligitur, sub qua est infernus remota a pœnis et ignibus regio, et requies sanctorum ; in qua quidem ab impiis videntur et audientur justi, sed non illuc transvectari possunt. Hos ergo sanctos, id est animas occisorum expetere vindictam sanguinis, id est corporis sui de habitantibus super terram, voluit nos cognoscere qui omnia videt : sed quia in novissimo tempore etiam sanctorum remuneratio perpetua, et impiorum est ventura damnatio, dictum est eis exspectare. Et pro corporis sui solatio, datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Acceperunt, inquit, stolas albas, id est, donum Spiritus sancti.

12. *Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, terræ motus factus est magnus.* In sexto sigillo factus terræ motus magnus, ipsa est illa novissima persecutio.

Et factus est sol niger tamquam saccus cilicinus. Sol fit ut saccus, id est incredulis obscurabitur splendor doctrinæ.

Et luna tota facta est ut sanguis. Luna sanguinea Ecclesia sanctorum ostenditur pro Christo sanguinem fundere.

13. *Et stellæ ceciderunt in terram.* Stellarum casus fideles sunt, qui pro Christo turbantur.

Quemadmodum ficus jactat grossos suos. Agitata ficus amittit grossos suos, quando persecutione homines ab Ecclesia separantur.

14. *Et cœlum recessit tamquam liber qui involvitur.* Cœlum involvi, id est Ecclesia de medio fiet.

Et omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt. Mons et insulæ de locis suis motæ novissima persecutione innuunt omnes recessisse de locis suis. Id est, boni movebuntur persecutionem fugientes.

EX CAPITE VII.

2. *Et vidi alterum angelum ascendentem a solis ortu habentem signaculum Dei vivi.* Heliam prophetam dicit, qui Anticipaturus est tempora Antichristi ad restituendas Ecclesias et stabiliendas a magna et intolerabili persecutione. Hæc in apertione libri Veteris Testamenti et Novi prædicata legimus, ait enim per Malachiam : *Ecce ego mittam vobis Heliam Thesbiten, convertere corda patrum ad filios* (*Malach.*, IV, 5, 6), secundum tempus vocationis Judæos ad sequentis populi fidem revocare. Et ideo ostendit, ut diximus, numerum ex Judæis crediturorum, et ex gentibus magnam multitudinem, quam nemo poterat dinumerare. Mitti etiam de cœlo orationes Ecclesiæ (2) ab angelo, et suscipi illos contra iram, effundi et æstimari regnum antichristi per angelos sanctos, in Evangelio legimus ; ait enim : *Orate*, ne intretis in

COMMENTARIUS.

(1) *Mandans duas aras fieri.* Pro quo in manuscripto corrupte admodum (nisi fallor) legebatur. *Mediante qui duas aras fecerat.* Neque tamen hanc emendationem ita ratam firmamque habebo, ut si meliorem quispiam commonstraverit, non sim, illa deserta, eam quam ille docuerit, probaturus.

(2) *Mitti etiam de cœlo orationes Ecclesiæ.* Locus hic obscurus est, nec eum mendo vacare existimamus : sed nos quidem notare illum, non emendare voluimus, ut alii etiam religiosi homines habeant unde exercendi ingenii occasionem accipiant. Quamquam non inepte nobis conjectare videmur, si pro *illos*, *illas*, et pro *æstimari*, *extingui* legamus : quibus si hæc etiam correctio accesserit, ut prior illa conjunctio (*et*) post *Ecclesiæ* dictionem ponatur ; non video cur non multo incorruptior et clarior, quæ primo tam obscura erat et contaminata, structura illa verborum efficiatur : de qua quidquid studiosiores homines statuerint, si rationem aliquam attulerint, libenter sequemur.

tentationem, *erit enim angustia magna, qualis non fuit ab origine mundi: et nisi abbreviasset Dominus dies illos, non esset salva omnis caro* (*Marc.*, XIII, 18-20). Hos ergo archangelos magnos septem ad percutiendum regnum antichristi mittet; nam et ipse ita dixit: *Tunc mittet Filius hominis nuntios suos* (1), *et colligent electos ejus de quatuor angulis venti a finibus cœli usque ad fines ejus* (*Marc.*, XIII, 27). Nam et ante ait per Prophetam: *Tunc erit pax terræ nostræ, cum surrexerint in ea septem pastores, et octo morsus hominum, et indagabunt Assur*, id est antichristum, *in fossa Nembroth* (*Mich.*, V, 5, 6), id est in natione diaboli, Ecclesiæ spiritu. Similiter cum moti fuerint custodes domus. Ipse autem Dominus in parabola ad apostolos, cum venissent ad eum operarii, et dixissent: *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde ergo ibi lolium? respondit eis: Inimicus homo hoc fecit: cui dixerunt, Vis ibimus* (2) *et eradicabimus illud? qui ait, Non, sed sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus, colligere lolium, et facere manipulos* (*Matth.*, XIII, 27-30), et cremare igni æterno, triticum autem colligere in horrea mea. Hos igitur messores et pastores et operarios heic Apocalypsis ostendit esse angelos. Tuba autem verbum est potestatis. Et licet repetat per phialas, non tamen quasi bis factum dicitur: sed quoniam semel futurum est, quod est a Domino decretum ut fiat, ideo bis dicitur. Quod ergo in tubis minus dixit, heic in phialis est. Non aspiciendus est ordo dictorum, quoniam sæpe Spiritus sanctus, ubi ad novissimi temporis finem percurrerit, rursus ad eadem tempora redit, et supplet ea quæ minus dixit: nec requirendus est ordo in Apocalypsi, sed intellectus sequendus est eorum quæ prophetata sunt. Sunt igitur significata in tubis et phialis aut plagarum orbi missarum clades, aut ipsius antichristi insania, aut populorum detractio, aut plagarum differentia, aut spes in regno sanctorum, aut ruina civitatum, aut ruina magna Babylonis, id est, civitatis romanæ.

9. *Post hæc vidi, Et ecce turba multa quam dinumerare nemo poterat ex omni gente, tribu, et populis et linguis, amicti stolis albis.* Quod dicit turba multa ex omni tribu, ex omnibus credentibus electorum numerum ostendit, qui in sanguine Agni per baptismum purgati suas stolas fecerunt candidas, servantes gratiam quam acceperunt.

EX CAPITE VIII.

1. *Et cum aperuisset signaculum septimum, factum est silentium in cœlo media ferme hora.* Per quod significatur initium quietis æternæ: sed partem intellexit, quia interrupto silentio eam per ordinem repetit. Nam si esset juge silentium, heic finis narrandi fieret.

13. *Et vidi unum angelum volantem per medium cœlum.* Per angelum per medium cœlum volantem Spiritus sanctus significatur, in duobus prophetis contestans magnam plagarum iram imminere. Si quomodo quisque volens sit novissimo tempore conversus, ut aliquis adhuc salvus esse possit.

EX CAPITE IX.

13, 14. *Et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei quod est in conspectu Dei, dicentem sexto angelo qui habebat tubam: Solve quatuor angelos.* Id est, quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos.

Qui ligati sunt ad fluvium magnum Euphratem. Per angulos terræ, sive quatuor ventos trans Euphratem fluvium, gentes sunt quatuor, quia omni genti deputatus est angelus, sicut lex dicit: *Statuit eos per numerum angelorum Dei* (*Deut.*, XXXII, 8), donec sanctorum expleatur numerus: suos non egrediuntur terminos, quia in novissimo cum antichristo venient.

EX CAPITE X.

1, 2. *Vidi alterum angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, et erat iris super caput ejus, et facies ejus tamquam sol, et pedes ejus tamquam columnæ ignis: et habebat in manu sua librum apertum, et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.* Angelum istum fortem, quem dicit descendisse de cœlo amictum nube, Dominum nostrum esse significat, sicut superius enarravimus.

Facies ejus sicut sol. Id est, de resurrectione.

Super caput ejus iris. Judicium innuit quod per illum factum est, aut futurum est.

Liber apertus. Revelatio operum in futuro judicio, vel Apocalypsis quam accepit Joannes.

Pedes ejus. Ut superius diximus, sunt apostoli. Nam calcari ab eo et marina et terrena, omnia pedibus ejus subjecta significat. Angelum autem dicit, id est nuntium, scilicet Patris: vocatur enim magni consilii Nuntius. Clamasse quoque eum voce magna ait. Vox magna est cœlestis omnipotentis Dei verba hominibus nuntiare, et contestari, quia post clausam pœnitentiam spes postea futura non est.

3. *Locuta sunt septem tonitrua voces suas.* Septem tonitrua locuta voces suas, Spiritus sanctus septiformis virtutis est qui per prophetas protestatus est omnia futura, et voce illius in sæculo testimonium

COMMENTARIUS.

(1) *Tunc mittet Filius hominis nuntios.* Ita omnes quæcumque cum ex Veteri, tum Novo Testamento, citantur auctoritates, corruptæ sunt et perversæ, ut cuique videre liceat, Victorinum hunc nostrum, quicumque ille fuerit, aut omnino græce nihil scisse, aut editionem aliquam qua passim eo tempore Ecclesia uteretur, religiose nimis secutum esse. Nam quod de fossa Nembroth, et Ecclesiæ spiritu mox subjungit, non parum difficultatis et obscuritatis habet: præter enim quam quod verba illa a græcis unde hausta sunt, multum discrepant, posterior etiam ille verborum ordo (nisi fallimur) ita depravatus est, ut difficile admodum sit germanum ex his sensum elicere: si quid tamen doctiores homines in medium attulerint quod rationi magis consentaneum sit, illorum sententiæ facile subscribemus.

(2) *Vis ibimus.* Quis heic non videat latinis auribus et orationis ornatui usque eo male consultum esse, ut si quis auctorem in jus vocet, causamque læsæ latinæ linguæ majestatis dicere compellat, non injuria aut temere id fecisse videatur?

Joannes reddidit : sed quia dicit se scripturum fuisse quanta locuta fuissent tonitrua, id est quæcumque in Veteri Testamento erant obscura prædicata, vetatur ea scribere : sed relinquere ea signata, quia est Apostolus, nec oportebat gratiam sequentis gradus in primo collocari. *Tempus*, inquit, *prope est* (*Apoc.*, I, 3; XXII, 10). Apostoli enim virtutibus, signis, portentis ac magnalibus factis vicerunt incredulitatem. Post illos jam eisdem consummatis Ecclesiis datum est solatium propheticarum scripturarum post interpretandarum : post interpretantes prophetas dixi. Ait enim Apostolus : *Et posuit quidem in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores* (I *Cor.*, XII, 28), et reliqua. Et alio loco ait : *Prophetæ duo vel tres dicant, et cæteri æstiment* (I *Cor.*, XIV, 29). Et ait : *Omnis mulier orans vel prophetans, detecto capite, deturpat caput suum* (I, *Cor.*, XI, 5). Cum autem dicit, *prophetæ duo vel tres dicant, et cæteri æstiment*, non de catholica prophetia dicit inaudita et incognita, sed et prædicata et nota : æstiment autem utrum ne interpretatio cum testimoniis congruat dictionis propheticæ. Constat ergo hoc Joanni non fuisse necessarium superiori virtute armato; cum corpus Christi quæ est Ecclesia, suis membris ornatum, suo loco respondere debeat.

10. *Accepi librum de manu Angeli, et comedi illum.* Accipere librum et comedere, ostensione sibi facta memoriæ est mandare.

Et erat in ore meo tamquam mel dulcis. Dulcem esse in ore prædicationis est fructus loquentis, et audientibus dulcissimus, sed et prædicantibus et perseverantibus in mandatis per passionem amarissimus.

11. *Et dicit mihi : oportet te iterum prophetare populis, et linguis, et gentibus, et regibus multis.* Hoc dicit, propterea quod quando hæc Joannes vidit, erat in insula Pathmos in metallo damnatus a Domitiano Cæsare. Ibi ergo vidit Apocalypsin. Et cum jam senior putaret se per passionem accepturum receptionem, interfecto Domitiano, omnia judicia ejus soluta sunt. Et Joannes de metallo dimissus, sic postea tradidit hanc eamdem quam acceperat a Deo Apocalypsin. Hoc est ergo quod ait : Oportet te iterum prædicare omnibus gentibus : quia cernis insurgere antichristi turbas, et contra istas staturæ sunt, et gladio alterutrum sunt casuræ.

EX CAPITE XI.

1. *Et ostensa est mihi arundo similis virgæ, et stabat angelus dicens : Surge, et metire templum Dei et altare, et eos qui adorant in illo.* Ostensa arundo similis virgæ : hæc ipsa est Apocalypsis, quam postea exhibuit Ecclesiis : nam et Evangelium perfectæ fidei nostræ salutis causa : postea scripsit. Cum enim essent Valentinus et Cerinthus, et Ebion, et cæteri scholæ satanæ diffusi per orbem, convenerunt ad illum de finitimis provinciis omnes episcopi, et compulerunt eum, ut et ipse testimonium conscriberet. Mensuram autem templi Dei (1), mandatum Domini nostri, Patrem confiteri omnipotentem esse dicimus, et hujus filium Christum ante originem sæculi apud Patrem genitum, hominem factum in anima vera et carne, utraque miseria et morte devicta, et in cœlos cum corpore a Patre receptum effudisse Spiritum sanctum, donum et pignus immortalitatis : hunc per prophetas prædicatum, hunc per legem conscriptum, hunc esse manum Dei, et Verbum Patris ex Deo, per omnia Dominum et conditorem orbis : hæc est arundo et mensura fidei : et nemo adorat aram sanctam, nisi qui hanc fidem confitetur.

2. *Atrium quod est intrinsecus templi, exclude foras.* Aula atrium dicitur, vacua inter parietes ara : hos tales non necessarios ejici jussit de Ecclesia.

Data est calcari a gentibus. Hoc est, hujus mundi hominibus, ut a gentibus vel cum gentibus conculcetur. Deinde repetit de novissimi temporis ruina et excidio, et ait :

3. *Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus : et dabo duobus testibus meis, et prædicabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti ciliciis.* Id est, triennium et menses sex : hæc faciunt menses quadraginta duo. Est ergo illorum prædicatio triennium et menses sex, et regnum antichristi alterum tantum.

5. *Si quis voluerit eos lædere, ignis procedit ex ore ipsorum, et comedit inimicos eorum.* De ore autem illorum prophetarum exire ignem contra adversarios, potestatem verbi dicit. Omnes enim plagæ, quotquot futuræ sunt, ab angelis eorum in voce mittentur. Multi putant, cum Elia Elisæum esse, aut Mosen : sed utrique mortui sunt. Eliæ autem mors non invenitur, per quem omnes veteres nostri tradiderunt esse illum Jeremiam. Nam et ipsum verbum quod factum est ad eum testificatur ei dicens : *Priusquam te figurarem in ventre, cognovi te, et priusquam de vulva procederes, sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te* (*Jer.*, I, 5). In gentibus autem propheta non fuit : et ideo verbum Dei verax, necesse habet quod promisit exhibere, ut in gentibus sit propheta.

4. *Hi sunt duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Hæc duo candelabra et duas olivas ideo dixit et admonuit, ut si alibi legens non intellexisti, heic intelligas. In Zacharia enim, uno ex duodecim prophetis, ita scriptum est : *Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra qui in conspectu Domini terræ adstant* (*Zach.*, IV, 14) : id est, sunt in paradiso. Item alio sensu. In conspectu Domini terræ adstantia : id est, in conspectu antichristi. Hos ergo oportet interfici ab antichristo.

7. *Et bestia quæ ascendit de abysso.* Post multas plagas sæculo expletas, in fine dicit ascendisse bestiam de abysso. De abysso autem quod ascensura sit, multis testimoniis est comprobatum : ait enim

COMMENTARIUS.

(1) *Mensuram autem templi Dei.* Pro quo in manuscripto legebatur *filii Dei*. Nos illud mutavimus, quod plane videretur Apostoli verbis repugnare.

in XXXI cap. Ezechiel : *Ecce* Assur, *cupressus in monte Libani* (*Ezech.*, XXXI, 3). Assur deprimens, cupressus excelsus, ramosus, id est populus multus in monte Libano, in regno regnorum id est Romanorum. Formosus autem quod ait in germinibus, fortem dicit in exercitibus. Aqua, inquit, nutriet illum, id est, multa millia hominum quæ subjecta erunt illi. Et abyssus auxit illum, id est eructavit eum. Nam et Esaias pene iisdem verbis loquitur. Fuisse autem eum in regno Romanorum, et fuisse inter Cæsares, et Paulus apostolus contestatur; ait enim ad Thessalonicenses : *Qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat; et tunc apparebit iniquus, ille cujus est adventus secundum efficaciam Satanæ signis et portentis mendacibus* (II, *Thess.*, II, 7, 8). Et ut scirent illum venturum, qui tunc erat princeps, adjecit : *Arcanum jam malitiæ molitur* (*Ibid.*, 9) : id est, malitiam quam facturus est, arcane molitur, sed non sua virtute, nec patris sui, suscitatur, sed jussu Dei, qua de re Paulus iisdem dicit : *Idcirco quoniam non receperunt amorem Dei, mittet eis spiritum erroris ut omnes persuadeantur mendacio, qui non sunt persuasi veritate* (*Ibid.*, 10). Et Esaias ait : *Sustinentibus illis lucem, tenebræ ortæ sunt illis* (*Esa.*, LIX, 9). Hos ergo prophetas ab eodem interfici manifestat Apocalypsis, et quarta die resurgere, ne quis æqualis Deo inveniatur.

8. *Et jacebunt corpora eorum in plateis civitatis magnæ quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus.* Sodoma autem et Ægyptum dicit Hierosolymam, acervum populi persecutoris effectam. Diligenter ergo et cum summa sollicitudine sequi oportet propheticam prædicationem, et intelligere quod Spiritus ex Patre et prædicat, et præposterat (1); et cum præcurrerit usque ad novissimum, rursum tempora superiora repetit. Et quod facturus est semel, aliquoties quasi factum ostendit : quod nisi intelligas aliquoties ut factum, aliquoties ut futurum, in grandem caliginem incides. Ergo interpretatio sequentium dictorum in ea monstravit, ut non ordo lectionis, sed orationis intelligatur.

19. *Et apertum est templum Dei quod est in cælo.* Templum apertum manifestatio est Domini nostri. Templum enim Dei Filius est, sicut ipse ait : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud* (*Joan.*, II, 19, 20, 21). Et dicentibus Judæis, *quadraginta et sex annis ædificatum est templum istud ; ille*, ait Evangelista, *dicebat de templo corporis sui.*

Et visa est arca testamenti Domini in templo ejus. Evangelii prædicatio et indulgentia delictorum, et omnia dona quæcumque cum illo advenerunt, illa dicit apparuisse.

EX CAPITE XII.

1, 2. *Et signum grande visum est in cælo : Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim : et in utero habens, clamans, parturiens, et tormenta sustinens ut pariat.* Mulier amicta sole, et lunam sub pedes suos habens, coronamque in capite gestans stellarum duodecim, et parturiens in doloribus suis, antiqua Ecclesia est patrum et prophetarum, et sanctorum, et apostolorum ; quæ gemitus et tormenta desiderii sui habuit, usquequo fructum ex plebe sua secundum carnem olim promissum sibi videret Christum ex ipsa gente corpus sumpsisse. Sole autem amicta, spem resurrectionis significat, et gloriam repromissionis. Luna vero casum sanctorum corporum ex debito mortis, quod deficere numquam potest. Nam quemadmodum minuitur vita, sic et augetur. Nec in totum extincta est spes dormientium, ut quidam putant, sed habent in tenebris lucem sicut luna. Corona autem stellarum duodecim chorum patrum significat secundum carnis nativitatem, ex quibus erat Christus carnem sumpturus.

3. *Et visum est aliud signum in cælo : Ecce draco rubeus habens capita septem.* Quod autem illum dicit coloris esse rubei, id est coccinei, operis fructus talem dedit ei colorem. Ab initio enim fuit (ut Dominus ait) homicida, et omne genus humanum non tam debito mortis, verum etiam variis gladiis obitibusque oppressit. Septem capita, septem reges Romanorum ex quibus et antichristus est, ut in priori diximus.

Et cornua decem. Decem reges in novissimo tempore hos eosdem dicit, ut plenius ibi tractabimus.

4. *Et cauda ejus habebat tertiam partem stellarum cæli, et misit illas in terram.* Quod autem dicit draconis caudam traxisse tertiam partem stellarum cæli, bifariam hoc accipi potest; multi enim arbitrantur tertiam partem hominum credentium posse eum seducere. Sed quod verius intelligi debeat angelorum sibi subditorum cum adhuc princeps esset, cum descenderet constitutione sua, tertiam partem seduxisse : ergo quod superius dicebamus ait Apocalypsis.

Et draco stetit in conspectu mulieris quæ incipiebat parere, ut cum peperisset, filium ejus devoraret. Draco rufus stans et exoptans, ut cum peperisset filium, devoraret eum, diabolus est, Angelus refuga scilicet, qui hominum omnium interitum per mortem æqualem esse opinabatur : sed qui de semine natus non erat, nihil morti debebat, propter quod devorare eum non potuit, id est in morte detinere, nam tertia die resurrexit. Denique et priusquam pateretur tentare eum accessit tamquam hominem : sed cum non invenisset illum esse quem putabat, discessit ab illo usque ad tempus ; unde heic dicitur :

5. *Et peperit filium qui incipit regere omnes gentes in virga ferrea.* Virga ferrea, gladius est persecutionis.

COMMENTARIUS.

(1) *Præposterat.* Pro præpostero ordine utitur, proprium illorum temporum, et suæ fortasse etiam nationis usum loquendi secutus.

Omnes vidi recessisse de locis suis. Hoc est, boni movebuntur persecutionem fugientes.

Et filius raptus est ad Deum et ad thronum ejus. Raptum ad solium Dei et nos legimus in Actis apostolorum, quemadmodum loquens cum discipulis raptus est in cœlos.

6. *Mulier autem fugit in solitudinem; et datæ sunt illi duæ alæ aquilæ magnæ.* Auxilium alarum magnæ aquilæ, donum scilicet prophetarum, Ecclesiam illam catholicam ex qua in novissimo tempore creditura sunt centum quadraginta quatuor millia hominum ad prædicationem Eliæ; sed et cæterum populum vivum inveniri in adventu Domini, heic dicit. Et Dominus in Evangelio ait: *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes* (*Luc.*, XXI, 21): id est, quotquot in Judæa fuerint collecti, eant ad illum locum quem paratum habent, et nutriantur ibi triennium et menses sex a facie diaboli.

14. *Alæ duæ magnæ.* Duo sunt prophetæ, Elias et qui cum illo fuerit propheta.

15. *Et emisit serpens ex ore suo post mulierem aquam velut flumen, ut eam eo flumine auferret.* Aquam quam emisit de ore suo serpens, jussu suo populum qui persequatur eam, significat.

16. *Et adjuvit mulierem terra, et aperuit os suum, et absorbuit illud flumen quod draco emisit ex ore suo.* Aperuisse os suum terram, et devorasse aquas, vindictam de præsentibus manifestat. Hanc igitur licet parturientem significet, postea partu edito fugientem ostendit; quia non uno tempore utraque sunt facta: Christus enim quod natus est scimus; sed tempora intercessisse, ut illa aufugiat a facie serpentis, adhuc actum non esse. Deinde ait:

7-9. *Factum est prælium in cœlo: Michael et angeli ejus pugnabant cum dracone, et draco præliatus est et angeli ejus: et non valuerunt, nec inventus locus eorum amplius in cœlo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus; projectus est in terram.* Hoc est initium Antichristi. ante tamen oportet prædicare Eliam, et pacis tempora esse; ac postea consummatis triennio et sex mensibus in prædicatione Eliæ, etiam jactari eum de cœlo ubi habuerat potestatem ascendendi usque ad illud tempus: et angelos refugas universos, sic et Antichristum, de inferno suscitari, Paulus apostolus ait: *Nisi prius venerit discessio, et apparuerit homo peccati, filius perditionis et adversarius, qui seelevavit super omne quod nominatur Deus, aut quod colitur* (II *Thess.*, II, 3, 4.).

EX CAPITE XIII.

1. *Et vidi de mari ascendentem bestiam similem pardo.* Regnum illius temporis Antichristi, cum varietate gentium et populum commixtum, significat.

2. *Pedes ejus tamquam ursi.* Fortis et spurcissimæ bestiæ: pedes, duces ejus intelligendi sunt.

Et os ejus tamquam leonem. Id est, ad sanguinem armatum os ejus, jussio illius est, et lingua quæ ad nihilum aliud processura est, nisi ad sanguinem effundendum.

XVII, 9. *Septem capita septem montes sunt* (1), *in quibus mulier sedet.* Id est, civitas Romana.

10. *Et reges septem sunt: quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit; et cum venerit, brevi tempore erit* (2). Intelligi oportet tempus quo scripta Apocalypsis edita est: quoniam tunc erat Cæsar Domitianus; ante illum autem fuerat Titus frater illius, et Vespasianus, Otho, Vitellius et Galba. Isti sunt quinque qui ceciderunt. *Unus exstat*, sub quo scripta est Apocalypsis, Domitianus scilicet. *Alius nondum venit*, Nervam dicit: *et cum venerit, brevi tempore erit*, biennium enim non implevit.

11. *Et bestia quam vidisti, de septem est.* Quoniam ante istos reges, Nero regnavit.

Et octava est. Ait modo (3): cum illa adveneril, computa locum octavum, quoniam in illo est consummatio, adjecit.

Et in interitum vadet. Nam decem Reges accepisse regalem potestatem, cum ille moverit ab Oriente, ait: Mittetur ab urbe Roma cum exercitibus suis. Et cornua decem et decem diademata Daniel ostendit. Et tria eradicari de prioribus, hoc est, tres duces primarios ab Antichristo interfici. Cæteros septem dare illi honorem, et consilium, et potestatem, de quibus ait:

16. *Hi odient meretricem, urbem scilicet, et carnes ejus comburent igni.* Unum autem de capitibus quasi occisum in mortem, et plagam mortis ejus curatam, Neronem dicit. Constat enim, dum insequeretur eum equitatus missus a senatu, ipsum sibi gulam succidisse. Hunc ergo suscitatum Deus mittet regem dignum, sed dignum qualem meruerunt Judæi. Et quoniam aliud nomen habiturus est, aliud etiam instituturus, ut sic eum tamquam Christum excipiant Judæi, ait Daniel (*Dan.*, XI, 37), Desideria mulierum non cognoscet, cum prius fuerit impurissimus, et nullum Deum patrum suorum cognoscet. Non enim seducere poterit populum circumcisionis, nisi legis sit judicator. Denique et sanctos non ad idola colenda revocaturus est, sed ad circumcisionem suscipiendam, et si quos potuerit seducere; ita enim faciet sibi, ut Christus ab eis appelletur. De inferno autem (4) illum resurgere,

COMMENTARIUS.

(1) *Septem capita septem montes sunt.* Hoc ex cap. XVII, 9. sumptum est, usque eo, ubi iterum verba 13, capitis incipit interpretari, cum ait, *Numerus enim hominis est*: quæ verba mutare noluimus ob id quod interpres ipse dicit Spiritum sanctum non servare verborum ordinem, sed a postremis interdum ad prima interpretanda transire.

(2) Hoc ex cap. XVII, sumptum est. GALL.

(3) *Ait modo.* Hic locus me diu torsit, cum fœde (ni fallor) corruptus esset: eum tamen corrigere conatus sum, quod an consecutus sim, eruditiores homines judicabunt. In manuscripto ita legebatur: *Ait modo cum ille advenerit, amputus loco octavo. quoniam in illa est consummatio.* Octavo loco antichristum venturum dicit; nam octonario numero perfectio designatur, cum mundi finis advenerit, ideo addit: *quoniam in illo est consummatio.*

(4) Nunc redit ad cap. XIII. GALL.

superius diximus verbo Esaiæ, Aqua nutriet illum, A et infernus auxit illum; qui tamen licet et nomine immutato et actu immutato veniat, ait Spiritus :

XIII, 18. *Numerus ejus nomen hominis est, et numerus ejus sexcenti sexaginta sex.* Sicut ex litteris græcis computum habent, sic in compluribus τειταν inveniuntur. τειταν (1) enim hunc numerum habet, quem gentiles Solem Phæbumque appellant, computaturque græce sic : τ trecenti, ε quinque, ι decem, τ trecenti, α unum, ν quinquaginta; qui simul ducti fiunt sexcenti sexaginta sex : quantum enim attinet ad litteras græcas, hunc numerum nomenque explent : quod nomen si velis in latinum convertere, intelligitur per antiphrasin DICLVX (2); quæ litteræ hoc modo computantur : D quippe quingenti (3) figurat, I unum, C centum, L quinquaginta, V quinque, X decem; quod B computatis litteris facit similiter sexcenti sexaginta sex, id est quod græce sonat τειταν, nempe id quod latine dicitur DICLVX, quo nomine per antiphrasin expresso intelligimus antichristum, qui cum a luce superna abscissus sit et ea privatus, transfigurat tamen se in angelum lucis, audens sese dicere lucem. Item invenimus in quodam codice græco αντεμος : quibus computatis litteris invenies numerum ut supra, α unum, ν quinquaginta, τ trecenti, ε quinque, μ quadraginta, ο septuaginta, ς ducenti; quæ simul sexcenti sexaginta sex secundum græcos faciunt. Item aliud ejus nomen gothice quod per se liquebit, id est γενσήρικος, quod eodem modo græcis litteris computabis, γ tres, ε quinque, ν quinquaginta, σ ducenti, η octo, ρ centum, ι decem, κ vigenti, ο septuaginta, ς C item ducenti; quæ ut supra dictum est sexcenti sexaginta sex faciunt.

11. *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra.* Magnum falsumque prophetam dicit, qui facturus est signa et portenta, et mendacia ante illum in conspectu hominum.

Et habebat cornua duo similia agno, id est speciem intus hominis, et loquebatur quasi draco. Loquitur autem diabolus malitia plenus; hæc enim facturus est in conspectu hominum, ut et mortui videantur resurgere.

13. *Et ignem de cœlo descendere faciet in conspectu hominum.* Sed (ut dixi etiam) in conspectu hominum. Hæc magi per angelos refugas et usque hodie faciunt. Faciet et ut imago aurea Antichristi in templo Hiero- D solymis ponatur. Et intret angelus refuga, et inde voces et sortes reddat : faciet etiam hoc ipse, ut accipiant servi et liberi notam in frontibus aut in manibus dextris numerum nominis ejus, ne quis emat vel vendat. Aspernationem Dei et exacerbationem Daniel ante prædixerat (*Dan.*, XI, 45). Et statuet, inquit, templum suum inter Samariam, super montem inclytum et sanctum, id est Hierosolymis, imaginem, sicut fecerat Nabuchodonosor. Tunc heic substituit, modo autem heic recolit, quod Dominus admonens Ecclesias suas de novissimis temporibus et periculis ait : *Cum autem videritis aspernationem quæ dicta est per Danielem prophetam, stantem in loco sancto, qui legit intelligat* (*Matth.*, XXIV, 15; *Dan.*, IX, 27). Aspernatio dicitur quando exasperatur Deus, eo quod idola pro Deo colantur, vel cum dogma hæreticorum introducitur in ecclesiis. Aversio autem quod stabiles homines signis falsis et portentis seducti avertantur de salute.

EX CAPITE XIV.

6. *Et vidi angelum volantem per medium cœlum.* Angelum volantem per medium cœlum, quem dicit se vidisse, jam superius tractavimus eumdem Heliam esse, qui anticipat prædicatione sua regnum Antichristi.

8. *Et alius angelus sequens illum.* Alium angelum sequentem, eumdemque comitem prædicationis ipsius dicit prophetam. Quod autem ait :

15. *Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ.* De gentibus perituris significat in adventu Domini. Et quidem pluribus speciebus hoc illud ostendit, sicut in messes aridas, et semen in adventum Domini, et consummationem mundi, et regnum Christi, et apparitionem regni beatorum futuram.

19, 20. *Et misit angelus falcem, et vindemiavit vineam terræ, et misit in torcular iræ Dei : et calcatum est torcular furoris extra civitatem.* Quod dicit, missum in torcular iræ Dei, et calcatum extra civitatem; calcatio torcularis, retributio est peccatoris.

Et exivit sanguis de torculari usque ad frenos equorum. Exiet ultio sanguinis effusi, sicut ante prædictum est : *In sanguine peccasti, et sanguis te persequetur* (*Ezech.*, XXXV, 6).

Per stadia mille sexcenta. Id est, per omnes mundi quatuor partes; quaternitas enim est conquaternata, sicut in quatuor faciebus et quadriformibus, et rotis quadratis : quater enim quadragies mille sexcenti sunt. Eamdem repetens persecutionem Apocalypsis dicit.

COMMENTARIUS.

(1) TEITAN. Imitatur heic Victorinus Irenæum, *contr. Hæres.*, lib., V, c. 30, § 3, vel, si mavis, Hippolytum ejus discipulum, *Demonstr. de Chr. et Antichr.*, c. L. Videsis quæ annotabamus ad citatum locum Hippolyti, tom. II Bibl. Patrum, pag. 435. Ad subsequentem autem vocem DICLVX quod attinet, vix dubito quin eam sumpserit a nostro Victorino Nicolaus Liranus in suis *Postill. perpet.* ad Apoc., XIII, 18. Qua de re consulendus Bossuetius, doctissimus Meldensis episcopus, *sur l'Apoc.* XIII, 18. Hinc patet minus provide heic argui sanctum Patrem nostrum a Millanio. GAL.

(2) *DICLVX.* Hujusmodi deductio seu tralatio nominis arguit hominem istum humanioris ac politioris litteraturæ plane inscium fuisse. Usque eo enim inepta visa est, et viro docto indigna hæc interpretatio, ut plane suspicari libuerit eam in margine ab imperito aliquo ascriptam potius, quam alii postea imperitiores commentario attexuerint, quam ab auctore traditam fuisse.

(3) *D quippe quingenti.* Ut heic, ita mox locis aliquot rectus pro quarto casu manet : frigida sane est, et levis meo judicio interpretatio; quam tamen ipsam eruditiorum judicio castigandam relinquere, quam de ea audacter quidquam statuere maluimus.

EX CAPITE XV.

1. *Et vidi aliud signum magnum et mirabile, angelos septem, habentes plagas septem novissimas: quia in ipsis consummata est indignatio Dei.* Semper enim ira Dei percutit populum contumacem septem plagis; id est perfecte, ut in Levitico dicit (*Levit.*, XXVI, 24): quæ in ultimo futuræ sunt, cum Ecclesia de medio exierit.

2. *Stantes supra mare vitreum, habentes citharas.* Id est, super baptismum suum stabiliter in fide constitisse, et confessionem in ore suam habentes, exsultaturos in regno coram Deo. Sed ad proposita revertamur.

EX CAPITE XVII.

1, 6. *Venit unus e septem angelis qui habent septem pateras, et locutus est mecum dicens: Veni ostendam tibi judicium meretricis illius magnæ, quæ sedet super aquas multas. Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum et sanguine martyrum.* Decreta senatus illius semper sunt consummata in omnes, contra veræ fidei prædicationem. Et nunc jam, jacta indulgentia, etiam ipse dedit decretum in universis gentibus.

3. *Et vidi ipsam mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ.* Sedere autem super bestiam rubeam auctorem homicidiorum, diaboli imago est, ubi etiam de captivitate ejus, de qua pertractavimus. Memini hanc quidem Babylonem propter confusionem dici et in Apocalypsi, et in Esaia; et Ezechiel Sodomam nominavit. Denique si compares quæ contra Sodomam dicta sunt, et quæ Esaias contra Babylonem dicit, quæque Apocalypsis, unum esse omnia invenies

EX CAPITE XIX.

11. *Et vidi cœlum apertum: et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax.* Equus et sedens super eum Dominum nostrum cum exercitu cœlesti advenientem ad regnum ostendit. A mari etenim Aquilonis quod est Arabicum usque ad mare Phœnicis et usque ad fines terræ majores partes has in adventu Domini Jesu (1) mandaturi sunt, et omnes animæ gentium congregabuntur ad judicium.

EX CAPITE XX.

1-3. *Et vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam in manu sua. Et tenuit draconem, illum serpentem antiquum qui cognominatus est diabolus et satanas, et alligavit illum mille annis: et misit illum in abyssum, et clausit, et signavit super eum, ut non seduceret etiam gentes, donec finiantur mille anni. Post hæc oportet eum solvi brevi tempore.* Illi anni in quibus alligatus est Satanas, isti sunt in adventu primo Christi usque ad terminum sæculi;

A mille autem dicti, eo loquendi modo quo pars significatur a toto sicut est illud: *Verbi, quod mandavit in mille generationes* (*Psal.* CIV, 8): cum non sunt mille. Quod autem ait, *et misit illum in abyssum*, hoc inquit, quia diabolus exclusus a credentium cordibus, cœpit impios possidere, in quorum quotidie cæcis cordibus, tamquam in abyssi profundo inclusus est. Et clausit, inquit, et signavit super eum ut non seduceret gentes donec finiantur mille anni. *Clausit super eum* dictum est, id est interdixit atque cohibuit, ne seducat pertinentes ad Christum. *Signavit* autem *super eum*, quia occultum est qui pertineant ad partem diaboli, et qui ad Christi. Nam et qui videntur stare, nescimus si casuri sint; et qui jacent, si surgant incertum est. Quod autem
B ait ligatum atque inclusum illum, ut non seducat gentes: gentes Ecclesiam significant ex quibus ipsa constat, quas seductas ante tenebat, *donec finiantur*, inquit, *mille anni*, id est quod reliquum est de sexto die, scilicet de sexta ætate, quæ constat mille annis. *Post hæc oportet eum solvi brevi tempore.* Breve tempus tres annos et sex menses significat, quibus totis viribus se ulturus est diabolus sub Antichristo adversus Ecclesiam. Deinde *post* dicit, quod solvendus erit diabolus, et seducturus gentes toto orbe terrarum, et attrahet bellum adversus Ecclesiam, quorum hostium numerus erit ut arena maris.

4, 5. *Et vidi sedes et sedentes super eas, et judicium datum est illis: et animas occisorum propter testimonium*
C *Jesu, et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam nec imaginem ejus, neque acceperunt scriptionem in frontem aut in manum suam, et regnaverunt cum Jesu mille annis: reliqui eorum non revixerunt, donec finiantur mille anni. Hæc resurrectio prima est.* Duæ sunt resurrectiones: sed prima resurrectio nunc est animarum per fidem, quæ non permittit homines transire ad mortem secundam. De hac resurrectione dicit Apostolus: *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite* (*Coloss.* III, 1).

6. *Beatus et sanctus qui habet in hac resurrectione partem: in istis secunda mors non habebit potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum eo mille annis.* Mille annorum (2) regnum non arbitror esse æternum; aut si ita sentiendum est,
D completis annis mille regnare desinunt; sed ut mei sensus capacitas sentit, proferam. Denarius numerus decalogum significat, et centenarius virginitatis coronam ostendit: qui enim virginitatis integrum servaverit propositum, et decalogi præcepta impleverit fideliter, et feros mores vel impuras cogitationes intra cordis cubiculum jugulaverit, ne dominentur ei, iste est verus sacerdos Christi, et millenarium numerum perficiens integre creditur regnare cum Christo, et recte apud eum ligatus est

COMMENTARIUS.

(1) *In adventu Domini Jesu mandaturi.* Quid si *mundaturi* legas, unius tantum litteræ mutatione? Neque nos ullum magis proprium quod affinitate syllabarum cum iis quæ subinde sequuntur cohæreret, verbum invenire potuimus.

(2) *mille annorum regnum.* Ego hunc locum, nisi

ligatus est diabolus. Qui vero vitiis et dogmatibus hæreticorum irretitus est, in eo solutus est diabolus. Sed quia completis mille annis dicit eum solvi, et completo perfectorum sanctorum numero in quibus corpore et corde virginitatis decus est regni adveniendi (1) abominandi adventu, multi ab eo amore terrenorum seducti supplantabuntur, et simul cum eo igneum ingredientur stagnum.

8-10. *Et ascenderunt super terræ latitudinem, et cinxerunt castra sanctorum, et dilectam civitatem: et descendit ignis de cælo a Deo, et comedit eos; et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Hoc jam ad judicium novissimum pertinet, et post modicum tellus reddita est sancta, utique in qua dudum quieverant corpora virginea: cum immortali rege æternum suscipient regnum, qui non solum corpore virgines, sed et lingua et cogitatione pariter inviolabiliter se a nequitia tutaverunt (2), quos exsultaturos cum Agno demonstrat permanere.

EX CAPITE XXI ET XXII.

16. *Et civitas in quadro posita est.* Civitatem quam dicit quadratam, auro et pretiosis resplendere lapidibus, et plateam sanctam, et flumen per medium, et lignum vitæ ex utraque parte faciens fructus duodecim per duodecim menses, et solis lumen ibi non esse, quia Agnus est lux ejus; et portas ejus de singulis margaritis, ternas portas ex quatuor partibus, et claudi non posse. Civitatem inquam quadratam sanctorum adunatam turbam ostendit, in quibus nullo modo fides fluctuare potuit. Sicut Noe præcipitur (*Gen.* VI, 14), ut ex quadratis lignis faceret arcam, quæ diluvii posset impetus ferre, pretiosos lapides qui fluctuare non possunt in persecutione sanctos viros ostendit, qui nec tempestate persecutorum moveri, nec impetu pluviæ a vera fide dissolvi potuerunt; propterea auro mundo sociantur, ex quibus regis magni civitas decoratur. Plateæ vero eorum ostendunt corda ab omnibus mundata sordibus, perspicua luce fulgida, ut merito in iis deambulet Dominus. Flumen vitæ, spiritualis doctrinæ per mentes fidelium currere gratiam, et multiplicia odorum germinasse virentia ostendit. Lignum vitæ ex utraque ripa, Christi secundum carnem ostendit adventum; qui ab uno ligno crucis vitam suscipientes, populos fame consumptos verbi Dei prædicatione satiavit. Et quia dicit in civitate solem non esse necessarium, evidenter ostendit creatorem lumen immaculatum fulgere in medio ejus, cujus splendorem nullus potuerit sensus cogitare nec lingua proloqui. Quod ex quatuor partibus portas dicit ternas esse positas ex singulis margaritis, quatuor arbitror esse virtutes, videlicet prudentiam, fortitudinem, justitiam, temperantiam, quæ invicem sibi hærent. Et dum mutuo miscentur, duodenarium efficiunt numerum. Portas vero duodecim, Apostolorum esse credimus numerum, qui in quatuor virtutibus ut pretiosæ margaritæ fulgentibus, inter sanctos lumen doctrinæ suæ manifestantes civitatem cœlestem ingredi faciunt; ut de conversatione eorum, angelorum lætetur chorus. Non posse autem claudi portas, evidenter ostenditur nulla contradicentium tempestate apostolorum doctrinam separari a rectitudine, etiamsi fluctus gentium, et hæreticorum vanæ superstitiones contra fidem eorum veram insurrexerint: superati, ut spumæ dissolventur, quia petra Christus est, a quo et per quem Ecclesia fundatur. Ideoque nullis fluctibus insanientium hominum superatur. Ergo audiendi non sunt qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant, qui cum Cerintho hæretico sentiunt. Nam regnum Christi nunc est sempiternum in sanctis, cum fuerit gloria post resurrectionem manifestata sanctorum.

COMMENTARIUS.

a proposito deduci religione prohiberer, libenter ita restituissem: *Mille annorum regnum arbitror æternum esse, aut si non ita sentiendum est*, etc.

(1) *Adveniendi. Venturi*, seu *adveniente*, opinor legi oportere.

(2) *Tutaverunt.* Pro *tutati sunt* positum esse existimo. Nos cum meliorem lectionem non haberemus, quam in veteri exemplari invenimus, etiam si minime nobis illa probaretur, reliquimus, ut eruditiores aut conjecturam nostram reciperent, aut locum ipsi suo arbitrio inquinatum castigarent. Obsoleta verba mutare nolui, ut ab antiquo codice quam minime possem declinarem. Ego in his annotationibus quæ tuto castigare potui, bona fide præstiti: neque sum, si quis opinionem meam improbaverit, continuo illi succensurus, tantum ille meliorem certioremque afferat; quam tantum abest ut rejiciam, ut ejusdem me defensorem sim sincere professurus: libellus certe ita male a librariis acceptus est, ut vix omni diligentia restitui posse videretur: quo fit, ut minus culpandi simus, si conjecturam alicubi maluimus sequi, quam contaminati exemplaris auctoritatem.

DE MAGNETE PRESBYTERO

NOTITIA HISTORICA, CUM FRAGMENTO,

EX D. LUMPER DESUMPTA.

ARTICULUS PRIMUS.

Ejus Vitæ Synopsis.

Magnes qui et Macarius Magnes, quo tempore claruit. Presbyter Hierosolymitanus fuisse traditur. An etiam Episcopus? — Magnes, sive Magnetes, vel potius Macarius Magnes, desinente sæculo tertio flo

ruisse existimatur. Ita quidem præ cæteris doctissimus Tillemontius, qui de isto Ecclesiæ scriptore, obscuri nominis licet, ipsiusque litterarum monumentis satis diligenter edisserit (1). Guilielmus autem Caveus non solum auctoris ætatem antehac incompertam, sed quo etiam charactere fuerit insignitus, expiscari sibi demum licuisse profitetur. Sic enim ille (2): Germanus patriarcha constantinopolitanus in Dogmatico ad Anthimum ms. apud cl. Galeum, ubi de synodo antiochena adversus Samosatenum agit, hæc habet. *Intererant*, inquit, *Concilio* Antiocheno contra Paulum Samosatenum Gregorius Thaumaturgus, *Leo Tarsensis* (legendum judice Caveo Ἕλενος pro Λέων, levi mutatione, is enim erat hoc tempore tarsensis episcopus, uti diserte habent Eusebius, Syncellus et Nicephorus) ***Maximus Bostrensis***, καὶ Ἱεροσολύμων Μάγνης τις ἱερεὺς καὶ τῆς ἡμετέρας Καππαδοκίας Φιρμιλιανὸς ὁ Θαυμάσιος, *Theotecnus*, ***Photinus***, ***Marcellus***, etc. Claruit igitur anno 265, quo habita est adversus Paulum Antiochiæ synodus; saltem anno uno alterove sequenti. Episcopos enim hac occasione κατὰ καιρὸν διαφόρως καὶ πολλάκις in unum coiisse refert Eusebius lib. VII, cap. 28, quod, vel de diversis synodis vel de diversis ejusdem synodi sessionibus intelligendum est. Quidquid sit, vix de alia synodo, quam quæ anno 265, habita est, intelligi potest Germanus, cum hoc circiter anno Gregorius Thaumaturgus obiisse dicitur. Cum igitur sacerdos fuerit hierosolymitanus Magnes noster, Hymenæum episcopum suum eo comitatus est. Plures enim presbyteri et diaconi huic concilio interfuerunt. Hucusque Caveus.

De ipsius Magnetis litterarum monumentis. — Verum ad presbyteralem Magnetis dignitatem quod attinet, observandum cum Tillemontio, ejus nomen *Episcopi* titulo fuisse prænotatum (ἱεράρχης) in operis exemplari ab eo litteris consignati, quod sub initium sæculi noni fuit detectum ab orthodoxis, qui cum Iconomachis decertabant. Narrat Photius (3), uti advertit Lequienius (4) inter Præsules, qui adversus Chrysostomum in Synodo ad Quercum Chalcedonis suburbium convenere, adstitisse quoque Macarium Magnesiæ, sive Magnetum Episcopum, delatorem Heraclidæ, quem ipsemet Chrysostomus Ephesi Episcopum creaverat. Hinc fortasse sive fraude, sive ignorantia, *Episcopi* titulum addiderit librarius, Magnetis vetustioris opus exscribens.

Libri* V *Responsionum adversus Theosthenem Damasceni ævo notissimi. — Utut est, scripsit Macarius Magnes libros V Ἀποκριτικῶν, seu responsionum adversus Theosthenem ethnicum, Evangelium calumniantem. Atque hos quidem libros Damasceni ævo fuisse notissimos, annotavit modo laudatus Lequie-

A nius (1). Complura vero eorumdem Apocriticorum ἀποσπασμάτια extare noscuntur in Nicephori patriarchæ constantinopolitani *libris Antirrheticis adversus Iconomachos;* quæ ineunte hoc sæculo vir clarus Anselmus Bandurius monachus et abbas benedictinus ex regiis codicibus descripta, fere a se in lucem emittenda viris eruditis receperat (2): additis præterea nonnullis fragmentis commentarii ejusdem Macarii Magnetis in Genesim, ex ms. codice ottoboniano desumptis.

Jamque antea integrum librum excerptorum ex scriptoris nostri apocriticis detexerat eruditissimus Joannes Bovinius in Nicephori Antirrheticis inscriptum: *de Testimoniis Macarii Magnetis*, uti ipsemet testatur (3).

B Dum vero ab his duumviris evulganda ejusmodi pretiosa scriptoris vetustissimi monumenta solliciti exspectabamus, spem fecit deinceps Magnus Crusius (4) nos ab se tandem eadem excerpta propediem fuisse accepturos, quæ nimirum cum eo communicarit ispemet Bovinius. Petita sunt ea, inquit, ex *libro* IV *Apocriticorum*, ubi auctor ad veritatem religionis christianæ stabiliendam imprimis agit contra græcum quemdam philosophum; specialimque de monarchia divina, ejusdemque majestate contra idololatriam gentilium disputat. Subditque: Accedent huic operi etiam fragmenta commentarii ejusdem Macarii Magnetis in Genesim; in quibus de Adami creatione, de benedictione diei septimæ, de plantatione horti Eden, de impositione nominum singulis C bestiarum generibus ab Adamo facta, de adjutorio feminæ ab ipso Deo instituto, de seductione serpentis, et lapsu primorum parentum, et denique de tunicis pelliceis a Deo fabrefactis disseritur. Hucusque cl. Crusius. Utinam vero vel integrum Macarii Magnetis Apocriticorum opus, vel saltem illius excerpta, Græcis latinisque litteris aliquando prodeant.

Fragmentum Magnetis de Eucharistia olim a Turriano editum a Gallandio iterum evulgatum. — Atque integrum sane illud opus præ manibus habuisse perhibetur Franciscus Turrianus: ex eo siquidem multa passim delibavit, quibus adversus novatores summa fidei capita propugnaret. Imprimis autem eo usus est vir doctus in tractatu *de sanctissima Eucharistia;* quem vulgavit adversus Andream Volanum Polonum, D Calvini discipulum; ubi luculentissimum Magnetis testimonium profert de reali præsentia corporis et sanguinis Christi in sacramento eucharistico Altaris, ex ejus libro III Apocriticorum desumptum.

Quem quidem locum ex prima illius tractatus editione florentina anno 1575 descriptum excudendum curavit indefessus Andreas Gallandius in Bibliothecæ Veterum Patrum tomo III, a pag. 541-542, et recte quidem; nam editio parisiensis anni 1577, unde

(1) Tillemont., *Memoir.* seu *Hist. des Emper.*, tom. IV, pag. 308-311, dans la Vie de Constantin le Grand, artic. XCIII, edit. Bruxell., pag. 127 et seqq.
(2) Cave, *Hist. litterar.*, ad an. 265, tom. I, p. 136.
(3) Phot. Bibl. Cod. LIX.
(4) Lequien. Or. Christ. tom. II, pag. 698. Ne verbulum hoc in loco de Magnete occurrit, falsa citatio Gallandii. Sed hæc habentur in Nota (5).

(1) Tom. I, pag. 271, operum S. Damasceni. Lequien in Not. ad opp. Damasceni, tom. I, pag. 271.
(2) Fabric., *Bib. Græc.*, tom. V, pag. 641-683.
(3) Bovin., in not. ad Nicephor. Gregoram. p. 794.
(4) Crus., *Dissert. Epistol.*, § II, pag. 8-11.

illum hausit, edidiitque Fabricius (1), minus emendata esse comperitur. Subjecit insuper novus editor Gallandius græca quædam ab Allatio exhibita *in exercitationibus adversus Creyghtonum:* (2) eaque insuper addidit, quæ protulit Zacharias Cretensis in responsionibus ad Guisium cardinalem Lotharingicum (3) haud ita pridem a Joanne Lamio evulgatis (4). Tandem alia etiam quædam loca a laudato Turriano ex eodem Magnete relata in libris pro Epistolis Pontificum, quæ Gallandius serius detexit, in prolegomenis, cap. XIII, pag. 34, in medium proferre operæ pretium esse duxit, ne quid ex pervetusti ecclesiastici scriptoris fragmentis evulgatis, suæ Patrum antiquorum collectioni deesse videatur, donec alicunde prodeant Nicephori CP. *libri Antirrhetici adversus Iconomachos*, ex quibus ad Ecclesiæ præsidium atque ornamentum multo plura nostri Magnetis excerpta prostabunt. — Sunt autem sequentia loca: *Magnetes*, inquit Turrinianus (5) *auctor antiquissimus*, *lib.* III *Apologetico contra Theosthenem:* «Alia enim, inquit, mactabantur spiritibus aeris, alia terrenis, alia subterraneis. Spiritibus aeris immolabantur volucres: ἐπιχθονίοις, id est, terrenis, quadrupedes nigri, quia sit terra natura nigra: ὑποχθονίοις, id est, subterraneis, item quadrupedes nigri in scrobibus, sive foveis.» Hactenus Magnetes.

Et infra (6): «Magnetes, vetustissimus scriptor ecclesiasticus, lib. II et V, quos contra Theosthenem gentilem, discrepantiam evangelistarum et alia nobis falso in Evangelio objicientem, scripsit, ait: Pro eo quod unus evangelistarum dixit (7), *calamo spongiam circumponentes*, dixisse alium (8), propter similitudinem arbusti *hyssopo circumponentes*, cum dicendum, *inquit*, esset *calamo*. «Item, quod unus Evangelista dixit (9), *vinum*, rursum dictum esse (10) *acetum* in cruce (ex eodem enim vase posito hauserunt, cum perventum est ad Calvariam, et in cruce) præsertim,» inquit, «cum legem historiæ Evangelistæ servarent; nihilque ultra scriberent, quam quod tunc dicebatur in illo tumultu ac furore. Sic enim existimarunt, ut historia omni suspicione careret, εἰ μὴ περιεργότερον ἀλλ' ἄπλαστον εὑρεθεὶη τῆς ἱστορίας τὸ γράμμα:» Id est, «si littera historiæ non curiosa, sed simplex reperiretur.»

Atque alibi (11): «Idem Magnetes, quem supra memini, in libro IV Apologiarum contra Theosthenem, Evangeliorum calumniatorem, reddit rationem, cur se hoc loco Paulus alioqui viventem mortuis annumeraverit: Οὕτω γὰρ ἂν τις φιλαίτερος καὶ τῶν ὁμοστοίχων ἀγαπῶν τὴν συγγένειαν δοκεῖ. Quia sic» inquit «fit, ut videatur aliquis amicos quibus se annumerat, eosque qui sui ordinis sunt, diligere.» Hæc ex Magnete Turrianus, iis addenda, inquit Gallandius, quæ infra suo loco retulimus.

ARTICULUS II.

Magnetis Fragmentum ex libro III *Apologiæ evangeliorum adversus Theostenem ethnicum apud Franc. Turrianum Tract. de sanctissima Eucharistia contra Volanum Polonum, pag.* 93, *edit. Florentinæ*, 1575.

I. «Quod vero (1) non sit hoc ξένον, καὶ φρικῶδες, id est, inauditum et horrendum, considerare licet puerum infantem, quomodo nisi manducet carnem et sanguinem matris, non vivit: natura enim sanguinis est secundum veritatem lac. Ut autem clarius dicam, naturale aliquid narrabo, ne hoc fabulam putes. Ex terra nati sumus secundum corpus, et quodam modo carne ejus et sanguine alimur, id est, frumento et vino. Audi nunc attente. Principio creavit Filius Dei terram: ex terra hominem formavit: ex homine carnem sumpsit ipse. Si igitur (2) de corpore prædicatur terra ratione originis antiquæ; erat autem terra ratione creationis propria Christi creatura; et ex hac panis et vinum exstiterunt; ex ipsa rursus corpus hominis; hoc autem corpus Christus induit: merito cum accepisset panem et vinum, dixit: *Hoc est Corpus meum* (*Matth.*, XXVI, 26; I *Cor.*, XI, 34).

II. Deinde subjungit. «Οὐ γὰρ τύπος σώματος οὐ δὲ τύπος αἵματος, ὥς τινες ἐῤῥαψῴδησαν πεπηρωμένοι, ἀλλὰ κατ' ἀλήθειαν αἷμα καὶ σῶμα Χριστοῦ. (3) Id est: Non enim figura est corporis aut sanguinis, ut quidam

(1) Fabric., *in Delectu argum.*, pag. 70-72.
(2) Allat., *contra Creyght.*, pag. 563.
(3) Zachar. Cretens, *Respons.*, pag. 77.
(4) Lamy, *ad Nicetæ enarrat. in Epist.* I *ad Corinth.*, part. I, pag. 72 et seqq.
(5) Turrian., *Epist. Pontif. et Canonibus Apostol. adv. Centuriat. Magdeburg.*, Colon., 1573, lib. I, cap. 5, pag. 21.
(6) Id., ibid., lib. II, cap. 3, pag. 165.
(7) Marc., XV, 36.
(8) Joan., XIX, 29.
(9) Marc., XV, 23.
(10) Matt., XXVII, 48; Luc., XXIII, 36; Joan., XIX. 29.
(11) Turrian., loc. cit., lib. II, cap. 13, pag. 211.

(1) *Quod vero*, etc. Præclaro huic fragmento Turrianus ista præmittit: «Convertam heic e græco, quæ Magnetes ecclesiasticus auctor, et valde votus, libro tertio *Apologiarum adversus* Theostenem Evangeliorum calumniatorem scripsit. Dicebat ergo iste idem, quod Capharnaitæ illi: *Durus est hic sermo; et quis potest audire eum?* Respondet Magnetes: *Quod vero*, etc.»
(2) *Si igitur de corpore*. Ab his verbis usque ad finem Turrianum exscripsit Coccius, suppresso ejus nomine: *Thes. Cathol.*, t. II, p. 607 seq.
(3) Οὐ γάρ..... Χριστοῦ. Repetit hunc ipsum locum Turrianus, ad lib. V, *Constit. Clem.*, c. 13, sub finem: ex eoque, ut videtur, Bulengerus, *Diatrib.* III, *ad Casaub. Exerc.*, p. 164. Lequienius, item V. C. eadem recitat ex Turriani loc. cit., ad *Joan. Damasc. de Fide orthod.*, lib. IV, p. 271, ubi observat Damasceni ævo notissimos fuisse libros Macarii Magnetis contra Theosthenen ethnicum, neque præterire licet illustre testimonium Zachariæ Cretensis in *Responsionibus* ad reverendiss. Claudium Guisium cardinalem Lotharingium, quas haud ita pridem edidit vir doctissimus Joannes Lamius *ad Nicetæ enarrat. in epist.* I *ad Corinth.*, parte I, p. 72 et seqq. Sic igitur ille, p. 77: Ὁ δὲ Μάγνης διδάσκαλος ἀρχαῖος ὤν, οὕτως ἐν ἀπολογίᾳ τοῦ εὐαγγελίου πρὸς Θεοσθένην φησί, Ὅτι ἡ εὐχαριστία ἀληθῶς σῶμα, καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ· οὐ τύπος σώματος καὶ αἵματος, ὥς τινες ῥαψῳδήσαντες πεπηρωμένοι τὸν νοῦν ἔλεγον. Magnes autem, qui antiquus magister est, ita in Evangelii Apologia adversus Theosthenem ait: quod Eucharistia vere corpus et sanguis Christi est, non figura corporis et sanguinis, ut quidam fabulantes mente excæcati dixerunt.»

stupida mente nugati sunt, sed potius vere corpus et sanguis Christi. » Pergit adhuc philosophari : « Quandoquidem vero, » inquit, corpus ex terra exstitit, ex terra autem panis et vinum ; quomodo non est alius ausus dicere : *Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus* (*Joan.*, VI, 56)? Nempe, quia nullus est creator terræ, nisi hic : nullius est creatura, nisi Filii Dei. Idcirco dixit : *Hoc est corpus meum :* mea enim, et non alterius, est creatura terræ. Omnes enim post terram geniti sunt, corpus a me accipientes ; ego vero ante terram, a nullo hanc accipiens : ex hac corpus, id est, ex mea creatura accepi, sumens carnem. Ex meo igitur propono vobis charisma. Ex terra vobis panis ad alendum exstitit : terra vero creatura mea est : ex terra similiter exstitit corpus, et hæc mea massa. Ex unione igitur, qua unitus sum, sanctus cum terreno, do panem et vinum, jubens esse corpus meum et sanguinem. »

III. « Etenim si Abraham, aut alius quispiam ex justis ac sanctis dixisset : *Caro mea est cibus, et sanguis meus potus*, valde mentiri ausus esset, aut si dixisset, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus :* non enim hoc ipsius, sed alterius esset substantia, neque manducata vitam manducantibus præberet. Siquidem quod non habet verbum vivens unitum cum corpore, quod fuit terrenum, ad æternam vitam edentes non adduceret. Christus ergo proprium corpus et sanguinem dedit credentibus, immisso eis vitali pharmaco divinitatis. Deinde subjungit : Ἄρτον γοῦν λέγων τὴν σάρκα καὶ οἶνον τὸ αἷμα, ἐπαίδευσεν ἡμᾶς εὐλόγως ἐκ γῆς εἶναι τὸ σῶμα. Id est : cum igitur eam, quæ caro est, vocat panem, et eum, qui sanguis, vocat vinum ; docuit nos convenienter rationi, ex terra esse corpus similiter et panem, et unius generis substantiam in corpore et pane.

IV. « Cæterum panis communis ex terræ cultura elaboratus, etsi caro quædam terræ est, tamen vitam æternam præbere non promittit, sed breve solatium præbentibus tribuit, cito eo extincto sine divino spiritu. Panis vero in beata Christi terra virtute divinitatis unitæ confectus, solo gustu immortalitatem homini affert. Mysticus enim panis cum benedictionem patris habeat inseparabilem, illam dico, quæ in corpore et sanguine ejus facta est, unit comedentem corpus Christi, eumque membra Christi efficit. Ut enim charta vim, quam per litteras magistri accepit, discipulo tradit, et per eam cum magistro illum unit : sic corpus quod ille panis mysticus est, et sanguis, qui illud vinum, immortalitatem intemeratæ divinitatis participanti tribuunt αὐτόθεν, id est, e suo, sive ex se ipsis ; et per eam ad mansionem incorruptibilem creatoris reducunt. Caro enim Salvatoris manducata non corrumpitur (1) nec sanguis hic potatus consumitur : quin potius qui edit, ad incrementum virium venit ; qui vero editur, consumi non potest : quia omnis consumptio ratione quadam naturæ cognata est. »

Hoc ipsum fragmentum indefessus et doctissimus D. Pater Dominicus Schrammius in tomo VI Analysis operum SS. patrum et scriptorum ecclesiasticorum typis Augustanis 1784, a pag. 418-420, reimprimi curavit, omissis tamen Gallandianis notis ex Allatio, Zacharia Cretensi et Lequienio depromptis. Cæterum optandum esset, ut integrum Macarii Magnetis *Apocriticorum* opus publici aliquando juris fieret ; sperandum quippe esset, ex scriptoris vetustissimi documentis fidei orthodoxæ atque disciplinæ ecclesiasticæ lucem magnam fore adfundendam. Elapso equidem sæculo cl. Albertinus et hoc opus vellicavit, ipsiusque auctoris ætatem et veritatem inficiatus est (2) his verbis : « *Verum*, inquit, ad populum phaleras. Quis enim veterum, immo etiam recentiorum per novem aut decem sæcula Magnetis hujus, vel quoad nomen tantum meminerit? Fictitius prorsus auctor est, aut saltem novus aliquis ac nuperus Græculus, cujus scriptorum certitudo tota est penes Turrianum exigui judicii virum, fideique valde suspectæ. Et audent adversarii absque verecundia ejusmodi quisquilias pro veterum monumentis in medium adducere. Proh Dei atque hominum fidem. » Verum quam temerarium fuerit Albertini hac de re judicium, et perdoctus Caveus observat, et ex hucusque dictis abunde constat (3).

(1) *Caro enim Salvatori smanducata.* Græca hujus loci exhibet Allatius in *Exercit. contra Creyglhonum*, p. 563. Οὔτε σάρξ τοῦ Σωτῆρος τρωγομένη φθείρεται, οὔτε ἐξαναλίσκεται τὸ αἷμα πινόμενον, ἀλλ' ὁ τρώγων μὲν εἰς αὔξησιν θείων δυνάμεων αἴρεται· τὸ δὲ τρωγόμενον ἐστιν ἀδαπάνητον, ἐπειδὴ τοῖς ἀδαπανήτου φύσεως λόγῳ τινὶ συγγενὲς ὑπαρχεῖ καὶ αχώριστον. « Neque vero caro Salvatoris manducata corrumpitur, neque sanguis potatus consumitur : sed qui edit, divinis virtutibus augescit ; quod vero editur, consumi non potest : quoniam rei consumptibili naturæ cognatum quodammodo est, minime ab ea separabile. » Eadem ex Allatio repetit Lequienius, loc. cit., p. 273.

(2) Albertin., *de Sacram. Eucharist.*, lib. II, p. 400.

(3) Cave, *Hist. litter.*, t. I, 135.

DE ARNOBIO AFRO
NOTITIA HISTORICA.

SYNOPSIS.

I. *Arnobius Siccæ in Africa rhetor clarus sub Diocletiano. Ethnicæ superstitioni addictus, divinitus ad christianam religionem vocatur.*

II. *Locus hieronymianus de Arnobio expenditur.*

III. *Quo tempore libros* VII *adversus gentes conscri-*

pserit, inquiritur. Id vero contigisse anno CCCIV *aut insequente, ex ipso auctore ostenditur.*

IV. *Operis arnobiani pretium exponitur. Multo luculentius ethnicam superstitionem impugnasse, quam christianam veritatem docuisse auctor existimatur.*

V. *De præcipuis operis editionibus. Præstantior Lugduno-Batava, quæ tamen nævis mendisque haud caret. Quid operæ in nostram adornandam collatum.*

I. Discimus ab Hieronymo (*Hieron., de Vir. illustr., cap.* LXXIX), Arnobium Siccæ, quæ Africæ mediterraneæ urbs erat, sub Diocletiano principe florentissime rhetoricam docuisse : quo quidem tempore idolorum cultui se fuisse addictum ipsemet deplorat his verbis : « Venerabar, o cæcitas, nuper simulacra.... Nunc doctore tanto (Christo) in vias veritatis inductus, omnia ista quæ sint, scio : digna de dignis sentio (*Arnob., adv. Gent., lib.* I, *cap.* 13). » Quomodo autem acciderit ut Christianam religionem amplecteretur, idem Hieronymus alibi sic tradit : « Arnobius rhetor clarus in Africa..., cum in civitate Siccæ ad declamandum juvenes erudiret, et adhuc ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neque ab episcopo impetraret fidem quam semper impugnaverat, elucubravit adversus pristinam religionem luculentissimos libros; et tandem velut quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetravit (*Hieron., in Chron. ad ann.* MMCCCXLII, *pag.* 181). Tanto igitur lumine donatus fuit Arnobius, quin et somniis divinitus immissis adeo perculsus, ut pristinam impietatem ejurarit verumque Dei cultum fuerit amplexus. Docet enim ille, Christum « non per vana insomnia, sed per puræ speciem simplicitatis apparere (*Arnob., adv. Gent., lib.* I, *cap.* XVI), adhuc suo tempore consuevisse : expertus id nimirum, inquit Dodwellus, ipsemet scripsit auctor : ut propterea vere dixerit se ab ipso Christo « doctore tanto in vias veritatis fuisse inductum (*Dodw., Dissert. Iren.* II, § 57, *pag.* 199). » Quid autem posthac egerit Arnobius, quove anno e vivis excesserit, plane incompertum habemus.

II. Neque vero ex Hieronymi verbis modo recitatis quisquam arguat, ad annum saltem CCCXXVI, vitam produxisse auctorem nostrum, propterea scilicet quod illa proxime scripserit sanctus Doctor post notata Constantini vicennalia, eodem Christi anno CCCXXVI celebrata : siquidem ex iisdem verbis Hieronymianis colligendum esset, eo ipso anno conversum fuisse ad Christi fidem Arnobium, adeoque paulo ante suos conscripsisse libros adversus gentes, quibus *velut quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetrarit* : cum contra manifestum sit ex eodem Arnobio, ut mox videbimus, neque obscure præterea ex ipso Hieronymo appareat (*Hieron., de Vir. ill., loc. cit.*), eos libros imperante Diocletiano fuisse ab auctore perscriptos. Quo igitur Hieronymus sibi constet, observandum interest cum viro doctissimo (*Nourr., Appar. ad Bibl. patrum, tom.* II, *pag.* 283), eo Chronici Eusebiani loco non indicasse veram Arnobii ætatem doctorem maximum. Nam in Chronico post notata ab Eusebio Constantini vicennalia, ipse Hieronymus statim subdit : « Huc usque historiam scribit Eusebius, Pamphili martyris contubernalis, cui nos ista subjecimus. » Tum continenter : *Arnobius*, inquit, *rhetor*, etc. Ne igitur Eusebii narratio abrumperetur, Hieronymus verba de Arnobio, cujus nulla mentio apud illum episcopum cæsariensem, superioribus Eusebianis suffecerit : cum jam postea suam de eodem scriptore sententiam in proprio *de Viris illustribus* opere manifestam ediderit.

III. Jam vero propius inspiciendum, quo demum tempore Arnobius libros VII adversus gentes conscripserit. In ejus itaque opere tres notationes comparent, quarum duæ chronologicæ, tertia vero historica ; ex quibus quod quærimus, definiri, utcumque valeat. Et primum quidem sic loquitur auctor : « Trecenti sunt anni ferme, minus vel plus aliquid, ex quo cœpimus esse christiani, et terrarum in orbe censeri » (*Arnob., lib.* I *adv. Gent., cap.* 6). Ubi trecenti anni, ut cum Dodwello loquamur (*Dodw., Dissert.* II *Iren.*, § 56, *pag.* 197), si a XLII Augusti pro illorum temporum chronologia supputentur, desinent in annum æræ vulgaris CCXCVIII. Deinceps vero Arnobiana isthæc nobis occurrunt : « Ætatis urbs Roma cujus esse in annalibus indicitur? Annos ducit quinquaginta et mille, aut non multum ab his minus » (*Arnob., lib.* II, *cap.* 34). Anno autem Urbis conditæ ML juxta putationem varronianam respondet æræ vulgaris anno CCXCVII juxta capitolinam vero incidit in annum Christi CCXCVIII, ut proinde huc usque fere sibi concors videatur auctor. At cum priore in loco addat, *minus vel plus aliquid*; in posteriore autem, *aut non multum ab his minus* : hinc dubitatio suboritur, num utrobique calculos accurate posuerit.

Posthabito itaque utroque charactere chronologico, ad alium historicum qui certior esse videtur, propterea recurrendum. Sic igitur prosequitur auctor : « Nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui (*Id., lib.* IV, *cap.* 18)? Quæ sane verba scripserit Arnobius post annum CCCIII, quo Diocletiani persecutio sævire cœpit. « Tunc enim, inquit Eusebius, *Ædes sacras* solo æquari ac funditus subverti, *sacros divinarum Scripturarum libros* in medio foro concremari, oculis nostris vidimus (*Euseb., Hist. eccles., lib.* VIII, *cap.* 8). » Atque hanc veriorem sententiam de tempore quo scribebat Arnobius, primus omnium amplexus est Baronius (*Baron., ad ann.* 302, § 17), quem deinde sunt assectati Dodwellus (*Dodw., loc. cit.*), Pagius (*Pag., ad ann.* 302, § 15) aliique, licet eam quodammodo infirmare aggressus sit Tillemontius (*Tillem., Mem., tom.* IV, *pag.* 767, *not.*). Quamvis autem in hoc postremo loco certius loqui videatur Arnobius, non est tamen cur illum censeamus cum nonnullis viris eruditis, in suis reliquis putationibus haud sibi constare. Neque enim demum uno calami ductu integros septem suos libros exaraverit auctor. Adeoque duos priores perscribens, annos Urbis conditæ primum ; deinde vero annos æræ christianæ, *plus aliquid*, *aut*

non multo minus probe putarit : accedens autem ad A librum IV, quo fervebat diocletiana persecutio, notis certioribus scriptionis suæ tempus nobis prodiderit. Quibus positis, anno demum CCCIV, aut forte insequente, integrum suum opus Arnobius perfecisse videtur.

IV. Nunc vero de operis Arnobiani pretio loqui placet cum viro erudito, in hanc ferme sententiam edisserente : « Reconditæ hoc sapientiæ promptuarium quo insana gentium religio exploditur, vera confirmatur, omni laude majus est. Quis enim eloquentiæ nervos, rationum pondera, exquisitas sententias cum pervolvit, non abripitur in amorem et desiderium tanti auctoris? Ubique triumphat florentissima ejus dictio, atque ipsi adeo gentiles suo jugulantur B gladio. Calamus ille simul omnes tacentes gentilium deos perfodit, confecit. Verbo, Arnobius Afer adversus gentes, abstrusæ eruditionis auctor, subtilis, disertus, ingenio et facundia præstans, ethnicismi debellator fortissimus » (*Præfat. ad Arnob., edit. Lugd. Bat.*, 1651). Hæc ille.

Quandoquidem vero Arnobius in suis septem libris conscribendis duplex sibi pensum absolvendum proposuerit, nimirum ut et falsam gentilium et veram christianorum esse religionem evinceret : multo luculentius ethnicæ superstitionis impietatem impugnasse, quam christianæ fidei veritatem ostendisse visus est. Hinc sanctus Hieronymus : « Ego, » inquit (*Hieron., epist.* LXII, *al.* LXXVI, *ad Tranquill*, § 2), C « Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium et nonnullos ecclesiasticos scriptores, græcos pariter et latinos; ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem : *Omnia probate ; quod bonum est, tenete* (I *Thess.*, V, 21). » Cæterum non adeo incomperta fuerunt Arnobio christianæ religionis mysteria, quin recte de summis fidei capitibus disputarit; ut adversus nonnullos morosiores homines luculenter demonstrarunt viri doctissimi, Nourryus (*Nourr., Appar. ad Bibl. patrum, tom.* II, *pag.* 290, 296 *et seq.*), Maranus (*Maran., Divin. D. N. J. C., lib.* III, *cap.* 4, § 5, *et lib.* IV, *cap.* 22, § 1, *pag.* 326, 534), alii quos proinde consulere operæ pretium fuerit.

V. Sed ut de auctore demum ejusque opere ser- D monem concludamus, ex uno superstite ms. codice bibliothecæ vaticanæ, octingentis et amplius abhinc annis eleganti charactere exarato ; qui postea in regiam bibliothecam parisiensem transiit, curis Fausti Sabæi prodiit operis Arnobiani princeps romana editio anno 1542. Hanc vero insecutæ sunt complures, virorum eruditorum, Canteri, Ursini, Elmenhorstii, Stewechii, Heraldi aliorumque studio expolitæ. Omnium emendatissima existimatur, quæ Lugduni Batavorum, anno 1651, ex recensione viri celeberrimi evulgata est, adjectis præterea integris omnium commentariis : ad quam postmodum exacta fuit parisiensis anni 1666. Priorii et selectis aliorum notis adornata, operibusque Cypriani subjecta. Quamvis autem editio Lugduno-Batava reliquis enimvero præstantior jure habeatur, haud paucis tamen nævis typothetarum vitio laborat, quin et alicubi verba integra penitus omissa in ea deprehendas; quibus proinde mendis aliisque adhuc gravioribus scatet, quæ illam expressit parisiensis.

Ductore itaque potissimum Nourryo v. cl. qui libris arnobianis emaculandis illustrandisque operæ plurimum contulit (*Nourr., Appar. ad Bibl. patrum, tom.* II, *pag.* 257-570), editioni nostræ perpoliendæ incubuimus, selectioribus eruditorum notis ad Arnobii textum imprimis emendandum comparatis, nostras qualescumque intexentes. Deinde quo auctoris lectio utilior in posterum contingeret, simulque tædium lectorum ac laborem allevaremus, arnobianos libros qui hactenus conjuncto continuatoque sermone prodierunt, nunc primum in capita seu sectiones distribuimus; quarum analysim præterea in indice operi adjecto subjecimus. — Hactenus Gallandius. Sed jam de singulis editionibus cum Schœnnemann videamus.

SÆCULO DECIMO SEXTO.

1543.

Romæ apud Franc. Priscianen. Florentinum, in-f°. *Arnobii Disputationum adversus gentes libri octo, nunc primum in lucem editi.* — In fine : Romæ in ædibus Francisci Priscianensis, MDXLII.

Princeps hæc Arnobii editio debetur Fausto Sabæo Brixiano, bibliothecæ vaticanæ tunc temporis custode, homine erudito et insigni imprimis versificatore, qui Francisco I, Gallorum regi, eam inscripsit epistola data Romæ et bibl. palatina., kalend. septembris MDXLIII. Ex hac nonnulla delibare in lectorum commodum juvat. Intelleximus enim a multis quidem de hac editione verba esse facta, ipsam autem paucissimis tantum visam, quod variis passim erroribus ansam dedit. Præcipuum, quod cuiquam animadversatione dignum videri possit, profecto hoc est, quod *jure belli suum esse Arnobium* dicit, *quem* scilicet *e media barbarie non sine dispendio* et discrimine *eripuerit.* Quæ si attentius aliquando perpendas et ea simul memoria reputes, quæ de vita rebusque nostri tradita legimus, id innuere velle videtur, se Arnobii aliquemcumque unicum, ut postea apparuit, codicem in terris remotis, forte in germanicis vel belgicis oris deprehendisse ac in vaticanam bibl. intulisse. Nam quod ad primam hujus conjecturæ partem attinet, sæpius in versiculis suis *populos truces et feros, mediamque barbariem* crepat, unde summo cum discrimine et labore et suis adeo sumptibus codices antiquos protulerit, quorum exquirendorum causa a Leone papa et ejus deinceps successoribus missus esset. Eumdem autem in vaticanam ab eo fuisse repositum, tum officii, quod ipsi incumbebat, rationes suadent, tum vero expressis Fulvii Ursini, ipsius quoque Arnobii editoris, verbis, epistola ante romanam alteram ad Gregorium XIII dedicatione inspersis, confirmatur, quibus Arnobium primum e vaticana bibl.

in lucem prodiisse testatur. Jam fuit aliquando Ludovici Carrionis hæc opinio (1), omnium deinceps doctorum hominum assensu comprobata, codicem Arnobii, qui in bibliotheca regia parisiensi extat, eum ipsum esse, ex quo Sabæum eum luci daret, *quod, quæ sit in romana prima librorum illorum publicatione paginarum aliquot in alienum locum transpositio, tandem hoc in libro esse constet.* Unde suspicatur codicem hunc una cum textu typis per Priscianensem ex scripto Francisco oblatum fuisse. Quod si recte ille conjecisse putandus est, ut probabile sit quoque hoc, quod alterius romanæ curator Fulv. Ursinus codicis, quo uteretur, mentionem nullam facit; jussu pontificis Pauli III hoc factum esse oportet. Certe codex regius ex omni inde tempore pro unico habitus, et tamquam tutissima critices arnobianæ regula, dignus judicatus est, qui iterum atque iterum a viris doctis excuteretur. Sed ad Sabæum redeamus. Is igitur ita epistolam nuncupatoriam exorditur : « Jamdudum bonarum artium studiosi, qui me non vulgari amore prosequuntur, quotidianis expostulationibus et pene convicio infestarunt, quod cum studio litterarum et credulitati nostræ divinæ suffragari possem et deberem, in dies moras moris connecterem. In causa erat, quod Arnobium pristinæ religionis—eversorem supprimerem et mihi vindicarem. Contra ego inferebam ipsum variis et multiplicibus mendis atque erroribus refertissimum, et multum mutatum ab illo qui fuerat quondam ora doctorum hominum subterfugere et rubore suffundi. Tum illi—omnem operam et studium in unum convenientes adhibuere, ut—integer et abstersus—in publicum prodiret : et quia ejus curatio in longum protrahebatur (difficile enim erat multos diversis negotiis præpeditos ad horam præscriptam invenire et convenire), *Hieronymus Ferrarius* et *Franciscus Priscianensis*, viri doctissimi et ingenii et judicii perspicacissimi, *emendandi et imprimendi* Arnobium provinciam susceperunt; et ita feliciter sunt assecuti, ut illum a variis et enormibus vitiis atque erroribus vindicarint : tum elegantibus et pulcherrimis typis impressum in stadium produxerint, me vero a calumniis et molestiis absolverint. » Hæc ille. Ex quibus facile unusquisque componere potest, quæ diversa et sibi repugnantia passim a diversis scripta de hac editione inveniet, quibusque refellendis operam navare nec vacat nec lubet. Hoc addamus, editionem hanc typorum et chartæ elegantia esse splendidissimam. Unde omnino miramur cum purpurato Brixiæ litteratæ auctore (t. II, p. 192), hominem cui nil frequentius in ore, quam : Langueo et esurio (2), sumptus ad amplam eam nitidamque editionem suppeditare potuisse. Hoc enim diserte affirmatur in privilegio a Paulo III, ipsi concesso et aliquot a limine paginis impresso, in quo typothetæ errore accidit, ut anni nota falso MDLXII loco XLII (*Pontificatus Pauli anno octavo*) exscriberetur. Hujus editionis exemplaria tria, unum cum emendationibus et variis lectionibus manu Jac. Dalechampii exaratis, alterum cum notis et emendationibus a Nic. Rigaltio exscriptis, tertium cum glossario Francisci Pithœi et indice rerum et verborum, necnon restitutionibus et conjecturis marginalibus Jo. Passeratii mss. extant in biblioth. regia parisiensi. Vide *Cat.*, t. I, p. 367.

1546.

Basileæ, apud Frobenium, in-8°, *Arnobii Disp. adversus gentes libri* VIII, *nunc demum sic accurati ut ab eruditis sine ulla offensatione et cum majore lectionis operæ pretio cognosci possint. Accessit index eorum, quæ notatu digna sunt.* Sigismundus Gelenius in epistola nuncupatoria ad Gilbertum Cognatum canonicum nazoretensem, postquam comparationem inter Lactantium et Arnobium instituerat : « Sed hanc censuram, pergit, criticis relinquimus, nobis nihil sumpsimus nisi castigationis laborem. Nam Romani ut candoris in communicando, in transcribendo fidei laudem promerentur, ita negari non potest nullum eos adhibuisse in legendis priscis characteribus exercitatum : quo sæpissime factum est, ut non tam sinceram lectionem, quam ejus vestigia prodiderint, per quæ vix pedetentim ad veritatem evadere potuimus. Fateberis nos non vana jactare, si in uno quovis ternione periculum facere libuerit; nostra hæc editio planior sit an illa altera. Est enim ingens discrimen et quantum non facile credas nisi illa pergustata. » — Præter indicem in titulo laudatum accessit etiam indiculus auctorum ab Arnobio laudatorum.

1560.

Basileæ, apud Hieron. Froben., in-8°, *D. Arnobii Afri commentarii in omnes psalmos, ex emendatione Desiderii Erasmi. Accedunt ejusdem Arnobii libri* VIII *Disputationum adversus gentes, ex recensione Sigismundi Gelenii. Cat. de la Bibl. Roy.*, t. I, p. 367.

1580.

Parisiis, apud Mich. Julianum, in-folio : « *Arnobii libri octo a Sigismundo Gelenio primum, dein a R. Laurentio castigatiores emissi, cum Tertulliano.* R. Laur. de la Barre. Præcipua hujus editionis dos sunt argumenta unicuique libro præfixa, marginalia deinde, et index rerum memorabilium. Qua ratione textum reformaverit, cum ipse plane sileat, nisi sedulo comparaveris cum Geleniana, vix dicas. Scholia autem textui subjecta non magni sunt pretii.

1582.

Antuerpiæ, ex officina Christ. Plantini : *Arnobii D. adversus gentes libri septem, recogniti et aucti. Ex*

(1) In emendatt., lib. I, c. 9, fol. 18, ed. Paris., 1583, in-4°. Quæ in *Scaligeranis* (ed. a Cologne, 1695, in-8°, p. 33) super hoc Arnobii codice leguntur, ea optimus auctor nec curiose satis commentatus esse, nec qui describeret, recte legisse videtur.

(2) Vide quotquot ille ex epigrammatibus protulit exempla.

bibliotheca Theodori Canteri ultrajectini, cujus etiam notæ adjectæ sunt.

Cum æque ac Gelenius codicibus manuscriptis destitutus, solo ingenio nitendum sibi intelligeret Canterus, partem fide romani codicis (editionis primæ) quem ad instar ms. sibi fuisse et præclara veteris Scripturæ vestigia continuisse contendit, partim etiam Clementis Alexandrini, a quo multa nostrum ad verba desumpsisse ostenditur, auxilio fultus, quidquid præstitum est, hac editione effecit. « Nullas autem, inquit, conjecturas, quamvis veras et certas textui inseruimus, sed quidquid a nobis mutatum et additum fuit, auctoritate et fide romani codicis factum est. Verum ubi melius, quod substituerimus, non habebamus, secuti sumus lectionem Gelenii (qui nimium quantum sibi in hoc auctore emendando indulsit homo alioquin doctissimus et de re litteraria optime meritus), quamvis interdum falsam et veri vestigiis procul remotam. Et quampluribus in locis (quod præfiscine dixerim), subdola illius et adulterina lectione rejecta, veram ac genuinam scripturam reposuimus. » Utinam vero eventum habuisset quod de futuro suo in hunc auctorem studio pollicitus erat (1), se amplissimum in Arnobium commentarium adornaturum. Nemini profecto Salmasiani desiderium fuisset excitatum. Nam quas in præsenti addidit notas, eæ non nisi emendationum rationem reddunt aut Clementis Alexandrini locis comparandis inserviunt. Haud raro autem ad Jos. Scaligeri, Turnebi, Lipsii et Mureti conjecturas Canterus provocat. Inscripsit ille Arnobium Valenti Guellio Pimpontio, in curia parisiensi senatori, epistola data Ultrajecti, idib. novemb. 1581. Postremo nec prætereundum erit, quod in capita seu sectiones certas textum editor partitus sit, a quo præclaro sane instituto nescio, qui factum sit, ut insecuti editores rursus defecerint.

1583.

Romæ, ex typographia Dominici Basæ, in-4°; *Arnobii disputationum adversus gentes libri septem. — M. Minucii Felicis Octavius.* Romana editio posterior et emenatior.

Difficile est, de Ursini opera verba facere et verbis ipsius non uti. Itaque nimii videri malumus, quam chartæ parcimonia committere, ut scitu dignum aliquid omittatur.

Accipe ergo: « Quadragesimus agitur annus, inquit, ex quo pius hic scriptor e bibliotheca S. P. vaticana in lucem primum prodiit, *non eo quo diu latuerat situ, et squalore deformis, sed ab innumeris pene sordibus, quibus squalebat, doctorum virorum industria perpurgatus.* Qui cum ingenio et eruditione, quantum A illis temporibus potuerunt, infinitas prope maculas ex eo scriptore sustulissent (1) totum plane corpus suo nitori restituere nequiverunt. Itaque Romæ edito jam libro, et in manus hominum pervulgato, aggressi sunt, non Itali tantum, qui tunc permulti et judicii et ingenii acumine florebant : sed Transalpini etiam homines Arnobium adhibita diligentiore cura perpolire. Atque ex Italis quidem, ut reliquis nominandis supersedeamus, unus maxime, idemque post vulgatum exemplar primus, Joannes Baptista Sighicellus Bononiensis, qui postea episcopus faventinus a Pio IV. P. M. factus est, multa sane, quæ non vulgarem eruditionem, nec mediocre ingenium, desiderabant, in hoc scriptore correxit, restituit ac prope desperata B sanavit. Sed dum Cinnæ Smyrnam imitatus, nunquam, ut aiunt, manum de tabula, nihilque minus quam de pervulgandis emendationibus cogitaret, suum interim Germani ediderunt Arnobium. In quo si pro omnibus suis in Romanos salibus et conviciis, eadem ipsi fide in transcribendo exemplari, eademque in emendando religione, qua Romani usi sunt, versati essent, majorem sine dubio gratiam a studiosis omnibus iniissent. Nunc autem, dum quodlibet, quod ipsi corruptum opinantur pro libitu suo et arbitrio addendo, tollendo, mutando, , ut aliquem sensum eliciant, corrigere sibi fas esse putant, tam multa in Arnobio immutarunt, ut infinitis locis ne vestigium quidem antiquæ lectionis sit relictum. Hoc incommodum Petrus Ciacconius, Hispanus, homo magni C ingenii doctrinæque judicio exculti, cum animadvertisset in Arnobio, cœpissetque auctore summo viro Antonio Carafa cardinale, sacrorum veterum scriptorum omni ratione perpoliendorum percupido, *Accuratius undique edita A. exemplaria* conferre eaque docte pariter et ingeniose corrigere, institutum opus eo deduxerat, ut multis et quidem præclaris correctionibus industria sua illustratum brevi editurus fuisset Arnobium. Sed absoluta fere, jam nondum autem perpolita libri emendatione, importuna morte ereptus, eidem, a quo totus pendebat, clarissimo viro, correctiones hujusmodi, si ei videretur, publicandas testamento reliquit. » Hic itaque perpoliendi atque pervulgandi provinciam Ursino credidit, qui eorum, D quos modo ex eo nominavimus, aliorumque doctorum hominum emendationibus, quæ in Arnobium variis locis dispersæ circumferebantur, in unum collectis, diligenterque examinatis, eas tantum ex his in textum recepisse, se affirmat, quæ et multorum judicio probatæ et sine ulla controversa veræ visæ essent. Quæ item non ita certæ videbantur, ut tuto admitti possent, eas suis distinctas numeris, in oris paginarum notandas curavit, notis simul, si quæ erant ad conjecturas, confirmandas adscriptæ, additis. His omnibus de suo etiam nonnulla, obiter inter legendum animadversa adjecit. Denique ex Ursino

(1) In præfatione ad lectorem ante notas et iterum in notis ad lib. sextum. Quanta vero hujus illa etiam ætate inter doctos expectatio fuerit, vel Meursii verba declarent, qui criticum arnobianum lectoribus tradens : *Hui ! inquies forte,* inquit, *ante Canterum ? ante et quidem eo lubente, immo vero jubente. Ne in messem me ejus falcem injectam iisse maligne dictites.*

(1) Nempe ex fide Sabæi hæc scribit : Codicem ipsum neutiquam inspexit. Tædet tam inepti moris rhetorici, quem omnes hujus ævi auctores itali affectant.

discimus, eodem pene tempore, quo in Germania octavus Arnobii liber suo auctori restitutus erat, eamdem fraudem sensisse Sirletum cardin.; ejusque adeo persuasione factum est, ut primum in Italia hac editione Minucii Octavius ederetur.

1586.

Antuerpiæ [ex off. Christ. Plant.] in 8°; *Arnobii libri septem cum Godescalci Stewechii electis.* Hanc primam Stewechii editionem ipse non vidi, neque memoratam in catalogo aliquo inveni, sed sponsore Fabricio (1) cito, cui præfationes Stewechii, editioni anni 1604 insertæ quodammodo fidem facere videntur. Nam duplex ibi comparet epistola nuncupatoria, et ad lectorem admonitio. Ac illis quidem, quæ electis præmissæ sunt, annus subscriptus est 1586; epistola autem dedicatoria, textui præfixa, data est 1587, præfatio ad lectorem anni nota caret, sed dicit ibi, « parum abfuisse, quin electa ex ingeniolo suo tantummodo nata, juvando Arnobio, *ante biennium* seorsum publicasset, verum Franciscum Modium dissuasisse, ejusque adeo opera effectum esse, ut textum quoque corrigere et restituere sibi licuerit. » Quæ quorsum referenda sint, non satis capio. Contra plerique, quibus de editionibus Arnobii sermo fuit, inter quos diligentissimus Nurrius (2), de ea prorsus silent, et repugnare videtur, quæ editioni antuerpiensi anno 1604 præfixa est approbatio, qua non denuo typis tradi; sed jam demum mandari Arnobius dicitur (3). Quocirca quamquam definire nihil jam ausim, fateor tamen me in eam sententiam magis proclivem, ut ante annum 1604 Stewechii Arnobium non impressum esse dicam. Cui etiam Auberti Miræi auctoritas accedit, qui pro explorato scribit (4), Arnobii libros VII cum notis Theodori Canteri Plantinum et cum notis Godesc. Stewechii Trognæsium 1604, Antuerpiæ excudisse.

1597.

Genevæ editionem Heraldi laudat *Magna Bibl.* A *Ecclesiastica coloniensis*, sed fidem haud præstare ausim.

1598.

Lugd.-Bat. ex off. Io. Balduini. — Io. Meursii Criticus arnobianus tributus in libros septem. Item Hypocriticus Minutianus et Excerpta ms. regii parisiensis, in queis Arnobius adversus Gentes et Minucius sexcenta amplius locis, alii scriptores varie castigantur.

Quamquam negari sine invidia nequit, præclarum ingenii acumen, et quod ex omnimoda doctrinæ copia effloruit et quasi redundavit, hoc schediasmate Meursium ostendisse, ad Arnobium tamen et Minucium non magis illud quam ad omnem antiquitatem et scriptores valde multos pertinere recte censebitur. B Quotiescumque enim illos attigit mirifice callidum detegendis et persanandis vulneribus se præbuit, multa acute vidit, ad quæ superiores editores omnino cæcutiebant, multa menda levissima medela sustulit: sed multo largius hæc quibuscumque aliis scriptoribus quam Arnobio et Minucio ab eo sunt præstita. Ac *initio*, inquit, *nihil annotare erat decretum soli auctoris valetudini curandæ intento, non potui tamen mihi temperare, quin aliquoties, loci potissimum alterius emendandi occasione invitatus, excurrerem;* in quibus omnibus ut nihil alieni sibi vindicaret nec aliorum emendationibus adducendis vel erratis refellendis tempus tereret, sed sua simpliciter proponeret; caute ac graviter studuit. Porro, quidquid in Arnobio præstitit, id omne ab ingenio neque a libris veteribus profectum esse vel non affirmanti puto tribuisses, sed C miraberis fortasse, tam raram in iis regionibus fuisse editionem primam, ut se optare Meursius dicat, ut plures Canterus romani codicis variantes repræsentasset, quod plura investigandi occasionem præbiturum fuisset. Quod superest, accesserunt operi huic appendicis loco *excerpta exemplaris regii manuscripti* ex libro Josephi Scaligeri, quem olim Lutetiæ cum regio exemplari manuscripto contulerat. Singulis judicium suum, subinde etiam animadversationes prolixiores apposuit. Universe, *vidi*, inquit, *hac collatione plura loca utiliter augeri, meas conjecturas aliquot probari, non paucas item novas inveniendi ansam dari: quamvis re vera sæpenumero pro thesauro, quem speraram, carbones offenderim, et merum sterquilinium:* D *e quo tamen, nisi me egregie judicium fallit, aliquas, ut ita dicam, gemmulas elicui.* Cæterum hæc excerpta inscripta sunt Petro Scriverio amico, ut ipse declarat, dilectissimo, de cujus Anticritico, quæ Hadrianus Bailletus (De Antiscriptoribus, tom. II, pag. 299), memoriæ prodidit, fabulis accensere nemo dubitet.

SÆCULO DECIMO SEPTIMO.

1603.

Hanoviæ, in-8°: *Arnobius..... cum notis Geverhardi Elmenhorstii*, ad illustrem virum Josephum Scaligerum, eruditorum suæ ætatis facile principem.

Ita Fabricius (in *Delectu*, pag. 226) et ex eo *Mag-*

(1) in *Delectu argg. et syllabo SS. pro veritate Rel. christ.* pag, 226. Hinc vero Lipenius, *Bibl. theol.* I, 734, et *M. Bibl. eccl. Colon*, p. 623, laudant.

(2) Appar. ad Biblioth. max. veterum Patrum.

(3) Quo magis viros doctos excitem, ut de prima, quæ dicitur Stewechii, curiosius dispiciant, addita hic esto: *Hæc Arnobii restitutio, auctore Godesc. Stewechio, multum utilitatis studioso lectori afferre potest. Dignam igitur, quæ typis mandetur, judico.* Antuerpiæ, 24 januarii. 1604. EGBERTUS SPITHOLDUS, *canonicus et plebanus antuerpiensis.*

(4) In notis ad Hieronymum de Eccles. SS. ed. Fabric., anno 1718, p. 165, nec aliter eodem loco ipse Fabricius, similiter Francisc. Stwechius in Athenis Belgicis (Antuerp., 1628, in-folio, pag. 294), ubi dum scripta Stewechii recenset, simpliciter posuit: *Electa in Arnobium, typis Trognæsii.* Adde quod Casp. Scioppius in *Arte critica*, ubi Stewechii scripta laudat, Arnobium et electa in eum prorsus ignoret. Ex quibus omnibus non sine aliqua fiducia dixerim, præfationes illas annis 1586 et 1587 insignitas Fabricio fraudem fecisse.

gna Bibl. Eccles. proferunt primam Elmenhorstii. Nurrius eam manibus versavit.

Paris, in-8° : *Arnobius...... cum observationibus Def. Heraldi.* Citat Fabricius l. l. an recte, dubito.

1604.

Antverpiæ, apud Joach. Trognæsium, in-8° : *Arnobius.... cum Godescalci Stewechii Electis.* Confer quæ supra ad annum 1586 dicta sunt. Iteratam Stewechius operam Arnobio suo impendit, Electis primum conscribendis, in quo negotio solo ingenio se confisum esse fatetur; deinde cum codicis ms. variantes lectiones a Francisco Modio ipsi essent suppeditatæ, quibus denuo laborem jam absolutum aggressus, non solum electa meliora fecit, sed ipsum quoque Arnobii textum infinitis locis se interpolasse, correxisse, et sæpe numero lacunis magni momenti suppletes auxisse affirmat. De codice hoc sententiam nostram suo loco proferemus. Quod *Electa* attinet, (nam de his audiamus oportet, antequam de ipsa textus recensione dicendi locus erit), ideo hoc nomine appellare visum esse inquit, *quod e plurimis, quæ depravata, quæ obscura hic reperiret, elegerit sibi ex ingenio et membraneis codicibus vel emendanda vel illustranda*; id quod plerumque et tantum non ubique ex antiqui romanorum sermonis usu ac proprietate, nec non ritibus apud priscos solemnibus haud sinistre profecto ipsi cessit, etc. quemadmodum plurimum in Varrone ad Arnobium illustrandum est præsidii, ita hæc Stewechii Electa egregium, meo judicio, Varroni atque omni sermonis priori doctrinæ adjumentum afferunt. Quam in rem non parum etiam syllabus contentorum præmissus conducit. Sed neque ex his, neque ex ipsa, quam manibus teneo, editione satis mihi liquere fateor, quo pacto textum ad suas aliorumve conjecturas refinxerit. Is certe, quem ed. Trognæsiana (1604) sistit, ab Ursiniano haud magnopere differt; eo sæpius autem Stewechii lectiones in margine laudat, ita non numquam, ut nescias, an diversa aliqua a Stewechii recensione per hos typographos data sit. Quod si præcipitantius paulo a nobis divinatum fuerit vereque editio Antwerpiana anno 1604 ad ipsius Stewechii descriptionem expressa sit; laudabis fortasse hominis verecundiam, qui margines libri emendationibus et conjecturis opplere maluerit, quam vel certissimam in seriem recipere. Nunc vero is ipsum textum interpolavisse, correxisse et integriorem dedisse dici possit, videant alii. Quamquam enim in eadem, unde præcedentia adduximus, præfatione de sua in textu adornando opera præ se ferat, se summo candore, suis ubique locis, *atque adeo, ipsi quoque margini* nomina eorum adscripsisse, qui ante ipsum manus auxiliatrices Arnobio porrexissent, idemque se facturum fuisse in iis, quæ Ursiana profert, nisi hic omnia, sua aliena miscuisset: hæc tamen circa lectionis varietatem sedulitate non ipsius textus sospitator sibi videri poterat.

1605.

Parisiis, apud Marcum Orry, via Jacobea, ad insigne Leonis salientis, in-8° : *Arnobii..... Libri sep-*

A *tem. — M. Minucii Felicis Octavius.* Editio nova, ad editionem romanam expressa, quibusdam tamen in locis e ms. reg. aucta et emendata. Desiderii Heraldi ad Arnobii libros VII animadversiones et castigationes.

Romanam intellige novissimam, quæ, quanto plures veteres lectiones restituit, tanto præstantior ipsi visa est ac sæpius laudata. Quo factum est, ut nonnullis etiam in locis, ubi illa Gelenium secuta esset, eam desereret et vel Canteri sententiam amplecteretur vel de suo quædam inferret. De singulis in animadversionibus, sed paucissimis verbis, judicium tulit, reliquæ vel sensu declarando vel rebus omnigenis illustrandis serviunt. In quibus ut varia sunt ex omni antiquitatis doctrina deprompta nequaquam vero quod deceret, quodve alienum esset vel tritum, B oblitus est. Egregio quoque instituto factum est, ut textus Arnobii seorsim cum indice rerum peculiari, deinde animadversiones Heraldi et ipsæ cum indicibus et auctorum, qui varie illustrantur vel emendantur, et rerum exhiberentur. Denique notari meretur et hoc, quod animi causa opera hæc instituta sit et intra duorum mensium spatium ad finem perducta; item quod epistola dedicatoria, quæ omnino præfationis locum sustinet, data sit Lutetiæ Paris, kal. mart. MDCV, ut adeo vix probabile videatur, ante hunc annum Heraldi operam esse evulgatam.

1610.

Hamburgi, in-folio : *Arnobii.....* l. VII. *Gebhart. Elmenhorstius collatis diversis codicibus recensuit et* C *observationibus (sic) illustravit.*

Elmenhorstius lectori : « Ut instituti nostri ratio tibi constare possit, scito me in hac nova Arnobii editione recensenda præcipue usum codice vetusto Francisci Sabæi Brixiani, Romæ anno 1542 impresso. Ubi is corruptus aut mendosus, ad excerpta manuscripta et doctorum virorum emendationes confugi, optimasque ex illis desumpsi, et textui Arnobiano, *quamquam raro*, inserui; ratione nempe ipsa jubente, adjeci quoque variarum lectionum collectanea, in quibus eos, quorum emendationes probo et sequor, nomino. In observationibus meis id potissimum egi, ut sensum auctoris, quem edendum suscepi, edissererem, breviterque et aperte, ubi is obscurus, dilucidarem. Certe eruditissimum scriptorem innumeris D fœdissimorum mendorum nævis liberavi, et infinitis ejus locis male affectis, salubriter, ut confido, medicinam adhibui. Nec tamen dissimulo, plurima etiam nunc residere falsa et corrupta, quæ nullo modo intelligi, aut absque ope melioris codicis sanari queant. Ea ego de industria intacta præterii et felicioribus ingeniis corrigenda reliqui. Rel. » Nosti jam codices, quorum speciosa ostentatione titulus superbit. Si de Elmenhorstio interroges, si non ingenium, certe maturitas et studium illi defuit. Textus ad verbum pene ad romanam alteram descriptus est. Hinc etiam conjecturas et emendationes, quas sine auctorum nominibus in margine posuerat Ursinus, omnes Fulvii nomine laudatas desumpsit, et intermixtis aliis ad calcem observationum subjecit, suo judicio raro in-

terposito. Neque vero animadversiones ita compa- A ratæ sunt, ut viris doctis, quales ejus ætas ferebat, admodum placere poterant. Nam præter cumulate ex omnibus veterum scriptis ad verba vel res singulas congesta frustra aliquid expectes. Cæterum satis apte hæc editio excripta est typis nitidis ac luculentis, et quamquam capitum descriptio desit, numerus tamen lineis denis uniuscunque paginæ in margine interiori commode adscriptus est. Indices etiam accesserunt textui tres, rerum ac verborum et locutionum, animadversionibus item duo, auctorum (quorum loca adducta sunt) et rerum vocumque. Hujus editionis exemplari, quod bibl. regio-acad. servat, a Heumanno, quem possessorem olim habuit, notulæ quædam, item emendationes appictæ sunt.

Tolosæ, 1612, in-8° : *Julii Cæsaris Bulengeri Julio* B *dunensis Eclogarum ad Arnobium liber primus.* — Ineptum opus.

1634.

Duaci, in-8° : *Stewechii Electa cum Paratitlis seu summariis Leandri de S. Martino.*

1651.

Lugduni-Batavorum, ex officina Jo. Maire, in-4° : *Arnobii..... libri* VII, *cum recensione viri celeberrimi et integris omnium commentariis. Editio novissima atque omnium accuratissima.* « Quod ad hanc Arnobii nostri editionem, quam accuratissimam hic exhibemus, attinet, typographus inquit, exemplar ante aliquot annos nacti fuimus manu viri celeberrimi emendatum, cujus eruditio et fama in his artibus, quæ ab C humanitate nomen habent, veluti principatum tenet. Curam postmodum itidem viro erudito commisimus, ut quicquid ad gloriam hujus editionis colligi posset, in medium produceret. Itaque omnes et quidem integros commentatores, nulla parte truncata, in unum corpus redegimus, ut editionis ratio ex iis peti possit — ita ut nihil ei desit, quod vel votis exoptari possit. » — Recensionis hujus auctorem fuisse putant Salmasium, cujus etiam commentarius morte interceptus sit. Ac quantum quidem comparando didicimus, non mutationum indicium prorsus nullum apparet, credo, ne decor typographicus interciperetur, hoc viro certe non indigna est. Igitur a superioribus toto cœlo quidem differt, plurimas tamen ex iis lectionibus suscepit, quas Ursinus ad marginem suæ editionis propo- D suisse indicavimus adeoque fortasse Ciacconii ingenio præcipue Salmasius litavit. De reliquis hujus editionis dotibus non est, quod pluribus lectores doceamus. Invenias Canteri, Stewechii, Elmenhorstii et Heraldi commentaria ad verbum descripta. Commodis doctorum hoc saltem consulere potuissent si indicem universalem subjecissent. Quod reliquum est, procurasse hanc editionem ex parte (nempe ut singulorum animadversiones rite describerentur) dictus est *Antonius Thysius*, I. C., cujus etiam in Arnobium epigrammata pagina post dedicationem proxima ostendit. Typothetarum erroribus iisque admodum fœdis hanc editionem nitidissimam scatere, Nurrius imprimis conquestus est.

1666.

Parisiis, apud Joann. Dupuis, in-folio, cum Cypriani operibus ex editione Rigaltii per Priorium. Ex Ephemeridibus parisiensibus hujus anni (1) intelleximus, variorum notis excerptis, priori more instructos esse, quotquot præter Cyprianum Rigaltianum hic auctores evulgati sunt. Textus ex Lugduno-Batava una cum omnibus, auctis itidem, vitiis est repetitus.

1677.

Lugduni, apud Anissonios, in-folio, in Bibl. Patrum, tom. III, pp. 430-514. Recusa Priorii. Notæ maximam partem Elmenhorstii sunt, raro Heraldi, Stewichii, etc., quibus suas Priorius interspersit.

SÆCULO DECIMO OCTAVO.

1715.

Parisiis, apud Jo. Bapt. Delespine, in-folio, in *Nicolai le Nourry Apparatu ad Bibl. max. Patrum*, Lugduni editam, tom. II, pp. 257-570. — *Dissertio in Arnobium*, in qua post analyses singulorum librorum, de auctore, operis ætate, consilio, argumento et tractatione, stylo, eruditione et reliquis dotibus, de opere distribuendo, librorum integritate, ac textus corruptione, — de erroribus quibusdam Arnobii, de variis horum librorum codd. mss. editionibus et in eos notis et observationibus, fuse pro more suo, sed præclare disserit, a p. 257 ad 296, denique a p. 296 ad 570, novas in Arnobium observationes profert, in quibus vel argumenta singula, quibus ille cum in asserenda veritate, tum refutandis adversariorum erroribus utitur, examinantur, vel potiora antiquitates monumenta illustrantur.

1768.

Venetiis, ex typogr. Jo. Bapt. Albritii, in-folio, in Gallandi Bibl. vet. Patrum, etc., tom. IV, a pag. 133 ad 224. Sistitur textus editionis Lugduno Batavæ emaculatus et adhibitis iis, quæ Nurrius attulerat, perpolitus. Simul constitutum erat, notas addiere selectiores, quæque imprimis ad emendandum textum spectarent, sed hic industriam æque ac judicium desideramus. Cui bono, quæso, Priorii notæ, quas omnibus paginis inculcatas videbis. Singularis autem qua præcedentes editiones Arnobii hæc antecellit, eaque nescio an summa virtus est textus, quem præter Canterum ad unam omnes continua serie exhibebant, in capita descriptio, quorum analysis in calce subjecta compendium quasi totius scriptoris præbet.

1783.

Wirceburgi, in off. libr. Staheliana, in-8° : *Arnobii Afri adversus gentes libri* VII *et Julii Firmici Materni V. C. de Errore prof. Rel.*, etc.

Iidem sub titulo : *Opera SS. Patrum latinorum*, volumen quintum.

SÆCULO DECIMO NONO.

1816.

Lipsiæ, sumptibus Frid. Christ. Guil. Vogelii,

(1) *Journal des savants*, février, page 41 : « Le tout avec des remarques de différents auteurs. »

2 tom. in-8°, quibus Titulus : *Arnobii afri Disputationum adversus gentes libri septem. — Recognovit notis priorum interpretum selectis aliorumque et suis illustravit, Jo. Conradus Orellius.*

DISSERTATIO PRÆVIA

In septem Arnobii disputationum

ADVERSUS GENTES LIBROS.

(AUCTORE DOM LE NOURRY.)

CAPUT PRIMUM.

Analysis horum librorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Analysis libri primi.

Ab ipso operis sui exordio Arnobius declarat illud a se susceptum, ut veterem ac sæpius repetitam propulsaret calumniam, qua ethnici propter abdicatum repudiatumque a christianis falsorum deorum cultum, eos publicarum omnium calamitatum ac malorum causam et auctores esse tam falso, quam temere accusabant. Quo autem gravior est hæc criminatio, eo ille magis ad eam, sepositis tamen partium studiis, refellendam impulsum se fuisse profitetur; ne cunctis silentibus christianis, aut vera videretur aliquibus, aut ethnici causam se obtinuisse gloriarentur.

Manifestum itaque facit a christianæ religionis ortu ad sua usque tempora, nihil in elementorum qualitatibus, in tota mundi machina, in astrorum cursu, in tempestatum, dierum, ac noctium vicissitudine, in telluris et animalium fœcunditate, in privatis publicisque hominum negotiis, ac solito vivendi genere aut mutatum, aut relaxatum, et dissolutum.

Neque sinit sibi ab ethnicis objici propter deos impietate, sceleribus, ac contemptu christianorum offensos, mundum pestilentia, grandinibus, sterilitate, bellis, aliisque calamitatibus obrui. Ex ipsis siquidem gentilium historiis atque annalibus compertum habemus homines ante auditum umquam christianorum nomen vexatos fuisse aut iisdem, aut frequentioribus, atque majoribus etiam cladibus, lapidum imbre, terræ motibus et hiatibus, diluvio, incendio, ferarum crudelitate, veneno serpentum, atque urbium integrarum eversione ac ruina. Certum quoque est tam crudelia bella ab Atlanticis, Assyriis, Bactrianis, Persis, Græcis, Trojanis, et Romanis, a Nino, Zoroastre, Xerxe, Alexandro Magno, et aliis olim gesta fuisse, quam post Christi ortum imminuta fuerunt.

Unde ergo, inquiebant ethnici, tot tantisque malis mundus premitur, ac tantum non opprimitur? Quid ad me, respondet Arnobius? Non mei muneris est, inquit, occultas illas rationes pandere, qui ad scribendum ideo tantum animum appuli, ut religionem christianam ab iniquissimis calumniis vindicarem. Quid vero, pergit ille, si hæc ad causas naturales referenda sunt, ad acrem vehementemque elementorum impulsum, ad varios siderum motus, ad certas rerum vicissitudines, ex quibus bona et mala fluunt, refluunt, ac reciprocantur? Præterea, quæ hominibus, omnia commoditate sua metientibus, mala videntur, ea certe toti naturæ et mundo utilia sunt. Quod quidem auctor noster Platonis auctoritate, variisque nautarum, solis, torrentis, pluviæ, hyemis, æstatis, veratri, luporum, et serpentium exemplis confirmat. Inde autem ille colligit superbi esse hominis has abditas causas rimari; nisi prius noverit quis, et unde ipse, ac cur mundus creatus sit.

Quam præpostere autem ethnici in christianos, trecentis circiter abhinc annis exortos, mala omnia refundenda esse clamitarent, eo adhuc ille scite coarguit, quod mediis post eorum ortum annis et temporibus, innumerabiles victoriæ reportatæ, prolati Romanorum fines, maximaque annonæ fuit abundantia.

Contra tamen urgebant gentiles per illa ipsa tempora, æquo deorum in christianos odio, vastatos aliquando sterilitate agros, et bella nonnumquam infeliciter confecta. Quid ergo, ait auctor noster? Numquid dii mira plane inconstantia dici possunt injuriarum sibi a christianis illatarum alternis vicibus memores et immemores? Præterea christiani ubique terrarum cum omnibus nationibus permisti vivebant. Quo ergo jure adseri potest in eorum ultionem a Romanis victos fuisse Alamannos, Persas et Scythas; muribus et locustis corrosam consumptamque Asiam ac Syriam, minime vero Hispaniam et Galliam; Getulos et Tinguitanos frugum laborasse inopia, Mauros vero atque Nomadas amplissima messe locupletatos, hos denique fame enectos, alios in eadem civitate rerum omnium copia abundasse? Nam si quæ deorum fuisset æquitas et justitia, omnium sane illorum populorum, cum quibus christiani æqualiter degebant, una eademque esse debebat sors et fortuna.

Post hæc Arnobius variis rationibus demonstrat A iram in deos immortales cadere omnino non posse. Quid ergo dictu magis absurdum, quam illos ob illatas sibi a christianis injurias ira sic incitatos; ut earum pœnas, tam ab ipsis, quam ab insontibus, uti aiebant, ethnicis ullo absque discrimine repetierint? Nam facile poterant separatim reos suppliciis, ac bene meritos beneficiis adficere. Dii enim cœlestes si qui sint, non possunt aut gentilium adulatione deliniri, aut propter christianorum contemptum dolere, atque irasci. Quamobrem auctor noster concludit has ridiculas criminationes sola haruspicum, ariolorum, et vatum avaritia esse confictas.

Neque minori impudentia ethnici objectabant deos ideo in homines sævire; quia christiani quosdam hactenus inauditos cultus in totum orbem terrarum inve- B xerant. Unum quippe ac verum Deum, rerumque omnium dominum, intimas cordis nostri cogitationes cognoscentem, venerantur, colunt, diligunt, et quotidie invocant. Qui vero hujus veri Dei cultum damnat, is sive Jupiter, sive Apollo, aut alius dicatur, Dei nomen non meretur. Sed quia tempus nondum erat patefacere quinam hi aliique gentilium dii sint, ibi auctor noster palam profitetur hanc esse totius christianæ religionis summam. Deum illum verum et unicum, sicut Christus docuit, animo sincero, ac prostrato corpore colere, adorare, collatisque precibus, ab illo deposcere vera bona, et honesta, ac vitæ morumque innocentiam. Quis autem inficias iverit meliorem esse horum causam, quam eorum, qui Gran- C dulcs, Aios Locutios, Limentinos, Faunos, Fatuas, genios civitatum, Pausos, Bellonas adorant ac reverentur? Verumtamen dii hos impune ferunt, sinuntque publica scortis et meretricibus sacra fieri, magnifica felibus, scarabæis, et buculis exædificari templa, cum ira in christianos perciti, inhibent ne ab illis summus adoretur Pater, a quo illi ipsimet gentilium dii accipere debuerant quidquid numinis, potestatis, immortalitatis habere creduntur.

Sed ut id manifestius pateat, ex effectibus Arnobius probat, illum verum Deum rerum omnium esse opificem, Apolline, Mercurio, et aliis, omnibus fictitiis numinibus antiquiorem, infinitum, ingenitum, immortalem, æternum, nulloque loco, et nulla cor- D porea forma circumscriptum. Quapropter sicuti mirum non est, si quis, qualis, quantusque sit ignoretur, ita summæ dementiæ est in dubium vocare utrum ille revera existat. Non defuerunt tamen philosophi, qui aut illud negaverunt, aut semper exquisierunt, vel qui fortuitis casibus atomorumque concursionibus omnia fabricata fuisse opinabantur. Sed cum stultis adsertionibus contradicere majoris stultitiæ sit, ea propter Arnobius, his prætermissis, cuilibet a natura insitum esse adserit; ut hunc agnoscat regem summum, et omnium moderatorem. Quin immo haud dubitanter adseverat fore, ut animalia et saxa ipsa, si forte loquerentur, id aperte palamque clamarent. Frustra igitur ethnici Jovem summum deum prædicant. Summus etenim Deus ingenitus et æternus est. At quis nescit Jovem non solum fratres habuisse, sed avos etiam et avias, patrem et matrem, ex quibus solito hominum more natus est? Ethnici itaque si hunc Jovem, non colerent, sed una esset illorum atque christianorum religio, nulla amplius foret Jovis ira, aut si quæ esset, falsam patefaceret illius divinitatem.

Instabant nihilominus ethnici deos suos christianis esse infensos, non propterea quidem quod Deum omnipotentem venerarentur; sed quia hominem natum, infami crucis supplicio interemptum, Deum esse contendentes, quotidianis eum supplicationibus adorarent. Verum ab iisdem ethnicis quærit Arnobius quinam illi sint dii, qui Christum a nobis coli indigne ferebant. Non Janus, inquit, non Saturnus, Fauna, Bona dea, Indigetes, Æsculapius, Liber pater, Mercurius, Diana, Apollo, Venus, Ceres, Proserpina, Hercules, Titanes, Bocores, Apis seu Serapis, Isis, et Opis filii, quos humano more genitos, non secus atque alios homines vixisse, et mortuos esse antiquissimæ gentilium historiæ prodiderunt. Numquid enim voluerunt se ab ethnicis coli, ac pristinæ conditionis suæ immemores, christianos Christum colentes sine maximis iræ motibus ferre non valuerunt?

Fas vero si ethnicis fuit quosdam in deorum propter collata sibi, ut putabant, beneficia numerum referre, Liberum scilicet propter vini, Cererem panis, Æsculapium herbarum, Minervam oleæ, Triptolemum aratri inventionem, atque Herculem, propter devicta monstra; quanto magis Christus divino honore ab hominibus habendus est, qui illis longe majora et infinita abundantissime contulit, qui vera Dei cognitione nos imbuendo, superbiam nostram frangendo, a falsis opinionibus, atque impio deorum cultu ad veram, uti ipse Arnobius salutari experientia noverat, religionem traduxit?

At ille, inquiebant ethnici, crucis patibulo affixus interiit. Quid inde? Non enim mors Christi, sicuti nec Pythagoræ, nec Socratis, illorum doctrinæ egregiisque factis ullum attulit detrimentum. Quid vero, quod nulla mortis infamia innocens homo, quemadmodum Aquilius, Trebonius, et Regulus inuri umquam potest? Quid insuper irrisione magis dignum hac argumentatione gentilium, qui Liberum patrem a Titanibus membratim discerptum. Æsculapium fulmine perculsum, Herculem vivum combustum, Atym abscissum, Romulum a senatoribus occisum, superstitioso cultu ædificatisque templis honorabant?

Christus porro a summo Rege ad nos missus, innumeris, quæ patravit, miraculis tam certo, quam evidenter verus esse Deus comprobatur. Neque enim magica virtute, uti quidam impudentissime mentiebantur, ea perfecit; qui solo suo verbo et nomine quælibet morborum genera sanavit, fugavit dæmonas, ventorum procellarumque sedavit turbines, sicco pede mare calcavit, alios seque ipsum suscitavit a mortuis, ac postea plurimis sese præbuit videndum; qui dedit discipulis omnium linguis, etiam sibi incognitis, loquendi facultatem; qui totum mundum doc-

trina sua repente complevit; qui vatibus et haruspicibus silentium imposuit, ac magorum penitus comminuit arrogantiam.

Neque his opponi poterant curatæ ab ethnicorum diis infirmæ nonnullorum hominum valetudines. Nam hoc interim gratis dato, certum erat a nullo umquam gentilium deo, sicuti a Christo, ægris hominibus, sola adhibita manu aut voce, redditam sanitatem. Gratis etiam Arnobius concedit fieri potuisse, ut deus aliquis unum aut alterum ægrum hominem quibusdam medicamentis sanaverit. At multa, inquit, sunt millia hominum, qui etsi in templis sæpissime prostrati Æsculapium aliosque deos sæpius repetitis precibus et votis fatigaverint; nullum tamen ne minimum quidem invenerint levamentum, quin immo pejus etiam postea se habuerint.

Neque patitur sibi ab alio gentili objici ferri a diis opem non malis quidem, sed bonis piisque hominibus. Christus siquidem malis omnibus æqualiter ac bonis succurrit. Deinde vero si dii bonis tantum auxilio fuerunt, id non divinæ virtuti, sed alicui fortuito casui erit procul dubio tribuendum.

Vera autem esse Christi miracula auctor noster adhuc ostendit ex illa prorsus mirabili potestate, quam dedit etiam infimæ plebis hominibus, piscatoribus, opificibus, rusticanis quælibet solo ipsius nomine prodigia edendi. Non enim Jupiter, nec Zoroastres, Armenius, Pamphilus, Apollonius, Damigerus, Dardanus, Velus, Julianus, Bebulus, aut quilibet alius aliquid his prodigiis simile edidit, sed ne pustulam quidem pari, ac Christus ejusque discipuli, modo sanavit. Et sane quantæ magnitudinis et potestatis sit ipse Christus, sublimis et ab intima radice Deus, tametsi hominibus olim incognitus, vel solis, quæ ipso moriente facta sunt, miraculis evidentissime demonstratum est.

Neque audiendi erant gentiles, qui hæc falsa esse intolerabili prorsus audacia clamitabant. Testes enimvero locupletissimi, nec facile creduli, ea posteris tradiderunt, quæ nisi ipsa luce fuissent clariora, illi certe ea prædicando in commune hominum odium voluis ent gratis incurrere. Et sane si falsa sint hæc miracula, qua, quæso, fatali desperatione, certoque capitis periculo, a Christi discipulis publicata sunt, ac christiana religio iis stabilita ac confirmata, brevissimo tempore in toto terrarum orbe suscepta est?

Nullus vero nisi absurdissime dicere unquam potuit hæc eadem miracula a scriptoribus nostris aut scripta mendaciter, aut nimium exagerata. Non enim omnia litteris et memoriæ mandaverant, quæ ethnicos in majorem admirationem, vel incredulitatem adducere poterant. Si quæ vero scripta corrupta, aut adulterata occurrant, hoc Arnobius malevolentiæ adscribit dæmonum, qui his depravationibus vere gestorum volebant infirmare veritatem. At sane quæ nostris in libris de Christo scripta fuere, tam vera sunt, quam falsa quæ gentiles de diis suis tradidere.

Sed nostra, urgebant illi, scripta antiquiora, atque idcirco veriora sunt. Quasi vero, ait Arnobius, ea antiquitas tot tantorumque errorum et fabularum, quibus eorumdem gentilium libri scatent, mater non fuerit? Quid vero, quod falsitas longe facilius in recentioribus scriptis quam in antiquissimis, potest ab omnibus deprehendi?

Instabant ethnici libros christianorum ab indoctis hominibus rudi impolitoque sermone exaratos, solœcismis et barbarismis ubique fœde coinquinari. Esto, respondet Arnobius. Major profecto eis fides idcirco habenda est; quia a mente simplici, et lenocinii ignara, prodierunt. Sermonis enim elegantis et politioris famam, pompam, atque ornamenta foro relinquenda, veritas non sectatur. Deinde hæc ipsa veritas inter sermonis vitia, sicut bonus inter vepres et spinas fructus, prodest semper homini. Ad hæc vero, cum de rebus ab ostentatione submotis agitur, quid reipsa, non quomodo dicatur, spectari debet. Quamobrem nonnulli sapientiæ dediti, tametsi pure et ornate loqui potuerint; omnem tamen sermonis cultum rejecerunt. Denique nullus sermo natura sua, uti probat Arnobius, sed hominum dumtaxat beneplacito est vitiosus.

Hæc porro ethnici cum negare non possent, a christianis postulabant cur Christus, si Deus sit humanam formam induit, et more interemptus est humano? His Arnobius facile satisfacit, aitque Christum, quia in primigenia et incorporea sua natura a nullo umquam homine videri, nec mori potuit, humanam idcirco adsumpsisse formam, qua se eis conspiciendum daret, cum eis versaretur, ac tandem posset mortem obire. Cur vero humanam potius quam aliam naturam acceperit, latentes Arnobius fatetur esse causas, quas obstinata gentilium incredulitas ac pervicacia explicari non sinebat.

At hi rursum objiciebant incredibile prorsus, ac cimmeriis tenebris obscurius esse, Christum Deum et hominem humana tantum natura visum, patibuloque adfixum vitam finivisse. Sed futilis est, ait Arnobius, hæc redargutio. Nam si Sibylla, Bacis, Helenus, Martius, aliique eorumdem gentilium vates impie occisi fuissent, numquid hi, in quibus deos suos locutos esse arbitrabantur, sua propter scelera occisos dicerent? Cæterum mors Christi, pergit Arnobius, *ad sumpti hominis fuit, non ipsius; gestaminis, non gestantis.* Addit vero cum altissima propter mysteria sponte sua mortuum; quandoquidem illi, a quo tot facta fuerant miracula, nullus vel minimam vim, multo minus violentas manus adferre unquam potuit. Christus itaque ad sanandos erudiendosque homines tanta lenitate, quanta libertate passus est se ab impiis occidi.

Quapropter Arnobius acriter corripit ethnicos, qui tametsi tyrannis omni impietatis ac sceleris genere contaminatis divinos deferrent honores, et librorum satiricorum auctores summis laudibus extollerent, donarentque statuis; solum nihilominus Christum, rerum maximarum ac maxime salutarium nuntium iniquissimo atque implacabili odio persequebantur. Quid enim iniquius et crudelius, quam virtutum om-

nium dominum, mortisque extinctorem bello acerbissimo semper lacessere, qui permissa morte sua, certam de futura animarum nostrarum salute, si pie vixerimus, spem omnibus fecit?

ARTICULUS II.

Analysis libri secundi.

Petita a proposito parumper discedendi venia, Arnobius ab ethnicis inquirit qua de causa Christum, nullius in eos peccati reum, ita oderint, ut audito tantum illius nomine, ira protinus excandescant. At ille sane etiamsi cui credatur, dignus non esset; eo tamen ipso non adspernandus erat, quod cunctis viam ad cœlum et beatam immortalitatem monstraverit. Respondebant gentiles illum summo sibi propterea esse odio, quia omnem deorum cultum, omnemque majorum suorum religionem toto expulit ab orbe terrarum. Ergone, ait Arnobius, impius est Christus, qui impia religione eversa, veram induxit, nosque docuit solum verum Deum esse colendum, quem bonorum omnium fontem, ac cuncta creasse, atque ideo revera exsistere naturaliter scimus et testificamur?

Tum dilata in aliud tempus de variis gentilium superstitionibus disputatione, ostendit ethnicos prorsus immerito Christi dictis non credere, quandoquidem ea, quæ pollicetur, se unquam reipsa daturum nos non convincit. At si nulla, inquit Arnobius, possit adferri futurorum certa comprobatio, nonne satius est his qui spem dant aliquam, potius quam aliis qui nullam præbent, credere? Tum dehinc ostendit plurima nobis suppetere eorum, quæ Christus promisit, haud prorsus incerta promissorum argumenta. Primo enim illius doctrina et religio per universas orbis terræ partes, atque etiam apud gentes magis barbaras, quemadmodum ille promiserat, brevi temporis spatio fuit disseminata. Deinde vero quantumvis hæc doctrina dura et aspera videatur, illam tamen magno ingenio præditi oratores, grammatici, rhetores, jurisconsulti, medici, philosophi expetebant. Tertio illius sectatores nullis plane quibuslibet suppliciis, etiam gravissimis, ad eam deponendam non solum cogi potuerunt: sed iis quoque crevit semper eorum numerus. At hæc prius a Christo promissa cum evenerint, de aliorum quoque ab eo promissorum eventu dubitandi nulla ratio est.

Neque porro tot homines per totam terram christiana religione initiati, aliis obtusi, hebetes, ac fatui videri poterant, nisi hi se solos sapientia et scientia præditos jactitarent. Sed quali, inquit auctor noster, sapientia et scientia? Num grammatica, poetica, rhetorica, logica et dialectica? At quam vana sit harum disciplinarum ostentatio inde patet, quod per se homo scire nequeat quæ divina, vel obscura sunt, nec quid ipse sit, ut ait Socrates, nec unde, vel a quo, et qua de causa creatus, cur tot ærumnis et malis opprimatur, quid in somniis agat, quæ somnium inter et vigilias differentia, quomodo fiat visio, aut odoratus, cur animus etsi immortalis in infantibus stolidus, in senibus sit defessus. Denique quam-

A vis homo veri aliquid nonnunquam pronuntiaverit, et hoc ipsum pro certo adhuc non habet.

Nulla igitur ratione aliis non doctiores ethnici christianos divino magistro suo credentes vituperabant. Sine prævia siquidem fide nullum profecto negotium a peregrinantibus, navigantibus, agricolis, suscipitur. Sine fide etiam nullus conjugio jungitur, nullus æger accersit medicum, vel miles bellum gerit, vel magistrum audit discipulus, neque ullus gentilis deos suos invocat. Quin etiam gentiles opinionibus credebant philosophorum, qui de primis tamen rerum principiis, aliisque de rebus nihil certi exploratique proferunt, ac semper inter se digladiantur. Nonne ergo Christo, qui tantis miraculis doctrinam suam stabilivit, æquius est credere, quam Platoni, Cronio, Nu-
B menio, aut aliis quamtumlibet ob morum integritatem, atque eloquentiæ, logicæ, arithmeticæ, musicæ, geometriæ, scientiam laudandis, qui nihil vel minimum quid his simile facere unquam potuerunt? Et certe si Christus humanis tantum argutiis et argumentis usus fuisset, omnes ei negassent fidem, quam dare coacti sunt ob edita ab ipso ejusque discipulis miracula apud Indos, Seras, Persas, Medos, Arabas, Ægyptios, Galatas, Parthos, Phrygas, atque in Asia, Syria, Achaia, Macedonia, Epiro, et ubique in Oriente et Occidente, ac potissimum Romæ, ubi Simon magus a Petro ex sublimi aere dejectus, in terram fractis cruribus præcipitatus est.

Quid plura? Non vexanda certe, sed ideo laudanda
C erat ab ethnicis christianorum fides; quia illis communes erant cum philosophorum coryphæis de Deo, de corporum resurrectione, de salute animarum, et futuris impiorum pœnis sententiæ, quamvis ab his aliter atque a christianis explicentur. Atque ibi Arnobius edisserit cujus naturæ nostra sit anima, quo ex fonte prodeat, et cur variis affectibus et vitiis fiat obnoxia.

Tum deinde illorum retundit arrogantiam, qui nostram animam ejusdem cum Deo patre immortalitatis et naturæ participem esse insolenter venditabant. Simili quippe atque animalia modo nascimur, vivimus, ac morbis et senectute solvimur. Huc accedit quod nonnulli animas improborum post mortem
D in pecudum corpora migrare opinati sunt.

At divina est, inquiebant, anima hominis, qui ratione cæteris præstat animalibus. Optime quidem, ait Arnobius, si homo hac sua ratione bene semper uteretur. Sed ubi est, humanæ animæ præstantia? Numquid quia homines et domos et urbes construunt? At si animantes haberent artium ministras manus, possent utique similia ædificia exstruere. Ab iis siquidem alia fiunt, quæ numquam homines potuerunt imitari. Numquid bestiis antecellunt homines, quia vestem supellectilem, aliaque vitæ humanæ alendæ necessaria sibi parare norunt? At ea omnia non scientiæ munera, sed a pauperrima inventa sunt necessitate.

Omnes porro cum artes hominum ei scientiæ labore et experientia partæ, nihil valde mirandum in

se habeant, nec omnes omnia cognoscant, ratum profecto et fixum esse debet humanas animas neque divinas, neque omni scientia eruditas ex cœlo hunc advolasse in mundum. Atque inde fuit idem aliis tantum verbis expressus Platonis et aliorum quorumdam philosophorum error, quo somniaverunt scientiam esse rerum ab homine, priusquam nasceretur, cognitarum recordationem. Etenim Arnobius falsam hancce opinationem aliis adhuc rationum momentis evertit. Et primo, quidem quia eadem foret cunctorum hominum scientia, recordatio, sententia. Secundo, detur puer aliquis in desertissima et inaccessa solitudine natus, atque ibi summo in silentio a muta nutrice educatus, postea cibo aliquo simplicissimo victitans, nullum unquam loquentem audiat. Inde post triginta aut quadraginta annos educatur, et prodeat in publicum, tum saxo obtusior, nihil plane quavis de re interrogatus respondere poterit, nihil rerum naturalium, aut earum, quæ hominum usui, vel deliciis et voluptati necessaria creduntur, et ab auctore nostro enumerantur, notum habebit. Denique nullam ille articulatim et distincte vocem emittet. Nonne autem hinc evidenter conficitur animam illius in mundum non venisse omnibus scientiis instructam?

Postea Arnobius contrarium Platonis argumentum, ex puero de numeris interrogato petitum, luculenter diluit. Ab hoc namque non solum puero, verum etiam ab illo, de quo dictum est, quadragenario homine si quid de multiplicandis, aut dividendis numeris, aut triangulis et quadratis inquiras, mutus omnino erit, aut respondebit non quidem ex ficta a Platone cognitarum olim rerum memoria, sed ex iis quæ quotidiano usu didicit. Homines enimvero magistrorum suorum institutione, quemadmodum animalia usu et assiduitate erudiuntur. Anima igitur humana, scientiis omnibus instructa, huc non adventavit. Docere siquidem potius deberet, quam doceri.

Neque dixeris animam, ubi corpori conjungitur, priorum oblivisci, atque, ut aiunt, *ex docta elementariam fieri*, id est, primis elementis imbuendam. Primum enim illa, docentibus iisdem philosophis, simplicis et incorporeæ est substantiæ. Conjuncta ergo corpori nihil spiritualis naturæ, et pristinæ cognitionis amittere potest. Mortalis quippe et corruptibilis fieret. Deinde quando illa corpus animat, plurium ante octoginta atque amplius annos a se factorum et auditorum, recordatur; multo ergo magis illorum, quæ ante suam corpore copulationem noverat, reminisci deberet. Postremo si hæc conjunctio efficiat ut pristina scientia excidat ex anima, quomodo dicunt eam scire se esse incorpoream, immortalem, omnique olim imbutam scientia, sed omnium quæ noverat, tum oblitam?

Demum Arnobius ex his ita disputatis concludit hominem protelarium, classicum, capite censum, ac prorsus inopem, primo ordini, hoc est, divino non adscribendum, nec ei eamdem atque Deo tribuendam immortalitatem. Secus enim nullis fortuitis casibus obnoxius, nullas inferorum pœnas pertimescet, et in omne voluptatis flagitiique genus, contemptis virtutibus, præcipitem sese impune dabit.

Eadem autem ratione Arnobius impugnat funditusque evertit contrariam opinionem Epicuri, qui animam nostram mortalem esse garriebat. Ea quippe opinio si vera sit, nulla amplius erit causa, cur philosophia mentes nostras excolamus, virtutibus demus operam, ac vitia fugiamus.

De nostra porro anima sic Arnobius noster statuit; eam mediæ cujusdam mortalem inter et divinam naturam esse substantiæ, Deique beneficio fieri longævam atque immortalem. Quapropter christiani pium in hoc mundo vitæ genus agentes, sperant fore ut suam post mortem et in cœlum, sicut de suo illuc regressu ethnici gloriabantur, remigrent, et insuper a Deo æternæ felicitatis præmium, certissimo miraculorum suorum pignore à Christo promissum consequantur.

Quoniam autem modo anima, inquiebant, si mediæ illius qualitatis sit, potest unquam immortalis fieri! Respondet Arnobius satis nobis illud esse, quod omnipotens Deus, cui nihil obsistere potest, nos de hac animæ nostræ immortalitate certo fecerit certiores. Quid vero quod ipsimet ethnici fateri cogebantur deos suos sive angelos et dæmones hujusmodi mediæ esse qualitatis; quandoquidem eos aliquando natos, postea suprema Dei patris voluntate, sicuti Plato docet, immortales factos existimabant.

Anima itaque nostra a suprema quadam potestate fuit creata, sed nec divinæ prolis, nec summi Dei filia est. Tantæ quippe si fuisset perfectionis nihil amplius posset in ea desiderari, nec diversæ essent hominum sententiæ nec ulla eorum anima ex beatis sedibus in corpus mitti voluisset.

Non patitur autem Arnobius sibi objici mundum sine homine esse imperfectum, atque idcirco Deum, uniuscujusque animam ex seipso genitam in humanum misisse corpus. Duplici enimvero longaque inductione palam ille facere conatur hominem non ad perfectionem mundi, qui quidem sine illo esse poterat, sed ad privatam ipsiusmet hominis utilitatem commoditatemque esse creatum. Atque ex iis concludit divinam, non esse animam, quæ postmodum in corpus aliquod a Deo summo missa fuerit.

At sua, inquiunt, voluntate, non Dei jussu venit in mundum. Cur ergo, respondet Arnobius? Numquid quia Deus jubendo ut veniat, ipsemet Deus omnium calamitatum, quibus homo in hoc mundo premitur, atque etiam cunctorum, quæ perpetrat scelerum causa diceretur? At nullius, ait ille, ponderis est hæc ratio. Quia enim non prohibet quemadmodum potest, ne homo veniat in hunc mundum, eorumdem illius scelerum et calamitatum non minus causa dicendus erit. Sed id de illo sine maxima impietate pronuntiari non potest.

Urgebant ethnici: Dic igitur nobis unde progenita aut prolata sit anima. Sed hoc, inquit, Arnobius, sicut et alia plura ignorare possumus, tametsi illam

nec divinam, nec Dei progeniem esse compertum nobis sit. Scimus enim nihil a Deo summo fieri unquam potuisse, nisi omnibus numeris absolutum. Nec minus certo cognoscimus homines nihil esse aliud, nisi animas corpori alligatas, quæ omnium vitiorum genere corrumpuntur. Quamvis enim quidam inculpatis optimisque sint moribus, certe hi paucissimi sunt, nec parvo eorum, quos Arnobius proponit, numero æstimandum est totum genus humanum. Ecquinam vero, pergit ille, perfecti sunt homines? Numquid philosophi! Atqui hi quotidie cum cupiditatibus et variis animi affectibus pugnantes, animam suam ad vitia proclivem, et infirmam esse demonstrant. Non ergo divina est illorum nec aliorum anima.

Nec est quod rideant ethnici, si negemus nobis incompertum esse quomodo illa creata sit. Nullus etenim irrisione dignus est, qui aliquid nescit, aut qui quod nescit, id se nescire confitetur. At ille merito irridendus, qui se scire putat quod obscurum est, et humanam superat cognitionem. Præterea qui animas ab ipso summo Rege in hominis corpus descendere opinabantur, nihil proferebant certi et explorati, sed suspiciones tantum ac conjecturas, quæ nihil aliud sunt, nisi incerta opinio, et rei ipsius ignorantia.

Ad hæc vero, ipsimet gentiles philosophi nesciebant unde qualesve sint elephantorum, cervorum, leonum, aliorumque animalium, immo vero nec locustarum, murium, soricum, et aliarum ejuscemodi bestiolarum animæ; quas quidem ex fictitio Platonis cratere ortas nemo dixerit. Nec magis inter philosophos constat a quo et ex quibus primis potissimum rebus animæ nostræ factæ sint. At si pie et sancte a Platone adsertum putant illas, non quidem a Deo summo, sed ab minoribus quibusdam potestatibus creatas, cur nobis non licebit longe certius adserere ipsas mediæ qualitatis, quæ quidem licet a principalibus potestatibus non editæ, mortisque legibus obnoxiæ sint, immortalitate tamen a Deo donantur?

Neque dixeris nihil penitus sine Dei voluntate fieri. Cave enim ne inde concludatur Deum tot ac tantorum, quibus homines obruuntur, quæque ex elementorum inæqualitate oriri non constat, malorum esse auctorem. Nec curiosius etiam inquiras unde illa mala oriantur, et cur ea Deus permittat. Nam hoc scire vel nescire parum interest, modo pro certo plane habeamus nihil a vero Deo fieri malum, vitiosum, et noxium, quodque omnibus non sit salutare, et amoris ac lætitiæ plenissimum. Nulli autem mira videri debet nostra de tot aliis rebus ignoratio. Quis enim nescit tantas esse omnium ac præsertim philosophorum, de re qualibet, de mundi ortu et interitu, de primis rerum primordiis, de diis, de animæ nostræ conditione, contentiones, ut nihil a quoquam adseratur, quod ab alio statim non possit destrui ac confutari?

Quamvis ergo christiani ignorarent a quo, et unde creata sit nostra anima, unde oriatur malum, vel cur Deus illud patiatur, nihil inde adversus illos efficere poterant gentiles, quibus longe plura incomperta sunt, de mundi origine, loco, et situ; de nive, sole, luna, ac stellis; de pluvia, vento, tempestatum vicissitudine, de salso mari; de quibusdam terris dulcibus, amaris, frigidis, ac de humanorum membrorum compositione. Neque magis norunt quid in mundo faciant bubones, immissuli, formicæ, vepres, lolium, aliaque his similia; cur tali nec alia figura triticum, far, hordeum, cæteraque usui humano apta, nec quid tandem sint odor, sapor, atque aliæ ejuscemodi qualitates. Recte itaque Christus, verus Deus, sub hominis forma locutus, jubet nos relictis hisce omnibus, similibusque aliis quæstionibus, ad rerum universarum dominum tota mente adtolli, atque perpetuam ipsius habere memoriam, qui tametsi comprehendi nequeat, nullus tamen nisi amens, illum solum esse Deum ambigit. Ethnicos igitur, qui eum non agnoscunt, manent sævi post mortem cruciatus, quantumvis Magi, Etrusci, vel alii, illis, si pie vixerint, cœlum post mortem patere spondeant. In illius enim solius Dei, minime vero aliorum, quantumlibet dii dicantur, potestate positum est conferre immortalitatem. Quocirca Christus ab illo missus est, ut nos ab interitu, atque exitio liberaret.

Quid ergo, arguebant ethnici, actum est de eorum animabus, qui ante Christi adventum mortui sunt? Christus ipse, inquit Arnobius, nos docuit eas convenienti tempore a se fuisse conservatas, ac liberatas, quemadmodum ab ipso solo didicimus quando in terris esse cœperit humanum genus, quando primum alligatæ sint corporibus animæ, et quis hominis creator.

Urgebant ethnici, cur ergo omnes animas æquali beneficentia non liberat? Omnes, respondet Arnobius, æqualiter vocat, et ad se veniendi potestatem fecit. Nostra igitur non Dei culpa est, si illius beneficium non adsequamur. Quod quidem Platonis auctoritate confirmat, additque Deum, cui salus nostra necessaria non est, nulli adferre necessitatem.

Instabant, si Deus potens ac misericors est, cur non facit, ut inviti homines ipsius credant promissis? Vis illa, ait Arnobius, non gratia, sed injustitia esset, qua ab invitis extorqueretur, quod nolint ac refugiant, quodque si velint, possint consequi.

Solus igitur christianus, aiebant ethnici, Christi ope et auxilio beatam immortalitatem impetrare potest. Recte, inquit Arnobius. Soli quippe illi hæc a Deo patre facultas conceditur. Nec id sane ethnicis debebat mirum videri, qui singulis diis suis singulares quasdam potestates datas opinabantur.

Ad veterem deinde, ac sæpius refricatam, transit Arnobius gentilium querimoniam, qua novellam esse christianorum religionem, atque antiquos et patrios ritus in barbaros peregrinosque mutandos non esse expostulabant. Variis autem rationibus ostendit hominibus usu semper venisse, ut salubri commutatione malis et inutilibus bona et utilia præponerent. Quamobrem non ipsa rei alicujus permutatio, sed mutationis causa semper inquirenda est. Deinde vero si vetera instituta mutare crimini vertatur, hujus cri-

minis reos esse gentiles convincit Arnobius longa ciborum, morum, legum, sacrorumque rituum ab ipsis mutatorum enumeratione.

Prælerea tametsi christiana religio ante paucos dies disseminata fuisset, nonne res omnes humanæ, artes, scientiæ, disciplinæ, quarum quasdam auctor noster recenset, ortum habuere? Nonne, ipsismet fatentibus ethnicis, eorum dii, Jupiter, aliique quos ille nominatim appellat, esse cæperunt? Si ergo ante 400 annos religio christiana non erat, neque etiam ante duo annorum millia nullos deos suos fuisse negare non poterant.

At constat, inquiebant illi, nostram religionem christiana longe vetustiorem esse, atque idcirco veriorem. Sed Arnobius hanc consequentiam falsi ideo arguit, quod utraque initium habuisse dicatur, ac duo annorum millia non multum æstimari debeant, si cum præteritis superioribus sæculis comparentur. Ad hæc vero, nihil omnipotente et æterno Deo antiquius, atque adeo novum recensque non est, quod in eo colitur. At illud si sero, et Christi dumtaxat tempore didicimus, nihil inde confici poterat adversus christianos, aut pro ethnicis, qui non tam longo a tempore Serapidis, Isidis, et Apollinis nomen, atque Phrygiæ matris, Cererisque sacra susceperant.

Verum postulabant ethnici, cur Christus tam sero missus a Deo fuerit. Sed ab iis vicissim petit Arnobius, cur aliquando hyems, æstas, pluvia, non stato, opportunoque semper tempore, sed tardius recurrant? cur Hercules, Æsculapius, Mercurius et alii, tam sero in deorum gregem, nostramque cognitionem venerint? Quamvis itaque ratio cur aliquid factum sit, reddi nequeat; non inde tamen factum illud fuisse negari debet. Quid præterea, quod nihil est in æternitate tardum aut præmaturum? Quid, si deterior humana conditio, et infirmitas posterioribus quam prioribus sæculis major, id exigebat? Denique singula facta sunt quomodo, ac quando Deus immutabili decreto constituerat.

Postremo inquirebant gentiles cur Deus cui christiani serviebant, si omnipotens sit, patiatur illos omni persecutionum, pœnarum, ac suppliciorum genere vexari et opprimi? Sed vicissim ab illis requirit Arnobius, cur eorum dii cultores suos similibus ærumnis ac calamitatibus obrui patiebantur. At christiani, inquit, quibus nihil in hac vita promissum est, pœnas, supplicia, et dura omnia libenter perferre edocti, certissime noverant his non mali aliquid sibi afferri, sed veram liberationem, qua æternam salutem consecuturi sunt. Ad eam porro comparandam Arnobius gentiles adhortatus, finem libro imponit.

ARTICULUS III.

Analysis libri tertii.

Quamvis christiana religio tam a longo tempore ab eximiis defensoribus satis superque asserta fuerit, nec ullo prorsus vindice indigens, per se ipsam contra omnes adversariorum impetus stet plane inconcussa; Arnobius tamen operæ pretium esse judicavit satisfacere ethnicis, semper rogantibus cur christiani deos nec colerent, nec adorarent. Respondet itaque in Deo rerum omnium creatore et moderatore, quidquid colendum et adorandum est a christianis coli et adorari. Si qui ergo dii sint, ab illo originem suam ducunt, atque in eo coluntur. Sed eos revera esse deos probari nunquam potuit ab ethnicis, quibus incompertum semper fuit aut unde nomina sua acceperint, aut quanta sit illorum multitudo.

Ulterius vero progreditur atque ex his, quæ ethnici de diis suis prædicabant, nullos esse apertissime demonstrat. Primo enim deos mares et fœminas venerabantur. At divinam naturam non diversi, immo nullius sexus esse capacem non solum Ciceronis testimonio, sed inde etiam plane conficit, quod sexuum diversitas ad generandam sobolem data est. Atqui quamvis nomen *Deus* masculini sit generis, tamen dii gentilium nec generare, nec generari possunt. Cum enim immortales, et senectuti, aliisque infirmitatibus non obnoxii fingantur, si generare possent, jam infinitus esset eorum numerus. Ad hæc vero fœdis voluptatibus ac cupiditatibus contaminarentur. Denique deæ turpia paterentur graviditatis, et partus, aliaque mulierum incommoda. Cur ergo ethnici ægre ferant tales deos genitos et generantes a christianis reprobari, nulla prorsus est ratio.

Secundo iidem gentiles, quemadmodum Saducæi, persuasum habebant deos corporea humanaque forma figurari, ac componi. At certe quidquid corpore constat, mortale utique sit oportet. Quid vero, quod Arnobius facta humanorum membrorum enumeratione, his deos componi non posse ostendit? Huc accedit quod dii sibi invicem dici deberent aut similes, aut dissimiles. Non primum. Quis enim unum ab alio posset discernere? Non secundum; nam aliqui, uti ab ethnicis repræsentabantur, capitones essent, frontones, pueri, juvenes, senes, nonnulli his lineamentis, alii aliis conformati, quidam hac, alii alia figura. At id non minus absurdum, quam animalium formas illis attribui, quod sane ab Ægyptiis factum cæteri gentiles merito irridebant.

Neque ex his quidam audiendi, qui respondebant humanam figuram diis honoris tantum causa accommodari. Pejor siquidem error, majorque contumelia est, diis formas adscribere, quas habere non credantur. Addit haud illepide Arnobius, si belluæ ratione aliquando præditæ homines honorare vellent, numquid homines patienter ferrent se belluina forma pingi et exhiberi? Nulla igitur Dei, tametsi audiat, videat, intelligat, species aut figura esse potest, aut si quæ sit, prorsus nescimus. Unum scimus nihil corporei, aut humanorum lineamentorum et affectuum esse in Deo, cujus natura nullo potest mortali sermone explicari.

Tertio ethnici deos inducebant aliqua singulos quosque arte, et scientia informatos, ac particulatim humanis officiis, negotiis, rebusque aliis sive bonis aut malis, sive honestis aut turpibus, hic ab Arnobio accurate enumeratis, præsidentes. Verum hæc

christianis quantumlibet impii et athei dicantur, nullus umquam persuadebit.

Quarto, Arnobius luculenter demonstrat fictitios omnino esse gentilium deos, ex variis illorum opinionibus de Jano, Saturno, Jove, Junone, Minerva, Neptuno, Mercurio, Magna matre, Vulcano, Diana et aliis. Unus enim tantummodo cum esse possit æternus Deus, quem frustra nonnulli mundum hunc esse putabant, cæterorum omnium, uti vocabantur, deorum falsitas ex hac opinionum plane ridicularum varietate evidentissime ostenditur.

Quinto, itaque Arnobius idem non minus efficaciter conficit ex eorumdem ethnicorum de origine, et numero deorum suorum, puta Musarum, Novensilium, Penatum, Larium perpetuis absurdisque contentionibus ac dissidiis. Nemini quippe ethnico homini tantas inter dissentiones licuit discernere, quis ex illis verus erat Deus, quis invocandus et honorandus, quis opem petentibus ferre umquam poterat.

ARTICULUS IV.

Analysis libri quarti.

Inceptam adversus gentilium deos disputationem prosequitur Arnobius, planeque ostendit Pietatem, Concordiam, Salutem, Honorem, Virtutem, Felicitatem, aliaque hujusmodi numina, quibus iidem gentiles magnifica templa construxerant, nec risu aut joco, nec serio et affirmate dici posse vim habere divinam, et in numerum deorum aggregari. Idem plane de Victoria, Pace, et Æquitate statuendum. Nam ea omnia, sicut et eorum contraria, in hominum actionibus affectibusque posita sunt. Nec minus præpostere ab ethnicis nonnulla, uti somniaverant, propter benefacta, plures dii, quemadmodum Luperca, Præstana, seu Panda, vel Pantica, Pellonia, aliæque ignotorum numinum catervæ educebantur. Non enim benefici, sed solus rerum omnium creator verus Deus est.

Quis etiam sine indignatione eos audire poterat, qui garriebant quosdam esse deos sinistrarum regionum præsides, dexterarum inimicos? Mundus enimvero cum teres sit ac rotundus, pars ejus læva et dextera, oriens et occidens, auster et meridies, nostri tantum, quando quiescimus, respectu dici potest. Ab iisdem quoque gentilibus insulse omnino fingebantur quidam dii rebus quibusdam, næc aliis præfecti, videlicet Lateranus, seu Genius focis, Venus Militaris flagitiis castrensibus et puerorum stupris, Perfica, Pertunda, Tutunus rebus obscenis, Puta putandis arboribus, nemoribus Nemestrinus, Patellana et Patella patefaciendis aut patefactis ostiis, Nodutis frugum nodis, iis terendis Terensis, Vibilia viarum erroribus, Orbana filiorum orbatis parentibus, Nænia vitæ extremis, Ossilago ossibus consolidandis, Peta, Puta, Patella apibus, melli Mellonia, Lucrii lucro, Libentina et Liburnus libidini, liminibus Limentinus et Lima, obliquitatibus Limus, sationi Saturnus, montibus Montinus, Murcida segnibus, ac pecuniæ et divitiis dea Pecunia. Si enim hi aliique plures dii, quos Auctor noster ne lectori tædio esset, prætermisit, singulis rebus præsint, cur non similiter dii A aliqui cucurbitis, rapis, culinæ, nasturtio, ficis, betaceis, caulibus, unguibus, pilis, aliisque corporum partibus præficiuntur? Unum siquidem non magis quam alterum a vero abhorrere, deisque probro esse ille luculenter ostendit.

Nec est quod aliquis objiciat illos ideo deos esse quod ab haruspicibus vocati, continuo veniant, certaque responsa reddiderint. Quamvis etenim hoc gratis concedatur, quis Melloniam aut Limentinum, ut responsa daret, alienis fibris insertos vidit unquam? Quid si dolo et fraude, vel dæmonum arte ac fallaciis responsa data sint? Ad hæc vero, cum tanta deorum multitudo ab ethnicis proferatur, scire non B poterant, utrum unus tantum deus aliis omnibus, quos invocabant, non supponatur. Quis autem verus Deus sit, rogare non debent, quandoquidem illum Ægyptii, Persæ, Indi aliique omnes agnoverunt.

Sed instat Arnobius, planumque facit absurdissima ab ethnicis produci deorum suorum monstra, tres videlicet Joves, quinque Soles, totidem Mercurios, Minervas, et Dyonisos; tres Dianas, et Æsculapios; quatuor Vulcanos, et Veneres; tria genera Castorum et Musarum, sex Hercules, trigas Cupidinum, et Apollinarium nominum quadrigas. At hi omnes dii ejusdem nominis esse non possunt, aut quis ex illis verus Deus sit, penitus ignoratur. Deinde vero si uni, verbi gratia Minervæ, nec nominatim appellatæ fiat C sacrificium, nonne aliæ tamquam sibi factum stulta contentione vindicare conabuntur?

Quod si quis dixerit sibi latere an theologi alii ve suis in libris cognita et explorata, vel falsa fictaque pro libidine scripserint: quid ad nos? inquit Arnobius. Sufficit illa omnia, quæ de diis dicuntur, falsitatis convinci. De medio igitur tollendi sunt hi theologorum, pontificum, aliorumque veteres libri, aut ethnici ea patefacere nobis debent, quæ vera in eis reperiantur.

At quomodo veri aliquid in illis indicari posset, in quibus iidem dii summis contumeliis ubique passim afficiuntur. Nam ibi prædicantur dii non secus ac homines geniti, celebratis prius nuptiis, aut adulterio et incestu, sicuti Jupiter, et filii ejus, aut ex ovis D velut Castor et Pollux, aut ex pelagi spuma, sicut Venus. Nonne ergo publicæ generis humani calamitates iisdem ethnicis, hæc pertinacissime asserentibus, hæcque numinum portenta impie colentibus adscribendæ sunt, non autem christianis, qui ea, quo par est, horrore detestantur?

Neque tamen ibi stetit insana gentilium opinatio. Sed suis adhuc in libris venditabant Saturnum vinctum, Jovem infantem a Curetibus servatum, regnum expulsi a se patris occupantem, humanis imprudenter pastum carnibus. Vulcanum fabrum, altero claudum pede; Æsculapium percussum fulmine, Apollinem falsis responsis locupletatum, fures Mercurium et Lavernam, Musas Megaclonis ancillulas, Venerem meretricem, Palladium ex Pelopis reliquiis factum; Martis patriam, vincula, et cum Venere adulterium;

mercenariam Herculis, Apollinis et Neptuni servitutem; Minervam in conjugalibus secretis ministram lucis; Martis, Veneris, Plutonis, Junonis vulnera; Jovis, Saturni, Castoris et Pollucis sepulturam, hosque alternis viventes ac morientes; Herculem igne crematum; effrænatam Neptuni et Apollinis in feminas ab auctore nostro nominibus suis appellatas libidinem; varias Jovis eam ob rem conversiones, furentem hujus et aliorum deorum ac dearum in masculos petulantiam. Atqui hæc omnia aut falsa sunt, aut vera. Si primum, dii tantas tamque impudentes calumnias morte ethnicorum omnium vindicare debuerant. Si secundum, iidem dii miseri, infames et sceleratissimi homines fuisse convincuntur.

Quid vero, quod humana illorum natura manifestissime comprobatur non solum Euhemeri, Nicagoræ, Leontis, Theodori, Hipponis, et Diagoræ testimonio, verum etiam rebus a Jove gestis, Minervæ Dianæque bellis, affectato a Libero Indorum regno, atque aliorum conditione, opera, quæstu et conjugiis. Sed declarat Arnobius se id, quod facile erat, demonstrandum non suscepisse, sed deos a nemine contumeliosius quam ab ethnicis vexari.

Quod quidem ille demonstrare pergit, tum solemnibus statutisque in eorumdem deorum honorem, quæ quidem poetarum commenta dici non poterant, sacris, mysteriis, cæremoniis, et ludis, tum etiam ex jam recensitis illorum flagitiis, sceleribus, vulneribus et bellis. Eo quippe major erat ethnicorum iniquitas, quod summa legum severitate in famosi alicujus dicti, carminis, et libelli auctores animadverterent, patientissime vero ferrent tanta deorum opprobria et dedecora scribi et decantari, eaque scribentes, atque etiam histriones et mimos eadem in theatris publicisque spectaculis repræsentantes, maxima audiebant cum voluptate, et illos laudibus ac præmiis remunerabantur.

Quis ergo dubitandi locus supererat, quin ex tanta deorum irrisione, tantoque ludibrio ortæ fuerint publicæ calamitates? Nullus itaque sanæ mentis homo unquam negabit illa gentilium scripta potius debuisse cremari, quam christianorum libros, atque illorum theatra potius, quam horum conventicula dirui? In christianorum siquidem conventiculis ac synaxibus Deus verus exoratur, pax et venia pro omnibus, sive vivis, sive mortuis postulatur, nihilque auditur, nisi quod humanos, mites, verecundos, pudicos et castos faciat. Dii ergo si ira, uti opinabantur ethnici, accenduntur, non christianis, sed ipsismet ethnicis, omnium ante oculos dedecus et turpitudinem illorum statuentibus, irasci debebant. Si vero iræ expertes sint, christianis frustra irati dicuntur.

ARTICULUS V.

Analysis libri quinti.

Ad aliud contra gentilium deos argumentum venit Arnobius, illudque petit ex historiis, quas cum ethnici usu quotidiano retinerent, festis celebrarent annuis, simulacris repræsentarent, eas profecto verissimas

A esse arbitrabantur. Prima est Numæ Pompilii, qui a Jove Elicio, dolis et artibus decepto, ferebatur impetravisse fulminis procurationem. Ex omnibus autem hujus historiæ circumstantiis manifestum auctor noster omnibus facit nihil posse fingi a veritate, et divinitate magis alienum.

Secunda Acdestis et Atydis historia est, quam nemo nescit turpissimis Jovis, Matris deûm, Nanæ, et Jæ flagitiis, ignominiosa Atydis castratione, illiusque et Jæ morte, aliisque illi adjunctis, fuisse famosissimam. Contra illam igitur Arnobius eodem prorsus modo ac contra alias argumentatur, planeque ostendit eam ab ethnicis non posse falsitatis coargui. Ab antiquissimis siquidem illorum scriptoribus tradita fuerat, et ab annuo ethnicis Matris deûm festo

B maxima cum pompa et solemnitate celebrari consueverat. Nulla autem tantæ solemnitatis causa esse potuit, nisi quia ea omnia reipsa facta fuisse opinabantur. Si quæ vero alia illius obscura fuerit ratio, eam certe, quandoquidem in festo illo turpitudines maximæ agebantur, obscenissimam ac turpissimam esse oportet.

Plures alias his similes Arnobius, exsecranda earum fœditate deterritus, se prætermittere declarat. Paucis tamen perstrinxit Faunam, sive Bonam deam virgis cæsam, turpem Servii ortum, ac fœdissima et nefanda, quæ in Omophagiis, Corybantibus, Bacchanalibus, Phrygiis sacris ac mysteriis fieri solebant. Horum autem occasione scite observat tot tantaque

C Jovis narrari adulteria, aliaque flagitia; ut non alia causa videatur natus, nisi ut in eum omnis infamiæ, ac cujuslibet fœdissimi facinoris atque sceleris, colluvies derivaretur. Tum deinde alia prosequitur sacra, videlicet Thesmophoria, Eleusinia, atque Alimuntia, in quibus non minor, quam in aliis lascivia ac petulantia. Postea vero quam ea in oculis conspectuque omnium exposuit, ab ethnicis postulat utrum christiani ad hæc sacra agenda omni suppliciorum etiam dirissimorum genere cogi debeant, ac utrum ipsimet ethnici diis, quorum scelera et flagitia in iisdem mysteriis memorabantur, similes se esse, vel eos filiis suis aut conjugibus proponere in exemplum velint? Mirum itaque sibi videri ille ait eum; qui hos deos esse neget vel dubitet, atheum et sacrilegum ab illis

D appellari. Denique ex his omnibus ille concludit hujusmodi deos, non christianis, eos respuentibus, sed ethnicis tanta illorum crimina prædicantibus, infensos esse debuisse.

Futilem deinde vanamque Arnobius ostendit esse gentilium responsionem, qui omnes hasce historias allegorico tantum sensu intelligendas esse contendebant. Ad eas siquidem explodendas plane sufficit illas non posse naturali sensu sine impietate exponi. Deinde vero cur a scriptoribus tam serio posteris traditæ sunt, ut suo naturali sensu non explicarentur? Numquid hi scriptores eas mystico allegoricoque dumtaxat sensu accipiendas alicubi testificati sunt? Si vero plures possint esse ejusdem historiæ partes allegorici occulti sensus, ubinam illi quo præcise

intelligi debebant, alicui patefecerunt? Numquid etiam omnes, vel aliquæ tantum unius historiæ partes allegorico significatu exponendæ sunt? Non omnes quidem. Necesse enim esset, ut ethnici singula quæque facta, locos, regiones, domos, nationes, aliaque his historiis comprehensa, allegorico sensu interpretarentur, nec alio intelligi posse demonstrarent. Gratis etiam fingerent aliquas unius historiæ partes illo allegorico, alias naturali sensu accipiendas. Quæ etenim pars potius, quam alia in Summani et Proserpinæ, vel Jovis et Cereris historia assignari potest, quæ allegorico aut naturali sensu explicari debeat? Quæ ratio reddi poterit, cur in quibusdam sive Jovis, sive Summani historiæ partibus explanandis, a naturali ad allegoricum sensum necesse sit transitum fieri?

Omnia igitur, quæ una eademque historia comprehenduntur, uno eodemque sensu sive naturali, sive allegorico debent intelligi. Atqui hoc secundo allegorico significatu cuncta in una eademque historia, quemadmodum in Trojani belli vel Cannensis pugnæ narratione, non possunt explicari. De diis enimvero quæ scriptis consignata legimus, ea inde probantur reipsa ac vere facta esse, quia de illis festa solemnia stato tempore celebrabantur. Horum siquidem festorum constans et certa debebat esse origo, nec illa sine aliqua ratione instituta fuerunt.

Fac tamen, si velis, in historiæ cujuslibet descriptione aliud omnino, quam verba sonant, significari. Non minus certe illud ad deorum dedecus et contumeliam redundabit. Quæ etenim major diis injuria fieri potest, quam Jovis ac Cereris, verbi gratia, nefario concubitu terram imbre madefactam significari? Nonne multo satius erat hominem esse mutum, quam res honestas et naturales turpissimis deorum appellare sceleribus? Dic autem, quæso, quid vetabat quominus unaquæque res naturalis proprio suo nomine, non deorum aliquo crimine significaretur?

Neque porro dicendum deos noluisse sua publicari mysteria, atque idcirco eorum historias allegoricis scriptas esse ambagibus. Nam hæ allegoricis tenebris involutæ paucis quidem cognitæ erant, sed apertissima omnibus proponebantur deorum flagitia, quæ hominibus in vitia nimium propensis dabant eadem faciendi occasionem. Deinde vero cui unquam homini dii declaraverunt voluisse sub allegoricæ interpretationis obscuritate adscripta sibi obscenissima flagitia venditari? Quis vero dubitat eos non turpia, sed honesta de se dici semper maluisse? Præterea si Attydis nomine solem nuncuparunt, quid factum est de illo, quem historiæ perhibent in Phrygia natum, ac plurima egisse, quæ repræsentantur in theatris, et annuis solemnitatibus recoluntur? Quid etiam sol meruit; ut Attydis castrati hominis vocetur nomine? Denique Auctor noster multa in deorum historiis lectitar ostendit, quæ allegorico sensu explicari nequeunt. Ex quibus ille concludit nefas prorsus esse deos ab gentilibus, si illos revera existere persuasum

A habebant, turpissimis et divina majestate plane indignis vocari nominibus.

ARTICULUS VI.

Analysis libri sexti.

In hoc et subsequenti libro aliam Arnobius gentilium diluit criminationem, qua christianos maximæ impietatis propterea accusabant, quod nulla deorum haberent templa aut simulacra, nec ulla unquam iis sacrificia facerent. A templis autem deorum orditur, palamque fatetur iis christianos carere, non in deorum, si modo tales quidam existant, contemptum; sed quia cum semper benefici esse debeant, omni virtutum genere perfectissimi, nulliusque iræ vel perturbationis capaces, templa omnia magno ducunt B despicatui. Ea namque nulli ipsis usui esse possunt, quamvis exiguo hominum ingenio fabricata, iisdem solis hominibus magnificentissima videantur. Primus autem omnium Phoroneus, vel Merops, vel Æacus ea ædificasse perhibetur. At quantalibet magnificentia post hæc constructa sint, quid diis magis injuriosum ac contumeliosum, quam temere asseverare Jovem, aut alium quemvis deum templo, tuguriolo, conclavi et cellula includi?

Verum diis, inquiebant ethnici, templa extruimus; ut cum eis quodammodo præsentibus non magna sine reverantia colloquamur, atque illos de proximo invocantes, ab ipsis facilius audiamur. Sed perperam, ait Arnobius. Omnia quippe, ac tacitas etiam animi nostri cogitationes verus Deus cognoscit, cuncta æqualiter C audit, nullibi abest, nec sicut Jupiter cœnatum vadit ad Æthiopas, uno verbo immensitate sua ubique præsens est, neque umquam loco movetur.

Huc accedit pleraque deorum sumptuosissima augustissimaque templa nihil esse aliud, nisi sepulcra mortuorum. Talia enimvero produntur fuisse Cecropis, Acrisii, Ericthonii, Dairæ, et Immari, Celei virginum, Hyperoches et Laodices, Clearchi, Leucophrynes, Tesmessi, Cyniræ, et aliorum quam plurium monumenta ac polyandria. Denique Capitolium ab invento Toli capite nomen accepit. Atque inde conficit Arnobius diis frustra, ac contra eorum decus, templa fabricari.

Colendi vero eorum simulacra non potior utique est ratio. Dii quippe si in cœlo habitant, ad eos non D ad illorum simulacra fundendæ sunt preces. Si autem illos ibi habitare dubium sit, frustra rei dubiæ simulacrum fingitur. Præterea qui deos esse credit, hic ad exhibendam illorum præsentiam simulacris opus non habet.

Tum Arnobius iis occurrit, qui asseverabant se per simulacra deos colere ac precari. Numquam enim eos, si res ita sit, venerarentur, si nulla essent hujusmodi simulacra. Quid etiam absurdius, quam cum diis ipsis suis, uti putabant ethnici, supplicare possent, illos per mortuam effigiem, tanquam per quoddam fidei commissum aliquid rogare? Quid namque illud est, nisi *Deum alterum scire*, et effigiem deprecari omni sensu carentem?

Præterea imago rei alicujus ipsi similis esse debet, alioquin imago non erit. Atqui nemo ethnicus homo scire potest utrum quilibet deus talis revera sit, qualis ejus imago. At certe scimus tales deos esse non posse, quales sol, luna, venti, aliique leonina vel alia facie repræsentabantur. Ab ethnicis autem jure merito derisi sunt prisci homines, qui pro diis fluvium, acinacem, lapidem, informe lignum, aut quid simile colebant. Verum illi ipsi non minus irridendi, qui Hammonem cum cornibus arietinis, Saturnum cum falce, nudam Venerem, Vulcanum cum pileo et malleo, cum plectro et fidibus Apollinem, et Neptunum cum fuscina depingunt. Quam enim hæc a vera deorum figura abhorreant, quis non videt? Præterea si hæc propria sint uniuscujusque dei ornamenta, ubi ab uno suum detraxeris et dederis alteri, uterque discerni amplius non poterit.

Neque indigna tantum ethnici diis suis ornamenta dederunt, sed quorumdam hominum, atque etiam meretricum figuram et lineamenta. Ad Alcibiadis quippe instar Mercurium, ad Cratinæ et Phrynes Venerem, fabricarunt. Quid vero, quod Phidias lasciviens, in Jovis Olympici a se facti digito *Pantarces*, pueri a se amati, nomen inscripsit? Eo autem petulantiæ atque audaciæ devenit, quia noverat suo munere, et arte sua Jovem ab hominibus adorari. Quapropter ethnicos hortatur Arnobius; ut ad saniorem mentem redeuntes, tandem intelligant simulacra, quæ tanto honore adorabant, ossa esse, lapides, æs, argentum, aurum, ac sæpius vilissimam, ac quæ turpissimis usibus servierat, materiem. Quis enim in animum inducat ut deum illum esse existimet, quem ipse ex hacce materia fabricavit.

Urget Arnobius neminem esse ita insanum qui simulacri alicujus partes separatim positas colat, et adoret. Cur ergo ethnici illas simul conjunctas venerabantur? Non majorem certe conjunctæ, quam divisæ, vim divinam habent. Huc accedit quod si quis in Olympiaci Jovis, aut alterius simulacri intimas partes introierit, quid præter laminas, vel ligni saxique partes, plumbo suffuso, aut catenis, uncis, et ansulis compactas, et coagmentatas conspiciet? Nonne videbit caput, ventrem, aliasque partes intus vacuas, inanes, atque imperfectas? Sed ea cernere si non liceat, nonne cernit partes simulacri externas nidore et fumo decolorari, situ, rubigine, ac putredine, aut diuturnitate corruere, atque a muribus, blattis, araneis et hirundinibus, aliisque animalculis fœderi ac coinquinari?

Erras, inquiebant ethnici. Non simulacrorum materiam, sed deos in simulacris, post sacram eorum dedicationem habitantes, colimus. At vos ipsi, reponit Arnobius, gentiles tota erratis via. Cui enimvero credibile fiet deos, cœlestibus relictis sedibus, in simulacris habitare, atque aliqua eorum dedicatione ad ea inhabitanda compelli? Deinde si in eis semper maneant, nihil hac habitatione miserius. Si ab eis aliquando recedant, incertum utique erit quando simulacra adorari debeant. Sed agedum. Numquid dii in parvis simulacris dedicatis corpus suum contrahunt, et porrigunt in magnis et immensis? Numquid unus deus, puta Vulcanus, in omnibus suis simulacris ubique gentium positis et consecratis vel multiplex, vel indivisus manere poterit?

Quid plura? Si dii in his suis simulacris revera habitant, cur ea gentiles, ne qua injuria adficiantur, claustris, clavibus, pessulis, canibus, anseribus tuentur, ac diligentissime custodiunt? Cur Jupiter et Æsculapius tam patienter tulerunt simulacra sua ab Antiocho et Dionysio spoliari? Si dixeris de his nihil deos curasse, certe Venus incredibilem Pygmalionis et alterius perditi hominis in sumulacra sua petulantiam propulsare debebat. Nonne etiam Jupiter Capitolinus, Juno Argiva, Serapis, Diana Ephesina, Apollo et alii debuerunt simulacra et fana, in quibus habitabant, ab incendio aliisque casibus intacta servare?

Ultimum porro gentilium ad retinenda simulacra propugnaculum fuit, hæc omnia antiquos non fugisse, sed illo simulacrorum cultu imperitum vulgus in officio et religione continendum. Sed hoc seipso ruit et evertitur. Quid enim plebi quantumvis imperitæ formidandum ex deorum simulacris spoliatis aut direptis? Quid metuendum ex Saturni falce, Jani bicipitis clave dentata, Jovis fomite, cæstu Junonis, Minervæ galea, Cereris mammis, et cæteris hujuscemodi ridiculis deorum insignibus? Quid hæc et alia longe turpiora poterant ad retinendam hominum religionem conferre? Tantum profecto abest, ut id acciderit, quin potuis homines nullo legum severiorum metu, nec ullis suppliciis a sceleribus et flagitiis potuerint hactenus cohiberi. Postremo Arnubius de sacrificiis deinceps agendum significat, et libro finem imponit.

ARTICULUS VII.

Analysis libri septimi.

Primum hoc in libro Arnobius Varronis auctoritate, ac deinde ratione probat nulla diis facienda esse sacrificia. Dii quippe sive veri dicantur, sive corporea materia compositi, sive hominum manu et arte facti, nulla sacrificia desiderant. Veri enim si qui sint, tales esse debent, qualem christiani adserunt esse rerum omnium dominum, omnipotentem, atque ingenitum Deum. Qui vero tales sunt, nihil penitus ex terrena materia accipiunt, quo aut alantur, aut delectentur. Nulla igitur sacrificiorum diis faciendorum causa potest adferri. Non enim his sacrificiis nutriuntur; quandoquidem quidquid nutritur mortale est. Quid vero, quod ex his, quæ altaribus admoventur, nihil ad deos pervenit?

Non voluptatis etiam causa diis hostiæ cæduntur. Mortalis siquidem adhuc est, qui hujusmodi adficitur delectatione. Quæ vero in innoxiorum animalium mactatione, a qua etiam homine sæpe abhorrent, potest diis esse voluptatis illecebra?

Popularis quidem ac vulgaris opinio erat sacrificiis deorum iram placari. Sed iræ motus, diis indignus,

in immortalem animum cadere non potest. Detur A tamen deos iracundia percelli, illis sane non ante occupatum iracundia animum immolandæ sunt hostiæ. Non enim illis sicut feris et belluis offæ et cibi offerendi, ne eorum ira furorque concitetur. Neque etiam postquam propter homunculorum, si fieri potest, offensionem ira incenduntur. Nam præterquam quod nihil ea de re dii umquam statuerunt, nemini probabitur eos mactata et oblata aliqua pecude, aut iram ponere, aut injuriarum suarum oblivisci : aut his sacrificiis, tamquam pacta mercede dare peccatorum in se commissorum veniam. Cresceret enim multitudo peccantium hominum, si sic venalis esset deorum ignoscentium gratia. Huc accedit, quod iniquum videtur innocens animal pro homine noxio et peccatore occidi.

Nec est certe, quod quis arguat hostias diis immolari; ut res tribuant prosperas, et adversas removeant. Nam præterquam quod doctissimi inter ethnicos philosophi fato omnia fieri arbitrabantur, certe si penes deos sit secunda et adversa hominibus tribuere, cur tam ingrato animo sinunt plurimos ac fere innumeros, qui perpetuis sacrificiis et victimis aras illorum onerant, ad extremas angustias redigi? Deinde vero dictu absurdum est deos sacrificiorum pretio beneficia sua vendere. Dives enim qui plurimas mactaret hostias, plura deberet a diis beneficia accipere, nulla vero aut paucissima pauper, qui exiguum thus offerret. Præterea si duo populi, bello decertantes, eadem penitus diis facerent sacrificia, neutri eorum, nec etiam alicui sine injustitia opem ferre possent.

Neque potiori ratione adseritur sacrificia diis honoris, atque amplificandæ illorum potentiæ gratia fieri. Quidni enim idem de cæteris hominum actionibus dicatur? Quid insuper, quod honoris et potentiæ amplificatio homines, ut pote infirmos et ambitiosos, non vero deos spectat?

Fatetur tamen Arnobius honorem habendum vero Deo, qui sicut ira non ardescit, ita nec collato honore gaudet, nec negato indignatur, neque alienis adulationibus se majorem fieri existimat. Adde vero nihil honoris diis accedere ex mactatis animalibus, quorum fumo simulacra, ac sanguine et putore templa atque altaria coinquinantur.

Quod si adhuc nihilominus contendas, hoc animalium cruore deos honorari, cur eis non immolantur elephanti, cameli, leones, aquilæ, ciconiæ, et alia animalia longe plurima? Nec respondere juvat deos iis tantum, quæ ad victum nobis benigne suppeditant, honestari. Nam et cuminum, nasturtium, rapa, et alia omnia, quæ nostro sunt usui, iisdem diis litari debebunt. Deinde si fingantur canes, aut alia animalia, usum accepisse rationis, atque hominibus tanquam diis suis ea, quibus aluntur, offerre et sacrificare, nonne homines in sui contumeliam potius, quam honorem id factum censerent?

Urget insuper Arnobius, deorum sicut unum genus, ita una esse debet sententia; cur ergo uni una, altera alteri hostia immolatur? Numquid una huic grata est, alia alteri injucunda? Cur huic mares, illi feminæ sacrificantur, cum nulla sit in diis sexus distinctio? Cur diis superis albi, inferis vero atri coloris victima cæditur? Numquid unus color diis magis, quam alius gratus esse postest? Quid vero, quod dii inferi, quemadmodum Manes, nulli sunt? Sed eos esse concedamus : si hostiæ nigræ illis placeant, cur earumdem hostiarum dentes, ossa, caro, cur thus, lac, oleum, et alia, quæ atri non sunt coloris, ipsis offeruntur? Nec vult Arnobius sibi responderi aliqua consuetudine diversis diis diversas victimas sacrificari. Non enim inquiritur utrum homines, sed utrum dii sanciverint aliquam hostiam uni deo magis, quam alteri convenire, et utrum ipsimet illi dii pacto B ac convento sacrificanda animalia inter se diviserint.

Præterea quo jure dicitur Telluri matri scropham gravidam, Minervæ virgini virginem vitulam convenire eadem ratione conficietur, musicos Apollini, Æsculapio medicos, fabros Vulcano, et Mercurio eloquentes viros congruere, atque ideo hos illis, sicut scropham Telluri, et Minervæ vitulam, immolandos.

Objiciebant vero ethnici diis bonis, ut prosint, et malis ne noceant, sacrificandum. Respondet Arnobius deos omnes natura sua bonos esse debere. Quapropter cum nullus deus natura sua sit malus, etiamsi nullo honore ab hominibus adficiatur, male tamen illis idcirco facere aut nocere nequibit. Huc autem accedit, quod si vera sit hæc ethnicorum opinio, ex C ea sequitur bonum deum, si debita illi hostia non mactetur, fieri malum, deum vero malum, facto sacrificio bonum fieri. Quis autem sanæ mentis homo dixerit naturam Dei mutari?

Cæterum quamvis fas fieri posset ut tauri aliaque animalia diis immolarentur, quid eis conducere valebant innumera farciminum, pultium, liborum, et fritillarum genera, ab auctore nostro enumerata, quæ in ethnicorum mysteriis ac sacrificiis adhibentur? Numquid ea omnia, quæ obscuris nominibus, ut augustiora forent, appellantur, deorum palato grata, et languenti stomacho utilia sunt? Cur illa vel separatim, vel modo cruda, modo cocta, vel assa apponuntur.

Thuris quoque eorum aris adolendi non melior est D ratio. Recens quippe est ritus ille, et antiquis temporibus incognitus. Quamobrem aut inutilis censeri debet, aut peccavere prisci homines, quibus numquam usu venisse constat. Quid vero, quod thure dato diis honoris aliquid tribui frustra jactitatur? Nihil quippe thus est, nisi viscus ex quibusdam corticibus profluens. Cur ergo ex aliis arboribus coalescens, ipsis similiter non incenditur? An quia non ita suavis est odoris? Quid inde? Numquid diis, quemadmodum hominibus; alii odores grati sunt, alii insuaves et injucundi? Minime quidem. Nam fatentibus philosophis dii incorporei sunt, nullasque nares habent, nec possunt ullo thuris aut alio odore mulceri.

Frustra etiam, ac nulla pariter ratione adducti

gentiles merum in sacris suis, thuris socium libabant. Diis enimvero nec siti, sicut nec fame laborantibus, neque ullo indigentibus cibo, inutilis plane est vini usus. Perperam quoque ethnici illud aut in deorum, honorem, aut ut propitii fierent, fundi opinabantur: quandoquidem virtutum omnium nervos debilitat, castitati, pudori, ac verecundiæ adversatur, ac si avidius sumatur, mentem in furorem atque insaniam præcipitat. Quid etiam magis insulsum, quam certis verbis vini aliquid libari, ne quodlibet aliud vinum sacrum fiat, et humanis usibus eripiatur? Nonne lex ac conditio diis sic imponitur, ne plus quam hominibus placet, vini, atque adeo honoris accipiant?

Nec dictu minus nefandum esse ostendit Arnobius deos sertis, coronis, floribus, cymbalis, tympanis, symphoniis et cantibus oblectari, aut honorari. Simili etiam modo demonstrat ethnicos irrisione atque commiseratione plane dignos esse, quibus mos erat celebrare Matris deum lavationem, quasi sordescat; Jovis epulum, quasi cibis egeat; Æsculapii vindemiam, quasi colat vineas; lectisternium Veneris, quasi lecto opus habeat; Telluris natalem, quasi aliquando in vitam primum venerit.

Post hæc ille eorumdem gentilium sacra, ac ludos florales et megalenses in deorum honorem institutos, et quibus eos placari garriebant, acerrime exagitat. Nihil etiam a recta a ratione magis alienum esse convincit, quam existimare turpibus et ridiculis, quæ tum agebantur, comœdiis et tragœdiis, ac nefariis obscenissimisque mimorum gestibus deos delectari, mitigari, ac reconciliari.

Planum vero facit tot tantaque opinionum portenta inde orta esse, quia ethnici penitus nesciebant, quæ sit veri Dei natura, ac persuasum falso habebant deos suos ejusdem secum esse substantiæ, iisdem membris, eodemque corpore compani, atque adeo non secus ac homines nasci, gaudere, dolere, mundari, vindemias agere, atque iisdem morbis affligi. Ibi autem auctor noster ethnicorum christianorumque opinione secum comparat, ac sibi invicem opponit, atque inde concludit christianos pios esse, gentiles vero dementis, quam illis exprobrabant, impietatis esse revera reos ac conscios.

Ad evertendum postre accedit ultimum, et uti videbatur, validius ethnicorum propugnaculum, quo illi ex variis miraculorum, sicut aiebant, historiis probare nitebantur deos, ob peccata hominum offensos, ira exarsisse, sed eorum satisfactione deinceps placatos. Primum enim narrabant antequam ludi circenses, Jovi dedicati, inchoarentur, servum quemdam virgis per medium circi aream cæsum, ac patibuli pœna mulctatum. Tum dehinc celebrates hosce ludos, quibus plane offensus est Jupiter. In tanti itaque facinoris, uti aiebant, vindictam pestilentia civitatem depopulata est. Sed ubi ejusdem Jovis monitu hi ludi rite instaurati fuissent, tunc lues cessavit.

Secundo, memoriæ proditur ferebant Capitolium fulmine ictum, et simulacrum Jovis de sede sua deturbatum fuisse. Haruspicum autem responso, cum

A illud altiore ad orientem solem loco collocatum fuisset, tum patuisse res abditas, sumptumque de reis pro merito supplicium.

Tertio, iniquissimis reipublicæ temporibus dira lues grassabatur, ac Romani ab hostibus suis pene victi erant. Post advectos autem ex transmarinis gentibus deos, scilicet Æsculapii ex Epidauro in tiberinam insulam, et Matris deum ex Phrygio Pessinunte in urbem simulacra, ac postquam magnifica templa iis constructa sunt, tum continuo pestis sedata est; hostis ab Italia pulsus, decus urbis restitutum, fines imperii longe lateque propagati, ac multis domi forisque præclare gestis, nomen ac majestas romanæ gentis, inconcussa firmitate stabilita fuerunt.

At his omnibus respondet Arnobius, illa quidem
B scriptis fuisse tradita, sed miraculorum præ se ferre tantum speciem. Singulis quippe harumce historiarum circumstantiis accurate examinatis, evidentissime demonstrat nihil posse unquam fingi, quod summa deorum amplitudine, dignitate, majestate, atque etiam nomine magis indignum sit, quodque veritati magis repugnet, et fidem minus mereatur.

CAPUT SECUNDUM.

De auctore et ætate horum librorum, ac qua ratione ab illo compositi.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis horum librorum auctor, qua ætate ac ratione ad illos conficiendos animum appulerit.

C Arnobium horum septem librorum verum esse auctorem certa constansque est omnium sententia. Et certe ipsi ab Hieronymo variis in locis, mox citandis, ac deinceps ab aliis scriptoribus tanto tamque unanimi consensu adseruntur, ut id probatione aliqua amplius indigere non videatur.

Ab eodem quoque Hieronymo discimus Arnobium Sicca, quæ Africæ mediterraneæ urbs et colonia erat, oriundum, ibique impiæ addictum gentilium religioni, ac imperante Diocletiano, docuisse rhetoricam. Ipsa autem Hieronymi hæc sunt verba: « Arnobius sub Diocletiano principe, Siccæ apud Africam rhetoricam florentissime docuit, scripsitque adversus gentes quæ vulgo extant volumina (*Hieronym. de Script. Eccl.*, § 89), » quæ susceptæ a se religionis obsides divul-
D gavit. Ipsemet vero Arnobius nefarie deorum idolorumque cultui mancipatum se fuisse deplorat (*Idem, Chron. Euseb., ad ann.* 2342); nec diu antequam hos libros scriberet, se ad veritatis lumen, Christo docente, adductum his verbis testificatur: « Venerabar, o cæcitas! nuper simulacra, modo ex fornacibus prompta in incudibus deos, et ex malleis fabricatos, elephantorum ossa: picturas veternosis in arboribus tænias si quando conspexeram, lubricatum lapidem, et ex olivi unguine sordidatum, tamquam inesset vis præsens, adulabar, adfabar, et beneficia poscebam, nihil sentiens de trunco; et eos ipsos divos, quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumeliis gravibus, cum eos ipsos esse credebam ligna, lapides,

atque ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materia. Nunc doctore tanto in vias veritatis inductus, omnia ista quæ sint, scio, digna de dignis sentio, contumeliam nomini nullam facio divino; et quid cuique debeatur vel personæ, vel capiti, inconcussis gradibus, atque auctoritatibus tribuo (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 22 et 23). »

Tanto itaque lumine, tantaque Christi gratia donatus, ac somniis etiam pulsatus, pristinos errores ejurandi, et christianam religionem publice profitendi veniam ab Siccæ episcopo petiit. Sed quia illam *semper*, ut ait Hieronymus, ac publicis suis in scholis antea *impugnaverat*, ad illius professionem Episcopus eum prius admittere noluit, quam sinceræ ejus pœnitentiæ certo certior factus fuisset. Moræ igitur impatiens Arnobius, atque ut voti compos quam primum fieret, animum ad scribendos hos libros adjunxit, iisque tamquam totidem fidei suæ publicis obsidibus datis, ad optatissimam christianæ religionis professionem publice mittendam admissus, sacris nostris mysteriis ab eodem episcopo initiatus est. Sed præstat Hieronymum adhuc hæc narrantem audire: « Arnobius rhetor, clarus in Africa habetur, qui cum in civitate Siccæ ad declamandum juvenes erudiret, et adhuc ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neque ab Episcopo impetraret fidem, quam semper impugnaverat, elucubravit adversus pristinam religionem luculentissimos libros, et tandem velut quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetravit (*Hieronym.*, *in chron. ad ann.* 2342). Quæ vero postea ab eo acta sint, nobis invidit aut injuria temporum, aut scriptorum negligentia. At certe quia tam ardenti studio christianam religionem amplexatus est, nullus profecto dari videtur ambigendi locus, quin omnibus plane satisfecerit veri piique christiani officiis.

Quo autem præcise tempore hos ille libros scripserit, in controversiam disceptationemque ab eruditissimis ætatis nostræ scriptoribus vocatur. Prolata enimvero a nobis Hieronymi verba, in chronico eusebiano proxime scripta sunt post notata vicennalia Constantini, Nicomediæ anno Christi, uti aiunt, 326 celebrata. Contra tamen idem ipse Hieronymus aliis, quæ antea retulimus, verbis haud obscure significare videtur eosdem libros ab Arnobio tum in lucem editos, cum Diocletianus Romanis imperabat. Atqui Diocletianus viginti circiter annos, ab Christi scilicet anno 284, ad annum 304, regnasse perhibetur. Nonne ergo Hieronymus hos libros ante Constantini vicennalia sive annum 326 ab Arnobio editos esse arbitratus est? Nobis tamen videtur posse Hieronymum sibi ipsi facile conciliari. Nam in Eusebiano chronico post notata Constantini vicennalia ipse adjecit: « Huc usque historiam scribit Eusebius, Pamphili martyris contubernalis, cui nos ista subjecimus. » Tum continenter: *Arnobius*, inquit, *rhetor*, etc. Nonne autem dici potest hæc ejus verba superioribus Eusebii subjecta fuisse, ne illius sermonem interrumperet, nec ibi veram indicasse Arnobii ætatem. Si quis vero nobis objiciat ab eo ibi, sicut et postea, temporum designari ordinem, is certe nec ullus alius diffitebitur illum sibi non contradixisse; verbisque illius potius standum, quæ in genuino, quam quæ in alieno opere scripsit.

Sed quia ille in suo de scriptoribus ecclesiasticis catalogo dixit quidem Arnobii nostri libros, Diocletiano imperante, editos, non autem quo imperii hujus anno, id a nobis accuratius inquirendum est. Non aliunde autem melius; quam ex iisdem ipsiusmet auctoris nostri libris potest dignosci. At prioris initio hunc ille loquitur in modum: « Trecenti sunt anni ferme, minus vel plus aliquid, ex quo cœpimus esse christiani, et terrarum in orbe censeri (*Arnob.*, *lib.* I, pag. 9). » Manifeste autem inde colligitur, quod omnes facile concedunt, hos libros ab eo exaratos circa 300 Christi annum. Sed nulla adhuc certa illorum ætas ibi designatur. Quidam itaque existimant illam ex his deprehendi posse ipsius verbis: « Nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari? Cur immaniter conventicula dirui? (*Lib.* 4, *pag.* 152) » Nam ubi Eusebius de Diocletiani contra christianos sævientis temporibus disputat: « Tunc ædes sacras » inquit (*Euseb.*, *lib.* VIII, *Histor. eccles.*, *cap.* VIII, *pag.* 293), « solo æquari, ac funditus subverti, sacros divinarum Scripturarum libros in medio foro concremari oculis nostris vidimus. » Hæc autem facta sunt, sicut alibi annotavimus, Diocletiano IX, Maximiano VII, aut ut nonnulli censent Diocletiano VIII, et Maximiano VI, consulibus, hoc est, anno Christi 303, vel 302 (*Dissert. in Luc. Cecil.*, *cap.* 8, *art.* 3). Tum enim lata lege sancitum fuit, ut sacri christianorum codices, aut sicuti in vita Felicis episcopi tubiacensis legimus, *libri deifici*, igni et flammis traderentur (*Optat. Milev.*, *nov. edit.*, *pag.* 227), illorumque Ecclesiæ, vel sicut auctor noster loqui amat, conventicula diruerentur. At ex his, quæ ab Augustino et Theodoreto confirmantur, nonnulli confici posse putant Arnobium conficiendis libris suis hoc ipso anno operam dedisse (*August.*, *lib.* VII, *de Bapt. contr. Donat.*, *cap.* 2, *pag.* 187; *et Brevic.*; *Collat. cum Donat.*, *cap.* 15, *pag.* 569, *et* 573; *Theodoret.*, *lib.* V, *Hist. eccles.*, *cap.* 39, *pag.* 248).

Sed his alii opponunt nullam de lege contra christianorum conventicula et libros data, sed de combustis libris et conventiculis eversis factam ab Arnobio mentionem. Esto tamen, inquiunt, ad eam spectaverit, nonne similis antea fuerat Justini martyris cum gentilibus de sacrorum librorum nostrorum proscriptione expostulatio? « Opera » ait « et instinctu malorum dæmonum mortis supplicium adversus librorum Hystaspis aut Sybillæ, aut prophetarum lectores constitutum est, ut per timorem homines ab illis, quominus scripta ea legentes, rerum bonarum notitiam percipiant, sed in servitute eorum retineantur, absterreantur (*Justin. Martyr.*, *Apolog.* I, *pag.* 82). »

Quid vero, quod Origenes memoriæ prodidit ante Arnobii nostri tempora, atque Maximino anno 235 regnante, incensas fuisse ecclesias, atque idcirco, ut auctoris nostri verbis utamur, diruta fuisse christia-

norum conventicula? « Scimus » inquit Origenes, « apud nos terræ motum factum in locis quibusdam, et factas fuisse quasdam ruinas; ita ut qui erant impii extra fidem, causam terræ motus dicerent christianos, propter quod et persecutiones passæ sunt ecclesiæ et incensæ sunt (*Origen.*, *tractat.* VIII, *in Matth.*, *pag.* 88). » Quid ergo vetat quominus Arnobius de his, quæ longe antea nec semel contigerant intelligatur?

Nec multum promovent, qui opinionem illam stabilire nituntur hisce Arnobii verbis: « Ætatis urbs Roma cujus esse in annalibus indicitur? Annos ducit quinquaginta et mille, aut non multum ab his minus (*Lib.* II, *pag.* 94). » Primum enim, nihil ibi ille certi fixique temporis aliquid statuit. Alto deinde silentio prætermisit qui qualesve fuerint hi annales, ac quam illorum auctores sequantur annorum ab urbe condita computandorum rationem.

At incompertum, inquies, illi esse non poterat, quo anno jacta fuerint Romæ fundamenta. Probe siquidem noverat non longe antequam scribendis libris suis manum admovisset, millesimum regiæ illius urbis annum sub Philippi imperio, hoc est, Christi, uti aiunt, 247 aut 248, fuisse celebratum. Cum ergo dicit: *Aut non multum ab his minus*, haud obscure significat se anno 296 vel 297, hosce libros publicam emisisse in lucem.

Contra tamen alii hos nonnisi post trecentesimum Christi annum editos fuisse inde colligunt, quod alibi ab eo ethnici adversus christianos sic disputasse inducuntur: « Ante quadringentos annos religio vestra non fuit (*Ibid.*). » Nam si ante trecentesimum Christi annum perfecti fuissent hi libri, in eis ille non *ante quadringentos*, sed ante trecentos annos christianam religionem non fuisse proculdubio dixisset. Nobis quidem non latet quibusdam visum oscitantia librarii pro trecentis, *quadringentos* positum. Sed hæc conjectura nullius manuscripti codicis, aut scriptoris testimonio et auctoritate confirmatur. Quid vero, si ethnici maluerint majorem, ut solet, quam minorem proferre annorum numerum? Tum profecto nihil inde certi concludi poterit.

Variantes porro istas de horum librorum ætate opiniones, ac quibus rationum momentis nitantur, examinandas tibi proposuimus, ut ei quæ vero videbitur similior, tuum præbeas assensum. Nobis vero nihil certius et exploratius hactenus succurrit, quam Arnobium citatis superius, et aliis ejus verbis de crudeli christianorum vexatione, de combustis eorum libris, et eversis ecclesiis collineasse ad memoratum Diocletiani edictum, ac proinde illius libros circa annum Christi 303 publici factos fuisse juris. Nihil tamen audemus certo pronuntiare, idque aliorum judicio plane relinquimus.

ARTICULUS II.

De vera horum librorum inscriptione, atque argumento, et utrum illud recte ab Arnobio tractetur, de illius stylo, eruditione, ac totius operis in libros et capita distinctione.

Nullus in manuscripto horum Arnobii librorum A codice regio, a quo prima pagina avulsa est, titulus nunc præfigitur. Sed in fine libri primi, tertii, quinti, et septimi legimus: *Arnobii liber explicit.* In quarti vero fine: *Arnovii oratoris lib. quartus explicit.* Ad secundi denique calcem: *Arnovii adversus Nationes liber secundus explicit.* In prima vero et secunda eorum romana editione, basileana, antuerpiana, stewechiana, parisina, heraldiana, inscribuntur: *Arnobii adversus gentes libri septem.* In ultima porro Lugduni Batavorum divulgata: *Arnobii Afri adversus gentes libri septem.* Nulli autem dubitamus quin hæc ultima inscriptio ab Hieronymo desumpta sit, a quo eadem epigraphe semel atque iterum exhibetur (*Hieronym.*, *de Script. eccles.*, § 89; *et epist.* 84, *ad Magnum*). In manuscripto tamen codice regio, et B altero cujus Stewechius meminit, scriptum est: *adversus nationes.* Sed potior videtur lectio, *adversus gentes*, quam Hieronymus in longe antiquioribus manuscriptis codicibus haud dubie legerat. Cæterum quia utriusque inscriptionis idem est sensus, de ea longioris disputationis filum texere inutile prorsus foret ac superfluum.

Ex utroque autem illo titulo facile intelligimus non aliud horum librorum argumentum, nec alium in iis conscribendis Arnobii scopum finemque fuisse, nisi ut et falsam gentilium, et christianorum veram esse religionem demonstraret. Neque ad id probandum pluribus opus est argumentis, quod vel ex ea sola, quam dedimus, eorumdem librorum analysi omnibus manifestissimum esse debet.

C Quidam vero utrumque non pari successu ab Arnobio factum opinantur. Longe enim felicius, inquiunt, atque efficacius ethnicæ religionis falsitatem, quam christianæ veritatem ostendit. Cujus quidem hanc putant esse rationem, quia Arnobio, aliisque gentilibus, ad christianam fidem novissime adductis, multo facilius fuit impios absurdosque, quos perfecte noverant, ritus et errores funditus evertere, quam christianæ doctrinæ cujus mysteria nondum satis comperta habebant, demonstrare veritatem.

Verum quid prohibet, quominus ii ipsi quibus sacra nostra mysteria nondum reserata sunt, generalibus argumentis, seu quemadmodum scholastici loquuntur, credibilitatis motivis, veritatem christianæ religionis invictissime adstruant ac demon- D strent? At infra demonstrabimus illam ab auctore nostro vindicari validissimis rationum momentis, quæ ab eo ducuntur ex veris Christi discipulorumque ejus miraculis, ex admirabili sane ac pene incredibili martyrum innumerabilium constantia, atque ex celerrima religionis christianæ, quæ diu antea ab sacris vatibus promissa fuerat, per universum orbem terrarum propagatione. Cæterum non adeo incognita Arnobio fuerunt omnia christianæ religionis mysteria, quin recte, uti suo loco dicetur, de vera Dei natura, de Christo vero Dei filio, servatore nostro, aliisque nonnullis illius placitis et documentis disputaverit. Eam proculdubio ob causam Hieronymus *luculentissimos* ejus *libros* appellat; quia non

minus luculenter veritatem christianæ religionis adstruit, quam ethnicæ falsitatem destruit (*Hieronym.*, *in chron. ad ann.* 2342).

At quanto magis hos auctoris nostri libros propter argumentorum vim et pondus extollit Hieronymus, tanto magis ejus scribendi ac loquendi modum vituperat. Ad Paulinum enim hæc scripsit in verba: « Arnobius inæqualis, et nimius est, absque operis sui partitione confusus. » (*Epist.* 49, *p.* 567). Sed displicuit recentiori cuidam inter heterodoxos scriptori illud Hieronymi judicium, ac post allata hæc ipsius verba contrariam, quasi ex tripode, sic fert sententiam: « Mihi disertus auctor Arnobius videtur, et qui argumentum suum contra gentiles adeo accurate et concinne pertractarit, ut adversus istos meliora dici posse, quam quæ ab antiquis sic bene disputata sunt, vix videam. » (*Hoornob.*, *Exercit. theolog.*, *lib.* I, *cap.* 1, 5, 11, *p.* 131). Sed dic, quæso, erudite theologe, ubinam Hieronymus dixerit argumentum illud ab Arnobio non accurate et concinne pertractari? Cur libros ejus luculentissimos appellat, nisi quia suo stabiliendæ christianæ religionis proposito abundantissime satisfecit? Numquid vero negare potes illum in suis libris esse absque operis sui partitione confusum? Nonne in primo et secundo libro ubique passim occurrit illa confusio? Fatemur quidem in libro tertio argumenta satis concinne, et accurate distingui. Verum in iis omnibus clarior utique partitio desideratur. Testes omnes appello, quotquot hos libros perlegerunt, ac nisi hanc confusionem agnoscant, illos aristarchi nostri lynce perspicaciores oculos habere fatebimur.

Nobis porro theologus a nobis laudatus explicet, quid *diserti* nomine intelligat: si doctum ac peritum, illi Arnobium disertum esse ultro concedimus; si clare ac polite loquentem, si bonum latinitatis auctorem, negamus. Nam scriptionis illius genus non modo inæquale, nimium et redundans est, sed etiam incultum, rude, impolitum, atque obsoletis quampluribus verbis durum et asperum. Hujus autem incomptæ inornatæque dictionis duplicem nonnulli afferunt rationem. Primo, quia Arnobius patria Afer cum esset, africanum loquendi modum eo facilius sectatus est, quo citius libros suos perficere, eosque fidei suæ, ut jam notavimus, obsides dare volebat. Secundo, hæc ipsa eos celerius absolvendi festinatio prohibuit sane, quominus ille sermonis elegantiæ et munditiæ ubique studeret. Negari tamen non potest plurima passim occurrere apte, polite, eleganter et rhetorice dicta, ac gravissimis ornata illustrataque verbis et sententiis.

Summam vero eruditionem in eis passim ubique disseminatam magnis plerique efferunt laudibus. Sed fatendum est eam magis ad res profanas quam sacras, eo, quo diximus, modo spectare, uti ex infra disputandis fiet omnibus satis manifestum.

Totum autem opus ab ipsomet Arnobio septem in libros divisum fuit. Quod quidem cum manuscripti codicis, tum Hieronymi auctoritate luculentissime probatur. Jam enim in vetere regio codice hanc

A divisionem factam vidimus. Hieronymus vero de Arnobio nostro in sua ad Magnum epistola scripsit: « Septem libros adversus gentes, totidemque discipulus ejus Lactantius condidit. » (*Hieronym.*, *epist.* 83, *pag.* 656).

Nulla autem in capita, nullasque in sectiones hi libri distributi umquam fuerunt. At hæc quidem conjuncto continuatoque sermone scribendi ratio videtur non parum ad eam contulisse confusionem, quam paulo ante notavimus. Quapropter si quis in nova aliqua horum librorum editione eos, quod non ita difficile est, in capita aut sectiones distribuat, is sane et huic confusioni medebitur, et tædium laboremque lectoris plurimum sublevabit.

ARTICULUS III.

B De horum librorum integritate ac textus corruptione; utrum, et a quibus plura Arnobius delibaverit: an quædam Scripturæ sacræ testimonia citaverit.

Integrum ac plane perfectum hoc Arnobii opus ad nos non pervenit. A doctis siquidem viris jam observatum est in illius fine aliquid desiderari, aut detruncatum, aut librariorum incuria omissum, aut quod, fœda priorum codicum corruptione deletum, legi amplius non potuit. Nos vero jam observavimus primam manuscripti codicis regii paginam sublatam fuisse. In totius autem operis fine aliquid similiter prætermissum, aut avulsum esse inde colligi potest, quod ibi Arnobius varias ethnicorum historias, quas miraculorum plenas venditabant, fuse invicteque refellit; ad eam nihilo-
C minus, quam ipse ex Capitolio ictu fulminis perculso, et dejecta Jovis statua sibi objecerat (*lib.* VII, *pag.* 245), nihil prorsus respondet. Quamvis enim suo ad priorem historiam responso, alias omnes funditus everti satis aperte significet; quia tamen cæteras omnes a se propositas singillatim confutat, vix ulli probabile fiet hanc solam ab illo penitus intactam esse, ulloque prætermissam absque responso.

Præterea, ille post diluta et eversa Ethnicorum argumenta, ex hujuscemodi historiis petita, solet aliquam contra illos et pro Christianis elicere conclusionem. At sicubi unquam, eo certe loco id fieri debuit, ubi quam gentiles validissimam putabant, argumentationem diluendo, libris suis finem impo-
D suit. Verumtamen si quis id ipsi ad libros suos absolvendos festinanti excidisse contendat, huic si istud recte probaverit, non reluctabimur. Sed prius meminisse debet Arnobio ad conclusionem, ex dictis suis ibi eruendam, non multa profecto opus fuisse mora et cunctatione.

Longum insuper fragmentum, duabus et amplius paginis comprehensum, legimus libri secundi initio, ab his verbis: *Et non omnium virtutum amore*, usque ad illa: *impendeant credituris* (*lib.* II, *pag.* 43), quod in manuscripto codice et antiquis editionibus transpositum fuerat. Ibi namque ea omnia quæ habentur, Arnobii textui nullo plane modo cohærent. Quamobrem in ultimis editionibus singula quæque

loco suo satis apposite restituta videntur, his exceptis verbis : *ut non in cunctos lumen et prætenderit vitæ, et periculum ignorationis amoverit;* quæ quidem in quibusdam editionibus omissa, et in ultima editione loco adhuc alieno inserta nemo fortassis diffitebitur. Nonne autem id indicio haud plane obscuro nobis est illorum, qui ultimis horum librorum editionibus præfuerunt, propria auctoritate factam fuisse præposteram illius fragmenti restitutionem.

Aliud porro ante finem libri septimi segmentum ab his verbis : *Non imus inficias*, usque ad illa inclusive : *Post advectos*, etc., in manuscripto codice regio et antiquissimis editionibus exhibetur, in quo plura, quæ prius dispersis in locis dicta fuerant, totidem verbis iterum descripta sunt. Quapropter. Stewechius in sua horum Arnobii librorum editione, ea omnia ad operis calcem rejecit. In postremis vero editionibus penitus omissa sunt. Sed hæc omissio notari, aut illius aliqua saltem ratio reddi debebat.

Quæret fortasse aliquis cur librarius tam absurdum fragmentum in Arnobii textum intrudere ausus sit. Sed hujuscemodi temeritatis causam proferre difficillimum est. Nonne tamen haud inepte dici poterit quamdam in priori arnobiano codice, ex quo primus librarius suum transcripsit, fuisse lacunam, aut verba vetustate, aut alio aliquo casu deleta, quæ ille quoquo tandem modo supplere voluit, ut codicem suum majore venderet pretio, et omnibus integrum esse persuaderet? Ut ut sit, hæc non esse Arnobii monuisse sufficiat.

Plurima autem in eodem Arnobii textu loca passim occurrunt, a librario oscitante et ignaro fœde corrupta. Sed ea singulatim recensere tam nobis facile, quam aliis molestum haud dubie foret. A tam longa itaque illorum enumeratione nunc eo lubentius abstinemus, quo inferius præcipua errata corrigendi et emendandi opportunior identidem dabitur occasio.

Observare interim juvat nec paucos, nec ignobiles in his libris ab Arnobio auctores citari. At ex duobus imprimis, Cicerone et Clemente Alexandrino, quorum primum alicubi expresso, alterum suppresso nomine laudat, plurima delibavit. Quam multa vero ex Cicerone decerpserit, disces his Hieronymi ad Magnum verbis : *Quos*, Arnobii libros, *si legere volueris, dialogorum Ciceronis*, videlicet de Natura deorum *in ĕis ἐπιτόμην reperies* (*Hieronym.*, *epist.* LXXXIII, *ad Magn.*, *pag.* 656). Quæ autem ex Clemente Alexandrino auctor noster hausit, ea ex ipsius ad Græcos admonitione mutuatus est. Singula porro, quæ ex utroque scriptore suos in libros transtulit, cum infra a nobis exponenda sint, his ne eadem repetamus, nunc recensendis supersedendum duximus.

Nulla autem his in libris expressa, aut citato auctoris nomine, testimonia sacræ Scripturæ protulit, nisi illud quod non tam ex sacro aliquo scriptore, quam ex quodam vulgari sermone profectum significat :

A « Numquamne illud vulgatum perstrinxit aures vestras : Sapientiam hominis stultitiam esse apud Deum » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 46.)? Sumptum enim aliquibus haud immerito videbitur, ex his Pauli ad Corinthios verbis : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* (I *ad Corinth.*, I, 19). Utcumque autem res se habeat, vix ullum aliud in omnibus Arnobii libris testimonium invenies, ex sacra Scriptura totidem ipsius verbis, vel auctoris nomine citatum. Noluit itaque, aperta ejusdem sacræ Scripturæ auctoritate, adversus ethnicos dimicare, quamvis alii in iisdem adversus illos disputationibus feliciter usi sint. Suam quippe adversus homines illam aspernantes, operam perdere haud dubie verebatur.

Quamobrem pleraque omnia Christi miracula in
B novi Testamenti libris descripta, non tam ex illis deprompta, quam ex certa, constanti ac publica fama et omnium confessione probata proponit. At alicubi, ut id obiter observemus, de panibus a Christo multiplicatis sic loquitur : « Sequentium se millia quinque, quinque saturavit panibus, ac ne esse præstigiæ incredulis illis viderentur et duris, bis senarum sportarum sinus reliquiarum fragminibus aggerebat. » (*Lib.* I, *pag.* 26). At in Matthæi Marcique Evangelio legimus : *Septem panes.... et quod superfuit de fragmentis tulerunt septem sportas plenas.* Apud Lucam vero : *Acceptis quinque panibus.... et sublatum est quod superfuit illis cophini duodecim.* Denique apud Joannem : *Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis.*
C (*Matth.* XV, 34 et seq.; *Marc.*, VIII, 6 et seqq.; *Luc.*, IX, 17; *Joan.*, VI, 13). Atqui septem sportæ, ut aliqui annotarunt, plus, quam duodecim cophinos capiebant. Vide ergo utrum Arnobius, cum hæc scriberet, memoriæ lapsu, nomen *sportarum* pro cophinorum ibi posuerit.

ARTICULUS IV.

De quibusdam erroribus Arnobio adscriptis.

Nemini certe mirum videri deberet Arnobium, nondum perfecta divinæ Scripturæ sacrorumque religionis nostræ mysteriorum notitia informatum, in quosdam, cum hos libros componebat, impegisse errorum scopulos. Utrum autem jure vel injuria illorum accusetur, expendendum est. Primus itaque in me-
D dium prodeat Hieronymus, qui ad Tranquillinum hæc scripsit in verba : « Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarem, et nonnullos ecclesiasticos scriptores; ut bona eorum seligamus, vitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem : Omnia probate, quod bonum est tenete » (*Hieronym.*, *epist.* 56, *ad Tranquill.*, pag. 589). Ita sane eximius ille vir quædam in Arnobii nostri, sicut et aliorum quorumdam libris cavenda esse nos modeste admonuit.

Verum recentiores quidam non tam æqui, atque Hieronymus, in antiquos nostros scriptores animi, audacter affirmant Arnobium non in qualescumque,

sed omnium gravissimos incidisse errores. Ab Heraldo siquidem intolerabilis plane ignorantiæ et erroris idcirco condemnatur, quod adversus gentiles disputando, fateatur se nescire qui veri sint dii. Hæc autem sunt Arnobii ad ethnicos verba : « Qui sunt, inquitis, dii veri? Ut communi vobis et simplici respondeamus verbo : Non scimus » (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 211). Quem in locum Heraldus : « Enimvero, ait, hæc ignoratio tolerabilis non est, atque hinc apparet Arnobium, cum hos libros scriberet, in fidei vel præcipuis capitibus fuisse hospitem. » Itane vero Arnobius non tantum in uno ex præcipuis religionis capitibus, sed omnium primo ac fundamento, cum hosce libros conficeret, errare potuit? Quid, oro te, toto hoc in opere aliud agit, nisi ut falsos esse gentilium deos, et unum dumtaxat, quem christiani, illis omnibus commentitiis penitus rejectis, adorabant, Deum demonstret? Nonne inde evidentissime ostendit Christianos plane immerito hanc ob rem ab Ethnicis vexari, et omni suppliciorum etiam dirissimorum genere affici?

Deinde vero cum ethnicis interrogantibus qui sint veri dii, Arnobius respondet se nescire, rationem continuo reddit, quia illos numquam viderat. Ex ethnicis autem se audivisse fatetur eos esse quam plurimos : qui quidem, si uspiam, ut ethnici opinabantur, existant; vel si veri sint, ut *Terentius*, haud dubie Varro, *credit*, debent profecto tales esse quales nominantur, ingeniti, æterni, nihil terrenæ voluptatis appetentes, ac qualis est Deus omnipotens, quem christiani omnes sciunt atque intelligunt. Quid ergo hæc adversus ethnicos disputatio, ac naturæ divinæ explicatio habet intolerabile, aut hominis in præcipuis fidei capitibus omnino hospitis? Nonne vera est illa Dei omnipotentis idea, explicatio, et descriptio? Porro autem sanam esse auctoris nostri de Deo divinaque natura opinionem infra evidenter ostendemus.

At, inquies, dicit se non scire qui sint veri dii, quid hac igitur ignorantia minus tolerandum? Sed quis non videat, hanc, ut aiunt, esse oratoris figuram, quia, rhetorum more, ex ipsamet adversariorum confessione falsos nullosque esse gentilium deos coarguit, ac proinde nemini nec sibi cognitam, quæ nulla esse poterat, illorum divinitatem.

Alii profecto plurimi sunt errores de quibus Arnobius postulatur, nimirum de summo Deo, de illius ira, de anima hominis, de peccato, de carnis resurrectione, de pœnis impiorum, de publicarum calamitatum causa, aliisque religionis christianæ documentis. Sed utrum jure vel merito vel immerito horum omnium errorum arguatur, nos infra solito candore examinabimus, ubi de iisdem illis sacræ religionis nostræ dogmatibus et argumentis disputandi aptior locus nobis sese offeret.

ARTICULUS V.

De variis horum librorum codicibus manuscriptis et editionibus.

Unus tantum nobis superest horum librorum ma-

A nuscriptus codex, in locupletissima christianissimi regis nostri bibliotheca asservatus, ibique numero olim 1344, nunc 3975, notatus. In eo autem septem Arnobii libris adjunctus est Minucii Felicis Octavius, tamquam octavus Arnobii liber. Qua de re atque de hujusce manuscripti codicis antiquitate satis in superiori dissertatione disputavimus (*Dissert. in Minuc. Octav.*, *cap.* 2, *art.* 2). Observatum autem a nobis ibidem fuit plurima in hoc codice passim occurrere librarii latine prorsus nescientis errata. Sed in his Arnobii libris longe frequentiora sunt, ac potissimum in propriis aut minus usitatis nominibus describendis indoctus ille scriba sæpius crassiusque erravit. Inutilis autem operæ foret longissimam errorum illius seriem hic retexere. Multa enim illa errata in vario-
B rum notis, et multo plura in variarum lectionum collectaneis, in ultima horum librorum editione publicatis, notantur. Alia tamen ibi prætermissa nobis eosdem libros majori cura legentibus occurrerunt, quæ postea, ubi se occasio dabit, indicabimus.

Præter hunc manuscriptum codicem testatur Stewechius alium *vetustum*, *et notæ perbonæ* (*Stewech.*, *epist. ad Lect.*), quondam in Flacci Illyrici, ac deinceps Henrici Petræi potestate fuisse, ex cujus variantibus lectionibus, a Francisco Modio Brugensi J.-C. collectis et ad se missis, Arnobii textum infinitis locis se correxisse, magnique momenti lacunas supplevisse testificatur. At de hujus libri, quem videre nobis non licuit, antiquitate et elegantia nihil certo statuere possumus. Facta tamen Stewechianæ alia-
C rumque hujus operis editionum collatione deprehendimus hunc codicem, alio, quo usi sumus codice regio, non esse multo correctiorem, iisdemque fere semper scatere mendis, fœdari transpositionibus et additionibus, ac hiatibus mancum esse et hiulcum.

Ex priore autem manuscripto codice regio prima horum Arnobii librorum editio Romæ anno 1542, curis Fausti Sabæi Brixiani adornata est, atque ex ea fere omnes postea prodierunt. Secunda vero Basileæ apud Frobenium, anno 1546, excussa fuit studio Sigismundi Gelenii, qui plures superioris editionis errores ab iis, qui in legendis priscis caracteribus exercitati non erant, in Arnobii textum intrusos se correxisse affirmat. Cùm vero ille taceat utrum ex
D manuscripto codice aliquo textum emendaverit, nonne inde colligi potest hunc ipsum suis tantummodo conjecturis tentasse medicam iis adhibere manum? Rursus vero hi Arnobii libri ex iisdem Frobenianis typis anno 1560, in eadem urbe, ac postea Parisiis anno 1570, in vulgus exierunt.

Theodorus subinde Canterus novam illorum, ad manuscripti regii, ut ille ait, fidem, et Clementis Alexandrini auxilio castigatam, editionem Antuerpiæ apud Plantinum, anno 1582, excusam publici juris fecit. Fatetur autem se aliquando, ubi meliora non suppetabant, varias Gelenii, quem conjecturis tamen nimium indulsisse arguit, secutum fuisse lectiones.

Dehinc quadragesimo post divulgatam Romæ primam horum librorum editionem, anno Christi nimirum 1583, Fulvius Ursinus aliam in eadem urbe curavit in lucem proferri. Palam autem declarat se Joannis Baptistæ sighicelli, et Petri Chiaconii hispani emendationibus adjutum, in ea plurimas Germanorum, qui Arnobii textum infinitis locis pro libitu et arbitrio corruperant, depravationes atque immutationes correxisse. Nihil tamen in auctoris textum se recepisse testatur, nisi quod manifestissime atque ulla absque controversia verum erat, ac multorum comprobatum judicio. Quæ vero non ita certa videbantur, ea adjunctis ad conjecturas confirmandas brevibus quibusdam animadversionibus, in ora notasse paginarum.

Duas Gebhartus Elmenhorstius hujus Arnobiani operis editiones, unam Hannoviæ, anno 1603, alteram majori charactere et volumine, Hamburgi, anno 1610, divulgavit. Nos autem monitos in priori editione facit (*Epist. ad Lector.*) se, adhuc adolescentem, his edendis libris impendisse operam, ac suo exemplari cum Fulvii Ursini editione diligenter collato, eos reddidisse ornatiores. Quod autem qualeve fuerit illud exemplar, penitus silet. At in prævio ad secundam editionem monito declarat se in ea recensenda usum fuisse vetusto codice Francisci Sabæi Brixiani, anno 1542, romanis typis edito. Ubi vero hic corruptus erat, ad excerptas mss. et doctorum emendationes se confugisse, atque his adminiculis libros Arnobii innumeris nævis purgasse asseverat; ita tamen ut raro illius textui aliquid inseruerit. Aperte nihilominus declarat plurima adhuc superesse falsa et corrupta loca, quæ quidem, cum sine melioris codicis ope intelligi nequeant, ea intacta et felicioribus ingeniis corrigenda reliquit. Sed ille nobis non indicat qui fuerint codices illi, ex quibus excerptæ sunt variæ illæ lectiones. At mss. et doctorum nominibus nihil aliud præter regiæ bibliothecæ codicem, et superioribus editionibus præfectos, atque observationum quorumdam auctores significasse proculdubio videtur.

Aliam eorumdem librorum editionem, Antuerpiæ anno 1604 publicatam, Godeschalci Stewechii labori debemus (*In epist. dedicat. Augustæ Trevirorum, anno* 1587). Hanc ille variis lectionibus veteris manuscripti, siculi observavimus, a Modio missis, non tantum auctiorem multis in locis, sed emendatis etiam innumeris erroribus meliorem se fecisse affirmat. Diversas autem sive libri manu exarati, sive aliarum editionum lectiones paginarum ascripsit margini : atque idem, quemadmodum ille monet, facturus erat in iis, quæ Ursini editio bene restituta præ se fert, *si tantum aliena a suis ille secrevisset, neque omnia, ut sua, uno eodemque jure usurpasset.* Anno autem 1634, Leander de Sancto Martino Ordinis, sancti Benedicti monachus, et congregationis anglicanæ ejusdem ordinis præses generalis, eamdem Stewechii editionem novis typis Duaci recudi curavit. Sed ei nihil adjecit aliud, quam paratitla, seu breves summulas, quibus explanatur obscurus Arnobii textus, erroresque ejus notantur.

Desiderii Heraldi opera et studio nova horum librorum editio Parisiis, anno 1605, ad Romanam, uti ille loquitur, castigata, et quibusdam locis ex manuscripto regio aucta et emendata divulgata est. Sed ille majus in notis scribendis, quam in emendando Arnobii textu, posuit studium. Nos autem commonefacit se ad id impulsum fuisse, quia plurimi suo tempore instaurandis humanioribus litteris eo feliciorem, quo majorem, sacris vero et ecclesiasticis illustrandis aut minimum, aut nullum laborem impenderant. Persuasum itaque habuit longe utilioris esse operæ ad edenda et explananda veterum Ecclesiæ Patrum scripta convertere animum. Primum itaque de publicandis et emendandis Tertulliani libris cogitavit. Sed laboris magnitudine deterritus, maluit in arnobianis facere periculum : « Atque rem, inquit, ita sum adorsus ut, currente mense, ab instituto opere secundo, ad libri calcem perductum me senserim » (*epist. dedicat.*).

Postea anno 1651, hi septem auctoris nostri libr Lugduni Batavorum, cum *recensione*, uti in titulo inscribitur, *Viri celeberrimi*, *et integris omnium commentariis* publicati fuerunt. Sed tametsi reticeatur hujus viri nomen, Thysius nihilominus hanc editionem ex parte procurasse dicitur. In ea porro quantumvis omnium accuratissima venditetur, plures deprehendimus non solum typographorum lapsus, sed quædam etiam verba pœnitus omissa.

Ultima illorum editio a Priorio Cypriani operibus, anno 1666 adjecta est. Verum cum hæc sicut et superior ad antiquas dumtaxat editiones adornatæ sint, iisdem proculdubio aliisque novis typographorum mendis vitiisque adsperguntur ac coinquinantur.

Quamvis ergo singuli quique editionem, cui præfecti fuere, plurimum extollant, atque infinitas aliorum maculas eluisse audacter adseverent, constat nihilominus nullam ad nos pervenisse plane perfectam, et omnibus numeris absolutam. Talis autem numquam confici poterit, nisi præter memoratum a nobis regis nostri christianissimi, ac forte alterum manuscriptum codicem, alii a librariis accuràtius scripti reperiantur. Si qui vero ex bibliothecarum forulis alicubi erui possint, cum editis diligentissime componendi sunt; atque ut tollatur textus, quoad fieri poterit, confusio, in capita et sectiones distingui, claraque capitum et sectionum argumenta proferri debent.

ARTICULUS VI.

De variorum in hos libros notis et observationibus.

Plures arnobianis libris edendis præpositi, atque alii etiam viri docti notas in eos et observationes ediderunt. Primum enim Latinus Latinius paucas in illos cum varias lectiones tum observationes et notas reliquit (*Latin. biblioth. sacr. et profan.*, p. 98). Sed nihil aliud nobis exhibet quam suas aliorumque quorumdam conjecturas. Meursius deinde anno æta

tis suæ decimo nono, Christi autem 1598, *Criticum arnobianum*, Lugduni Batavornm typis elzevirianis impressum edidit. Nos autem monitos facit se Cantero, qui eadem meditabatur, nisi ejus permissu, præire noluisse, ne falcem suam in alienam messem injecisse argueretur. Eo porro in opere non alio fere collineavit, quam ut arnobiani textus errores absque ullo codice inedito, sed proprio marte, juvenilique ingenio emendaret. Fatetur tamen a se impetrare non potuisse, quin labori intentus, eoque incitatus, aliquando extra propositos excurreret limites. Quam felici autem successu id egerit, probant certe tot eruditi scriptores, qui postea manuscriptorum auxilio innumera textus auctoris nostri menda et vulnera sanare conati, illum adhuc erroribus quamplurimis deformatum relinquere coacti sunt.

Quapropter is arnobianus criticus, a Meursio elucubratus, Theodorum Canterum non deterruit ab edendis in Arnobii libros notis et observationibus, quas antea, uti diximus, divulgare decreverat. Emendati autem a se, aut emendandi textus arnobiani rationem in eis reddit, ac multa indicat, quæ Arnobius ex Clemente Alexandrino potissimum desumpsit. Pauca autem explicat, utroque fatetur alia longe plurima superesse, quæ copiosiore interpretatione indigebant. Quam ob causam amplissimum in hos Arnobii libros commentarium brevi se editurum pollicitus est. Sed utrum fidem liberaverit, aut cur promissis non steterit, nobis hactenus incompertum.

Scripsit etiam Stewechius duplicis generis in auctoris nostri libros animadversiones, quarum primæ ab eo *syllabus electorum*, secundæ *electa* appellantur. In posterioribus plura Arnobii verba et sententias vel ex ingenio et membraneis, uti ait, codicibus emendare et illustrare, vel aliorum scriptorum auctoritate confirmare pro virili parte sua connititur. Syllabus vero electorum est totius operis, ut hæc fert inscriptio, compendium, quod nihil tamen aliud, nisi quorumdam verborum explicationem, et nonnulla in his Arnobii libris notatu digna exhibet.

Quemadmodum vero Elmenhorstius duas publici juris fecit eorumdem Arnobii librorum editiones, ita uniuscujusque variis notis illustrandæ onus suscepit. In prima autem editione brevissimis annotationibus varias textus Arnobii lectiones indicat, aut ejus dicta citatis sæpe aliorum auctorum libris, et raro verbis corroborare molitur. Quapropter in secunda editione alias, his plerisque omnibus relictis, divulgavit. Lectorem vero suum admonet se in novis illis observationibus id potissimum egisse, ut sensum auctoris, ubi obscurior est, tam breviter, quam aperte explicaret et interpretaretur (*In monito ad Lector.*). Sed quamvis brevitati se studuisse profiteatur, constat tamen in animadversionibus illis multa inveniri supervacanea atque inutilia, quibus res clarissimæ ac notissimæ, ulla absque necessitate exponuntur confirmanturque. Plura etiam reperies

A extra aleam, et auctoris propositum, nec pauca quidem quæ ad grammaticam tantum pertinent, et quibus similia arnobianis verba quandoque exhibentur. Erroris quoque auctorem nostrum nonnumquam arguere non veretur, an merito vel injuria, postea videbimus. Postremo ingenue confitetur plurima se prætermisisse, quæ falsa, corrupta et obscura sunt.

Longior vero est in suis animadversionibus et notis Heraldus, sed frequentius quam Elmenhorstius, ab auctoris proposito digreditur. In his enim data citati a se alicujus scriptoris occasione, ultra laudati textus emendationem vel explicationem nimium excurrit, pluraque congerit ad clara Arnobii verba inutiliter explicanda. Neque tamen negabimus B in illis sæpe ejus eruditionem eo magis emicare, quo breviori, sicuti diximus, temporis intervallo totum opus se perfecisse adseruit.

Duos Bulengerus in Arnobium Eclogarum libros Tolosæ, anno 1612, edidit. In primo variis tam sacrorum, quam prophanorum scriptorum testimoniis quædam stabilit ac confirmat, quæ in Arnobii libris scripta legimus de Deo, ejus attributis, et humanæ animæ incorporea immortalique natura. Sed magno silentio plura alia præteriit quæ vel paulo liberius, vel obscurius ab illo dicta fuisse multi conqueruntur.

Secundo Bulengerus suo in libro hæc citat Arnobii verba : « Ridetis temporibus priscis Persas fluvium coluisse, memoralia ut indicant scripta ; » atC que etiam illa : « Et inter Assyrios et Bactrianos, Nino quodam Zoroastreque ductoribus, non tantum ferro dimicaretur, et viribus, verum etiam magicis et Chaldæorum ex reconditis disciplinis » (*Arnob.*, *lib.* VI, *p.* 196 ; et *lib.* I, *p.* 5). His vero dumtaxat Arnobii verbis, tamquam hujus secundi libri sui themate et argumento propositis, multa undique colligit et accumulat de Persis, Medis, Parthis, Assyriis, Babyloniis, Magis, Chaldæis, illorumque moribus, diis et sacris, quæ a Barnaba Brissonio in suo de imperio Persarum libro omissa fuerunt. Sed quis non videt hæc omnia non magis Arnobium nostrum spectare, quam Clementem Alexandrinum, et alium quemlibet scriptorem, qui eadem, atque etiam longe plura de iisdem populis memoriæ prodiderunt? Huc D accedit, quod ea omnia quæ idem Bulengerus non sine labore et vigiliis se compilasse dicit, nihil fere ad illorum aliorumve Arnobii verborum conducunt aut explicationem, aut intelligentiam.

Porro autem ex his quæ a nobis citra tot virorum, quorum labores et eruditionem laudamus, vituperationem observata sunt, nemo sane, uti putamus, diffitebitur plura in Arnobii libris obscura ac difficillima de variis rebus prophanis, ac præcipue christiana religione, sacrisque illius dogmatibus loca reperiri, quæ ab omnibus prætermissa, majore tamen, quam cætera omnia expositione indigent. Ad ea igitur explicanda et confirmanda, aut improbanda et rejicienda totius nostri, qualecumque sit,

ingenii viribus, ac solito more nostro et candore connitendum est.

CAPUT III.

Novæ in Arnobii libros observationes, ac primum examinatur quibus argumentis Arnobius veritatem christianæ religionis demonstrat.

ARTICULUS I.

Quomodo Arnobius christianæ religionis veritatem, prius a pluribus assertam, nec vindice indigentem, variis Christi discipulorumque ejus miraculis vindicet.

Præcipuus Arnobii in scribendis his, uti vidimus, libris scopus finisque fuit, ut christianæ religionis veritatem variis argumentis tam evidentibus, quam certis et invictissimis, demonstraret. Quamvis enim sanctissima illius mysteria et documenta sint altissima, omnemque humanæ mentis captum superent, nulli tamen sanæ mentis homini dubium esse potest quin plurima nobis suppetant certissima rationum momenta, pluresque præsto sint, quas philosophi appellare solent demonstrationes, quibus illius veritas, atque adeo supersitiosi ethnicorum cultus falsitas manifestissime comprobetur. Eas autem Theologi scolastici *motiva credibilitatis* vocare maluerunt, quæ quidem prima sunt religionis nostræ fundamenta et bases, quibus positis, ad omnia ejus mysteria, quantumlibet obscura, firmissime credenda necessario impellimur ac cogimur.

Ex eis vero quædam selegit Arnobius, illaque duxit ex Christi discipulorumque ejus miraculis, ex crudelissimis martyrum suppliciis, ad acerbissimam usque mortem constantissime toleratis, atque ex christianæ doctrinæ per universum terrarum orbem celerrima propagatione. At hæc, quibus tamen alia adjungere poterat, ad religionis nostræ veritatem manifestissime demonstrandam satis superque sibi sufficere haud immerito arbitratus est.

Primum autem aperte declarat, se ad ea retractanda non ideo mentem appulisse, quod christianam religionem hac sua opera aut defensione indigere crediderit (*Arnob.*, *lib.* III, *p.* 100). Persuasum siquidem habebat hoc argumentum ab eximiis excellentibusque viris, puta Justino martyre, Athenagora, Theophilo Antiocheno, Tatiano, Clemente Alexandrino, de quibus nos in superioribus Apparatus nostri libris, aque etiam a Tertulliano, Origene, aliisque pluribus abunde tractatum; atque doctis tot tantorumque virorum scriptis ac lucubrationibus christianam religionem a falsis ethnicorum criminationibus plenissime vindicatam. Quin immo pro certo semper habuerat illam ullo sine vindice et defensore firmam et inconcussam se ipsa stare, nec ullis umquam quorumlibet adversariorum suorum viribus, artibus, dolis, machinis posse labefactari ut convelli: « Suis (enim) illa, inquit, contenta est viribus, et veritatis propriæ fundaminibus nititur; nec spoliatur vi sua, etiamsi nullum habeat vindicem; immo si linguæ omnes contra faciant, contra-

A que nitantur, et ad fidem illius abrogandam contentionis unitæ animositate conspirent. » Defensionem itaque illius se suscepisse dicit, non ideo quidem, quod ipsa patrocinio alieno egeat, sed ne illa improbis calumniatoribus, capitalibusque ejus inimicis, aliquando cessisse videretur. Examinanda itaque a nobis sunt illa argumenta, quibus hæc ille asserit ac demonstrat.

Primum autem ab eo desumitur ex Christi, discipulorumque ejus miraculis, quæ profecto non ficta, sed vera; non clam, sed aperte; non uno eodemque semper modo, sed innumeris pene modis; non uno in loco, sed in omnibus mundi partibus edita fuerant. Tot enimvero tantaque miracula sine extraneo adminiculo, aut illius superstitiosi cultus obser-
B vatione, palam et ante omnium oculos effecta, veri tantum Dei, qui nec falli nec fallere potest, virtute, non sane ad falsitatem aliquam, sed ad veritatem adstruendam, fieri possunt. Atqui certum est illa a Christo ejusque nomine facta fuisse, ut comprobaret fundatæ a se religionis veritatem, aliasque omnes falsas radicitus exstirparet. Itaque hisce miraculis quilibet, stulta obstinatione non penitus obcæcati, veritatem christianæ religionis agnoscere volentes nolentes coguntur.

Arnobii autem ipsius hanc esse argumentationem, si dubites, ex ipsius verbis accipe: « Nulla major est comprobatio, quam gestarum ab eo, » Christo scilicet, « fides rerum, quam virtutum novitas, quam omnia victa decreta, dissolutaque fatalia, quæ po-
C puli gentesque suo geri sub lumine, nullo dissentiente videre, quæ nec ipsi audent falsitatis arguere, quorum antiquas, seu patrias leges vanitatis esse plenissimas, atque inanissimæ superstitionis ostendit » (*Arnob.*, *lib.* I, *p.* 24 *et seqq.*). Vides sane quomodo ille rectissime concludat publicis Christi miraculis, quæ gentiles falsitatis arguere numquam potuerunt, non christianæ tantum religionis adseri veritatem, sed ethnicæ etiam falsitatem evidentissime probari.

Tanti vero ponderis est hoc argumentum, ut eo penitus convicti gentiles quam plurimi, relictis patriis superstitionibus, et impio deorum suorum cultu rejecto, nomen christianæ religioni sponte dederint: « Virtutes, » etenim, « sub oculis positæ, » verba adhuc sunt Arnobii « et inaudita illa vis rerum, vel
D quæ ab ipso fiebat palam, vel ab ejus præconibus celebrabatur in orbe toto, ea subdidit appetitionum flammas, et ad unius credulitatis adsensum mente una concurrere gentes et populos fecit, et moribus dissimillimas nationes » (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 50). Quis autem inde non perspiciat inaudita hactenus Christi discipulorumque ejus miracula tanti ad probandam fidei christianæ veritatem fuisse roboris, tantæquæ efficacitatis, ut innumeros homines, toto terrarum orbe dispersos, huicque christianæ religioni antea prorsus oppositos, ad eam lubentissime suscipiendam adduxerint?

Quæ autem fuerint illa Christi miracula, breviter Arnobius recenset (*Ib.*, *p.* 26). Quoslibet, inquit,

surdos, aut mutos, aut quovis morbo, febre, fame, cæcitate, claudicatione, hydropisi, lepra, profluvio sanguinis, paralysi, aliisque ægritudinibus laborantes sanavit, maris ventorumque sedavit procellas, illius undas sicco calcavit pede, secretas cognovit hominum cogitationes, alios atque etiam semetipsum a morte revocavit ad vitam; post resurrectionem se videndum præbuit, et cum discipulis conversatus est; denique ut auctoris nostri verbis utamur : «Cujus nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, aruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones, non horrore, ut dicitis, divinitatis, sed majoris licentia potestatis » (*Ibid.*, *p.* 27). Quis autem non videat quam validum sit hoc argumentum, quo ille non solum veritatem christianæ religionis, sed supremam quoque Christi, ut infra ostendemus (*Infr.*, *cap.* 6, *art.* 1), divinitatem plane demonstrat?

Urget adhuc, tamque constanter, quam vere adseverat Christum discipulis suis, etsi egenis, infirmis, et imperitis dedisse eadem prorsus miracula faciendi potestatem ; qua quidem non in Judæa tantum, sed in universis totius orbis terræ partibus innumera fecerunt, quibus infiniti pene homines ad profitendam christianam fidem sunt adducti : « Enumerari enim possunt, » inquit ille, « atque in usum computationis venire, ea quæ in India gesta sunt, apud Seras, Persas et Medos, in Arabià, Ægypto, in Asia, Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas, in Achaia, Macedonia, Epiro, in insulis et provinciis omnibus, quas sol oriens atque occidens lustrat, ipsam denique apud dominam Romam, in qua, cum homines sint Numæ regis artibus atque antiquis superstitionibus occupati, non distulerunt tamen res patrias linquere, et veritati coalescere christianæ ? » (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 50).

Nihil ergo insana quorumdam gentilium temeritate absurdius, qui hæc miracula falsa fuisse garriebant. Fieri enim non potuit, ut tot gentes, tam diversæ nationes a se invicem remotissimæ, ac Romani ipsi, summa rerum potiti, ad falsa sectatorum Christi miracula pro veris agnoscenda conspiraverint. Quid etiam, quod innumeri illi ex tot gentibus homines tam bardi, hebetes, et stolidi dici non possunt ; ut quæ non viderant miracula, se vidisse non solum fingerent, sed inaudita hactenus fictione inescati, repudiatis patrum ac popularium suorum quibuscum feliciter vivere poterant, superstitionibus, institutam a Christo severam vivendi rationem, non sine certo capitis periculo amplexarentur (*Ibid.*). Certum igitur fixumque esse debet illos miraculis dumtaxat apertissimis, et luce ipsa clarioribus, præbuisse adsensum.

Arnobius porro Romæ, quam propter summum suum imperium *dominam* vocat, mentione facta, illud proponit miraculum, quo Petrus apostolus de prostrato Simone mago triumphasse perhibebatur : « Viderant, » ait (*Ibid.*), « currum Simonis magi, et quadrigas igneas Petri ore difflatas, et nominato Christo, evanuisse. Viderant, inquam, fidentem diis falsis, et ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus jacuisse præfractis : post deinde perlatum Brundam, cruciatibus et pudore defessum, ex altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio. » Scimus quidem hoc miraculum ab alicuibus aut vocari in dubium, aut penitus negari. Etenim hæc historia ab pseudepigraphis, ut aiunt, libris, hoc est proculdubio, Constitutionibus apostolicis desumpta (*lib.* VI, *Constitut. apostolic.*, *c.* 9, *p.* 279), varie a variis scriptoribus narratur. Deinde vero Romæ valde incerta fuit fama illius miraculi, ac de illo Justinus martyr, Irenæus, aliique antiquissimi scriptores penitus siluerunt.

Sed hæc eadem historia a Cyrillo Hierosolymitano his describitur verbis : « Petrus et Paulus, Ecclesiæ præfecti, Simonem sese Deum ostentantem, talemque existimatum, confestim morte affecerunt. Nam cum Simon in aerem dæmoniorum vehiculo ferretur, genibus provoluti servi Dei..... contentionis telum precum interventu in magnum ejaculati sunt, et in terram eum dejecerunt..... e sublimi aere deum illum habitum in terram dejecerunt ad inferos deprimendum » (*Cyrill.*, *Catech.* 6, *p.* 54). Litteris quoque consignaverunt hoc factum, sed multo brevius, Ambrosius, Augustinus, Isidorus Pelusiota, Theodoretus et Maximus Taurinensis (*Ambros.*, *lib.* IV *Hexam.*, *cap.* 8, § 33, *pag.* 78 ; *August.*, *l. de Hæres.*, *p.* 6 ; *Isidor.*, *l.* I, *ep.* XIII, *p.* 4 ; *Theodor.*, *l.* I, *Hæret. fabul.*, c. I, *p.* 198 ; *Maxim.*, *hom.* 5, *in natal. SS. Petri et Pauli*). Quis autem dubitandi locus esse potest, quin hi aliique antiquæ ac variæ ætatis scriptores persuasum habuerint verum esse hanc historiam ? At tametsi in ea aliquid falsi, vel si pertinacius velis, nihil prorsus veri esset ; non inde tamen arnobiani argumenti vis aut robur ullo plane modo minueretur. Christianæ siquidem religionis veritas non hoc quidem solo miraculo ab illo probatur, sed ex aliis plane innumeris, quæ a Christo Domino ejusque discipulis facta fuisse nemo, uti diximus, nisi invicta prorsus obstinatione obcæcatus poterat inficiari. At ex iis omnibus auctor noster tanta certitudine quanta evidentia concludit veram esse solam christianam religionem.

ARTICULUS II.

Quomodo Arnobius argumenta diluat, quibus gentiles omnia Christi discipulorumque ejus miracula infirmare tentabant.

Nihil est tam certum et evidens, quod homines ingeniosi, a recto veritatis tramite aberrantes, aut dubium facere, aut obscurare, aut negare malignis artibus non moliantur. Non mirum itaque si quidam post Christi, discipulorumque ejus mortem, illorum miracula, tametsi coram infinitis prope modum ethnicis, et in eorum gratiam edita, infirmare ac negare tentaverint. Verumtamen ethnici primo Ecclesiæ nostræ nascentis tempore tot tantaque miracula, tam certis, quam innumeris confirmata testibus, falsitatis arguere,

uti ait Arnobius, numquam ausi sunt (*Arnob.*, *l.* I, *p.* 33, *et seqq.*).

Post hæc autem, audaciores facti, objiciebant hæc ipsa miracula ab evangelistis, aliisque auctoribus scripta fuisse mendaciter, aut in immensum exaggerata. Quin immo plura, inquit Arnobius, et Christi, et discipulorum ejus miracula ab iis sunt omissa, nec omnia litteris mandari potuerunt. Si quæ vero aliis in scriptis, id est, procuIdubio in pseudoevangeliis posteritati commendata leguntur, hæc dæmonum aut hominum illis similium malevolentia et fraudibus addita, interpolata, mutata detruncataque fuerunt, ut, si fieri posset, tam mirabilium gestorum elevarent auctoritatem. Quid vero, quod gentiles nihil contra sacrorum scriptorum nostrorum fidem ullo modo objiciebant, quod adversus illorum scriptores pari immo potiori jure objici non posset? Præterea, veridici auctores nostri tanto animi candore, tantisque veritatis luminibus miracula Christi descripsere ut nullus nec Judæus, nec gentilis, quantumlibet christianorum inimicus, iis quando facta sunt, refragari ausus fuerit.

At scripta nostra, inquiebant ethnici, libris christianorum longe antiquiora sunt, ac proinde fide digniora. Quasi vero, respondet Arnobius, omnes ex turpissimis falsissimisque deorum fabulis non agnoscant earum antiquitatem absurdissimorum errorum fœcundissimam fuisse matrem et originem. Deinde vero, cum recentiorum actorum facilius quam antiquiorum, falsitas deprehendatur, tantæ profecto temeritatis scriptores nostri esse non potuerunt, ut recentia miracula, et hactenus inaudita, tamquam verissima prædicarent, quorum falsitatem eo citius gentiles cognovissent, quo magis non solum nova, insuetaque erant, sed iis etiam falsa illorum religio funditus evertebatur. Tunc tamen ea acta, aut scripta cum primum viderunt, quantavis admiratione obstupefacti, nihil contra, nisi forte amentes quidam mutire ausi sunt.

Urgebant adhuc ethnici scripta christianorum ab indoctis et imperitis hominibus profecta solœcismis scatere, ac vitiosa locutione fœdari (*Idem*, *p.* 34 *et seqq.*). Non facile igitur fidem iis habendam. Quid ergo, ait Arnobius? numquid veritas quolibet sermone, etiam magis barbaro, enuntiari non potest? Contra certe eo magis fides scriptoribus nostris tribuenda est, quo magis ii sermone simplici, et absque ullo verborum fuco et lenocinio locuti sunt. Nullum quippe orationis ornamentum, nullum artificium veritas desiderat (*Ibid.*, *p.* 35). Denique sermonis ornamenta, *suspicantes*, uti ait Arnobius, *adjuvant*; id est, eorum, qui de aliqua re dubitant, augent et dubitationem, et suspicionem. Timendi enim tunc locus est, ne veritas his ornamentis, atque orationis leporibus obruta penitus, aut repulsa sit, et in ejus locum falsitas substituatur. Plura autem his, quæ dicta sunt, et adhuc dicentur plane similia Lactantius tradidit, uti suo loco videbimus (*Dissert.* 3, *in Lactant.*, *c.* 9, *art.* 3).

A Tanto horumce argumentorum pondere oppressi gentiles eo tandem insaniæ et impudentiæ devenerant, ut hæc miracula a Christo magicis artibus ac præstigiis facta fuisse nobis objicere non timuerint: « Magus fuit, » eorum verba sunt ab Arnobio memorata, » clandestinis artibus omnia illa perfecit, Ægyptiorum ex adytis Angelorum potentium nomina, et remotas furatus est disciplinas » (*Arnob.*, *l.* I, *p.* 25). Sed hæc vetus gentilium criminatio, sæpius repetita, semper confutata est. Quis enim ignorat illud Christo a Judæis objectum, quod Beelzebub nomine dæmonia ejiceret. Quam quidem calumniam etsi Christus dominus abunde confutasset, eam tamen ethnici postea contra ejus discipulos immani prorsus et intoleranda temeritate refricare non du- B bitaverunt. Nam ut alios bene multos prætereamus, Celsus, teste Origene, « Servatorem accusat, quasi magicis artibus miracula fecerit » (*Origen.*, *l.* I, *cont. Cels.*, *p.* 7). Garriebat siquidem, ut idem Origenes postea testificatur, « cum clam educatur, et in Ægypto mercede famulatum, peritum ejus gentis artium inde reversum, quibus fretus, pro Deo se haberi passus sit » (*Ibid.*, *p.* 30). Dehinc fingit impius vir se credere revera facta fuisse a Christo, quæ dicebantur, miracula, sed hæc communia facit πρὸς τὰ ἔργα τῶν γοητῶν, ὡς ὑπισχνουμένων θαυμασιώτερα, καὶ πρὸς τὰ ὑπὸ τῶν μαθόντων ὑπὸ Αἰγυπτίων ἐπιτε ό λούμενα ἐν μέσαις ἀγοραῖς. Cum præstigiatorum operibus, qui mirabiliora pollicentur, et cum circulatorum factis in medio foro præstitis, qui ab Ægyptiis C ea didicerunt (*Ibid.*, *p.* 53).

Sed impudentissimam calumniam tam facile Arnobius, quam Origenes, diluit penitusque dissolvit. Primum enim ille respondet nullum magum aliquid umquam vel millesima parte fecisse, quod Christi miraculis consimile sit. Christus enimvero sine ulla, inquit auctor noster (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 25), vi carminum, aut herbarum et graminum succis, sine ulla sacrorum libaminum ac temporum observatione, sine ullis plane artibus, quæ numquam non a Magis adhibebantur, sed sola nominis sui potestate et invocatione, vel levi tactu miracula edidit. Eadem quoque responsione Origenes stupendam Celsi audaciam comprimit frangitque: « Licet hoc argumentum, » inquiebat ille (*Orig.*, *lib.* I. *contr. Cels.*, D *pag.* 7), « de modo, quo Jesus hæc fecerit, insolubile videatur; constat tamen christianos nulla exercere incantamenta, Jesu dumtaxat nomine contentos, et dictis aliis, quibus secundum sacram Scripturam fides adhibeatur. » Ἄντικρυς δὲ κἂν δοκῇ ἀνέλεγκτον εἶναι τὸ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, πῶς ταῦτα ἐποίησε, σαφὲς ὅτι χριστιανοὶ οὐδεμιᾷ μελέτῃ ἐπῳδῶν χρώμενοι ἐντυγχάνουσι.

Deinde vero tanta Christus miracula patrando, ait Arnobius, nihil hominibus nisi felix et faustum, utile prorsus et salutare contulit. Contra vero Magi iis suis, quæ putabantur, miraculis nihil nisi illicitum, infelix, noxium, perniciosum, hominibusque et belluis exitiale præstiterunt. Si quid autem utili-

tatis viderentur afferre, hoc non accidit illorum, sed aliorum, id est, dæmonum, a se invocatorum potestate : Quis hoc nesciat, » Arnobii verba sunt, « aut mortiferam immittere, quibus libuerit, tabem, aut familiarium disrumpere charitates, ... aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare, aut uxoribus et liberis alienis, sive illi mares sint, sive feminei generis, inconcessi amoris flammas, et furiales immittere cupiditates : aut si utile aliquid videantur audere, non propria vi posse, sed eorum quos invocant potestate » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 25).

Et hæc quidem mirum profecto in modum his adhuc confirmantur Origenis adversus Celsum verbis : *Τὰ μὲν τῶν ἀντιχρίστων, καὶ τῶν προσποιουμένων δυνάμεις, ὡς μαθητῶν Ἰησοῦ, σημεῖα, καὶ τέρατα λέγεται εἶναι ψεύδη, ἐν πάσῃ ἀπάτῃ ἀδικίας τοῖς ἀπολλυμένοις ἰσχύοντα. τὰ δὲ τοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ καρπὸν ἔσχεν, οὐκ ἀπάτην, ἀλλὰ σωτηρίαν ψυχῶν. τίς γὰρ τὸν κρείττονα βίον, καὶ συστέλλοντα τὰ τῆς κακίας δσημέραι ἐπὶ τὸ ἔλαττον, εὐλόγως φησὶν ἀπὸ ἀπάτης γίνεσθαι*; *Antichristorum, et ad similitudinem Jesu discipulorum virtutem suam exercere conantium miracula prodigiaque appellantur mendacia, omni deceptione injustitiæ, ad perdendos homines efficacia. Miraculorum autem Christi ejusque discipulorum fructus erat, non deceptio, sed salus animarum. Quis enim probabiliter diceret emendationem vitæ, quotidianosque a vitiis ad virtutem profectus, nasci e deceptionibus?* (*Orig.*, *lib.* II, *pag.* 90). Longius foret totum hunc Origenis locum describere : sed eum si integrum legere volueris, lectionis te proculdubio non pigebit.

Tertio Christus tot miracula, pergit Arnobius (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 27), non vana utique ostentatione edidit, sed ut operum benignitate duros, atque incredulos homines ad veram Dei cognitionem et cultum adduceret : magi vero, ut ab hac cognitione et cultu aversos, ad nefariam falsorum deorum venerationem inducerent, aut inductos cogerent in ea semper perseverare. Denique tantum abest, ut Christus aliquid ulla arte magica fecerit (*Ibid.*); quin potius illam omnem sic condemnaverit, ut Arnobius, sicuti jam vidimus, inter miracula ejus computet, antiquata ab illo cuncta dæmonum, vatum, haruspicum, et magorum artificia.

Neque absimili plane modo Origines Celso respondet : *Ἐγὼ δὲ οὐκ οἶδ' ὅπως ἂν μάγος ἠγωνίσατο διδάξαι λόγον πείθοντα (πάντα) πράττειν, ὡς Θεοῦ κρίνοντος ἕκαστον ἐπὶ πᾶσι τοῖς πεπραγμένοις. καὶ οὕτω διατιθέντα τοὺς ἑαυτοῦ μαθητὰς, οἷς ἤμελλε χρήσασθαι διακόνοις τῆς ἑαυτοῦ διδασκαλίας. Ego vero non intelligo quomodo magus potuisset dare operam, ut persuaderet unumquemque ita suas actiones moderari, ac si redditurus esset rationem Deo judici; atque ita discipulos suos instituere, quibus erat usurus ministris suæ doctrinæ* (*Orig.*, *lib.* I, *contr. Cels.*, *pag.* 30). Tum postquam vera miracula ab ejus discipulis factitata fuisse probavit, hæc continuo subjecit : *Εἰ δὲ δυνάμεις ἐτέλουν, τίνα ἔχει πιθανότητα τὸ μά-* A *γους τοσούτοις κινδύνοις ἑαυτοὺς παραβεβληκέναι (εἰσάγοντας) διδασκαλίαν μαγείας ἀπαγορεύουσαν. Quod si patrabant ipsi quoque prodigia, quomodo probabile est magos se exposuisse tot periculis, qui doctrinam induxerunt, magicam artem penitus detestantem.* Post hæc, eodem rursus modo Celsum, eadem repetentem, refellit, totamque suam disputationem hunc concludit in modum : *Quis sanæ mentis conferat eum*, Christum, *cum præstigiatorum proposito, ac non potius credat juxta oracula Deum esse conspectum in humano corpore, ut in nostrum genus exerceret beneficentiam.* Πῶς *εὐλόγως ἂν τις αὐτὸν τῇ προαιρέσει τῶν γοητῶν παραβάλοι, καὶ μὴ, κατ' ἐπαγγελίαν, τὸν Θεὸν εἶναι πιστεύοι, ἐν ἀνθρωπίνῳ φανέντα σώματι, ἐπ' εὐεργεσίᾳ τοῦ γένους ἡμῶν.* (*Ibid.*, *pag.* 34.)

Plura sane egregia, et lectu digna hoc ipsum in B argumentum disputat Eusebius : sed quia longius esset ea hic describere, ad ejus te mittimus librum, quem quidem si adire et pervolutare te non tædeat, legisse minime pœnitebit (*Euseb.*, *lib.* III, *Demonst. Evang.*, *cap.* 5 *et* 6; *pag.* 103, *et seq.*, *et pag.* 109, *et seqq.*).

ARTICULUS III.

Quam absurde Ethnici objicerent eadem aut similia a diis suis, atque a Christo facta fuisse miracula.

Pertinaciores ethnici ad extrema redacti, nec cedere umquam volentes, instabant eadem a diis suis, quæ a Christo edita miracula. Unum enim ex eis disputantem Arnobius sic inducit : « Frustra tantum C adrogas Christo, cum sæpe alios sciamus deos et laborantibus plurimis dedisse medicinas, et multorum morbos, valetudinesque curasse. » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 28). Nullius itaque, inquiebant, illud christianorum argumentum est ponderis, aut si quid virium habeat, eo quoque veram esse nostram religionem conficietur. Dii enim nostri non minora quam Christus miracula ediderunt.

Sed hæc Ethnicorum reprehensio ab Arnobio nostro facillime evertitur (*Infr.*, *cap.* 18; *art.* I, *et seqq.*). Esto enim, inquit ille, quod postea utrum verum sit examinabitur, quædam dii miracula fecerint : nonne certo certius est nullum ab ullo gentilium deo, quemadmodum a Christo domino, sine ullo medicamine, aut ulla, uti supra diximus, externa alia re adhibita, D sed solo illius nomine, aut levissimo tactu editum fuisse miraculum ?

Præterea etiamsi hominem aliquem quibusdam remediis aut externis rebus ab aliquo gentilium deo sanatum esse probaveris, quot, Deus bone ! ostendi possunt millia hominum, qui postquam in templis Æsculapium aliosque deos sæpius repetitis, ac continuis precibus invocarunt; nullum tamen morbo suo invenere remedium, sed aut pejus se habuerunt, aut mortui sunt, nec umquam ullus ex istis ullius dei opera a morte ad vitam revocatus est (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 29.)?

Simili etiam modo Cyrillus Alexandrinus, Juliano

imperatori respondet. Objiciebat enim celeberrimus ille Apostata nihil Christum memoratu dignum egisse; nisi in Bethsaidæ pagis cæcos, claudosque curasse, et adjurasse dæmonio correptos, pro magno aliquo facinore habeatur. Cyrillus vero hanc insulsam cavillationem sic refellit. Negat primo tam pauca miracula facta fuisse a Christo, atque multo plura, et **admiratione longe digniora edita demonstrat. Poetarum deinde principis testimonio plane convincit nullum umquam mortuum hominem, neque a Jove, neque ab ullo alio Ethnicorum deo ad vitam fuisse excitatum** : (*Cyrill. Alexand., lib.* VI, *contr. Juli., pag.* 193, *et seqq.*) Καίτοι τὸν σὸν, ὦ οὗτος, ὕπατον Δία, καὶ σὺν αὐτῷ δὲ τοὺς ἄλλους, οὓς δὴ καὶ θεοὺς εἶναι φῄς, ἀδυνατοῦντας εὑρήσομεν τῶν τοῦ θανάτου βρόχων τοὺς ἑλόντας ἁρπάσαι, καὶ πρός γε τοῦτο ἡμᾶς ἐμπεδοῖ λέγων ὁ ποιητῶν ἄριστων.

> Ἀλλ' ἤτοι θάνατον μὲν ὁμοίιον, οὐδὲ θεοίπερ,
> Καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλάλκεμεν, ὁππότε κεν δὴ
> Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανυλέγεος θανάτοιο.

Quamquam tuum illum supremum Jovem, aliosque cum ipso, quos tu deos esse contendis, infirmiores inveniemus, quam ut mortis laqueis implicitos eripere queant, qua in re nos confirmat poetarum princeps his verbis :

> Verum enimvero mortem omnibus communem, neque [dii ipsi,
> Etiam ab amato viro possunt arcere, quandocumque [tandem
> Fatum perniciosum corripuerit asperæ mortis.

Sed hæc fusius prosequitur Origenes, quem adire cuilibet facie est (*Orig., l.* I, *contr. Cels., p.* 94, *et seqq.*; *Arnob., l.* I, *p.* 29).

Neque sibi porro Arnobius opponi sinit deos non malis hominibus, sed bonis tulisse auxilium. Nam Christus, qui mortuis vitam reddidit, omnibus et bonis et malis, quod divinæ est potestatis, ullo absque discrimine opitulatus est. Quid vero, quod qui ægris ob merita opem a diis ferri dicit, is in dubio relinquit utrum ille, cui subvenitur, fortuito sanatus non fuerit, et alius non sublevetur, quia morbus non potuit ulla deorum ope curari.

Verum Arnobius longe adhuc acrius et vehementius adversarios suos premit (*Ibid., p.* 30), urgetque Christum non modo plurima patrasse miracula, sed eadem omnino, sine ullo fuco aut auxilio externo, suoque tantum nomine faciendi piscatoribus, opificibus, rusticanis, aliisque, sicut antea dicebamus, id genus hominibus, dedisse potestatem. Quæ autem illa fuerint, breviter recenset, et cum Christi miraculis componit, atque inde concludit nihil quidquam admirabile ab eo gestum, quod illis faciendum non concesserit. Tum deinde sic argumentatur : « Transcribere posse in hominem jus tuum; et quod facere solus possis, fragilissimæ rei donare, et participare faciendum, supra omnia sitæ est potestatis, continentisque sub sese est rerum omnium causas, et rationum facultatumque naturas. » Divina ergo potestate, non magica virtute Christus discipulis miracula, suis paria, edendi potestatem tribuendo, et se verum Deum, et religionis suæ veritatem invictissime comprobavit.

Et certe neque Jupiter ulli umquam mortalium seu Curioni, seu pontifici maximo, seu Flamini Diali; neque ullus magus, sive Armenius, sive Pamphilus, sive Zoroastres tanta, ut Christus discipulis suis miracula patrandi, immo nec minimum morbum depellendi, facultatem umquam largitus est (*Ibid.*).

ARTICULUS IV.

Quomodo ex tota hac disputatione evertantur insulsæ Socianorum, et atheorum adversus Christi, et discipulorum ejus miracula argumentationes.

Quibus argumentis adsertam ab Arnobio vidimus miraculorum a Christo ejusque discipulis editorum veritatem, iisdem certe recentiorum quorumdam socinianorum, et aliorum, qui christiani audire volunt, opiniones, sive potius opinionum portenta funditus evertuntur. Nam hi ipsismet ethnicis deteriores uno eodemque calami ductu omnia sive a Christo domino, sive a quolibet alio edita miracula convellere nituntur, dum nulla a Deo quidem ipso fieri posse impudentissime adfirmant. Naturæ siquidem leges uti illi garriunt, illiusque ordo, quæ ipsamet sunt Dei decreta, nequeunt ullo umquam modo perturbari. Quamobrem omnia Dei decreta non minus, quam ille ipse Deus, immutabilia esse concludunt. Miraculis ergo, inquiunt, aut aliis prodigiis, si quæ aliquando fieri potuissent, divina natura, multoque magis christianæ religionis veritas destruitur potius quam adseritur et stabilitur.

Sed quis impiorum illorum hominum dementissimam temeritatem ferre potest? Certo certius demonstravimus plurima a Christo ipsiusque discipulis facta fuisse miracula, quæ naturæ ordinem illiusque vires longe superant, et hi mira impudentia ipsimet Deo ea faciendi adimunt potestatem? Nonne ab actu ad posse, ut scholastici loquuntur, valet consequentia? Nonne prius Sociniani probare debebant nulla umquam facta fuisse miracula, quam divinam negare illa faciendi potentiam? Sed quomodo illud inficiari possunt, quod Ethnici nullo unquam modo negare, neque etiam dissimulare, nisi intoleranda prorsus ac impudentissima temeritate potuerunt? Non minus siquidem certa sunt Christi discipulorumque ejus miracula, quam constat ædificatas fuisse urbes Romam, Constantinopolim, Niniven, et alias celeberrimas, quæ postea destructæ sunt.

Deinde vero quid nefarii illi homines naturæ legibus, et ordine aliud intelligere possunt, nisi eas quæ a principio aliquo spiritali, ab omnique materia discreto impositæ sunt? Atqui illud principium ipsemet Deus est omnipotens, qui decretis, divina sua voluntate factis, omnia creavit, regit, administrat, moderatur. Illa autem Dei voluntas plane libera est, sui semper juris, nullique alteri subjecta. Quapropter sicuti naturæ leges et ordinem imposuit, ita hæc a se imposita suspendere, interrumpere, ac mutare potest. Unde recte Arnobius de Christo et de Deo dixit : « Sole

ipso est clarius potentiorem illum fuisse quam fata sunt, A cum ea solvit et vicit quæ perpetuis nexibus, et immobili fuerant necessitate devincta (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 28). Quibus sane verbis significat hos nexus tamdiu fuisse perpetuos, atque eam necessitatem tamdiu fuisse immobilem, quamdiu Deus et Christus voluit, ipsique placuit.

Scimus quidem a quibusdam ex iis omnium iniquissimis stulte omnino et insulse asseri Dei nomine nihil intelligendum aliud, præter materiam, statasque motus illius leges, quæ a nemine prorsus mutari posse finxerunt. Sed hi nobis edisserere debebant quomodo vel a quo statutæ sunt illæ leges. Neque enim ulla ratione vel a se ipsis, vel fortuitis materiæ mutationibus, vel necessitate aliqua latas ullus umquam dixerit. Ergo ab alio constitutæ sunt. At ille ipse est Deus, B qui illas pro arbitrio, uti diximus, immutare potest. Et vero eas ab eo immutatas fuisse invictissime probant tot tantaque Christi, atque illius sectatorum miracula, quæ, uti vidimus, gentilium ne quidem pertinacissimi negare potuerunt.

Sed recentiores hæretici, nomine tenus christiani, ac quibuslibet ethnicis audaciores, instant adhuc vulgarem hanc de Christi miraculis opinionem inde ortam, quod populi neque omnes illorum circumstantias, neque veram eorum causam agnoscentes, ea supra naturæ ordinem facta esse crediderunt. Sed magna hæc atque impudentissima improborum hominum mendacia sunt. Nam illorum omnium, quæ in Scripturis sacris, et ab Arnobio nostro referuntur, miraculorum singulæ circumstantiæ, nimirum, quæ, C a quo, quando, ubi, et quomodo facta sint, adeo graphice et enucleate exponuntur, ut nihil clarius evidentiusque desiderari possit. Atque ut plurima missa faciamus, quorumnam, oro te, factorum circumstantiæ planius ac dilucidius describuntur, quam eorum miraculorum, quibus Christus Lazarum aliosque a morte ad vitam revocasse, ac quibus negatam a natura videndi potestatem fecisse narratur? Ad hæc vero, nonne Ethnici ac Judæi, capitales Christi ac fundatæ ab eo religionis inimici maxima, qua potuerunt, diligentia præscrutati sunt, an ulla vel minima in Christi discipulorumque ejus miraculis deesset circumstantia, qua fraudis, aut falsi aliquid in eis redarguere possent? At quamvis nulli operæ et labori ad id investigandum pepercerint, nihil tamen quod veris D miraculis vel minimum deesset, deprehendere umquam valuerunt. Nec minus christianorum intererat indagare omnes et singulas horum miraculorum circumstantias, quibus ad rejiciendam patrum suorum, et profitendam, uti diximus, longe duriorem christianorum religionem adducti sunt. Qua ergo fronte impii homines post tot sæcula audent objicere non perspectas ab iis, quorum nihil umquam magis interesse poterat, illorum miraculorum circumstantias, atque incredibili prorsus credulitate, iis numquam examinatis, christianæ religioni haud incerto vitæ periculo suum protinus dedisse nomen? Sed in refellendis tam absurdis opinionum commentis diutius morari, hominis esset aliorum otio et patientia intemperanter abutentis. Nam ea ex dictis satis confutata, atque iis quæ in subsequentibus dissertationibus nostris de iisdem Christi et discipulorum ejus miraculis dicenda sunt, adhuc confutabuntur.

CAPUT IV.

Examinantur alia Arnobii argumenta, quibus christianæ religionis veritatem demonstrat.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo veritas christianæ religionis ab Arnobio demonstretur dirissimis, et hactenus inauditis pene innumerabilium cujuslibet sexus, ætatis, et conditionis martyrum suppliciis, ad extremum usque vitæ spiritum pro Christi confessione constantissime toleratis.

Aliud ad asserendam christianæ religionis veritatem argumentum ducit Arnobius ex suppliciis, quæ pro illius defensione innumeri martyres cujusvis conditionis, ætatis, et sexus ad extremum usque spiritum, et mortem crudelissimam constantissime perpessi sunt. Quæ vero, quantaque, et quam horrenda atque immania fuerint hæc supplicia, ab Arnobio nostro discas velim. Sic autem ille Ethnicos palam alloquendo, ea exponit, ut nemo possit fidem ei derogare: « Vos ipsi, » inquit (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 14, *et lib.* IV, *pag.* 138), « cum libido incesserit sæva, exuitis nos bonis, exterminatis patriis sedibus, irrogatis supplicia capitalia, torquetis, dilaceratis, exuritis, et ad extremum nos feris et belluarum laniatibus objectatis. » Videsne quantis cruciatibus, bonorum exspoliatione, exsilio, distractione membrorum, igne, flammis, ferarum ac belluarum laniatibus ethnici christianos ad ejurandam suam religionem cogere nequidquam tentabant. Quamobrem ille alio in libro ubi ethnicorum sacra exagitat, in eos sic invehitur: « Ad hæccine sacra flammis, exiliis, cædibus, atque reliquo genere suppliciorum compellitis, et crudelitatis metu (*Arnob.*, *lib.* V, *pag.* 177)? » Intelligis sane his verbis, *reliquo genere suppliciorum*, quælibet etiam atrocissima, quæ incredibilis ethnicorum, seu potius dæmonum, feritas et rabies excogitare potuit, suppliciorum genera comprehendi. Sed quid interpretatione opus est, ubi hæc aperte ab illo explicantur: « Studiis, » inquit, « facere quid pervicacibus possumus? Quid intentantibus gladios, novasque excogitantibus pœnas? » (*Idem.*, *lib.* VI, *pag.* 197.) Eas haud dubie pœnas, quas nullus quantumvis barbarus, ac ferus, omnisque humanitatis expers homo hactenus excogitare et fingere potuerat.

Neque raro quidem, sed sæpissime dirissimis ejuscemodi cruciatibus vexatos, necatosque fuisse christianos his auctor noster haud obscuris verbis significat: « Si totidem nos modis, totidemque sententiis, » atque ipsimet Ethnici, « deorum vestrorum subrueremus fidem; nulli esset dubium quin ira et rabie concitati, ignes, feras et gladios, atque alia postularetis suppliciorum in nos genera, quibus sitim soletis vestram nostri sanguinis appetitione proluere » (*Idem.*, *lib.* III, *pag.* 1221).

Ex hoc autem vel solo Arnobii nostri testimonio facile colliges quanta fuerit illius adhuc tempore martyrum multitudo. Quod quidem ideo obiter notamus, ut quam falsa sit de eorum paucitate opinio omnes intelligant.

Sed agedum, atque Arnobium nostrum adhuc audiamus, de cujuslibet conditionis, ætatis ac sexus martyribus disserentem: « Ab dominis, » ait ille (*Idem.*, *lib.* II, *pag.* 44 *et seqq.*), « se servi cruciatibus affici, quibus statuerint, malunt, solvi conjuges matrimoniis, exhæredari a parentibus liberi, quam fidem rumpere christianam, et salutaris militiæ sacramenta deponere. » Tantum autem abest, ut tot tantisque cruciatibus ethnici christianorum fidem labefactaverint; quin potius illa altiores semper, Arnobio teste, egerit radices, ac firmius stabilita, cum majori martyrum numero, magis semper creverit. Quapropter hunc ille pergit in modum: « Cum genera pœnarum tanta sint a vobis proposita religionis hujus sequentibus leges, augeatur res magis, et contra omnes minas, atque interdicta formidinum animosius populus obnitatur, et ad credendi studium prohibitionis stimulis excitetur. » (*Idem*, *pag.* 45.)

Neque est profecto, quod quis suspicetur id ab illo temere et falso dictum, aut nimis exaggeratum. Non minus etenim luculenter Tertullianus: « Nec quidquam, » ait, « proficit exquisitior quæque crudelitas vestra; illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis christianorum..... Nec tantos inveniunt verba vestra discipulos, quantos christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirendum quid intus in re sit? Quis non, ubi requisivit, accedit; ubi accessit, pati exoptat (*Tertullian.*, *Apologet.*, *cap.* 50.)? Nemo autem id ipsi, parum attenta mente scribenti, excidisse putet. Alio siquidem in libro eadem repetit: « Nec deficiet hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur. Quisque enim tantam tolerantiam spectans, ut aliquo scrupulo percussus, et inquirere accenditur quid sit in causa, et ubi cognoverit veritatem, et ipse statim sequitur. » (*Idem.*, *libr. ad Scapul.*. *cap.* 5). Sed de his fusius, ubi de utroque illo Tertulliani libro, disputabimus.

Eadem argumentatione et Leo Magnus, et alii nostri scriptores christianæ religionis veritatem, uti nemo nescit, evidentissime demonstrarunt (*Leo Magn.*, *serm.* I, *de SS. Petr. et Paul.*). At præ cæteris Lactantius, Arnobii nostri discipulus, eam contra Ethnicos urget, ac quædam eorumdem gentilium objecta, quibus illius vim et robur infirmare conabantur, diluit, ac quemadmodum suo loco videbimus, penitus subvertit (*Lactant.*, *lib.* V, *de Inst.*, *cap.* 13, *pag.* 494, *et cap.* 19, *pag.* 518.).

Nunc itaque quam conclusionem inde eliciat Auctor noster, si lubet, expendamus: « Numquid, » inquit (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 45), « hæc fieri passim et inaniter creditis? Fortuitis incursibus assumi has mentes? Itane istud non divinum et sacrum est, aut sine

A Deo, eorum tantas animorum fieri conversiones; ut cum carnifices, unci, aliique innumeri cruciatus, quemadmodum diximus, impendeant credituris, veluti quadam dulcedine, atque omnium virtutum amore correpti, cognitas accipiant rationes, atque mundi omnibus rebus præponant amicitias Christi? » Tot, ille ait, tamque diversa exquisitissimarum, ac ferme incredibilium pœnarum genera, ab infirmis adeoque fragilis naturæ viris et mulieribus tamdiu, tantaque animi fortitudine, divino sine auxilio tolerari non potuerunt.

Præceptori suo adhuc suffragatur proxime laudatus a nobis Lactantius: « Nam cum videat vulgus, » ait ille, « dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere

B patientiam, existimant id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse sustinere » (*Lactant.*, *lib.* V, *cap.* 13, *pag.* 495). Vides itaque quam diserte ille post Arnobium nostrum, ac citatum a nobis alibi Minucium Felicem (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* VI, *art.* 3.), asseveret inspiratam ab ipsomet Deo illam mirabilem prorsus martyrum patientiam. Atqui Deus hanc divinam suam opem, et auxilium extraordinarium iis tantum confert, qui vero ejus cultui, veræque religioni mancipati sunt, non autem aliis, qui illum spernunt, repellunt, et ei semper adversantur. Alias enimvero ille sibi ipsi contrarius esset. Christianorum ergo, qui, Deo opitulante, tot tantaque, pro

C tuenda suæ religionis professione, tam constanter passi sunt, verus gratusque erat Deo cultus, ac vera etiam eorum, quemadmodum falsa ethnicorum religio esse debebat.

ARTICULUS II.

Quomodo Arnobius christianæ religionis veritatem adhuc vindicet ex illius doctrina, ab innumeris hominibus, deorum cultui addictis, per totum terrarum orbem celerrime suscepta.

Veritatem christianæ religionis Arnobius tertio argumento, ex ipsius doctrina, ac promptissima miraque illius per universas orbis terræ partes, propagatione petito, luculentissime demonstrat. Quæ enim, ait ille, est ejus doctrina? Docet unum tantummodo esse Deum, huncque summum rerum omnium domi-

D num et principem, atque idcirco nostri dumtaxat causa orandum et adorandum. Docet nihil ab eo deposcendum, nisi justum, honestum, et *auditu* ejus dignum. Docet nihil tribuendum iniquæ hominum cupiditati et libidini, sed utrique semper obsistendum; dandam innocentiæ ac morum integritati ulla umquam sine intermissione operam, nosque ab omni labe delictorum omnium amputatione purgandos: « Nihil sumus aliud christiani, » Arnobii verba sunt, « nisi magistro Christo, summi regis ac principis veneratores, nihil, si consideres, aliud invenies in ista religione versari. Hæc totius summa actionis, hic propositus terminus divinorum officiorum, hic finis. Huic omnes ex more prosternimur,

hunc collatis precibus adoramus, ab hoc justa, et honesta, et auditu ejus condigna deposcimus. Non quod ipse desideret supplices nos esse, aut amet substerni, et (*sive* aut) tot millium venerationem videre. Utilitas hæc nostra est, et commodi nostri rationem spectans. Nam quia proni ad culpas, et ad libidinis varios appetitus vitio sumus infirmitatis ingenitæ, patitur se semper nostris cogitationibus concipi; ut dum illum oramus, et mereri ejus contendimus munera, accipiamus innocentiæ voluntatem, et ab omni nos labe delictorum omnium amputatione purgemus. » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 14 *et* 15.) Denique christiani prædicabant falsos esse omnes gentilium deos, respuebant quoslibet impios illorum ritus, superstitiosa mysteria, sacrificia et festa, ac corruptos mores plane penitusque condemnabant.

Verum quanto christiana *religio*, uti ille adhuc loquitur, *verior*, *officiosior*, *potentior*, *justior* erat, tanto sane difficilius operosiusque erat hoc ipsum gentilibus persuadere. Quantæ enim, amabo te, imperitis, indoctis ac rudibus Christi discipulis molis et operæ erat, eosdem gentiles avocare ab antiquissimo deorum, idolorumque cultu, et aliis superstitionibus, quas a tot sæculis tanquam pias cum nutricis lacte suxerant? Quanti laboris et difficultatis erat innumera hominum millia ad christianæ religionis, quam novam et impiam credebant, adducere professionem? Quanta animi contentione opus erat, ut illos a molli, delicato et libidinoso vivendi genere, quod licitum putabant, ad aliud traducerent plane durum, austerum, severum, naturalique hominum appetitui penitus repugnans? Quam denique arduum et laboriosum, fracta victaque ejuscemodi hominum pene incredibili obstinatione, illis animum inducere, ut crederent vera esse de Christi summa divinitate, humano ortu et interitu, aliaque, de quibus infra agemus, christianæ fidei documenta?

Verumtamen hi ipsi sectatores Christi, quantumlibet rudes et ignari, quantumvis humana ope destituti, imo vero omnibus quibuslibet hominibus plebeiis, nobilibus, principibus, regibus, imperatoribus, sacerdotibus, sacrisque pontificibus omni animi, artis, roboris, furorisque, vi atque impetu sibi resistentibus, hanc ipsam religionem per universum orbem terrarum, sola sua prædicatione, ac miraculorum potentia, brevissimo temporis intervallo, disseminarunt. Ad eam autem non quasdam tantum mulieres, aut ignaros adduxerunt homines, sed magnis etiam ingeniis præditos oratores, grammaticos, rhetores, jurisconsultos, medicos, ac philosophos. At præstat sane auctorem nostrum hæc loquentem audire: « Nonne, » inquit, « vel hæc saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod jam per omnes terras, in tam brevi temporis spatio, immensi nominis hujus sacramenta diffusa sunt? Quod nulla jam natio est tam barbari moris, et mansuetudinem nesciens, quæ non ejus amore versa, molliverit asperitatem suam, et in placidos sensus adsumpta tranquillitate migraverit? Quod tam magnis ingeniis præditi oratores, grammatici, rhetores, consulti juris, ac medici, philosophique etiam secreta rimantes, magisteria hæc expetunt, spretis quibus ante fidebant » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 44.).

Sæpius vero ille repetit totum mundum christianæ religionis sectatoribus sic fuisse repletum (*Idem*, *lib.* I, *pag.* 33; *lib.* II, *pag.* 50); nosque jam animadvertimus varias regiones ad orientem occidentemque solem positas, quæ hanc religionem nostram profitebantur, ab illo accurate et sedulo recenseri (*Sup. hoc cap.*, *art.* 1.).

At quomodo, quæso, tot homines, tanto locorum intervallo disjuncti, singulari ingenio et doctrina præstantes, suis opinionibus ac præjudiciis christianæ fidei e diametro oppositis tam pertinaciter addicti, illa brevissimo tempore deposuerint; et hanc quæ nihil fere tunc in hoc mundo, nisi supplicia, certamque mortem secum trahebat, sponte sua suoque judicio amplecterentur? Nonne hoc maximo divinæ providentiæ miraculo veritas christianæ religionis non minus certo, perspicue et efficaciter, quam ulla humani ingenii clariori argumentatione demonstratur?

CAPUT V.

Ethnicorum adversus christianæ religionis veritatem argumenta examinantur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam absurde Ethnici objecerint christianam religionem, utpote quæ nova erat, rejiciendam, servandosque patrios et avitos ritus, quos illi commutaverant aut abrogaverant in populi classibus, in servatis de cœlo, in obnuntiationibus, comitiis, signis ex arce, fecialibus, clarigatione, acuminibus auspicatis, legibus Annariis, Cinciis Censoriis, et penetralibus coligiuis.

Quamvis ad evertenda quæ hactenus ad stabiliendam christianæ religionis veritatem retulimus, argumenta nullum ethnici non moverint lapidem, omnesque machinas adhibuerint; nihil tamen fere aliud proferebant, nisi crambem, ut aiunt, repetitam, ac sæpius decantatam semperque eversam reprehensionem. Clamabant etenim novam esse, et ante paucos propemodum dies ortam christianorum religionem; suam vero ab ultima antiquitate sibi a parentibus traditam non posse ab ipsis jure merito deseri et repudiari: « Nobis, » inquit Arnobius, « objectare consuestis novellam esse religionem nostram, et ante dies natam propemodum paucos, neque vos potuisse antiquam et patriam linquere, et in barbaros ritus peregrinosque traduci» (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 90). Nos vero in superiori dissertatione ostendimus, quomodo hæc solita jamque dudum obsoleta argumentatio urgeatur ab ethnicis, et a Minucio refutetur (*Dissert. in Minuc. Felic.*, *cap.* 14, *art.* 1 *et* 2.). Sed quia varie a variis auctoribus evertitur quibus rationibus ab Arnobio destruatur, nunc explorandum est.

Planum itaque facit quantæ futilitatis, summæque levitatis plena sit hæc argumentatio. Omnium enim animis insitum et innatum est, ut bona malis, et

inutilibus utilia anteponant, et commutent (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 90). Non ipsa igitur mutatio, sed mutationis causa expendi debet. Atqui gentiles negare non poterant a remotissima hominum ætate factas a se tam in humanis rebus, quam in divinis immutationes plurimas. Nam prioribus et antiquissimis sæculis, ait auctor noster, homines frugibus ac vestibus inventis, atque excogitata domuum constructione, pristinos glandium, arbutorum, pellium, casularum, cavernarum usus reliquerunt. Et ibi quidem ille ad Juvenalis, Lucretii aliorumque poetarum videtur collineasse carmina, quæ facile in illorum libris quilibet legere poterit (*Juvenal.*, *satir.* 6, *init.*; *Lucret. lib.* V, *vers.* 937 *et seqq.*, *et* 957 *et seqq.*). At nemo umquam dixit has commutationes malas esse et improbandas.

Præterea si quælibet veterum morum rituumque mutatio crimen sit, hujus criminis procul dubio rei sunt Romani, quemadmodum ab Arnobio probatur brevi quidem enumeratione, sed quæ multis non satis clara videbitur (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 91). Quamobrem quæ ibi obscura, hæc paucis explananda sunt. Primo itaque narrat populum romanum olim quinque distributum fuisse in classes. Quam vero id certum sit, et quæ fuerint illæ romani populi classes, a Servio Tullio quondam institutæ, docent nos Livius, Dionysius Halycarnasseus, et A. Gellius. Quidam autem in hujus, quemadmodum in Arnobii nostri textu, legendum censent *sex classes* (*Liv.*, *lib.* I, § 43 *et lib.* IV, § 4; *Dionys. Halycar.*, *lib.* IV, *Antiq. Rom.*, *pag.* 221, *et seqq.*; *Gell.*, *lib.* 10. *Noct. Attic. cap.* 28, *pag.* 573). Sed Lipsius observat sextam classem olim fuisse vacuam et feriatam (*Lips.*, *tom.* III, *lib.* I, *de Milit. Rom.*, *dial.* 2, *pag.* 15). Utrum vero id ad solvendum difficultatis hujus nodum sufficiat, aliorum esto judicium. Quidquid autem sit, satis constat has classes a Romanis fuisse mutatas.

Tum deinde Arnobius : « Numquid magistratus per populum creatis? Militaria, urbana, communia, quæ sint comita scitis? (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 91.) Romanis exprobrat quod hæc ab illis non modo immutata, sed pene oblivioni tradita sint. Varii autem generis erant comitia, et alia quidem, ut perhibet Livius, curiata, quæ rem militarem continebant; alia centuriata, quibus consules tribunique militares creabantur (*Liv.*, *lib.* I, § 60 *et lib.* V, § 52). Quomodo autem hæc primum instituta, ac deinceps sub consulibus facta sint, perspicue narrat Dionysius Halycarnasseus (*Dionys. Halyc.*, *lib.* IV, *Antiquit. Rom.*, *pag.* 224, *et lib.* VII, *pag.* 474 *et seqq.*) Quæ autem fuerint curiata ac centuriata comitia, ex Felice et Labeone explicat A. Gellius, atque Manutius, et Nicolaus Gruchius, qui de illis libros edidere (*Gell.*, *lib.* IV. *Noct. Att.*, *cap.* 27; *Manut. et Gruch.*, *tom.* 1. *Antiquit roman.* » Plura quoque de iisdem comitiis observat Alexander ab Alexandro, et Tiraquellus, quos sicut et alios complures consulere poteris (*Alexand. et Tiraq. lib.* IV *Genial. dier.*, *cap.* 3).

Interim sequamur Arnobium : « Numquid servatis de cœlo, ait, aut otiosas facitis obnuntiationibus actiones? » Servare autem est aliquid ex observato cœlo nunciare : obnunciare vero quid sit, disces ex ex his Donati in Terentium verbis : « Qui malam rem nunciat, obnuntiat; qui bonam, annuntiat. Nam proprie obnuntiare dicuntur augures, qui aliquid mali ominis, scævumque viderint. Ergo obnuntio malum imminens, quasi omen nuntio. Inde enim ἐτυμολογία hujusce verbi est » (*Donat.*, *Terent. Adelph.*, *Act.* 4, *scen.* 4). Utroque verbo, ac sæpius primo, utitur Cicero, atque in primis ubi ad Atticum hæc scribit in verba : « Proscripsit se per omnes dies comitiales de cœlo servaturum..... Hæc tamen summa : Nisi Miloni C. Appius obnuntiasset comitia futura » (*Cic. lib.* IV. *Epist.* 3, *ad Attic.*, *pag.* 239, *lin.* 42). Alibi vero ubi de auspicio loquitur : « Jam vero de cœlo servare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur, nunc imperant pullario, ille renuntiat » *Idem, lib.* II, *de Divinat.*, *pag.* 289, *lin.* 44). At de prorsus neglecto, vel jam antiquato illo priori more his Lucanus versibus ante Arnobium nostrum conquerebatur (*Lucan.*, *l.* VI, *vers.* 426 *et seq.*)

Non quæsisse libet primis quid frugibus altrix
Ore Jovis Dodona sonet, quis noscere fibra
Fata queat, quis prodat aves, quis fulgura cœli
Servet, et Assyria scrutetur sidera cura.

Pergit vero Arnobius : *Numquid cum paratis bella, signum monstratis ex arce; aut fecialia jura tractatis? Numquid per clarigationem repetitis res raptas?* Tria ibi ille ad bellum parandum, seu indicendum memorat. Primo signum sive vexillum ex arce demonstratum, de quo Virgilius (*lib.* VIII, *Æneid.*, *vers.* 1) :

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit....

« Quoniam, » uti Servius in hunc locum animadvertit : « vexillum in arce poni solebat, quod esset specimen imperati exercitus, » Quo etiam de more hæc a Festo scripta (*Fest ad verbum Just.*) legimus : « Justi dies dicebantur triginta, cum exercitus esset imperatus, et vexillum in arce positum. » Plura de illo more videbis apud Dionem Cassium, et Lipsium. (*Dio. Cass.*, *lib.* XXVII, *p.* 47; *Lips.*, *lib.* I, *de Re rustic.*, *cap.* 2, *p.* 18 *et seqq.*).

Secundo Arnobius *fecialia jura* appellat; quia feciales bellum nomine populi Romani indicebant, quemadmodum ex Livio, Dionysio Halycarnasseo, Gellio, et Lactantio discere est (*Liv.*, *lib.* I, § 24 *et* 32; *Diony. Halyc.*, *lib.* 2, *pag.* 130; *Gell.*, *lib.* 16, *Noct. Attic.*, *cap.* 4; *Lactan.*, *lib.* VI; *Inst. divin.*, *cap.* 9, *pag.* 572). De his vero, et *clarigatione*, quam Auctor noster tertio loco nominat, Servius in jam citatis in Virgilium commentariis hæc habet. « Cum Romani volebant bellum indicere, Paterpatratus, hoc est princeps fecialium, proficiscebatur ad hostium fines, et prælatus quædam solemnia, clara voce dicebat se bellum indicere propter certas causas, aut quia socios læserant, aut quia nec abrepta animalia, » sive *res raptas*, ut ait Arnobius, « nec obnoxios redderent, et hæc clarigatio dicebatur a claritate vocis. Post quam clarigationem, hasta in eorum fine

missa, indicabatur jam pugnæ principium (*Serv. in lib.* IV, *Æneid.*, IX, *vers.* 53). » Addit tamen in subsequentem Virgilii librum, ubi plura his similia narrat : « Clarigatio aut a clara voce dicta est, qua utebatur Paterpatratus, ἀπὸ τῆς κλήρου, hoc est, sorte, nam per bellicam sortem agros hostium invadebant (*idem, in lib.* X, *vers.* 14). Plinius vero de clarigatione hæc, quæ ad rem nostram faciunt, litteris consignavit : « Semper e legatis cum ad hostes, clarigatumque mitterentur, id est, res ereptas clare repetitum, unus utique Verbenarius vocabatur (*Plin., lib.* XXII, *Natur. hist., cap.* 2, *pag.* 179). » Plura de clarigatione et fecialibus observavit Brissonius, quæ te legisse non plane inutilis operæ fuerit (*Brisson., lib.* IV, *de Form., pag.* 383 *et seqq.*).

Prosequitur Arnobius : « Numquid martium discrimen obeuntes, spem prælii sumitis, et ex acuminibus auspicatis (*Arnob., lib.* II, *pag.* 91)? » Cicero antea Romanis non semel vitio verterat, quod hæc temere immutaverint : « Bellicam rem administrari, » verba illius sunt ipsissima, « majores nostri nisi auspicato noluerunt; quam multi anni sunt, cum bella a proprætoribus et proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? Itaque nec omnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur. Nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, jam M. Marcellus, ille quinquies consul, totum omisit, idem imperator, idem augur optimus (*Cicer., lib.* II, *de Divinat., pag.* 290, *lin.* 14). » Alio autem in libro id negligentia nobilitatis omissum fuisse testatur (*Idem, lib.* II, *de Natur. deor., pag.* 215, *lin.* 5).

Quæ autem fuerint illa ex acuminibus auspicia, nondum satis exploratum, et variæ de iis sunt auctorum opiniones. Quidam enim in Ciceronis textu pro *acuminibus*, suspicantur legendum *agminibus*. Sed huic levissimæ conjecturæ repugnant omnes cum Ciceronis, tum Arnobii nostri codices manuscripti. Quamobrem nonnulli putant acumina fuisse montium cacumina, quæ ad captanda auguria conscendere mos erat. Aliis videtur esse avium acumina sive rostra, quæ ex tripudio solistimo observabantur. Verum utraque opinio superioribus repugnare videtur Ciceronis verbis, quibus auspicium ex acuminibus totum militare fuisse asseverat. Alii itaque existimant pilorum, spiculorum, ensiumque designari acumina, quæ si horrifico quodam fulgore micarent, felicem pugnæ exitum, secus vero, si obtusa et sordida vel rubigine obsita, infelicem protendebant. Atque eo respexisse Arnobium probari posse putant his Dionysii Halycarnassei de Romanorum cum Sabinis prælio verbis : « Ex pilis defixis ante tentoria, tela sunt hæc Romanorum, quæ primo congressu ejaculantur.... ex his, inquam, pilis circa summa verucula emicabant flammæ, totisque castris fulgorem, non aliter ac faculæ, ad multam noctem reddebant; ex hoc autem viso intellexerunt (ut et talium portentorum interpretes affirmabant, et facile quivis conjicere poterat) citam sibi et splendidam a Deo portendi victoriam quandoquidem igni cedunt omnia, et nihil est quod non ignis vi absumatur. » Ἐκ τῶν

A καταπεπηγμένων παρὰ ταῖς σκηναῖς ὑσσῶν· ἔστι δὲ ταῦτα βέλη Ῥωμαίων, ἃ συνιόντες εἰς χεῖρας ἐξακοντίζουσι..... ἐκ τούτων δὴ τῶν ὑσσῶν περὶ τοῖς ἄκροις τῶν ὀβελίσκων φλόγες ἀνήπτοντο, καὶ δι' ὅλου τοῦ στρατοπέδου σέλας ἦν, ὥσπερ ἀπὸ λαμπάδων, καὶ κατέσχε τῆς νυκτὸς ἐπὶ πολύ. ἐκ τούτου κατέλαβον τοῦ φάσματος, ὥσπερ οἱ τερατοσκόποι ἀπέφαινον, καὶ πᾶσι ἀνθρώποις συμβάλλειν οὐ χαλεπὸν ἦν, ὅτι νίκην αὐτοῖς ταχεῖαν, καὶ λαμπρὰν σημαίνει τὸ δαιμόνιον· ἐπειδήπερ ἅπαν εἴκει πυρί, καὶ οὐδὲν ὅ τι οὐχ ὑπὸ τοῦ πυρὸς διαφθείρεται (*Dionys. lib.* V, *Antiquit. rom., pag.* 3123). Non ab omni versimilitudine abhorret Arnobium ad hunc respexisse antiquum morem, si Dionysius dixisset illum solemnem fuisse, ac tam sæpe quam publice usitatum.

B Probabilius vero quibusdam videtur fuisse signorum militarium acumina, quæ longioribus contis insita, ferratum in cuspidem desinebant. Nam illa si castris loco motis, signifer ex hostili humo facile evellebat, inde faustum omen certaque victoria : sin vero ægre extrahebat, sinistra præsagitio, haudque incerta clades præmonstrabatur. At si quis hanc in opinionem inclinet, observare utique debet a Servio id fecialibus sic adscribi : « Post tertium et tricesimum diem, quam res repetissent ab hostibus, feciales hastam mittebant (*Serv., in lib.* IX, *Æneid., vers* 53). » Arnobius tamen hæc ab acuminibus perspicue distinguit. Quapropter si alicui ultima explicatio arriserit, debet profecto dicere Arnobium loqui de ducibus in agrum hostilem invadentibus, quos,
C ut ibidem post Varronem observat Servius, « ominis causa, prius in eum agrum mittebant, ut castris locum caperent. » Utrum autem hæc opinio, aut alia cæteris præferenda sit, jam expende et pronuntia.

Prosequitur Arnobius, sicque ethnicorum levitatem et inconstantiam redarguit : « Numquid in potestatibus obeundis leges conservatis Annarias, in donis, in muneribus Cincias, in cohibendis censorias sumptibus (*Arnob., lib.* II, *pag.* 91)? » Annaria autem lex vocabatur, qua statutum fuerat novos magistratus singulis annis creari (*Fest., ad verbum* ANNARIA). Similis autem Ciceronis legitur de hac lege sublata, atque Arnobii nostri expostulatio (*Cicer., Philipp.* I, *pag.* 565). At quis, nisi in historia romana omnino hospes et peregrinus, ignorare potest, quam
D sæpe hæ leges spretæ ac pessumdatæ fuerint? Videsis Robertellum de Magistratibus imp. (*Robert., tom.* III, *Antiquit. Rom., pag.* 38).

Cincia vero lex a M. Cincio tribuno plebis anno urbis 549, lata est, qua, ut ait Cornelius Tacitus, cavebatur antiquitus, ne quis ob causam orandam pecunias donumve acciperet (*Corn. Tacit., lib.* I, *Annal. circa init.*). De ea proculdubio Plinius ad Rufum hæc scripsit in verba : « Suberat edicto senatus consultum hoc : Omnes qui quod negotium haberent, jurare, priusquam agerent, jubebantur nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse. His enim verbis ac mille præterea, et venire advocationes, et emi vetabatur. Peractis tamen

negotiis permittebat pecuniam dumtaxat decem millium dare » (*Plin., lib.* v, *epist. ult. ad Rufum*). Livius vero : « Quid legem Cinciam de donis et muneribus excitavit; nisi quia vectigalis jam et stipendiaria plebs esse senatui cœperit?» (*Liv., lib.* 34, § 4.)

« Censoriis legibus, quæ et sumptuariæ et cibariæ vocabantur, majores cœnarum ac conviviorum sumptus et luxuria coercebantur. Una autem ex illis ea erat, quam Livius mox laudatus ab Oppio Tribuno plebis datam memorat (*Ibid.*, § 1). At præterea ab A. Gellio, et a Macrobio enumerantur Orchia, Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, Syllana, Lepidana, Antia, Julia, et Augusti imperatoris, sive Tiberii, ut notat Gellius, edictum (*Gell., lib.* II *Noct. Att., cap.* 4; *Macrob., lib.* III *Saturnal., cap.* 17). Suetonius tamen scribit sumptuariam legem ab Augusto sancitam aut retractatam. Videsis Manutii et Antonii Augustini de legibus libros (*Sueton., lib.* II, *de Aug., cap.* 34; *Manut., lib. de Legib. rom., cap.* 18; *Anton. Augustin., lib.* I *de legib., cap.* 18). At Tertullianus ante Arnobium nostrum ethnicos, christianæ religionis novitatem exprobrantes, his interrogaverat verbis : « Quonam illæ leges abierunt, sumptum et ambitionem opprimentes? quæ centum æra, non amplius in cœnam subscribi jubebant, nec amplius quam unam inferri gallinam, et eam non saginatam?... Video enim et centenarias cœnas, et centenis jam sestertiis dicendas, et in lances (parum est si senatorum et non libertinorum vel adhuc flagra rumpentium) argentaria metalla producta » (*Tertull., Apolog., cap.* 6). Sed de his nos suo loco (*Dissert. in hunc lib., cap.* 19, *art.* 2).

Post hæc Arnobius : « Numquid in penetralibus et coliginis perpetuos fovetis focos?» (*Arnob., lib.* II, *pag.* 91.) In quibusdam editis legitur : *In penetralibus Vestæ*. In ultima vero editione sublata est particula *et*. Sed qua auctoritate hæc facta sint, nemo nobis indicavit. Lipsius vero, a Rosweido admonitus, observat in quodam manuscripto codice scriptum : «In pene impenetralibus et colignis» (*Lips., Syntagm. de Vest. et Vestal., tom.* III, *pag.* 619). Certe in manuscripto codice regio simpliciter habetur : *Impenetralibus et colignis*. Non mirum itaque si corruptus ille locus doctos homines haud parum torserit.

Duobus autem modis idem Lipsius eum explicari posse arbitratur. Primo quidem, hæc Arnobii verba non ad Vestam referenda, sed ad privatum quemdam ritum, quo ignis in interiore domorum parte et culina antiquitus servabatur et fovebatur. In hujus vero conjecturæ confirmationem ille profert hæc Varronis verba : *Culina dicta, quod ibi colebant ignem.*

Deinde vero ait hæc intelligi adhuc posse de Vesta publica, atque ibi scribendum *in culignis;* ita ut Arnobii sensus sit, ignem olim in culignis et vasis fictilibus repositum, uti etiam nunc foveri sub cineribus solet. Sed primæ explicationi id adversatur, quod Varro de communi et promiscuo ignis usu loquatur; Arnobius aut de sacro, aut eo saltem, quem gentiles aboleverant. Secundæ vero illud repugnat, quod ut ipse fatetur, nomen *culigna* apud eumdem Varronem, Festum et Livium potius significat vas potorium, quo vinum in sacrificiis offerebatur. Deinde vero quid ibi Vestæ faceret commemoratio, cujus nullum in Arnobii textu vestigium?

Tota porro tenebricosi hujus Arnobiani dicti difficultas in sola potissimum voce *coliginis* posita est. Penetrales enimvero focos fuisse discimus his Catulli (*Catull., Epigr. ad Marcel.*), ubi de Troja, versibus :

> Ad quam tum properans fertur simul undique pubes
> Græca penetrales deseruisse focos.

Servius quoque animadvertit, *penetralia* a Virgilio (*Virgil., lib.* VI *Æneid., vers.* 71) dici *secreta templorum,* hoc scilicet versu :

> Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.

In iis autem perpetuos fuisse focos, quis sibi facile non persuadebit?

Solum igitur statuendum superest si quid in vocis *coliginis* locum restitui debeat. At, inquies, quidni legatur in culinis? A Vossio siquidem post Scaligerum ex veteri inscriptione ostenditur in Herculis ædiculis fuisse culinas, ubi peregre profecturi sacrificabant. Non male forsitan, si ibi perpetuos focos olim asservatos esse probaveris. Nonne tamen in hujus conjecturæ confirmationem adjicere licet ab ethnicis, quemadmodum infra dicemus, geniorum focos pro diis habitos fuisse, atque idcirco in eorum cultum et honorem in culinis et focis, sicut citatus Varro annotavit ignem olim servatum : sed a posteris neglectum hunc morem, qui illis molestior importuniorque factus est.

Non desunt porro qui retineri velint vocem *coliginis* quam a verbo *colo*, id est, inhabito, derivatam arbitrantur (*Salmas., in Exercitat. Plinian., pag.* 270, 587 *et* 914). Eam igitur vocem, *coligo*, idem ac domum, domicilium, et habitationem apud auctorem nostrum significare his visum est. Sed in textu Arnobii demenda erat particula et, atque aliquo saltem exemplo probandum, a quibus nomen coligo eo sensu adhibitum fuerit. Virgo ergo utrum nomen *culinis* ad Arnobii propositum magis accedere videatur. Nihil enim nos sine correctioris alicujus codicis auxilio certi aliquid ea de re statuere audemus.

Tum deinde Arnobius : « Sacras, » inquit, « facitis mensas, salinorum appositu, et simulacris deorum » (*Arnob., lib.* II, *pag.* 91). Salinum vero vasculum erat, in quo sal ad mensæ sacrificiique usum reponi consueverat. Porphyrion enim vetus Horatii interpres : « Proprie, » inquit, « Salinum est patella, in qua diis primitiæ cum sale offerebantur» (*Porphyr., in Horat. lib.* II *od.*16). Vides sane quam ob causam Arnobius ex salini hujus appositu sacras mensas dixerit.

Quam sacrum autem charumque id ethnicis fuerit, disces proculdubio ex hisce Livii verbis : « Quibus uxor filiæve sint, singulas uncias auripondo relinquant; argenti, qui curuli sella sederunt; equi ornamenta, et libras pondo; ut salinum patellamque

deorum causa habere possint » (*Liv.*, *lib.* xxvi, § 36). Valerius vero Maximus in C. Fabricii et Q. Æmilii Papi domibus argentum fuisse inde colligit; quia uterque patellam deorum et salinum habuit (*Valer. Max.*, *lib.* iv, *cap.* 4, § 3, *pag.* 217). Inde porro illa Persii ironia (*Persius*, *satir.* 3, *vers.* 25):

> Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum:
> Quid metuas? cultrixque foci secura patella.

Plura de salino Lipsius libr. i Saturnal., cap. 2, tom. iii, pag. 484. Adjecit Arnobius: *et simulacris deorum*, in quorum proculdubio tutela erant, vel sacræ mensæ, vel aliæ, quibus ethnici, invocatis antea diis, accumbebant. Nonne vero ex hisce diis ille unus est, de quo canit Statius (*Statius*, *lib.* i, *Sylv.* 6, *de Hercul. vindic.*, *vers.* 31):

> Castæ genius tutelaque mensæ.

Et paulo post (*ibidem*, 50):

> Pellæus habebit
> Regnator, lætis numen venerabile mensis.

Verum ethnici hæc tamquam aniles superstitiones postea rejecerunt.

ARTICULUS II.

De aliis ethnicorum mutationibus in ordinandis nubentium lectulis et advocandis maritorum geniis, earumque crine hasta cœlibari comato; de togulis puellarum ad Fortunam virginalem delatis, mulierum lanificio et vini abstinentia; de tauris candidis in Albano monte mactatis, extis percoctis aut semicrudis porriciendis, atque immolandis humanis capitibus.

Prosequitur Arnobius aliasque redarguit ethnicorum in aliis non minimi etiam momenti rebus mutationes. Magnam autem illorum inconstantiam ut magis magisque patefaciat, his eos compellat: « Cum in matrimonia convenitis, toga sternitis lectulos, et maritorum genios advocatis? » (*Arnob.*, *lib.* ii, *p.* 91.) Lectuli vero illi, sicuti Servius animadvertit, « geniales thori proprie sunt, qui sternuntur puellis nubentibus, dicti a generandis pueris » (*Serv.*, *in lib* vi *Æneid.*, *pag.* 431), vel ut ait Festus, « in genii honorem » (*Fest. ad verbum* Genialis). Persuasum quippe ethnici habebant, quemadmodum Augustinus ex Valerio Sorano (*August.*, *lib.* vii *de Civit.*, *cap.* 13, *pag.* 172), et Servius annotavit, singulos homines suum sortitos esse genium, qui etiam rerum gignendarum habebat potestatem. Mos autem erat ut eidem genio, atque etiam Telluri et Junoni, ut ait adhuc Servius (*Serv.*, *loc. cit.*, *p.* 440 *et pag.* 323), earum præsidibus sacrificarent. At id potissimum observabant in nuptiarum solemniis, atque tunc advocabant maritorum genium, ut felix faustumque esset conjugium, ac liberi suscipi possent. Quamobrem Juvenalis illos, qui genialem lectum, geniumque haud dubie mariti violabant, his carminibus insectatur (*Juven.*, *satir.* 6, vers. 21 *et* 22):

> Antiquum et vetus est alienum, Posthume, lectum
> Concutere, et sacri genium contemnere fulcri.

De lectulo autem geniali, solitoque eum sternendi et ornandi modo videsis Apuleium, Lipsium, atque alios (*Apul.*, *lib.* x *Metam.*, *in fin.*; *Lips.*, *lib.* ii *Elect.*, A *cap.* 17, *p.* 264, *tom.* i). Sed ethnici hos mores postea aspernati sunt, ac repudiarunt.

Vetus insuper illorum consuetudo fuerat, ut « nubentium crinem, » ait Arnobius (*Arnob.*, *lib.* ii, *pag.* 91), « cœlibari hasta » mulcerent, id est, ut scribit Plutarchus (*Plutarch.*, *Quæst. roman.*, *pag.* 285), discriminarent hastæ cuspide, vel hasta recurva, quemadmodum canit Ovidius (*Ovid.*, *lib.* ii *Fast.*, *pag.* 497):

> Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
> Comat virgineas hasta recurva comas.

Hujus autem moris, cujus immutationem notavit Arnobius, varias rationes reddunt idem Plutarchus, et Festus, quos consule (*Plutarch.*, *Quæst. roman.*, *pag.* 285; *Fest.*, *in verbo* Celibaris).

B In consuetudinem quoque olim venerat, *ut puellarum togulas*, verba sunt Arnobii *Fortunam* deferrent *ad virginalem* (*Arnob.*, *lib.* ii, *pag.* 91). Memoriæ autem prodidit Plutarchus (*Plutarch.*, *Quæst. roman.* *p.* 281), proxime a nobis laudatus, Servium, qui omnium maxime divinam vim Fortunæ extulisse ferebatur, varia ei condidisse templa, ex quibus unum erat, *Fortunæ Virginis*, ἄλλο Παρθένου. Alibi vero: « Ad fontem, » inquit (*Idem*, *lib. de Fortun. Rom.*, *pag.* 322 *et seq.*), « qui muscosus dicitur *Virginis* adhuc *Fortunæ* fanum est Παρθένου Τύχης ἱερὸν ἔστι. » Hanc autem esse existimant, de qua Auctor noster loquitur. Nec desunt qui putent illam eamdem esse, quæ ab Augustino dicitur *dea Virginensis*, quamque cum novæ nuptæ virgini zona solvebatur, invocare C mos erat (*August.*, *lib.* iv *de Civit.*, *cap.* 11, *pag.* 97).

Matres vero familias, uti adhuc ait Arnobius, quondam in *domorum atriis* operabantur, et vino jubebantur abstinere (*Arnob.*, *lib.* ii, *pag.* 91). Addit hujus abstinentiæ probandæ causa, jus affinibus et propinquis fuisse eas osculandi. Mulieres vero non infimi, sed primi etiam ordinis, lanificio, conficiendisque vestibus operam dedisse ex iis patet, quæ de Augusto Cæsare Suetonius narrat: « Veste non temere alia, quam domestica usus est, ab uxore, et sorore, et filia, neptibusque confecta » (*Sueton.*, *lib.* ii, *in vit. Aug.*, *cap.* 73). Prius vero quod magis ad propositum nostrum facit, de illo dixerat: « Filiam et neptes ita instituit, ut etiam lanificio assuefaceret, vetaretque loqui, aut agere quidpiam, nisi propalam, et quod in diur-D nos commentarios referretur » (*Idem*, *cap.* 64). Eam proculdubio ob rem Virgilius Æneæ togam, a Didone textam, his versibus cecinit:

> Tyrioque ardebat murice læna,
> Demissa ex humeris, dives quæ munera Dido
> Fecerat, et tenui telas discreverat auro.
> (*Virgil.*, *lib.* iv *Æneid.*, *versus* 262 *et seqq.*)

Superiori autem in libro, memorat ab Andromache phrygiam chlamydem ipsius manibus contextam, hisque verbis datam Ascanio:

> Accipe et hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum
> Sint, puer, et longum Andromachæ testentur amorem.
> (*Idem*, *lib.* iii, *vers.* 486 *et seq.*)

Denique, ut plura missa faciamus, Alexander Magnus Sysigambi, Darii regis matri, dixisse perhibetur:

Mater, hunc vestem, qua indutus sum, sororum non solum donum sed etiam opus vides. Arnobius porro matresfamilias arguit, quæ nullam amplius in domorum atriis operam lanificio darent. De his plura Tiraquellus quem si lubet, adire poteris (*Quint. Cur., lib.* v, *longe post initium; Tiraquel., in leg.* 10, *Connub.*, § 38 *et seq., pag.* 202 *et seqq.*).

Testatum vero Dionysius Halicarnasseus facit vini usu a Romulo mulieribus interdictum. Polybius vero, Plutarchus, Plinius, ac Gellius observant probandi causa utrum vinum bibissent, statutum, uti ait Arnobius, fuisse, ut eas cognati sui osculerentur. Tertullianus porro, ut suo loco ostendemus, vitio ethnicis vertit, quod hunc mulierum vino abstinendi morem aboleverint (*Dionys. Halic., lib.* II *Antiq. roman., p.* 95 *et seq.; Polyb. apud Athenæum, lib.* x *Deipn., pag.* 440 *et seqq.; Plutarch., Quæst. roman., pag.* 265; *Plin., lib.* XIV *Hist. natur., cap.* 13, *pag.* 142; *Gell., lib.* x *Noct. Attic., cap.* 23; *Tertull., Apolog, cap.* 6, *pag.* 7; *Dissert. in Tertullian., cap.* 18, *art.* 5).

Urget adhuc Arnobius, ethnicisque objectat cum antiquitus candidos tantum tauros in monte Albano immolare eis licuisset, senatus postea consulto præscriptum, ut deinceps rufuli mactarentur. Narrat autem Livius sub Tullio Romanorum rege in monte Albano lapidibus pluisse, ac tunc, inquit: « Visi audire vocem ingentem ex summi cacuminis loco; ut patrio ritu sacra Albani facerent, quæ velut diis quoque simul cum patria relictis, oblivioni dederunt » (*Arnob., lib.* II, *pag.* 91; *Liv., lib.* I, *cap.* 31). Alibi Camillum hæc ad Romanos verba facientem inducit: « Videte quid inter nos, ac majores intersit. Illi sacra quædam in monte Albano Laviniioque nobis facienda reliquerant » (*Idem., lib.* v, *cap.* 52). Litteris quoque a Dionysio Halycarnasseo proditum legimus (*Dionys. Halicar., lib.* IV, *pag.* 250), ut ictum a Tarquinio cum Volscis et Hernicis fœdus perpetuum esset, uno omnium consensu decretum ferias quotannis in monte alto, Albæ imminente, celebrandas, ubi sacra Jovi Latiari fierent, et communis omnium victima taurus cæderetur. Nonne autem Arnobius taurum hunc fuisse album innuit, ac de hujus ritus immutatione conqueritur?

Alterius mutationis ille eosdem ethnicos his verbis accusat: « Cum Romulo Pompilioque regnantibus, percocta plane ac madida concremarentur diis exta, nonne rege sub Tullio, semicruda cœpistis et leviter animata porricere? » (*Arnob., lib.* II, *pag.* 91.) At Livius post descriptas Scipionis preces continenter adjecit: « Secundum eas preces cruda exta, cæsa victima, uti mos, in mare porricit » (*Liv., lib.* XXIX, *cap.* 27). Et Virgilius:

Extaque salsos
Porriciam in fluctus.
(*Virgil., lib.* IV *Æneid., vers.* 133.)

Quæ quidem ideo notamus, tum quia de victimarum extis agitur, et uterque scriptor utitur verbo *porricere* pro sacrificare. Plura autem de hoc verbo Macrobius, quem legere poteris (*Macrob., lib.* II *Saturnal., cap.* 2).

Citatis autem Livii verbis intelliges a Romanis exta non percocta, uti sub Romulo et Pompilio, nec semicruda, ut sub Tullio, sed cruda plane porrecta sive sacrificata fuisse.

Denique Arnobius: « Ante adventum in Italiam Herculis, cum ex Apollonis monitu patri Diti, et Saturno humanis capitibus supplicaretur, et hunc similiter morem fraude callidula, et nominum ambiguitate mutastis » (*Arnob., lib.* I, *pag.* 91). Totam hanc fraudem retegit explicatque his Macrobius verbis: « Cum diu humanis capitibus Ditem, et virorum victimis Saturnum placare se crederent, propter oraculum in quo erat:

Καὶ κεφαλὰς Ἅιδῃ (al. Κρονίδῃ) καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Herculem ferunt postea cum Geryonis pecore in Italiam revertentem, suasisse illorum posteris, ut faustis sacrificiis infausta mutarent, inferentes Diti non hominum capita, sed ocilla ad humanam effigiem arte simulata; et aras Saturnias non mactando viros, sed accensis luminibus excolentes; quia non solum virum, sed et lumina φῶτα significant » (*Macrob., lib.* I *Saturnal., cap.* 2, *pag.* 207). Quod ille non semel dixisse contentus, in eodem adhuc libro repetit (*Idem, ibid., cap.* 11, *pag.* 225).

Verum Lactantius, qui ambiguam hujus vocis significationem notavit (*Lactant., lib.* VI *div. Inst., cap.* 2, *pag.* 546), hanc historiam paulo aliter, quemadmodum Dionysius Halicarnasseus, enarrat. Illi enim, sicut ab eodem Lactantio citatus Ovidius solius quidem Saturni mentionem faciunt; sed eadem semper stat inconcussa Arnobii argumentatio, illiusque vis et pondus (*Dionys. Halicar., lib.* I *Antiq. Roman., pag.* 30; *Lact., lib.* I, *cap.* 21, *pag.* 114; *Ovid., lib.* v *Fast., pag.* 642).

Quis autem ex hactenus disputatis non videt quam insulse ethnici novitatem religionis, et antiquæ mutationem christianis exprobraverint; quandoquidem illi ipsi tot tantarumque in rebus et humanis et divinis mutationum rei tenebantur? Quin etiam ut recte arguit Tertullianus, nosque suo loco observabimus (*Tertullian., Apologet., cap.* 6, *pag.* 7; *Dissert. in hunc libr., cap.* 18, *art.* 1 *et seqq.*), habitu, victu, instructu, censu, ipsoque sermone nuntium proavis remiserant, miraque levitate, laudabant majorum suorum instituta, quæ aspernabantur, nec amplius observabant. Pari quoque modo Ambrosius vibratum a gentili Symmacho telum in ipsum aliosque gentiles retundit (*Ambros., epist.* 18, *pag.* 837 *et seqq., tom.* II). Sed Arnobius noster insolentem illorum pertinaciam aliis adhuc rationibus comprimit ac coercet. Eum itaque, si lubet, audiamus ac subsequamur.

ARTICULUS III.

Eadem ethnicorum argumentatio eo adhuc infirmatur, quod sicut christiana religio novitatem, ita disciplinæ, artes et scientiæ initium habuerint, atque aruspicina quidem post Tagem, ubi de libris Acheronticis, astrologia vero post Theutim et Atlantem, *cœli tibicinem et destinam*, item quia dii geniti sunt, quia antiqua olim nova fuerunt, quia Romanorum religio non ante duo annorum millia, sicut christiana non ante 400 annos exstitit, ubi de primis Latinorum regibus, quia denique nihil novum christiani colunt.

Ethnicis christianæ religionis novitatem objicere nunquam cessantibus, ut os, si fieri possit, Arnobius penitus occluderet, planum adhuc facit, etiamsi id verum esset, nihil inde pro eis, et contra christianos, posse unquam confici. Quid est enim, ait ille, in humanis negotiis, artibus, disciplinis, et scientiis, quod aliquando initium ortumque non habuerit? Ante Tagem Thuscum nemo, inquit Arnobius, aut noverat, aut nosse curabat, « an fulminum casibus, aut extorum aliquid significaretur in venis » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 92). Tages autem, teste, Festo (*Fest.*, *ad verb.* TAGES), Genii filius et Jovis nepos, dicebatur, qui adhuc puer, duodecim Etruriæ populis dederat aruspicii disciplinam. De illo siquidem hæc posteris tradidit Cicero : « Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cum terra araretur, et sulcus altius esset impressus, extitisse repente, et eum affatus esse, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentia. Ejus aspectu cum obstupuisset bubulcus, clamoremque majorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totamque brevi tempore in eum locum Etruriam convenisse. Tum illum plane locutum, multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint, litterisque mandaverint : omnem autem orationem fuisse eam, qua aruspicinæ disciplina contineretur; eam postea crevisse rebus novis cognoscendis, et ad eadem illa principia referendis » (*Cicer.*, *lib.* II *de Divin.*, *pag.* 285 *et seqq.*). Quæ quidem Ovidius his cecinit versibus :

Tyrrhenus arator
Fatalem glebam mediis aspexit in arvis,
Sponte sua primum, nulloque agitante, moveri;
Sumere mox hominis, terræque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis.
Indigenæ dixere Tagen, qui primus Etruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.
(*Ovid.*, *lib.* XV *Metamorph.*, *vers.* 553 *et seqq.*)

Lucanus vero :

Di visa secundent,
Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis.
Finxerit ista Tages, flexa sic omnia Thuscus,
Involvens, multaque tegens ambage canebat.
(*Luc.*, *lib.* I, *vers.* 635 *et seqq.*)

Servius vero suis in Virgilium animadversionibus (*Serv.*, *in lib.* II *Æneid.*, *pag.* 259) probat his Lucretii versibus aruspicinam a Tage in Etruria repertam. Vides itaque Tagem illum, quem nonnulli obscurum virum, alii aratorem fuisse tradunt, haud immerito dici aruspicinæ, de qua nos alibi (*Tom.* I *Apparat.*, *lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 21, *art.* 1, *pag.* 1187), in Etruria inventorem.

At quidam fortasse a nobis sciscitabitur utrum A quos Cicero libros Etruscorum vocat, hi sint qui ab Arnobio libri Acherontici paulo ante appellantur, cum dixit : « Etruria in libris Acheronticis pollicetur » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 87). Servius etenim in suis in eumdem Virgilium commentariis (*Serv. in lib.* VIII *Æneid.*, *pag.* 511), observat Tagem dici « Aruspicin libros et sacra Acherontia composuisse. » Quibus sane verbis has Tagis lucubrationes distinguere videtur. At sive eædem, sive diversæ fuerint, hac profecto animadversione opinio Arnobii satis confirmatur.

Addit ille : « Quando siderum motus aut ratio cœpta est genethliaca sciri? Non post Theutin Ægyptium, aut post Atlantem, ut quidam ferunt, gestatorem, bajulum, tibicinem illum, ac destinam cœli? » B (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 92.) De utroque illo et Theuti et Atlante alibi disseruimus (*tom.* I *Apparat.*, *pag.* 543, 1131 et 1188). Ibi autem animadvertimus prioris scientiæ, seu *siderum motus*, inventionem a quibusdam Atlanti, genethliacæ vero rationis, seu natalium dierum, primam observationem aliis ascribi.

Quapropter id tantum annotabimus his quatuor epithetis, *gestatorem*, *bajulum*, *tibicinem*, *ac destinam cœli*, unum plane et idem ab Arnobio significari. Tibicen etenim, teste Paulo (*Apud Fest. ad verbum* TIBICINES), sumitur aliquando pro columine, aut sustentaculo, quo ædificium aliquod, aut domus, aut aliud aliquid fulcitur. Et certe eo sensu Juvenalis dixit :

Nos urbem colimus, tenui tibicine fultam.
C (*Satir.* 3, *vers.* 293.)

Ovidius quoque :

Hæc modo verrebat stantem tibicine villam.
(*Ovid.*, *lib.* IV, *Fast.*, *pag.* 598.)

Eadem significatione nomen *destina* a Corippo Africano accipitur hoc in carmine :

Et Thomas Lybicæ nutantis destina terræ.
(*Corip.*, *lib.* I *de Laudib. Just. Imper.*)

Nonnulli vero eam in rem citant hæc Isidori Hispalensis verba : « Ruina adulterii excipitur destina matrimonii » (*Isidor.*, *lib.* II *Sentent.*, *cap.* 40, *pag.* 449). Sed in editis legitur, *destinatione :* in quibusdam vero manuscriptis codicibus *conditione*, in aliis *doctrina* scriptum est. Quamobrem hunc Isidori locum ultra, quam par est, urgendum non censemus.

D Verum Arnobius hæc parva esse fatetur, ac contra ethnicos longe graviora urget. Nam quos immortales deos ethnici prædicabant (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 92 *et* 93), Jovem fratresque ejus, ac Junonem, Liberum, Venerem, Dianam, Minervam, Apollinem, atque alios, hos tamen omnes aliquando cœpisse, atque ab aliis, ut infra dicetur (*Infr.*, *cap.* 9, *art.* 3 *et seqq.*), procreatos fuisse fatebantur. Quid ergo magis absurdum et iniquum, quam in christianis novitatem religionis ab iis reprehendi, qui illam cogebantur in seipsis agnoscere ac confiteri?

At instabant ethnici antiquissimam esse religionem suam, christianorum vero novam ac recentem. Sed illis reponit Arnobius nihil hoc argumento esse levius

et imbecillius (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 93 et 94). Quod enim agunt christiani, si novum est, vetus fiet; quemadmodum, quod vetus est ethnicis, novum olim fuerat. Quid vero, quod religio non tempore, quo cœpit, sed Deo ipso, quem veneratur, æstimanda est (*Ibid.*, *pag.* 94)?

Non audiendi igitur amplius ethnici rursum vociferantes ante 400 annos nullam fuisse christianam professionem. Jam enim illud ex dictis funditus eversum esse quis non videat? Quamobrem auctor noster ex abundanti tantum respondet ante *millia annorum duo*, uti probatu facilimum erat, nullos prorsus fuisse eorumdem gentilium Romanorum, seu Latinorum deos.

Saturnus enim Cœli et Hecatæ filius, Jovem, ac Picum, Picus Faunum, Faunus Latinum genuit (*ibid.*). Quam autem id verum sit ex variis scriptoribus, hisque potissimum Virgilii carminibus colligitur:

Rex arva Latinus, et urbes
Jam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno et Nympha genitum Laurente Marica
Accipimus, Fauno Picus pater, isque parentem
Te, Saturne, refert: tu sanguinis ultimus auctor.

(*Virgil.*, *lib.* VII, *Æneid.*, *vers.* 45 *et seq.*)

Atqui his tribus viris Pico, Fauno et Latino, uti arguit Arnobius, non longius, quam 360 annorum, spatium temporis et vitæ concedi potest. Nullus autem dubitandi locus est; quin ille ultra, quam necesse erat, ne quid ethnici hiscere auderent, hoc temporis intervallum produxerit. Nam in Eusebii chronico multo magis his verbis contrahitur (*Euseb.*, *chron.*, *lib.* I *et lib.* II, *ad ann.* 838): « Primus rex Latinorum post captam Trojam Æneas. Ante eum Janus, Saturnus, Picus, Faunus regnaverunt annis circiter 150; » nimirum annis ut minus totidem 150 quam Arnobius gentilibus gratis concessit. De his primis Latinorum regibus videsis Dionysium Halicarnasseum, Auctorem Origin. gent. rom., Lactantium, Augustinum, et alios (*Dionys.*, *lib.* I *Antiquit. rom.*, *pag.* 24 *et* 34; *Auct. Orig.*, *pag.* 596; *Lact.*, *lib.* I, *cap.* 22, *pag.* 127; *August.*, *lib.* XVIII *de Civit.*, *cap.* 15, *pag.* 499).

Albæ autem, pergit Arnobius, Ascanius aliique ejus successores annis prope 420 regnaverunt (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 94; *tom.* I *Apparat.*, *in fin.*). In Eusebii autem chronico anni 452, et a Clemente Alexandrino 422, computantur. Denique a Roma condita, ad suam usque ætatem Auctor noster annos propemodum 1050. Eusebiani vero chronici auctor 1146 fluxisse perhibent. De his etiam omnibus aliquid notavimus in Clementis Alexandrini chronologia. Sed hæc uberius prosequi, ac plures alios chronographos nominibus suis appellare nihil necesse est. Non enim omnibus numeris absolutam annorum computandorum rationem sequitur Arnobius, sed ipsosmet receptos ab ethnicis annalium scriptores citasse contentus, illis plura etiam largitur, quam desiderare poterant. Evidentissime igitur ex his demonstrat illorum deos non ante annorum duo millia extitisse, nec ab illis christianæ religionis novitatem posse jure aliquo exprobrari.

Quid vero, quod maxima ethnicorum mysteria, pergit Arnobius (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 95), in Serapidis, Isidis, Matris deum, aliorumque honorem celebrari solita, de quibus nos alibi egimus (*tom.* I *Apparat.*, *pag.* 758 *et seq.*, *Dissert. in Minuc.*, *cap.* 17, *art.* 1, *et cap.* 20, *art.* 1 *et* 2), et infra adhuc agendum, eorum diis longe recentoria sunt. Ab iisdem ergo ethnicis, si suis principiis stare voluissent, nunquam admitti, et semper rejici debebant.

At saltem ex concessis, inquiebant gentiles, apertissime colligitur deorum nostrorum religionem christiana esse longe antiquiorem, atque idcirco veriorem. Negat primo consequentiam Arnobius. Sufficit enim utramque aliquando cœpisse, ut par sit utrobique ratio. Quid enim duo annorum millia, cum cæteris omnibus antea elapsis comparata, pro alicujus religionis veritate facere possunt?

Deinde vero ille adhuc pernegat a christianis coli aliquid novum et ethnicorum religione recentius (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 95). Deum enimvero colunt omnipotentem, non modo antiquissimum, sed ingenitum etiam, et æternum, ac rerum omnium fontem et originem. Nihil ergo novum christiani in mundum introduxerunt, sed quod sero didicerant a Christo, qui miseram hominum falsos deos colentium, verumque Deum ignorantium cæcitatem discussit.

Plura quidem Arnobius de aliis christianæ religionis dogmatibus ibi non protulit, tum quia ad depellendam novæ religionis obtrectationem quæ dixerat, plane sufficiebant: tum quia paulo ante supremam Christi divinitatem, aliaque ejusdem christianæ religionis placita alibi demonstrat, sicut postea ostendemus.

CAPUT VI.

Aliud gentilium adversus christianam religionem argumentum, ex publicis calamitatibus petitum, solvitur.

ARTICULUS PRIMUS.

Ethnicorum adversus christianæ religionis veritatem argumentum, ex variis cladibus et calamitatibus, quibus genus humanum olim divexabatur, petitum, proponitur, ostenditurque a quibus scriptoribus olim dilutum confutatumque fuerit.

Aliud contra christianæ religionis veritatem argumentum, sæpissime et ad nauseam usque ab ethnicis recantatum, insignis et absurdissima fuit calumnia, qua christianos, sicuti scribit Arnobius (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 1 *et seqq.*), ob rejectum repudiatumque deorum cultum, omnium publicarum cladium et calamitatum, quibus genus humanum vexabatur, causam esse tam falso, quam audacter prædicabant. Summam enimvero propter christianorum impietatem, uti illi jactitabant, ab diis merito iratis abjectam rerum terrenarum curam, et mala omnia, quibus ubique homines solebant confici et oprimi, in totum invecta fuisse terrarum orbem.

Quam autem frequens fuerit hæc gentilium que-

rimonia et accusatio, si scire velis, audi, si lubet, Tertullianum : « In odium bonorum et proborum conspirant, » ethnici, « qui adversus sanguinem innocentem conclamant, prætexentes sane ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi christianos esse causam. Si Tiberis ascendit ad mœnia, si Nilus non descendit ad arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim christianos ad leonem. Tantos ad unum » (*Tertullian.*, *Apolog.*, *cap.* 40, *pag.* 36). Eadem repetit in suo ad Nationes libro (*Idem*, *lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 9, *pag.* 54). Sed de illo plura a nobis suo loco dicenda sunt.

Origenes vero testatum facit gentiles eadem et olim et suo adhuc tempore falsa illa criminatione abusos fuisse : « Cum hæc » inquit, « contigerint mundo, consequens, quasi derelinquentibus hominibus deorum cultum, ut propter multitudinem christianorum dicant fieri bella, fames, et pestilentias. Frequenter enim famis causa christianos culparunt gentiles, et quicumque sapiebant quæ gentium sunt, sed et pestilentiarum causas ad Christi Ecclesiam retulerunt. Scimus autem et apud nos terræ motum factum in locis quibusdam, et factas fuisse quasdam ruinas; ita ut qui erant impii extra fidem, causam terræ motus dicerent christianos; propter quod et persecutiones passæ sunt Ecclesiæ, et incensæ sunt. Non solum autem illi, sed et qui videbantur prudentes, talia in publico dicerent; quia propter christianos fiunt gravissimi terræ motus » (*Origen.*, *Tract.* 28, *in Matth.*, *tom.* II, *pag.* 88). Testis nobis adhuc est Lactantius ethnicos eamdem suo etiam tempore cecinisse cantilenam, ubi ille objectarum publicarum cladium et miseriarum accusationem in ipsos sic refundit : « Discite ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingravescere, quia Deus, hujus mundi effector et gubernator, derelictus est; quia susceptæ sunt, contra quam fas est, impiæ religiones; postremo quia ne coli quidem vel a paucis Deum sinitis » (*Lactan.*, *lib.* V, *cap.* 8, *pag.* 479 *et seqq.*). Si enim ille solus, observatis ejus legibus, sicuti par est, coleretur, non essent, inquit, dissensiones, bella, fraudes, rapinæ, adulteria, aliaque mala, quibus humanum genus seipsum conficit.

Nos vero annotavimus quid Maximinus Imperator, christianis infensissimus, iniquis civitatum adversus eos postulationibus responderit (*Dissert. in Luc. Cecil.*, *cap.* 13, *art.* 3, *pag.* 346). At in ea, quam ad illas civitates scripsit epistola, audacter, teste Eusebio, asserebat acerbiores calamitates contigisse : Διὰ τὴν ὀλέθριον πλάνην τῆς ὑποκένου ματαιότητος τῶν ἀθεμίτων ἀνθρώπων ἐκείνων ἐγένετο, ἡνίκα κατὰ τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἐπεπόλαζε, καὶ σχεδὸν εἰπεῖν τὰ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης αἰσχύναις ἐπίεζε. *Ob pestiferum errorem inanissimæ vanitatis sceleratorum illorum hominum evenerunt, quo tempore error ille in animis illorum pullulavit, et universum propemodum terrarum orbem probo ac decore opplevit* (*Euseb.*, *lib.* II *Eccles. histor.*, *cap.* 7, *pag.* 353).

A Postea adhuc Symmachus sterilitatem terræ, famemque publicam negatis Vestalium sacerdotumque ethnicorum privilegiis ascribere non dubitavit : « Nemo me putet solum causam religionum tueri : ex hujusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda.... Secuta est hoc factum fames publica, et spem provinciarum omnium messis ægra decepit : Non sunt hæc vitia terrarum.... sacrilegio annus aruit; necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus, negabatur » (*Apud Ambros.*, *tom.* II, *pag.* 831 *et seqq.*).

Quam crebra, ac pene quotidiana, et diuturna fuerit stolida illa gentilium querela, inde adhuc conjice, quod ethnici eam a christianæ religionis exordio ad Augustini usque tempora in ore semper habuerint. B Audi, quæso, ipsummet sanctum illum doctorem : « Quando auditis, » ait (*August. in titul. psal.* LXXX, § 1, *pag.* 857), « garrire blasphemos, et dicere abundare pressuras temporibus christianis; scitis enim quia hoc amant dicere : et vetus quidem, sed a temporibus christianis cœpit proverbium : *Non pluit Deus : duc ad christianos.* Quamquam priores ista dixerunt, isti autem modo dicunt, *et quia pluit Deus*, *duc ad christianos.* » Quæ quidem ille non solum ibi uberius prosequitur, sed alio adhuc in libro hunc repetit in modum : « Memento autem me ista commemorantem, adhuc contra imperitos agere, ex quorum imperitia illud quoque ortum est vulgare proverbium : pluvia desit, causa christiani. Sunt namque, qui eorum studiis liberalibus instituti, amant historiam, qua C facillime ista noverunt : sed ut nobis ineruditorum turbas infestissimas reddant, se nosse dissimulant, atque hoc apud vulgus confirmare nituntur, clades, quibus per certa intervalla locorum et temporum genus humanum oportet affligi, causa accidere nominis christiani, quod contra deos suos ingenti fama, et præclarissima celebritate per cuncta diffunditur » (*Idem*, *lib.* II *de Civit.*, *cap.* 3, *pag.* 33).

Ad hanc autem importunam ac falsam criminationem, tamdiu totiesque ab eis repetitam, propulsandam et penitus comprimendam, eruditissimi religionis nostræ defensores et tractatus et libros identidem ediderunt. Cum enim Demetrianus christianos publicarum calamitatum causam esse latraret, Cyprianus Carthaginensis episcopus, clamosas illius voces, D ineptasque objurgationes, primum spernendas esse censebat. Verum ille, quemadmodum Arnobius noster (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 1), ne se hominis, impie Deo obstrepentis, clamoribus vinci, ac cum christianis causa cecidisse diceretur, dementissimam illius temeritatem tractatu adversus eum edito coercuit. Hujusce autem operis initio sic ille loquitur : « Sed enim cum dicas plurimos conqueri, quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames sæviant, quodque imbres et pluvias serena longa suspendant, nobis imputari, tacere ultra non oportet; ne jam non verecundiæ, sed diffidentiæ esse incipiat, quod tacemus, et dum criminationes contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere. Respondeo igitur

et tibi, Demetriane, et cæteris, quos tu forsitan concitasti, et adversus nos, odia tuis maledicis vocibus seminando, comites tibi plures, radicis atque originis tuæ pullulatione fecisti, quos tamen sermonis nostri admittere credo rationem. » (*Cyprian.*, *ad Demetr.*, *pag.* 186).

Augustinus vero, de quo nos paulo ante dicebamus, aperte declarat se eamdem ob causam conscripsisse suos de Civitate Dei libros, quorum quinque prioribus hanc infidelium hominum calumniam expressius refellit. Hæc autem sunt totidem illius ea de re verba : « Interea Roma Gothorum irruptione, agentium sub rege Alarico, atque impetu magnæ cladis eversa est : cujus eversionem deorum falsorum multorumque cultores, quos usitato nomine paganos vocamus, in christianam religionem referre conantes, solito acerbius et amarius Deum verum blasphemare cœperunt. Unde ego exardescens zelo domus Dei, adversus eorum blasphemias vel errores, libros de Civitate Dei scribere institui..... Quorum quinque primi eos refellunt, qui res humanas ita prosperari volunt, ut ad hoc multorum deorum cultum, quos pagani colere consuerunt, necessarium esse arbitrentur, et quia prohibetur, mala ista exoriri, atque abundare contendunt » (*August.*, *lib.* II, *Retract.*, *cap.* 43).

Neque Augustino hos, quamvis eximios excellentesque libros confecisse satis fuit : sed Orosium ad scribendos annales impulit, quibus palam faceret mundum omnibus sæculorum ætatibus, et ante ortam christianam religionem, publicas accepisse calamitates, hominesque communibus cladibus miseriis atque ærumnis fuisse afflictos. Hæc ipse Orosius in historiarum suarum exordio præfatur, quæ quidem integra hic describere quia longius foret, ad ejus libros, quemlibet curiosum mittendum satius duximus. Ante Orosium autem et Augustinum, Arnobius noster in hisce, de quibus agimus, libris ad eamdem gentilium obtrectationem plane penitusque reprimendam, uti superius annotavimus, aggressus est. Quæ itaque et quam valida sint ejus argumenta jam, si subet, videamus.

ARTICULUS II.

Expenduntur singula Arnobii argumenta, quibus insulsas ethnicorum, christianos publicarum omnium cladium et calamitatum causam esse nunquam non proclamantium criminationes funditus evertit, ac quomodo et quam evidenter demonstret ab ipso christianæ religionis exordio ad suam usque ætatem, nihil contra statas naturæ leges nec in cœlo, nec in terris immutatum ; sæpius vero ante christianorum tempora gentes fuisse fame confectas, perniciososque accidisse grandinis casus, imbres lapidum, siccata flumina, pestes funestissimas, consumptas a muribus et locustis fruges, maximos terræ hiatus et motus.

Fatetur ingenue Arnobius gentilium argumentationem gravis plane et maximi esse momenti ac christianos omni odio habendos, atque adeo rejiciendam et exterminandam eorum religionem, si ipsi publicorum malorum, calamitatumque omnium causa fuerint. Sed hoc falsissimum esse inde primum demonstrat (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 2 *et* 3), quod ab ipso reli-

A gionis christianæ exordio ad suam usque ætatem nihil contra statas naturæ leges, neque in elementis, neque in solis, lunæ, et astrorum cursu, neque in quatuor anni tempestatibus, neque in solita terræ animaliumque fœcunditate, neque in publicis humanis rebus et disciplinis mutatum sit. Verum superiores publicas calamitates, rhetorica figura paulo nimium amplificasse pluribus fortasse videretur, nisi persuasum haud dubie illi fuisset toties, uti diximus, repetitam ad ethnicis obtrectationem tot exemplis esse refellendam, ut ad silendum, aut saltem ad pudendum adigerentur. Quamobrem Tertullianus in longa etiam earumdem, quæ ante Christi ortum contigerant, cladium enumeratione diu versatur, nec secus ac noster auctor postea concludit : « Si pristinas clades
B comparemus, leviora nunc accidunt, ex quo christianos a Deo orbis accepit. Ex eo enim innocentia sæculi iniquitates temperavit, et deprecatores Dei esse cœperunt » (*Tertullian.*, *Apolog.*, *cap.* 40). Sed hæc ille, de quo nos suo loco, fusius alio in libro prosequitur (*Idem*, *lib. de Pallio*, *cap.* 27).

Contra tamen objiciebant ethnici : « Pestilentias. » Arnobii verba sunt, « et siccitates, bella, frugum inopiam, locustas, mures, et grandines, resque alias noxias, quibus negotia incursantur humana, dii important, injuriis christianorum atque offensionibus exasperati » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 3). Sed hæc ratio tam parvi levisque momenti Arnobio visa est, ut seipsa, absque ulla confutatione, corruere persuasum
C omnino habuerit. Quomodo enim, inquit, hæc calamitatum nomina post christianæ religionis primordium ethnicis cognita esse potuerunt, nisi antea contigerint? Et certe eas omnes prius accidisse ex ipsismet eorumdem ethnicorum annalibus evidentissime probatur. Quod quidem ille, quemadmodum postea Augustinus, facta cladium illarum enumeratione, ostendit (*August.*, *lib.* III *de Civit.*, *cap.* 17, *pag.* 73 *et seqq*). Ab Orosio autem, ut id manifestum omnibus fieret, septem historiarum libros, hortante eodem Augustino editos fuisse jam animadvertimus. Quam recte porro id Orosius, probaverit a nobis, Deo favente, postea suo loco examinabitur. Interim vero a nobis ea clarius enucleanda sunt, quæ ab Arnobio non satis clare explicantur.

D Narrat autem primo gentes fame sæpe confectas. At nemo est, qui nesciat quot quantaque illius exempla in gentilium historiis occurrant. Pauca ex pluribus si tibi proferri velis, ea quæ Josephi patriarchæ tempore fuit, prætermissa (*Genes.*, *cap.* 41 *et seq.*), ex Livio disces tantam fuisse, Proculo Geganio Macerino, et L. Menenio Lanato consulibus, famem frugumque inopiam, ut « multi ex plebe spe amissa, potius quam ut cruciarentur trahendo animam, capitibus obvolutis, se in Tiberim præcipitaverint (*Liv.*, *lib.* IV, *cap.* 12). Quamobrem pulchre Augustinus ab ethnicis petit ubi tunc essent dii, qui hominibus cultui suo addictissimi opem nullam tulerunt (*August.*, *lib.* III *de Civit.*, *cap.* 17, *pag.* 74). Scribit quoque Dionysius Halicarnasseus alteram partem

Mæonum, teste Herodoto, cum diu fame laborassent, ea tandem nimium urgente, paternis cessisse agris, et in Umbriam venisse (*Dionys. Halicar.*, *lib.* I *Antiquit. rom.*, *pag.* 21). Denique, ut plura mittamus, in Eusebiano chronico ad annum 2022, et post ortum Christi octavum notatur, « fames, Rome ita, ingens facta, ut quinque modii venderentur denariis XXVII, semis. » Tunc autem christianorum nomen neque ibi, neque alibi auditum adhuc fuerat.

Frequentissimos deinde grandinis casus, atque etiam saxeos imbres antea accidisse objicit Arnobius. Et certe Horatius multas tempestates, ac nominatim diræ prorsus grandinis non in christianorum, sed occisi a gentilibus Cæsaris vindictam, uti putabat, obortas his cecinit versibus :

Jam satis terris nivis atque diræ
Grandinis misit Pater, et rubente
Dextera sacras jaculatus arces
Terruit orbem, etc.
(*Horat.*, *lib.* I, *od.* 2.)

Deinde vero Arnobius : « In litteris priscis, » inquit, « comprehensum et compositum videmus imbres saxeos totas sæpe comminuisse regiones » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 4). At lapidum imbres ante christianorum tempora memorat Cicero : « Quid cum sæpe, » ait ille, « lapidum, sanguinis nonnunquam, terræ interdum, quondam etiam lactis imber defluxit » (*Cic.*, *lib.* II *de Divinat.*, *pag.* 271). Livius autem narrat post Cannensem cladem pluisse lapidibus : « Tempestates, » inquit, « fœdæ fuere. In Albano monte biduum continenter lapidibus pluit : tacta de cœlo multa, duæ in Capitolio ædes, vallum in castris multis locis supra Suessulam, et duo vigiles exanimati : murus turresque quædam Cumis non icte modo fulminibus, sed etiam decussa. Reate saxum ingens visum volitare; Sol rubere solito magis, sanguineoque similis » (*Liv.*, *lib.* XXV, *cap.* 7). Testatum qnoque facit inspectos Sybillarum libros propter crebrius uno eodemque anno de cœlo lapidatum. Paulo antea dixerat factum novendiale sacrum, propterea quod de cœlo lapidatum fuisset. Plura si velis, adi Tibullum, Valerium Maximum, Strabonem, Solinum, et Salmasii in hujus librum annotationes (*Idem.*, *lib.* XXIX, *cap.* 10; *Tibull.*, *lib.* II, *eleg.* 5, *vers.* 68; *Valer. Max.*, *lib.* I, *cap.* 6, § 5; *Strab.*, *lib.* IV *Geogr.*, *pag.* 82 *et seqq.*; *Solin.*, *cap.* 2, *pag.* 12).

Ad hæc vero scribit auctor noster : « Flumina ingentia limis inaruisse siccatis » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 4). Quod sane præter alios Virgilius his confirmat carminibus :

Videas et flumina sicca,
Aret ager, vitio moriens sitit aeris herba.
(*Virgil.*, *Eclog.* 7, *vers.* 56 *et seqq.*)

Nostrum autem ad propositum illud maxime facit, quod Seneca non christianorum impietati, quemadmodum alii ethnici, sed naturalibus causis fluminum ascribit siccitatem (*Senec.*, *lib.* III *Natural. quæst.*, *cap.* 10 *et seqq. pag.* 430).

Pestilentiæ etiam contagia, sicuti Arnobius loquitur, humanum genus usserunt ac depopulata sunt. (*Arnob. loc. cit.*). Quis autem, amabo te, id ignorare potest, qui extremis digitis veterum Auctorum Livii, Eusebii, Orosii, aliorumque scripta attigerit? Augustinus quoque eadem argumentandi ratione premit ethnicos, pluresque ex citato a nobis Livio pestilentias illis objicit. Nec paulo leviori brachio telum hoc in eos vibrari potest ex proxime laudato Seneca, qui naturalem quoque pestis rationem reddere conatur (*Liv.*, *lib.* I, *cap.* 31, *lib.* III, *p.* 6; *Euseb.*, *in chron.*; *Orosi.*, *lib.* II, *cap.* 12, 13, *etc.*; *August.*, *lib.* III *de Civit.*, *cap.* 17, *pag.* 74, *et cap.* 31, *pag.* 88; *Senec.*, *lib.* VII *Natural. quæst.*, *cap.* 27 *et* 28, *pag.* 463).

Præterea urget auctor noster a locustis et muribus omne frugum genus corrosum atque consumptum (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 4). A Livio autem memoriæ proditum legimus tantas a mari locustarum nubes vento in Apuliam repente illatas, ut examinibus suis agros late operuerint, atque ad eam frugum pestem tollendam missum fuisse C. Licinium prætorem designatum (*Liv.*, *lib.* XLII, *cap.* 10, *et lib.* XXX, *cap.* 2). Narrat insuper circa Capuam omnem agrum oppletum alia ingenti earumdem locustrarum multitudine, quas quidem unde advenissent parum constabat. Sed audiendus est Augustinus, qui ex hac locustarum, ac superiori pestis calamitate eodem plane, atque Arnobius, modo contra gentiles argumentatur : « Locustarum in Africa, » inquit, « multitudinem prodigii similem fuisse, cum jam esset populi Romani provincia, litteris mondaverunt : consumptis enim frugibus foliisque lignorum ingenti, atque inæstimabili nube in mare dicunt esse dejectam. Qua mortua redditaque littoribus, atque hinc aere corrupto, tantam ortam pestilentiam, ut in solo regno Masinissæ, octingenta hominum millia periisse referantur, et multo amplius in terris littoribus proximis... Talis itaque vanitas, qualem ferimus, eique respondere compellimur, quis horum non christianæ religioni tribueret, si temporibus christianis videret. » (*August.*, *lib.* III *de Civit.*, *cap.* 31, *pag.* 88). Eadem hisce de locustis prodidit Orosius, quem consule, sicut et de aliis Cornelium Tacitum, atque etiam Bochartum, qui plura de locustis disputat (*Oros.*, *lib.* V, *cap.* 11; *Corn. Tacit.*, *lib.* XV, *post initium; Bochart.*, *lib.* IV *de sacr. Script. anim.*, *cap.* 1 *et seqq.*).

Prosequitur Arnobius (*lib.* I, *pag.* 4), et addit urbes atque civitates tremefactas validissimis terræ motibus, et maximis ejus hiatibus interceptas. Testis horum nobis est Plinius, qui de motibus terræ hunc scribit in modum : « Motus terræ sileantur, et quidquid est, ubi saltem busta urbium exstant simul ac terræ miracula potius dicamus, quam scelera naturæ » (*Plin.*, *lib.* II *Hist.*, *natur.*, *cap.* 92, *pag.* 239), multo minus christianorum, ut recte auctor noster arguit. Prius vero idem Plinius de utroque terræ motu et hiatu : « Varie terra quatitur, » inquit, « et mira eduntur opera, alibi prostratis mœnibus, alibi profunde hiatu haustis » (*Idem. eodem lib.*, *cap.* 79 *et* 80, *pag.* 231 *et seqq.*). Atque ibi de illis plura, quæ

legere poteris, memoriæ mandavit (*Idem. lib. cit., cap.* 84, *pag.* 234). At maximum post hominum memoriam terræ motum, imperante Tiberio, contigisse asserit, quippe quo duodecim Asiæ urbes subversæ fuerint. Meminere etiam hujus terræ motus, Strabo et Suetonius, atque ei adjunctum terræ hiatum his Tacitus narrat verbis : « Eodem anno duodecim celebres Asiæ urbes conlapsæ, nocturno terræ motu, quo improvisior graviorque pestis fuit. Neque solitum in tali casu effugium subveniebat in aperta prorumpendi; quia diductis terris hauriebantur. Sedisse immensos montes, visa in arduo, quæ plana fuerant, effulsisse inter ruinam ignes memorant » (*Strabo, lib.* XII *Geogr., p.* 578; *Sueton., in vita Tiberii*, § 49; *Tacit., lib.* II *Annal.*, § 7). In Eusebii autem chronico hæc ad septimum Tiberii annum referuntur, ac tredecim collapsæ urbes suis ibi appellantur nominibus. Plurium autem terræ motuum, qui superioribus ætatibus acciderant fit ibidem mentio. Denique ut multa taceamus, Cicero, Cœlio teste citato, narrat « eo ipso tempore, » quo Flaminius contra Hannibalem pugnabat, « tantos terræ motus in Liguribus, Gallia, compluribusque insulis, totaque Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes facta sit, fluminaque in contrarias partes fluxerint, atque in omnes mare influxerit » (*Cic., lib.* I *de Divinat., pag.* 268, *lin.* 40 *et seqq.*). Sed alias nec minores quidem calamitates ille postea recenset (*Ibid., pag.* 271, *lin.* 27 *et seqq.*). Quamobrem Apuleius : « Immodicis, » ait, « tremoribus terrarum dissiluisse humum, et interceptas urbes cum populis sæpe cognovimus. » Tertullianus autem, eodem plane argumento ethnicos refellendo, his objectat Corinthium mare motu terræ exhaustum (*Apul., lib. de Mundo, pag.* 408; *Tertullian., Apolog., cap.* 40).

Tantum porro abest, ut his et similibus inordinatis casibus contra religionis christianæ veritatem aliquid confici possit; quin potius Cleanthes apud Ciceronem ex illis concludit in animis hominum informatas esse deorum, et vis cujusdam cœlestis ac divinæ notiones (*Cicer., lib.* II *de Nat. deor., pag.* 215). Melius proculdubio unius æquissimi et omnipotentis Dei notiones dixisset. Sed in hunc Ciceronis locum consule Lescalopieri observationes, ac de terræ motibus et hiatibus, eorumque effectibus et causis Senecæ libros, atque etiam Strabonem qui plurima eorum, quæ dicta sunt exempla protulit (*Senec., lib.* VI *Natur. quæst., pag.* 454 *et seq., et cap.* 21 *et seqq., pag.* 451 *et seqq.*; *Strabo, lib.* I *Geogr., pag.* 58, *et seqq., et alibi*).

ARTICULUS III.

Quibus aliis exemplis Arnobius ostendat ante christianæ religionis exortum plures accidisse publicas calamitates, incendia, diluvia, ubi de insula Atlantica, et computatis a mundi exordio annis; item cum belluis prælia, ac bella maxima inter Assyrios et Bactrianos, Nino et Zoroastre ducibus, aliaque Alexandri, atque Romanorum bella, ac post natum Christum res fluxisse longe magis prosperas.

Quæ hactenus retulimus publicarum calamitatum exempla satis superque demonstrant nihil potuisse ab ethnicis fingi absurdius, quam iis mundum in christianorum pœnam vexari. Verum Arnobius ut indomitam insanientium hominum petulantiam vehementius coerceret, aliis adhuc exemplis illud censuit esse probandum (*Arnob., lib.* I, *pag.* 4 *et* 5). Instat itaque ante christianorum tempora mundum incendio conflagrasse, urbes maris fluctibus coopertas, genus humanum diluviis absorptum, atque, ut Plato perhibet *ante annorum millia decem*, ab Atlantica insula magnam erupisse hominum multitudinem, quæ innumeras nationes funditus delevit et exstinxit. Is autem Platonis locus in ejus Timæo occurrit, ubi ille ex antiquis scriptoribus narrat ex ea Atlantica insula, quam Lybia et Asia majorem fuisse ait, factam ingentium copiarum irruptionem, qua variæ nationes in servitutem redactæ sunt (*Plato, tom.* III, *Timæ., pag.* 24 *et* 25). Sed postea diluviorum, terræque motuum æstu omnem bellicosam illam gentem, atque ipsam insulam per unius tantum noctis et diei spatium fluctibus maris absorptam, et nihil plane ex illis, nisi luti reliquias comparuisse amplius. Idem porro Platonis locus non solum a Plinio et Strabone citatur, verum etiam a Tertulliano, qui inde absurdam ethnicorum argumentationem, quemadmodum Arnobius, refellit et evertit. Scimus quidem hæc nonnullis minus veritati, quam fabulis videri propiora (*Plin., lib.* II *Hist. natur., cap.* 90, *pag.* 238; *Strab., lib.* II *Geogr., pag.* 101; *Tertullian., Apolog., cap.* 40, *et lib.* I *ad Nat., cap.* 9, *pag.* 54, *et lib. de Pallio, cap.* 2). Sed valere semper debebat apud gentiles Platonis auctoritas, nec plane immerito eis opponitur. Deinde vero Theucydides a Seneca testis submersæ ejusdem insulæ appellatur hæc in verba. « Theucydides ait circa Peloponesiaci belli tempus Atalantam insulam aut totam, aut certe maxima ex parte suffusam. » Quin etiam huic suffragatur Ammianus Marcellinus (*Senec., lib.* VI *Natur. quæst., cap.* 24, *pag.* 894; *Am. Marcell., lib.* XVII, *cap.* 7, *pag.* 169). Sed si utrique fidem habere adhuc nolis, audi, si lubet, Senecam alios similes casus enarrantem : « Idem Sidoni, » uti inquiebat, « accidisse crede. Nec ad hoc testibus opus est. Meminimus enim terris interno motu divulsis, loca disjecta et campos interiisse » (*Senec., lib.* IV *Natur. quæst., cap.* 32, *pag.* 299; *Am. Marcell., lib.* XVII, *cap.* 7, *pag.* 269). Qui plura voluerit, illum adhuc alibi dicentem audiat : « Helicem, Burinque, » vel ut ait Marcellinus, « Helice et Bura, totas mare accepit..... Supra oppida duo navigatur : duo autem, quæ novimus, quæ ad notitiam nostram memoria litteris servata perduxit. Quam multa alia aliis locis mersa sunt! Quot populos aut terra in se, aut mare inclusit! » (*Senec., ibidem, cap.* 23, *pag.* 894.) Prius vero auctorem suum citaverat Callisthenem. Eadem de Sidone, atque aliis inundationibus Strabo memorat, quem sicut et Ovidium, rursusque Senecam et Plinium adire quilibet haud ægre poterit (*Strab., lib.* I *Geogr., pag.* 58; *Ovid., lib.* XV *Metamorph*, *versus* 261 *et seq.*; *Senec.*,

lib. cit., *cap.* 29, *pag.* 897; *Plin.*, *lib.* II, *cap.* 93 *et* 94, *pag.* 238 *et seq.*).

Verum quanam, rogabit aliquis, ratione Arnobius dicere potuit, hæc quæ de Atlantica insula narrat, ante decem contigisse annorum millia? Numquid ignorabat a christianis multo brevius a mundi creatione annorum spatium computari. Sed facile solvitur hujus difficultatis nodus. Non enim suam ibi Arnobius, sed Platonis, ibidem a se citati, protulit opinionem, qui sacerdotem Soloni sic loquentem inducit (*Plato*, *in Timæ*, *tom.* III, *pag.* 23) : Τῆς καὶ ἐνθάδε διακοσμήσεως παρ' ὑμῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς γράμμασιν ὀκτακισχιλίων ἐτῶν ἀριθμὸς γέγραπται. περὶ δὲ τῶν ἐννακισχίλια ἔτη γεγονότων πολιτῶν σοι δηλώσω διὰ βραχέων. *Jam vero nostrarum rerum status quis olim fuerit annorum octo millium series in nostris sacris libris recensentur : novem autem millia annorum seriem, quibus illi majores exstiterunt tibi breviter demonstrabo.*

Ex mundi vero, ac potissimum Sodomæ et Gomorrhæ incendiis Tertullianus ethnicos redarguit, quemadmodum suo loco ostendemus. Nec hujus incendii Josephus tantum mentionem fecit, sed ipse etiam his, ut videtur, verbis Cornelius Tacitus : « Ego Judaicas quondam urbes igne cœlesti flagrasse concesserim » (*Tertullian.*, *Apolog.*, *cap.* 40, *et lib. de Pall.*, *cap.* 2; *Joseph.*, *lib.* I *Antiquit. Judai.*, *cap.* 22, *et lib.* V *de Bell. Judaic.*, *cap.* 5; *Tacit.*, *lib.* V *Histor.*, *post init.*).

Pergit Arnobius, aitque ante christianos, « cum feris bella, et prælia cum leonibus gesta sunt. » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 5). At ibi si de præliis, quæ instructo hominum exercitu, cum feris et belluis commissa fuerunt, testem desideres, tibi A. Gellius cito dabit Tuberonem, qui memoriæ mandavit Regulum apud Bagradam fluvium in Africa positis castris : « Prælium grande atque acre fecisse adversus unum serpentem illic stabulantem, inusitatæ immanitatis, eumque magna totius exercitus conflictione, ballistis atque catapultis diu oppugnatum, ejusque interfecti corium, longum pedes centum et viginti Romam misisse » (*Gell.*, *lib.* VI *Noct. Attic.*, *cap.* 3, *pag.* 368). Eadem ex Livio narrat Valerius Maximus, atque etiam Plinius, qui rem notam esse asserit, item Seneca, Orosius, Florus, et alii (*Valer. Max.*, *lib.* I, *cap.* 8, § 19, *pag.* 77; *Plin.*, *lib.* VIII *Hist. natur.*, *cap.* 14, *pag.* 153; *Senec.*, *epist.* 82, *pag.* 156; *Oros.*, *lib.* IV, *cap.* 8; *Flor.*, *lib.* II, *cap.* 2).

At si Arnobius de certaminibus agat, quibus gladiatores et athletæ cum leonibus et aliis belluis pugnaturi, in arenam descendebant, de iis forsitan intelligendus est, quorum spectacula Sylla et Pompeius aliique dederunt. At præter ea, quæ de his spectaculis alibi attigimus, videsis Plinium, Dionem Cassium, atque in primis Senecam (*Dissert. in Minuc. Octav.*, *cap.* 9, *art.* 2; *Plin.*, *lib.* VIII *Natur. hist.*, *cap.* 16, *pag.* 160; *Dio Cass.*, *lib.* XXXIX *Hist. Rom.*; *Senec.*, *lib. de Brevit. vitæ*, *cap.* 13 *et* 14, *pag.* 707), qui hanc crudelitatem sic exagitat : « Num et hoc quemquam curare permittas, quod primus L. Sylla

A in circo leones solutos dedit, cum alioquin alligati darentur, ad conficiendos eos missis a rege Boccho jaculatoribus? Nam et Pompeium primum in circo elephantorum duodeviginti pugnam edidisse, commissis more prælii noxiis hominibus, ad ullam rem bonam pertinet? Princeps civitatis, et inter antiquos principes, ut fama tradidit, bonitatis eximiæ, memorabile putavit spectaculi genus, novo more perdere homines. Depugnant, parum est; lancinantur, parum est. Ingenti mole animalium obteruntur. Satius erat ista in oblivionem ire; ne quis postea potens disceret, invideretque rei minime humanæ. O quantum caliginis mentibus humanis objicit magna felicitas! Ille se supra rerum naturam esse tum credidit, B eum tot miserorum hominum catervas sub alio cœlo natis belluis objiceret, cum bellum inter tam disparia animalia committeret, cum in conspectu populi Romani multum sanguinis funderet, mox plus ipsum fundere coacturus. » Si quis tamen contendat Arnobium non de hoc, sed de superiori hominum cum belluis certamine esse intelligendum, huic non multum repugnabimus.

Ultimum porro gentilium argumentum, ex bellorum frequentia petitum, inde primo ille diluit (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 5), quod ingentes hominum copiæ ex Atlantica insula emergentes, innumeras nationes profligaverint, ac deleverint. Sed de his paulo ante diximus.

C Secundo itaque Arnobius gentilibus objicit (*Ibid.*) inter Assyrios et Bactrianos, Nino et Zoroastre ducibus, non ferro tantummodo et viribus, sed magicis etiam artibus prælio olim decertatum. At testis nobis est Eusebius Zoroastrem magum tunc Bactrianis imperasse, cum apud Assyrios Ninus regnaret (*Euseb.*, *lib.* X *Præpar. evang.*, *cap.* 9, *pag.* 484). In illius autem chronico hæc, quæ ad rem nostram conducere videntur, verba legimus : « Zoroastres magus, rex Bactrianorum, clarus habetur, adversus quem Ninus dimicavit. » Quod quidem Trogi Pompei, Augustini, Hieronymi, et Orosii auctoritate confirmatur (*In chronic. ad Annum.* 7; *Trog.*, *lib.* I; *August.*, *lib.* XXI *de Civit.*, *cap.* 14, *pag.* 634; *Hieronym. in* D *cap.* II *Oseæ*, *versus* 2, *pag.* 1251, *nov. edit.*; *Oros.*, *lib.* I, *cap.* 4).

Verumtamen his plane adversari videtur Diodorus Siculus, qui ubi Nini adversus Bactrianos expeditionem describit, horum ducem non Zoroastrem, sed Oxyartem appellat (*Diodor. Sicul.*, *lib.* II *Biblioth.*, *pag.* 66 *et seqq.*). Deinde vero nihil plane magici, neque insoliti eo in prælio animadvertit, sed Oxyartis tantum artem et solertiam, qua cum partem exercitus Nini in quasdam locorum angustias pertraxisset, inito certamine, fugavit hostes, centumque millia ex iis occidit. Sed ille postea a Nino victus est. Huc accedit, quod plures fuerint uti Plinius, Suidas, et alii observant, Zoroastris nomine nuncupati. Scaliger autem Laertii testimonio probare conatur (*Scalig.*, *in Chron. Euseb.*, *pag.* 15), eum, qui magus fuit, Xerxe, atque idcirco Nino etiam multis sæculis esse

posteriorem. Censet tamen Cotelerius Zoroastrem magum unum, et eumdem variato nomine fuisse, ac Zarum, Nazaratum, Zabratum, Zaratem, Zarem, Zoroadum, et Zaradem (*Cotel., not. in lib.* IV *Recogn. Clem., pag.* 368). De illius vero ætate variæ sunt opiniones. Eudoxus quippe et Aristoteles, Plinio attestante, illum Platone sex millibus annorum, Hermodotus apud Laertium, et Plutarchus Trojano excidio quinque annorum millibus, Xantus vero apud eumdem Laertium Xerxis transitu annis sexcentis vetustiorem fuisse prodiderunt (*Plin., lib.* XXX *Nat. hist., cap.* 1, *pag.* 725; *Plutarch., lib. de Isid. et Osiride, tom.* II, *pag.* 369; *Laert., proem.*, § 2). Sed hæc opinionum diversitas Eusebium, Augustinum, et Hieronymum, uti vidimus, non prohibuit, quominus Arnobio nostro suffragarentur. Suidas porro secundum Zoroastrem astronomum Nino coævum existimat (*Suid., ad verbum* Ζωροάστρης). Quid mirum autem si is magus, immo et magiæ, uti aiunt, inventor, a plurimis arte magica adversus Ninum pugnasse dicatur?

Ut ut sit, nulli dubium illud esse potest, quod ad confutandos gentiles asserit Arnobius, multis ante christianam religionem sæculis gesta fuisse Assyrios inter et Bactrianos bella ac prælia.

Nec minus constat Trojanum bellum longe etiam antea confectum, ob Helenæ, inquit auctor noster, *diis ducibus atque impulsoribus* raptum (*Arnob., lib.* I, *pag.* 5). Sed illud uberius ab Augustino expositum, contra eosdem ethnicos pari atque ab illo ratione urgetur (*August., lib.* III *de Civit., cap.* 2 *et* 3, *pag.* 60 *et* 61). Nemini porro cum hæc ignota esse queant, atque ab Homero aliisque quam plurimis scriptoribus tradantur, fusius prosequi, supervacaneum est.

Nulli quoque incompertum est Xerxis adversus Græcos bellum, quod Arnobius posthæc iisdem ethnicis merito objectat. Cum vero illud Xerxes illaturus esset, ab eodem Arnobio dicitur *mare terris immisisse*, perfosso nimirum monte Atho, *et gressibus transivisse maria* (*Arnob., lib.* I, *pag.* 5). Quæ Lucanus his versibus cecinit :

> Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem
> Construxisse vias, multum cum pontibus ausus
> Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo,
> Incessitque fretum rapidi super Hellesponti,
> Non Eurum, Zephyrumque timens, cum vela ratesque
> In medium deferret Athon.
>
> (*Lucan., lib.* II *Pharsal., ante finem*).

Brevius Hieronymus : « Xerxes ille rex potentissimus, qui subvertit montes, maria constravit. » Sed de his plura Herodotus, Diodorus Siculus, Plinius, Justinus historicus, Juvenalis, et alii (*Hieroym., epist. ad Heliodor., pag.* 275; *Herodot., lib.* VII, § 19, *et seqq.*; *Diodor., lib.* II *Biblioth., p.* 243 *et seqq.*; *Plin., lib.* IV *Hist. natur., cap.* 10, *pag.* 435; *Justin., lib.* II; *Juvenal., satir.* 10, *vers.* 173 *et seqq.*).

Cui etiam notum manifestumque illud non est, quod Arnobius subjungit : « Ex Macedoniæ finibus unus exortus adolescens, Orientis regna et A populos captivitate et servitio subjugavit? Nemo enim est, qui his verbis designatum non agnoscat Alexandrum magnum, ut Augustini verbis utamur, « munificentissimam, minimeque diuturnam, « ejus » potentiam, qua universam Asiam, immo pene totum orbem partim vi et armis, partim terrore subegerat » (*Arnob., lib.* I, *pag.* 5; *August., lib.* XVIII *de Civit. cap.* 42, *pag.* 524). De illo autem præter alios plures, Plutarchi de illius tum vita tum fortuna, Arriani, de ejus expeditione, et Quinti Curtii de ipsius historiis libri præcipue legendi sunt. Denique Romani, ait Arnobius, ante natum Christum nationes omnes vastarunt, et depopulati sunt (*Arnob., lib.* I, *pag.* 5).

B Sed ut insanam illorum ferociam adhuc reprimeret, ab ipsis post Tertullianum postulat, num quis negare possit post Christi mortem imminuta fuisse bella, ac mediis quæ postea fluxere temporibus, innumerabiles reportatas victorias, prolatos imperii fines, tantamque fuisse annonæ abundantiam, ut eam omnes admirati obstupuerint (*Tertullian. Apolog., cap.* 4, *et de Pallio, cap.* 2; *Arnob., lib.* I, *p.* 9). Nonne etiam alias innumeras, inquit (*Ibid., pag.* 6), prosperitates secundosque eventus Christi legibus institutisque debemus, quibus malum pro malo rependi prohibetur, ac præcipitur illatas injurias patienter ferri, suumque potius, quam alienum fundere sanguinem? Tam falsum ergo est C christianos publicarum calamitatum esse causam quam certissime constat eas ethnicorum, commentitios deos colentium, impietati acceptas jure meritissimo referri.

Quod quidem et inde adhuc evidenter demonstratur, quia iisdem ethnicis non solum verus Deus, sed ipsimet illorum dii despectui summoque ludibrio erant (*Ibid., pag.* 15 *et seqq.*). Mortalem quippe uti infra post Arnobium videbimus, eorum ortum adulteria, aliaque in hominibus non toleranda flagitia ac crimina impudenter prædicantes, non poterant sat gravibus pœnis, atque calamitatibus ab iis puniri. Sed de his audiendus etiam erit suo loco Tertullianus.

D

ARTICULUS IV.

Respondetur ethnicis sciscitantibus quæ malorum sive publicarum calamitatum sit causa, ac probatur id quod uni bonum, alteri esse malum, frustraque objici victos Alemannos, fame necatos Getulos, et Tingitanos, propter christianos cum eis habitantes, multoque absurdius asseri deos iisdem christianis fuisse iratos, et hoc mendacium a quibusdam mendicantibus ethnicis esse confictum.

Ea erat ethnicorum cæcitas, ut quamvis deos suos maximorum criminum reos palam asseveranterque agerent, persuasum tamen habuerint non in sui, sed in christianorum odium homines publicis cladibus calamitatibusque fuisse divexatos. Instabant itaque importuneque petebant si tot tantorumque malorum christiani causa non fuerint, quænam potuerit esse illorum causa et origo. Sed quid hæc ad nos? respondet Arnobius (*Arnob., lib.* I, *pag.* 6

et 7). Nobis enimvero sufficit illorum, qui mala omnia christianis attribuunt, falsam depulisse obtrectationem. Quid autem, si ex elementorum agitatione, siderum motibus, atque materiæ fece, nocentissimos pestiferosque vapores, ut docet Seneca, exhalante, oriantur? (*Senec.*, *lib.* VII *Natur. quæst.*, *pag.* 463.)

Præterea quæ hominibus, omnia commoditate sua metientibus, mala videntur, reapse ipsi mundo bona sunt (*Arnob.*, *ibid.*). Diluvia siquidem mundique conflagrationes a Platone non mundi pernicies, sed, sicut ab Origene, et a nobis alibi observatum, ejusdem mundi purgatio censentur (*Plato, in Timæo, tom.* III, *p.* 22, *et lib.* III *de Leg.*, *tom.* II, *pag.* 676, *et seqq.*; *Orig.*, *lib.* IV *contr. Cels.*, *pag.* 173; *Super dissertat. in Minuc. Octav.*, *cap.* I, *art.* 4). Quid vero, quod temperatus solis ardor, ut ait Arnobius, multis prodest, quem aliquis tamen voluptuarius, eo torreri solitus, nimis moderatum, aut sibi penitus ablatum conqueritur. Ibi autem od illum Arnobius alludit morem, quo olim molles ethnici ante cibum exerceri, ac postea ad solem vel ignem, vel balneum ungi consueverant. Unde Persius :

Assiduo curata cuticula sole.

Et paulo post :

At si unctus cesses et figas in cute solem.
(*Pers.*, *satir.* 4, *vers.* 18 *et* 33.)

Juvenalis vero :

Nostra bibat vernum contracta cuticula solem,
Effugiatque togam, jam nunc in balnea, salva
Fronte, licet vadas.
(*Juven.*, *satir.* 12, *in fin.*)

His itaque solis ardor tantæ voluptati erat, quantum alii cum sibi obnoxium existimabant.

Pergit Arnobius nobis non esse compertum utrum pestilentiæ, morbi, fames, et aliæ ejusmodi calamitates non ideo interveniant; ut quæ in mundo videntur redundare, ex eo tollantur (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 8). Tertullianus siquidem haud dubitanter scribit : « Revera lues, et fames, et bella, et voragines civitatum, pro remedio deputanda, tamquam tonsura inolescentis generis humani » (*Tertullian.*, *lib. de Anim.*, *cap.* 30).

Addit auctor noster immerito concludi *veratrum*, id est, ut ait Plinius, elleborum ideo nasci non debuisse quia hominibus venenosum est (*Arnob.*, *lib.* I, *p.* 8; *Plin.*, *lib.* XXV *Hist. natur.*, *cap.* 5, *pag.* 391). Homini quippe si veneficum sit, capris et coturnicibus, ut canit Lucretius, prodest :

Præterea nobis veratrum est acre venenum :
At capris adipes et coturnicibus auget.
(*Lucret.*, *lib.* IV, *circa med.*)

Rationem si quæras, hanc reddet tibi Ambrosius : « Helleborum periti loquuntur escam esse, et alimoniam coturnicum, eo quod naturali quodam temperamento sui corporis vim pabuli noctis evitent » (*Ambros.*, *lib.* III *Hex.*, *cap.* 9, § 39, *pag.* 48). Dioscorides vero, illiusque interpres Mathiolus docent elleborum album multis morbis esse

A medicamento (*Dioscorid.*, *lib.* IV, *cap.* 146, *et lib.* VI, *cap.* 33). Cur autem venenata creata sint, alibi videbimus.

Denique nullum, ait Arnobius, naturæ vitium est, si ovilibus et *laniciis* insidietur lupus, et serpens morsu hominem occidat (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 8). Vide autem utrum ibi ille ad hos non collineaverit Virgilii versus :

Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili.
(*Virgil.*, *lib.* VI *Æneid.*, *vers* 59).

Et alio in libro :

Si tibi lanicium curæ.
(*Lib.* III *Georg.*, *vers.* 384.)

Simplici siquidem lanicii nomine uterque oves, agnos, vervecesque comprehendit. Superbi porro et nimium
B arrogantis hominis Arnobius esse asseverat Deo eam ferre conditionem, ut quod unicuique placet, id continuo facere debeat.

Sed contumaces ethnici, nihil adhuc remittentes, instabant non solum ante, sed post disseminatam christianam religionem, ac propter christianos, cum aliis permistos, bella infeliciter gesta, agros sterilitate incultos, atque enectos fame homines. Verum tam leve rationis momentum ab Arnobio facile destruitur. Nam ut scite ille arguit, si Alemanni, de quibus Eusebius et alii, propter habitantes secum christianos, a Romanis victi sunt, eamdem profecto ob rationem ipsimet Romani cum christianis permisti, vinci debuerunt (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 9 *et seqq.*; *Euseb.*, *in Chron.*, *ad ann.* 1277 *et* 1316).
C Si mures et locustæ, Asiam ac Syriam aliquando infestarunt, cur non Hispaniam quoque ac Galliam, ubi similiter plures degebant christiani? Si Getuli et Tangitani, qui uti Mela, Strabo, Plinius, Sallustius, aliique perhibent, Africæ populi erant, siccitate, et ariditate, vel fame alii gravissime afflictati sunt, cur Mauri, et Nomades, et alii communem cum christianis vitam agentes, messuerunt segetes amplissimas? Eodem Ambrosius argumento gentilem Symmachum eadem objectantem refellit (*Mela*, *lib.* I; *Strab.*, *lib.* XVII *Geogr.*, *pag.* 829; *Plin.*, *lib.* II, *cap.* 2, *pag.* 627, *et lib.* XXI, *cap.* 13, *pag.* 13; *Salust. de Bello Jugurt.*, *longe post init.*; *Ambros.*, *epist.* 18, § 19 *et seqq.*, *pag.* 838).

Nihil itaque veritati magis contrarium ac repu-
D gnans fingi poterat absurda illa ethnicorum criminatione, qua has calamitates a diis ira in christianos incensis illatas nunquam non vociferabantur. Verum hæc Arnobio satis non fuerunt, ac duplici adhuc argumento insulsam hanc opinationem refellit (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 9). Nam quamvis verum esset, quod tamen, uti mox videbimus, falsum esse contendit, deos propter acceptas a christianis injurias ira inflammari, iniquissimi certe forent, si in earum ultionem non solum christianos, sed etiam ethnicos, hoc est, ut illi opinabantur, sontes et insontes ullo absque discrimine puniant. Si enim veri erant dii, poterant utique cultores suos omnibus cumulare bonis, ac solos christianos, sibi in-

fensos, omnibus calamitatibus et miseriis pro merito punire, vexare, necare. Non ergo ad eos plectendos expectare debebant multo levius et infirmius eorumdem gentilium auxilium: « Numquid » enim « in vos » gentiles, ait Arnobius (*Ibid.*, *pag.* 11), « sæviunt, ut intestinis vulneribus concitati, in ultionem consurgatis illorum. Ergo humana patrocinia dii quærunt, et nisi vestra fuerint assertione protecti, idonei non sunt ipsi, qui propulsare, defendere suas valeant contumelias. Quin immo si verum est ardere illos ira, permittite illis potestatem sui, defendant se ipsi, atque in ultionem majestatis offensæ intestinas exerant experianturque virtutes. »

Verum Heraldus hanc argumentationem levissimam et nullius momenti esse censet, omninoque aspernatur. Sed qua, putas, ratione? Quia Deus reservata, inquit, sibi perjurii pœna, vult impietatem hominum ab ipsismet hominibus puniri. At si plane infirma, nulliusque ponderis sit hæc argumentatio, redarguendus est Cyprianus, qui eodem plane et acriori modo Demetrianum aliosque gentiles insectatur: « Si quid, » ait ille, « diis tuis numinis et potestatis est, ipsi in ultionem suam surgant, ipsi se sua majestate defendant. Aut quid præstare colentibus possunt, qui se de non colentibus vindicare non possunt? Nam si eo, qui vindicatur, pluris est ille, qui vindicat, tu diis tuis major es. Si autem iis quos colis, major es, non tu illos colere, sed ab ipsis potius coli debes et timeri, ut dominus. Si illos læsos ultio vestra defendit, quomodo et clausos, ne pereant, tutela custodit. Pudeat ipsos colere quos defendis; pudeat tutelam de iis sperare, quos tu ipse tueris » (*Cyprian. ad Demetr.*, *pag.* 191).

Condemnandus est quoque Lactantius, Arnobii discipulus, qui eodem modo arguebat frustra ethnicos a diis suis expectare tutelam, qui seipsos tueri non valent. Et paulo post: Cum ethnici, inquit, « puniunt deprehensos in sacrilegio, ipsi de deorum suorum potestate diffidunt. Cur enim illis potissimum non relinquunt ulciscendi sui locum, si eos posse aliquid arbitrantur? » (*Lact.*, *lib.* 4, *pag.* 154 *et* 158.) Numquid ergo Heraldus hos aliosque doctissimos Ecclesiæ Patres, tantæ imperitiæ aut cæcitatis incusabit, ut quanti hæc argumentatio sit ponderis, non viderint? Numquid vero Heraldus ipse non vidit illos argumentari, ut aiunt, ad hominem, atque ex ipsa gentilium opinione, qua docebant deos suos ira, quæ se ulciscendi libido est, in christianos sic revera accendi, ut eorum causa maximis calamitatibus et eos, et ipsosmet gentiles simul affligerent? Nonne inde recte concludit Arnobius deos, si ita irati sint, debuisse hoc maximæ iracundiæ impetu pœnas de solis christianis, eos aspernantibus, divina sua potentia sumere, neque sese ulciscendi vices infirmis committere hominibus?

Nec est quod quis objiciat hoc argumentum potuisse retorqueri in christianos, quos Deus non solum publicis calamitatibus, sed ab ethnicis etiam excruciari, et interfici patiebatur. Non enim eadem erat christianorum atque gentilium de ira Dei opinio. Deinde vero ethnicis longe dispares erant christiani, qui fatebantur nihil sibi ad hanc vitam promissum: « Nihil enim, » inquit Arnobius (*lib.* II, *pag.* 98), « est nobis promissum ad hanc vitam, » sed ad futuram, quam beatam expectamus. Atque inde concludit: « Itaque ista, quam dicitis, persecutionis asperitas, liberatio nostra est, non persecutio: nec pœnam vexatio inferet, sed ad lucem libertatis educet. » Eadem quoque est Tertulliani responsio, ut suo loco ostendemus (*Dissert. in Tertullian.*, *cap.* 16, *art.* 3). Nihil ergo adversus christianos objecta ab ethnicis ira deorum facere poterat.

Denique auctor noster palam aperteque asseverat dictu omnino esse absurdum deos, uti iidem ethnici garriebant, revera irasci (*Arnob.*, *lib.* I, *p.* 11). Indecoros enimvero tribuebant, diis suis iracundiæ motus, iniquos ac belluinis plane similes. Atqui si dii fuissent beati et immortales, non poterant utique his prorsus culpandis iræ motibus inflammari. Qui enim hujusmodi affectibus agitantur, leves sunt, ac modo quieti, modo irati, sæpius vero injusti quando alios insontes lædunt, tuncque aliis sontibus etiam irascuntur. Totum porro hujus argumentationis robur et pondus non in eo positum est quod ipse de Dei veri, de quo infra (*cap. seq.*, *art.* 3), sed quod ethnici de deorum suorum ira prædicabantur.

Quapropter vix a se impetrare posse significat, ut credat hanc fuisse prudentiorum ethnicorum hominum opinionem (*ibid. p.* 13). Putidum itaque potius existimat esse mendacium ab haruspicibus, fatidicis, ariolis, vatibus et fanaticis ideo conflctum, ne templis suis sacrisque desertis, stipes amitterent, quas a consultoribus suis vel aliis cogere solebant (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 13). Minui enim cœperant, et a paucissimis gentilibus erogabantur, postquam in immensum crevit christianorum numerus. De hoc autem maximo suo damno conquerebantur in primis lenones, sicuti ait Tertullianus (*Tertull.*, *Apolog. cap.* 43), aquarioli, perductores, sicarii, venenarii, magi, haruspices, arioli, mathematici, de quibus suo loco disputabimus. Nemo autem diffitebitur ethnicos majorem his posterioribus habuisse fidem, qui prædicare futura, aut responsa deorum se dare jactitabant. Quamobrem illis facile credebant mentientibus mundum ideo maximis opprimi calamitatibus, quia christiani novis, sicuti venditabant, suæ religionis superstitionibus iram concitaverunt deorum.

Porro autem satis, uti putamus, ex hactenus dictis cuilibet manifestum esse debet impudens illud ethnicorum mendacium, et alia ab iis adversus christianam religionem objecta, ab Arnobio funditus everti, et invictissimis rationum momentis demonstrari solam hanc christianorum religionem esse veram. Quæ

autem illius documenta, et quomodo ab eo tradita, ac propugnata fuerint, jam videamus.

CAPUT VII.

Examinantur asserta ab Arnobio christianæ religionis documenta ac primum de Deo.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus rationum momentis Arnobius Deum exsistere demonstret, quidve statuerit de illius natura, et quam perspicue eam plane incorpoream esse demonstret, ac immerito quædam ejus responsio a quibusdam reprehendatur.

Primum proculdubio ac præcipuum, quo fundatur tota christianorum, et gentilium religio destruitur, documentum est, unum dumtaxat omnipotentem Deum exsistere. Arnobius autem id evidentissime demonstrat ex ipsius effectibus (*Arnob., lib.* I, *p.* 16, *et lib.* II, *pag.* 43), innata cunctis hominibus ejus idea, et agnitione, ac intima omnium conscientia. Singulorum enim animis adeo insita, vel potius innata est ea notio, ut facile agnoscant se a Deo vero accepisse non solum quod sint homines, quod vivant, spirent, moveantur, sed quod totus etiam mundus, sol, luna, elementa, terra, cæteraque omnia ab illo creata sint, ejusque providentia regantur et administrentur. In hujus vero argumenti confirmationem scite subjungit, hoc nulli ex commentitiis gentilium diis posse attribui. Nam cuncti hos omnes deos, sicuti et mundum certo quodam tempore ortos esse profitebantur.

Tantum autem in hac argumentatione roboris, evidentiæ, et perspicuitatis esse censet; ut quamvis a cunctis hominibus ignoretur quis, qualis, quantusque sit Deus; in dubium tamen, an ille sit, a nemine sanæ mentis homine vocari possit. Jam vero, in superiori nostra de Minucii Felicis Octavio dissertatione (*cap.* 3, *art.* 5), ostendimus non modo illum, sed Cyprianum etiam, Tertullianum, Lactantium, immo ethnicum quoque Ciceronem eadem ratione tam certo, quam evidenter demonstrasse unum dumtaxat esse Deum, cujus infinita potestate omnia creata sunt, ac providentia mirabili gubernantur. At de Lactantio et Tertulliano aliquid adhuc infra dicendum. Præpterea Arnobius alicubi haud dubitanter pronuntiat, quod si fieri posset, ut animantia ipsæque sensus expertes creaturæ quemdam ederent vocis sonitum, tum illico magistra ac duce natura unum Deum, solumque rerum omnium creatorem exsistere clamarent (*Arnob., lib.* I, *pag.* 18). Quin etiam si Clementi Alexandrino credamus, Xenocrates et Democritus, quemadmodum alibi a nobis observatum est, docuerunt esse aliquam in mutis animantibus Dei notitiam ac cognitionem (*Tom.* II *Apparat., lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 6, *art.* 1, *pag.* 848).

Cunctis autem hominibus illa, ait Arnobius, ita innata est, ut omnes naturaliter Deum invocent, eumque testem constituant : « Quem omnes, inquit, naturaliter scimus, sive cum exclamamus : O Deus! sive cum illum testem Deum constituimus improborum, et quasi nos cernat, faciem sublevamus ad cœlum » (*Arnob., lib.* II, *pag.* 43). Quam porro id verum sit, te docebit jam citatus a nobis Cicero, qui alicubi scripsit : « Omnes esse vim et naturam divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum, aut consensus efficit, non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est » (*Cicer., lib.* I *Tuscul., pag.* 119, *lin. penult. et seqq., et lib.*, II *de Legib., pag.* 325, *lin.* 22). Neque id ab eo imprudenter dictum arbitreris, quod ab ipso alibi repetitum invenies. Quamobrem Arnobius alicubi haud dubitanter asseverat eum esse amentem, ac stulte desperatum, qui Deum exsistere ambigat : satis vero esse homini, et si alia ignoret illum agnoscere, et hanc summam esse scientiam : « Rebus, » inquit, « ex omnibus, quæ augustæ continet divinitatis obscuritas, solum Deum esse indubitalem, solum verum, et de quo nullus ambigere nisi amens possit et desperationis insanæ, quem satis sit scire, ut nihil aliud noveris, sisque veram et maximam scientiam consecutus, in Deo rerum capite et cognitione defixus » Sed hæc superius a nobis probata, nunc fusius prosequi necesse non videtur (*Arnob., lib.* II, *pag.* 86, *tom.* I *Apparat., pag.* 688, *et dissertat., in Minuc., cap.* 3, *art.* 5).

At vides certe quam perspicue Deus ibi ab Arnobio dicatur rerum omnium caput, solus verus Deus (*Arnob., lib.* I, *pag.* 13). Alibi vero non minus diserte ab illo appellatur ingenitus, immortalis, æternus, incorporeus, qualitatis et quantitatis expers, incircumscriptus, immensus, sine situ, motu, et habitu, omnium rerum locus et spatium, prima causa, fons rerum, sator sæculorum ac temporum, pater, dominus, creator omnium, et omnipotens, qui ab hominibus nec videri potest nec explicari (*Ibid., pag.* 17, 19; *lib.* II, *pag.* 43, 67, 74, 75, 95; *lib.* III, *pag.* 101). Quis autem, nobis tacentibus, inde non agnoscit quam recte ille divinam explicaverit naturam, quantaque diligentia, et quanto studio omnia fere, et singula Dei attributa recenseat?

De iis porro quia alibi haud semel disputavimus, sufficiat animum ad illud rationis momentum advertere, quo Auctor noster catholicam de incorporea sive spirituali Dei natura sententiam tuetur ac propugnat : « Nostra, » inquit (*Arnob., lib.* III, *pag.* 107), « de hoc sententia talis est. Naturam omnem divinam, quæ neque esse cœperit aliquando, nec vitalem ad terminum sit aliquando ventura, lineamentis carere corporeis, neque ullas formarum effigies possidere, quibus extima circumscriptio membrorum solet coagmenta finire. Quidquid enim tale est, mortale esse arbitramur, et labile; nec obtinere perpetuam credimus ævitatem, quod extremis coercitum finibus necessaria circumcludit extremitas. » Nihil profecto ea ratiocinatione ad stabiliendam incorpoream Dei naturam firmius et luculentius. Recte enim ille pro certo et fixo ponit, quidquid corporeum est, vel corporis lineamentis ac forma componitur, illud esse

extensum, suisque proinde finibus et extremis partibus clausum ac circumscriptum. At quidquid ita circumcluditur, eo ipso mortale sit, oportet. Deus autem non solum immortalis est, sed etiam æternus, atque idcirco incorporeus, et naturæ spiritualis.

Quam persuasum autem Arnobio illud fuerit, inde adhuc conficitur, quod ethnicis deos suos corporeos aliquo Judæorum Sadducæorumque testimonio confirmare conantibus, hunc responderit in modum : « Neque quisquam Judaicas in hoc loco nobis opponat, et Sadducæi generis fabulas, tanquam formas tribuant atque os Deo. Hoc enim putatur in eorum libris dici, et ut vel re certa atque auctoritate firmari, quæ aut nihil ad nos attinent, nec aliqua portione quidquam habent commune nobiscum : aut si sunt, ut creditur, sociæ, quærendi sunt vobis *ethnicis*, altioris intelligentiæ doctores, per quos possitis addiscere, quibus modis conveniet litterarum illarum nubes atque involucra relaxare » (*Ibid. pag.* 106). Sed plura ibi a recentioribus quibusdam criticis censoriæ severitatis nota inuruntur. Primo siquidem Arnobius ab illis arguitur quasi nimis confuse, atque etiam periculose loquatur. Nam si de veteris Testamenti libris verba facit, hoc proculdubio, inquiunt, est impium et horrendum : si de Rabbinorum scriptis, id prorsus inutile est. Omnes enimvero fatentur ea scatere fabulis. Secundo summam ille imperitiam, uti aiunt, prodere videtur, cum asserit Deum a Judæis corporeum credi et prædicari. Celso quippe respondet Origenes Judæos a Numenio Pythagoreo in eorum grege annumerari, qui Deum omnino incorporeum esse existimabant (*Orig., lib.* I *contr. Cels., pag.* 13).

Sed his auctoris nostri reprehensoribus paulo attentius animadvertendum erat ibi eum, sicut diximus, respondere ethnicis, qui corpoream deorum suorum naturam auctoritate Judæorum et Sadducæorum contra christianos stabilire nitebantur. Docet autem duplicis generis esse illorum scripta et litteras. Quædam enim, quales proculdubio erant Sadducæorum, qui, ut in Actibus apostolorum legimus : *Dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum* (*Act.*, XXIII, 8), atque idcirco omnia, ne Deo quidem excepto, esse coporea. Sed horum scripta nihil habebant cum christianorum placitis commune, ac proinde christianis objici non poterant. Alia vero erant Judæorum scripta, quæ nostris socia credebantur, ac tales profecto sunt Veteris Testamenti libri. At quia in istis membra Deo tribuuntur, inde ethnici, ut confirmarent deos suos esse corporeos, argumentum ducebant. Sed respondet Arnobius quærendos esse ab illis, *altioris intelligentiæ doctores*, omnibus statim obvios, nec ipsis ethnicis ignotos, qui illa Veteris Testamenti verba, *quibus modis convenit*, hoc est, allegorico, metaphorico, ac mystico, non litterali sensu intelligenda esse plane demonstrabant. Quid autem in his Arnobii responsis et dictis reprehensione dignum, aut sacræ Veteris Testamenti auctoritati et dignitati contrarium, quodque ab aliis orthodoxis Ecclesiæ patribus assertum non fuerit? At nemo sane

A est, qui non facillime perspiciat iisdem Arnobii responsis, aliisque quæ retulimus argumentis spiritualem et incorpoream Dei naturam plane asseri ac vindicari.

ARTICULUS II.

Quam recte Arnobius asserat formam Dei non posse explicari, ac quomodo doceat, quæ sit ejus immensitas, et scientia infinita, nihilque hominibus simile habeat.

Mirum fortasse alicui videbitur cur Arnobius ethnicis, ab ipso quæ Dei forma sit petentibus, ingenue respondeat : « Si veram vultis audire sententiam : aut nullam habet Deus formam, aut si informatus est aliqua, ea quæ sit, profecto nescimus » (*Arnob., lib.* III. *pag.* 110). Quid ergo, inquiet nescio quis? numquid ille nesciebat Dei naturam non esse corpoream,

B sed mere spiritualem? Optime quidem, sicut ex proxime dictis patet, illud noverat; sed libere et sincere fatetur tantam esse divinæ naturæ, omniumque ejus proprietatum et attributorum perfectionem, ut illa nec infirmo hominis ingenio comprehendi, nec ullis ipsius verbis explicari possit. Cujus quidem hanc dicit veram certamque esse rationem; quia cum ea sit humanæ mentis infirmitas, ut quidquid percipit, suo tantum imperfecto et finito modo concipiat, idcirco non potest perfectam concipere, aut exprimere infinitæ Dei naturæ ideam. Audi, quæso, præclara illius verba : « Quidquid de Deo dixeris, quidquid tacitæ mentis cogitatione conceperis, in humanum transilit et corrumpitur sensum; nec habet propriæ significationis notam, quod nostris dicitur verbis, atque ad

C negotia humana compositis. Unus est hominis intellectus de Dei natura certissimus, si scias, et sentias nihil de illo posse mortali oratione depromi » (*Ibid. pag.* 111). Quapropter haud dubitanter ibidem asseverat tantum abesse, ut Deo ulla cujuslibet corporis lineamenta tribuamus, quin potius illi humanas animi nostri virtutes, scientiam, intelligentiam, sapientiam, sobrietatem, probitatem, constantiam, et alias ascribere vereamur. Nam hæ virtutes, et hæc hominum bona ex oppositis tantum eorum vitiis, quod de Deo dici nequit, ab eis pro imbecillæ mentis captu æstimantur.

Nihil est autem in hac Arnobii nostri doctrina, nisi plane sanum et orthodoxum. Nam a Theophilo Anthiocheno, quemadmodum ab illo, scriptum le-

D gimus (*Theophil., lib.* I *ad Autolyc., pag.* 71) : Τὸ μὲν εἶδος τοῦ Θεοῦ ἄῤῥητον, καὶ ἀνέκφραστον, καὶ μὴ δυνάμενον ὀφθαλμοῖς σαρκίνοις ὁραθῆναι : *Dei quidem forma nobis occulta explicari nequit, nec corporeis oculis videtur*. Plurimi vero antiqui Ecclesiæ patres aperte negant οὐσίαν, sive ut aiunt, essentiam et substantiam Deo convenire, sed illum super omnes *essentias*, et intelligentias ita eminere, ut quidquid humana mente intelligitur, ab eo iis omnibus longe præstantiore tolli debeat. Nos vero id a Clemente Alexandrino et libri *de Divinis nominibus*, qui Dionysio Areopagitæ ascribitur, auctore luculenter explicatum vidimus. Plura quidem aliorum Ecclesiæ Patrum testimonia huc accumulare promptum foret :

sed quia illud a Petavio, Thomassino, et aliis anticipatum est, ab iis proferendis duximus esse supersedendum (*tom.* I *Apparat., lib.* I, *dissert.* 10, *cap.* 1, § 3, *et lib.* III, *dissertat.* 2, *cap.* 6, *art.* 1, *pag.* 948; *Petav., lib.* I *Theolog. dogm., cap.* 6, § 10 *et seqq., pag.* 45 *et seqq.*).

Observare tamen nobis adhuc liceat, quod ab Arnobio asseritur, Deum, tametsi nullo fine aut loco circumscriptus et immensus sit, omnium tamen rerum et locum esse et spatium, his pulchre confirmari Tertulliani verbis: « Est Deus omnipotens, qui totum orbem manu apprehendit velut nidum, cui cœlum thronus, et terra scabellum, in quo omnis locus, non ipse in loco, qui universitatis extrema linea est » (*Tertullian., adv. Prax., cap.* 16, *pag.* 648). Prius vero nec minus enucleata Theophilus Antiochenus, hæc ad Autolycum scripserat in verba (*Theoph., lib.* II *ad Autol., pag.* 81): Θεοῦ δὲ τοῦ ὑψίστου καὶ παντοκράτορος, καὶ τοῦ ὄντος Θεοῦ, τοῦτ' ἔστι μὴ μόνον τὸ πανταχόσε εἶναι, ἀλλὰ καὶ πάντα ἐφορᾷν, καὶ πάντων ἀκούειν, ὅτι μὴν μηδὲ τὸ ἐν τόπῳ χωρεῖσθαι· εἰ δὲ μή γε, μείζων ὁ χωρῶν τόπος αὐτοῦ εὑρεθήσεται, μεῖζον γαρ ἐστι τὸ χωροῦν τοῦ χωρουμένου. Θεὸς γὰρ οὐ χωρεῖται, ἀλλ' αὐτός ἐστι τόπος τῶν ὅλων. *Dei altissimi et omnipotentis, et exsistentis hoc quasi proprium est, ut non solum ubique sit, verum omnia præsens inspiciat et audiat. Præterea nec loco capitur, alioqui locus qui ipsum capit, eo major inveniretur. Nam id quod capit eo, quod capitur, majus est. Deus enim loco nequaquam circumscribitur, verum ipse est omnium locus.* Quamobrem Autolyco objicienti Deum, uti sacra Scriptura testificatur, in paradiso ambulasse, respondet id dici de Verbo divino, a quo et persona Patris assumpta est, et omnia creata sunt. At Θεὸς, inquit, καὶ πατὴρ τῶν ὅλων ἀχώρητός ἐστι, καὶ ἐν τόπῳ οὐχ εὑρίσκεται, οὐ γάρ ἐστι τόπος τῆς καταπαύσεως αὐτοῦ. *Deus universorum pater loco nec includitur, neque in loco invenitur, non enim est locus, in quo ipse quiescat.*

Quid clarius et aptius desiderari potest ad stabiliendam veram atque orthodoxam Arnobii nostri doctrinam, qui alibi adhuc constanter asseverat, veri Dei proprium esse; ut omnia vi sua compleat, *non partiliter uspiam*, inquit, id est, nunquam divisus, vel ut alibi dixit (*Arnob., lib.* VI, *pag.* 192 *et pag.* 204), *partiliter, atque in membra divisus*, sed ubique totus, ita ut nec *adsit*, nec *absit*: verum ubicumque præsens, omnes ex quacumque mundi parte loquentes audiat, atque eorum tacitas mentis cogitationes anticipata cognitione prospiciat.

Præterea docet rectam, dignam Deo, et quæ religionem constituit hanc esse sententiam, qua credimus illum nihil habere homini simile, nihil exspectare extrinsecus adveniens, nullo iræ, voluptatis, honoris, ambitionis, mercedis affectu, vel animi perturbatione moveri: et quod illi proprium est, *sua se vi nosse*, hoc est, seipsum quantus qualisque est, perfecte, suaque vi cognoscere (*lib.* VII, *pag.* 222 *et* 242). Et recte quidem; nam Deus, qui omnium causa (A) est, se cognoscendo omnia ac singula, præterita, præsentia ac futura cognoscit. At infinitam esse hanc cognitionem, nullique alii competere, quis negaverit? Quin immo ei sic propria est, ut doctissimi quidam Ecclesiæ patres divinum illius Verbum ex hac ipsa, procedere existiment. Qua quidem de opinione alius opportunior disserendi locus dabitur.

ARTICULUS III.

Utrum sana sit Arnobii de ira Dei sententia.

Tota Arnobii de ira Dei disputatio parum orthodoxa nonnullis videtur. Contra gentiles enim, qui deos suos, sicuti vidimus (*cap. super., art.* 4), implacabili in christianos iracundia inflammari nunquam non clamitabant, sic argumentatur: « Cur ut (B) irasci populis christianis augustissimos illos adseveratis deos; ita non advertitis, non videtis affectus quam turpes, quam indecoras numinibus attribuatis insanias? Quid est enim aliud irasci, quam insanire, quam furere, quam in ultionis libidinem ferri, et in alterius doloris crucem, » id est, cruciatum, « efferati pectoris alienatione bacchari?..... Ubi enim est ullus, sicut sapientibus videtur, affectus, ibi necesse est esse passionem. Ubi passio sita est, perturbationem consentaneum est consequi. Ubi perturbatio est, ibi dolor et ægritudo est. Ubi dolor et ægritudo est, imminutioni et corruptioni jam locus est. Quæ duo si vexant, adest vicinus interitus, mors omnia finiens » (*Arnob., lib.* I, *pag.* 10). Atqui hæc ipsa est, inquit Heraldus, Stoicorum opinio, cujus falsitatem (C) sic Lactantius patefecit, ut hanc Arnobii præceptoris sui sententiam perstrinxisse videatur. Quamvis enim ille alicubi asserat iram non decere hominem gravem ac sapientem, alibi tamen ostendit Deum revera irasci.

Sed illa Heraldi criminatio frivola plane est, et puerili amphibologia laborat. Ira siquidem duobus modis accipitur, ac primum a Cicerone definitur: « Libido puniendi ejus, qui videatur læsisse injuria » (*Cicer., lib.* IV *Tuscul., pag.* 166, *lin.* 8). Quid sit autem libido si ab ipso quæras: « Est, » inquit, « immoderata appetitio opinati magni boni, rationi non obtemperans » (*Idem, lib.* III, *pag.* 151, *lin.* 40). Quamobrem a Seneca dicitur affectus maxime ex omnibus teter ac rabidus, qui totus concitatus in im- (D) petu doloris est, et quem « nonnulli sapientes dixerunt brevem insaniam » (*Senec., lib.* I *de Ira, cap.* 1, *lib.* II, *cap.* 35, *et lib.* III, *cap.* 3 *et* 4). Nec semel quidem pessimos horrendosque ejus effectus describit. Augustinus vero aliquid superiori Ciceronis definitioni insuper adjecit: « Ipsam iram, » ait, « nihil aliud esse, quam ulciscendi libidinem veteres definierunt, quamvis nonnunquam homo, ubi vindictæ nullus est sensus, etiam rebus inanimis irascatur » (*August., lib.* XIV *de Civit., cap.* 15, *pag.* 567).

Nulla autem dubitandi ratio est, quin hæc ira mala sit et improbanda. Nam ut recte docet Ambrosius: « Potentibus ira sua gravis est, improbis nequitia, justis conditionis infirmitas » (*Ambros., lib.* II

de interpell. Job., *cap.* 6, § 16, *pag.* 632). Quamobrem a theologis scholasticis vocatur *passio*, quæ aliquid saltem imperfecti secum semper importat. Arnobius autem de hac ipsa proculdubio disputat ira, quam Ethnici diis suis tribuere non verebantur. Visne illud tibi aliis ejus verbis probari? Cito hæc proferemus : « Et si definitionem teneamus illam, quam pertinaciter meminisse convenit nos semper, universos animorum affectus ignotos diis esse, consectaneum est credere numquam deos irasci : quin immo nullum affectum magis esse ab his longe, quam qui feris et belluis proximus, turbat tempestatibus patientes, et ad periculum interitionis inducit. Quidquid enim vexatur alicujus rei ex motu, passibile constat esse et fragile : quod passioni fragilitatique subjectum, id necesse est esse mortale : ira autem vexat, et patientes se solvit. Ergo esse mortale dicendum est, quod passionibus subjectum est iræ. » (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 214.) Quid autem falsi aut vitiosi in hac argumentatione, quæ ex iis eruitur, quæ Ethnici de deorum suorum in christianos ira, illiusque iniquissimis motibus numquam non venditabant?

Aliud vero est genus iræ, quam antiqui Ecclesiæ Patres, ac postea scholastici theologi nihil aliud esse docent, nisi offensæ et acceptæ injuriæ æquam, ac sine animi perturbatione ultionem, vel justum debitæ pœnæ infligendæ judicium. Libenter autem fatentur Deum eo modo irasci. Nam « ira Dei, » ait Augustinus (*lib.* XV, *de Civit.*, *cap.* 25, *pag.* 409), « non perturbatio animi ejus est, sed judicium, quo irrogatur pœna peccato. » Antea vero Origenes Celso objicienti humanos iræ aliosque affectus in sacris nostris Scripturis Deo attribui, respondet illarum auctores more loqui hominum, et utilitatis ipsorum causa, sed verum scribentium sensum ab homine spiritali facile dignosci. Tum continenter adjecit (*Origen.*, *lib.* IV, *cont. Cels.*, *pag.* 211) : Ὀργὴν οὖν ὀνομάζομεν Θεοῦ, οὐ πάθος δ' αὐτοῦ αὐτὴν εἶναι φάμεν, ἀλλά τι παραλαμβανόμενον εἰς τὴν διὰ σκυθρωποτέρον ἀγωγῶν παίδευσιν, τοῖς τὰ τοσάδε καὶ τοιάδε ἡμαρτηκόσι. *Ergo cum iram Dei nominamus, non affectum ejus dicimus, sed quiddam severiore disciplina castigans homines, tot tantisque peccatis obnoxios.* Plures uti Ambrosium aliosque similiter loquentes inducere possemus (*Ambros.*, *lib. de Noe*, *cap.* 4, § 9, *pag.* 231). Sed quia id longius foret, sola subjiciemus hæc Hilarii verba : « Ultio constituta ira esse Dei creditur; non quia indemutabilis illa Dei, et quieta natura motu impetus turbidi incalescat; sed quod ille, qui per constitutionem pœnæ maneat in pœna, sentiat sibi auctorem hujus constitutionis iratum. Pœna enim patientis ira esse creditur decernentis. Atque ita irascitur Deus, cum per pœnæ dolorem iram decreti in se sentiant esse puniti, quæ non per demutationem naturæ in iram ex placabilitate commota est, sed ex constitutione pœnæ ira sit puniendis. » (*Hilar.*, *Tract. in Psalm.* II, § 17, *pag.* 35.) Neque id semel dixit : sed *in ira* Dei, inquit adhuc (*Ibid.*, *in psalm.* LXVIII, § 19,

A *pag.* 225), « pœnæ constitutionem, non motum animi ad ultionem exardescentis significari sæpe tractavimus. » Verum Arnobius loquitur de ira non hoc quidem, sed priore tantum significatu accepta, qua Ethnici deos suos inflammari garriebant. Atque hoc ipso sensu, alibi asserit Deum, « quod sæpius, » inquit, « dictum est, non ardescere irarum flammis. » (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 222.) Recte autem hanc in Deum iram cadere non posse asseverat, eosque revera non esse deos, qui ea excandescere dicebantur.

Ubi enim, sicuti paulo antea annotavimus, dixit irasci, nihil esse aliud quam insanire, furere, in ultionem libidinis ferri et bacchari, continenter adjecit : « Hoc ergo dii magni norunt, perpetiuntur, et sentiunt quod feræ, quod belluæ, quod mortiferæ
B continent venenato in dente nutrices, » (id est, serpentes venenum in aqua fundentes, de quibus Cicero, Lucanus) et alii « quod levitatis in homine, quod terreno in animante culpabile est, præstans illa natura, et in perpetuæ virtutis firmitate consistens, scire » (al. sentire), « asseveratur a vobis » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* X; *Cicer.*, *lib.* IV *Academ. quæst.*, *pag.* 35; *Lucan.*, *lib.* IX, *vers.* 772), nimirum gentilibus qui diis vestris tribuitis, quidquid ira in hominibus et belluis mali habere dignoscitur. Quid autem in tota hac argumentatione carpi potest, quod non sit sanum et orthodoxum? Contra Ethnicos Arnobius docet, totisque ingenii viribus demonstrare contendit in verum Deum cadere non posse vitiosam iram, pravosque illius motus et effectus. At numquam negavit
C in Deo eam esse iram, quæ sit rectum pœnæ infligendæ judicium, et justa offensæ alicujus ultio. Quid autem citatus ab Heraldo Lactantius de ira Dei docuerit, suo loco indagabimus.

ARTICULUS IV.

Utrum Arnobius crediderit Deum esse omnium cum pœnæ tum culpæ malorum auctorem.

Quosdam audire nobis videmur, qui Arnobium gravissimi in sua de Dei omnipotentia disputatione erroris audacter insimulant. Nonne enim, inquiunt, aliquem inducit sibi objicientem; si Dei voluntate omnia fiant, nihilque sine illa fieri queat, inde sequi illum malorum omnium, quibus homines quotidie crucientur, esse auctorem? Quod quidem postquam
D attentissimo ille animo expendit, persuasum sibi esse declarat ea mala neque ex elementis, neque ex eorum inæqualitate oriri (*Idem*, *lib.* II, *pag.* 80 *et seqq.*). Non enim fieri posse putat, ut quæ sensum judiciumque non habent, noxia sint et malitiosa. Quid ergo ad hæc sibi objecta ille postea respondet? Nihil sane aliud, nisi parum interesse sciamusne, an ignoremus quæ mali causa sit. Unum quippe scire nobis sufficere arbitratur nihil a Deo noxium, exitiabile et mortiferum proficisci, nihilque ab eo fieri, nisi omnibus salutare, dulce, optabile, gratum et jucundissimum.

Nonne autem tota, aiunt, hac in oratione caligat et cæcutit Arnobius, malum culpæ a malo pœnæ non

distinguendo? Quis namque in sacris nostris Scripturis non plane hospes, ac peregrinus, nesciat mali culpæ, Deo permittente, diabolum, mali vero pœnæ peccantibus inflictæ, ipsummet Deum, recto sane judicio esse auctorem? Nonne etiam illud discere potuit ex Tertulliano, qui quidem ubi adversus Marcionis de malo deo malorum auctore errorem disputat, ibi scite utrumque illud malum distinguit: « Nos, » inquit, « adhibita distinctione utriusque formæ, separatis malis delicti, et malis supplicii, malis culpæ, et malis pœnæ, suum cuique parti definimus auctorem: malorum quidem peccati et culpæ diabolum: malorum vero supplicii et pœnæ Deum creatorem; ut illa pars malitiæ deputetur, ista justitiæ, mala condentis judicia adversus mala delicti. De his ergo creator profitetur malis, quæ congruunt judici. Quæ quidem mala illis mala sunt, quibus rependuntur: cæterum suo nomine bona, qua justa, et bonorum defensoria, et delictorum inimica, atque in hoc ordine Deo digna. » (*Tertullian.*, *lib.* II, *adv. Marcion.*, *cap.* 14, *pag.* 464.) Cui quidem hæc uberius prosequenti et asserenti suffragantur Origenes, Augustinus et alii magno numero et consensu Patres Ecclesiæ, quos in re, nulli incognita, hic appellare nihil necesse est (*Orig.*, *lib.* VI, *contr. Cels.*, *pag.* 324; *August.*, *lib. contr. Adimant.*, *cap.* 26, etc.). Numquid ergo Arnobius hæc ignoravit, aut si comperta habuit, cur brevi explicatione, vel duplicis mali distinctione, non solvit hujusce difficultatis nodum? Numquid persuasum illi erat, quod a proxime citato Origene dictum legitur: Si quis alius locus est in rebus humanis scrutatu difficilis naturæ nostræ, inter hos merito numerari potest malorum origo. » (*Orig.*, *lib.* IV, *contr. Cels.*, *pag.* 207.) Sic autem ille græce loquitur: Εἴπερ οὖν ἄλλος τις τόπος τῶν ἐν ἀνθρώποις ἐξετάσεως δεόμενος, δυσθήρατός ἐστι τῇ φίσου ἡμῶν, ἐν τούτοις καὶ ἡ τῶν κακῶν ταχθεὶν ἀνγένεσις. Non prorsus inepta tibi fortasse videbitur hæc ratio, si parumper animadvertas hanc de mali origine quæstionem unam ex iis Arnobio videri, de qua inter se digladiantur homines, nihilque certi a se statui posse confitentur. Quapropter ne longius disputationis filum ducere, et extra propositam a se ibi de anima quæstionem diutius vagari cogeretur, satis sibi esse putavit palam Ethnicis omnibus declarare hoc unum a christianis certo sciri, Deum mali nec causam esse, nec auctorem. Diffiteri tamen non possumus hanc de mali auctore disquisitionem ibi ab ipso potuisse clarius explicari; quandoquidem ille in hoc eodem loco, in alia scitu minus digna, nec ad institutum de anima sermonem magis conducentia, longe excurrit.

Neque tamen in animum inducas illud omnino intactum ab eo relinqui. Postea enim aperte asserit Deum, tametsi omnipotens sit, nemini unquam vim ad credendum aut agendum inferre (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 88, *et seqq.*). Si quem enim invitum aliquid agere cogeret, non gratia proculdubio foret, sed vis et injustitia, qua voluntati liberæ, ad id quod non vult, ac refugit, agendum necessitas imponeretur.

A Deus itaque sicut et Christus neminem cogit, sed omnes æqualiter vocat, et cunctis ad se veniendi facit potestatem. Si quis ergo non veniat, illius sane non Dei culpa est. Atqui ex hac ratiocinatione evidenter colligitur Arnobium credidisse mala culpæ, delicti, et malitiæ, non ex Deo, sed ex libera pravaque hominis voluntate proficisci: mala autem pœnæ, uti dictum est, ab eo quidem infligi, sed cogente peccantium malitiâ, quam impunitam dimittere non potest.

Contra tamen objiciet aliquis Arnobium constanter negasse ullam calamitatis causam posse umquam hominibus ab ipso Deo inferri. Diserte siquidem ille pronuntiat: « Quidquid potis est causam calamitatis inferre, quid sit primum videndum est, et ab Dei nomine longissima debet differitate seponi. » (*Idem*,
B *lib.* VII, *pag.* 228.) Nonne autem his ille verbis in ipsissimum offendit Marcionis errorem, quo garriebat Deum quidem bonorum esse auctorem, mala vero omnia, quæcumque sint, ex alio quodam malo principio manasse?

Verum qui ita argumentatur, is profecto animum non satis advertit Arnobium ibi opinionem refellere gentilium, qui stulte contendebant alios deos natura sua bonos esse et prosperos, alios vero malos et adversos, atque hos malorum omnium et calamitatum quæ vera mala Ethnicis videbantur, esse auctores; ita tamen ut hostiis, sacrificiis, aliisque superstitiosis ritibus placati, de malis fierent boni, aut certe homini non nocerent. Arnobius vero tametsi fateatur
C christianos iisdem atque Ethnicos opprimi calamitatibus, ac Deo permittente, atrocissimis suppliciis ob illius confessionem ab Ethnicis vexari et trucidari; hæc tamen, uti superius vidimus, non mala profecto, sed bona esse asserit, quibus ad libertatis æternæ lucem educantur. (*Idem*, *libr.* II, *pag.* 98, *cap. super.*, *art.* 4.)

Recte quidem, inquies, si Arnobius Ethnicorum errorem refellendo, intra veritatis terminos sese continuisset. Sed ille generalem hanc nulloque limite circumscriptam profert assertionem: « Quidquid mite est, placidumque natura, ab nocendi procul est usu, et cogitatione discretum. » (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 228, *et seqq.*) Quin vero ibidem adjecit non magis fieri posse; ut qui natura sua bonus est, alteri noceat, et
D aliquid afferat mali, quam ut ignis in frigus mutetur. Ergo ille revera censuit Deum, natura sua bonum, nulli posse ullum pœnæ, calamitatis, aut supplicii malum creare, nec hujus esse causam et auctorem. Quod sane in Marcionis errorem recidit.

At certe quantumlibet generalis videatur illa Arnobii propositio, ad Ethnicos tantum, et eorum spectat falsas opiniones, qui pro certo ponebant deos ita natura sua aut bonos, aut malos esse; ut pro libito ac ulla sine causa pios homines et impios, probos et improbos calamitatibus et miseriis indifferenter obruerent. Ad hæc vero, de pœnis etiam et ærumnis ille loquitur, quæ bonis piisque hominibus accidunt, quæque non mali, sed semper boni aliquid, uti mox

dicebamus, secum apportant. Quæ enim impiis et sceleratis infliguntur, hæc divinæ justitiæ eos punientis bonos esse effectus inficias nemo iverit. Quid autem in tota illa auctoris nostri argumentatione occurrit, quod non sit plane sanum, orthodoxum et a Marcionis erroribus prorsus alienum? Si quis tamen pertinacius contendat, ac probaverit, illum disputationis æstu raptum, aut non satis accurate verum Deum a falsis gentilium diis distinxisse, aut in aliquem errorem revera impegisse, eum illico condemnabimus. Sed vix ac ne vix quidem nobis ullus persuadebit illum, qui tam recte, ut ostendimus, de suprema unius Dei natura disserit, in errorem, huic orthodoxæ sententiæ omnino oppositum, incidisse.

ARTICULUS V.

Utrum Arnobius crediderit quædam animalia creata non fuisse a Deo, nec hominem naturali infirmitate malis esse obnoxium, nec peccare suæ electione voluntatis.

Urget Heraldus, Arnobiumque nostrum ibi in marcionistarum et aliorum, qui Deum creatorem negabant, errorem incurrisse putat, ubi animarum nostrarum originem, et a quo alio, quam ipsomet Deo, creatæ sint, nec sciri, nec definiri posse hoc probat argumento: « Non enim si negemus muscas, scarabæos, et cimices, nitedulas, curculiones, et tineas, omnipotentis esse opus regis, sequaciter postulandum a nobis est ut quis ea fecerit institueritque dicamus. » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 75.) Nonne autem hic ipse error est, qui ab Hieronymo his exagitatur verbis: « Quod si non putant eorum esse parva, quorum et magna sunt; alterum mihi conditorem, juxta Valentinum, Marcionem, et Apellem, formicæ, culicum, locustarum, alterum cœli et terræ, maris et angelorum debent introducere. » (*Hieronym.*, *proœm. ad epist. Paul. ad Philem.*) Utrum vero reapse talis fuerit Valentini, Marcionisque error, scire nunc parum interest, et de illis satis in superiori Apparatus nostri tomo disputavimus (*tom.* I *Apparat.*, *lib.* II, *dissert.* I, *cap.* 5; § 3).

Poterat autem Heraldus Hieronymo adjungere Origenem, Ambrosium, aliosque, ac imprimis Augustinum, qui recte diserteque asseverat nullam in infimis etiam bestiolis esse naturam, quæ a Deo creata non fuerit: « Non est, » ait, « ulla natura etiam in extremis, infimisque bestiolis, quam non ille constituit, a quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo, sine quibus nihil rerum inveniri, vel excogitari potest. » Et alibi: « Neque fas est ullius naturæ quamlibet minimæ mortalisque creatorem, nisi Deum credere et dicere. » (*Orig. lib.* IV, *contr. Cels.*, *pag.* 202; *Ambros.*, *lib.* VI *Hexam.*, *cap.* 6, § 38, *pag.* 125, *et lib.* V, *cap.* 2, *et seqq.*; *August.*, *lib.* II, *de Civit.*, *cap.* 15, *pag.* 284; *et lib.* XII, *de Civ.*, *cap.* 24, *pag.* 322.)

At Arnobium neque id negasse, neque notati ab Hieronymo erroris reum esse inde colligi potest, quia expresse non dixit scarabæos, et alias hujuscemodi bestiolas factas a Deo non fuisse: sed si id negetur, non idcirco postulandum, ut a quo factæ sint, confestim ac necessario probetur.

Instat Heraldus ab Arnobio ibidem non obscure de-A finiri nos omnem citra reprehensionem ignorare posse, quis his inutilibus bestiolis originem dederit: « Et obtinere non esse Deo a superiore prolatas. » (*Arnob.*, *lib* II, *pag.* 75.) Quis autem, inquit Heraldus, ille Deus superior, nisi bonus Marcionis deus? At nemo certe, ne ipse quidem Heraldus dicere umquam potuit, Marcionem aut quemlibet alium ideo errasse, quia bonum, sed quia malum asseruerit esse Deum, huncque rerum corporearum creatorem. At hunc errorem ab Arnobio assertum nullus umquam probare poterit.

Urgebit aliquis Deum superiorem ab eo dici non posse, quin alius inferior dicatur. Atqui Deus alio inferior non gravi sine errore dici potest. Quid ergo? Nonne Arnobius evidentissime docet, uti vidimus, et B infra adhuc ostendemus, unum tantummodo esse omnipotentem Deum, mundi rerumque omnium creatorem? Eo itaque sensu Deus ab Arnobio superior vocatur, quo postea scriptum legimus: « Divinitatis ipsius, » quemadmodum ille loquitur (*Idem*, *lib.* III, *pag.* 101), « est caput, a quo ipsa divinitas divorum omnium ducitur, » quos scilicet stulta gentilitas perperam finxerat. Superiorem ergo Deum cum appellavit, communi Ethnicorum loquendi modo se accommodabat, nihilque inde contra assertum ab eo de uno dumtaxat Deo documentum potest jure merito concludi.

At si Elmenhorstio fidem habeas, tametsi Arnobius Marcionis, unum Deum bonum, et alterum malum absurde prædicantis, errore non teneri ostendaC tur, in aliam nihilominus impietatem, sacrilegia, ut ille ait, omnia superantem lapsus est. Itane vero? Etiam, inquit Elmenhorstius. Palam enim perspicue ipse Arnobius asseverat hominem non a Deo, sed ab inferioribus nescio quibus potestatibus fuisse creatum. De animarum enimvero salute ubi disserit, hæc ille totidem verbis tradidit: « Tantum est longe, ut Deus istarum auctor rerum esse credatur; ut in sacrilegæ crimen impietatis incurrat, quisquis ab eo conceperit hominem esse prognatum, rem infelicem et miseram, qui esse se doleat, qui conditionem suam detestetur, et lugeat; qui nulla alia de causa sese intelligit procreatum, quam ne materiam non haberent, per quam diffunderent se mala, et essent miseri semper, quorum cruciatibus pasceretur nescio D qua vis latens et humanitati adversa crudelitas. » (*Idem*, *lib.* II, *pag.* 75.)

Duo autem ibi, uti ait Elmenhorstius, paris impietatis errores ab illo proferuntur. Primo etenim hominem a Deo procreatum plane penitusque pernegat. Secundo hominem tam miseræ infelicisque esse conditionis, ut non alia de causa creatum se fuisse sentiat, nisi ut importuna crudelitate morbis malisque innumeris fiat obnoxius. Superiori quippe in libro de Christi miraculis disputando, similiter dixerat: « Omnia valetudinum genera, quæ humana corpora sustinere nescio quæ voluit importuna crudelitas, verbo solitus imperioque sanare. » (*Idem*, *lib.* I, *pag.* 28.) At Arnobius hoc deliramentum, inquit Elmenhor-

stius, non ex sacris nostris scriptoribus, sed ab Ethnicis ac nominatim Plinio et Plutarcho delibavit, quod recte a Lactantio exagitatur. Clementem Alexandrinum eis proculdubio subjungere poterat, qui plurimos alios scriptores ethnicos, miseram hominis conditionem deplorantes, in medium, uti vidimus, protulit (*Plin.*, *lib.* VII *Natur. hist.*, *proœm.*; *Plutarch.*, *lib. de Fortun.*, *pag.* 927, *tom.* II; *Lactan.*, *lib.* III, *cap.* 28, *et de Opific.*, *cap.* 3 *et* 4, *tom.* I *Apparat.*, *lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 18, *art.* 1, *pag.* 1137; *supr.*, *hoc cap.*, *art.* 1).

Utrum autem auctor noster his absurdis erroribus revera ductus fuerit, non minimus dubitandi locus est. Jam enimvero manifestum fecimus Arnobium disertissimis edixisse verbis, non solum mundum a Deo conditum, sed ipsum etiam hominem ipsi acceptum referre, quod sit, quod homo dicatur, quod spiret et vivat. Cum ergo Arnobium sibi turpiter contradixisse nemini credibile fiat, nonne merito dici potest illum prioribus, quæ citantur, verbis ethnicos non alio, quam ipsorummet gladio jugulare, atque ex falsis, quibus imbuti erant, oppugnare opinionibus? Docebant siquidem animas nostras divini esse generis, easque ab illo missas in hunc mundum, ubi pristinæ summæque dignitatis penitus immemores, quibuslibet calamitatibus crucientur et obruuntur. Quis itaque sibi haud ægre persuadeat Arnobium ibi adversus Ethnicos ex falsa illorum opinione argumentari: sed alibi, sicut mox observavimus, suam explicasse sententiam, palamque asseverasse hominem a Deo revera fuisse creatum?

Ad miseram vero hominis conditionem quod attinet, eam quoque, utpote ad peccatum nos inclinantem, deflet Apostolus. Sed hæc propensio non ex Deo, sed ex primi hominis peccato profluxit. Cæterum Arnobius non vitia et peccata ibi memorat, sed ærumnas et molestias, quæ etsi a primo hominis peccato emanaverint; vera tamen, ut supra ex ipsomet Arnobio ostendimus (*supr.*, *cap.* 4), non sunt mala, sed bonum etiam æternum bene utentibus creare possunt.

Rursum tamen insurgunt Elmenhorstius et Heraldus, nobisque objectant Arnobium asseruisse hominem naturali infirmitate peccare, non vero electione voluntatis. Christum enimvero bonis malisque opitulari hunc ille probat in modum: « Hoc est proprium Dei veri, potentiæque regalis, benignitatem suam negare nulli, nec reputare quis mereatur, aut minime; cum naturalis infirmitas peccatorem hominem faciat, non voluntatis, seu (manuscr. cod. reg. *sed*) judicationis electio. » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 29.) Quibus sane verbis putat Heraldus ab illo significari hominem nec velle malum, nec eligere, sed naturali cæcitate id judicare bonum, quod revera malum est. Nonne ergo Arnobius recte arguitur in hunc quorumdam veterum philosophorum errorem incidisse, quem Lactantius his verbis notavit? « Dicunt eos, qui mali videantur, non sua sponte peccare, nec mala potius eligere, sed bonorum specie lapsos, incidere

A in mala, dum bonorum ac malorum discrimen ignorant. » (*Lactan.*, *lib.* VI *Instit.*, *cap.* 14, *pag.* 595.)

At utrum hæc vel alia sit Arnobii nostri mens et sententia, eo dictu difficilius, quod hic locus non omnino integer est, sed magna librarii, quæ passim ubique deprehenditur, inscitia corruptus ac depravatus. Nam pro *seu* scripsit *sed*, uti jam annotavimus. Verum hæc lectio quibusdam ab Arnobii sensu sic abhorrere existimatur; ut in textu vocem *seu* propria auctoritate substituere non dubitaverint. Quidam vero hæc duo verba, *naturalis infirmitas*, in textum intrusa et amputanda arbitrantur. Sed nullam afferunt hujusce correctionis rationem.

Nos itaque qui nihil in Auctorum textu sine manuscripti alicujus fide, aut certa omnino evidentique
B probatione mutari volumus, horum, si incorrupta sint, Arnobii verborum alium omnino suspicamur esse sensum. In eorum enimvero opinionem pedibus libenter ibimus, qui probaverint nomen illud *peccatorem* ab Arnobio sumi, non utique ad significandum hominem, qui aliquid contra divinam agit legem, ac peccatum proprie dictum admittit, sed hominem qui naturali infirmitate ad peccatum et vitium proclivis est. Eam vero esse illius sententiam inde confici potest, quod ille, sicuti paulo antea annotavimus (*supr.*, *hoc. cap. art.* 4), disertissime asseveraverit nemini vim a Deo inferri, omnes prorsus a Christo æqualiter vocari, ac liberari, neminem ab ejus indulgentia excludi, datamque omnibus liberam agendi potestatem. Quapropter errantem hominem hisce corripit verbis:
C « Tu qui te verti, et vim desideras perpeti, ut id quod nolis efficias, atque arripias coactus; cur respuis assumere voluntate id, quod versus desideras, atque immutatus efficere? Nolo, inquit, et voluntatem non habeo. Quid ergo criminaris Deum, tamquam tibi desit? Opem desideras tibi ferre, cujus dona et munera non tantum asperneris, verum inania verba cognomines et jocularibus facetiis prosequaris? » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 89.) Numquid hæc illius verba sunt, qui hominem infirmæ naturæ suæ necessitate peccare asserat? immo vero scriptoris orthodoxi hunc errorem procul omnino amandantis. Cum ergo verisimile non sit Arnobium sibi ipsi omnino adversari, objecta ab Elmenhorstio illius verba, ad illum proculdubio sensum revocanda sunt, quo hominem
D ad peccatum naturali infirmitate propensum *peccatorem* nuncupavit.

CAPUT VIII.

De summa Christi divinitate et incarnationis ejus mysterio.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam validis argumentis Arnobius supremam Christi divinitatem asserat et vindicet.

Tanta Arnobius perspicuitate et evidentia supremam filii Dei Christi domini divinitatem asserit, ut illud a nemine, nisi mente capto, vel incredibili prorsus pervicacia obcæcato possit umquam negari. Menti autem ejus quam alte infixum fuerit præcipuum

illud christianæ religionis documentum, inde plane colliges, quod id nec Christianis, nec Ethnicis ipsis se umquam satis dixisse et inculcasse sibi videatur. Gentiles enimvero audacter, uti ille haud semel edixit, objiciebant deos suos non ideo christianis esse infestos, « quod omnipotentem Deum colerent, sed, quod hominem natum, crucisque supplicio interemptum, et Deum fuisse, et adhuc superesse » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 19) crederent, ac quotidie adorarent. Neque id illis vitio tantum vertebant, sed ob hanc quoque confessionem ipsos quibuslibet suppliciis excarnificabant trucidabantque. Animum itaque nobiscum serio adverte quid Arnobius hæc numquam non tabularum more vociferantibus respondeat, et confestim intelliges quam aperte et certo veram Christi divinitatem prædicaverit. Quid enim, obsecro te, facilius promptiusque illi erat, quam respondere Christum non vere ac proprie, sed metonymice, et improprie Deum a christianis credi et appellari? Ea siquidem cuilibet obvia responsione Ethicis os penitus occlusisset. Sed tantum abest, ut eam adhibeat, quin ipsum Christum verum Deum esse inde demonstrat (*Ibid.*, *pag.* 21), quod summa et innumera beneficia omnibus æqualiter hominibus contulerit : « Hoc est enim, » inquit (*Ibid.*, *pag.* 29), « proprium Dei veri, potentiæque regalis, benignitatem suam negare nulli, nec reputare quis mereatur, aut minime. » Quæ autem ea sint breviter attingit, atque illud imprimis memorat, quod Christus homines ab erroribus et falsa religione ad veram traduxerit, eosque docuerit a quo mundus, et hi ipsimet homines creati sint, ac quis post mortem status eos maneat. Tum vero continenter hanc ille elicuit conclusionem : « Ita ergo Christus non habeatur a nobis Deus? Nec qui omnium alioquin maximus potest excogitari, divinitatis afficiatur cultu, a quo jamdudum tanta, et accepimus dona viventes, et exspectamus, cum dies venerit, ampliora. » Quid ad summam Christi divinitatem asserendam expressius et luculentius proferri poterat? Gentiles persuasum habebant Christum ab ejus sectatoribus verum Deum credi, atque id illis crimini maximo vertebant. Arnobius vero iisdem ethnicis, hanc persuasionem cuilibet christiano exprobrantibus, non tantum respondet hanc reipsa esse christianorum sententiam, sed illius quoque veritatem variis rationum momentis probat et adstruit. Quin etiam constanter asseverat Christum eo divino cultu honorandum, qui maximus excogitari potest. Palam ergo ac perspicue affirmat non tantum gentiles haud immerito credidisse veram divinitatem a christianis illi tribui, verum etiam hoc fuisse ipsorummet christianorum certum publicumque documentum, a quo nullis umquam suppliciis divelli poterant.

Sed agedum, et attende quomodo id ille repetat (*Ibid.*, *pag.* 24), novoque, nec minus perspicuo dicendi modo stabiliat et confirmet : *Natum*, inquiebant Ethnici, *hominem colitis*. En sane eadem illorum rursus christianis proposita exprobratio. Quid ad eam Arnobius noster iterum respondeat, audias, velim : « Etiamsi, » inquit, « esset id verum, locis ut in superioribus dictum est, tamen pro multis, et tam liberalibus donis, quæ ab eo profecta in nobis sunt, Deus dici deberet. Cum vero Deus sit re certa, et sine ullius rei dubitationis (ita in manuscripto codice regio legitur) ambiguo, inficiaturos arbitramini nos esse, quam maxime illum a nobis coli, et præsidem nostri corporis nuncupari? Ergone, inquiet aliquis furens, iratus et percitus, Deus ille est Christus? Deus respondebimus, et interiorum potentiarum Deus : et quod magis infidos acerbissimis doloribus torqueat, rei maximæ causa a summo rege missus. » Vides profecto quomodo ille bis terque repetat, et inculcet Christum non nomine tenus et appellatione, sed re certa, atque ulla absque dubitatione vel ambiguitate verum esse Deum corporis nostri præsidem, et interiorum potentiarum, hoc est, animi nostri omniumque facultatum ejus Deum. Cui autem, amabo te, hæc omnia, nisi summo Deo competunt?

Quod autem addidit : *rei maximæ causa a summo rege missus*, his sane verbis non significat, Christum esse inferiorem, sed unum et eumdem cum Patre, summum esse Deum, persona tamen distinctum. Ea porro *rei maximæ causa*, ob quam ab eo missus dicitur, non alia est, quam ut homines, uti diximus, ab impio idolorum cultu, et falsa gentilium religione, ad verum Dei cultum veramque religionem adductos, et morte sua a peccatis solutos salvaret. Quod quidem Ethnicis intolerabile fuisse adserit (*Idem*, *lib.* II, *pag.* 87, etc.,), atque ut ipse loquitur, acerbissimis doloribus torquebat. Sed quantumvis ea publica divinitatis Christi confessione torquerentur, constanter tamen, etiam sui capitis periculo, affirmare non veretur illum summum esse Deum.

Satis vero sibi esse non putavit tam claris apertisque verbis supremam Christi divinitatem declarare, eumque ex magnis ipsius in homines beneficiis, divinaque ejus comprobasse doctrina, sed eamdem illius divinitatem ex innumeris ab ipso, et discipulis ejus editis miraculis evidentissime demonstrat.

Quæ autem, quanta, quam vera, et certo certiora fuerint hæc miracula, manifestum supra fecimus (*sup.*, *cap.* 3, *art.* I). Nec minus perspicue ostendimus quomodo illa nullo externo adminiculo, nulla nec medica, nec magica arte, sed solo verbo, aut levi tactu, quod nulli umquam gentilium Deo, aut alii cuipiam concessum est, facta sint. Itaque postquam illa Christi discipulorumque ejus miracula Arnobius fuse enarravit, ex concessa istis ab eodem Christo ea faciendi potestate sic argumentatur : « Transcribere posse in hominem jus tuum, et quod facere solus possis, fragilissimæ rei donare, et participare faciendum, supra omnia sitæ est potestatis, continentisque sub se est rerum omnium causas, et rationum facultatumque naturas. » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 31.) At cujus est, oro te, nisi solius Dei, optimi, maximi hæc sita supra omnia potestas, quæ sub se rerum omnium causas, et rationum facultatumque naturas contineat? Atqui Arnobius Christum Dominum ea potes-

tate præditum fuisse constantissime asserit, validissimisque argumentis demonstrat. Persuasissimum ergo habuit eum verum et supremum esse Deum.

Sed audi adhuc, obsecro, quomodo illud rursum ex ipsiusmet Christi miraculis colligat, ac disertissime pronuntiet : « Nihil, ut remini, » inquit (*Ibid.*, *pag.* 32.), « magicum, nihil humanum, præstigiosum, aut subdolum, nihil fraudis delituit in Christo. Derideatis licet ex more, atque in lasciviam dissolvamini cachinnorum, Deus ille sublimis fuit, Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis, et ab omnium principe sospitator est missus, quem neque sol ipse, neque ulla, si sentiunt, sidera, non rectores, non principes mundi, non denique dii magni, aut qui fingentes se deos, genus omne mortalium territant, unde, aut qui fuerit, potuerunt noscere vel suspicari. » Audisti sane quomodo ex miraculis, a Christo divina prorsus virtute factis, recte colligat illum Deum fuisse supremum, vel, ut ille ait, sublimem, non externa aliqua denominatione, vel specie, sed ab intima radice, hoc est, natura sua Deum, tantæque celsitatis et excellentiæ; ut nulla terrena creatura, neque fieti ab ethnicis dii illam capere, et illius originem nosse umquam valuerint. Quis autem nisi de summa Christi divinitate omnino persuasus, ita aliquando locutus et argumentatus est ?

Tanti autem momenti esse duxit summam Christi divinitatem Ethnicis prædicare, eorumque et auribus et animis inculcare; ut id numquam satis se dixisse sibi videretur. Quapropter ille alibi gentiles hunc adhuc in modum affatur : « Christus vobis invitis, Deus, Deus, inquam, Christus; hoc enim sæpe dicendum est, ut infidelium dissiliat et disrumpatur auditus, Dei principis jussione loquens, sub hominis forma. » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 85.)

Verum, inquiet aliquis, ibi Christus ab Arnobio non primus et supremus, sed secundus tantum, et minor Deus appellatur. Quid enim aliud hæc ejus verba significant, *Dei principis jussione loquens?* Quisnam ille Deus princeps, cujus *jussione* Christus loquitur? Is proculdubio Deus pater et summus est, qui ideo princeps vocatur. Cujus autem princeps est, nisi Christi, qui ei, ut loquatur, jubet, et cui jubenti Christus obtemperat? Christus ergo Deus illo jubente minor eique inferior Deus est, ac proinde non proprie, et natura sua, sed improprie, et dumtaxat nomine Deus. Neque solum Deus princeps, sed sæpe etiam ab eo nuncupatur Deus primus, et summus, ac pater : « Satis est nobis, » inquit, « Deus primus, Deus, inquam, primus, pater rerum ac dominus, constitutor moderatorque cunctorum, in hoc omne quod colendum est, colimus; quod adorari convenit, adoramus; quod obsequium venerationis exposcit, venerationibus promeremur. » (*Ibid.*, *lib.* I, *pag.* 13, 18 *et* 19; *lib.* II, *pag.* 43 *et* 68; *lib.* III, *pag.* 101 *et seq.*) Nonne ergo hunc tantum Arnobius summum Deum, Christum vero minorem Deum agnovit et credidit ?

Sed nihil plane ab illius mente magis alienum, magisque abhorrens. Nam hæc si fuisset illius opinio, eam, sicut jam animadvertimus, clare explicatam facile Ethnicis persuasisset, nec tot expertus fuisset tam pertinaciter sibi refragantes. Contra vero ille totis animi sermonisque sui nervis declarat, asserit, docet, repetit, probat, inculcat, demonstrat Christum verum et summum esse Deum, divinæ infinitæque potestatis, ac proinde etiam naturæ. Quia vero passim ubique contra gentilium errorem asseverat, probatque unum dumtaxat esse Deum, nec plures esse posse, inde evidentissime colligitur nihil ejus menti infixum altius, quam Christum esse unum et eumdem cum æterno Patre suo Deum.

Cur ergo, inquies, hunc ipsius Patrem et primum et principem Deum appellat? Respondemus ita ab eo aliquando nuncupari, ubi sese vulgari accommodat sermoni gentilium, qui suos omnes deos, sive majores, sive minores olim non fuisse, ac certo quodam tempore natos fatebantur. Quo quidem posito, arguit Arnobius hosce deos, si tales essent quales illi putabant, a Deo principe id accepisse, quod nati sint, quod vitam egerint, quod suam, si quæ esse potuisset, divinitatem habeant, et immortalitatem. Unde ille merito contra eosdem Ethnicos concludit, hos falsos et commentitios esse deos, ipsumque primum, et principem, atque idcirco supremum et unicum esse, dicique posse Deum. Nam post objecta sibi verba continenter adjecit : « Cum divinitatis ipsius teneamus caput, a quo ipsa divinitas divorum omnium, quicumque sunt, dicitur..... quicumque hi dii sunt, quos esse nobis proponitis, si sint progenies regia, principali oriuntur a capite..... et hoc quidem a nobis fuerit ita prolatum, si modo liquet et constat præter ipsum regem et principem, esse alia etiamnum capita, quæ digesta et separata per numerum, velut quemdam populum plebeiæ multitudinis faciant. » (*Ibid.*, *lib.* III, pag. 101.)

Prius vero dixerat : « Cum dii omnes, vel quicumque sunt veri, vel qui esse rumore atque opinione dicuntur immortales et perpetui, ejus voluntate sint, et beneficii munere; qui fieri potis est, ut alii præstare id quod ipsi sunt, valeant, cum alienum id habeant, et majori ex potentia commodatum? » (*Ibid.*, *lib.* II, pag. 87.)

Quis autem jam non videat ideo Deum principem, et primum ab Arnobio vocari, quia ad Ethnicorum de diis suis respiciebat opinionem; qua etiam posita, hos falsos, et illum solum verum Deum esse conficit ac demonstrat? Is quippe tantum verus Deus esse potest, qui ingenitus et æternus, nullum habet principium.

Nihil ergo hæc contra divini Verbi et Christi Domini faciunt divinitatem, quam certe ab Arnobio ipsa luce clarius et evidentius assertam vidimus. Deinde vero, quid Arnobium prohibuit, quominus animum ad ipsummet Verbum et Filium Dei attendendo, dixerit æternum Patrem esse primum, et principem Deum, qui quidem quia hunc Filium suum ab æterno genuit, idcirco primus, princeps, et divinitatis fons et origo recte appellatur?

Urgebis; Christus ab Arnobio dicitur, *Dei principis jussione loquens*. Ergo ei subjectus, illoque minor est. Sed si adverias ibidem ab Arnobio continenter subjungi, *sub hominis forma*, nihil hac argumentatione levius esse agnosces. Quis enim diffitetur Christum, quatenus homo est, Deo Patri esse subditum, ejusque obtemperare voluntati?

ARTICULUS II.

Quam luculenter Arnobius docuerit Christum tam verum Deum fuisse, quam hominem.

Non patitur Arnobius sibi ab Ethnicis objici Christum dici non posse Deum (*Arnob., lib.* I, *pag.* 21 *et seqq.*), utpote qui natus, crucis supplicio vitam finivit. Nam præterquam quod ipsi Ethnici natos homines, mortuos, et suppliciis affectos deos esse garriebant, certe divina Christi doctrina, et miracula ab illo, uti diximus, vivente, moriente, et mortuo edita, manifestissime demonstrarunt illum tam verum Deum fuisse quam hominem, et utriusque divinæ et humanæ naturæ participem. Quid autem mirum, si ille, accepta humana natura, sive humano corpore, quod exigua, ut ait Arnobius (*Ibid., lib.* I, *pag.* 32), pars ejus erat, assumpto, humanam vitam, sicut cæteri homines, egerit et amiserit? Sed præstat ipsummet Arnobium audire, ut intelligas quam recte ac perspicue humanam divinamque Christi naturam, et sanctissimum illius, ut jam loqui solent theologi, incarnationis mysterium explicet.

Rogantibus enimvero Ethnicis : Si Deus fuit Christus, cur sub hominis forma visus est, et more interemptus humano, sic ille respondet : « An aliter potuit invisibilis illa vis, et habens nullam substantiam corporalem, inferre et commodare se mundo, conciliis interesse mortalium, quam ut aliquod tegmen materiæ solidioris assumeret, quod oculorum susciperet injectum, et ubi se figere inertissime posset contemplationis obtutus? Quis est enim mortalium, qui quiret eum videre, quis cernere, si talem voluisset inferre se terris, qualis ei primigenia natura est, et qualem se ipse in sua esse voluit vel qualitate, vel numine. Assumpsit igitur hominis formam, et sub nostri generis similitudine potentiam suam clausit; ut et videri posset, et conspici, verba faceret, et doceret, atque omnes exsequeretur res eas, propter quas in mundum venerat, faciendas, summi regis imperio et dispositione servatis. » (*Ibid., pag.* 37.) Potuitne suprema Christi divinitas, illiusque cum humana natura conjunctio clarioribus verbis enuntiari? Quis umquam post Nicænum, et alia generalia concilia, utramque illius naturam dilucidiori oratione exposuit? At vero ibi ille non suam tantum, sed communem omnium suæ ætatis christianorum patefacit sententiam. Quis ergo negare, aut in dubium jure aliquo vocare audeat utrum illi, ante ejusdem concilii Nicæni tempora, id crediderint, quod in eo concilio et aliis postea de Christi divinitate et assumpta ab ipso humana natura statutum est?

Age vero, eique quo pacto Christi divinitati mors nequaquam offecerit, enarranti, adhuc, si lubet, auscultemus. Objiciebant Ethnici : *More est hominis interemptus*. Quid ad hæc Arnobius noster? « Non ipse, » inquit (*Ibid.*), « neque enim cadere divinas in res potest mortis occasus; nec interitionis dissolutione labi id, quod est unum et simplex, nec ullarum partium congregatione compactum. Quis est ergo visus in patibulo pendere? Quis mortuus est? Homo quem induerat, et secum ipse portabat. » Tum deinde ostendit illud fidem apud Ethnicos mereri, qui credebant, vatibus et Sibyllis morientibus, illum non mori, cujus afflatu oracula fudisse videbantur. Quibus explicatis, eosdem Ethnicos hisce verbis alloquitur : « Mors illa, quam dicitis, assumpti hominis fuit, non ipsius : gestaminis, non gestantis : quam nec ipsam perpeti succubuisset, tanta si non agenda res esset, et inexplicabilis ratio fati clausis patefacienda mysteriis. » (*Ibid., pag.* 38.) Quis autem vel primoribus, ut aiunt, labris theologorum, et antiquorum Ecclesiæ patrum scripta gustavit, et nesciat eos simili plane modo hæreticis eadem postea objicientibus respondisse? Infinita quidem possent illorum proferri testimonia. Sed quia plura, a Theodoreto, et Gelasio citata (*Theodor., ad calc. lib.* III *Dial. Impassib.; Gelas., Dial. de duab. natur.*), atque ab aliis compluribus tradita, nemini ignota sunt; iis prætermissis, hæc tantum referemus Ambrosii verba, quæ in Leonis magni epistola, et concilii Chalcedonensis actis recitata et transcripta habentur : « Quod lectum est, » ait eximius ille vir (*Ambros., lib.* II, *de Fide, cap.* 5, § 58, *pag.* 481), « Dominum majestatis crucifixum esse, non quasi in majestate sua crucifixum putemus : sed quia idem Deus, idem homo, per divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo, Jesus Christus Dominus majestatis dicitur crucifixus; quia consors utriusque naturæ, id est, humanæ atque divinæ, in natura hominis subiit passionem; ut indiscrete et dominus majestatis dicatur esse, qui passus est, et filius hominis, sicut scriptum est, qui descendit de cœlo. » Videsis quæ in hunc Ambrosii locum annotavimus, et ibi citata a nobis chalcedonensis concilii acta, et Augustini primum de Trinitate librum.

Porro autem Arnobius noster docet Christo, qui tot miracula ediderat, violentas manus, si mori noluisset, a nemine umquam potuisse inferri, sed eum sua sponte et voluntate mortuum. « Vides, » inquit, « si nollet inferri sibi a quoquam manus, summa illi fuisset contentione nitendum, ut hostes ab se suos vel potestate inversa prohiberet? Qui cœcis restituerat lumina, is efficere si deberet, non poterat cæcos?..... manus in se porrigi ab immanibus passus est. » (*Arnob., lib.* I, *pag.* 38.) Mortuus est itaque, quia, ut adhuc loquitur auctor noster : « Virtutum omnium dominus, atque ipsius mortis exstinctor, hominem suum permisit occidi. » (*Ibid., pag.* 41.) Quibus ille verbis significat Christum secundum humanam tantum naturam, quando voluit, occisum; ita tamen ut moriendo divinam suam naturam novis

ac penitus stupendis miraculis ostenderit. « Exutus corpore, » inquit (*Ibid.*, *pag.* 32), « quod in exigua sui circumferebat parte, postquam videri se passus est, cujus esset magnitudinis sciri, novitate rerum exterrita universa mundi sunt elementa turbata : tellus mota contremuit, mare funditus refusum est, aer globis involutus est tenebrarum, igneus orbis solis tepefacto ardore diriguit. » Talpa sane cæcior, aut inflexibilis obstinationis homo is sit oportet, qui non videat, et fateatur utramque ab Arnobio divinam humanamque Christi naturam recte distingui, et unicuique quod suum est, bene penitus attribui et explicari.

At, inquies, quid sibi ille vult, cum dicit in Christo fuisse simulatum hominem? Ait quippe : « Rex summus ea, quæ in mundo facienda decreverat, sine homine simulato non quibat efficere. » (*Ibid.*, *pag.* 37.) Numquid putavit veram non esse humanam Christi naturam, sed fictam et simulatam? Nonne tota via cum his aberravit hæreticis, qui Christum non verum hominem, sed hominis, ut aiebant, phantasma, et hominem phantasticum fuisse stulte asseruerunt? Minime gentium. Nam ex iis, quæ ab ipso de Christi vita et morte tradita memoravimus, luce meridiana clarius probatur eum certo certius credidisse veram a Christo assumptam fuisse humanam naturam, verumque humanum corpus. Quamobrem iis vocibus, *homine simulato*, idem significat, ac si dixisset homine expresso et exhibito, ita ut quem exprimebat et exhibebat, verus esset homo. Negare tamen non possumus ibi Arnobium improprie minusque accurate loqui. Sed quis Aristarchus non satis castigatum hujusmodi loquendi modum homini facile non condonabit, qui sæpe sæpius verbis utitur barbaris et obsoletis, nec pure et emendate loquitur?

ARTICULUS III.

Cur Christus homo factus sit, cur tam sero, nec longe antea; quid de hominibus ante ipsius ortum mortuis, actum fuerit, ubi de hominibus giganteo corpore, et stentoreis infantium vagitibus.

Cur Christus homo factus sit, si ab Arnobio postules, hanc tibi reddet rationem : quia « Ab religionibus nos falsis religionem traduxit ad veram ; ab signis inertibus, atque ex vilissimo formatis luto, ad sidera sublevavit et cœlum, et cum domino rerum Deo, supplicationum fecit verba atque orationum colloquia miscere. » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 22.) Quamobrem hæc de seipso non sine grati omnino animi testificatione palam prædicat : « Nunc doctore tanto in vias veritatis inductus, omnia ista quæ sint, scio : digna de dignis sentio, contumeliam nomini nullam facio divino ; et quid cuique debeatur vel personæ, vel capiti, inconfusis gradibus, atque auctoritatibus tribuo. » (*Ibid.*) Verum gentiles, quibus nihil antiquius, quam optima quæque diris errorum suorum inficere venenis, inde sacratissimum incarnationis Christi mysterium vellicare conabantur. Christianis siquidem objiciebant (*Ibid.*, *lib.* II, *pag.* 96), si res ita se habeat, nullam dari posse rationem cur Christus a

A Deo Patre post tot hominum ætates et sæcula ad nos missus fuerit, aut quid *priora*, ante illius ortum, *sæcula meruerint*, aut quid de priscorum, vetustissimorumque mortalium animabus actum sit (*Ibid.*, *pag.* 87). At idem prorsus argumentum, contra christianos a Porphyrio, aliisque Ethnicis postea refricatum, Episcopus *Deogratias* cognominatus, Augustino solvendum sic proposuit : « Quid egerunt tot sæculorum homines ante Christum..... Quid actum de tam innumeris animis, qui omnino in culpa nulla sunt : siquidem is, cui credi posset, nondum adventum suum hominibus commodarat? » (*Augustin. epist.* 102, *pag.* 276.) Vides proculdubio hos eodem plane modo pugnare adversus dominicæ incarnationis mysterium, totiusque christianæ religionis veritatem.

B Sed audi etiam quomodo Arnobius, ac postea Augustinus hanc argumentationem plane infirment et diluant. Primum enim Ethnici objicientes nullam posse afferri rationem cur Christus post tot sæcula homo factus sit, suo se gladio jugulabant. Nullam quippe et ipsi, ait auctor noster (*Arnob. lib.*, II, 96), rationem dare poterant non solum cur hyems, æstas, autumnus, pluvia, et alia hujuscemodi non eo, quo oportet, opportuno tempore sæpe sæpius accidant ; sed potissimum cur Hercules, Æsculapius, et alii, quos ad hominum utilitatem natos esse credebant, in mundum tam sero prodierint. Eumdem plane in modum Augustinus illos ex mysteriorum, ab iis institutorum, prima origine, quod eodem recidit, acriter refellit : « Ipsi, » inquit (*Augustin.*, *loc. cit.*), C « dicant utrum profuerint hominibus deorum suorum sacra, quæ constat certis temporibus instituta? Quæ si negant aliquid profuisse ad animarum salutem, nobiscum ea destruunt, et inania esse confitentur..... Si vero ea defendunt, et sapienter atque utiliter asserunt instituta, quæro quid actum sit de his, qui antequam hæc instituta essent, morte obierant ; hac enim utique salute atque utilitate fraudati sunt. Si autem potuerunt alio modo purgari, cur non idem modus perseveravit in posteros? Quid opus erat instituere novitias consecrationes, quæ antiquitus non fuerunt? »

Respondere autem non poterant nullam horum posse dari rationem. Eo enim ipso aliquam de sero Christi adventu a christianis non sine injuria exigere D convincebantur. Si quam vero proferant, eamdem et christiani proferent. Hinc Arnobius noster : « Rationem, » ait (*Arnob.*, *loc. cit.*), « aliquam fuisse dicetis. Ratio ergo et hic fuit, cur non nuper, sed hodie sospitator nostri generis adveniret. » Augustinus vero : « Cur hanc quæstionem christianæ religioni ingerunt, in quam nobis ipsi pro diis suis aut respondere non possunt, aut si possunt, in eo ipso sibi etiam pro religione nostra respondent? » (*August.*, *loc. cit.*) Fateri igitur debebant fas non esse homini scrutari consilia Dei, qui noverat temporis quo humano generi subvenire debuit opportunitatem (*Arnob.*, *ibid.*). Simili quoque responso Augustinus huic quæstioni satisfacit : « Cum non fortuito labi,

sed divina providentia tempora ordinari fateantur, A quid cuique tempori aptum et opportunum sit, humanum consilium prætergreditur, et illinc dispertitur, unde ipsa providentia rebus consulit. » (*August.*, *ibid. p.* 277.) Huc etiam accedat Ambrosius, qui in quodam sermone in hæc psalmi centisimi decimi octavi verba : *Tempus faciendi*, *Domine*, similiter dixerat : « Non jubendi, sed faciendi, quia non legatus, neque nuntius, sed Dominus salvaturus erat populum suum. Et ille quidem tempus sciebat, et non differebat, sed nos nesciebamus quo melius tempore subveniret. » (*Ambros.*, *serm.* 16, *in psal.* CXVIII, ỳ 126, *pag.* 1181.)

Pergit Arnobius, et aliam cur Christus antea in mundum non venerit, profert rationem his expressam verbis. « Potest fieri, ut tum demum emiserit Chri- B stum Dominus omnipotens, postquam gens hominum fractior, et infirmior cœpit esse nostra natura. » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 97.) Arnobio nostro suffragatur adhuc Ambrosius, qui ubi de benedictione patriarchæ Joseph sermonem fecit, hæc citat Geneseos verba : *Amabat eum Jacob*, *quia filius senectutis erat illi ;* ac continenter adjicit : « Quod etiam ad Christum refertur. Senescenti enim mundo, et jam occidenti illucescens Dei filius, per Mariæ Virginis partum serus advenit, quasi filius senectutis, secundum sacramentum suscepit corpus, qui erat ante sæcula semper apud Patrem. » (*Ambros.*, *lib. de Benedict. Patriarch.*, *cap.* 11, § 48, *pag.* 527.)

Negare autem Ethnici non poterant, ait Arnobius, variam pro diversitate temporum fuisse hominum C conditionem, aliamque priscorum, quam recentiorum figuram, et majores illorum, quam istorum vires (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 97). Traditum siquidem scriptis habebant fuisse olim semideos, et heroas immani, sive giganteo corpore, et infantes stentoreos edidisse vagitus, eorumque ossa tantæ magnitudinis variis in regionibus eruta, ut humana esse vix crederentur. De his ossibus præter Herodotum, Plinium, et Solinum, hæc A. Gellius, quæ ad Auctoris nostri propositum faciunt, litteris consignavit : « Herodotus, homo fabulator, in primo historiarum inventum esse sub terra scripsit Oresti corpus cubita longitudinis habens septem, quæ faciunt pedes duodecim et quadrantem, nisi si, ut Homerus opinatus est, vastiora prolixioraque fuerint corpora hominum anti- D quorum ; et nunc quasi jam mundo senescente, rerum atque hominum decrementa sunt. » (*Herodot.*, *lib.* I, § 68, *pag.* 27; *Plin.*, *lib.* VII *Hist. natur.*, *cap.* 16, *pag.* 35 ; *Solin.*, *cap.* 10, *pag.* 236 ; *A. Gellius*, *lib.* III, *cap.* 1, *pag.* 9.) Frequens autem est ea Homeri in Iliade conquestio, quæ a Plinio et Juvenale adhuc notatur (*Plin.*, *loco citato ; Juven.*, *satir.* 15, *vers.* 69.)

In manuscripto autem codice regio pro *stentoreos vagitus*, legitur *centenarios*, sed solita haud dubie incuria librarii, qui quidem quid stentorei vagitus, et alia plura significarent, penitus ignorabat. Stentorei autem vagitus ideo dicuntur, quia Stentor ab Homero fingitur tam validam habuisse vocem, ut quinquaginta hominum clamorem adæquaret (*Homer.*, *Iliad.*, 5, *ante fin.*). Quam sane ob causam alicubi Juvenalis cecinit :

Tu, miser, exclamas, ut Stentora vincere possis.
(*Juven.*, *satir.* 13, *vers.* 22.)

Et hæc quidem idcirco annotamus, ut ab omnibus intelligatur quo jure Arnobius dixerit imminutas, fatentibus Ethnicis, hominum vires, ac Christum eo forsitan tempore hominem factum, quo *fractior et infirmior* fuit humana natura, magisque ejus auxilio indigebat.

Porro autem aliam ille insuper reddit rationem, cur Christus non prius hominem induerit; quia nimirum ille eo ipso tempore hunc in mundum venit, quod constitutum fuerat incommutabili decreto Dei, cui, utpote æterno, nihil præmaturum aut tardum dici potest. Nullum quippe tempus habet *series*, sicuti loquitur (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 97), *et continuatio immoderata*, id est, sine modo, ac sine initio et fine, *sæculorum*.

Tunc itaque Christus in mundum missus est, quando Deus eum hominem fieri debere judicavit : « *Nihil* namque, *Deum*, » ut ait adhuc Arnobius (*Ibid.*), « cogebat necessarias temporum non exspectare mensuras. » Nonne vero eadem fuit Augustini sententia, quam ille his explicuit verbis : « Quod dixi tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri ; potest etiam sic dici tunc voluisse homines apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem. » (*Augustin.*, *Epist.* 102, *pag.* 278, *et lib. de Prædest. sanct.*, *cap.* 9, *pag.* 803.)

Quod autem ad homines ante Christum mortuos spectat, Arnobius breviter respondet : « Quid si priscis aliter subveniri, aliter debuit posterioribus consuli. » (*Arnob.*, *loc. cit.*) Sed quod ille explicare aut noluit, aut fortasse omni christiana doctrina nondum plane informatus, non potuit, hoc enucleatius et uberius a theologis, atque imprimis Augustino in citata a nobis epistola explanatur. Ibi vero hæc præter alia plura scripsit : « Ab exordio generis humani, quicumque in eum (Christum), crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, et secundum ejus præcepta pie et juste vixerunt, quandolibet et ubilibet fuerint, per eum proculdubio salvi facti sunt. Sicut enim nos in eum credimus, et apud Patrem manentem, et qui in carne jam venerit : sic credebant in eum antiqui et apud Patrem manentem, et in carne venturum. » (*Augustin.*, *Epist.* 102, *pag.* 277.) Alias porro rationes qui desiderabit, adeat theologos in lib. III. Sentent., distinct. I, atque in D. Thomam 1, 2, quæst. 98, art. 6 et 3 part., quæst. 2, art. 5 et 6; Petavium, tom. IV,

Theolog. dogmat., cap. 17, pag. 198 et seqq., et citatos ab eis antiquos Ecclesiæ Patres.

CAPUT IX.

De hominis Anima.

ARTICULUS PRIMUS.

Quas Arnobius falsas veterum, de humanæ animæ natura, origine et immortalitate opiniones recenseat, ac utrum eas recte refellat.

Mirum dubio procul quibusdam videtur, qua Arnobius ratione tam diserte asseverat Christum docuisse, « quid hominis anima; advolaritne ad nos sponte, an cum ipsis sata sit, et procreata visceribus; mortis particeps degat, an immortalitatis perpetuitate donata sit. » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 22.) Non enim ausus sit tam asseveranter affirmare hæc Christum docuisse; nisi ea quæ ab illo de animæ origine, natura et immortalitate nobis tradita sunt, legerit aut noverit. At hæc, inquient, si legit, aut novit, cur ad varios de eadem anima errorum scopulos offendisse arguitur? Sed utrum ille jure vel injuria corripiatur, priusquam excutiamus, juvat ex Hieronymo observare, quæ olim fuerint de animarum origine sententiæ et errores. Ab illo autem in sua ad Augustinum epistola his verbis recensentur : « Super animæ statu memini vestræ quæstiunculæ, immo maximæ ecclesiasticæ quæstionis. Utrum lapsa de cœlo sit, ut Pythagoras philosophus, omnesque Platonici et Origines putant : an a propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus, et Hispana Priscilliani hæresis suspicantur; an in thesauro habeantur Dei olim conditæ, ut quidam ecclesiastici stulta persuasione confidunt; an quotidie a Deo fiant, et mittantur in corpora, secundum illud quod in Evangelio scriptum est; Pater meus usquemodo operatur, et ego operor; an certe ex traduce, ut Tertullianus, Appollinaris, et maxima pars Occidentalium autumant; ut quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, et simili cum brutis animantibus conditione subsistat? » (*Hieronym. Epist.* 165, *p.* 582.) Et hæc quidem ideo retulimus, quia non inutilem his, quæ dicenda sunt, facem præferent.

Narrat autem Arnobius triplicem olim fuisse veterum philosophorum de animarum conditione opinionem : « Hic enim, » verba illius sunt (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 82.), « retur et esse perpetuas, et superesse mortalium functioni : superesse ille non credit, sed cum ipsis corporibus interire. Alterius vero sententia est nihil eas continuo perpeti, sed post hominem positum aliquid eis ad vitam dari, mortalitatis deinde in jura succedere. » A nobis vero alibi annotatum varias de anima eorumdem philosophorum opiniones a Cicerone, Justino martyre, Tertulliano, Ambrosio et Augustino enodatius exponi (*tom.* I *Apparat.*, *lib.* II, *dissert.* 2, *cap.* 7, § 29, *pag.* 436; *Justin.*, *cohort.*, *pag.* 8, *et alii loc. cit. Apparat.*). Quapropter nihil his aliud adjiciemus, quam ea, quæ ab Oratore latino scriptis consignata, ad explicandam confirmandamque Auctoris nostri sententiam magis conducunt. In primo itaque Tusculanarum quæstionum libro hæc habet : « Sunt qui discessum animi a corpore putent esse mortem. Sunt qui nullum censeant fieri discessum, sed una animum et corpus occidere, animumque cum corpore extingui; qui discedere animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper. » (*Cicer.*, *lib.* I *Tuscul.*, *pag.* 118, *lin.* 4.) Tum deinde singulas philosophorum de animi natura opiniones explicat. Posteaquam vero Platonis, Socratis et Catonis de animæ immortalitate sententias retulit, his ait contradixisse Epicureos, atque imprimis Dicæarchum, qui docuit animos esse mortales : « Stoici autem, » pergit ille (*Ibid.*, *pag.* 127), « usuram nobis largiuntur tamquam cornicibus. Diu mansuros aiunt animos, semper, negant. » Quis vero non videt easdem a Cicerone, et jam citato Hieronymo, atque ab Arnobio nostro, in medium proferri philosophorum de anima opiniones, atque ab illis indicari qui eorum auctores defensoresque fuerint.

Absurdam vero Epicuri sectatorumque ejus opinationem his Arnobius noster refellit rationum momentis : « Si animæ lethi adeant januas, Epicuri ut sententia definitur, nec sic causa est competens, cur expeti philosophia debeat; etiamsi verum est purgari hac animas, atque ab omni puras vitiositate præstari. Nam si communiter obeunt, et in ipsis corporibus sensus eis deperit, extinguiturque vitalis, non tantum est erroris maximi, verum stolidæ cæcitatis frænare ingenitos appetitus, cohibere in angustiis vitam, nihil indulgere naturæ, non quod cupidines jusserint atque instigaverint facere; cum nulla te præmia tanti laboris expectent, cum dies mortis advenerit, et corporalibus fueris vinculis exsolutus. » (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 64 et 65.) Talem porro fuisse Epicuri de anima mortali assertionem liquet ex Laertio (*Laert.*, *lib.* X, *de Vita et dogm. Epicuri*, § 63 *et seq.*) et Lucretio, cujus Arnobius imitatus est loquendi modum hoc in carmine adhibitum :

> Haud igitur lethi præclusa est janua menti.
> (*Lucret.*, *lib.* III, *vers.* 829.)

Quam valida autem argumentatione Arnobius refellat hunc impium errorem, nemo adeo cæcus est qui non videat. Et certe quis nescit eam tanti esse momenti ac ponderis, ut ab ipsomet Paulo Apostolo tota his paucioribus verbis comprehendatur : « Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, et bibamus; cras enim moriemur. » (*Epist.* I *ad Corinth.*, XV. 32.)

Alius de anima error, uti jam ex Hieronymo vidimus, erat eas esse ex propria Dei substantia, vel Dei partem, ut bene Augustinus admonet, vel divinas, vel etiam Deum, sicuti ex his Tullii verbis discimus : « Animus qui, ut ego dico, divinus; ut Euripides audet dicere, Deus est. » (*Augustin.*, *Epist.* 166, *pag.* 584; *Cicer.*, *lib.* I *Tuscul.*, *pag.* 125.)

Falsam itaque hanc opinionem haud dubie notavit A Arnobius, ubi negat *animas Regis maximi esse filias*. (*Arnob*., *lib*. II, *pag*. 68 *et seqq*.) Eam autem hoc argumento convellit : « Quod si essent, ut fama est, dominicæ prolis et potestatis animæ generatio principalis, nihil eis ad perfectionem defuisset virtute perfectissima procreatis. Unum omnes intellectum habuissent, unumque consensum, aulam semper incolerent regiam, nec prætermissis beatitudinis sedibus, in quibus augustissimas noverant retinebantque doctrinas, imprudenter appeterent terrena hæc loca, tenebrosis ut corporibus involutæ, inter pituitas et sanguinem degerent, inter stercoris hos utres, et saccati obscænissimas serias. » Nonne vero Augustinus simili argumentandi ratione Manichæos, qui animam partem Dei esse garriebant, aperte obterit B ac prosternit. Hæc autem illius sunt ad Hieronymum de anima scribentis verba : « Non est pars Dei anima. Si enim hoc esset, omnimodo incommutabilis atque incorruptibilis esset. Quod si esset, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius; nec aliquid in semetipsa vel inciperet habere, quod non habebat, vel desineret habere, quod habebat, quantum ad ejus ipsius affectiones pertinet. Quam vero aliter se habeat, non opus est extrinsecus testimonio : quisquis seipsum advertit, cognoscit. » (*Augustin*., *epist*. 166, *pag*. 584.)

Maximæ etiam temeritatis eos auctor noster redarguit, qui docebant animas esse genitas a Deo, et huc ab illo missas, ut quæ divinæ ac penitus incorporeæ naturæ sunt, in humana corpora detrudantur C (*Arnob*., *lib*. II, *pag*. 53). Hanc vero opinionem iisdem fere ac præcedentem rationibus refutare nititur. Nulli siquidem, ait (*Ibid*., *pag*. 70 *et seqq*.), credibile fiet, animas illas a Deo in mundum transmitti, ut ex feminis ortæ, omnibus, quæ ab ipso uberrime exponuntur, infantiæ atque aliarum postea ætatum miseriis, ærumnis, calamitatibus, casibus, damnis, incommodis, pravis animi affectibus, vitiis, peccatis, sceleribus, flagitiis, maleficiis, aliisque malis sint obnoxiæ.

Neque vult sibi responderi illas sua voluntate, non Dei jussu huc venisse. (*Ibid*., *pag*. 73 *et seqq*.) Nam si res ita sit, omnipotens Deus prævidit, nec sicut poterat, prohibuit, ne illæ primi numinis soboles, in tot tantaque laberentur crimina, et flagitia, D neque tot tantaque damna, adversa, ac detrimenta paterentur. At sane quisquis, cum potest, mala non impedit, sed permittit, eorum causa est. Impium vero dictu Deum sapientissimum et benignissimum tot tantorumque malorum esse causam, coque sicuti poterat, non prohibente, animas prius felices, et omnis humanæ contagionis expertes, ad miseram et ad omne sceleris genus proclivem hominum conditionem mitti ac redigi. Nonne Deus perfecta omnia facit, et *integritatis suæ*, sicut ait Arnobius, *conservantia mansiones* (ms. cod.) *mensiones*, seu dimensiones, sicuti ex Cicerone probatur? (*Cicer. lib. Orat*., *pag*. 268.) Nec semel quidem, nec quasi per transennam id ille dixit; sed eamdem probationem aliis tamen verbis fuse repetit et inculcat. (*Arnob*., *lib*. II, *pag*. 76 *et seqq*.)

At nonnulli hanc argumentationem censent eorum esse, qui hominem a Deo creatum negabant. Sed id certe ut rite ac prudenter annotarent, nobis ostendere debebant, quomodo Arnobius ea argumentatione, sicut illi impii erroris defensores, abutatur. Nam si ibi ille eorum tantum qui animas hominum et divinas, et dominicæ, uti loquitur prolis, seu Dei filias esse garriebant, errorem voluit refellere, non male forsitan illos, sicuti Augustinus, his rationibus impugnavit. Nihil enim, nisi perfectissimum, a Deo proficisci potest. Verum quia ibi hoc ipso argumento probandum in se suscepisse videtur, animas nostras non ab omnipotente Deo, sed ab aliis quibusdam potestatibus procreari, non minus procul dubio vitiosa est hæc illius probatio, quam falsa sententia. Utrum autem ita de animæ origine revera senserit, articulo sequenti investigabimus.

Gravioribus porro rationum momentis ipse et hunc concutit errorem, quo animæ nostræ tradebantur generis esse divini (*Ibid*., *pag*. 56 *et seqq*.); et alium, quo iidem haud dubie philosophi garriebant eas diu ante corpus existentes, in hunc mundum omnibus scientiis, disciplinis, et artibus plenissime instructas advolasse; atque adeo hominis scientiam, uti somniabat Plato, nihil esse aliud nisi priorum recordationem (*Plato*, *in Phædon*., *tom*. I, *pag*. 72 *et seqq*.; *in Menon*., *tom*. II, *pag*. 81 *et seqq*.; *Cicer*., *lib*. I, *Tuscul*., *pag*. 124). Animæ etenim humanæ si essent divinæ, et omnia olim cognovissent, nulla esse posset inter homines ulla de re dissensio. Atqui hoc falsissimum esse quis mentis suæ compos umquam negabit?

Plato tamen hanc quantumvis absurdam opinionem, atque ut putat Lactantius, ex poetarum figmentis haustam, confirmare sicuti Cicero etiam observat, nititur exemplo pusionis, qui de geometrica dimensione interrogatus, sic respondet, quasi sine magistro geometriam didicerit (*Plato*, *in Menon*., *tom*. II, *pag*. 82 *et seqq*.; *Cicer*., *lib*. I *Tuscul*. *quæst*., *pag*. 124, *lin*. 24). Verum illud opinionis commentum alio simili, sed longe efficaciori exemplo ab Arnobio nostro destruitur. Sit, inquit (*Arnob*., *lib*. II, *pag*. 57 *et seqq*.), puer aliquis in secretissimo loco, et ab hominum omnium habitatione remotissimo natus, ac perpetuo in silentio, sine ulla veste, unoque tantum cibo, et aqua sola ad tricesimum vel quadragesimum ætatis suæ annum educatus ac nutritus. Prodeat deinde in hominum cœtum, atque interrogetur de patre suo, de sua educatione et domo, de variis vestium ciborumque generibus, de Sole, luna, terra, de geometria, sicuti Platonis pusio, aut alia qualibet disciplina, nonne ille ea omnia ignorabit, et magis, quam piscis, mutus erit? Si quam vero vocem emittere cogatur, quamdam minime articulatam reddet.

Ad Platonis autem pusionem quod spectat, con-

tendit Arnobius illum, si recte interrogatis respondet, non ex iis, quæ reminiscendo recognoscit, sed ex aliis, quæ quotidiano usu didicerat, dare responsa. Quapropter hinc auctor noster concludit tota via errasse Platonem (*Plat.*, *in Timæo*, *tom.* III, *pag.* 41), qui opinatur animas hominum divinas et scientiis omnibus imbutas, in hunc mundum ex vivis prodire crateribus. Sed fatendum est in hac argumentatione Arnobium plurium rerum, quæ parum ad eam conducebant, enumeratione multo esse, quam par erat, longiorem.

Pressius itaque et acrius ille Platonem sic urget. Si anima quibuslibet doctrinis erudita, in mundum venit, docere potius, quam discere deberet (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 61). Neque Plato ejusque sectatores respondere poterant eam, cum corpore circumligatur, ex docta fieri *elementariam*, id est, ut ex Seneca intelligitur, primis elementis informandam (*Sen.*, *epist.* 306, *pag.* 102). Qui enim discerni posset utrum recordetur priorum, vel nova doceatur?

Ad hæc vero, anima incorporea et immortalis, qualis ab eis esse asseritur, nullo corporis impedimento potest omnium prius cognitorum oblivisci. Si in ea etenim tanta fiat mutatio, aliquid de integritate sua perdet, atque ita corrumpi poterit, nec amplius erit immortalis.

Præterea, si corpus animæ inferat pristinæ omnis scientiæ et cognitionis oblivionem, quomodo scire potest se prius instructam scientiis, obstaculo corporis, earum omnium esse oblitam?

Denique si senis hominis anima ab octoginta, ac si velis nonaginta et amplius annis corpore conclusa, rerum ante quinquaginta et sexaginta annos actarum, nequidquam impediente corpore, meminit; cur omnia quæ antequam in corpus mitteretur, eam optime nosse aiunt, ipsi postea excidisse tam pertinaciter asseverant?

Ea porro sunt Arnobii argumenta, quæ quidem omnia etsi non ejusdem sint ponderis, nemo tamen diffitebitur iis omnibus errorem Platonis plane penitusque destrui. Ad ipsius autem Arnobii de hominum anima explicandam opinionem antequam aggrediamur, juvat quosdam animadvertere modos loquendi, quos ille in hac disputatione ex Lucretio mutuatus est. Scribit enim, si animæ corporeis incursionibus cedunt: *Usu et illis est vita, non mancipio tradita* (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 62). Lucretius vero dixerat:

> Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.
> (*Lucret.*, *lib.* III, *vers.* 984.)

hoc est, nulli vitæ proprietas, sed usus datur.

Rursum autem Arnobius: *Priorum*, inquit (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 63), *repetentiam detrahit*. Sic ante citatum a nobis carmen Lucretius dixerat:

> Interrupta semel cum sit repetentia nostra.
> (*Lucret.*, *lib.* III, *vers.* 864.)

Quidam tamen ibi legunt, *repentia nostra*, alii vero A *retinentia nobis*. Sed prior lectio Arnobii nostri auctoritate confirmari videtur. Ibi autem *repetentia* idem atque recordatio significat.

ARTICULUS II.

Num recte Arnobius dixerit incertam esse humanæ animæ originem, atque in Simonis magi, Saturnini, Carpocratis, et Seleucianorum, eam ab alio, quam Deo creatam fuisse affirmantium, errorem impegerit, nec cognitum ipsi fuerit originale peccatum.

Nemo sane diffitebitur verum esse, quod docet Arnobius (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 53), omnes hominum animas ex uno eodemque fonte profluxisse. Quis sit autem hic fons, unde illæ profluxerint, ita quidem explicat ut gravissimi erroris, quo eum incertum esse significat, haud plane immerito postu- B letur.

Primum enim Ethnicos inducit, qui ab ipso exquirunt, quo auctore progenitæ, et quomodo prolatæ sint animæ, ac utrum Deus illarum parens et creator (*Ibid.*, *pag.* 75 *et seqq.*). Quid vero his respondere putas? Plane omnino atque ingenue fatetur id non solum nobis, sed omnibus etiam, quæ in mundo sunt, potestatibus esse incompertum, omnemque earum et nostram superare cognitionem.

At instabant Ethnici: Si tecum christiani negent animas a Deo creatas, vobis saltem patefaciendum incumbit a quo sint procreatæ. Sed hoc quoque ille penitus inficiatur. Citra omnem enimvero reprehensionem, inquit, nescire possumus animarum originem, et scire tamen eas non esse Dei progeniem, C neque ab illo procreatas. Et certe qui illas a Deo factas, et in hominum corpus venire existimabant, nihil plane dicebant certi et explorati; sed quod conjectura tantum ac suspicione assecuti erant. Quæ autem, ait Arnobius suspicionis et conjecturæ atque incertæ opinionis et ignorantiæ differentia?

Quid porro mirum, pergit ille (*Ibid.*, *pag.* 78 *et seqq.*), si incomperta nobis sit animæ humanæ origo, cum nec magis perspectum habeamus, unde animalium animæ oriantur? Neque enim hæ ex ficto Platonis cratere, cujus scilicet in Timæo meminit, sed ex elementis originem ducere perhibentur (*Plato in Timæ.*, *tom.* III, *pag.* 41). Verum quibus ex elementis, aut quomodo fiant, maxima est inter philosophos, sicut et de aliis multis quæstionibus contentio. D Ex quibus ille colligit, *neque eas scire compendium, neque ignorare detrimentum esse ullum, ac Deo relinquendas.*

Si intra hos fines sese Arnobius continuisset, non debuit utique illa animi illius moderatio prorsus culpari. Sæpe enim sæpius Augustinus sincere professus est obscurissimam esse, et *sine periculo latere animæ originem*. Quin immo in primo Retractationum suarum libro, quem jam senex conscripsit, apertissime declarat se nondum aliquid de illa comperisse certi penitus et indubitati: « Quod attinet, » inquit, « ad animi originem, qua fit, ut sit in corpore, utrum de illo uno sit, qui primus creatus est, quando factus est homo in animam vivam, an simi-

liter ita fiant singulis singuli, nec tunc sciebam, nec adhuc scio. » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 86; *Augustin.*, *epist.* 102, *pag.* 587; *epist.* 119, *pag.* 701 *Retract.*, *lib.* I, *cap.* 45 *et* 56; *lib.* X, *de Genes. ad litter.*, *cap.* 3; *lib.* IV, *de Anim. orig.*, *cap.* 5 *et* 11; *lib.* III, cap. 10, *lib.* LV, *contr. Julian.*, *cap.* 104; *lib.* I *Retract.*, *cap.* 1.)

Verum auctor noster, ulterius progressus, falsæ opinionis, errorisque scopulum offendisse arguitur. Non ambigue enim nec dubitanter pronuntiat, nos a Christo didicisse, « non esse animas Regis maximi, » seu Dei summi, « filias, nec ab eo, quemadmodum dicitur, generatas cœpisse se nosse, atque in sui nominis essentia (ms. reg. cod. *in sui nominis esse sententia*) prædicari : sed alterum quempiam genitorem his esse, dignitatis et potentiæ gradibus satis plurimis ab imperatore, » id est, Deo, « disjunctum; ejus tamen ex aula eminentium nobilem sublimitate natalium. » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 68.) Suam ibi de animarum nostrarum origine mentem non obscure prorsus aperit. Primo siquidem eorum, de quibus in superiori articulo, rejicit opinionem, qui arbitrabantur illas summi Dei filias, et ab eo generatas, nosse se cœpisse antequam in corpus infunderentur. Secundo asserit eas a quopiam procreatas fuisse genitore, qui ex ejusdem summi Dei aula fuit, natalium suorum splendore nobilis, sed satis plurimis dignitatis et potentiæ suæ gradibus ab ipso sejunctus.

Neque id ab eo incaute aut hæsitanter dictum putaveris. Nam illud sane alibi haud semel asseveranter pronuntiat. Alicubi siquidem : « Conspicimus, » ait (*Ibid.*, *pag.* 75), « homines, id est, animas ipsas, (quid enim sunt homines, nisi animæ corporibus illigatæ?) sævitate innumerabili vitiorum ipsos se indicare non esse patricii generis, sed ex mediocribus familiis procreatos. » Alibi vero (*Ibid.*, *pag.* 79) : « Non absone, neque inaniter credimus mediæ qualitatis esse animas hominum, utpote a rebus non principalibus editas. » Quid vero? quod impietatis eum accusat, qui animam a Deo creatam dixerit. « Sacrilegæ crimen impietatis incurrit, quisquis ab eo (Deo) conceperit hominem esse prognatum, rem infelicem et miseram. » Quis itaque diffitebitur ratam illi certamque fuisse hanc opinionem, quam toties ac tam clare et constanter tradidit et asseruit? Non alio autem fundamento nititur; nisi quod persuasum, uti vidimus, plane habuit homines, seu animas humanis corporibus illigatas, tot vitiis obnoxias, a Deo optimo maximo, qui nihil nisi omnino perfectum et integrum facere potest, creatas non fuisse.

Sed huic Arnobii opinioni non solum falsitatis et erroris, sed deliramenti etiam, horrendæque impietatis, et blasphemiæ nota ab Elmenhorstio et Heraldo inuritur. Ex Simonis autem Saturnini, Carpocratis, Marcionis, Seleucianorum et Hermianorum insignium hæreticorum schola hunc errorem depromtum existimant. Quod quidem probare conantur auctoritate Tertulliani, qui in libro de Præscriptionibus hæreticorum (*Tertull. lib. de Præscr. hæret.*, *cap.* 46) A scribit Simonem Magum docuisse : « Mundum ab angelis suis institutum. » Saturninum vero (*Ibid.*, *cap.* 48) : Longe distantes a Deo angelos inferiorem mundum fecisse; » atque Carpocratem dixisse : « Distantes longe a superioribus virtutibus mundum istum in inferioribus partibus condidisse. » Sed hæc in sexto supra quadragesimum hujus libri capite scripta sunt. A nobis autem alibi observatum est illud, et subsequentia hujus libri capita ei ab impostore aliquo fuisse adjecta (*tom.* 1 *Apparat.*, *pag.* 8 *et* 15). Et re quidem vera in ultima operum Tertulliani editione annotatum est hæc omnia in vetutissimo Agobardi codice non reperiri.

Nos quidem non fugit ab eodem Tertulliano in genuino de Anima libro hæc de Saturno scriptis man- B data : « Hominem affirmat ab Angelis factum, primoque opus futile et invalidum, et instabile, in terra vermis instar palpitasse, quod consistendi vires deessent. Dehinc ex misericordia summæ potestatis, ad cujus effigiem, nec tamen plene perspectam, temere structus fuisset, scintillulam vitæ consecutum, quæ illud exsuscitarit et erexerit, et constantius animarit, et post decessum vitæ ad matricem relatura sit. » (*Tertull.*, *lib. de Anim.*, *cap.* 23, *pag.* 335.) Sed hic error quantum ab explicata Arnobii opinione discrepet, nemo sane est qui non videat.

Præterea alio in libro animadvertimus (*tom.* I, *Apparat. lib.* II; *dissert.* 1, *cap.* 3, *art.* 1, *pag.* 286, *et art.* 3, § 2, *pag.* 292; *et cap.* 5, § 3, *pag.* 317). Saturninum docuisse hominem cæteraque omnia ab C angelis, *præter conscientiam* Patris; et Carpocratem ab angelis, supremo parente, a quo defecerant, longe inferioribus; Marcionem vero ab altero Deo creata. Quæ proculdubio opinionum monstra ab Arnobio potius rejecta quam adoptata sunt.

Seleuciani porro, teste Augustino : « Nec animam Deo tribuunt creatori, sed creatores esse animarum angelos volunt de igne et spiritu. » (*August.*, *lib. de Hæres.*, § 56.) Sed hi hæretici Arnobio posteriores videntur. Et hæc quidem in eorum gratiam observamus, qui jure merito volunt de antiquorum Ecclesiæ Patrum scriptis et sententiis accurate disputari, nec eis alienos, de quibus nihil umquam cogitarunt, errores ascribi.

Cæterum scire parum interest utrum, et ex quibus D hæreticis suam opinionem Arnobius delibaverit. Nobis enim nosse sufficit eam falsitatis et erroris merito condemnari. Ab Augustino quippe, ut alios taceamus, his verbis proscribitur : « Qui Platoni suo credunt, non ab illo summo Deo, qui fabricatus est mundum, sed ab aliis minoribus, quos quidem ipse creaverit, permissu sive jussu ejus animalia facta cuncta esse mortalia, in quibus homo præcipuum, diisque ipsis cognatum, teneret locum, si superstitione careant, qua quærunt, unde juste videantur sacra et sacrificia facere, quasi conditoribus suis, facile carebunt etiam hujus opinionis errore. Neque enim fas est ullius naturæ, quamlibet minimæ mortalisque creatorem, nisi Deum credere ac dicere, et antequam possit intel-

ligi. » (*August.*, *lib.* xii, *de Civit.*, *cap.* 24, *pag.* 322.) A
Quod quidem Epiphanius aliique variis certisque sacræ Scripturæ testimoniis demonstrant. (*Epiphan.*, *hæres.* 23, § 5, *pag.* 65 *et seqq.*)

Porro autem quamvis Arnobius tam præfracte negare videatur animas hominum a summo Deo fuisse creatas, in illius tamen defensionem afferri haud forsitan inepte poterit eum aperte, ut vidimus (*Sup. cap.*), docuisse Deum summum esse rerum omnium, ac nominatim solis, lunæ, atque ipsiusmet hominis creatorem. Hæc enimvero sunt totidem illius verba : « Nonne huic omnes debemus, hoc ipsum primum, quod sumus, quod esse homines dicimur, quod ab eo vel missi, vel lapsi cæcitate hujus in corporis continemur? Non quod incedimus, quod spiramus, et vivimus ab eo ad nos venit, vique ipsa vivendi B efficit nos esse, et animali agitatione moveri? » (*Arnob.*, *lib.* i, *pag.* 16.) At si Deus summus, de quo ibi disputat, sit rerum omnium creator, si illi debemus quod sumus homines, si ab eo ad nos venit quod sumus, et vivimus, certe inde sequitur quod et animarum nostrarum auctor sit et creator. Nihil quippe, ut ab eo definitum observavimus (*Ibid.*, *lib.* ii, *pag.* 52 *et* 56), aliud sunt homines, quam animæ corporibus clausæ, vel alligatæ.

Quid ergo? Numquid ille sibi non constitisse, sed absurde contradixisse dicendus est? Sed quid prohibet quominus sine ulla plane animi inconstantia et volubilitate asserere potuerit animas non ab ipsomet omnipotente Deo, tamquam causa proxima, sed causa tantum remota, et omnium prima, per alium e supe- C rioribus potestatibus aliquem creatas? Verum hanc non fuisse illius opinionem inde confici videtur, quod illa iisdem evertatur argumentis, quibus, uti diximus, ipse probare conatus est, animas, utpote vitiis obnoxias, non potuisse a summo Deo creari. Nonne ergo verisimilius est illum disputationis æstu abreptum, extra statos limites argumentum suum urgere ac prosequi? Si quis tamen nobis certo probaverit illum credidisse animas humanas nequaquam a summo Deo, sed ab inferioribus tantum quibusdam natalium splendore nobilissimis potestatibus creatas fuisse, nos illico eum errasse fatebimur, nec sequemur errantem.

At non deerit fortasse aliquis, qui nobis suggerat Arnobium in hunc delapsum esse errorem, quia com- D pertam non habuit peccati originalis labem, qua factum est, ut homo tot miseriis, infirmitatibus, et illicitis cupiditatibus sit obnoxius. Verum quomodo Arnobius originale peccatum potuit ignorare, a quo scriptum legimus : « Quia proni ad culpas, et ad libidinis varios appetitus vitio sumus infirmitatis ingenitæ, patitur Deus se semper nostris cogitationibus concipi; ut dum illum oramus, et mereri ejus contendimus munera, accipiamus innocentiæ voluntatem, et ab omni nos labe delictorum omnium amputatione purgemus. » (*Ibid.*, *lib.* i, *pag.* 15.) Quid est autem, obsecro te, illud ingenitæ infirmitatis vitium, nisi ipsummet peccatum originale? Certe quidem id etiam heterodoxi scriptores ingenue ac rotunde confitentur. (*Hoornb.*, *Exercit. theolog.*, *lib.* i, § ii, *pag.* 130.)

Cur ergo, inquies, tanto labore, tanta opera, tam longis sermonibus probare contendit hominis tot tantisque miseriis obnoxii animam a Deo non potuisse creari? Nonne illud sola peccati originalis expositione, vel prolato tantum nomine explicare poterat? Optime quidem. Sed animadvertas, velim, eum adversus Ethnicos disputare, qui animas nostras divinas, aut prolem divinam, aut Dei partem esse somniaverant, nihilque ne somniando quidem de originali cogitaverant peccato. Quid ergo, si illos ex ipsorum tantum placitis redarguat, atque ad hominem, ut aiunt, argumentatus sit, nec putaverit ibi peccati originalis, sed alibi faciendam esse mentionem? Quid autem ex negante argumento confici potest contra rem aliquam, quam assertam habemus?

ARTICULUS III.

Quæ fuerit vera Arnobii de animæ humanæ natura et immortalitate opinio, et utrum in quemdam de illa errorem lapsus sit.

Quid de ipsa humanæ animæ natura, illiusque immortalitate sentiat Arnobius, et utrum in ea definienda rursus per errorem, ut quidam opinantur, lapsus sit, a nobis adhuc est sedulo inquirendum. Ab Heraldo autem docuisse insimulatur eam corpoream esse, et mortalem. Sed hæc gravis criminatio examine procul dubio indiget.

Primum itaque putat Heraldus animas hominum corporeas ab auctore nostro censeri, quia illas doloris sensu affici arbitratus est. Ubinam vero gentium scripto hæc tradidit? ubi de Platone ait Heraldus, hæc loquitur in verba : « Rem inenodabilem suscipit : ut cum animas dicat immortales, perpetuas, et corporali soliditate privatas; puniri tamen eas dicat, et doloris afficiat sensu. Quis autem hominum non videt quod sit immortale, quod simplex, nullum posse dolorem admittere; quod autem sentiat dolorem, immortalitatem habere non posse? » (*Arnob.*, *lib.* ii, *pag.* 52.) Verum Arnobius mentem sensumque suum ibi non explicat : sed ostendit Platonem secum pugnasse, cum animas etsi immortales, et incorporeas, doloris sensu affici adseverat. Quod enim dolore, inquit, afficitur, mortale sit, plane oportet. Quid autem in hac confutatione condemnandum?

At, inquies, ille reapse animas nostras mortales esse apertissime docuit. Nam ibidem paulo post subjunxit : « Sunt mediæ qualitatis, sicut Christo auctore compertum est, et interire quæ possint, si Deum ignoraverint; vitæ et ab exitio liberari, si ad ejus se minas (ms. cod. reg. *semina*) atque indulgentias applicarint. » (*Ibid.*)

Postea vero philosophorum haud dubie Platonicorum, qui animas immortales esse asserebant, opinionem ideo refellit (*Ibid.*, *pag.* 63 *et seqq.*); quia si id verum sit, quilibet, contemptis virtutibus, in omne voluptatis et flagitii genus sese secure et intrepide

daret præcipitem. Nullo siquidem supremæ potestatis A metu is cohiberetur : « Cui, » inquit (*Ibid.*, *pag.* 64), persuasum fuerit tam se esse immortalem, quam ipsum Deum primum. » Tum namque se ita incorruptibilem esse sciret ; ut nullo prorsus dolore, et animi perturbatione posset pulsari et agitari, neque ullius turpis actionis pollui fœditate. *Corporalem enimvero substantiam*, uti ille ait (*Ibid.*), qui non habet, nulla plane peccati sorde contaminari potest. Inde autem factum dicit, ut medietas, ancepsque animarum natura dederit philosophiæ locum asserendi et bonos præmia, et malos pœnas manere. Ea vero persuasione unusquisque in officio suo continetur. Quamobrem ille inde concludit : « Hæc cum ita se habeant, et cum a summo traditum teneamus auctore non esse animas longe ab hiatibus mortis et faucibus constitu- B tas ; posse tamen longævas summi principis munere ac beneficio fieri, si modo illum tentent ac meditentur agnoscere.... tum deinde feritate atque inhumanitate depositis, resumant ingenia mitiora ; ut ad illud quod dabitur esse possint paratæ, quid est quod a vobis tamquam bruti et stolidi judicemur, si propter hos metus liberatori dedimus et mancipavimus nos Deo. » (*Ibid.*, *pag.* 65.)

Neque hanc de animarum medietate opinionem ab Ethnicis rejici posse ostendit ; quia illi deos suos, quocumque nomine ab ipsis appellarentur, ejusdem mediæ naturæ esse existimabant : « Qui mediæ, » inquit (*ibid.*, *pag.* 67), « qualitatis animas esse non creditis, et in medio limite vitæ atque interitus contineri, nonne omnes omnino, quos opi- C natio suspicatur, dii, Angeli, dæmones aut nomine quocumque sunt alio, qualitatis et ipsi sunt mediæ, et in ambiguæ sortis conditione mutabiles. » Ibi autem Platonis sensum retulit, non verba ipsa, quæ in eo, quem haud dubie laudavit, philosophi Timæo, atque ab Athenagora, Cicerone et aliis citata invenies (*Plato, in Timæo, tom.* III, *pag.* 41 *et seqq.*; *Atheuag.*, *leg. pro christian.*, *pag.* 6 ; *Cicer.*, *de Univers. in fragm.*, *tom.* II, *pag.* 29).

Denique Arnobius hanc suam de illa animæ nostræ natura sententiam his clarissimis minimeque ambiguis verbis exposuit : « Non absone, neque inaniter credimus mediæ qualitatis esse animas hominum, utpote a rebus non principalibus editas, juri subjectas mortis, parvarum et labilium virium perpetuitate do- D nari, si spem muneris tanti Deum ad principem conferant, cui soli potestas est talia, corruptione exclusa, largiri » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 79).

Nonne ergo ex hactenus dictis satis liquido probetur Arnobium in ea fuisse opinione, animas hominum mediæ cujusdem mortalem inter et immortalem esse qualitatis et naturæ ? Docet autem hanc earum medietatem in eo positam esse, quod anima ipsa sua natura sit mortalis, et unius tantum Dei dono ac beneficio immortalis fiat. Quapropter ille adhuc postea perspicue declarat (*Ibid.*, *pag.* 87) : « Servare animas alius, nisi Deus omnipotens non potest, nec præterea quisquam est qui longævas facere, perpetuitatis possit et spiritum subrogare, nisi qui immortalis et perpetuus solus est, et nullius temporis circumscriptione finitus. » Ubi obiter observa a Petavio traditum eo nomine *longævas*, idem ab illo significari, ac si dixisset æternas (*Petav.*, *tom.* I, *Theolog. dogm.*, *lib.* III, *cap.* 3, *pag.* 191). At hæc porro esse videtur genuina Arnobii nostri de animæ humanæ natura opinio, quam certe, uti vides, nec semel, nec obscure, explicavit.

Sed plurium ea de causa errorum postulatur. Primum enim decernit animas solius Dei beneficio esse immortales, sua vero natura mortales, et morti, ex qua a solo Deo eripiuntur, obnoxias. At quidquid mortale est, illud proculdubio corporeum esse debet. Quis autem nescit hunc veterum quorumdam scriptorum errorem esse jam a longo tempore, nec sine ignominia condemnatum ?

Deinde vero Arnobius putat animas hominum Dei tantum beneficio, si tamen eum agnoverint, et hoc meruerint beneficium, immortales fieri. At inde adhuc sequitur persuasum illi fuisse animas impiorum et infidelium interire, nec a Deo immortalitate donari. Secundus autem hic error est, non minori, quam primus, censoriæ severitatis nota jure merito inustus.

Quod autem ad primum errorem spectat, dictu profecto facile non est utrum Arnobius in illum inciderit, nisi prius constet quid mediæ mortalem inter et immortalem naturæ nomine ab eo intelligatur. At sane quamvis id ille plane et distincte non definiverit ; certum tamen est hoc ideo ab ipso pronuntiari, quia constanter credidit, quod ab Apostolo assertum legimus (I *Timoth.*, VI, 16), Deum solum revera esse immortalem. Quid enim his ejus auctoris nostri verbis, ut alia missa faciamus, clarius et expressius ? « Nonne solus ingenitus, immortalis, et perpetuus solus est ? » *Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 95.) Quin immo et ipsum solum incorporeum esse asseverat : « Ingenitus, » inquit (*Idem*, *lib.* I, *pag.* 17), « immortalis, perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio. »

At si Arnobius eo tantum sensu animam esse immortalem negavit, quia alio, quam Deus, modo sit immortalis, nihil certe protulit nisi sanum et orthodoxum : « Anima quippe hominis, » ait Augustinus, « immortalis est secundum quemdam modum suum. Non enim omni modo, sicut, de quo dictum est quia : Solus habet immortalitatem. » (*Augustin.*, *epist.* 146, *pag.* 584). Tum deinde declarat quomodo anima et corporea et incorporea dici possit : « Incorpoream esse animam, » ita ille ad Hieronymum scribit (*Ibid. et seqq.*) : « etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum. Sed ne verbi controversiam vel superfluo faciam, vel merito patiar ; quoniam cum de re constat, non est opus certare de nomine : si corpus est omnis substantia, vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur id, quod aliquomodo est in se ipso, corpus est anima. Item si eam solam incorpoream placet appellare na-

turam, quæ summe incommutabilis, et ubique tota est, corpus est anima; quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, et breviore breviorem, minusque sit in parte, quam in toto, non est corpus anima. Per totum quippe corpus, quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intensione porrigitur...., Quapropter si anima corpus esse dicenda est, non est certe corpus, quale terrenum est, nec quale humidum, aut aereum, aut æthereum..... Unde intelligitur anima, sive corpus, sive corporea dicenda sit, propriam quamdam habere naturam, omnibus his mundanæ molis elementis excellentiore substantia creatam, quæ veraciter non possit in aliqua phantasia B corporalium imaginum, quas per sensus carnis percipimus, cogitari, sed mente intelligi, vitaque sentiri. »

Fatetur itaque Augustinus animam hominis variis loquendi modis dici posse corpoream et incorpoream, mortalem et immortalem. Quid ergo, si primo sensu Arnobius dixerit esse corpoream, atque ea quoque ratione mortalem, quia ab ipsomet Deo, a quo creata est, siculi de Tatiano annotavimus (*tom.* I, *Apparat. lib.* II, *dissert.* 5, *cap.* 2, § 4, *pag.* 539), suam immortalitatem acceperit? Numquid illum ab errore negabis vindicatum?

5. Atqui hanc fuisse ejus mentem et opinionem nonne ex his confici potest verbis, quibus istam sibi ipse proponit quæstionem? « Et quemadmodum se C possunt incorporalibus corpora conjungere, aut, a Deo principe, res factæ ab infirmioribus causis ad vitiorum dehonestamenta traduci » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 53)? Ad illam enim quæstionem quid respondeat, animum, velim, advertas. Ab Ethnicis vicissim petit (*Ibid.*) utrum, animi fastidio arrogantiaque depositis, unam eamdemque cum Deo Patre immortalitatem se participare contendant. Postea autem rursus ille eumdem philosophorum Ethnicorum errorem refellendo: « Quod si homines, » inquit (*ibidem*, *pag.* 56), « penitus aut ipsos se nossent, aut intellectum Dei suspicionis alicujus acciperent aura, numquam sibi adsciscerent divinam immortalemque naturam. » Nonne autem hinc colligi haud prorsus inepte potest Arnobii opinionem fuisse, animam D hominis non eodem, quo Deus, sed alio prorsus modo esse immortalem, ea nimirum immortalitate, quam a se non habeat, sed a Deo acceperit, et quæ ex illius pendeat potestate? At si hæc ejus sit mens et sententia, nec aliam agnoverit animæ nostræ medietatem, nisi eam qua inter immortalem et incorpoream Dei, atque alias mortales ac corporeas naturas media dici potest, fatendum est illum non omnino errasse. Plurium siquidem veterum Ecclesiæ Patrum auctoritate probavit Petavius ideo solum Deum esse immortalem, quia non ab alio accepit immortalitatem, ac prorsus immutabilis est (*Petav.*, *tom.* I. *Theolog. dogm.*, *lib.* III, *cap.* 4, § 10 *et seqq.*, A *pag.* 90 *et seqq.*). Utrum autem hæc ipsa veraque sit Arnobii sententia, expendas velim, ac dijudices. Sed interim videamus utrum revera putaverit immortalem prorsus esse hominis animam.

ARTICULUS IV.

Utrum Arnobius docuerit animas impiorum aliquando in nihilum redigendas, aut futuram corporum nostrorum resurrectionem negaverit.

Quosdam cum Heraldo aliisque nonnullis audire nobis videmur, qui contra expositam a nobis Arnobii de animæ humanæ immortalitate opinionem acriter urgent illum revera existimavisse impiorum animas mori, ac quamvis non statim extinguantur, consumi tamen longissimi temporis cruciatibus. Non obscure siquidem, sed clare et aperte de iis dixit: « In flumina torrentia flammarum jaciuntur, et ad nihilum redactæ, interitionis perpetuæ frustratione vanescunt » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 52). Nec opponi sibi patiuntur ibi ab illo minus suam, quam Platonis sententiam referri. Nam hæc ibidem subjunxit. « Et ut quod ignotum est pateat, hæc est hominis mors vera, hæc nihil residuum faciens. Nam illa, quæ sub oculis cernitur, animarum est a corpore dijugatio, non finis abolitionis extremus. Hæc, inquam, est hominis mors vera, cum animæ nescientes Deum, per longissimi temporis cruciatum consumentur igni fero, in quem illas jacient quidam crudeliter sævi, et ante Christum incogniti, et ab solo sciente detecti. » Nonne ergo ille ipse ibi, inquiunt, perspicue palamque pronuntiat animas impiorum et Deum ignorantium, per longissimi tantummodo temporis intervallum, sed finiendis aliquando cruciatibus torquendas, ac tandem redigendas ad nihilum?

Quid vero, quod ille adhuc postea diserte tradidit: « Quo pacto immortalitas largitoris est donum Dei circa prolatos deos, et animas hoc pacto dignabitur immortalitate donare, quamvis eas mors sæva posse videatur extinguere, et ad nihilum redactas irremeabili abolitione delere » (*Ibid.*, *pag.* 68).

Sed in hoc posteriori loco nihil aliud innuere videtur, nisi animas nostras, quantumvis incorporeæ et spiritualis substantiæ sint, posse, quod nullus negat, a Deo, earum creatore, penitus destrui et ad nihilum redigi. Tota autem difficultas in eo versatur utrum crediderit animas sceleratorum hominum revera perituras, postquam per longissimi temporis spatium igne excruciatæ fuerint. At certe cum animas fidelium et piorum hominum, uti diximus, solo Dei beneficio immortales fieri arbitretur, inde profecto conficitur eum putasse animas infidelium, hoc immortalitatis munere privatas, revera aliquando interire et omnino exstingui. Quamobrem Ethnicos his verbis compellat: « Res vestra in ancipiti sita est, salus dico animarum vestrarum: et nisi vos applicatis Dei principis notioni, a corporalibus vinculis exsolutos exspectat mors sæva, non repentinam afferens extinctionem, sed per tractum temporis cruciabilis pœnæ acerbitate consumens » (*Ibid.*, *pag.* 86).

De ethnicorum itaque, hoc est, infidelium hominum suppliciis post mortem luendis loquitur, tanquam æterna non sint, sed finem cum illorum animabus aliquando habitura.

Verumtamen non minus plane et dilucide docet ignes quosdam esse inextinguibiles, quibus illæ impiorum animæ torquentur. Nam ethnicos hanc christianorum opinionem irridentes sic alloquitur: « Audetis ridere nos, cum gehennas dicimus, et inextinguibiles quosdam ignes, in quos animas dejici ab earum hostibus inimicisque cognovimus (*Ibid.*, *pag.* 52). » Et alibi, diserte appellat, *inextinguibiles gehennæ flammas* (*lib.* IV, *pag.* 159). Neque respondeas ignes quidem ab eo dici inextinguibiles, sed silentio prætermitti utrum impiorum animæ iis semper et in perpetuum sint torquendæ. Eam quippe ob rationem ignes illos accendi asserit; ut in eos animæ impiorum ab earum hostibus, hoc est, dæmonibus dejiciantur. Atqui si sempiterni sint ignes illi, et animæ tamen in nihilum aliquando redigendæ, tum certe inutiles forent, postquam omnes eædem animæ non exstabunt amplius.. In tam absurdam autem opinionem ivisse Arnobium, et sibi ipsi tam absurde contradixisse, quis nobis persuadebit? Si quis tamen id ab eo assertum fuisse recte probaverit, cedemus illico, et illum turpiter errasse fatebimur.

Sed Arnobius gravioris adhuc, si Deo placet, erroris ab Elmenhorstio et Heraldo arguitur, ubi de corporum nostrorum resurrectione sic contra Ethnicos disputat: « Audetis, » inquit *Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 51), « ridere nos, quod mortuorum dicamus resurrectionem futuram; quam quidem nos dicere confitemur: sed a vobis aliter, quam sentiamus, audiri. Quid in Politico Plato? Nonne cum mundus occœperit ab occiduis partibus exoriri, et in cardinem vergere, qui orientis est solis, rursus erupturos homines telluris e gremio scribit, senes, canos, decrepitos, et cum anni cœperint accedere longiores, per eosdem gradus, quibus hodie crescitur, ad incunabula infantiæ exituros? » Et hic quidem Platonis locus, cujus sensum, potiusquam verba Arnobius exhibet, in citato ejus Politico legitur (*Plato.*, *tom.* II, *Politic.*, *p.* 170). Ipsa autem verba hic referre nihil necesse est; nam et id longioris esset operæ, et de iis nulla prorsus esse potest controversia.

At mirum sane quantacumque infamis non erroris tantum, sed insaniæ et furoris nota Auctori nostro inde inuratur. Si enim Elmenhorstio credimus: « Insanit cum furentibus hominibus, Marcione, Basilide, et Origene, qui resurrectionem non carnis, sed corporis, et corporis quidem spiritualis credebant. » Totidem hæc sunt illius Arnobium tam graviter quam temere accusantis verba, quæ ideo descripsimus, ne quis hæc nobis dicentibus fidem derogandam censeat. Quæ autem major temeritas, quam antiquissimum auctorem erroris, insaniæ, et furoris audacter accusare, et nullam accusationis afferre rationem? Nullam autem Elmenhorstius profert, nec minimam quidem proferri posse mox ostendemus.

Heraldo autem hæret aqua, ancepsque et incertus videtur cujusnam de corporum resurrectione erroris Arnobium insimulet. Nam illum ad falsam Origenis opinionem, modo ad graviorem, modo ad Marcionis insaniam accessisse, modo nihil certi de resurrectione aut tradidisse, aut comperisse redarguit.

Sed tam hujus quam Elmenhorstii iniquæ prorsus et nugatoriæ sunt censuræ et criminationes. Non enim ibi Arnobius data opera de mortuorum hominum ad vitam regressu disputat: sed adversus ethnicos, qui tametsi nihil in negotiis sine fide agerent, tametsi philosophorum placitis, aliquid nonnumquam nostris affine habentibus, fidem darent; christianos tamen et Christo, et omnibus doctrinæ ejus articulis credentes irridebant. At varios hujusce doctrinæ articulos percurrendo, ad illud de corporum nostrorum resurrectione delabitur. Ibi autem tantum argumento, ut loqui amant, ad hominem ostendit insulsam prorsus esse illam ethnicorum criminationem, quia christiani certissimis Apostoli ad Thessalonicenses scribentis verbis debitam (I *Thess.*, IV, 12 *et seqq.*), ethnici vero dubio plane Platonis de animarum ad vitam reditu documento indebitam præstabant fidem. Quid autem hac in argumentatione potest erroris, insaniæ, furoris argui? Quid amabo te, iniquis, quam Arnobium illius erroris insimulare, quem proscribit ac repudiat? Neque objicias illum suam ibi non explicasse sententiam. Nam ex ejus silentio nihil contra illum inferre fas est. Deinde vero hic locus non erat sententiam suam explicandi, ubi insulsas tantummodo gentilium de christianorum, uti diximus, fide cavillationes criminationesque repellit et exagitat. Sed de illa christianorum fide nunc fusius agendum.

CAPUT X.

De christianorum fide, spe, ecclesiis, sacris Scripturis, altaribus, simulacris, synaxibus, ac precibus etiam pro mortuis.

ARTICULUS PRIMUS.

De christianorum fide ejusque necessitate, ac certa illorum de futuræ vitæ spe, quantumque ea gentilium opinionibus opposita sit.

Supremam Christi domini divinitatem variis, uti vidimus, rationum momentis cum Arnobius demonstraverit, non mirum sane si dictis ejus, tamquam divinis fidem ab omnibus adhibendam esse firmissime asseveret. Totidem enimvero argumentis eum vera dixisse, et illi credendum esse ostendit, quibus summam illius divinitatem asserit et vindicat. Sed quia gentiles hanc christianorum fidem irridere solebant, hinc auctor noster brevi inductione probat fidem etiam humanam tantæ esse necessitatis (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 47); ut ipsimet gentiles illam suis non solum cogantur habere auctoribus atque philosophis, sed nulla etiam negotia, navigationes, terræ culturam,

conjugia, bella, aliasque res sive humanas, sive divinas, nisi fide præeunte, suscipere præsumant. Eodem quoque argumento postea Rufinus sic usus est, quasi illud ab ipso auctore nostro delibasset. Nam eadem sumpsit exempla, atque ex eis hunc disputat in modum : « Ut intelligentiæ tibi aditus patescat, recte primo omnium te credere profiteris; quia nec mare quis ingreditur, et liquido ac profundo sese committit elemento, nisi se prius credat posse salvari. Nec agricola semina sulcis obruit, et fruges spargit in terram, nisi crediderit venturos imbres, affuturum quoque Solis teporem, quibus terra confota, segetes multiplicata fruge producat, ac ventis spirantibus nutriat. Nihil denique est, quod in vita geri possit, si non credulitas ante præcesserit. Quid igitur mirum, si accedentes ad Deum, credere nos primo omnium profitemur, cum sine hoc nec ipsa exigi possit vita communis. Hæc autem idcirco in principio præmisimus, quia pagani nobis objicere solent, quod religio nostra, quia rationibus deficit, in sola credendi persuasione consistat. Et ideo ostendimus nec agi, nec stare aliquid posse, nisi præcesserit vis credendi. Denique et matrimonia contrahuntur, quia creditur successura posteritas : et pueri discendis artibus traduntur, quia magistrorum in discipulos transfundenda creditur disciplina : et imperii insignia unus suscipit, dum credit populos et urbes, et armatum etiam exercitum pariturum » (*Rufinus, Comment. in symbol. post init., p.* 171). Prius vero eadem argumentatione, iisdemque exemplis Celsum Origenes, et Eusebius quoslibet ethnicos refellunt, ad fidei probant necessitatem (*Orig. lib.* I, *contra Cels., pag.* 9 *et* 10; *Euseb., lib.* I, *Præparat. Evang., c.* 5, *p.* 14 *et seqq.*). Quæ quidem illi adhuc uberius prosequuntur. Quamobrem longius profecto foret omnia eorum verba describere, quæ ab omnibus in illorum libris, facile cuilibet obviis, legi possunt. Ad eos porro adire qui voluerit, operæ forsitan suæ non pœnitebit, gratumque nobis faciet, si deprehendere, indicareque possit utrum unus ex illis ab alio sua decerpserit. De fidei porro necessitate alibi disputavimus (*tom.* I, *Apparat., lib.* II, *Dissert.* 2, *c.* 11, *art.* 2, *p.* 1025 *et seqq.*).

Ex eadem asserta Christi divinitate efficitur, ut salutis æternæ, et eorum quæ Christus promisit, firma omnino certaque sit christianorum spes et expectatio. Deus enim ille utique esse non potest, qui promissis non satisfacit. Neque Arnobius sinit sibi ab ethnicis objici vanam et cassam esse christianorum spem (*Arnob., lib.* II, *p.* 44); nec ea a Christo impleta et data, quæ sæpius pollicitus fuerat. Nam promissis, constituto tempore, stetit; atque ejus miracula, et alia ab ipso divinitus facta, nec dubium sane, nec incertum aliarum ejus promissionum sunt pignus et comprobatio.

Ostendit insuper Arnobius quantum christiani et ethnici de futuræ animarum post mortem salutis spe inter se dissentirent. Gentiles, inquit (*Idem, lib.* II, *p.* 66), salutem animarum suarum in se ipsis repo-

A nentes, existimabant se solo conatu suo fieri deos : christiani vero infirmæ naturæ suæ viribus diffidentes, illam ab omnipotentis Dei misericordia expectabant. Gentiles opinabantur alas sibi post mortem futuras, quibus in cœlum convolarent. Quin immo somniaverant quasdam esse potestates, quæ secretarum artium superstitionibus, et commendatitiis magorum precibus mollitæ, facilem in cœlum contendentibus dabant aditum (*Ibid., pag.* 52 *et* 87). Qua de re Plato in genuinis sive nothis suis operibus, Servius, et apud Augustinum Porphyrius legendi (*Plato, in Phædon., tom.* I, *p.* 107, *et Axioco, tom.* III, *p.* 371; *Serv., in lib.* VI, *Æneid., vers.* 758; *August. lib.* X, *de civit., c.* 9 *et* 10, *p.* 246 *et seqq.*). Verum christianis incertum est utrum vitam immor-
B talem accipere aliquando mereantur. Arbitrabantur denique ethnici se sponte sua, nulloque prohibente, in dominicam, tanquam suam propriam sedem redituros. Contra vero christiani istud fieri posse non sperabant, sine rerum omnium Domino, id est, nisi Deus omnipotens, et Christus Dominus immortalitatis, eo, quo superius diximus (*Cap. super. art.* 4), modo gratiam, et æternæ felicitatis præmium promerentibus contulerit. Visne Arnobium nostrum loquentem audire? En ejus verba : « Per hunc solum est ingressus ad Lucem, neque alias datum est vel irrepere, vel invadere, cæteris omnibus clausis, atque inexpugnabili arce munitis. Licet ergo purus, et ab omni fueris vitiorum contaminatione purgatus, conciliaveris illas atque inflexeris potestates, ad cœlum redeunti ne
C vias claudant, atque obsepiant transitum, ad immortalitatis accedere nullis poteris contentionibus præmium, nisi quod ipsam immortalitatem facit, Christo attribuente, perceperis, et veram fueris admissus ad vitam (*Arnob., lib.* II, *pag.* 90). »

Summa ergo erat gentilium dementia, qui beatam immortalitatem a potestatibus nescio quibus, vel a seipsis expectabant. Contra vero certissima est spes christianorum, qui si digni sint, hanc beatam immortalitatem ab omnipotente Deo, solo illius datore, se accepturos confidunt.

ARTICULUS II.

De christianorum ecclesiis, sacris Scripturis, et synaxibus, quove ritu Deum in eis precarentur, ac quid ab eo peterent.

D Ad alia, quæ christianos adhuc spectant, gradum ut faciamus, ethnicis objicientibus nullas ab illis exædificatas *sacras ædes*, Arnobius sic respondet, ut id nequaquam diffiteri videatur (*Arnob., lib.* VI, *pag.* 189). Quid ergo? Numquid revera christiani nullas ipsius tempore habebant sacras ædes, domos, ecclesias, sive templa, in quibus omnes simul congregati, Deum precarentur? Minime quidem. Nam plures habuerunt, quas Apostolus ecclesias, Eusebius vero : προσευχτηρίων τοὺς οἴκους, *domos, in quibus precabantur*, ipsemet autem Arnobius *conventicula* appellant (*Paul., Epist.* I, *ad Cor., cap.* XV, *vers.* 15; *Euseb., lib.* VIII, *Eccl. Histor., cap.* 2, *pag.* 293; *Arnob., lib.*

IV, *pag.* 152). Sed hæc ille ab ethnicis diruta, quemadmodum christianorum scripta ignibus data fuisse tam amaro, quam æquo doloris sensu his conqueritur verbis : « Nostra quidem, » ait ille, « scripta cur ignibus dari meruerunt? Cur immaniter conventicula dirui, in quibus summus oratur Deus? » Sicut ergo nullus potuit unquam negare christianos sua habuisse scripta, sacrosque divinæ scripturæ libros, ita inficias nemo ire potest eos ante Arnobii tempus et ejus tempore suas habuisse ecclesias, vel ut ille loqui maluit, *conventicula*, ubi ab ethnicis destructa non fuerant. De notata autem ab eo harum eversione, et sacrorum librorum incensione supra disputavimus (*Supr.*, *cap.* 2, *art.* 1, *tom.* I, *Apparat.*, *pag.* 731 *et seq.*; *Dissert. in Minuc.*, *cap.* 12, *art.* 2). Rationem quoque alibi reddidimus cur Arnobius fateri videatur nullas fuisse christianis ecclesias, sive nulla, quemadmodum ethnici, templa, tametsi *conventicula* ab illis extructa fuisse apertissime declaret. Cum nemo autem sanæ mentis homo id denegare queat, nullus etiam inficiari potest in his conventiculis, quocumque nomine appellentur, actas christianorum synaxes.

In iis vero quid agerent, si scire desideres, his accipe ipsis ejusdem Arnobii verbis : « Summus oratur Deus, pax cunctis et venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 152). Accedit adstipulator Cyrillus Hierosolymitanus, qui paulo fusius dixit (*Cyrill. Hieronym.*, *catech.* 5, *Mystag.*, *pag.* 539) : Παρακαλοῦμεν τὸν θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν Ἐκκλησιῶν εἰρήνης, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου εὐσταθείας, ὑπὲρ βασιλέων, ὑπὲρ στρατιωτῶν, καὶ συμμάχων, ὑπὲρ τῶν ἐν ἀσθενείαις, ὑπὲρ τῶν καταπονουμένων, καὶ ἁπαξαπλῶς, ὑπὲρ πάντων βοηθείας δεομένων. « Obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, pro afflictis, et in summa pro iis omnibus, qui egent auxilio. » Addit ille omnes christianos tum orasse patriarchas, prophetas, apostolos et martyres, ut iis intercedentibus, Deus illorum exaudiret preces, et concederet postulata. Sed de his plura ante utrumque Tertullianus ut suo loco videbimus (*Tertullian.*, *Apolog.*, *cap.* 46).

Quid autem, quove ritu et more ibi christiani Deum precarentur, sic Arnobius explicat : « Huic omnes ex more prosternimus, hunc collatis precibus adoramus : ab hoc justa, et auditu ejus condigna deposcimus. Non quo desideret supplices nos esse, aut amet substerni tot millium venerationem videre. Utilitas hæc nostra est, et commodi nostri rationem spectans (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 14 *et seqq.*). » Tertullianus vero, ubi adversus Marcionis de duobus diis errorem dimicat : « In alienum, » inquit (*Tertullian.*, *lib.* I, *adv. Marc.*, *cap.* 24), « cœlum alii Deo extenditur, in aliena terra alii Deo sternitur. » Nobis certe dicet aliquis hoc ultimum verbum *sternitur*, a quibusdam de publica pœnitentia agentibus explicari, juxta illud ejusdem Tertulliani effatum : « Exomo-

A logesis prosternendi et humiliandi hominis disciplina est (*Idem*, *ib. de Pœnit.*, *cap.* 9). » Sed jam conceditur hoc de pluribus christianis intelligendum. Nec minus certum manifestumque est, quod Arnobius de omnibus generatim dixit christianis (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 15), qui in synaxibus suis Deum prostrati precabantur, ac *collatis*, ut ille ait, *precibus* adorabant. Nonne enim hæ collatæ præces sunt, de quibus alibi Tertullianus : « Corpus, » inquit (*Tertullian.*, *Apolog.*, *cap.* 39, *pag.* 34), « sumus de conscientia religionis, et disciplinæ unitate, et fidei fœdere. Coimus ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata est? » At certe hoc precantium agmine gratam Deo vim faciebant, ut ab illo, inquit adhuc Arnobius (*Ibid.*), impetrarent B *innocentiæ voluntatem et ab omni labe delictorum omnium* purgationem.

Non mirum ergo si ille palam asseveret nihil plane in synaxibus auditum, « nisi quod humanos faciat, nisi quod mites, verecundos, pudicos, castos, familiaris communicatores rei, et cum omnibus consolidæ germanitatis necessitudine copulatos. » (*Idem*, *lib.* IV, *pag.* 152.) Quapropter Augustinus brevius quidem, sed non minus luculenter dixit : « Populi confluunt ad Ecclesias casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione, ubi audiant quam bene hic ad tempus vivere debeant, ut post hanc vitam beate semperque vivere mereantur. » (*August.*, *lib.* II, *de civit.*, *cap.* 28, *pag.* 57.) Sed de his, quæ in christianorum synaxibus agebantur, alibi disseruimus, et C hæc omnia ab Arnobio memorata, clarius adhuc in nostra de Tertulliani Apologetico dissertatione explicabuntur (*tom.* I. *Apparat. pag.* 23 *et* 411; *Dissert. in Tertullian. cap.* 15, *art.* 2 *et seqq.*).

ARTICULUS III.

De christianorum precibus pro mortuis.

Christiani sacris suis in synaxibus Deum publice non solum pro vivis hominibus orabant, sed etiam pro mortuis. In iis siquidem « summus, » ait Arnobius (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 152), « oratur Deus, pax et venia postulatur...... adhuc vitam degentibus, et resolutis corporum vinctione. » Tam perspicua autem expressaque sunt hæc verba, ut heterodoxi quidam eorum splendorem dissimulare non potuerint. Ve- D rum quo magis clara sunt, eo magis atram bilem aliis moverunt, qui optime vident inde haud incerto colligi aliquod esse *purgatorium*, sive aliquem, quolibet nomine vocetur, locum, ubi morientium justorum animæ, quibusdam leviorum peccatorum maculis coinquinatæ purgantur. Quantumvis tamen hi dentibus frendeant, omnesque adhibeant machinas, nunquam sane Arnobii auctoritatem elevabunt. Cur enim, amabo te, harum precum, quas ille, minime diminutis argumenti sui viribus, prætermittere poterat, mentionem facit? Cur eas ethnicis tam audacter objectat, nisi quia certo certius noverat, antiquum, communem, ac pium fuisse christianorum morem; quo Deum pro mortuis hominibus orare solebant?

Et vero hoc christianorum Arnobio coæqualium, atque antiquiorum institutum moremque fuisse non solum scriptores Arnobio ætate pares, verum etiam superiores alii plurimi, iique omni fide majores, apertissime testificantur. Nam Tertullianus contra bigamos hæc scribit in verba : « Neque pristinam uxorem poteris odisse, cui etiam religiosiorem reservas affectionem, ut jam receptæ apud Dominum, pro cujus spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis. » (*Tertullian.*, *lib. de Exhort. castit.*, *cap.* II, *pag.* 671.) Rursus autem sequenti libro : « Uxor, » inquit, « pro anima viri sui orat, et refrigerium interim adpostulat ei, et in prima resurrectione consortium, et offert annuis diebus dormitionis ejus. » (*Idem*, *lib. de Monog.*, *cap.* 10, *pag.* 682.)

Nec est sane quod nobis heterodoxus aliquis objiciat Tertullianum, cum hos libros conficiebat, ad hæreticorum jam partes defecisse, atque ex Montano hanc delibasse doctrinam. Enimvero antequam hanc in hæresim prolapsus esset, sacros christianorum ritus breviter recensendo, eadem prorsus tradidisse legitur : « Oblationes, » inquit (*Idem*, *lib.*, *de Coron. milit.*, *cap.* 3), « pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. » Tantum igitur abest, ut heterodoxorum responsione infirmari possit illius de his precibus testimonium; quin potius inde plenius demonstretur hoc fuisse tam hæreticorum, quam catholicorum constans, certumque documentum.

Antiquissimus vero Constitutionum Apostolicarum auctor christianos ad Deum pro mortuis fratribus suis orandum sic hortabatur : « Pro fratribus nostris, qui in Christo requieverunt oremus, ut hominum amans Deus, qui animam defuncti suscepit, ei remittat omne peccatum voluntarium ac non voluntarium ; et propitius clemensque factus, collocet eum in regione piorum, quiescentium in sinu Abrahami, Isaaci et Jacobi cum omnibus, qui a sæculo placuerunt Deo ac ejus voluntatem fecerunt, unde aufugit dolor, tristitia et gemitus. » (*Constit. Apostol.*, *lib.* VIII, *cap.* 40 *et* 41, *pag.* 769 *et seqq.*) Deinde vero vult diem ab eorum morte tertium, nonum, quadragesimum, et anniversarium fusis similiter precibus celebrari.

Præterea Cyprianus ad Furnitanos hæc scribit : « Quod episcopi antecessores nostri censuerunt, ne quis frater ad tutelam vel curam clericum nominaret : ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. » (*Cyprian. Epist.* I, *pag.* 2.) Quæ quidem a nobis alibi citata sunt, ubi Ambrosii, et aliorum Ecclesiæ Patrum auctoritate sententiam ab ineptis hæreticorum cavillationibus, frivolisque responsionibus vindicavimus (*Not. in Ambros.*, *de obit. Valentin. consolat.*, *pag.* 1194 *et supr.*, *pag.* 1121 *et* 1135).

Prodeat etiam Cyrillus Hierosolymitanus, et quem de precibus christianorum pro vivis quibuslibet hominibus disserentem superiori articulo audivimus, nunc de precibus pro mortuis dicentem audiamus (*Cyrill.*, *Catech.* 5, *Mystag.*, *pag.* 539) : Δεόμεθα πάν-

A τες ἡμεῖς ὑπὲρ πάντων, ἁπλῶς τῶν ἐν ἡμῖν προκεκοιμημένων, μεγίστην ὄνησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς, ὑπὲρ ὧν δέησις ἀναφέρεται τῆς ἁγίας, καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας. *Rogamus omnes pro omnibus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius et tremendi, quod in altari positum est, sacrificii.* At hæc Cyrilli verba citavit Eustratius, Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyter, in libro, quem circa medium sæculum sextum de iisdem christianorum precibus pro mortuis composuit, ubi has aliasque Cyrillo asseruit catecheses. Quis ergo, auditis hisce illius verbis, non mirabitur protestantes, qui serio respondent fusas olim a christianis has preces in fidei, spei, et charitatis tesseram, non vero B in subsidium animarum, ac ignis purgatorii refrigerium ?

Mirari etiam satis non possumus Elmenhorstium, qui in suis ad hunc Arnobii nostri locum observationibus audacter asseverat Augustinum in suo *de Cura gerenda pro mortuis* libro ingenue fateri conceptas pro mortuis preces sola majorum niti traditione, nec sacris litteris firmari. Hæc quippe sunt ipsissima, quæ ille non retulit, nec suis forte, sed alienis oculis legerat, Augustini verba : « In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ domino Deo ad ejus altare C funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. » (*August.*, *lib. de Cur. ger. pro mort.*, *cap.* I, *tom.* 6, *pag.* 616.) Nonne enim ibi aperte ingenueque fatetur harum precum in Machabæorum libris, quos pro canonicis habuit, mentionem fieri ? Quamvis autem negaveris hos libros canoni sacræ scripturæ adscribendos, eos tamen antiquitate sua venerandos esse negare non potes. Quamvis etiam ingenuinis sacræ scripturæ libris nihil penitus de iisdem precibus legeretur, contendit tamen Augustinus non minimæ auctoritatis esse veteris Ecclesiæ consuetudinem. Sed dic, quæso, nobis, Elmenhorsti, utrum qui diserte affirmat aliquid in libris Machabæorum haberi, atque satis aliunde probari, tametsi in veteribus Scripturis non legeretur, utrum, inquam, is ipse D idcirco negaverit illud in sacris Scripturis reperiri? Quis unquam, nisi errorum præjudiciis obcæcatus, ita argumentatus est? Sed dic adhuc, quæso, numquid tam parvi ponderis est universæ Ecclesiæ et Augustini ætate, et plura, ut vidimus, ante sæcula auctoritas et consensus? Unde autem illud manavit, nisi ex Apostolorum discipulis, atque ex ipsismet Apostolis ?

Neque minus a scopo aberrat idem Elmenhorstius, qui instat Epiphanium negasse pariter preces pro mortuis ullo sacræ Scripturæ testimonio stabiliri (*Epiphan.*, *hæres.* 75, § 3 *et* 7). Jam enim citatis in Ambrosium observationibus nostris (*Not. in Ambros.*, *tom.* II, *pag.* 1193) plane ostendimus ab Epiphanio

catholicorum propugnari sententiam, atque oppositam in errorum et hæreseum Aerii reponi numero. Quo ergo jure, is qui preces pro mortuis fundendas negat, hæreticus dici potest, nisi quia ejus opinio sacris Scripturis et constanti Ecclesiæ traditioni adversatur?

ARTICULUS IV.

De christianorum altaribus, sacrificiis, ac thuris usu; utrum Arnobius de catechumenis, sacramentisque Baptismi, et Eucharistiæ, et divinæ gratiæ necessitate locutus fuerit.

Christianis crimen adhuc faciebant ethnici (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 289) non solum quod nulla, uti diximus, haberent templa, aut nullas sacras ædes, sed nullas etiam aras, nulla altaria, nulla sacrificia, nulla simulacra, nullum thuris usum. Arnobius vero id penitus negare non videtur; immo vero palam declarare nulla a christianis facta sacrificia, nec debuisse factitari. Sextum enim librum suum ab his orditur verbis: « Quid ergo, dixerit quispiam, sacrificia censetis nulla esse omnino facienda? Ut vobis non nostra, sed Varronis vestri sententia respondeamus: Nulla. » (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 211.) Sed nemo est, qui ex citata ab Arnobio Varronis auctoritate, et allatis deinde contra sacrificia argumentis, facillime non intelligat, illum ibi de sacrificiis ethnicorum more factis, disputare, atque idcirco negare ea diis facienda. Sed Heraldus eum imperitiæ et stupiditatis ibi accusat; quia ethnicorum sacrificia impugnando, nullam sacrificiorum populi Israelitici fecit mentionem. In suis enim ad librum illius septimum primis animadversionibus sic eum castigat: « Vellem tamen dixisset aliquid Arnobius de sacrificiis populi Israelitici, quæ magni illius sacrificii, quo agnus immaculatus pro peccatis nostris ante mundi creationem immolatus, peccata nostra purgavit, sacramentum constituebant. Sed Arnobii in religione ruditatem satis antea deteximus. » Verum et nos ibi ipsammet Heraldi in legendis, ac probe intelligendis Arnobii nostri libris *ruditatem*, si ejus verbo uti liceat, seu potius iniquum animum deprehendimus. Non aliud siquidem eo in libro propositum Arnobii fuit; nisi ut ostenderet nulla diis gentilium facienda esse sacrificia, eaque jure merito a christianis rejici. Atqui constat ex data a nobis hujus libri analysi, atque ex infra dicendis, hoc ab illo validissimis argumentorum momentis esse demonstratum. Quis igitur sanæ mentis homo id illi, tametsi de Israelitarum sacrificiis penitus tacuisset, satis fuisse inficiabitur?

Quid vero, quod ille apertissime prædicat gentiles inquirentibus, quæ sacrificiorum suorum causa sit, frustra adsignavisse eorum antiquitatem ac consuetudinem. Utraque enim ex hominibus prodierat. Nullum vero sacrificium rite fieri potest, nisi divina lege institutum: « Ego autem, » inquit (*Ibid.*, *pag.* 227), « cum postulo causam mihi depromi, audire desidero cœlo aliquid lapsum. » At quis, oro te, dubitabit, hoc inter gentilium et Judæorum sacrificia

A fuisse discrimen, quod illa humanis, hæc vero divinis legibus sancita fuerint?

Præterea Arnobius, ubi gentilium sacrificia exagitat, atque explodit, ibi adhuc diserte tradit (*Ibid.*, *pag.* 15), nihil ab ipsismet illorum diis, de ea ratione, qua ab hominibus coli, et sacrificiis honorari vellent, constitutum. Ecce si audire velis, ipsamet ejus verba: « Numquid dii aliquas, » inquit (*Ibid.*, *pag.* 215), « leges sanxere aliquando mortalibus, constitutumque est ab his unquam quid eos agere conveniret, vel quid non; quid consecrari, quid fugere, vel coli se saltem quibus rationibus cuperent.... Ut opinor ab his numquam neque constitutum est aliquid, neque sancitum; quoniam nec visi aliquando, neque si sunt visi, apertissima potuit cognitione dignosci. » Nonne ergo hac quoque argumen-

B tatione ille rejectis ethnicorum sacrificiis, alia omnia, quæ Deus a Judæis fieri præceperat, plane penitusque comprobavit? At tametsi nihil omnino de illis dixisset, hoc silentium ei perperam culpæ datur. Nam præterquam quod tunc abrogata erant Judæorum sacrificia, de illis certe, sicut diximus, non agebatur, sed de impiis ethnicorum sacrificiis, quæ fictis falsisque diis facta, christiani jure merito detestabantur.

Quo porro sensu ipse diis sacrificandum negat; eodem plane iis aras et simulacra exstruenda fabricandaque omnino inficiatus est. Sed de his abunde disseruimus in superiore in Minucii Octavium dissertatione (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 12, *art.* 29). Non enim

C alio Arnobius modo, quam ille, de iis contra gentiles disputat uti ex infra dicendis satis patebit.

Ad thuris autem usum quod attinet, ethnicos illum a christianis spretum objicientes, eo Arnobius refellit (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 231), quod apud ipsos, ut infra quoque ostendetur, antiquus non fuerit. Tertullianus vero, de quo nos fusius suo loco, tametsi alicubi nullum a christianis thus incendi fateatur; testatum nihilominus alibi facit, illud ab iis adhiberi, cum mortuorum corpora sepeliebant, et cum odor loci alicujus offendebat. *Sed non eodem*, inquit, *ritu*, *nec eodem habitu*, *nec eodem apparatu*, *quo agitur apud idola*. Vides igitur non omnem thuris usum ab illo, sicuti ab Arnobio improbari, sed eum dumtaxat, quo idolis a gentilibus thus adolebatur. Nos autem de illo

D alibi egimus (*tom.* I. *Apparat.*, *lib.* I, *dissert.* 10, *cap.* 16, *pag.* 198), et inferius adhuc agendum.

Opinatus est Heraldus Arnobium de sacramentis baptismi et eucharistiæ sermonem habere, ubi docet animas nostras posse fieri « longævas, » sive immortales, « si modo Deum tentent agnoscere, ac deinde servitate, atque inhumanitate depositis, resumant ingenia mitiora; ut ad illud, quod dabitur, esse possint paratæ. » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 65.) Sed qua, putas, ratione Heraldus putavit verbis prioribus baptismi, et posterioribus eucharistiæ sacramentum designari? Audi, quæso, et miraberis. Antiquissimi, inquit, Ecclesiæ Patres non solum gentilium usurparunt verba, quibus in explicandis suis mysteriis ute-

bantur; sed ea etiam ad christianorum accommodarunt sacramenta, atque illorum ritus transtulerunt in Ecclesiam. Atqui hunc, inquit, in finem Arnobius citata a nobis verba ex his Ciceronis excerpsit: « Mihi cum multa eximia divinaque videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis quibus ex agresti immanique vita exculti, ad humanitatem et mitigati sumus; initiaque, ut appellantur, ita revera principia vitæ cognovimus » (*Cicer., lib.* II, *de Legib., pag.* 339, *lin.* 31). At inde Heraldus concludit Arnobium ad hunc latini oratoris locum collineando, suis prioribus verbis de baptismo, posterioribus de eucharistia locutum fuisse. O egregiam profecto consequentiam! Quasi vero Arnobius aliquid ex illis Ciceronis verbis mutuari non potuerit, nisi de his christianorum sacramentis loqueretur?

At nihil certe ab ejus mente magis alienum. De sola enimvero disputat felici animæ nostræ immortalitate, quam nisi agnito vero Deo, ac feritate vitiorum, et morum inhumanitate depositis, consequi non possumus. Quorsum igitur ibi commemoratio baptismatis, de qua non agebatur? Cui etiam præter Heraldum in mentem venire potuit his postremis Arnobii verbis: *Ut ad illud, quod dabitur*, beatæ immortalitatis præmium, animæ *possint esse paratæ*, eucharistiam significari? Sed vide mirificum ingenii illius acumen. De ea, inquit, *obscure et trepide* Arnobius, ut pote catechumenus, loquitur. ¡Nonne lynce perspicacior fuit, qui id vidit, quod non quidem obscure, uti ait, sed nullo plane modo Arnobius dixerat, nec dicere voluit? Nihil enim aliud, sicut monuimus, dixit, quam animas beatæ æternitatis non fore participes, nisi Deum agnoscant, ac purgatione vitiorum ad eam assequendam paratæ sint. Apage ergo, has aliasque similes scriptorum quorumdam annotationes, quas ea tantummodo ratione congerunt, ut vanos male digestæ eruditionis rumusculos aucupentur.

Multo igitur certius est agnitum ab auctore nostro divinæ gratiæ, seu divini auxilii ad subeundum pro christianæ religionis confessione martyrium. Tot enim itamque horrenda ad mortem usque supplicia; tam constanter perpeti *sine Deo*, inquit non potuerunt. Sed id a nobis supra explicatum ac probatum (*supr., cap.* 4, *art.* 11) fusius probari nihil necesse est.

CAPUT XI.

Examinantur priora Arnobii argumenta, quibus ethnicorum religionem falsam esse demonstrat.

ARTICULUS PRIMUS.

Excutiuntur argumenta, inde contra gentilium religionem ab Arnobio petita, quod ethnici explicare non potuerint, ubinam illorum dii vitam degant, a quibus imposita sint eorum nomina, et quanta sit eorum multitudo, atque ex Ciceronis, præsertim de natura deorum, libris, de quibus quale judicium Arnobius ferat expenditur, ac tandem Euhemeri, Nicagoræ, Pellæi Leontis, Theodori, Hipponis, et aliorum testimonio.

Duæ sunt tantum totius hujus Arnobiani, uti ostendimus, adversus gentes operis septem in libros distributi partes, quarum una christianæ religionis veritatem, et altera ethnicæ falsitatem demonstrat. Jam vero expendimus quanti ponderis sint argumenta, quibus demonstrare contendit christianæ religionis, præcipuorumque ejus dogmatum veritatem, sacrorum illius mysteriorum et rituum sanctitatem, ac eorum qui eam sincere sectabantur, integritatem morum, et ea omnia ab repetitis sæpius ethnicorum calumniis vindicet. Superest ut simili modo alia examinemus, quæ ab illo in secunda operis sui parte, ad vanas gentilium religiones, impios cultus, ac ridiculas plane et absurdissimas superstitiones funditus evertendas protulit.

Primum itaque plurimis auctor noster argumentis tam perspicue quam invicte probat falsos penitus ac commentitios esse omnes deos, quos ethnici non minus impio, quam antiquo cultu venerabantur. Ab eo autem ille, quasi prævia velitatione, initium dicendi fecit (*Arnob., lib.* III, *pag.* 102), quod ethnici nunquam explicare potuerint ubinam gentium vitam dii sui degant, aut quanta sit illorum multitudo. Certo enim affirmare nequeunt eos in cœlo habitare, talesque ibi esse, quales in terris coluntur. Gentilium siquidem nullus illuc convolavit unquam, et vultum formamque illorum intuitus est.

Neque etiam illis explorata magis erat nominum, quibus dii vocabantur, origo, et a quibus excogitata dataque fuerunt. Quis enim asserere audeat utrum dii *hæc*, inquit Arnobius, *sibi diebus imposuerint lustricis*, in regio codice manuscripto legitur, *ludibriis*, in antiquis editionibus *ludicris*, in ultima *lustricis*, et id melius. Est enim, inquit Macrobius (*Macrob., lib.* I, *Saturnal., cap.* 16, *pag.* 307), *lustricus dies*, quo infantes lustrantur, *et nomen accipiunt*, ac mares quidem nono, feminæ octavo, quemadmodum a Servio quoque observatur. At dii, quos ethnici, non secus ac cæteros homines, natos esse fatebantur, tum nomina sibi assumere non potuerunt (*Fest., de verbor. Signif., pag.* 307). Neque etiam iis data sunt ab hominibus. Tanta enim erat ac prorsus innumerabilis illorum multitudo, ut magna pars, sicuti post Tertullianum ostendemus, plerisque diversis gentibus et populis no nomine tenus cognita fuerit.

Velim autem expendas utrum auctor noster, hæc scribendo, nihil decerpserit ex illo Ciceronis loco, ubi Cotta hoc argumentum urget acrius, nullosque esse gentilium deos demonstrat: « Age, et his vocabulis deos esse facimus, quibus a nobis nominantur. At primum quot hominum linguæ, tot nomina deorum. Non enim ut tu Velleius, quoquumque veneris, sic idem in Italia Vulcanus, idem in Africa, idem in Hispania. Deinde nominum non magnus numerus, ne in Pontificiis quidem nostris; deorum autem innumerabilis. An sine nominibus sunt? Istud quidem ita vobis dicere necesse est. Quid enim attinet, cum una facies sit, plura esse nomina? Quam bellum erat, Vellei, confiteri potius nescire, quod nescires, quam ista effutientem nauseare? An tu mei similem putas

esse, aut tui Deum? Profecto non putas. » (*Cicer.*, *lib.* I, *de Nat. deor.*, *pag.* 207, *lin.* 29.) Vides certe eamdem esse Ciceronis atque Arnobii nostri argumentationem, qua fictitiorum numinum divinitatem jure merito explodit.

Neque ibi tantum auctor noster premit oratoris latini vestigia. sed alibi sæpius, aut verba ejus, aut sensum exprimit. At ea hausit potissimum ex tribus illius *de Natura deorum* libris, uti ex infra dicendis omnes intelligent. Prius igitur, quam ulterius progrediamur, non inutilis proculdubio operæ pretium erit observare, quod auctor noster de his Ciceronis libris ferat judicium, et cur eorum in primis auctoritate ethnicos refellat.

De ipsomet autem Cicerone, in hisce libris loquente, sic pronuntiat : « Ante omnes Tullius Romani disertissimus generis, nullam veritus impietatis invidiam, ingenue, constanter, et libere, quid super tali opinatione, » nimirum de gentilium diis, « sentiret, pietate, cum majore monstravit. A quo si res sumere judicii veritate conscriptas pergeretis, perorata esset hæc causa, nec secundas, ut dicitur, actiones nobis ab infantibus postularet. » (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 103.) Quamobrem non pauci, pergit ille, aversabantur librorum ejus de natura deorum lectionem, nulloque penitus modo *nec in aurem* volebant admittere : alii vero eos senatusconsulto abolendos, ac de medio tollendos censebant. Cardinalis autem Baronius opinatus est id memorato a nobis superius Diocletiani edicto factum, illosque libros Ciceronis cum christianorum scriptis igne revera crematos (*Baron.*, *ad Ann.* 302, § 19, 723). Sed veremur ne doctissimus vir animum non satis adverterit Optatum et Eusebium, quos de eodem Diocletiani decreto disserentes alibi citavimus, sacrorum dumtaxat divinæ Scripturæ, seu deificorum nostrorum librorum fecisse mentionem.

Porro autem quam funditus Cicero hisce suis in libris impium deorum cultum, omnesque falsas ethnicorum religiones everterit, quidve de iisdem diis senserit, hic Lactantius explicat verbis : Romanæ philosophiæ princeps, et amplissimo sacerdotio præditus, commentitios ac fictos deos redarguit : quorum cultus superstitiones pene aniles esse testatur; falsis opinionibus, erroribusque turbulentis implicatos esse homines queritur. Nam totus liber tertius de Natura deorum omnes funditus religiones evertit, ac delet. Quid ergo a nobis expectatur amplius? Num eloquentia superare possumus Ciceronem? Minime id quidem. Sed fiducia illi defuit, ignoranti veritatem. Ait enim facilius se posse dicere, quid non sit, quam quid sit, hoc est, falsa se intelligere, vera nescire. » (*Lactant.*, *lib.* I. *Instit.*, *cap.* 17, *pag.* 90.)

Lactantio igitur, aliisque quamplurimis eruditissimis scriptoribus, visum est his Ciceronis libris falsam ethnicorum religionem funditus everti, tametsi ille aliam veram ostendere et stabilire non valuerit.

Augustinus vero citatis quibusdam ex secundo concludit illum simulacrorum institutioni et falsis gentilium opinionibus indignari quidem, sed « conari, dum consuetudinem civitatis timet, religionem laudare majorum, eamque a superstitione velle sejungere, sed quomodo id possit, non invenire. » (*August.*, *lib.* IV *de Civit.*, *cap.* 30, *pag.* 110). Tum deinde sequenti libro ait, cum ille videret apertissimam esse insaniam, « confiteri Deum et negare præscium futurorum, tentavit asserere, quod scriptum est : Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus; sed non ex sua persona. Vidit enim quam esset invidiosum et molestum; ideoque Cottam fecit disputantem de hac re adversum Stoicos in libris de deorum natura, et pro Lucilio Balbo, cui stoicorum partes defendendas dedit, maluit ferre sententiam, quam pro Cotta, qui nullam naturam divinam esse contendit. » (*Idem ibid.*, *lib.* V, *cap.* 9, *pag.* 121.)

At si Cicero his in libris omnes funditus religiones sustulit, si ad invidiam molestiamque depellendam, verbo tantum nec sincera mente deos existere asseruit, quo, inquies, jure Arnobius tanta asseveratione affirmat (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 104) hos ipsos esse Ciceronis libros, « quibus christiana religio comprobetur, et vetustatis opprimatur auctoritas? » Responderi haud inepte potest christianæ religionis nomine ab illo significari illius de vero et unico Deo, divinaque illius omnia administrante providentia documentum. Nam eo asserto opprimitur vetustatis auctoritas, quæ multiplices et infinitos, sicut diximus, Deos finxerat. Atqui Cicero in suis *de Natura deorum* libris hæc tam aperte domonstrat, quam falsas esse omnes gentilium quoslibet deos colentium religiones. At demonstrata earum falsitate, Arnobius necessario concludi posse putavit, solam christianam religionem esse veram, et aliis veteribus repudiatis, ab omnibus suscipiendam.

Præter Ciceronem vero, mille alios, ex quibus nonnullos nominibus suis appellat, a se citari posse auctor noster asserit qui deos gentilium falsos penitus, ac meros homines fuisse scriptis publicis proclamare ac probare non dubitaverunt : « Possumus quidem omnes istos, » ita ille loquitur (*idem*, *lib.* IV, *pag.* 147), « nobis, quos inducitis atque appellatis deos, homines fuisse monstrare, vel Agragantino Euhemero replicato, cujus libellos Ennius, clarum ut fieret cunctis, sermonem in italum transtulit, vel Nicagora Cyprio, vel Pellæo Leonte, vel Cyrenensi Theodoro, vel Hippone, ac Diagora Meliis, vel auctoribus aliis mille, qui scrupulosæ diligentiæ cura in lucem res abditas libertate ingenua protulerunt. » Quam autem id verum sit, satis liquet ex his, quæ nos de laudatis ab eo scriptoribus in priore apparatus nostri tomo, et superiore de Minucii Octavio dissertatione disputavimus (*tom.* I *Apparat.*, *lib.* III, *Dissert.* 1, *cap.* 11, *art.* 5, *pag.* 785; *et seq.*; *Dissert. in Minuc. Octav.*, *cap. et art. ultim.*). Nemini porro ullus, uti putamus, dubitandi locus est cum Ciceronem, tum alios, quos Arnobius nominatim vocavit, eos ipsos esse, de quibus ille alibi dixerat : « Audimus quosdam

philosophandi studio deditos partim ullam negare A vim esse divinam, partim an sit, quotidie quærere. » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 18.)

His porro ita constitutis, ad alia veniamus argumenta, quibus ille absurdas gentilium de diis suis opiniones, atque adeo omnem illorum falsam religionem inde concutit, unde illis fundata constructaque videbatur. Rationum siquidem suarum momenta ex iis deducit, quæ ethnici tamquam certa et minime dubia palam ubique de diis suis prædicabant. In illis porro recensendis et examinandis positum ab illo ordinem, quoad fieri poterit, sequemur. At ne eadem aliquando cum eo repetamus, ea omnia quæ ad unam eamdemque rem faciunt, et si ab illo variis in locis tractata, simul semelque retractabimus. B

ARTICULUS II.

Quomodo Arnobius demonstret falsam illorum divinitatem, qui dii renuntiati sunt, vel ob data hominibus beneficia, sicut Liber propter vini, Ceres panis, Æsculapius herbarum, Minerva oleæ, Triptolemus aratri inventionem; vel ob præclara quædam facta, sicut Hercules et Romulus, qui senatorum manibus dilaceratus est.

Variam idololatriæ et impii deorum cultus originem fontesque corruptissimos jam patefecimus et ostendimus (*tom.* I, *Apparat.*, *pag.* 432 *et* 717, *et seqq.*, *ac Dissert. super.*, *cap.* 14, *art.* 3) eam inde potissimum manasse, quod prisci cæcique homines eos in album deorum retulerunt, a quibus maxima se accepisse beneficia, aut præclara quædam facinora edita fuisse arbitrabantur. Quamobrem C Arnobius insanos illos gentiles his verbis compellat : « Vos Liberum, quod usum reperit vini; quod panis, Cererem; Æsculapium, quod herbarum; Minervam, quod oleæ; Triptolemum, quod aratri: denique Herculem, quod feras, quod fures, quod multiplicium capitum superavit compescuitque nutrices, divorum retulistis in cœtum. (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 21.)

At quid, oro te, inde sequitur, nisi eos homines fuisse, aut saltem deos aliquando esse cœpisse, ac proinde falsam omnino illis divinitatem attribui? Vera enim divinitas æterna esse debet, nec ullum umquam potuit habere initium.

Neque hæc ab Arnobio perperam excogitata gratisque ficta dixeris. Primum enim Diodorus Siculus, D testis ea in re sane locupletissimus, disertissime tradidit a Dionysio, seu Libero, aut Baccho repertum fuisse vini usum (*Diodor. Sicul.*, *lib.* I, *pag.* 9 *et* 10, *et lib.* III, *pag.* 142). Prius vero id uberius narraverat, ubi commemoratis quibusdam aliis ejus in homines beneficiis, hæc adjecit (*Ibid.*, *p.* 137 *et* 138) : Ἀνθ' ὧν εὖ πάθοντας ἀπονεῖμαι τιμὰς ἰσοθέους ἀυτῷ καὶ θυσίας, προθύμως ἁπάντων ἀνθρώπων, διὰ τὸ μέγεθος τῆς εὐεργεσίας ἀπονειμάντων τὴν ἀθανασίαν. *His tam ingentibus beneficiis tantum sibi favoris conciliavit, ut propensius omnium studiis immortalitati consecratus, tamquam Deus, et cultus eximios et victimarum solemnitates reciperet.* Vini porro inventionem etiam Euripides, aliique Baccho tribuunt (*Euripid. in Bacchis. vers.* 277 *et seq.*; *Dissertat. sup.*, *cap.* 14, *art.* 4). Sed de hoc, et Cerere, de quibus nos in superiori dissertatione, hæc sunt Lucretii carmina :

> Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquores
> Vitigeni laticem mortalibus instituisse.
> (*Lucret.*, *lib.* V, *vers.* 14 *et seqq.*)

Ea autem Ceres panis inventrix, ab eodem Diodoro Siculo dicitur serendarum frugum, et totius messis rationem, unde panis conficitur, ea lege Triptolemum docuisse; ut eam cum universis hominibus communicaret (*Diodor. Sicul.*, *lib.* III, *Biblioth.*, *pag.* 232). Quapropter canit Virgilius :

> Prima Ceres ferro mortales vertere terram
> Instituit, cum jam glandes atque arbuta sacræ
> Deficerent sylvæ, et victum Dodona negaret.
> (*Virgil.*, *lib.* I *Georg.*, *vers.* 147 *et seqq.*)

Virgilio concinit Ovidius :

> Prima Ceres, homini ad meliora vocato,
> Mutavit glandes utiliore cibo.
> Illa jugo tauros collum præbere coegit :
> Tum primum soles eruta vidit humus.
> (*Ovid.*, *lib.* IV, *Fast.*, *pag.* 548.)

Porro autem narrat adhuc Diodorus, jam a nobis laudatus, deam Cererem ab Atheniensibus propter hoc beneficium ipsis collatum, oblationibus victimarum, atque Eleusiniis initiis honoratam (*Diod.*, *lib.* V, *Biblioth.*, *pag.* 200).

At ille præterea, et qui verba ejus transcripsere Eusebius et Lactantius, apertissime declarant Æsculapium non modo herbarum, sed totius etiam medicinæ creditum fuisse repertorem. At de illo nos in superiore Apparatus nostri tomo diximus (*Diodor. lib.* V, *pag.* 235; *Euseb.*, *lib.* V, *Præpar. Evang.*, *cap.* 2, *pag.* 57; *Lactant.*, *lib.* I, *cap.* 19, *pag.* 98; *tom.* I, *Apparat.*, *pag.* 1192).

Testatum nobis adhuc Diodorus facit a Minerva traditam olivarum plantationem et culturam, atque olei expressionem (*Diodor.*, *loc. cit.*). Quamvis enim hoc arboris genus, sylvestribus permixtum, ante hujus Minervæ ortum extitisset, nullus tamen illius cultus et usus hactenus inventus fuerat. Unde Virgilius :

> Oleæque Minerva
> Inventrix, uncique puer monstrator aratri.
> (*Virgil.*, *lib.* I *Georg.*, *vers.* 18.)

His autem posterioribus berbis quidam Osirim, alii Triptolemum, cujus Arnobius noster meminit, designari opinantur. Sed videsis in hos et superiores latini poetæ versus Servii commentarium. Plinius vero dixit (*Plin.*, *lib.* VII, *Natur. hist.*, *cap.* 56, *pag.* 99) illam aratri inventionem Buzigi Atheniensi, vel Triptolemo adscribi. Sed de illo expresse Ovidius Cererem sic loquentem inducit :

> Iste quidem mortalis erit, sed primus arabit,
> Et seret, et culta, præmia tollet, humo.
> (*Ovid.*, *lib.* IV, *Fast.*, *pag.* 592.)

Ibi itaque Triptolemus expressis verbis dicitur aratri inventor, sicut a Diodoro Siculo paulo ante ci-

tato totius agriculturæ doctrina imbutus. De aratri porro aliorumque ab Arnobio memoratorum inventione, videsis Polydorum Vergilium, aliosque de rerum inventoribus scriptores (*Diodor. lib.* I, *pag.* 11, 12, *loc. cit.*; *Polyd. Verg., lib.* I, *de inv. rer., c.* 21, *et lib.* III, *cap.* 2 *et* 3).

Ex his autem, quæ retulimus, illud facile intelligitur, quod Arnobius alibi scribit (*Arnob., lib.* II, *pag.* 90) primos homines non alium adhibuisse cibum, quam glandes, aut ex ramis agrestibus buculos, nec alias quam ex corticibus et pellibus vestes. Quod adhuc Diodori Siculi, Ovidii, Lucretii, et aliorum testimonio stabilitur ac corroboratur (*Diodor., lib.* I, *pag.* 5; *Ovid., lib.* I *Fastor., sub fin.*; *Lucret., lib.* V, *vers.* 951 *et seqq.*).

Post hæc ab auctore nostro appellatur Hercules, de cujus, ut aiunt, laboribus loquitur. Sed hi labores cui ignoti esse possunt? Si ulli tamen curioso incomperti sint, illos ab eodem Diodoro Siculo et aliis plurimis explicatos inveniet (*Diodor. Sicul., lib.* IV, *Bibli., pag.* 145 *et seqq.*). De illo autem et Libero etiam seu Baccho, et aliis qui ob eximia facta, et beneficia collata hominibus dii renuntiati sunt, præter Lactantium (*Lactant., lib.* I, *cap.* 19, *pag.* 98 *et seqq.*). sic cecinit Horatius :

Romulus et Liber pater, et cum Castore Pollux,
Post ingentia facta deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt.
. . . .
Diram qui contudit hydram,
Comperit invidiam supremo fine domari.
(*Horat., lib.* II, *epist.* I, *vers.* 5 *et seqq.*)

At merito Arnobius Romanis exprobrat quod hunc Romulum, quem Horatius primum nominat, ob egregia facta ac collata beneficia, deorum numero adscripserint. Senatorum siquidem manibus discerptus, interfectusque fuerat : « Nonne ipsum Romulum patrem, » inquit ille (*Arnob., lib.* I, *pag.* 24), « senatorum manibus dilaceratum centum, et Quirinum esse Martium dicitis, et sacerdotibus et pulvinaribus honoratis, et in ædibus adoratis amplissimis, et post hæc omnia cœlum ascendisse juratis. » Vitam autem Romulo tam crudeliter a senatoribus fuisse ereptam, tametsi Livius dissimulare conetur, Valerius tamen Maximus, et Dionysius Halycarnasseus, et alii palam aperteque fatentur (*Liv., lib.* I, *cap.* 12; *Valer. Max., lib.* V, *cap.* 3, § 1; *Dionys. Halic., lib.* II, *Antiq. roman., p.* 18). Quo porro ille modo in deorum numerum, pejerante Proculo, relatus sit, in superiori dissertatione ostendimus (*Dissert. in Minuc., cap.* 15, *art.* 2).

Quis igitur, nisi plane insaniat, hunc, aliosque a nobis memoratos, quæcumque aut falsa, aut vera beneficia contulisse, aut facta egregia edidisse ferantur, deos dixerit? Nam hi puri putique homines fuerunt, iique sceleratissimi. Quamvis autem tam sancti, quam scelesti et flagitiosi fuissent, numquam tamen illi etiam omnes simul, tot tamque ac Christus, ut supra vidimus, stupendis factis admirationem, et beneficiis benevolentiam gratique animi memoriam sibi conciliaverunt. Si suis ergo rationibus stetissent ethnici, non poterant sane Christi negare divinitatem, aut rejicere religionem, et in ejus sectatores tanto furore debacchari. Quis itaque non videat quam futile vanumque sit illud argumentum? Jam vero vidimus qua ratione Minucius Felix hunc errorem everterit, ac infra ostendemus quomodo a Lactantio et Tertulliano refellatur (*Ibidem, art.* I, *Dissertat. in Lactant., cap.* 30, *art.* 5, *et in Tertullian., cap.* 25, *art.* 3).

ARTICULUS III.

Expenditur aliud Arnobii contra ethnicorum religionem argumentum, inde ductum, quod ethnici dixeriut deos suos mares et feminas, ac celebratis humano more nuptiis, alioque turpiori modo filios procreasse, ubi de septimanis fœturis, chalcidicis, Hellespontiaco Priapo, Cerere mammosa, deorum nuptiis usu, farre, coemptione celebratis, sponsalibus, fescenninis carminibus, regia Opis sobole, infami Veneris Cytheriæ ortu, et meretricula Venere, a rege Cyprio ditata.

Validissimum sane contra ethnicos argumentum inde adhuc petit Arnobius, quod illi deos suos mares et feminas prædicarent, ac publicis suis precibus profiterentur : « Nam consuetis, » inquit, *Arnob., lib.* III, *pag.* 139) « in precibus : sive tu deus es, sive dea, dicere. Quæ dubitationis exceptio dare vos diis sexum disjunctione ex ipsa declarat. » Apud Varronem vero legimus quomodo preces illæ fieri consueverant : « Lucum » ait (*Varr., lib. de Re rusti., pag.* 139), « conculcare romano more sic oportet. Porco piaculo facito. Sic verba concipito : Si deus, si dea es, cujus illud sacrum est. Sed hæc fusius probat Brissonius (*Brisson., de Formul., cap.* 60), et nos de iis aliquid alibi attigimus (*Dissertat. in Minuc., cap.* 15, *art.* 1).

Neque sinit Arnobius sibi ab inconsiderato aliquo opponi christianos quoque credere marem esse Deum, quandoquidem nomen, Deus, masculini generis est. Eo enimvero nomine non sexus, sed usu sermonis promitur Dei significatio. Non Deus ergo, sed ejus nomen genus masculinum significat.

At deos mares et feminas esse non posse sic probat Arnobius. Tales, inquit (*Arnob., lib.* III, *p.* 104 *et seqq.*), esse nequeunt, quin eas partes eaque habeant membra, quibus uterque sexus distinguitur, et quæ ad propagandam sobolem facta sunt. Atqui eæ partes eaque corporis membra, si in diis sint, inutilia, sicut etiam ait Cicero, non potuerunt (*Cic. lib.* II *de Natur. deor., pag.* 208 *et seqq.*). Tanta igitur deorum immortalium, qui numquam senescunt, nec corporis viribus debilitantur, procreari debuisset multitudo, ut omnia iis jam plena forent, nec cœlis innumeris possent amplius contineri. Eodem quoque argumento Minucium aliosque usos fuisse jam ostendimus (*Dissert. in Minuc. Octav., cap.* 16, *art.* 2).

Quam multa autem absurda, obscœna, et diis indigna ex diverso ipsorum sexu sequantur, Arnobius breviter explicat (*Arnob., lib.* III, *pag.* 104).

Inde enim, inquit, oriri deberent dearum menstrua, graviditates, abortus, soliti partus dolores, *et septimanæ fœturæ*, id est, deæ septimo mense parturientes. Inde dii et deæ nudo corpore in *chalcidicis*, hoc est, uti observant Turnebus et Scaliger, cœnaculis et ædificiis *magnis*, atque infamis Hellespontiaci Priapi, de quo Natalis Comes, Vossius, Huetius, horrenda turpitudo (*Turneb., lib.* xviii, *cap.* 34; *Scalig., in Euseb. Chron. ad ann.* 2104; *N. Comes, lib.* v, *Mythol.*, *cap.* 15; *Vossius, lib.* ii, *de Orig. et Progr. idol.*, *cap.* 7, *pag.* 73 *et seqq.*; *Huet., Demonstrat.*, *pag.* 109 *et seqq.*), *et ab Iacho Ceres mammosa*, ait auctor noster, *musa ut prædicat Lucretii*, hoc nimirum versu :

At gemina et mammosa Ceres est ipsa ab Iacho.
(*Lucret., lib.* iv, *vers.* 1161.)

Sed hæc omnia pressius Cicero exagitat : « Quod et mares ». inquit (*Cicer., lib.* ii *de natur. deor., pag.* 209, *lin.* 19), « deos et feminas esse dicitis, quid sequatur, videtis. Equidem mirari satis non possum, unde ad istas opiniones vester ille princeps venerit, » scilicet Epicurus.

At cur Arnobius, inquiet aliquis, et Tullius ridiculam ipsius Epicuri sectatorumque ejus non refellunt responsionem, qua garriebant deos non habere quidem corpus et sanguinem, sed quasi corpus et sanguinem? Facilis profecto ratio, et obvia omnibus est. Tullius siquidem plane et perspicue ostendit illud Epicuri figmentum a nemine umquam potuisse intelligi (*Cicer., lib.* i *de nat. deor., pag.* 202, *lin.* 43). Deinde vero gentiles revera jactitabant deos suos vero corpore et sanguine præditos, effrænataque ac perdita voluptatis libidine perceitos, gignendis liberis dedisse operam. Quia vero illud satis notavit Arnobius, hinc non putavit longius in confutando illo insano Epicureorum commento tempus esse consumendum.

Quam certo autem ethnici crederent deos suos vero humanoque maris et feminæ corpore constitutos, hinc sane liquet, quod ipsimet plura, ut recte arguit Arnobius, de solemnibus eorum conjugiis, ac susceptis inde liberis, posteritati tamquam minime dubia tradiderunt. Suis enim pene omnibus in libris venditaverant nuptias a diis suis humano ritu et *conditionibus*, ut ait Arnobius (*Arnob., lib.* iv, *pag.* 140), *quæsitis*, atque *usu*, *farre*, *coemptione* celebratas. Ea autem omnia, teste Servio (*Serv., in lib.* , *Georg. Virg., vers.* 30), ad antiquos nuptiarum ritus pertinebant : « Tribus enim modis, inquit, apud veteres nuptiæ fiebant; usu, si verbi gratia, mulier anno cum viro, licet sine legibus, fuisset : farre; cum per Pontificem maximum, et Dialem Flaminem per fruges et molam salsam conjungebantur, unde confarratio appellabatur, ex quibus nuptiis patrimi et matrimi nascebantur : coemptione vero, atque in manum conventione, cum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat, ut si quis prior fuisset defunctus, locum hæreditatis alteri faceret. »

A Videsis eumdem Servium in lib. iv *Æneid.*, vers. 103, et Brissonium, lib. *de veteri Ritu nuptiarum*, tom. xiii *Antiquit rom.*, pag. 1016 et seqq., atque ibidem, p. 1128 et seqq. Holmanni, librum *de veteri Ritu nuptiarum*, cap. 20 et seqq., qui hos veteres ritus, et quod Arnobius desperatis, pactis, sponsis et fescenninis addidit, suis in tractatibus explicant. Fescennini porro versus dicti sunt, inquit Festus, vel quia ab urbe Fescennina allati, vel quia fascinum arcere ferebantur (*Libris citat., p* 1012, 1047, 1112, 1124; *Fest., de verb. Sign.*) Quapropter festive Arnobius cum ethnicis jocando, ait deas, quod participes fescenninorum non essent, perturbasse discordiis omnia. » (*Arnob., lib.* iv, *p.* 140.) Deos autem aliorum nuptiis, earumque celebrationi interfuisse varii scriptores atque in primis B Homerus sæpius memorant (*Homer., Iliad.*, xxiv).

Brevi autem enumeratione probat Arnobius deos, fatentibus ethnicis, filios non solemni tantum connubio, sed alio longe turpiori modo procreavisse. Quid validius autem ad falsam ac commentitiam illorum divinitatem, ipso sole clarius patefaciendam, proferri potest? Primum itaque narrat auctor noster (*Arnob., lib.* ii, *pag.* 92 *et* 94; *lib.* iv, *pag.* 143) memoriæ ab ethnicis proditum fuisse Saturnum ab Cœlo et Hecata, atque ab eodem Saturno et Ope, ut alibi notavimus (*Dissert. in Minuc., cap.* 15, *art.* 2), Jovem fratresque ejus Neptunum, et Plutonem, ac Junonem sororem aliosque generatos; servatum vero Jovem a Curetibus, ne a patre suo, quemadmodum adhuc observavimus, devoraretur. Quam proculdu- C bio ob causam hos Arnobius, *Opis soboles regias* appellati (*Arnob., lib.* ii, *pag.* 20). Et certe scriptum a Diodoro Siculo legimus (*Diodor., lib.* v, *pag.* 232). Κρόνου καὶ Ῥέας λέγεται γένεσθαι τὴν δὲ Ἑστίαν, καὶ Δήμητραν, καὶ Ἥραν. ἔτι δὲ Δία, καὶ Ποσειδῶνα, καὶ Αδήν. *E Saturno et Rhea*, quæ Latinis Ops est, *Vesta*, *Ceres, Juno, Neptunus, et Pluto nati dicuntur.* Huic Hesiodus, et auctor libri *de Universitate*, aliique magno numero et consensu suffragantur (*Hesiod., Theogon. vers.* 453 *et seqq.*; *Cicer., lib. de Univers. Append.*)

Quid autem turpius fœdiusque excogitari potuit infami Veneris Cytheriæ ortu, quem perpetuo silentio damnandum, et a gentilibus deposita omni verecundia publicatum Arnobius noster hæc in verba eis exprobravit : « Numquid a nobis » inquit (*Arnob., lib.* D iv, *pag.* 143), « dicitur ex pelagi spuma, et ex Cœli, » cujus paulo ante mentionem fecimus, « genitalibus amputatis, Cytheriæ Veneris concretum coaluisse candorem? » Sed hoc Clemens Alexandrinus paulo fusius et liberius in eosdem ethnicos, ut salubri aliquo, si unquam fieri poterat, pudore suffunderentur, sic urget (*Clemens Alexandr., admonit. ad Gent., pag.* 10) : Ἀγορεύω δὲ ἀναφανδὸν τὰ κεκρυμμένα, οὐκ αἰδούμενος λέγειν ἃ προσκυνεῖν οὐκ αἰσχύνεσθε. ἡ μὲν οὖν ἀφρογενής τε καὶ κυπρογενής, ἡ Κινύρα φίλη, τὴν Ἀφροδίτην λέγω, τὴν Φιλομηδέα, ὅτι μηδέων ἐξεφαάνθη, μηδέων ἐκείνων τῶν ἀποκεκομμένων οὐρανοῦ, τῶν λάγνων τῶν μετὰ τὴν τομὴν τὸ κῦμα βεβιασμένων· ὡς ἀσελγῶν ὑμῖν μορίων ἄξιος. Ἀφροδίτη γίνεται κάρπος ἐν ταῖς τελεταῖς. *Aperte*

autem dico, quæ sunt occulta, non erubescens dicere ea, quæ non pudet vos adorare. Quæ ergo ex spuma, et in Cypro est genita, Cinyræ amica, Venerem dico Philomedeam, quia exorta est ex genitalibus, ex salacibus, inquam, genitalibus, quæ Cœlo abscissa sunt, quæ post abscissionem fluctui vim attulerunt : tamquam libidinosis vestris partibus dignus fructus sit Venus in sacris mysteriis. Macrobius vero ubi de Saturno disserit : *Hunc aiunt*, inquit, *abscidisse Cœli patris pudenda, quibus in mare dejectis, Venerem procreatam, quæ a spuma, unde coaluit*, Ἀφροδίτη *nomen accepit*. Adi præterea Ciceronem, qui hanc secundam Venerem nuncupat. Consule etiam si velis, Hesiodum, Servium, Gregorium Nazianzenum, et alios (*Macrob., lib.* I *Saturnal., cap.* 8, *pag.* 209; *Cicer. lib.* II, *de Natur. deor., pag.* 248, *lin.* 27; *Hesiod., Theogon., vers.* 195, *et seqq.*; *Serv. in lib.* I *Georg. Virg., pag.* 113; *Gregor., orat.* I *in Julian., ante fin.*).

Ex eodem porro Clemente Alexandrino videtur Arnobius id deliberasse, quod adjecit eamdem meretriculam Venerem a Cynira rege Cyprio ditatam, divorumque consecratam in numero. Quod quidem et a Julio Firmico confirmatum invenies (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 143; *Clemens Alexandr, admonit. ad Gent, pag.* 40; *Juli. Firm., de err. prof. relig., pag.* 15). Nos autem de illa aliquid alibi perstrinximus (*Tom.* I *Apparat., pag.* 729).

ARTICULUS IV.

Quomodo Arnobius falsam Jovis divinitatem demonstret ex ejus adulteriis cum Hyperione, unde Sol aureus; cum Latona, unde arcitenentes Apollo et Diana in insulis errantibus; cum Leda, unde Castores Tyndaridæ, seu Dioscuri, ovorum progenies, quorum alter equorum domitor, alter pugillator, et cestu insuperabilis : item aliis Jovis adulteriis, cum Alcmena, unde Hercules; cum Semele, unde Bacchus, seu Bromius, Nisius, et Evius, ex genitalibus matris fulmine ictus, atque ex semine patris iterum natus : item Jovis cum Maia, unde Mercurius; cum Electra, unde Dardanus; cum Laodamia, unde Sarpedon, ubi de Minerva ex Jovis cerebro nata, ac de ejusdem Jovis in varias animantium formas mutationibus, atque de his verbis : Tisianes, et Bocores mauri, atque babecali adolescentes.

Jupiter cum Junone sorore sua incestas, ut ait Arnobius, et antea Tertullianus (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 143; *Tertull., Apolog., cap.* 14), aliique notarunt, nuptias celebravit. Sed magnus ille deus libidinosissimus hac uxore, inquit auctor noster, contentus non fuit, quamvis oris dignitate, et ulnarum candore, sive ut Homerus, Gregoriusque Nazianzenus λευκώλενος albiulna, atque eximia formæ pulchritudine cæteris omnibus esset amabilior (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 141; *Homer., Iliad.* I, *vers.* 14 *et alibi*; *Greg. Naz., orat.* 3 *in Julian., pag.* 257). Ex variis enim pellicibus et scortis, atque adeo totidem adulteriis, filios suscepisse perhibetur. Neque id ethnici negare audebant. Quamobrem Arnobius illos his verbis alloquitur : « Ex Hyperiona, » inquit (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 141), *matre et ex Jove jaculatore fulminis Sol aureus flagrantissimus natus est.* Alibi vero, (*Ibid., pag.* 135) ; « Sol secundus æque Jovis filius, et Hyperiona proditus genitrice. » Sed plane discrepat ab Hesiodo, qui Solem a Theia matre sua, et patre Hyperione natum cecinit. Cicero etiam triplicis Solis patres recenset, quorum *alter*, inquit, natus *Hyperione;* sed de hoc Sole ibi ille non plura. Nihil tamen id mirum, quandoquidem de Hyperione alii scriptores variant (*Hesiod., Theogon., vers.* 371, *et seqq.*; *Cicer., lib.* III *de Natur. deorum., pag.* 247, *lin.* 45). At cum utroque Hesiodo et Cicerone in iis belle consentit Arnobius, qui continenter adjecit : « Ex Latona et eodem Jove arcitenens Delius et sylvarum captatrix Diana. » (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 141.) Sive ut alio in libro dixerat : « Arcitenentem Diana et Apollo circumlati per fugas matris, atque in insulis errantibus vix tuti. » (*Ibid., lib.* I, *pag.* 20; *Hesiod. Theogon., vers.* 917 *et seqq.*; *Cic., lib.* III *de Natur. deor., pag.* 248, *lin.* 17; *Homer., Iliad.,* XIV, *vers.* 323 *et seqq.*; *Strab., lib.* X *Geogr. pag.* 483; *Catul. in carm. sæcul. Dian.*; *Ovid., lib.* XV *Metamorph., fab.* 9.) De iis enimvero hæc sunt Hesiodi carmina :

> Λητὼ δ᾽ Ἀπόλλωνα καὶ Ἄρτεμιν, ἰοχέαιραν,
> ἱμερόεντα γόνον περὶ πάντων οὐρανιώνων,
> Γείνατ᾽ ἄρ, Αἰγιόχοιο Διὸς φιλότητι μιγεῖσα.

> Latona autem Apollinem et Dianam, sagittis gaudentem,
> Amabilem prolem super omnes cælites,
> Genuit sane, Ægiochi Jovis amore mixta.

Tulius vero « Apollo tertius Jove tertio natus et Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse. » His vero, præter Homerum, Strabonem, Catullum, et alios concinit Ovidius, ubi Apollinem dicentem inducit :

> Mihi Delphica tellus
> Et Claros, et Tenedos, Pataræaque regia servit,
> Jupiter est genitor.

Ex Herodoto porro disces, cur idem Apollo et Diana ab Arnobio dicantur, « circumligati per fugas matris, atque in insulis errantibus vix tuti. » Ibi enim ille narrat Apollinem et Dianam a Latona in Chemmi insula, quæ postea innatavit, occultatos et servatos (*Herodot., lib.* II, § 156, *pag.* 151; *Arnob., lib.* I, *pag.* 20).

Subscribit iterum Ciceroni auctor noster, cum postea tradidit ex ipso adhuc Jove genitos Castores, « Græce, » inquit (*Ibid.*; *lib.* IV, *pag.* 141) « Dioscuris nomen est. » Scriptis enimvero Cicero antea hæc mandaverat : Διόσκουροι etiam apud Graios multis modis nominantur..... Secundi Jove tertio nati ex Leda Castor et Pollux. » (*Cic., lib.* III *de Natur. deor., p.* 147.) Utrique adstipulator accedit Theocritus poeta græcus his carminibus (*Theocrit., Idyll.* 22) :

> Ὑμνέομες Λήδας τε καὶ Αἰγιόχω Διὸς υἱώ.
> Κάστορα, καὶ φοβερὸν Πολυδεύκεα πὺξ ἐρεθίζεν,
> Χεῖρας ἐπιζεύξαντα μέσοις βοέοισιν ἱμᾶσιν.

> Hymno celebramus Ledæ et Jovis Ægiochi filios
> Castorem, et terribilem Pollucem,
> Cum manu cinxit bubulis loris.

Videsis præterea Homeri hymnum in Jovis pueros, ac Theodoretum (*Theodor., serm.* 2 *de Angel. et dæmon., pag.* 511).

Arnobius vero ambos fratres uno simplicique nomine Castores appellat; « quia. » inquit Servius

(*Serv., in lib. Georg. Virg. vers.* 88, *pag.* 125), « ambo licenter et Polluces et Castores vocantur. Nam et ludi, et templum, et stellæ Castorum vocantur. »

Primo autem in libro Arnobius dixerat : « Tyndaridæ Castores (ms. reg. Tunc dari de Castores,) equos unus domitare solitus, alter pugillator bonus, et crudo inexsuperabilis cœstu : Titanes et Bocores, (ms. reg. Tisianes et Bucures,) Mauri, et ovorum progenies Dii Syri. » (*Arnob., lib.* I, *pag.* 20.) Vides sane quam fœde hic locus imperitia librarii depravatus sit. Quapropter lucem aliquam illi, quoad fieri poterit, afferre conabimur. Primum ibi, et adhuc alibi Castor et Pollux, *Tyndaridæ Castores*, ab Arnobio, et a Cicerone *Tyndaridæ* tantummodo, et ab Ovidio Tyndaridæ fratres nuncupantur (*Idem, lib.* II, *pag.* 93; *Cicer. lib.* II *de Natur. deor., pag.* 214; *et lib.* III, *pag.* 24; *Ovid., lib.* V *Fastor., sub fin.*). Nomen autem illud sortiti sunt : quia eos ex Tyndaro rege Oebaliæ et Leda ejus uxore prognatos credebant; quamvis ex furtivo Jovis, in cygnum conversi, cum Leda congressu nati fuissent. Ex Jove enim Leda duo peperit ova, ex quibus non solum Castor et Pollux, sed Helena etiam et Clytemnestra editi ferebantur. Atque hanc sane ob causam Dioscuri Διόσκουροι, ut diximus, a voce Διὸς Jovis, et κόροι sive κοῦροι, filii cognominati sunt. Quapropter nonnulli conjiciunt in Arnobii textu pro *Dii Syri*, legendum *Dioscuri*. Seldenus vero peculiarem de diis Syriis librum divulgavit.

Ex his autem, quæ paulo ante observavimus, facile intelligitur cur Castor et Pollux, ab Arnobio dicantur (*Arnob., lib.* I, *pag.* 120) ovorum progenies, Jupiter vero : *Candidorum procreator ovorum* (*Idem lib.* IV, *pag.* 142), de quibus præter alios Vossius. At istud adhuc, et quod auctor noster ibidem adjecit unum equos domitare solitum, et alterum bonum pugillatorem fuisse, Horatius hoc versu belle confirmat :

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis.
(*Horat., serm. lib.* II, *vers.* 25.)

Alibi vero illud repetit, eosque Ledæ filios hisce carminibus appellat :

Dicam et Alcidem, puerosque Ledæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem.
(*Idem, lib.* I, *od.* 12, *vers.* 25.)

Horatio pulchre Ovidius Propertiusque concinunt (*Ovid., lib.* V, *Fastor.*; *Propert., lib.* III, *eleg.* 13).

Quid sit autem cæstus, quo Pollux insuperabilis dicitur, disces ex Servio in hunc, ad quem forte Auctor noster respexit, Virgilii versum :

Seu crudo fidit pugnam committere cœstu.
(*Virgil., lib.* V *Æneid., vers.* 68.)

Ibi siquidem ille hæc animadvertit : « Crudo cæstu : aut crudeli, aut duro, ut sit simpliciter dictum, quod ex corio duro sint cæstus : aut per diphthongum pugilum arma significat. Habet pluralem numerum, et est quartæ formæ. Nam cæstus cæsti, numeri tantum singularis, sine diphthongo balteum Veneris, significat. » Quocirca Theocritus, ut paulo ante vidimus, cecinit manus Polluscis cinctas Βοέοισιν ἱμᾶσιν *bubulis loris*, sicuti reddidit ejus interpres, id est, cæstibus. Quibus adjungi potest Seneca, qui alicubi dixit :

Cedet Castore cum suo
Pollux, cæstibus aptior.
(*Senec., in Medea, act.* I.)

At de cæstu aliquid in priore Apparatus nostri tomo annotavimus (*tom.* I, *Apparat., lib.* III, *dissert.* 2, *pag.* 1193 *et seqq.*).

Major itaque difficultas est in penultimis Arnobii verbis : *Titanes et Bocores Mauri*, aut ut in ms. codice regio legitur, *Tisianes et bucules mauri* (*Arnob., lib.* I, *pag.* 20), quæ Heraldus explicari non posse ultro fatetur. Suspicabatur autem Stewechius legendum : *Ignes et fulgores marini;* quia Castor et Pollux stellæ sunt navigantibus salutares. Senecæ autem, Plinii, et aliorum testimonio illud firmare poterat (*Senec., lib.* I, *Natur. Quæst., cap.* 1, *pag.* 405; *Plin., lib.* II, *Natur. Hist., cap.* 37). Sed aliis minime placuit hæc Stewechii conjectura. Meursio margis arrisit Grotii divinatio, qua *Tisianira et Bucero nati*, scribendum augurabatur. Tisianira enim est Nemesis, sive Leda, et Jupiter Bucerus, ut pote, in taurum aliquando mutatus. Bucerum enim pecus, et bucera armenta idem ac boves significant. Sed quamvis Jovis cognomen fuisset Bucero, probari tamen debebat cur ibi Arnobius mentionem habuerit Jovis potius conversi in taurum quam in cygnum, sub cujus forma violavit Ledam, de qua ibi disputat. Ad veram igitur Arnobiani textus lectionem restituendam, alius certe incorruptus codex manuscriptus desideratur.

Pergit Arnobius (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 141), et alia Jovis adulteria sic contra Ethnicos urget : « Ex Alcmena et eodem Jove natus est Hercules ille Thebanus, quem clava pellisque tutatæ sunt : ex Semele atque ipso Liber, qui Bromius dicitur, et ex semine iterum natus patris : ex ipso rursus et Maia, Mercurius ore facundus, et gestator affabilium colubrarum, » sive draconum in caduceo, quo belli finis, et pacis initium indicebatur. Sed hæc cui ignota esse possunt? De triplici autem Jovis adulterio, quo ex tribus feminis totidem filios suscepisse fertur, Hesiodus hæc cecinit (*Hesiod. Theogon.*, v, 937 *et seqq.*) :

Ζηνὶ δ' ἄρ' Ἀτλαντὶς Μαίη τέκε κύδιμον Ἑρμῆν,
Κήρυκ' ἀθανάτων, ἱερὸν λέχος εἰσαναβᾶσα.
Καδμείη δ' ἄρα οἱ Σεμέλη τέκε φαίδιμον υἱὸν,
Μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι, Διώνυσον πολυγηθέα
Ἀθάνατον θνητή. νῦν δ' ἀμφότεροι θεοί εἰσιν,
Ἀλκμήνη δ' ἄρ' ἔτικτε βίην Ἡρακληείην
Μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι Διὸς νεφεληγερέταο.

Jovi vero Atlantis filia peperit gloriosum Mercurium,
Præconem deorum, sacrum lectum conscendens.
Cadmi filia vero Semele peperit clarum filium,
Rem cum eo habens, Dionysium hilarem,
Immortalem mortalis : nunc ambo dii sunt.
Alcmene vero peperit vim Herculaneam
Mixta amore Jovi nubicogo.

A De hoc autem Alcmenæ partu Cicero : *Sextus* Hercules, inquit, *ex Alcmena, quem Jupiter genuit, sed tertius Jupiter.* Plura, si lubet, apud Diodorum Siculum, Hesiodum, Plautum, et Vossium legere poteris. Addit vero Auctor noster post Clementem Alexandrinum transactas ab eodem Jove novem cum Alcmena noctes. De hoc porro aliisque ab Arnobio nostro memoratis Jovis adulteriis videsis Homerum (*Cic., l.* III, *de Natur. deor., p.* 205, *lin. ult. Diodor., l.* IV, *Bibl., p.* 157; *Hesiod., de scuto Herc. Plaut., in Amphit.*; *Voss., l.* I, *de orig. et progr. idol., c.* 14, *p.* 162; *Arnob., l.* IV, *p.* 145; *Clemens Alexandr., Admonit. ad gent., p.* 20; *Homer. Iliad.*, XIV, *versus* 316 *et seqq.*).

Explicata quoque invenies, quæ Arnobius scribit Liberum, seu Bacchum ex Jove et Semele, atque ex B semine, seu femore patris rursus natum; et ut alibi loquitur, ex genitalibus matris fulmine præcipitatum (*Arnob., lib.* I, *pag.* 20 *et* 24; *et lib.* IV, *pag.* 141). Narrat enim Diodorus Semelem a Jove, qui ejus amore flagrabat, precibus suis extorsisse, ut ad se ex illo prægnantem, pari atque ad Junonem honore, id est, tonitru et fulmine armatus accederet (*Diodor. Sicul., lib.* XL, *Biblioth., pag.* 138, *et apud Euseb., lib.* II, *Præpar. Evang., cap.* 2, *pag.* 52). Sed cum illa tantam fulgoris ac fragoris vim ferre nequivisset, statim exanimata abortum fecit. Tum vero Jupiter infantem suo insuit femori, eumque stato tempore enixus, Nysam Arabiæ in civitatem deportavit. Ibi a Nymphis educatus, a patre, et loco, ubi natus est, Dionysi accepit nomen. Alios testes, C si tibi dari velis, cito dabimus Homerum, Nonnum, Ovidium, et Ciceronem, quos, cum lubebit, adire facile poteris (*Homer., Iliad.* XIV, *vers.* 233 *et seqq.*; *Nonn., lib.* I, *Dionys. init.*; *Ovid., lib.* III. *Metamorph.*, § 3, *pag.* 102 *et seqq.*; *Cicer., lib.* I, *Tuscul., pag.* 119).

Interim observa Liberum ab auctore nostro non solum Semeleion, id est, Semeles filium, sed Bromium quoque, Nysium, atque Evium appellati. Βρόμιον δέ, inquit citatus a nobis Diodorus Siculus, ἀπὸ τοῦ κατὰ τὴν γένεσιν αὐτοῦ γενομένου βρόμου. *Bromius ab excitato circa nativitatem ejus tonitrus fragore* nuncupatus est, Nysius vero non a jam præfata, uti videtur, urbe Arabiæ Nysa, sed potius Nyso illius patre. Nam Cicero, post quem auctor noster quinque Dionysos, sive Liberos recenset, diserte asserit, D *quintum Nyso natum et Thione.* Evii denique cognomen Baccho inditum quidam putant; quia postquam in leonem mutatus, unumquemque ex gigantibus occidisset, a Jove patre suo *Evhion*, sive bonus filius cognominatus fuit. Alii suspicantur hoc nomen ortum a verbo *Evoe*, seu Εὐάν, quo Bacchantes in suis mysteriis Baccho, ut alibi annotavimus, palam acclamabant (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 141, *et lib.* V, *pag.* 176 *et* 177; *et loc. cit. Diodor. Sicul., lib.* III, *Biblioth., pag.* 149; *et apud Euseb., lib.* II. *Præpar. Evang., c.* 2, *pag.* 54; *Cicer., lib.* III, *de Natur. deor., pag.* 248, *lin.* 25).

Ex citato paulo antea Cicerone illud procul dubio adhuc excerptum fateberis, quod auctor noster subjunxit, ex eodem Jove et Maia genitum esse Mercurium (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 136; *tom.* I, *Apparat., lib.* III, *dissert.* 3, *c.* 9, *art.* 2, *pag.* 757). Litteris quippe latinus orator hæc consignasse legitur. « Mercurius tertius Jove tertio natus ex Maia, ex quo et Penelopa Pana natum ferant. » Diodorus autem Siculus : « Fuerunt filiæ septem Atlanti.... Maia natu maxima e Jovis complexu Mercurium multarum artium repertorem » genuit (*Cicer., lib.* III, *de Natur. deor., pag.* 248, *lin.* 6; *Diodor. Sicul., lib.* III, *Biblioth., pag.* 135). Utrique autem præter Macrobium (*Macrob., lib.* I, *Saturnal., c.* 12, *pag.* 122) suffragatus est Virgilius his versibus :

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.
At Maiam (auditis si quidquam credimus) Atlas
Idem Atlas generat, cœli qui sydera tollit.

(*Virgil., lib.* VIII *Æneid., vers.* 138 *et seqq.*)

Quos in versus videsis Servii observationes.

Mille porro aliis et virginibus et mulieribus, sicuti alibi memorat Arnobius (*Arnob., lib.* V, *pag.* 172), pudicitiam infamis Jupiter eripuit. Ibi autem ille Electram ac Laodamiam nominatim appellat. At Electra nympha fuit Oceani et Thethios filia, quæ a Jove constuprata, Dardanum teste Ovidio, sive, ut Dionysius Halicarnasseus opinatur, Dardanum et Jasum peperit (*Diony., Halicarn., lib.* I, *Antiquit. rom., pag.* 49). Ovidii autem hæc sunt ea de re carmina :

Dardanon Electra nesciret Atlantide cretum,
Scilicet Electram concubuisse Jovi.

(*Ovid., lib.* XIV *Fastor., vers.* 49.)

Ex Laodamia vero Bellerophontis filia idem Jupiter genuit Saperdonem, Lyciæ regem, quemadmodum canit Homerus (*Homer., Iliad.*, VI, *vers.* 197 *et seq.*) :

Λαοδαμείῃ μὲν παρελέξατο μητίετα Ζεύς,
Ἡ δ' ἔτεκ' ἀντίθεον Σαρπεδόνα χαλκοκορυστήν.

Cum Laodamia quidem concubuit Jupiter consiliator,
Eaque peperit divinum Sarpedonem æratum bellatorem.

Tantam porro asserit Arnobius tamque flagitiosam, ac perditam, de qua nos alibi (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 145, *tom.* I, *Apparat., pag.* 753, 805, 1242, *et seqq.*), fuisse Jovis libidinem; ut ad eam, si umquam potuisset, explendam in aurum, satyrum, draconem; alitem, taurum, ac formicam sese vertere non erubuerit. Quæ paulo clarius enucleata Ovidius hunc retulit in modum :

Mœonis elusam designat imaginem tauri
Europem.
. . . .
Fecit et Astorien aquila luctante teneri,
Fecit olorinis Ledam recubare sub alis :
Addidit, ut satyri celatus imagine pulcram
Jupiter impleril gemino Nicteida (1) fœtu :
Amphytrion fuerit, cum te Tirynthia (2) cepit.
Aureus ut Danaen Asopida (3) luserit ignis,
Mnemosynem pastor : varius Deoida serpens.

Postea vero Gregorius Nazianzenus (*Greg. Naz., tom.* II, *carm.* 61, *pag.* 142) :

(1) Antiopem Nictei filiam.
(2) Aleumena.
(3) Ægina est Asopi Bœotiæ regis filia.

Ἄθρει δὴ πρώτιστον ὅσ' ἔπλετο μαργοσύνῃσι,
Ταῦρος, κύκνος, χρυσὸς, ὄφις, πόσις, ἄρκτος, ἅπαντα
Ὅσσά μιν αὐτὸς ἄνωγεν ἔρως, κοῦρός τ' ἀλαπαδνός,
Ὡς αὐτοί γ' ἐνέπουσι θεῶν πλαστῆρες ἀνιδνῶν.

Cerne mihi quotnam formas, qui primus eorum est,
Induat, ardentis Veneris dum carpitur igne?
Nunc taurus, nunc albus olor, nunc cærulus anguis,
Nunc aurum, ursusque efficitur, nunc denique quid-
[quid
Vult amor, infirmusque puer, sic dicitis ipsi,
Imbecilla juvat quos fingere numina dextra.

De ejusdem autem Jovis ridicula, ut Eurymedusæ stuprum afferret, mutatione alibi aliquid perstrinximus (*tom.* I, *Apparat.*, *lib.* III, *dissert.* I, *c.* 9, *art.* 1, *pag.* 752). Videsis adhuc de quibusdam illis nefandis Jovis conversionibus Justinum Martyrem, Clementem Alexandrinum, Epiphanium, Julium Firmicum, Vossium, et alios (*Justin.*, *Cohort.* 2, *ad Græc.*, *pag.* 38, *Clem. Alexadr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 23 *et seq.*; *Epiph*, *Ancorat.*, *pag.* 108, *Firmic.*, *de err. profan. relig.*, *pag.* 15; *Voss.*, *lib.* I, *de Orig. et progr. idol. cap.* 14; *Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 93 *et* 118).

Minus forsitan inverecundum aliquibus videbitur, quod post Apollonium Rhodium, Nonnum, Lucianum, Pausaniam, Ovidium, aliosque complures, narrat Arnobius Minervam ex Jovis cerebro natam (*Apollon.*, *lib.* IV, *Argonaut.*, *vers.* 1309 *et seq.*; *Nonnus*, *lib.* I, *Dionysiac.*, *vers.* 9 *et seq.*; *Lucian.*, *dialog. deor.*, *pag.* 73 *et seq.*; *ac de Sacrif.*, *pag.* 183; *Pausan.*, *lib.* I, *pag.* 22; *Ovid.*, *lib.* III. *Fastor. sub fin.*, *Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 141 *et seqq.*). Sed hoc tamen supremo deorum patre penitus indignum fuisse nemo sane diffitebitur. Nonne enim inde necessario sequitur Jovem fuisse hominem, cerebro aliisque humanis membris compositum; ac Minervam antea non extitisse, et perperam in dearum numerum aggregari?

Quis ergo non intelligit quam recte Arnobius ex his omnibus, quæ a nobis hactenus enarrata sunt, concludat Jovem non potuisse majori umquam contumelia vexari, quam ab iis, qui palam, et ubique impudenter nefanda ejus adulteria prædicabant. Quid enim diis magis injuriosum, quam illos reos agere adulterii, quod leges humanæ, quemadmodum ex Justinianæo codice ac Theodoreto patet, et alibi annotavimus, capitali pœna puniri voluerunt? (*Lib.* IX, *cod. Justin.*, *tit.* IX, *ad leg. Juliam de adulter.*; *Theodoret.*, *serm.* 3, *de angel. et dæm.*, *pag.* 154, *tom.* I, *Appardt.*, *pag.* 805 *et seq.*, *et* 1241 *et seq.*)

Denique ibidem addidit Auctor noster eumdem Jovem ea arsisse cœca indomitaque libidine, ut *babecali adolescentes solent*. Et ita quidem in manuscripto codice regio, qui solita librarii inscitia plane corruptus videtur. Quamobrem pro *babecali*, quidam suspicati sunt legendum *vagari*, alii vero *bacchari*, et id tanto melius, quanto propius ad Arnobii propositum accedit. Jovis enim intemperantiam ibi Arnobius exagitat, eumque tametsi senem et canum non minori, quam adolescentes, ad feminas libidinis ardore exarsisse ostendit (*Idem*, *ibid.*, *pag.* 713; *Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 141).

A

CAPUT XII.

Quomodo Arnobius ethnicorum religionem ex aliorum deorum, atque dearum adulteriis, et flagitiis falsam esse ostendat.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam invicte Arnobius probaverit absurdas esse gentilium de diis suis opiniones, ex Saturni cum Philyra adulterio; Martis cum Venere; Herculis cum quinquaginta Thestii filiabus; Neptuni cum Amphitrite, Amymone, Alope; Apollinis cum Arsinoe, Arethusa, Hypsipyle, Marpissa, Zeuxippe, Prothoe, Daphne, Sterope, atque etiam Coronide, unde Æsculapius avaritiæ causa fulmine percussus.

Non major fuit aliorum deorum, quam Jovis castitas et pudicitia. Nam Saturnus, uti ait Arnobius (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 145), quamvis senectute con- B fectus, poetarum tamen « carminibus indicatur ab uxore in adulterio comprehensus, induisse formam feri, et sub pecoris specie hinnitibus evolasse jactatis. » At his ille verbis fabulam notat ab Apollonio Rhodio (*Apoll.*, *lib.* II, *Argon.*, *vers.* 1235 *et seqq.*) decantatam, qua Saturnus Philyram Oceani filiam adamasse perhibetur. Cum illa etenim commixtus, ne ab adveniente Ope sive Rhea uxore sua agnosceretur, in equum se convertit. Ex eo autem concubitu Chiron centaurus natus est, qui parte corporis anteriore hominem, et posteriore equum referebat. Unde illud Ovidii carmen:

Ut Saturnus equo geminum Chirona creavit.
(*Ovid.*, *lib.* IV *Metamorph.*, § 3, *pag.* 204.)

Plura apud Natalem Comitem videbis (*Nat. Com.*, C *lib.* III, *Mytholog.*, *cap.* 12).

Jam vero in superiori nostra dissertatione illud notavimus, quod Arnobius de Marte memorat: *Dum genitalibus insultat alienis, hæsisse in laqueis involutum*, id est, deprehensum cum Venere in adulterio, atque a Vulcano, uti Gregorius Nazianzenus quoque scribit, et nos alibi notavimus, ac vinculis constrictum (*Dissertat. in Minuc.*, *cap.* 18, *art.* 4; *Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 144, *et lib.* V, *pag.* 186; *Greg. orat.* 3, *seu* 1, *in Julian.*, *pag.* 258; *Dissert. in Minuc.*, *cap.* 17, *art.* 4).

Quis autem Hercule intemperantior, ac petulantior? « Sanctus Deus, » ut lepide Auctor noster jocatur, « natas quinquaginta de Thestio nocte una perdocuit et nomen virginitatis exponere, et geni- D tricum pondera sustinere. » (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 145.) Tam vero immoderatam, atque hactenus inauditam Herculis petulantiam ethnicis similiter objectarunt Tatianus, Clemens Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus, et Theodoretus (*Tatian.*; *Orat. contr.*, *Græc.*, *pag.* 159; *Clem. Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 20; *Greg. Naz.*, *orat.* 3 *seu* 1, *in Julian.*, *pag.* 263; *Theodoret.*, *serm.* 8, *de martyr.*, *pag.* 594 *et seqq.*). Ex gentilium autem Scriptoribus Pausanias refert, quæ fuerint majorum ea de re sententiæ; atque Ovidius ad eas respicit, ipsumque Herculem sic alloquitur:

Non tibi crimen erunt Teuthrantia turba sorores
Quarum de populo nulla relicta tibi.
(*Ovid.*, *epist.*, *Heroid.* 9, *pag.* 89.)

Rex vero *maris*, pergit Arnobius (*lib.* IV, *pag.* 144), A id est, Neptunus non uno tantum adulterio pollutus, *Amphrititas, Hippothoas, Amyonas, Menalippas, Alopas per furiosæ cupiditatis ardorem castimoniæ virginitate privavit.* Hæc autem ille mutuatus est ex Clemente Alexandrino, qui tres alias adhuc mulieres his subjunxit (*Clemens Alexandr., Admonit. ad gent. pag.* 20) : Κάλει μοι τὸν Ποσειδῶ, καὶ τὸν χορὸν τὸν διεφθαρμενόν ὑπ' αὐτοῦ, τὴν Ἀμφιτρίτην, τὴν Ἀμυμώνην, τὴν Ἀλόπην, τὴν Μεναλίππην, τὴν Ἀλκυόνην, τὴν Ἱπποθόην, τὴν Χιόνην, τὰς ἄλλας τὰς μυρίας, ἐν αἷς δὴ καὶ τοσαύταις οὔσαις, ἔτι τοῦ Ποσειδῶνος ὑμῶν ἐστενοχωρεῖτο τὰ πάθη. *Voca mihi Neptunum, totumque chorum qui fuit ab eo corruptus, Amphitritem, Amymonen, Alopen, Menalippen, Alcionen, Hippothoen, Chionem, et alias innumerabiles, in quibus quidem cum tot essent, vestri* B *Neptuni in arctum perturbationes cogebantur.* Verum tres posteriores Arnobius, sicuti et alias innumerabiles Clemens, omisit, quia quas uterque nomine suo appellat, eas ad institutum suum satis esse arbitratus est. Eamdem certe ob rationem Julius Firmicus, Amyonen, Alopen, Menalippen, Chionem, et Hyppothoen tantum nominat. De his porro et aliis a Neptuno vitiatis consule Natalem Comitem, et Vossium (*Jul. Firm.*, *de Err. prof. relig.*, *pag.* 16; *Comes, lib.* II, *Mythol.*, *cap.* 8, *pag.* 166 ; *Voss.*, *lib.* I, *de Orig. et progr. idol.*, *cap.* 15, *pag.* 63).

Suam Arnobius prosequitur ironiam, et sic Apollinem festive irridet : « Apollo Latonius immaculatus ille, castissimus, atque purus, Arsinoas, Æthusas, Hypsipilas, Marpissas, Zeuxippas, et Prothoas, C Daphnas et Steropas inconsulti pectoris appetivit fervoribus. » Prius vero Clemens Alexandrinus, ex quo Arnobius ea similiter delibavit (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 144; *Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 20) : Κάλει μοι, ait, καὶ τὸν Ἀπόλλω, Φοῖβός ἐστιν οὗτος, καὶ μάντις ἁγνὸς, καὶ σύμβουλος ἀγαθός. ἀλλ' οὐ ταῦτα ἡ Στερόπη λέγει, οὐδὲ ἡ Αἴθουσα, οὐδὲ ἡ Ἀρσινόη, οὐδὲ ἡ Ζευξίππη, οὐδὲ ἡ Προθόη, οὐδὲ ἡ Μάρπισσα, οὐδὲ ἡ Ὑψιπύλη· Δάφνη γὰρ ἐξέφυγε μόνη καὶ τὸν μάντιν, καὶ τὴν φθοράν. *Voca mihi etiam Apollinem. Is est Phœbus, et vates castus, et bonus consiliarius. Sed non hoc dicit Sterope, nec Arethusa, nec Arsione, nec Zeuxippe, nec Prothoe, nec Marpissa, nec Hypsipile. Effugit enim sola Daphne et vatem et vitium.* Quamvis autem Daphne vitium fugerit, illud D non minuit Arnobiani argumenti vim, immo vero evidentissime probat Apollinem cæca effrenataque in eam libidine percitum fuisse, ac turpiter inflammatum. Ovidius vero hanc fabulam cecinit. At insuper legere poteris, Julium Firmicum de ea, atque aliis, ab Apolline deperdite amatis, ac si adhuc vacat, consule Natalem Comitem (*Ovid.*, *lib.* II. *Metamor.*, *fab.* 10, *pag.* 27 *et seqq.* ; *Jul. Firm.*, *de err. prof. relig.*, *pag.* 762; *Com.*, *lib.* IV. *Mythol.*, *cap.* 10, *pag.* 342).

Apollinis haud dubie filius, et Jovis nepos fuit Æsculapius, qui ab Arnobio nostro haud semel *Coronide natus dicitur* (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 20, et *lib.* 7, *pag.* 249). Diodorus vero Siculus, cujus verba Eusebius transcripsit, testatum alicubi facit illum Apollinis et Phoronidis, Φορωνίδος, melius apud Eusebium Κορωνίδος, veluti, Theodoretus ex Apollodoro observat, Arsinoes, fuisse revera filium, qui quidem cum multos deploratæ valetudinis homines sanaret, a Jove, id ægre ferente, ictu fulminis percussus est. (*Diodor.*, *lib.* IV, *Biblioth.*, *pag.* 189 ; *Euseb.*, *lib.* II, *Præpar. Evang.*, *cap.* 2, *pag.* 57; *Theodoret.*, *serm.* 8, *de Martyr.*, *pag.* 595.)

Quapropter alibi Arnobius hoc de illo scriptum reliquit : « Numquid cupidinis et avaritiæ causa, sicut canit Bœotius Pindarus, Æsculapium fulminis transfixum esse telo ? » Simili quoque modo Tertullianus : « Est et ille, » inquit, « de Lyricis, Pindarum dico, qui Æsculapium canit avaritiæ merito, quia medicinam nocenter exercebat, fulmine judicatum. Malus Jupiter, si fulmen illius est, impius in nepotem, invidus in artificem. » (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 143 ; *Tertullian.*, *Apolog.*, *cap.* 14, *pag.* 15.) Prius vero hoc retulit Clemens Alexandrinus, qui non solum Pindari, sed Euripidis etiam hac de re carmina retulit. Videsis præterea Cyrillum itidem Alexandrinum contra Julianum Apostatam disputantem, et quæ a nobis alibi adnotata sunt, ac postea in subsequenti dissertatione dicentur (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 18; *Cyrill.*, *lib.* VI, *in Julian.*, *pag.* 200 *et seqq.*; *tom.* I. *Apparat.*, *pag.* 754; *Dissert. in Minuc.*, *cap.* 15, *art.* 3). Citatis porro Scriptoribus unum adhuc nobis adjicere liceat Gregorium Nazianzenum, qui illa et alia nefanda prorsus, atque execranda, deorum crimina his paucis carminibus descripsit (*Greg. Naz.*, *carm.* 61, *pag.* 142) :

Ψεύστας, ἀνδροφόνους, σκολιούς, ἐπίορκον ὀμοῦντας,
Ἅρπαγας, ἀνδρογύνους, μοιχούς, ἐπιβήτορας ἀνδρῶν.

Mendaces, cædis constrictos sanguine, vafros,
Falsum jurantes, raptores, androgynosque,
Jura resolventes thalami, rabieque nefanda
Miscentes sese pueris, generique virili.

Sed de hoc plane execrando puerorum amore nostrum, si lubet, Arnobium audiamus.

ARTICULUS II.

Quam evidenter adhuc Arnobius falsos esse gentilium deos probaverit ex pueris Catamito, seu Ganymede, Hila, Hyacintho, Pelope et Chrysippo, quos illi turpissime adamaverunt et constuprarunt.

Parum fuit insatiabili prorsus deorum libidini tot tamque detestabilia cum fœminis adulteria fecisse, sed turpissimo præterea puerorum amore excæcati, eis quod dictu horrendum, illa intulerunt stupra, quæ suis in historiis publicare ethnicos non puduit. Ab ipso enim Jove, quem Deum optimum, maximum, vocabant : « Catamitus puer, » ait Arnobius (*Arnob.*, *lib.* V, *pag.* 172), pudoris spoliatus est honestate.) Atque ut alio in libro dixerat (*Idem.*, *lib.* IV, *pag.* 145) : Catamitus puer rapitur delicium futurus, et poculorum custos. » Si quæras quis ille Catamitus fuerit, respondebit Festus (*Festus*, *de*

Verb. sign.) : Catamitum pro Ganimede dixerunt, qui fuit Jovis concubinus. › Eam ob causam in cœlum raptus esse fertur, idque Ovidius his versibus decantavit :

Rex superum Phrygii quondam Ganymedis amore
Arsit, et inventum est aliquid, quod Jupiter esse,
Quam quod erat, mallet. Nulla tamen alite verti
Dignatur, nisi quæ possit sua fulmina ferre.
Nec mora, percusso mendacibus aere pennis
Abripit Iliaden, qui nunc quoque pocula miscet,
Invitaque Jovi nectar Junone ministrat.

(*Ovid.*, *lib.* x *Metam.*, § 4, *pag.* 363 *et seqq.*)

Non mirum itaque si Arnobius immane illud ac prorsus detestabile facinus ethnicis semel et iterum objecerit (*Arnob.*, *lib.* v, *pag.* 187). Cicero tamen illud præpostere ab Homero, humana ad deos transferente, fictum censet. Alicubi enim hoc ab eo scriptis traditum fuit : ‹ Nec Homerum audio, qui Ganymedem a diis raptum ait propter formam, ut Jovi pocula ministraret : non justa causa cur Laomedonti tanta fieret injuria. Fingebat hæc Homerus, et humana ad deos transferebat, divina mallem ad nos. › (*Cicer.*, *lib.* I, *Tuscul.*, *pag.* 125, *lin.* 27.) Sed id non impedivit, quominus tantum scelus ab plerisque omnibus ethnicis creditum ac venditatum, eis Arnobius, et Julius Firmicus jure merito exprobraverint (*Jul. Firm.*, *de err. prof. relig.*, *pag.* 15). Adi, si velis, Vossium (*Voss.*, *lib.* I, *de Orig. et progr. idol.*, *pag.* 61), qui propterea Ciceronem memoria ibi deceptum fuisse arguit, quod Ganymedem Laomedontis filium dixerit. De Catamiti porro nomine idem Vossius alibi disputat (*Idem*, *in Etymolog.*, *Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 145).

Quod autem Auctor noster his adjecit : ‹ Et ut Jovis dicatur pullus, in partibus Fabius aduritur mollibus, obsignaturque posticis, › his Festi verbis paulo clarius explanatur : ‹ Pullus Jovis dicebatur Fabius, cui Eburno cognomen erat, propter candorem, quod ejus natis fulmine icta erat. Antiqui autem puerum, quem quis amabat, pullum ejus dicebant. › (*Fest. ad verbum Pullus.*);

Verum ad alia cum Arnobio nostro pergamus. Sic autem ille ipsosmet ethnicos affatur : ‹ Quid non contenti feminei generis attribuisse diis curas, etiam sexus adjungitis adamatos ab his mares ? Hylam nescio quis diligit, Hyacintho est alius occupatus, ille Pelopis desideriis flagrat, hic Chrysippum suspirat ardentius. › (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 145.) Ex Clemente autem Alexandrino ea Arnobium desumpsisse ex his facile intelliges illius verbis : Οὐδὲ γὰρ παίδων ἀπέσχοντο οἱ παρ' ὑμῖν θεοί. ὁ μέν τις, Ὕλλου. ὁ δὲ Υακίντου· ὁ δὲ Πέλοπου. ὁ δὲ Χρυσίππου. *Nam nec a pueris quidam dii vestri abstinuere. Unus quidem Hyllam, alius vero Hyacinthum, alius Pelopem, alius Chrysippum amantes* (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 21).

Hylas autem Theodamantis, Driopum regis, filius fuit, et is sane formosissimus, quem Hercules, occiso patre ejus, raptum, Colchos secum duxit, quando illuc cum Argonautis navigabat. Postea vero eum ad aquam, ex Ascanio flumine, seu Calciamnis fonte hauriendam misit, quem nymphæ, ejus pulchritudine captæ, rapuerunt. Hercules vero cum illum frustra quæsivisset, in ipsius honorem sacra instituit, in quibus solemniter Hyla clamabatur. Unde Virgilius :

His adjungit Hylam, nautæ quo fonte relictum
Clamassent; ut littus Hyla! Hyla! omne sonaret.

(*Virgil.*, *eclog.* VI, *vers.* 43.)

Quos in versus videsis Servii observationes ac Strabonem, Apollonium, Theocritum, et alios (*Strab.*, *lib.* XII, *Geogr.*, *pag.* 564; *Apolloni.*, *lib.* I. *arg.*, *vers.* 1207 *et seqq.*; *Theocrit.*, *Idyll.* 13).

Hyacinthum autem, Amyclæ regis filium, cujus deinde Arnobius meminit, ab Apolline et Zephyro perdite amatum cecinit Ovidius (*Ovid.*, *lib.* 12, *Metam.*, fabul. 5; *Jul. Firm.*, *de error. prof. relig.*, *pag.* 15, *et seqq.*); nec ulli id incompertum esse potest. At Julius Firmicus de illo et Hyla, et aliis duobus Pelope et Chrysippo eadem, atque Arnobius noster, sed paulo clarius retulit, atque inde contra ethnicos sic disputat : ‹ Puerorum aliquis delectatur amplexibus, Ganymedem in sinu Jovis quærat, Herculem videat Hylam impatienti amore quærentem, Hyacinthi desiderio captum Apollinem discat. Chrysippum alius, alius Pelopem videat, ut per deos suos sibi licere dicat, quidquid hodie severissime Romanis legibus vindicatur. ›

A quo autem adamatus sit Pelops, de quo alibi idem Julius, his Tatianus (*Ibid.*, *pag.* 20; *Tatian.*, *orat. cont. Græc.*, *pag.* 162) verbis indicasse videtur : παρ' ὑμῖν ὁ Πέλοψ δεῖπνον τῶν θεῶν γίνεται, καὶ Ποσειδῶνος ἐρώμενος. *Apud vos Pelops deorum epulis apponitur*, *et*, seu etsi, *amatus a Neptuno puer.* Pindarus vero (*Pindar.*, *ol. Ode* I, *vers.* 38 *et seqq.*) :

. . . . . Τοῦ μεγασθενὴς,
Ἐράσσατο γαιάοχος Ποσειδᾶν.

Quem præpotens,
Amavit terrarum ambiens Neptunus.

Denique Athenæus hæc de Chrysippo, et puerorum amore tradidit (*Athen.*, *lib.* XIII, *pag.* 602 *et seqq.*) : Ἄλλοι δὲ φασι τῶν τοιούτων ἐρώτων κατάρξασθαι Λαίον, παρὰ Πέλοπι, καὶ ἐρασθέντα τοῦ υἱοῦ αὐτου Χρυσίππου, ὃν καὶ ἁρπάσαντα καὶ ἀναθέμενον εἰς ἅρμα, εἰς Θήβας φυγεῖν. Πραξίλλα δὲ ἡ Σικυωνία ὑπὸ Διὸς φησὶν ἁρπασθῆναι τὸν Χρύσιππον. *Alii dicunt puerorum amorem ortum fuisse a Laio, ad Pelopen, diversato, qui ad amatum ejus filium Chrysippum, cum raptum imposuisset currui, Thebas aufugit. Praxilla Sicyonia Chrysippum a Jove raptum fuisse inquit.* Videsis adhuc Ælianum, si animus est, sed ibi ille Jovis non meminit (*Ælian.*, *lib.* XIII, *var. hist.*, *cap.* 5). Verum quis hos tam execrando, nec ullis ignibus satis umquam expiando amore flagrantes deos dici non horreat ?

ARTICULUS III.

Quomodo Arnobius falsam deorum divinitatem ostendat ex impudico illarum in homines amore, Auroræ in Tithonum, Lunæ in Endymionem, Nereidis in Æacum, Thetidis in Achillis genitorem, Proserpinæ in Adonem, Cereris in rusticanum Jasionem, Veneris in Vulcanum, Phaetontem, Martem, et Anchisem, et cur hæc Dioneia, et Troici viri mater dicatur.

Quanta etiam fuerit dearum impudicitia, his Arnobius, post Clementem Alexandrinum, exemplis manifeste demonstrat: « Nonne vestris cautum est litteris adamatum esse ab Aurora Tithonum, arsisse in Endymionem Lunam, Nereidem in Æacum, in Achillis genitorem Thetin, Proserpinam in Adonem, matrem ejus Cererem in Jasionem nescio quem rusticanum, et post Vulcanum Phaetontem, Martem in Anchisæ nuptias ipsam illam Venerem, Æneadum B matrem, et Romanæ dominationis auctorem » (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 145 *et seqq.*). Clemens autem Alexandrinus prius eisdem gentilibus objecerat (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent. pag.* 21): Ἠὼς ἐπὶ Τιθωνῷ, Σελήνη Ἐνδυμίωνι, Νηρηῒς ἐπὶ Αἰακῷ, καὶ ἐπὶ Πηλεῖ Θέτις· ἐπὶ δὲ Ἰασίωνι Δημήτηρ, καὶ ἐπὶ Ἀδώνιδι Φερεφάττα· Ἀφροδίτη δὲ ἐπ' Ἄρει κατῃσχυμμένη, μετῆλθεν ἐπὶ Κινύραν, καὶ Ἀγχίσην ἔγημεν· καὶ Φαέθοντα ἐλόχα, καὶ ἦρα Ἀδώνιδος. *Aurora propter Tithonum*, *Luna propter Endymionem*, *Nereis propter Æacum*, *et propter Peleum Thetis*, *propter Jasionem autem Ceres*, *et propter Adonidem Proserpina : Venus vero propter Martem est probro et dedecore affecta*, *transiit ad Cyniram*, *et nupsit Anchisæ*, *et paravit Phaetonti insidias*, *et amavit Adonidem*.

C Tithonus autem Laomedontis, Trojanorum regis frater, ut ait Servius (*Servi.*, *in mox citand. Virgil.*), ab Aurora ob formæ præstantiam adamatus et raptus fuit, atque in Æthiopiam ejusdem curru advectus, ibi ex illa genuit Memnonem. Unde Virgilius cecinit:

Aut ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
(*Virgil.*, *lib.* I *Georg.*, *vers.* 446.)

Et rursus alio in libro:

Et jam prima novo spargebat lumine terras,
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
(*Idem*, *lib.* IV *Æneid.*, *vers.* 584.)

De his plura Hesiodus (*Hesiod.*, *Theogon.*, *vers.* 904), et Propertius (*Propert.*, *lib.* II, *eleg.* 18; *idem*, *eleg.* 15), qui de Endymione hos fecit versus:

D Nudus et Endymion Phœbi cepisse sororem
Dicitur, et nudæ concubuisse deæ.

Pastor ille fuerat, Athlii filius, cujus amore Luna capta, in Latmi Cariæ montis occultavit specu, et dormientem, sicut Cicero ait, osculatus est. Visne illius verba tibi proferri? En ipsa sunt: « Endymion vero, si fabulas audire volumus, nescio quando in Latmo obdormivit, qui est mons Cariæ, nondum opinor experrectus. Num igitur eum curare censes, cum Luna laboret, a qua consopitus putatur; ut eum dormientem oscularetur » (*Cicer.*, *lib.* I *Tuscul.*, *pag.* 130, *lin.* 36)? Plures autem, qui hæc ad aniles, nec audiendas umquam fabulas, non rejiciant si audire desideras, adire poteris Theocritum, Ovidium,

A Plinium et alios (*Theocr.*, *idyl.* 3; *Ovid.*, *epist. Heroid.*, 18, *pag.* 199, *lib.* III *de Art. aman.*, *pag.* 473; *Plin.*, *lib.* II *Natur. hist.*, *cap.* 9, *pag.* 152).

Nereidis autem nomine Arnobius noster adhuc post Clementem Alexandrinum, ut jam vidimus, designat Psamathen Nerei filiam (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 21), ex qua Æacus, ut refert Hesiodus, Phocum suscepit (*Hesiod.*, *Theogon.*, *vers.* 1004):

Ἤτοι μὲν Φῶκον Ψαμάθη τέκε δῖα θεάων,
Αἰακοῦ ἐν φιλότητι, διὰ χρυσῆν Ἀφροδίτην.

Et sane quidem Phocum Psamathe peperit præstantissima [dearum,
Æaci in amore, per auream Venerem.

Multa de Æaco et Phoco Ovidius, quem cum lubebit, legere poteris (*Ovid.*, *lib.* VII *Metam.*, § 24 *et seqq.*). Quem Arnobius dehinc Achillis vocat genitorem, is recte a Clemente Alexandrino appellatur Peleus, qui eumdem Achillem ex Thetide procreavit (*Clem.*, *loc. cit.*, *pag.* 21). Jam enim citatus a nobis Hesiodus cecinit (*Hesiod.*, *Theogon.*, *vers.* 1006):

Πηλεῖ δὲ δμηθεῖσα θεὰ Θέτις ἀργυρόπεζα,
Γείνατ' Ἀχιλλῆα.

A Peleo autem subacta dea Thetis, candidos pedes habens,
Genuit Achillem.

Sed hoc ab Ovidio fuse decantatum invenies (*Ovid.*, *lib.* II *Metamorph.*, § 7).

Ferunt autem Proserpinam ac Venerem, Adonim pariter deperientes, ad Jovis venisse judicium, quo ille pronuntiaret cuinam ex duabus concederetur. Dato vero ab eo fuit litis arbitra et judex Calliope, quæ constituit, ut illum unaquæque per dimidiam anni partem possideret. Lege, si velis, Hyginum, Apollodorum, et Giraldum (*Hygin.*, *Astronom.*, *poet.*; *Apoll.*, *lib.* III *Biblioth.*; *Girald.*, *syntagm.* 13 *deor.*, *pag.* 396).

Jasion porro ab auctore nostro rusticanus quidem nescio quis, sed a Nonno vir agricola, et Cereris conjux, ab aliis Jovis et Electræ, et ab quibusdam Menois et Phroniæ filius dicitur (*Nonn.*, *lib.* XLVIII, *vers.* 969, *et seqq.*). Ab Hesiodo autem (*Hesiod.*, *Theogon. vers.* 969) perhibetur ex Cerere Plutum genuisse:

Δημήτηρ μὲν Πλοῦτον ἐγείνατο, δῖα θεάων,
Ἰασίῳ ἥρωϊ μιγεῖσ' ἐρατῇ φιλότητι.

Ceres quidem Plutum genuit, præstantissima dearum,
Jasio heroi mixta jucundo amore.

Adi adhuc, si velis, et vacet, Theocritum et Ovidium (*Theocr.*, *idyl.*, *vers.* 50; *Ovid.*, *lib.* IX *Metamorph.*, § 11).

At non Jasionis solius, sed Vulcani etiam, Martis, Phaetontis et Anchisæ nequissimo amore impudica Venus flagravit. De Marte autem paulo ante, ac de Phaetonte, seu potius Phaone in superiore Apparatus nostri tomo disseruimus (*tom.* I *Apparat.*, *pag.* 767).

Sed observare hic juvat triplicem a Cicerone distingui Venerem, quarum « tertia » inquit (*Cicer. lib.*, III *de Nat. deor. pag.* 248, *lin.* 28), « Jove nata et Dione, nupsit Vulcano » in quam, ut dixit auctor noster, ardebat. Quod quidem confirmatur a Servio

in suis ad hæc Virgilii carmina animadversionibus:

At Venus haud animo nequidquam exterrita mater,
Laurentumque minis, et duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur, thalamoque hæc conjugis aureo
Incipit, et dictis divinum aspirat amorem.
. . . .
Dixerat, et niveis hinc atque hinc diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet, etc.

(*Virgil.*, *lib.* VIII *Æneid.*, *vers.* 370 *et seqq.*)

Denique Venerem Anchisæ etiam nupsisse, et inde prognatum Æneam, si quis sibi probari velit, audiat ex Græcis Hesiodum (*Hesiod.*, *Theogon.*, *vers.* 1008):

Αἰνείαν δ' ἄρ' ἔτικτεν ἐϋστέφανος Κυθέρεια,
Ἀγχίσῃ ἥρωϊ μιγεῖσ' ἐρατῇ φιλότητι.

Æneam porro peperit pulchre coronata Cytherea,
Anchisæ heroi mixta jucundo amore.

Audiat etiam, si velit, ex Latinis Virgilium:

Tu ne ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undas?

(*Virgil.*, *lib.* I *Æneid.*, *vers.* 621 *et seqq.*)

Quos in versus legat Servii annotationes. Revolvat quoque libros Ovidii (*Ovid.*, *lib.* IV *Fastor.*, § 1), qui illud decantavit suis in Fastis, et alio in libro, ubi alia adhuc memorata non solum ab Arnobio, sed a Lactantio (*Lactan.*, *lib.* I *Instit.*, *cap.* 17, *pag.* 92) etiam dearum adulteria duobus his versibus memorat:

In Venerem Anchises, in Lunam (1) Ladmius heros
In Cererem Jason, qui referatur, habet.

(*Ovid.*, *lib.* II *Trist.*, *vers.* 301 *et seqq.*)

Nos vero paulo ex Cicerone ante observabamus tertiam esse Venerem, quæ Jove et Dione nata, Vulcano nupsit, et de qua dixerat Arnobius (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 20): « Dioneia Venus proles, viri materfamilias Troici, atque intestini doloris publicatrix, » id est, Venus filia fuit Diones nymphæ, de qua Virgilius:

Sacra Dioneæ matri, divisque ferebam.

(*Virgil.*, *lib.* I *Æneid.*, *vers.* 19.)

hoc est, *Veneri*, ait Servius, a matre Dione secundum *Homerum*. Ea autem mater fuit *Troici viri*, sive Æneæ, quemadmodum supra annotavimus; *et intestini*, ejusdem Æneæ, *doloris publicatrix*, quia infelices illius casus, intimosque ac domesticos dolores, a Virgilio decantatos (*Idem*, *lib.* VIII, *vers.* 379 *et seqq.*) publicavit. Cæterum auctor noster hanc Venerem ab aliis non distinxit, quia sive una, sive plures fuerint, satis ad propositum suum esse putabat demostrasse nullam ex iis potuisse deam dici, ut pote quæ omnem humani pudoris sensum exuerat.

Arnobius itaque ex hactenus disputatis recte concludit christianos, qui hanc Venerem, aliosque omnes prorsus illos sive viros, sive feminas, tantis flagitiis sceleribusque inquinatos, deos esse negabant, immerito prorsus impios ab ethnicis appellari. Contra enimvero constare debet hos ipsos gentiles, qui ea de diis suis prædicabant, maximæ condemnari impietatis. Ea namque adulterina et crimina si vera sint, qui ea perpetravere, dii esse nequeunt. Si falsa autem esse probentur, certe propter tam impudentes penitusque

(1) Id est *Endymion.*

A intolerandas calumnias, totque ac tam turpia facinora, sibi fallaciter ascripta, omnes ethnicos perdere debuissent.

CAPUT XIII.

Quam perspicue Arnobius convincat falsos nullosque esse gentilium deos, ex eorum patria, forma, figura, disciplinis, et artibus, quibus eos operam impendisse, aut præfuisse ethnici jactitabant.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam invicte Arnobius ex assignata ab Ethnicis deorum patria, forma, ac figura, demonstret falsam esse illorum divinitatem.

Quamvis Arnobius falsos esse gentilium deos ex turpissimo eorum ortu, execrandisque flagitiis satis
B superque ostenderit; aliis tamen rationum momentis non minus certis et evidentibus illud rursus demonstrat. Ex iis autem unum erat, quod ille desumit ex designata deorum patria, et loco ubi mortui sunt, quæ nobis magno sane studio ipsimet ethnici indicare curaverunt. Nam inde certo certius conficitur eosdem deos aliquando non exstitisse, ac proinde nec sempiternos esse posse, nec divina natura præditos.

At primo quidem Ceres, uti ait Arnobius (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 20; *Dissert.*, *in Minuc.*, *cap.* 20, *art.* 1), ab gentilibus asserebatur: « In Trinacriæ finibus nata, atque in floribus legendis occupata, » priusquam Proserpina a Plutone, sicut alibi explicavimus, raperetur. Trinacriæ autem nomine Arnobius Siciliam
C procul dubio intelligit. A Diodoro etenim Siculo, et Servio discimus (*Diod.*, *lib.* V *Biblioth.*, *pag.* 199, *Serv.*, *in lib.* VI *Georg. Virg.*, *pag.* 265), hanc insulam primum a sua figura Trinacriam, vel Trinacem, postea a Sicanis cultoribus Sicaniam, ac tandem a Siculis Siciliam fuisse nuncupatam. Addit autem Diodorus longa majorum suorum traditione a Siciliotis accepta didicisse Cereri ac Proserpinæ dicatam olim fuisse hanc insulam. Plura vero hanc in rem retulit Cicero, quem facile adire poteris (*Cic.*, *orat.* IV *in Verrem*, *pag.* 179).

Quæ vero a gentilibus de Api, qui in Peloponeso Serapis nuncupabatur, et de Iside in Ægypto prodita sunt, et ab auctore nostro memorantur, jam a nobis satis explicata fuere, nec iis repetendis alio-
D rum otio abutendum (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 20; *tom.* I *Apparat. pag.* 1090).

Palam quoque fecimus Arnobium ex Clemente Alexandrino ea decerpsisse, quæ de Martis patria et vinculis narrat. Ibi vero expendimus utrum ille erroris ab Herveto jure vel injuria postuletur. Nullus quoque dubitandi locus videtur, quin adhuc Arnobius ex eodem Clemente ea deliberavit, quæ de canibus et asinis eidem Marti immolatis adjecit (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 143; *Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 18; *tom.* I *Apparat.*, *pag.* 753).

Quam viles autem et divina majestate indignas diis suis formas ethnici attribuerint, his ille, quæ ad eos ipsos facit, verbis declarat (*Arnob.*, *lib.* III,

pag. 107): « Vos deos parum est formarum quod amplectimini mensione, filo et alterminatis humano, et quod indignius multo est, terrenorum corporum circumcæsura finitis, » hoc est, deos vestros formarum *mensione*, seu dimensione vel mensura, et filo, sive textura et lineamentis humanis, ac corporum terrenorum circumcæsura, seu extremitate terminatis et circumscribitis. Priori autem verbo usus est Cicero (*Cic.*, *Orator.*, *pag.* 268, *lin.* 2), et duo posteriora desumpta ex Lucretio videntur. Variis quippe ea adhibet in locis, unde hæc proferemus:

Sunt igitur jam formarum vestigia cæca,
Quæ vulgo volitant subtili prædita filo.
(*Lucret.*, *lib.* IV, *vers.* 85 *et seqq.*)

Alibi vero:

Specie confusa videntur
Quam minimum filum.
. . . .
Perparvum quoddam interdum mutare videntur
Alterutrâm in partem filum.
(*Et lib.* V, *vers.* 581, *et vers.* 588 *et seqq.*)

Alio autem in libro nomen circumcæsura sic adhibet:

Extima membrorum circumcæsura tamen se
Incolumem præstat.
(*Lib.* III, *vers.* 220.)

Rursus vero:

Extima membrorum circumcæsura coercet.
(*Lib.* IV, *vers.* 651.)

Atqui nec tales esse deos, nec corporea forma, aut humana figura et specie constare posse pluribus rationum firmamentis Arnobius demonstrat. Excerpta autem sunt ea fere omnia, quæ ille suum accommodavit in modum ex primo Ciceronis de Natura deorum libro, ubi Cotta Academicus Vellejum Epicureum refellit (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 107 *et seqq.*; *Cicer.*, *lib.* I *de Natur. deor.*, *pag.* 206 *et seqq.*). Sed hæc ex mox dicendis evidentius cuilibet, uti credimus, patebunt.

Brevi itaque corporeorum membrorum enumeratione perspicuum primo Arnobius facit deos neque iis, neque ulla cujuslibet corporis figura componi. Sed hanc recensionem stylo suo inflato et turgido prosequitur, ac insolitis quibusdam utitur verbis, quæ idcirco nec omnibus obvia claraque omnino sunt, nec sine explicatione aliqua debent prætermitti. Docet autem deos præter caput, aures, pedes, aliasque omnibus notissimas corporis partes, habere nequaquam posse « suspensum imbricem narium, munctionibus mucculentis, et spiritali commeabilem tractui (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 107), » id est, narium canalem, quo mucus humoresque ex capite defluunt, ac spiritus ducitur.

Præterea: « Dentes trini generis, atque in officia trina compositos » (*Ibid.*), id est, primos acutos, qui cibum secant; maxillares, latos, qui eum molunt, et caninos, quorum media est inter utrosque natura. Videsis Aristotelem, Plinium, et Isidorum. At Cicero duo tantum dentium genera, adversus nimirum acutos, et intimos, seu genuinos agnoscere videtur (*Aristot.*, *lib.* III *de Part. animal.*, *cap.* I, *tom.* I, *pag.* 999; *Plin.*, *lib.* II *Hist. natur.*, *cap.* 37, *pag.* 553; *Isid.*, *lib.* II *Orig.*, *cap.* 1; *Cicer.*, *lib.* I *de Natur. deor.*, *pag.* 234, *lin.* 49, *et seqq.*).

Addit Auctor noster: « Omentorum membranulas, et gurguliones. » (*Arnob.*, *loc. cit.*) Omentum vero Græcis ἐπιπλοὸν, membrana est tenuis ac pinguis, quæ intestinorum amfractus involvit tegitque inferiores ventris partes. Unde Plinius: « Ventriculus, » inquit, « atque intestina pingui ac tenui omento integuntur, præterquam ova gignentibus. » Plinio subscribit Isidorus. Juvenalis autem alicubi omentorum in sacris usum sic cecinit:

Albaque porci
Omenta.

Et Persius:

Tot tibi cum in flamma junicum omenta liquescant.

Denique dii a gentilibus conficti, habere debebant *gurguliones*, ait Arnobius. Gurgulio autem ab Isidoro sic describitur: « A gutture nomen trahit, cujus meatus ad os et nares pertendit, habens viam, qua vox ad linguam transmittitur; ut possit verba collidere; unde et garrire dicimus. » (*Plin.*, *lib.* II *Hist. natur.*, *cap.* 37, *pag.* 574; *Isid.*, *loc. cit.*; *Juvenal.*, *satyr.* 13, *vers.* 118; *Pers.*, *satyr.* 2, *vers.* 45; *Isidor.*, *lib.* II *Orig.*, *cap.* 1, *et lib.* XII, *cap.* 8.)

Atqui si dii, ait Arnobius, corpora habeant, debent quoque habere has aliasque fœdissimas corporum partes. Sed nihil dictu magis absurdum. Si vero iis membris carent, illorum corpora, tamquam utres inflata erunt, sed inania omnino ac vacua. Brevius ac dilucidius, quamvis paulo aliter Cotta apud Ciceronem adversus Villeium Epicureum sic argumentabatur: « Habebit igitur linguam deus et non loquetur; dentes, palatum, fauces ad nullum usum: quæque procreationis causa natura corpori affinxit, ea frustra habebit deus: nec externa magis quam interiora, cor, pulmones, jecur, cæteraque detracta utilitate, quid habent venustatis? quando quidem hæc esse in deo propter pulchritudinem vultis. » (*Cicer.*, *lib.* I *de Natur. deor.*, *pag.* 208, *lin.* 46.)

Secundum Arnobii momentum comprehenditur hoc dilemmate: Si sint aliquæ horumce deorum species, formæ, ac figuræ, vel eædem sunt, et sibi invicem similes, vel plures, ac dissimiles. At si una eademque sit deorum omnium figura et facies, ii certe se ipsos non cognoscunt, nec secernunt. Si plures ac diversæ: « Ergo, » arguit Arnobius, « dicendum est quosdam capitones, silunculos, frontones, labeones: in his alios mentones, nævios, atque nasicos: hos displosis naribus, illos resimis; nonnullos turgentibus malis, aut buccarum cumulatione saccibucces, nanos, longos, medios, macilentos, pingues, crassos; hos capillorum intorsionibus crispulos, calvitios alios, et glabriatibus rasos. » (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 108.) Quis autem dubitabit hæc decerpta fuisse a Cicerone, si hæc Arnobius umquam legerit illius verba: « Redeo ad deos. Ecquos, si non tam strabones, ac petulos esse arbitramur? Ecquos nævum habere? Ecquos silos, flaccos, frontones, capitones, quæ sunt in nobis? An omnia emendata in illis? Detur id vobis. Num

etiam est una omnium facies? Nam si plures; aliam esse alia pulcriorem necesse est.... Si enim nihil inter deum et deum differt, nulla est apud deos cognitio, nulla perceptio. » (*Cicer.*, *lib.* I *de Natur. deor.*, *pag.* 207, *lin.* 5.)

Labeones autem, de quibus Plinius (*Plin.*, *lib.* II *Hist. natur.*, *cap.* 37, *pag.* 553), et alii, ab immodicis labiis appellati sunt. Vide autem utrum *silunculi* et *nævii*, ii sint, quos Cicero silos, et nævum habere dixit. Veremur tamen ne corrupta sint in Arnobii textu hæc vocabula. Nam in regio codice *ctlunculos* et *nævimos* legimus. Nec minus depravata vox *saccibucces*. In eodem enim codice regio manuscripto scriptum est *sacrivoces* alii *acrivoces*, scribendum suspicantur. Sed sine emendatioris alicujus manuscripti codicis ope quæ vera sit lectio quis certo definire poterit?

Urget Arnobius negari ab ethnicis non posse quales descripsimus, tales a suis effingi deos. Nam id eorum et « produnt, » uti ille loquitur (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 108), « atque indicant officinæ. Siquidem cum facitis atque informatis deos, hos crinitos effingitis, alios læves, senes, juvenes, pueros, aquilos, cæsios, ravos, seminudos, intectos, aut ne frigus incommodet, fluidarum vestium superjectione perfusos. » Et hæc quoque ex eodem Ciceronis libro hausta sunt. Post citata enim a nobis ejus verba, institutum sermonem sic prosequitur: « Nobis fortasse si occurrit, ut dicis, Jovem, Junonem, Minervam, Neptunum, Vulcanum, Apollinem, reliquos deos ea facie novimus, qua pictores fictoresque voluerunt; neque solum facie, sed etiam ornatu, atque vestitu.... Isto enim modo dicere licebit Jovem semper barbatum, Apollinem semper imberbem, cæsios oculos Minervæ, cæruleos esse Neptuni. » (*Cicer.*, *lib.* I *de Natur.*, *pag.* 207, *lin.* 12.) Nonne autem inde satis aperte conficitur quas gentilium officinas Arnobius vocat, has ipsas esse istorum, ut ait Cicero, pictorum ac fictorum, qui deorum imagines, statuas et simulacra, quomodo uterque descripsit, fingere solebant? Recte ergo inde ambo concludunt nihil Deo magis indignum ac contumeliosum posse umquam excogitari.

Sed pressius adhuc cum ethnicis agit Arnobius (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 109), et summæ ait esse stultitiæ ab ethnicis irrideri ænigmata Ægyptiorum, qui animalia vilissima, numero deorum adscripta, solemnibus cerimoniis et ritibus honorabant. Ipsosmet siquidem ethnicos non pudebat hominum, adjectis quibusdam animalium insignibus, tamquam deorum suorum veras effigies colere ac venerari. At hæc rursus delibata sunt ex eodem Cicerone (*Cicer.*, *lib.* I *de Natur. deor.*, *pag.* 207, *lin.* 19), qui ea clarius huncque in modum explicat: « Quid igitur censes? Apim illum, sanctum Ægyptiorum bovem, nonne deum videri Ægyptiis? Tam Hercle! quam tibi illam nostram sospitam, scilicet Junonem, quam tu numquam ne in sommis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis

A repandis, » sive sursum recurvis. Quis vero non fatebitur ab utroque evidentissime demonstrari non minorem esse dementiam Romanorum aliorumque gentilium, qui deos humana facie, et cum animalis cujusdam insignibus repræsentatos colebant, quam Ægyptiorum, qui animalia ipsa, tamquam deos venerabantur.

Verum Arnobius insaniam illam alio adhuc ariete concutit, et evertit (*Arnob.*, *lib.* III. *pag* 109, *et seq.*). Si asselluli, inquit, canes et porci aliquid, ad discendas artes, humani ingenii haberent, atque ad nos honorandos, statuas imaginesque sibi similes fabricarent, nonne indigne prorsus nec sine stomacho pateremur bestiarum formâ nos exhiberi? Nonne ipsimet ethnici indignarentur Romulum asinina figura B repræsentari, Numam canina, et porcina Catonem, sive Ciceronem, aut alium quemlibet? Jam autem vidimus Clementem Alexandrinum in Stromatum libris eodem contra gentiles usum esse argumento, atque eamdem in rem ab illo, quemadmodum ab Eusebio, et Theodoreto, citari Xenophanis carmina (*Tom.* I *Apparat. lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 14, *art.* 1, *pag.* 1089).

At dii, uti assumit Arnobius, indignius ferre deberent se ab hominibus humana, quam homines se a bestiis belluina facie depingi. Longe major enim est deorum ab hominibus, quam hominum a belluis discrepantia. Ecquid vero, inquit Arnobius, « in homine pulchrum? quid, quæso, admirabile, vel decorum, nisi quod et clurino cum pecore, » ita ms. codex et ul- C tima editio, « Nescio quis auctor voluit esse commune. » (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 110.) Apud Plautum quidem legimus *clusirum pecus*: sed putat Vossius ab illo scriptum fuisse *clurinum pecus*, eoque nomine simias significari (*Plaut. Comœd.*, *Truced.*, *act.* 2, *scen.* 2; *Voss.*, *Etymolog. ad verbum* CLURA). At certe hoc sensu ab Arnobio nostro accipi videtur, atque his verbis: *Nescio quis auctor*, Ennium laudari. Dum enim hæc scribebat, in mente procul dubio habuit hunc Ciceronis locum (*Cicer.*, *lib.* I *de Natur. deor.*, *pag.* 209, *lin.* 37): « Ipsa vero, quum nihil ad rem pertinet, quæ vos maxime delectat similitudo? Quid? canis nonne similis lupo? » Atque ut Ennius:

Simia quam similis turpissima bestia nobis.

D Major ergo diis fit contumelia, cùm similes hominibus effinguntur, quam hominibus, cùm exhiberentur simiæ, aliisque bestiis similes.

Nec sinit Arnobius sibi ab ethnicis responderi alias quidem esse deorum (*Arnob.*, *lib* III, *pag.* 109), quam hominum formas et species, sed has honoris causa illis accommodari. Nam hic error priore longe pejor est. Eo siquidem majore probro gentiles deos suos afficiebant his *formamentis divinis*, sicut ille loquitur, quo certius ea falsa, diisque suis magis dissimilia esse noverant. Minus enim peccat ille, qui diis falsi aliquid, quod tamen verum esse arbitratur, imprudens tribuit, quam alius, qui sciens volensque falsa ipsis adscribit. *Formamenta* autem idem sonant

ac figuræ et formæ, sicuti his liquet Lucretii, quem Scriptor noster sæpe sequitur, versibus :

> Omnia principiorum
> Formamenta queunt in quovis esse nitore.
> (*Lucret.*, *lib.* II, *vers.* 818.)

ARTICULUS II.

Quam commentitii sint dii, quos ethnici variis artibus imbutos aut præfectos prædicabant, ubi de Apolline vate, futura prænuntiante, Æsculapio medico, Vulcano fabro, Tritonia seu Tritogenia et Arachne textrina, et Atlantea progenie, sive Calypso cæteris eloquentiore, de aliis, qui artibus aut scientiis præesse fingebantur, uti Portunus navigationi, armentis et gregibus Pales, unde Palilia, Inuus sive Pan animalibus, Pythius ariolantibus, regum gazis locupletatus, et Tutelares tutelæ hominum præfecti.

Aliud contra falsam illorum, quos gentiles colebant, divinitatem argumentum inde petit Arnobius, quod ethnici eos artifices, atque artium et scientiarum præsides proclamarent : « Deos » enim « nobis inducitis, » verba illius sunt ethnicos compellantis, « alios fabros, alios medicos, alios lanarios, nautas, citharistas, aulædos, venatores, pastores, et quod supererat, rusticos. » (*Arnob.*, *lib.* III, *pag* 111.) Neque hæc ethnici, a scriptoribus suis sæpe sæpius decantata, negare poterant. Nam ut missos quam plures faciamus, hæc Hesiodus in Theogonia cecinit. Deos vero rusticos ac pastores agnoscit ipse qui eos invocat Virgilius (*Virgil.*, *init. lib.* I *Georgic.*).

Quid autem his absurdis opinionum commentis divinæ naturæ magis oppositum? Numquid enim, ait Auctor noster, in cœlis sunt rura, quæ a diis colantur; montes et sylvæ, ubi illi venentur; infirmi, qui ab eis curentur; aliave loca, ubi cæteræ artes ab ipsis exerceantur? Quæ major insulsitas, et insolentia, quam serio dicere hunc deum aliqua imbui arte, quam alius ignorare debeat? Quid putidius, quum asserere uni deæ laboranti, vel ægrotanti opem, quam illa sibi ferre non poterat, ab alia posse ferri?

Frustra ergo, uti prosequitur Arnobius (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 112), ethnici opinabantur *Latonium vatem*, nimirum Apollinem Jove, ut diximus, et Latona natum, alio deo, id est, Jove ipso impletum ea cæteris diis, quæ nesciebant,. prænuntiare. Vetus enim poeta olim canebat :

> Στέλλειν ὅπως τάχιστα· ταῦτα γὰρ πατὴρ
> Ζεὺς ἐγκαθεῖ λοξία.
> Citissime huc venire; namque talia
> Apollini pater loquenti suggerit.

Videsis ea de re Natalem Comitem (*Nat. Com.*, *lib.* IV *Mythol.*, *cap.* 10, *pag.* 359).

Perperam quoque venditabant Epidaurium, id est, Æsculapium, de quo nos jam haud semel disseruimus, aliorum morbis et vulneribus mederi (*Tom.* I *Apparat.*, *pag.* 754 *et* 1193, *et sup*, *cap.* 9, *art.* 2). Quod vero subjicit Arnobius (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 113, *et lib.* IV, *pag.* 143), Vulcanum arma fabricasse, vel ut alibi, *apud insulam Lemnum fabrilia opera exercuisse*, hoc sumptum procul dubio fuit ex hisce Tullii verbis : Vulcanus *tertius ex tertio Jove et Junone, qui Lemnæ fabricæ dicitur præfuisse*. Ab illo autem fabri-

A cata Æneæ arma jam supra Virgilii citatis carminibus ostendimus. Ille vero ipse Vulcanus est, cujus in tutela ignem fuisse alibi Auctor noster asseverat. At de eo nos in superiori Apparatus nostri tomo (*Cicer.*, *lib.* III *de Natur. deor.*, *pag.* 248, *lin.* 2; *Virgil.*, *lib.* VIII *Æneid.*, *vers.* 370 *et seqq.*; *Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 114; *tom.* I *Appar.*, *pag.* 776 *et infra.*).

Quæ autem diis nebat, ac vestes trilices, id est, tribus liciis versicoloribus confectas iis, *sine onere* imponebat, hæc ab Arnobio nostro Tritonia vocatur (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 112, *et lib.* VII, *pag.* 228; *infr.*, *cap.* 14, *art.* 3). Pallas autem hæc est, seu Minerva, quæ ideo Tritonia, sive Tritonis, vel Tritogenia nuncupata fuit, aut quia ex Jovis cerebro orta, aut, ut ait Lucanus, et post eum Servius, a Tritone Africæ pa-
B lude, juxta quam nata dicitur (*Lucan.*, *lib.* IX, *vers.* 341 *et seq.*; *Serv.*, *in lib.* II *Æneid.*, *pag.* 252). Ovidio autem si fidem habeas, telam illa texebat, puellasque eam texendi artem docuit. Audi, quæso, illius carmina :

> Pallade placata, lanam mollite, puellæ :
> Discite jam plenas exonerare colos.
> Illa etiam stantes radio percurrere telas
> Erudit, et rarum pectine densat opus.
> Hanc cole, qui maculas læsis de vestibus aufers.
> Hanc cole velleribus quisquis ahena paras.
> (*Ovid.*, *lib.* III *Fastor.*, *sub fin.*)

Præterea ille cecinit ejusdem Palladis cum Arachne de lanificio telaque texenda certamen, et quid ab utraque factum fuerit (*Idem*, *lib.* VI *Metam.*, *init.*, *pag.* 187 *et seq.*). Denique Julius Firmicus, ubi de va-
C riis Minervis : « Fuit alia, » inquit, « in Ægypto, Nili regis filia, textrinæ artis magistra. » (*Firmic.*, *de error. proph. relig.*, *pag.* 20). Sed id gentiles probare numquam potuerunt.

Denique *Atlantea* (ms. codex reg. *Alantea*) *progenies*, quæ, sicuti ait Arnobius (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 112), eloquii primas tulisse perhibetur, nonne ipsa est Calypso Atlantis, uti Homero Tibulloque observatum (*Homer.*, *Odys.* V; *Tibull.*, *lib.* IV, *eleg.* 1, *vers.* 77), filia, apud quam naufragus Ulysses sex aut septem annis diversatus, postea Jovis imperio, quemadmodum canit idem Homerus, ab ea discessit. De illa haud semel Ovidius, et alii (*Ovid.*, *lib.* II *Amor.*, *eleg.* 17, *pag.* 336, *lib.* II *de Art. aman.*, *pag.* 442, *et epist.* 10, *pag.* 353). Numquid ergo Calypso cæte-
D ris diis aut deabus eloquentior erat?

Quid ad hæc ethnici? Deos, inquiebant, non opifices, aut artifices, sed artium scientiarumque magistros dicimus. Sed quam vana futilisque sit hæc responsio ex jam dictis patet, quibus ostendimus quam asseveranter ethnici tractatas ab eis artes prædicarent. Fac tamen deos ac deas præfuisse tantum artibus. Dic ergo quonam modo illas docere potuerint, nisi iis prius imbuti, ac primi fuerint artifices? Præterea cum nullus sit artibus apud superos locus, cur ethnici frustra deos quosdam hac vel illa tantum arte et scientia excellere garriebant? Verus enim Deus omnia sciat, nihilque penitus ignoret, omnino necesse est.

Nec hilum vero hi promovebant, qui opinabantur artibus revera præesse deos; ut eorum cura et administratione omnia nobis feliciter cedant. Arnobius siquidem id falsissimum esse convincit (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 113). Quot etenim quantaque, inquit, homines naufragia faciunt, tametsi Portunus navigationibus præfectus, teste Virgilio, dicatur? De illo siquidem hæc ille canebat :

> Et pater ipse manu magna Portunus euntem
> Impulit.
> (*Virgil.*, *lib.* V *Æneid.*, *vers.* 240.)

Ovidius vero :

> Quem nos Portunum sua lingua Palæmona dicet,
> Esto, precor, nostris æquus uterque locis.
> (*Ovid.*, *lib.* VI *Fastor.*, *vers.* 490.)

Portunus quippe græce Palæmon, atque etiam Melicerta vocabatur, ac quemadmodum Servius in citatum Virgilii carmen, et alibi animadvertit, *Deus marinus, qui portubus præest*. De illo autem, ejus æde, et feriis, in ipsius honorem institutis, mentionem fecit Varro (*Serv.*, *in lib.* I *Georg.*, *pag.* 91; *Varro*, *lib.* I *de Ling. latin.*, *pag.* 50). Sed de his nos in sequenti de Lactantii libris dissertatione.

Neque etiam pestes et contagiones a pecoribus, ait Arnobius (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 113), avertebant *Pales*, *Inuusque*, quos Ethnici armentis et gregibus præsidere arbitrabantur. Pales autem fingebatur pastorum, sive, ut ait Solinus, *Pastoralis dea* (*Solin.*, *Polyhist.*, *cap.* 1, *pag.* 2). Unde Ovidius, ubi de palilibus, seu festo in lætam hujusce deæ memoriam XI kalendas maias, ut notat Servius, fieri solito hæc decantavit :

> Et nos faciamus ad annum
> Pastorum dominæ grandia liba Pali.
> (*Ovid.*, *lib.* IV *Fastor.*, *pag.* 602.)

Virgilius etiam de illa quoque canit :

> Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.
> (*Serv. in Virgil.*, *lib.* III *Georg.*, *vers.* 1; *pag.* 120.)

Rursus autem de animalibus dicturus, sic ab illa orditur :

> Te quoque Magna Pales...... canemus.
> (*Virgil.*, *eclog.* V, *vers.* 4.)

Quos in versus, ac præcipue in posteriorem Servius observat illam quoque pabulorum esse deam, quam alii Vestam, alii Matrem deum vocabant. Varro autem suum utrique Ovidio et Virgilio suffragium his verbis alicubi tulisse legitur : « Palilia a Pale; quod
D et feriæ ei deæ fiunt. » Festus vero illis hunc subscripsit in modum : « Pales dicebatur dea pastorum, cujus festa Palilia dicebantur, vel ut alii volunt, dicta parilia, quoniam pro partu pecoris eidem sacra fiebant » (*Festus*, *ad verbum* PALES).

Jam vero laudatus a nobis Servius monitum quemlibet esse voluit deam feminino genere Palem a Varrone, et ab aliis masculino appellari, *ut his Pales*, inquit (*Serv. in lib.* III. *Georg.*, *vers.* 1). Ab hoc nihilominus dea Cæsius, ab auctore nostro postea citatus, discernit : « Palem, sed non illam, » inquit (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 123), « feminam, quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum Jovis ac villicum. » Videsis Aulum Gellium,
A Lilium Giraldum, Turnebum, et alios (*Gell.*, *lib.* XIII, *Noct. Attic.*, *cap.* 22; *Girald. syntagm.* 1, *pag.* 42, *et syntag.* 17, *pag.* 525; *Turneb.*, *lib.* XIX *Adv. cap.* 11, *pag.* 140).

Inuus vero, cujus adhuc auctor noster meminit, idem erat, teste Macrobio, atque Pan, sive, ut Servius observat : « Inuus latine appellatur, græce Πάν; idem ἐφιάλτης græce, latine Incubo. Idem Faunus, idem Fatuus, Fatuellus. Dicitur autem Inuus ab ineundo passim cum omnibus animalibus. » *Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 113; *Macrob.*, *lib.* I *Saturnal.*, *cap.* 22, *pag.* 278; *Serv.*, *in lib.* VI *Æneid.*, *pag.* 441). Audisne quam bellus ille sit deus, et quam dignum deo ejus officium?

Quid plura? Divinitatis, inquit Arnobius, « scien-
B tiam largitur ariolantibus Pythius, » nimirum Apollo, « et cur obliqua ac dubia, cur obscuritatis submersa caligine, dat sæpius subministratque responsa. » (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 114). Et recte quidem, Chrysippus quippe totum, sicuti narrat Cicero (*Cicer.*, *lib.* II *de Div.*, *pag.* 296), volumen impleverat Apollinis oraculis, partim falsis, partim casu veris, partim flexiloquis et obscuris, interprete indigentibus; partim ambiguis, et quæ ad dialecticam erant referenda. Ipse vero latinus Orator hoc quibusdam Crœsi et Pyrrhi exemplis manifestissime demonstrat. At hi procul dubio sunt duo reges, de quibus, tacito nomine, hæc Auctor noster postea scriptis tradidit : « Apollinem ditem factum, eos ipsos reges, quorum gazis fuerat locupletatus et donis, ambiguitate fefel-
C lisse responsi. » (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 133.) Similia plane Lucianus his verbis dixerat (*Lucian.*, *Dialog.* : *Juno et Laton.*, *pag.* 81) : Ὁ δ' Ἀπόλλων προσποιεῖται μὲν πάντα εἰδέναι, καὶ τοξεύειν, καὶ κιθαρίζειν, καὶ ἰατρὸς εἶναι, καὶ μαντεύεσθαι· καὶ καταστησάμενος ἐργαστήρια τῆς μαντικῆς, τὸ μὲν ἐν Δελφοῖς, τὸ μὲν ἐν Κλάρῳ, καὶ ἐν Διδύμοις, ἐξαπατᾷ τοὺς χρωμένους αὐτῷ, λοξὰ καὶ ἐπαμφοτερίζοντα πρὸς ἑκάτερον τῆς ἐρωτήσεως ἀποκρινόμενος, ὡς ἀκίνδυνον εἶναι τὸ σφάλμα· καὶ πλουτεῖ μὲν ἀπὸ τοῦ τοιούτου. πολλοὶ γὰρ οἱ ἀνόητοι, καὶ παρέχοντες αὐτοὺς καταγοητεύεσθαι. *Apollo autem simulat quidem omnia scire sese, et jaculari, et cithara canere, et medicum esse, et vaticinari, et erectis vaticinandi tabernis, hic in Delphis, illic in Claro, et Didymis, decipit consulentes se, obliqua et in utrumque partem quæstionis propositæ inclinantia respondendo, ne videlicet erroris posset damnari : atque ita ex hoc quæstum facit et ditescit. Multi enim amentes sunt, seque ipsos exhibent præstigiis deludendos.* Quæ quidem ille alibi, aliique confirmant (*Idem*, *in Jove Tragœdo*, *pag.* 682 *et* 693).

Verum hic insurgentes ethnici respondebant. Si dii illi, aliique *Tutelares* officio munerique suo desint, id non in ipsos, sed in homines, qui illis non supplicabant, refundendum. Tutelarium autem, ut id dicamus, deorum nomine, illos Arnobius designat (*Arnob.*, *lib.* V, *pag.* 114), quos Varro, teste Augustino (*August.*, *lib.* VI *de Civit.*, *cap.* 9, *p.* 156), iis omnibus præfectos esse dixit, quæ ad tuendam vitam hominis ab ejus conceptione ad ultimam usque senec-

tutem ac mortem pertinent. Sed de his paulo post plura (*Infr.*, *art.* 5). Arnobius vero breviter ac perspicue ostendit, nihil hoc responso levius et imbecillius. Quis enim nesciat gratuitam omnino, nec umquam mercenariam esse debere deorum in homines benignitatem ac magnificentiam. Et certe Deus verus omnibus hominibus tam bonis quam malis tempora, ventos, pluvias, ac fruges æqualiter subministrat. Deinde vero ethnici quodlibet sordidum ac vile ministerium, ingenuo homine indignum, ut jam ex dictis patet, atque adhuc fiet ex dicendis liquidius, hisce fictitiis Tutelaribus diis, aliisque singulis privatim tribuebant. At paulo quidem æquius existimare potuerunt Consum deum nostris præesse cogitationibus fidisque consiliis. Sed fictitius ille deus, quem huic tantum operi intentum somniaverunt; non impedit, uti ait Arnobius, contrarios humanis consiliis exitus, ac repentinam illorum inopinatamque mutationem. De hoc porro deo quandoquidem in superiori egimus dissertatione (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 16, *art.* 2), ad alios, si lubet, veniamus.

ARTICULUS III.

De aliis diis, singularibus aliis rebus simili modo præpositis, Lucina Junone partubus, Unxia unctionibus, replicationi cingulorum Cinxia, seu Virginensi dea, ac victui et potui Victua et Potua.

Alios adhuc deos aliarum privatim rerum præsides ethnici tam falso, quam absurde introduxerant. Quamobrem illos Arnobius jure merito objurgat (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 106, 112 *et* 114), quod Junonem Lucinam mulierum partubus præpositam fuisse affirmare non dubitarent. Ipsa enimvero ab parturientibus innumeris mulieribus invocata, suppetias numquam tulit. Quam autem æqua justaque sit hæc objurgatio, disces ex Tullio, qui superstitiosam illam credulitatem hisce verbis irridet : « Ut apud Græcos Dianam eamque Luciferam; sic apud nostros Junonem Lucinam in pariendo invocant : quæ eadem Diana omnivaga dicitur..... adhibetur autem ad partus, quod ii maturescant, aut septem nonnumquam, aut plerumque novem lunæ cursibus..... Concinneque ut multa Timæus, qui cum in historia dixisset qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagravisse, adjunxit minime id esse mirandum, quod Diana cum in parti Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo. » (*Cicer.*, *lib.* II *de Natur. deor.*, *pag.* 224, *lin.* 19).

Non immerito igitur Augustinus eodem argumento gentiles sæpe insectatur. Alicubi enim sic eos, non sine irrisione, corripit : « Quid opus erat, inquit, parturientibus invocare Lucinam, cum si adesset felicitas, non solum bene parerent, sed etiam bonos? » (*August.*, *lib.* IV *de Civit.*, *cap.* 12, *pag.* 102.) Alibi vero, ne omnia illius dicta recenseamus : « Nec Lucinam, » ait ille (*Ibid.*, *cap.* 34, *pag.* 114, *et prius cap.* 11, *pag.* 97), « mulieres Judææ invocaverunt, quando earum partus, ut miris modis multiplicarentur, et gens illa incredibiliter cresceret, ab Ægyptiorum persequentium, et infantes omnes necare volentium, manibus ipse Deus liberavit, ipse servavit. » Alios adhuc ridiculæ illius deæ testes si quis postulet, adeat Macrobium, Horatium, Terentium, Plautum, qui sæpius illius meminit, et alios complures, quos hic appellare supervacuum foret (*Macrob.*, *lib.* VII *Saturnal.*, *cap.* 16; *Horat.*, *lib.* III *Carm.*, *od.* 22; *Terent.*, *Adelph.*, *act.* 3, *scen.* 4).

Pergit Arnobius, et « Unctionibus, » inquit (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 115), « superest Unxia, cingulorum Cinxia replicationi. » Sed ut id intelligatur, observandum est vetustum fuisse gentilium morem, quo antequam nova nupta domum mariti adduceretur, postes illius ornabant laneis vittis, vel adipe suillo, ut ait Plinius, vel oleo, aut unguine lupino, ut notat Servius, ungebant et oblinibant (*Plin.*, *lib.* XXVIII *Hist. natur.*, *cap.* 9, *pag.* 604; *Serv.*, *in lib.* IV *Æneid.*, *pag.* 343). Quo de more videsis Donatum, Isidorum, Gyraldum, et plura apud Brissonium, qui Arnobii nostri sententiam confirmat his Martialis Felicis verbis, quibus Philologiam cum Junone loquentem sic inducit : « Cum nihil contagionis corporeæ sexu intemerata pertulerim, Iterducam, Domiducam, Unxiam, Cinxiamque mortales puellæ debent in nuptias convocare; ut earum et itinera protegas, et in optatas domos ducas, et cum postes ungent, faustum omen affigas. » (*Donat. in Terent. Hecyr.*, *act.* I, *scen.* 2; *Isidor.*, *lib.* IV *Origin.*, *cap.* 8; *Girald.*, *Hist. deor.*; *syntagm.* 3, *Brisson.*, *de Ritu nuptiar. ante fin.*).

Cinxiam autem cingulorum replicationi præesse arbitrabantur, atque idcirco eam invocabant, cum sponsus, ut Festus scribit (*Festus*, *ad verb.* Cingul. *et* Cinxia), novæ nuptæ cingulum herculaneo nodo vinctum solveret. Hanc sane ob causam Theocritus cecinit (*Idyll.* 17, *vers.* 60) :

Ἔνθα γὰρ Εἰληθυίαν ἐβώσατο Λυσίζωνον.

Ibi enim Lucinam invocant Lysizonam.

At quamvis Festus, a nobis proxime citatus, asserat Cinxiæ esse Junonis nomen; ab Augustino nihilominus Virginensis dea nuncupatur (*August.*, *lib.* IV *de Civit.*, *cap.* 11, *pag.* 97; *et lib.* VI, *cap.* 9, *pag.* 157). Ubi quippe de singulorum deorum officiis disserit, hæc habet : « Et certe si adest Virginensis dea; ut virgini zona solvatur. » Sed quis nescit plura illius aliarumque dearum ac deorum fuisse nomina. Et certe ex Ciceronis verbis, paulo ante allatis, discimus eam, quæ apud Latinos Juno Lucina dicebatur, hanc apud Græcos, Dianam Luciferam appellari. Lege adhuc, si velis, Giraldum et Brissonium jam laudatos, Vossium, atque alios (*Voss.*, *lib.* II *de Orig. et progr. idolol.*, *cap.* 26, *pag.* 219 *et seqq.*).

Ad hæc vero : « Victa et Potua sanctissimæ, » ait Arnobius, « victui, potuique procurant. » (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 115.) Enodatius autem Donatus in suis ad Terentium observationibus : « Legitur apud Varronem, initiari pueros Eduliæ, et Poticæ, et Cubæ, divis edendi, et potandi, et cubandi, ubi primum a

lacte et a cunis transierunt. Quod Virgilius : Nec deus A hunc mensa, dea nec dignata cubili est. Hoc adnotavit Probus. » (*Donat. in Terent. Phormion.*, *act.* 1, *scen.* 1.) Augustinus vero eas vocat Potinam, quæ potionem; et Educam, quæ escam præbeat (*August.*, *lib.* IV *de Civit.*, *cap.* 11, *pag.* 97). At utramque ridiculam hanc divinitatem ideo explodit; quia Israelitæ in Ægypto, *sine Educa*, *et Potina escam*, *potumque sumpserunt*. Postea vero. « Si duas quisquam nutrices, inquit, adhiberet infanti, quarum una nihil nisi escam, altera nihil nisi potum daret, sicut isti ad hoc duas adhibuerunt deas, Educam et Potinam, nempe desipere, et aliquid mimo simile in sua domo agere videretur. » (*E. lib.* VI, *cap.* 9, *pag.* 156.) Hæ autem ipsæ procul dubio sunt, quæ ab Arnobio nostro, si tamen nullus in ejus textu subsit haud insolitus li- B brarii error, *Victa et Potua* nuncupantur. At ille non minori, quam Augustinus, despectu et ludibrio eas, et jure quidem merito proscribit ac rejicit.

ARTICULUS IV.

De commentitiis aliis diis, qui non minus absurde aliis rebus præficiebantur, uti Bellona bellis, Discordia et Furiæ dissidiis, Mars præliis, Mercurius ceromis, pugillatibus, et luctationibus; hostibus pellendis Pellonia, quam Romanis non favisse probant prælia ad Furculas Caudinas, et ad Lacum Trasymenum, ac Cannenses clades; nec dici posse deos sinistris partibus præesse, et dextris adversari : item de Pauso bellis opposito, de Præstana et Panda, seu Pautica, et Tito Tatio, in Capitolium introducto.

Gradum ad alia si faciamus, quo certe ulterius progrediemur, eo sane pejora ac longe deteriora deprehendemus. Gentiles enim non puduit in deorum C suorum numerum illos referre, quos, sicuti Arnobius noster perhibet (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 115), truci ac crudeli natura malis hominum et gaudere et præponi finxerant. Quæ quidem tam absurda esse existimavit, ut *Bellona*, *Discordia*, *Furiis*, *ac lævis numinibus* prætermissis, statim venerit ad Martem, bellis præliisque præfectum, et in iis, uti stulte arbitrabantur, dominantem. Bellonam autem omittit, quia si Mars bellorum deus esse non possit, ut mox videbimus, multo minus femina tantæ crudelitati, tantisque sceleribus, quæ prælia secum vehunt, præesse poterat (*Ibid.*, *lib.* I, *pag.* 15, et *lib.* III, *pag.* 115). Romæ tamen versus portam Carmentalem templum huic bellicæ deæ, sicuti Augustinus aliique annotarunt, ab Appio D ædificatum fuerat, ac pridie nonas Julii consecratum (*Augustin.*, *lib.* III *de Civit.*, *cap.* 25, *pag.* 82, *et lib.* IV, *cap.* 11, *pag.* 96). Ovidius autem hæc stricta oratione ita decantavit :

> Hac sacrata die Tusco Bellona duello
> Dicitur, et Latio prospera semper adest.
> Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata,
> Multum animo vidit; lumine captus erat.
> Prospicit a templo summum brevis area Circum
> Est ibi non parvæ parva columna notæ.
> Hinc solet hasta manu, belli prænuncia mitti,
> In regem et gentes cum placet arma capi.
> (*Ovid.*, *lib.* VI *Fastor.*, § 4.)

Hujus autem templi, et senatus in eo habiti frequens apud Livium aliosque, ac præsertim poetas Lucanum, Horatium, Tibullumque mentio. Plura vero Giraldus, quem si vacat, consule (*lib.* X, *cap.*, 19; *lib.* XXVI, *cap.* 21; *lib.* XXVIII, *cap.* 9; *Lucan.*, *lib.* VII, *p.* 847; *Horat.*, *serm.* 2, *satir.* 3; *Tibull.*, *lib.* I, *eleg.* VI; *Girald.*, *Syntagm.* 10, *p.* 309 *et seqq.*).

At Virgilius ejusdem Bellonæ, Discordiæ, Furiarum et Martis, de quibus auctor noster loquitur, uno eodemque in loco sic meminit :

> Sævit medio in certamine Mavors,
> Cælatus ferro, tristesque ex æthere Diræ,
> Et scissa gaudens vadit Discordia palla :
> Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
> (*Virgil.*, *lib.* VIII *Æneid.*, *vers.* 700 *et seqq.*)

De Discordia rursus idem Virgilius, Lucanus, Augustinus, et alii (*Idem.*, *lib.* VI *Æneid.*, vers. 280, *et seq.*; *Lucan.*, *lib.* VII, *pag.* 287; *August.*, *lib.* III *de Civit.*, *cap.* 25, *pag.* 82).

Cicero autem docet ex dearum albo delendas esse Furias, quas Græci Eumenides seu Erynnes vocabant : « Sin Hecate, » inquit, « dea est, cur non Eumenides? Quæ si deæ sunt, quarum et Athenis fanum est, et apud nos, ut ego interpretor, cujus Furinæ, Furiæ deæ sunt, speculatrices, credo, et vindices facinorum et scelerum. » (*Cicer.*, *lib.* III *de Natur. deor*, *pag.* 246, *lin.* 33.) Quem in locum Legesis Lescalopierii observationes. Vide etiam, si velis, Lilium Giraldum, Natalem Comitem, a quibus plures scriptores citatos videbis (*Girald.*, *Syntagm.* 6, *pag.* 215 *et seqq.*; *N. Com. lib.* III *Mythol.*, *cap.* 10, *pag.* 215 *et seqq.*).

Præliis porro Martem ab ethnicis præpositum fuisse, ita notum est, ut probatione non indigeat. Quapropter hoc tantum ab Ovidio decantatum proferemus :

> Mars Latio venerandus erat, quia præsidet armis,
> Arma feræ genti remque deusque dabunt.

Recte igitur Augustinus illud iisdem gentilibus sic probro vitioque vertit : « Quia nec Marti aliquod elementum, vel partem mundi invenire potuerunt, ubi ageret opera qualiacumque naturæ, deum belli esse dixerunt, quod opus est hominum, et optabile eis non est. Si ergo pacem perpetuam Felicitas daret, Mars quid ageret, non haberet. » (*Ovid.*, *lib.* III *Fastor.*, *vers.* 85 *et seqq.*; *August.*, *lib.* VII *de Civ.*, *cap.* 14, pag. 173.) Quis ergo moleste non ferat talem deum tam inhumanum, tam crudelem, ac multo magis Discordiam et Furias ab Ethnicis deas fingi, invocari, honorari?

Sed agedum, ac si tibi grave adhuc non sit, animum, quæso, nobiscum adverte, quam diræ adhuc crudelisque naturæ ille fuerit gentilium deus, de quo Arnobius : « Curat, » inquit (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 114), « Mercurius ceromas, pugillatibus et luctationibus præest, » quibus athletæ sese mutuo conficiebant. Ea tamen erat hujus dei imbecillitas; ut impedire nequiverit, quin altera pugnantium luctantiumque pars vinceretur ab altera, aut aliquid pateretur detrimenti. Siccine ergo hujusmodi deos fingere licuit?

At, inquiet aliquis, quid ea vox, *ceromas*, significat? Duplex est illius significatio. Ceroma enim est unguentum, oleo, subactaque cera, et luto confectum,

quo athletæ et alii ungebantur. Olim autem quam commune vulgatumque fuerit, disces hoc solo Juvenalis carmine, nisi aliud quoddam simile, pretiosum notare voluerit :

Quis nescit? Femineum ceroma,

Illius adhuc mentionem faciunt Martialis, et sæpius Plinius. (*Juvenal., satir.* 6, *ante med.*; *Martial., lib.* xiv, *Epigr.* 19; *Plin.. lib.* xxviii *Natur. hist., cap.* 4, *pag.* 575, *et lib.* xxix, cap. 1, *pag.* 672; *et lib.* xxxv, *cap.* 13, *pag.* 247.)

Alio quoque sensu ceroma locum significat, ubi iidem athletæ ungebantur. Ab eodem etenim Plinio scriptum invenies : « Palæstras athletarum imaginibus, et ceromata sua exornant. » A Seneca vero : « In ceromate..... spectator puerorum rixantium sedet. » (*Idem, lib.* xxxv, *cap.* 2, *pag.* 171; *Senec., lib. de Brevit. vitæ, cap.* 2, *pag.* 567.) Ceroma autem hoc secundo sensu ab Arnobio accipi videtur. Scribit enim persuasum, sed frustra, ethnicis fuisse ceromas, seu potius ceromata a Mercurio curari. Quod autem adjecit hunc pugillatibus quoque præesse, et luctationibus, id probari potest his Prudentii carminibus :

Tum mastigophoris, oleoque et gymnadis arte
Unctis pugilibus, miles pugnabat Etruscus,
Nec petaso insignis poterat, Lacedæmone capta,
Mercurius servare suas de clade palæstras.
(*Prudent., lib.* ii, *cont. Symmach.*, § 4.)

Pellendorum porro *hostium dea potens*, uti postea narrat Arnobius (*Arnob., lib.* iv, *pag.* 128), *Pellonia* putabatur. Quamobrem Augustinus : Si dea, inquiebat, revera sit Felicitas : « Cur esset invocanda propter fessos diva Fessonia, propter hostes depellendos diva Pellonia ? » (*August., lib.* iv *de Civit., cap.* 21, *pag.* 103.) Verum Arnobius alio argumento falsam illius divinitatem detrudit. Nam utraque, ait ille, hostium inter se pugnantium pars hujus deæ suæ præsidio sese invicem pellere debuisset.

Nec Romani respondere poterant suam esse, et non aliorum, hanc deam (*Arnob., lib.* iv, *pag.* 129). Etenim dici non potest iis deas fuisse, atque hanc nominatim ita peculiares; ut aliarum quarumdam gentium non fuerint. Deinde vero hæc bona dea non modo Romanorum hostes sæpe sæpius non depulit, sed æquo etiam passa est animo illos maximis cladibus affligi ac profligari. Ubinam enim Pellonia illa dea erat, ait Arnobius (*Ibid.*), « quando ad Furculas Caudinas decus publicum subjugatum est? » Furculæ vero seu Furcæ, aut Fauces Caudinæ a Caudo, vel Caudio, Samnitum in Italia prope Beneventum oppido nuncupatæ, insigni Romanorum clade celebrantur. Ibi quippe illorum copiæ, T. Veturio Calvino, et Sp. Posthumio consulibus et ducibus, undique ab hostibus obsessæ, ad eas angustias redactæ sunt, ut positis armis, sub illorum, uti Livius uberius narravit (*Liv., lib.* ix, *init., et lib.* xxv, *cap.* 6), jugum missæ sint. Quapropter Augustinus hoc eodem exemplo et argumento ethnicos, quemadmodum Arnobius, refellit : « Ubi erant dii, » inquit, « quando in Caudinas Furculas a Samnitibus obsessi, ambo cum exercitu consules fœdus cum eis facere coacti sunt; ita ut equitibus Romanis sexcentis obsidibus datis, cæteri amissis armis, aliisque spoliati, privatique tegminibus, sub jugum hostium cum vestimentis singulis mitterentur? » (*August., lib.* iii *de Civit., cap.* 17, *pag.* 75.)

Nec ea sola fuit, non impediente Pellonia, Romanorum strages. Verum : *Apud Thrasimeni* quoque *lacum*, pergit auctor noster (*Arnob., lib.* iv, *p.* 129), *sanguinei cucurrere torrentes*. In agro autem Perusino situs est hic lacus, ubi Flaminio consule et duce, Romanus exercitus ab Annibale fusus deletusque fuit. Historiam narrat Livius, ac postea, hunc ille loquitur in modum : « Hæc est nobilis ad Thrasymenum pugna, atque inter paucas memorata Romanorum clades. Quindecim millia Romanorum in acie cæsa sunt, decem millia sparsa, fuga per omnem Etruriam, diversis itineribus Romam petiere. » Sed de hac clade legere poteris Polybium, Valerium Maximum, Ovidium, et alios a nobis in dissertatione superiori citatos. (*Liv., lib.* xxii, § 7; *Polyb., lib.* iii *Hist., pag.* 233, *et seqq.*; *Val. Max., lib.* i, *cap.* 6, § 6; *Ovid., lib.* vi *Fastor., pag.* 685; *Dissert. in Minuc., cap.* 17, *art.* 3.)

Addit denique Arnobius Pelloniam non adfuisse : « Cum Diomedis campi romanis cadaveribus aggerati sunt. » (*Arnob., lib.* iv, *pag.* 129.) De Cannensi pugna et clade haud dubie loquitur, quam Livius scribit ab Marcio illustri vate his ferme verbis prædictam : « Amnem Trojugenas Cannam, Romane, fuge; ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manus. Sed neque tu credas mihi, donec compleveris sanguine campum, multaque millia occisa tua deferat amnis in Pontum magnum ex terra frugifera, piscibus, atque avibus, ferisque, quæ incolunt terras, iis fiat esca caro tua. Nam mihi ita Jupiter fatus est. » (*Liv., lib.* xxv, § 12.) Quibus ille adjecit : « Et Diomedis Argivi campos, et Cannam flumen, qui militaverant in iis locis, juxta atque ipsam cladem agnoscebant. » (*Ibid. c.* 6, *et prius lib.* 22, *c.* 43, *et seqq.*) Sed hæc ille cum ibi, tum alibi fusius prosequitur, quemadmodum Polybius, Florus, Augustinus, et alii. Diomedis porro campi dicti sunt, quia post vulneratam Venerem ille, patria relicta, Apuliam, Servio aliisque bene multis testibus, incoluisse perhibetur. (*Polyb., lib.* iii *Histor., pag.* 256 *et seqq.*; *Flor., lib.* ii. *c.* 6; *August., lib.* iii *de Civit., c.* 19; *Serv., in lib.* viii *Æneid., pag.* 487.)

Quid ad hæc ethnici? Respondebant deos sinistrarum partium esse præsides, et dexterarum inimicos. Neque dixeris hanc ab Auctore nostro, quam facilius refutaret, gratis fictam responsionem. Litteris enim mandatum a Varrone legimus : « Quæ sinistra sunt, bona auspicia existimantur. A quo dicuntur comitia, aliudve quid sit, dici ave sinistra; quæ nunc est; id a græco est, quod hi sinistram vocant σκαιόν. » Servius vero : « Sinistrum, » inquit, « prosperum; quia cœleste est. Sinistrum autem a sinendo, quantum ad auguria pertinet; quod nos agere sinat. Unde alibi :

Si quem numina læva sinant. Sinistras autem septemtrionales esse augurum disciplina consentit; et ideo ex ipsa parte significantiora fulmina, quoniam altiora, et viciniora domicilio Jovis. » (*Varro, lib.* VI *de Ling. latin., pag.* 88; *Serv., in Lib.* II *Æneid., vers.* 693.)

At quo certius graviusque gentiles hæc asserebant, eo validius ab Arnobio nostro refelluntur. Mundus enimvero totus, uti ille arguit, cum teres rotundusque sit, nullam neque dexteram, neque sinistram partem habet. Nostri autem tantum respectu, et positione, ac dumtaxat dum quiescimus, pars læva aut dextera dicitur. Nam utraque pars quolibet mutatur corporis nostri motu. Ad hæc vero, quid sinistræ et dexteræ partes meruerunt; ut hæ sine ullis diis præsidibus essent, qui sinistris fausti ac felices semper adesse ferebantur? Nihil certe absurdius excogitari poterat.

Cæterum memoratis bellorum diis contrarius erat Pausus, quem Arnobius Bellonæ imprimis opponere videtur, ubi de ethnicis dixit: « Pausos reverentur atque Bellonas. » (*Arnob., lib.* I, *pag.* 15.) Pausum enimvero a pausa sic cognominatum Vossius existimat (*Voss. in Etymolog.*), atque adeo pausæ, quietis et pacis fuisse deum, atque uti Turnebus animadvertit, bellorum et Bellonæ adversarium (*Turneb., lib.* XV *Adv. c.* 21). Utrum autem is fuerit Janus, cujus templum belli tempore claudebatur, aliorum esto judicium. Sed cuinam, obsecro, sanæ mentis homini hæc sibi invicem opposita numina risum, aut stomachum non movebunt?

Non magis profecto probari poterat Præstanæ Pandæque divinitas, quas Arnobius suo ad ipsosmet ethnicos converso sermone sic explodit: « Præstana est, ut perhibetis, dicta, quod Quirinus, sive Romulus, in jaculi emissione cunctorum præstiterit viribus; et quod Tito Tatio, Capitolinum ut capiat collem, viam pandere atque aperire permissa est, dea Panda est appellata, vel Pantica. » (*Arnob., lib.* IV, *p.* 128.) Opinati sunt quidam Pandæ deæ mentionem fieri citatis ab A. Gellio duobus Varronis carminibus, quæ in ejus editione fœde corrupta, varii scriptores pro ingenii acumine emendare conati sunt (*Gell., lib.* XIII *Noct. Attic., c.* 22). Turnebus autem et alii suspicantur hanc esse, quæ in vetere lexico εἰρήνης θεός, id est, pacis dea, atque ab urbium portis, pacis tempore pandendis et aperiendis ei nomen Pandæ impositum (*Turneb., lib.* XIX *Adv. c.* 11). At certe Arnobius non loquitur de pacis dea, nec de Cerere, in cujus templo iis, qui in illud, ut ex citato Varrone observat Nonius, tamquam azylum confugerant, panis dabatur (*Noni., de Propriet. verbor., c.* 1, *ad verb.* PANDERE). De dea siquidem bellica potius disputare videtur, utpote quæ quia ad capiendum Capitolinum collem T. Tatio viam pandisse ferebatur, idcirco Pandæ nomen sortita est.

At fatetur Vossius suam non rediisse in memoriam unde Arnobius hanc etymologiam acceperit. Verum si hujus etymologiæ auctor ei defuit, non A deficit haud plane infirma ratio. Scriptis quippe a Livio, Dionysio Halicarnasseo, Valerio Maximo, Propertio, Ovidio et aliis traditum est quomodo Tatius, cum Sabinis in Capitolinum, ut ait Arnobius, collem a Tarpeii filia virgine introductus fuerit (*Liv., lib.* I, § 11 *et seq.*; *Dionys., lib.* II, *pag.* 106 *et seq.*; *Valer. Max., lib.* IX, *cap.* 6, § 1; *Prop., lib.* IV, *eleg.* 4; *Ovid., lib.* I *Fast.*, § 3). Dionysius vero Halicarnasseus his adjecit virginem illam ibi sepulcri honore donatam, ubi ceciderat, redditasque illi quotannis a Romanis inferias. Nonne ergo vero satis simile est eam idcirco Pandæ seu Panticæ nomine dearum adscriptam fuisse numero? Nonne etiam eadem ratione Præstana in dearum cœtum aggregata est, cujus ope Romulum in jaculi emissione cæteris præstitisse B perperam putabant. Ab Augustino enim, postea citando, discimus illum fuisse gentilium morem, ut deos suos illius, quo fungi aut functos esse opinabantur, officii nomine appellarent.

Quidquid porro sit de Pandæ vel Panticæ et Præstanæ etymologia, fictitiam utriusque divinitatem Arnobius inde funditus evertit, quod neutra ante Tarpeium et Romulum dea fuerit. Nam sicuti ille loquitur: « Nisi Romulus tenuisset teli trajectione palatium, nique Tarpeiam rupem rex Sabinus potuisset accipere, nulla esset Pantica, nulla Præstana esset (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 128). Quis autem, nisi plane desipiat, veros deos esse dixerit, qui olim non fuerant dii, nec ab aliis quam hominibus casu aliquo facti sunt? Sed ab his, quos dementes ethnici ob armorum bellorumque C terrorem, vel quietis pacisque bonum, ad alios, quos ob vilissima ministeria, deos finxerunt, cum auctore nostro transeamus.

ARTICULUS V.

Quomodo Arnobius argumentum suum prosequatur, et demonstret perperam fingi ab ethnicis deum Lateranum præsidere crudis laterculis, Genium foco, aliisque locis, Aium Locutium Romanæ custodiæ, Faunos et Fatuas futuris rebus prædicendis, Putam arborum putationibus, rebus petendis Petam, Nemestrinum nemoribus, rebus patefactis vel patefaciendis, Patellanam et Patellum, Nodutim fructuum nodis, terendis frugibus Terensem, Saturnum sationi, Floram floribus, montibus Montinum, Vibillam erroribus viarum, Limentinum liminibus, eorum custodiæ Limam, obliquitatibus Limos, Lucrios *lucrorum consecutionibus*, et opulentiæ deam Pecuniam.

Si commentitiæ deorum præfecturæ falsam eorum D divinitatem evidenter demonstrant, illæ procul dubio, quibus ethnici ipsos vilissimis abjectissimisque rebus præesse passim ubique prædicabant, adhuc efficacius et manifestius eamdem falsitatem ostendunt. Quid enim insulsius et absurdius, quam Lateranum quemdam venditare focorum genium et deum? Eo tamen nomine hunc propterea vocari ethnicis placuit; « quod ex laterculis crudis, » ut ait Arnobius, « ab hominibus caminorum istud exædificatur genus » (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 130 *et* 133: *Plin., lib.* XXXV *Natur. hist., cap.* 14, *pag.* 248). At Plinius putabat a nemine ignorari illini quidem crates parietum, et lateribus crudis exstrui.

Nulli vero mirum esse debet, si ethnici genium

aliquem focis præesse crederent. Nam *genium dicebant antiqui*, quemadmodum loquitur Servius (*Serv.*, *in lib.* I *Georg.*, *pag.* 85, *et in lib.* V *Æneid.*, *pag.* 567), *naturalem deum uniuscujusque loci, vel rei, aut hominis.* Alibi etiam testificatur nullum apud gentiles sine genio fuisse locum. Testes alios si velis, confestim habebis Virgilium, Dionysium Halicarnasseum, Tertullianum, et Prudentium, qui plura de geniis ubique præsidentibus, atque de iis maxime, quos Arnobius alibi civitatum genios, et ab iisdem gentilibus adorari solitos memorat (*Virgil.*, *lib.* V *Æneid.*, *vers.* 95; *et lib.* VII, *vers.* 135; *Diony. Halic.*, *lib.* VIII *Antiq. roman.*, *pag.* 513; *Tertull.*, *lib. de Pall.*, *cap.* 4; *Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 15; *Prudent.*, *lib.* II *cont. Symmach.*, § 3). Hæc autem sunt Prudentii carmina :

> Quamquam cur genium Romæ mihi fingitis unum,
> Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
> Assignare suos genios, perque omnia membra;
> Urbis perque locos geniorum millia multa
> Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra.

Ibi autem ille ea refellit, quæ Symmachus de diis urbium custodibus garriebat, quemadmodum Cyrillus Alexandrinus alia hujusmodi commenta, quæ de iisdem Julianus Apostata dixerat plane confutavit (*Symmach.*, *apud Ambros.*, *tom.* II, *pag.* 830; *Cyrill. Alexand.*, *init. lib.* IV *in Julian. Apostat.*, *pag.* 115 *et seqq.*). Palam autem Arnobius facit quam divino numini contumeliosum sit prædicare deum focis et coquinis præpositum, per eas cursitantem, ac curantem ut cibi et pulmenta bene coquantur ac condiantur. Quin etiam fatui procul dubio et plane deliri hominis est deum comminisci præsidem fornacum et caminorum, non tamen omnium, sed eorum tantum, qui uno certo modo, *lateribus crudis*, nec aliter erant fabricati.

In præfatorum fortasse geniorum, aut deorum, pro Romanæ urbis custodia vigilantium, gregem rejiciendi sunt Aii Locutii, quos adhuc ethnici, uti eis exprobrat Arnobius (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 15), adorare consueverant. Græci siquidem latinique Scriptores Plutarchus, Dionysius Halicarnasseus, Cicero, Livius, A. Gellius, et alii posteris tradiderunt auditam olim neglectamque vocem monentis, ut provideretur ne a Gallis Roma caperetur, ac post depulsos victosque hostes in hujus rei memoriam templum aramque in nova via Aio Locutio exædificata fuisse (*Plutarch.*, *in Vita Camilli*, *pag.* 144, *et lib. de Fortun. roman.*, *pag.* 319; *Diony. Halicar.*, *lib.* V *Antiq. rom.*, *pag.* 290; *Cicer.*, *lib.* I *de Divin.*, *pag.* 272 *et pag.* 289; *Liv.*, *lib.* V, *sub fin. cap.* 50 *et* 52; *Gell.*, *lib.* XVI, *cap.* 17). Sed eam superstitionem non minus lepide Cicero, quam Arnobius irridet. Sic autem Orator illam exagitat : « Audita vox est monentis ; ut provideretur, ne a Gallis Roma caperetur. Ex eo Aio Loquenti aram in nova via consecratam. Quid ergo? Aius iste Loquens, quando eum nemo norat, aiebat, et loquebatur, et ex eo nomen invenit ; postea quam et sedem, et aram, et nomen invenit, obmutuit » (*Cic.*, *lib.* II *de Divinat.*, *pag.* 289; *Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 15).

[A] Nec prorsus immerito Arnobius fictitiis diis, qui futura prædicere credebantur, conjungit Faunos et Fatuas, quos gentiles similiter tamquam deos venerabantur. Nam Dionysius Halicarnasseus in dubium vocat, an vox illa, quam divinitus emissam ferebant, herois cujusdam an Fauni fuerit. Varro autem, et Servius Fauno nomen datum putant a fando, vel quia, ut Caius Bassus apud Lactantium, atque alii autumabant, Fatuam nominatam, quæ mulieribus, sicut Faunus viris, fata canere perhibebantur. Et Virgilius quidem Fauni responsa laudavit. At Cicero, quamvis dixerit Fauni voces sæpe in præliis et rebus turbidis auditas, ubi tamen Cottam Balbo respondentem introduxit, eam Fauni vocem a se umquam auditam inficiatus est (*Diony. Halic.*, *lib.* VI *Antiquit.* [B] *rom.*, *pag.* 290; *Varr.*, *lib.* VI *de Ling. lat.*, *pag.* 78; *Serv.*, *in Virg.*, *lib.* I *Georg.*, *vers.* 10 *et* 11, *et in lib.* VII *Æneid.*, *vers.* 45 *et seqq.*; *Lactan.*, *lib.* I, *cap.* 22, *pag.* 127; *Virg.*, *lib.* VII *Æneid.*, *vers.* 103; *Cic.*, *lib.* I *de Divinat.*, *pag.* 272; *lib.* II *de Nat. deor.*, *pag.* 214, *et lib.* III, *pag.* 24). Videsis Isidorum lib. VIII. Origin. cap. II. Natalem Comitem, lib. V Mytholog. cap. 9; Lilium Giraldum, Histor. deor. Syntag. 15, pag. 427; Vossium, lib. I de Origin. et Progr. idolol., cap. 12; Huetium, Demonstr. Evang. propos. 4, cap. 9 § 4, pag. 136, et seqq.; Alexandr. ab Alex. et Tiraquelli notas, lib. VI Genial. dier., cap. 8, pag. 648.

Alius præterea fuit, deorum grex et cœtus, quos ethnici aliis rebus præfici falso arbitrabantur. Nec [C] minimam quidem Arnobius (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 131), sed majorem Augustinus illorum turbam congregarunt, quorum nomina et officia nihil nisi divina natura plane indignum prodere poterant. Ab Arnobio autem memoratur *Puta* arborum putationibus (*Ibid.*, *pag.* 131 *et* 132), sicuti *Peta* rebus petendis, *Nemestrinus* nemoribus, *Patellana* patefactis frugum haud dubie folliculis, ac patefaciendis *Patella*; *Nodutis* nodis fructuum ac ipsismet frugibus terendis *Terensis*; *Saturnus* sationi, et montibus *Montinus* præsidentes. Ridebis procul dubio hanc deorum sive dearum catervam, quam culturæ agrorum, terræ frugibus, et montibus præesse cæci prorsus gentiles existimabant.

Verum Augustinus quosdam ex his aliosque longe [D] plures, quam Arnobius eisdem officiis præfectos enumerat. Ea autem ipsa sunt illius verba cum Arnobianis conferenda : « Nec agrorum munus uni alicui deo committendum arbitrati sunt : sed rura deæ Rusinæ, juga montium deo Jugatino, collibus deam Collatinam, vallibus Valloniam præfecerunt. Nec saltem potuerunt unam Segetiam talem invenire, cui semel segetes commendarent ; sed sata frumenta quamdiu sub terra essent, præpositam voluerunt habere deam Sejam, cum vero jam essent super terram, et segetem facerent, deam Segetiam ; frumentis vero collectis deam Tutilinam præposuerunt.... Præfecerunt Proserpinam frumentis germinantibus, geniculis nodisque culmorum deum Nodotum, involumentis folli-

culorum deam Volutinam, cum folliculi patescunt, ut spica exeat, deam Patelanam.... Nec omnia commemoro, quia me piget, quod illos non pudet » (*August., de Civit., c.* 8, *p.* 93 *et seqq*). Vides sane ab eo, quemadmodum ab Arnobio, in hunc deorum numerum nominatim referri *Patelanam* et *Nodotum*, sive ut auctor noster ait, *Nodutim*. Nemini itaque verisimile prorsus non videbitur alios ab ipso memoratos iis esse annumerandos, quos nominare sicut Augustinum et Arnobium nostrum pigebat, ita et nos etiam pigere debet.

Alibi tamen doctissimus ille vir eamdem, atque auctor noster, Saturni mentionem fecit : « Saturnus, » inquit, « unus de principibus deus, penes quem sationum omnium dominatus est. » Prius vero : « Saturnum propter ipsum semen. » Et paulo post : « Omnium seminum Saturnum habere potestatem. » Ex Varrone proculdubio hæc delibata sunt. Quodam enim illius in libro legimus : « Ab satu dictus est Saturnus. » At non magis penes illum sationum, quam penes Floram, inquit auctor noster, florum erat dominatus. Non enim prohibebant quominus hæc frigore vel æstu adurerentur. In superiori autem dissertatione de Flora, et memoratis ab Arnobio ludis in ejus honorem celebratis disputavimus (*Augus., l.* VII *de Civit., c.* 13, *p.* 172 ; *ibid., c.* 2, *p.* 163, *et c.* 3, *p.* 164 ; *Varr., l.* IV *de Ling. lat., p.* 16 ; *Arnob., l.* IV, *p.* 113 ; *Dissert. in Minuc., c.* 16, *art.* 3).

Cæterum quamvis Nemestrinus nemorum, et Montinus montium deus ab Arnobio appelletur; Diana tamen dicitur ab Horatio :

> Montium custos nemorumque virgo.
> (*Horat., lib.* III *Carm., od.* 22.)

Faunus vero et Picus apud Ovidium hæc de se ipsis prædicant :

> Di sumus agrestes, et qui dominemur in altis
> Montibus.
> (*Ovid., lib.* III *Fastor.*, § 3, *pag.* 532.)

Sed quid vetat, quominus Diana nemorum custos, et Nemestrinus eorum deus a gentilibus stulte crederetur? Quid etiam prohibet quominus Faunus aut Picus iidem fuerint, ac Montinus, diversis nominibus appellati? De his porro diis consule, si velis, Tertullianum, Giraldum, et Vossium. (*Tertull., l. de Spect., c.* 8, *p.* 93 ; *Girald., Hist. deor., syntagm.* 1, p. 89 ; *Voss., l.* V *de Theol. gent., c.* 48, *p.* 89 *et seqq.*)

Ab ipso adhuc auctore nostro, quemadmodum ab Augustino irridentur ethnici, qui Melloniam deam mellis confectioni præfici somniaverant. Quasi vero sine illa mel confici numquam potuisset? Quocirca de Judæis recte Augustinus : « Sine Segetia, » inquit, « segetes, sine Bubona boves, mella sine Mellona, poma sine Pomora, et prorsus omnia, pro quibus tantæ falsorum deorum turbæ Romani supplicandum putaverunt, ab uno vero Deo felicius acceperunt » (*Arnob., l.* IV, *p.* 131 ; *August., l.* V *de Civit., c.* 14, *p.* 114) .

Quid vero, quod ethnici alios deos viarum, liminum, et ostiorum præfectos commenti fuerant? Non enim sine ironia et objurgatione dixit Arnobius : « Ab erronibus viarum dea Vibilia liberat? » (*Arnob., ibid.*) Nonne autem ea ipsa est de qua Varro : « Venilia a veniendo, ac vento illo, quem Plautus dixit : Quod ille dixit, qui secundo vento vectus est tranquillo mari, ventum gaudeo » (*Varr., l.* IV *de Ling. lat. p.* 18). Augustinus vero citat eumdem Varronem alibi dicentem : « Venilia unda est, quæ ad littus venit. » Nonne tamen ab illo recedit, ubi de infantibus disputat, et ait : *De spe, quæ venit, Venilia.* Servius Veniliam a nonnullis dictam esse refert ; *quod veniam det exigentibus* (*August., l.* VII *de Civit., c.* 22, *p.* 178 ; *ibid., l.* IV, *c.* 11, *p.* 97 ; *Serv., in l.* X *Æneid., p.* 577). Sed si citata a nobis Varronis verba magis ad auctoris nostri propositum faciunt, dubitatis forsitan an in hujus textu legendum potius sit *Venilia*, quam *Vibilia*, At quid decernere audeas, ubi tanta est fictitiorum deorum multitudo?

Opinabantur præterea gentiles Limentinum esse præsidem liminum, et eorum custodiam Limæ adtributam : Sed « quis credat, » arguit Arnobius, « Limentinum, quis Limam custodiam liminum gerere, et janitorum officia sustinere, cum fanorum quotidie videamus et privatarum domorum convelli et subrui, nec sine his esse flagitiosos ad lupanaria commeatus? » (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 132.) Hujus autem Limentini alibi Arnobius (*Idem, lib.* I, *pag.* 15), et alicubi Cyprianus meminere (*Cyprian., de idol. Vanit., p.* 13). Quodam vero Tertulliani in libro, ubique passim mutilo et lacunis hiante, hæc legimus, quibus tamen auctoris nostri dicta satis aperte confirmantur : « Taceo deos Forculum a foribus, et Cardeam...... nibus, et liminum Limentinum, sive qui alii inter vicinos ap.... num janitorum adorantur. Quid enim magnum, cum et habeant in lupanaribus, in culinis, et in imo carcere. » (*Tertullian., lib.* II *ad Nation., cap.* 15, *pag.* 78.) In alio quoque libro perfectiori et integro scripsit : « Certi esse debemus, si quos latet per ignorantiam litteraturæ sæcularis, etiam ostiorum deos apud Romanos, Cardeam a Cardinibus appellatam, et Forculum a foribus, et Limentinum a limine, et ipsum Janum a Janua ; et utique scimus licet nomina inania atque conficta sint, cum tamen in superstitionem deducuntur, rapere ad se dæmonia, et omnem spiritum immundum per consecrationis obligamentum. » (*Idem, lib. de Idolol., cap.* 15.) Eorumdem illorum deorum meminit Augustinus, atque ab ethnicis haud illepide rogat cur Forculus et Limentinus dii masculi dicantur, Cardea vero femina cardini præsideat (*August., lib.* IV *de Civit., cap.* 8, *pag.* 94 ; *et lib.* VI, *cap.* 7, *pag.* 153). Numquid etiam sancti illi dii lupanarium liminibus et foribus præpositi, eas luxuriosis ac libidinosis aperiebant?

Optime quidem, inquies. Sed nulla illis omnibus in locis Limæ, ab Arnobio appellatæ, mentio. Quamobrem suspicantur corruptum esse hoc nomen, ac pro eo Limentinam, aut Janum, aut Janam legendum. Quid si legeretur Cardea, de qua proxime a nobis citati auctores, aut Carna, de qua plura Ovidius cecinit (*Ovid., lib.* VI *Fastor.*, § 2, *pag.* 652 *et*

seq.)? Sed cum infinitus fuerit, ut dictum est, hujuscemodi deorum numerus, quid in Arnobii textu scriptum fuerit, definire non audemus. Et sane Servius alicubi observat limen Vestæ fuisse consecratum (*Serv.*, *in lib.* VI *Æneid.*, *pag.* 414).

Magis vero corrupta videntur subsequentia Arnobii verba : « Quis curatores obliquitatum Limos, » in manuscripto regio, « Lemons » pessime (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 132). Quia vero solus hic nobis superest horum librorum manuscriptus codex, ab imperitissimo librario descriptus, quæ sit vera auctoris nostri lectio, dictu difficillimum. Nobis tamen haud ægre probaretur reponendam esse vocem Lemures, de quibus nos alibi, et Ovidius jam a nobis laudatus (*Ovid.*, *lib.* V *Fastor.*, § 5, *pag.* 632 *et seq.*). Verumtamen nisi alterius correctioris codicis ope adjuti, nihil adhuc ea de re certi aliquid statui posse arbitramur. Quidquid sit, quis, obsecro, ingenuus, liberalisque homo hujusce dei munus obire umquam vellet?

Neque etiam Arnobio credibilius videtur, « deos Lucrios lucrorum consecutionibus præsidere; cum ex turpibus causis frequentissime veniant, et aliorum semper dispendiis constent. » Qui autem fuerint illi dii, si scire aveas, ab Suida accipere poteris. Nam Κερδῶος, inquit (*Suidas*, *ad verbum* Κερδῶος), θεὸς ὁ Ἑρμῆς ὡς κέρδους ποιητικὸς καὶ ἄγγελον δὲ αὐτὸν καλοῦσι, καὶ κλῶπα, διὸ καὶ μάρσυππον αὐτὸν ποιοῦσι βαστάζειν, καὶ ἔφορον αὐτὸν τοῦ λόγου, καὶ τῆς κλοπῆς, καὶ ἐμπολείων, ἤγουν κέρδους ἔφορον. *Quæstuosus deus Mercurius, ut lucri sive quæstus effector. Quin etiam ipsum faciunt gestare marsupium, et ipsum orationis, furti, et mercaturæ, id est, quæstus inspectorem.* Quapropter Gregorius Nazianzenus in Julianum Apostatam hæc scribit : « Quoties Lucrium tuum, et Logium, et Enægonium intueor, oculos obtego, ac spectaculi pudore deum tuum prætereo. » (*Greg. Naz.*, *orat.* IV, *in Julian.*, *pag.* 309.) Quem in locum Nonius hæc observavit : « Lucrium deum Mercurium Græci vocant, ut lucri auctorem. Unde etiam comicus Aristophanes in Pluto addubitans, quo nomine Mercurius appellandus sit, Statuamus, inquit, ἐμπολαῖον, id est, quæstus et lucri præsidem. »

Non solum autem Mercurium deum Lucrium Gregorius vocare videtur, sed etiam Apollinem. Superiori etenim in oratione ille dixerat : « Quomodo Lucrius ipsis constituetur, et sacculus proferetur, et furax dei vis atque facultas honorabitur; illudque etiam. Sine ære Phæbum minime vaticinari, nec obolo quidquam esse præstantius? Hæ enim graves eorum ac venerandæ sunt sententiæ. » (*Greg. Naz.*, *orat.* 3. *in Julian.*, *pag.* 262.) Inde etiam tritum illud apud Græcos iambicum carmen :

Ἄνευθε χαλκοῦ Φοῖβος οὐ μαντεύεται.

Absque ære Phœbi muta sunt oracula.

Porro autem monet nos Giraldus Apollinem non secus ac Mercurium κερδῶον, Lucrium seu Lucrionem ab ethnicis cognominari (*Girald.*, *Hist. deor. syntagm.* 7, *pag.* 218).

Longe vero difficilius cordato cuilibet homini persuadebitur deam esse Pecuniam, quam tamen *velut maximum numen*, uti loquitur Arnobius, ethnicorum *indicant litteræ* (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 132). Frequens autem occurrit hujus deæ apud Augustinum mentio. Certiores vero nos facit eam ab ethnicis invocatam, ut essent pecuniosi, et illam quæ ab ipsa dari frustra ominabantur, pecuniam obtinerent (*August.*, *lib.* IV *de Civ.*, *cap.* 20, *pag.* 103, *et cap.* 24, *pag.* 106; *lib.* VII, *cap.* 3, *pag.* 165).

Scimus quidem a Juvenale decantari nullum suo tempore constructum Pecuniæ templum, nullasque nummis aras positas fuisse. Vidimus enimvero hæc illius carmina :

Etsi funesta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum exstruximus aras.
(*Juven.*, *satyr.* 1 *vers.* 111 *et seqq.*)

Sed id non prohibuit, quin ante Arnobii tempus Pecunia ab ethnicis haberetur dea, atque ab lucri avidis, et appetentibus, sive in aliquo ejus templo, sive alibi invocaretur. Vide autem utrum in hujus sententiæ confirmationem proferri possint hæc Epicharmi citata a Stobæo carmina :

Ἐγὼ δ' ὑπέλαβον χρησίμους εἶναι θεοὺς
Τ' ἀργύριον ἡμῶν, καὶ τὸ χρυσίον.

Ego autem deos utiles esse arbitror,
Argentum nostrum et aurum.
(*Strobæus*, *serm.* 89, *de Laude divit.*, *pag.* 533.)

Quidquid autem de his versibus pronunties, quis cum Arnobio nostro non fatebitur memoratos a nobis deos eo ipso refutari, quo vilia, et turpia illorum officia nominantur?

ARTICULUS VI.

De aliis diis ac deabus, quos hominum vitiis et aliis rebus præesse ethnici asserebant, ubi de Laverna furum dea, et segnium Murcida, de Venere Militari turpissimis flagitiis; Perfica, Pertunda, Tutino, sive Mutino obscænis voluptatibus, Libentina et Liburno libidinum tutelis, Orbona et Nænia extremitati vitæ, ac funeri ridiculis præsidibus, ubi etiam de scortis meritoriis, Acca Laurentia, Flora, et Leæna.

Nemini sane quantumvis parum æquo rerum æstimatori, si quæ tamen rectæ rationis scintilla ei supersit, quidquam prorsus videbitur a divina natura, justitia, et sanctitate magis alienum, quam deos fingere hominum vitiis non modo faventes, sed etiam præfectos. Tales nihilominus deos, nec paucos quidem ethnici mira plane nec satis umquam damnanda impietate commenti sunt. Quamobrem Gregorius Nazianzenus illos his compellat versibus (*Greg. Naz.*, *tom.* II, *carm.* 61, *pag.* 142) :

Ἄλλους δ' αὖτ' ἄλλοισι κακοῖς ἐπὶ κάρτος ἔχοντας,
Ὡς μὴ μοῦνον ἄτιτον ἔπαν κακὸν, ἀλλὰ καὶ ἐσθλὸν
Ἔμμεναι, ὡς ῥέα Θεῷ κεχαρισμένον, ὅς τόδ' ἔτισε.

Ipsa quoque infanda sacratis numina noxa,
Atque aliis alium vitiis qui præsit, habetis :
Scilicet ut crimen non tantum vindice pœna
Sit vacuum, sed et obtineat laudemque decusque,
Et gratum acceptumque Deo, cultumque ab eodem.

Sed audiamus Arnobium nostrum hos infames deos, et turpissimas eorum præfecturas enarrantem. Renuntiarunt, inquit, « Lavernam deam et præsidem furum » (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 115) ac latronum, atque eorum maxime, quemadmodum ab aliis observa-

tum est, qui clam occulteque furabantur. Testatum siquidem nobis Varro facit Romæ extructam fuisse huic Lavernæ deæ aram, ex qua Lavernalis porta nomen accepit (*Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 40). Quod autem fures illi, tanquam suæ præsidi supplicarent, probant hæc Horatii carmina :

Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da justum sanctumque videri,
Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.

(*Horat.*, *lib.* I, *epist.* 16, *vers.* 60 *et seqq.*)

Plura videre poteris apud Festum, Nonium Marcellum, et Lilium Giraldum (*Fest. et Non.*, *ad verba* LAVERNIONES *et* LAVERNÆ; *Girald.*, *syntag.* 1, *pag.* 50; *Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 132).

Nec minori impietate iidem ethnici *Murcidam*, Lavernæ haud dubie oppositam, *segnium*, sicuti eis vitio Arnobius vertit, deam venditabant. Tam insanum vero humanæ superstitionis commentum ille non excogitavit. Narrat siquidem, et plane miratur Augustinus publica a Romanis, qui singulis pene hominum motibus deos singulos adtribuebant, instituta fuisse sacra deæ Murciæ, « quæ præter modum, » verba ejus sunt, « non moveret, aut faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id est, nimis desidiosum, et inactuosum. » (*August.*, *lib.* IV *de Civit.*, *cap.* 16, *pag.* 100.) Testis vero nobis est Livius Ancum Martium, superatis Latinis, qui eum desidem Romanorum regem appellaverant, Romam rediisse. Tum deinde addidit : « Multis Latinorum in civitatem acceptis, quibus ut jungeretur Palatio Aventinum, ad Murciæ datæ sedes. » (*Liv. lib.* I, § 32 *et* 33.)

Aliumne testem adhuc desideras? En adest Tertullianus, qui eidem deæ ædem ædificatam fuisse memorat : « Consus, » inquit, « apud metas sub terra delitescit Murcias : has quoque idolum fecit. Murciam enim deam marcoris volunt, cui in illa parte ædem vovere. » (*Tertull.*, *lib. de Spectac.*, *cap.* 8, *pag.* 93.) Nos quidem non fugit quibusdam visum ibi pro *marcoris*, legendum *amoris*. In animum quippe hi sibi induxerunt Tertullianum de Venere loqui, cui uti scribit Plinius, primum Myrteæ, deinde Murciæ nomen fuit. Addere poterant hujus adhuc a Varrone, Plutarcho, et aliis fieri mentionem (*Plin.*, *lib.* V *Natur. hist.*, *cap.* 19, *pag.* 212; *Varr.*, *lib.* IV *de ling. lat.*, *pag.* 37 *et* 38; *Plutarch.*, *Quæst. roman.*, *tom.* II, *pag.* 268). At certe cum in emendatiori Tertulliani textu scriptum legamus *marcoris*, eum de eadem, atque citati a nobis Scriptores, Murcida dea intelligendum esse cui vero plane simillimum non videatur? Si quis porro recte probaverit hanc Murcidam segnium deam non aliam esse quam Venerem Myrteam, seu Murciam, amoris sive marcoris deam, ei manus tanto lubentius dabimus, quanto inde validius Arnobii sententia stabilitur.

Visne ad majorem ethnicorum ignominiam, ac sempiternum dedecus, atque adeo ad certam religionis eorum ruinam et eversionem tibi aliquid proferri? Nihil sane facilius. Præsto siquidem sunt ii, qui a cæcis illis gentilibus ullo sine rubore colebantur, dii illicitis ac turpissimis rebus, et vitiis præpositi. Ne-

A cesse autem non est hic cum Arnobio nostro (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 15) appellare Venerem, *illam*, inquit, *cupidinum matrem*, præfectam *amoribus*, *et cupiditatis ardori*. Quis enim est, qui hæc ignorat? Quamobrem cum Lactantio dicere sufficit : « Quid loquar obscœnitatem Veneris, omnium libidinibus prostitutæ, non deorum tantum, sed et hominum...... Quæ prima, ut in historia sacra continetur, artem meretriciam instituit, auctorque mulieribus in Cypro fuit, uti vulgo corpore quæstum facerent. Quod idcirco imperavit; ne sola præter mulieres, impudica, et virorum appetens videretur. » (*Lactan.*, *lib* I *Institut.*, *cap.* 17, *pag.* 92.)

Sed quia plures ab ethnicis prædicabantur impudicitia et libidinibus famosissimæ Veneres, unam imprimis Arnobius, cæteris sane pejorem, his verbis
B insectatur : « Etiamne Militaris Venus castrensibus plagiis (ms. codex regius et vet. edit. flagitiis) præsidet, et puerorum stupris. » (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 131.) Quid, quæso, ethnicis majori, si unquam erubescere potuissent, dedecori probroque esse poterat, quam infamis illius deæ cultus et veneratio? Sed rogabis haud dubie quæ fuerit illa Militaris Venus, cujus rarior, quam aliarum mentio facta est. Non semel tamen Pausanias Veneris Armatæ, ac proinde Militaris meminit (*Pausan.*, *lib.* II, *pag.* 48, *et lib* III, *pag.* 97 *et* 106), atque hisce potissimum verbis : κύθηρα δὲ ἡ πόλις ἀναβάντι ἀπὸ Σκανδείας, στάδια ὡς δεκά· τὸ δὲ ἱερὸν τῆς Οὐρανίας ἁγιώτατον, καὶ ἱερῶν, ὁπόσα Ἀφροδίτης παρ' Ἕλλησίν ἐστιν, ἀρχαιότατον. αὐτὴ δὲ ἡ
C θεὸς ξόανον ὡπλισμένον. *A Scandea ad ipsa Cytherorum mœnia adscenditur, stadium decem via. Est illic Uraniæ Veneris templum, eorum omnium, quæ apud Græcos Veneri dicata sunt, maxime priscum. Deæ signum cum armis est.* Nonnus quoque (*Nonn.*, *lib.* XXXV; *Dionys.*, *vers.* 175 *et seqq.*) ubi Venerem Marte potentiorem canit :

Μὴ Σπάρτης ἐπίβηθι, μαχήμονες ἧχι πολῖται
Χάλκεον εἶδος ἔχουσι κορυσσομένης Ἀφροδίτης.

Ne Spartam ingredere, bellicosi ubi cives
Æneam imaginem habent armatæ Veneris.

Narrat autem Lactantius (*Lactan.*, *lib.* I, *cap.* 19, *pag.* 109) ab iisdem Spartanis constructum Veneri Armatæ fanum, ac simulacrum, in mulierum memoriam, quæ illis post fugatos Messenios venerant
D obviam, et cum ipsis concubuerant. Denique ab Hesychio memoratur Ἔγχειος Ἀφροδίτη, κυπρίοις. *Hastata Venus, Cypriis.* Quid vero tam turpe et obscœnum, cui hæc Venus præesse non crederetur? Jure igitur merito Ethnicos irridet Arnobius; quia Venerem ipsam turpissimis hominum flagitiis præesse opinabantur; quam tamen, militarem armatam, atque hastatam, armis quemadmodum amoribus et flagitiis præfectam prædicare ac venerari non erubescebant.

Pergit Arnobius (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 131), et rursus ab ethnicis sciscitatur utrum serio credant Persicam, Pertundam et Tutunum iis, quemadmodum ipsi divulgabant, et ille recenset, obscœnis præfici voluptatibus. Quem enim, nisi omni pudore deposito, talia numina colere, immo dicere non pudeat? Nos

quidem non fugit Lucretium Persicæ, nomine tamquam naturæ epitheto usum esse ubi canebat :

Donicum (seu donec) ad extremum crescendi Persica [florem
Omnia produxit rerum natura creatrix.
(*Lucret., lib.* II, *vers.* 1125 *et seqq.*)

Verum Arnobius eam Persicam esse dixit, quæ turpissimas voluptates ducere ad exitum, et perficere ferebatur. Turpiora adhuc erant munia Pertundæ et Tutuni, sive Titiani, Tutini vel Mutini, qui, ut notat Augustinus, a Græcis infamis Priapus vocabatur. Sed de his, quos nisi Ethnici coegissent, nominare pudet, aliquid adhuc Tertullianus et Lactantius dicunt, siculi in sequentibus dissertationibus nostris dicetur (*August., lib.* IV *de Civit., cap.* 11, *pag.* 97, *et lib.* VI, *cap.* 9, *pag.* 156; *Tertullian., Apolog., cap.* 25, *et lib.* II *ad Nation., cap.* 11 ; *Lactan.. lib.* I, *cap.* 20, *pag.* 110).

Non minori profecto cæcitate et amentia credebant gentiles Libentinam et Liburnum, ut adhuc refert Arnobius, « libidinum superesse tutelis. » Alicubi autem a Varrone scriptis traditum legimus : « A libendo libido, libidinosus, sic alia, ut Libentina, » haud dubie dea illa, de qua auctor noster loquitur. Nam postea dixit Augustinus : « Deæ Libentinæ, cui nomen est a libidine. » Expende autem utrum ea sit Libentina Venus, de qua Cicero. « Cupidinis et voluptatis, et Lubentinæ Veneris vocabula consecrata sunt, vitiosarumrerum, neque naturalium. » (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 132; *Varr., lib.* v *de Ling. lat., pag.* 57; *August., lib.* IV *de Civit., cap.* 8, *pag.* 93; *Cicer., lib.* II *de Natur. deor., pag.* 223, *lin.* 7.)

Quod ad Liburnum attinet, ejus nomen corruptum videtur. In regio enim manuscripto codice habetur *Burnum*, quod quidem cum librarii ignorantia depravatum suspicarentur, inde fecerunt *Liburnum*. Sed quis sit iste Liburnus, nobis indicare non curaverunt. Quamobrem Meursius legendum putavit *Liberum*, quem Augustinus ab ethnicis libidini præfectum testificatus est (*August., lib.* VI *de Civit.. cap.* 9, *pag.* 156, *et lib.* VII, *cap.* 2, *pag.* 163). Et nos quidem huic conjecturæ libenter subscriberemus, si pro Libentina, legeremus libera, quæ teste adhuc Augustino libidini quoque præposita censebatur. Quia vero ille ibi adhuc docet eam etiam ab ethnicis Venerem existimari, nonne inde eamdem ac Libentinam fuisse colligi potest? Verumtamen cum tot tamque multiplices, uti diximus, fuerint apud ethnicos ejuscemodi dii, quæ vera sit Arnobii lectio, certo affirmare non possumus.

Quid porro ad sempiternum ethnicæ religionis opprobrium ac dedecus omnibus patefaciendum superérat, nisi ut scortis et meretricibus sacra, quemadmodum aliis diis suis, impudentissimi homines facerent? Atqui « in civitatibus maximis, » inquit auctor noster, « atque in potentioribus populis sacra publica fiunt scortis meritoriis quondam, atque in vulgarem libidinem prostitutis (*Arnob., lib.* I, *pag.* 15). Quibus sane verbis ab illo haud dubie notatur Acca Laurentia et Flora, de quibus nos in superiori dissertatione egimus (*Dissert., in Minuc., cap.* 16, *art.* 2). At Laurentia illa procul dubio est, quam Arnobius alibi Lupercam deam nuncupat : « Quod abjectis, » ait, « infantibus, Romulo scilicet et Remo, pepercit, lupa non mitis, Luperca dea est, auctore appellata Varrone » (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 128). Unde etiam Lactantius (*loc. cit.*) : « Romuli nutrix lupa est honoribus affecta divinis. » Sed de illa satis in superiori nostra, ut diximus, dissertatione.

Tertia ex his famosis meretricibus fuit Leæna Atheniensis, cujus Clemens Alexandrinus meminit, et alii Scriptores in nostris, in ejus opera dissertationibus citati (*tom.* I *Apparat., lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 21, *art.* 3, *pag.* 1250). Apud Athenæum autem Demochares memoriæ mandasse perhibetur Athenienses ut Demetrio Poliorcetæ adularentur, Leænæ, Lamiæque Veneri templa construxisse (*Athen., lib.* VI, *pag.* 252.

Cæterum tametsi Orbona et Nænia his duabus honestiores et verecundiores viderentur, non minus tamen falsa commentitiaque erant numina. Arbitrabantur autem ethnici in prioris tutela esse orbatos, ut inquit Arnobius (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 131), liberis parentes, et sub posterioris patrocinio homines constitutos in extremis. In Tertulliani autem libro mutilato, et lacunis passim hiante legimus : « Orbana quæ in orbitatem seminat extinguat. » (*Tertullian.*, II *ad Natio., cap.* 15.) Testem insuper habemus gentilem Plinium ad ædem Larium ædificatum fuisse Orbanæ fanum (*Plin., lib.* II *Natur. Hist., cap.* 7, *pag.* 142). Næniæ quoque deæ, extremis vitæ seu funeribus præfectæ, sacellum extra portam Viminalem, sicuti ex Paulo et Festo dicimus, consecratum fuerat.

Quæ porro de hac dea aliisque diis et deabus, quos hactenus ab Arnobio appellatos vidimus, hæc possunt Varronis fulciri testimonio, quod Augustinus sic protulit : « Varro commemorare et enumerare deos cœpit a conceptione hominis, eamque seriem produxit usque ad decrepiti hominis mortem, et deos ad ipsum hominem pertinentes clausit ad Næniam deam, quæ in funeribus senum cantatur. Deinde cœpit alios deos ostendere, qui pertinent non ad ipsum hominem, sed ad ea quæ sunt hominis, sicuti est victus, vestitus, et quæcumque alia, quæ huic vitæ sunt necessaria, ostendens in omnibus quod sit cujusque munus, et propter quid debeat cuique supplicari. » (*August., lib.* VI *de Civit., cap.* 9, *pag.* 158.)

Nemo autem est, qui ex iis omnibus, quæ hactenus disputavimus, facile non perspiciat quam recte Arnobius concludat falsos omnino nullosque prorsus esse omnes illos deos. Satis enim superque probatum est aut eos numquam exstitisse, aut aliquando suum habuisse ortum et initium, aut ea egisse, vel passos fuisse, quæ a divina majestate et natura penitus abhorrent, ac sæpe sæpius homine vel minimum verecundo et pudente prorsus indigna. Denique si quidam alii in medium rursus ab Arnobio nostro vo-

cantur, de illis infra dicendi locus dabitur (*Arnob.*, A *lib.* III, *pag.* 115).

CAPUT XIV.

Excutitur aliud Arnobii contra gentilium deos argumentum, ex eorum servitute, vinculis, vulneribus, morte ac sepulcris desumptum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam valida sit Arnobii ad destruendam gentilium de diis suis opinionem argumentatio, petita ex servitute Herculis, Apollinis, et Neptuni. fœdo Minervæ ministerio, Musarum famulatu, Martis ac Saturni vinculis, atque a regno suo expulsione, ac ejusdem Martis, Veneris, Plutonis, Junonis, Minervæ, et Herculis vulneribus.

Deos suos, quorum majestate nihil sublimius excellentiusque excogitari debebat, eo usque ethnici deprimebant, ut eorum servitutem, vincula, vulnera, ac mortem ubique miraque impudentia prædicarent B ac venditarent. Ab iis etenim, ait Arnobius, memoriæ proditum fuerat : « Mercenariam deos servitutem servisse, ut Herculem Sardibus, amoris et petulantiæ causa; ut Admeto Apollinem Delium; ut Laomedonti Troico Jovis fratrem; ut eidem, sed cum patruo Pythium; ut conjugalia secreta miscentibus Minervam lucis ministram, et lucernarum moderatricem. » (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 144.) At hæc ille more solito decerpsit ex Clemente Alexandrino (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 22), qui eodem argumento contra ethnicos dimicat, eaque omnia non clarius tantummodo et apertius, sed alia etiam plura, quæ Arnobius consulto prætermisit, hunc urget in modum : Εἰκότως ἄρα οἱ τοιοίδε ὑμῶν θεοί, δοῦλοι παθῶν γεγονότες, ἀλλὰ καὶ πρὸς τῶν Εἱλώτων καλουμένων C τῶν παρὰ Λακεδαιμονίοις· δούλειον ὑπεισῆλθεν ζυγὸν Ἀπόλλων Ἀδμήτῳ ἐν Φεραῖς, Ἡρακλῆς ἐν Σάρδεσιν Ὀμφάλῃ· Λαομέδοντι δὲ ἐθήτευε Ποσειδῶν, καὶ Ἀπόλλων, καθάπερ ἀχρεῖος οἰκέτης, μηδὲ ἐλευθερίας δήπουθεν δυνηθεὶς τυχεῖν παρὰ τοῦ προτέρου δεσπότου· τότε καὶ τὰ Ἰλίου τείχη ἀνῳκοδομησάτην τῷ Φρυγί. Ὅμηρος δὲ τὴν Ἀθηνᾶν οὐκ αἰσχύνεται παραφαίνειν λέγων τῷ Ὀδυσσεῖ, χρύσεον λύχνον ἔχουσαν ἐν χερσῖν. *Sunt ergo jure vestri dii tales, qui servi fuere vitiorum, quin etiam eorum, qui Eilotes vocantur a Lacedæmoniis, jugum servile subiit Apollo Admeto Pheris, Hercules Sardibus Omphale, Laomedonti autem fuit mercenarius Neptunus et Apollo, sicut servus inutilis, qui nec libertatem consequi potuit a priori domino. Tunc etiam muros Trojæ Phrygi restaurarunt. Non pudet autem Homerum dicere Minervam* D *Ulyssi præluxisse, aureum lychnum tenentem in manibus.* Ab Clemente autem, sicut et ab Arnobio hæc citantur Homeri carmina (*Homer.*, *Odyss.*, *lib.* XIX, *vers.* 33 *et seqq.*) :

. . . . . . Πάροιθε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη
Χρύσεον λύχνον ἔχουσα φάος περικαλλὲς ἐποίει.

Ante autem Pallas Minerva
Auream lucernam tenens, lumen perpulchrum faciebat.
(*Homer.*, *Odyss.*, *lib.* XIX, *vers.* 33 *et seqq.*)

De hac porro absurda et ridicula illorum deorum servitute, satis a nobis alibi disputatum est (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 15, *art.* 3, *et Apparat. tom.* I, *pag.* 1090).

Ex ejusdem Clementis Alexandrini fonte id adhuc hausit Arnobius, quod de Musis ibidem adjecit : « Numquid ex nobis Myrtillus est auctor, qui Macari filias, Megaclonis ancillulas profitetur fuisse Musas. » (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 145.) Ex eodem quippe Myrtillo, seu Myrsillo Lesbio, narrat Clemens Musas cum servæ essent, a Megaclone Macaris Lesbiorum regis filia emptas, quæ illis postea columnas templaque construxit. Sed de iis aliquid in superiore Apparatus nostri tomo perstrinximus (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 19; *tom.* I *Apparat.*, *pag.* 820).

Servitute duriora procul dubio sunt vincula, quibus gentiles deos suos indignissime constrictos fuisse opinabantur. Quid enim a divinitate longius abest, quam quod jactitabant : « Parricidii causa, » Arnobii verba sunt (*Arnob. lib.* IV, *pag.* 143), « vinctum esse Saturnum, et ablui diebus statis » (quidam editi codices, *suis*, cod. reg. *tantis*) « vinculorum compedibus et levari, » idem codex regius, *elevari*. Alludit profecto Arnobius ad ea, quæ Macrobius ex Apollodoro clarius exponit. Ex eo siquidem refert « Saturnum alligari per annum lineo vinculo, et solvi ad diem sibi festum, id est, mense decembri. » (*Macrob.*, *lib.* I *Saturnal.*, *cap.* 8, *pag.* 209.) At inde facile colligitur in Arnobii textu, nisi legendum sit *diebus festis tantum*, id alio verbo, idem significante, traditum. Cur autem Lipsius corrigi voluerit, *suis diebus tantum*, non satis intelligimus. De memoratis subinde ab auctore nostro Martis vinculis, lege, si lubet, Homerum, et quæ a nobis in hac dissertatione et alibi annotata fuerunt (*Lips.*, *lib.* III, *epist.* 15, *tom.* I, *pag.* 180; *Homer.*, *Iliad.*, V, *vers.* 385, *sup. cap.*; *Dissert. in Minuc.*, *cap.* 15, *art.* 2).

Si dii in servitutem redacti sunt, et conjecti in vincula, quid adhuc supererat, nisi ut, acceptis plagis, saucii vulneratique dicerentur? At certe id ethnici repetitis ubique sermonibus divulgaverunt : « Nonne, » enim, et ita quidem ethnicos affatur Arnobius (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 144), « ille vester est Vates, qui Martem fecit et Venerem mortalium manibus vulneratos? Non ex vobis Panyassis unus est, qui ab Hercule Ditem patrem et reginam memorat sauciatum esse Junonem? Non viraginem ab Ornyto cæsam, cruentatam, vexatam, Polemonis vestri indicant scripta? Non ab Hippocoontis liberis ipsum Sosibius Herculem cruciatum retulisse pronuntiat, et illati vulneris et doloris? » Et hæc rursus delibata sunt ex his Clementis Alexandrini verbis (*Clemens Alexandr.*, *admonit. ad. gent.*, *pag.* 23) : Τεκμηριοῖ Ὅμηρος μάλα ἀκριβῶς Ἀφροδίτην ἐπὶ τῷ τραύματι παρεισάγων ὀξὺ καὶ μέγα ἰάχουσαν· αὐτὸν τε τὸν πολεμικώτατον Ἄρη ὑπὸ τοῦ Διομήδους κατὰ τοῦ κενεῶνος οὐτασμένον διηγούμενος. Πολέμων δὲ καὶ τὸν Ἀθηνᾶν ὑπὸ Ὀρνύτου τρωθῆναι λέγει, ναὶ μὴν καὶ τὴν Ἀϊδωνέα ὑπὸ Ἡρακλέους τοξευθῆναι Ὅμηρος λέγει, καὶ τὸν Ἥλειον Αὐγεαν Πανύασσις ἱστορεῖ. ἤδη δὲ καὶ τὴν Ἥραν τὴν ζυγίαν ἱστορεῖ ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ Ἡρακλέους ὁ αὐτὸς οὗτος Πανύασσις ἐν Πύλῳ ἠμαθόεντι. Σωσίβιος δὲ καὶ τὸν Ἡρακλέα πρὸς τῶν Ἱπποκοωντιδῶν κατὰ τῆς χειρὸς οὐτασθῆναι λέγει. *Homerus manifeste*

satis indicat Venerem propter vulnus acuta et magna voce clamantem. narratque bellicosissimum Martem fuisse a Diomede in ventre sauciatum. Polemo autem dicit etiam Minervam fuisse vulneratam ab Ornyto. Quin etiam Plutonem fuisse vulneratum ab Hercule refert Homerus, sicut de Eleo Augea refert Panyassis; qui Junonem quoque conjugalem fuisse vulneratam ab eodem Hercule in Pylo arenoso refert. Sozibius autem dicit etiam Herculem fuisse in manu sauciatum ab Hippocoontidis. Vides sane quomodo Arnobius Clementis Alexandrini fontibus, ut Ciceronis, de Epicuro et Democrito loquentis, verbis utamur, hortulos suos irrigaverit (*Cicer., lib.* I *de Natur. deor., pag.* 212, *lin.* 44). Manifestum tibi quoque esse debet ab utroque hac argumentatione hisque exemplis evidentissime confici illos nec deos esse, nec immortales, quorum vulnera nec sine sanguine, et quod eo pejus est, sanie et corruptione vix unquam esse poterant, nec sine medicamentis sanari. Nos autem de horumce deorum vulneribus alibi disseruimus, de Martis, scilicet et Veneris plagis in superiori dissertatione: de Minerva vero et Hercule sauciatis in primo Apparatus nostri tomo (*Dissert. super., cap.* 15, *art.* 3, *tom.* I *Apparat., pag.* 762 *et* 816). Citata autem Homeri de Junone et Plutone carmina in quinta illius Iliade invenies (*Homer., Iliad.* V, *vers.* 357).

Ex eodem Clemente Alexandrino ea adhuc excerpta sunt quæ Arnobius de Vulcano claudo et Æsculapio fulminis ictu percusso retulit. De utroque autem alibi actum a nobis fuit (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 143; *tom.* I *Apparat., pag.* 754, *et dissert. in Minuc., cap.* 15, *art.* 2 *et* 3).

ARTICULUS II.

Quomodo idem probetur exemplis Jovis, qui nescius humanas carnes comedit, atque ex illius morte, et sepultura, fratrum Castoris et Pollucis, Saturni, ac Tyrii Herculis sepulcris, atque Thebano Hercule igne consumpto.

Corporeis vulneribus pejor proculdubio censenda est mentis imbecillitas, et ignorantia. Atqui in Jove tanta rerum ignoratio tantaque ad eum circumveniendum fuit facilitas; ut, quemadmodum observat Arnobius, « invitatus ad jus mensæ, pro suillis visceribus prolem nescius Lycaonyam pransitaverit (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 143). » Sed hæc ille more suo ex Clemente Alexandrino accepta, brevius retulit. In hujus, enimvero ad gentes Admonitione isthæc litteris consignata legimus (*Clemens Alexandr., Admonit. ad gent., p.* 23): Μετέλαβε δὲ καὶ τραπέζης ἀνθρωπίνης παρὰ τοῖς Αἰθίοψιν. ἀπανθρώπου δὲ καὶ ἀθέσμου, αὐτὸς ὁ Ζεύς. παρὰ Λυκάονι τῷ Ἀρκάδι ἑστιώμενος, ἀνθρωπείων γοῦν ἐνεφορεῖτο σαρκῶν, οὐχ ἑκών· ἠγνοεῖ γὰρ ὁ θεός. ὡς ἄρα Λυκάων ὁ Ἀρκάς. ὁ ἑστιάτωρ αὐτοῦ, τὸν παῖδα κατασφάξας τὸν αὐτοῦ, Νύκτιμος ὄνομα αὐτοῦ, παραθείη ὄψον τῷ Διί. *Fuit autem humanæ quoque mensæ particeps apud Æthiopes, tum inhumanæ et nefariæ, cum convivio a Lycaone Arcade exciperetur ipse Jupiter; humanis quippe carnibus satur invitus. Nesciebat enim deus, quod Lycaon Arcas, qui convivio excipiebat eum,*

A *interfectum suum filium epulandum ei apponeret, cui Nyctimo nomen.* Videsis Ovidium, Hyginum, et Apollodorum de hoc et aliis exemplis hactenus recensitis (*Ovid., lib.* I *Metamor., fab.* 7, *pag.* 12 *et seqq.*).

Quid tandem aliud supererat ad probandam mortalem Jovis aliorumque falsorum deorum naturam, nisi cuilibet patefacere obitam ab eis humano more mortem, ac eorum deinde sepulturam, unde nullus ad vitam revocatus est? Atqui, « Apud insulam Cretam, » inquit Arnobius, « sepulturæ esse mandatum Jovem nobis editum traditur (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 144). » A quo autem id traditum sit, disces ex Clemente Alexandrino, cujus vestigia ille rursus prosequitur. Nam hæc ipsa sunt græca ejusdem Clementis verba (*Clemens Alexandr., Admonit. ad gent.,*
B *pag.* 242): Ζήτει σου τὸν Δία, μὴ τὸν οὐρανὸν, ἀλλὰ τὴν γῆν πολυπραγμόνει· ὁ Κρὴς σοι διηγήσεται, παρ' ᾧ καὶ τέθαπται, Καλλίμαχος ἐν ὕμνοις·

. . . . Καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο.

Quæ Latinus interpres sic reddidit: « Quære tuum Jovem, ne scruteris cœlum, sed terram. Narrabit tibi Cretensis apud quem est sepultus, Callimachus in hymnis:

« Cretenses namque sepulcrum
Construxere tuum. »

Sed a nobis jam observatum est quam merito jure Arnobius noster, ac qua aliorum testium auctoritate
C illud ethnicis exprobraverit (*Dissert. in Minuc., cap.* 14, *art.* 3).

Fecit adhuc ille verborum ejusdem Clementis de aliis diis compendium, ubi vel memoria lapsus, aut textus ejus depravatus videtur. Hæc enim ille scribit (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 144). « In spartanis et lacedæmoniis finibus, » supple numquid, « nos diximus conditos, in cunis coalitos fratres, » Castorem scilicet ac Pollucem? « Noster ille est auctor, qui Patrocles Thurius scriptorum in titulis indicatur, qui tumulos memorat, reliquiasque Saturnias tellure in Sicula contineri? Charoneus (*ms. cod. reg.* Hieronymus) Plutarchus nostrarum esse partium comprobatur, qui in Ætæis verticibus Herculem post morborum comitialium ruinas dissolutum
D in cinerem prodidit? » Clemens vero Alexandrinus (*Clemens Alexandr., Admonit. ad gent., pag.* 18): Φιλόχορος δὲ.... Κρόνον ἐπικεῖσθαι ἐν Σικελίᾳ, καὶ ἐνθαῦτα αὐτὸν τετάφθαι. Πατροκλῆς τε ὁ Θούριος. καὶ Σοφοκλῆς ὁ νεώτερος ἐν τρισὶ τραγῳδίαις ἱστόρειτον τοῖν Διοσκούροιν (*ms. reg.* ἱστόρειτον τὼ Διοσκούρω περὶ)· Ἀνθρώπω τινὲ τούτω τὼ Διοσκούρω γενέσθην, εἴ τῳ ἱκανὸς πιστώσασθαι Ὅμηρος τὸ λελεγμένον:

. . . . Τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν φυσίζοος αἶα,
Ἐν Λακεδαίμονι αὖθι, φίλῃ ἐνὶ πατρίδι γαίῃ.
(*Hom.* Iliad. III, v. 243.)

Philochorus autem dicit..... Saturnum situm esse in Sicilia, et eum illic fuisse sepultum. Patrocles Thurius, et junior Sophocles scribunt de Castore et Polluce [eos

homines fuisse morti fatisque obnoxios. Quod si cui A *possit fidem facere Homerus audiatur quod scriptum est :*

Hos autem jam tenebat arma tellus
In Lacedæmone illic dilecta in patria terra.

Tum deinde narrat quem Hieronymus philosophus et Dicæarchus dixerint fuisse corporis orisque Herculis habitum, ac continenter adjicit (*Clem.*, *ibid.*) : Οὗτος οὖν ὁ Ἡρακλῆς, δύο πρὸς τοῖς πεντήκοντα ἔτη βεβιωκὼς κατέστρεψε τὸν βίον, διὰ τῆς ἐν Οἴτῃ πυρᾶς κεκηδευμένος. *Hic ergo Hercules cum duos et quinquaginta annos vixisset, e vita excessit per eam, quæ fuit in Oeta pyram justis illi factis exequiis.* Sed testes suos ibi citando discrepare ab Arnobio nostro non parum videtur. Saturnum enim in Sicilia sepulturæ mandatum fuisse probat Patroclis Thurii, Clemens vero Philochori testimonio. Arnobius præterea nullius, Clemens autem trium Patroclis Thurii, junioris Sophoclis, et Homeri auctoritate ostendit Castorem ac Pollucem obnoxios morti fuisse homines, et Lacedæmone sepultos. Denique Clemens formam habitumque Herculis, atque uti videtur, mortis genus, quemadmodum Hieronymus philosophus, et Dicæarchus retulere, Arnobius vero, sicut *Chæroneus*, sive uti in codice regio scriptum diximus, *Hieronymus Plutarchus.*

Verum non tanta inter duos nostros scriptores est dissensio, si Arnobius nullum sepulturæ Castoris et Pollucis testem, plures vero Clemens atque in primis Homerum citaverit. Sed mirum fortasse alicui videbitur cur nullam mentionem fecerit hujus græ- C corum poetarum principis, qui non solum a Clemente, sed etiam a Cicerone laudatur his totidemque verbis : « Quos, » Castorem et Pollucem, « Homerus, qui recens ab illorum ætate fuit, sepultus esse dicit Lacedæmone (*Cic.*, *lib.* III *de Natur. deor.*, *pag.* 241, *lin.* 50). » Sæpius enim Arnobius horum scriptorum vestigia premit.

Verum in hoc magis a Clemente dissentit, quod Saturni sepulturam Patroclis, Clemens Philochori testimonio confirmat. Diversos enimvero vades si dare noluerunt, vide, quæso, utrum Arnobius memoria lapsus sit, aut error in librarii oscitantiam vel inscientiam rejici debeat. At certe hæc oscitantia magis patet in descriptis nominibus *Chæroneus* vel *Hieronymus Plutharcus.* Si enim Arnobius ibi, quem- D admodum alibi Clementem sequitur, scribendum erat Hieronymus *philosophus*, qui Herculem in monte Oeta se vivum combussisse prodidit.

Cæterum de hujus et alterius Herculis morte auctor noster primo suo in libro dixerat : « Thebanus aut Tyrius Hercules, hic in finibus sepultus Hispaniæ, flammis alter concrematus Oeteis » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 20). Prior autem ille Hercules fuit, de quo Pausanias hæc litteris consignavit (*Pausan.*, *lib.* V, *pag.* 175) : *Et Thasi quidem audivi Tyrium esse Herculem, quem Thasii ab initio essent venerati : sed enim cum se illi Græcis adjunxissent, cœptos ab iis Amphitryonis etiam filio honores haberi.* Ἤκουσα δὲ ἐν Θάσῳ τὸν αὐτὸν σφᾶς Ἡρακλέα, ὃν καὶ Τύριοι, σέβεσθαι ὕστερον δὲ ἤδη τελοῦντας ἐς Ἕλληνας, νομίσαι καὶ Ἡρακλεῖ τοῦ Ἀμφιτρύωνος νέμειν τιμάς. Narrant autem dum Tyriorum secundæ prosperæque res essent, coloniam cui Herculem Tyrium præfecerant, missam ab illis fuisse in Hispaniam, ubi tandem ipse Hercules mortuus sepultusque fuit. Scribit vero Mela in Gaditana insula : « Templum Ægyptii Herculis, conditoribus, religione, vetustate, opibus illustre, Tyrii condidere. Cur sanctum sit, ossa ejus ibi sita, efficiunt (*Mela*, *lib.* III, *cap.* 6). » Sed ibi Mela ab Arriano ; et aliis idcirco castigatur, quod Herculem Ægyptium et Tyrium, quos Cicero aliique distinguunt, præpostere confuderit (*Arrian.*, *lib.* II *de Exped. Alex.*, *pag.* 125). De Tyrio autem, qui in Hispania colebatur, præ- B ter jam laudatos Pausaniam et Arrianum, poteris Q. Curtium ac Vossium consulere (*Arrian.*, *loc. cit.* ; *Q. Curt.*, *lib.* VII ; *Voss.*, *lib.* I *de Orig. et Prog. idol.*, *cap.* 34, *pag.* 131 *et seqq.*).

Thebanus porro Hercules, etsi Jovis et Alcumenæ, ut a nobis antea observatum est (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 15, *art.* 3), adulterio natus, Amphitryonis tamen, Thebani, et ejusdem Alcumenæ mariti, filius habebatur ; atque idcirco appellatur Thebanus. Cur vero ac quomodo in Oeteo monte vivus combustus fuerit, alibi etiam explicavimus. At inde explanatum adhuc habebis, quod rursus auctor noster paulo post dixit : « Proles Jovis, Sophoclis in Trachiniis, Hercules pestiferi tegminis circumretitus indagine, miserabiles edere inducitur ejulatus, violentia doloris frangi, atque in ultimam tabem diffluentium viscerum maceratione consumi » (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 151 *et seqq.*). Prius vero Cicero, et clarius : « Videamus, » inquit, « Herculem ipsum, qui tum dolore frangebatur, cum immortalitatem ipsa morte quærebat. Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit ? Cui cum Dejanira sanguine Centauri tinctam tunicam induisset, inhæsissetque ea visceribus, ait ille : O multa, etc. » (*Cicer.*, *lib.* II *Tuscul.*, *pag.* 138, *lin.* 42). Transcripti vero Sophoclis versus in ea, quam ille, citat tragœdia re ipsa inveniuntur (*Sophocl.*, *in Trachin.*, *vers.* 1057 *et seqq.*).

Quam validum porro sit istud Arnobii argumentum, vel ex ipso Cicerone colliges, qui cum dixisset ab Evehemero et mortes et sepulturas demonstrari deo- D rum, hinc concludit ab illo totam penitus tolli religionem, sed non aliam profecto, nisi ethnicorum (*Cicer.*, *in fin. lib.* I *de Natur. deor.*, *pag.* 212).

CAPUT XV.

Quomodo Arnobius probaverit omnia quæ de diis memorata sunt, male in poetas ab ethnicis rejici, ac deos ludis, in eorum honorem institutis, infamari, et attributa spoliari divinitate.

ARTICULUS PRIMUS.

Ostenditur ea omnia, quæ de diis dicta sunt, male refundi in poetas, atque ethnicos debuisse in illos, quemadmodum adversus regnum potentiam murmurantes, et calumniatores, sententiam ferre, ac cum eis proscribere histriones, mimos, ac pantomimos, ubi de quindecim viris Laureatis.

Tanti ponderis argumenta, a nobis exposita, ut

ethnici infirmare, aut certe eludere quoquo modo possent, respondebant ea omnia deorum turpissima facta, mortes et sepulturas figmenta esse *poetarum*, ab iis non sanæ mentis hominibus ad libidinem ac voluptatem composita, quibus imperitum vulgus deceperunt. Verum cui credibile fiet, ait Arnobius, poetas vetustatis remotissimæ eo impudentiæ devenisse, ut infames atque obscœnissimas de diis fabulas cæco furore disseminaverint, nullamque metuerint aut a diis ipsis, aut hominibus pœnam (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 148 *et seqq.*).

Deinde vero, esto, contra jus omne et fas, hæc commenti sint, cur ergo illi legum severitate debitas tanto sceleri pœnas non dederunt? Nonne gravissimum crimen est famam alicujus, multo magis Dei, lædere? Nonne majus est convicium, si aliquem falsi criminis arguas, quam si eum ei objectes? Quid vero, quod Ethnici qui a doctis tam turpia deorum facinora venditari impune patiebantur, non minoris, quam illi, rei fuerunt sceleris?

Quæ autem, et quanta deorum flagitia, sacrilegia, vincula, vulnera, et interitus cecinerint ex jam dictis, et deinceps dicendis facile intelligitur. At illud Arnobius in primis hoc in loco urget, quod Jovi adscriptum fuit: « Ipse ille Jupiter, cujus, » inquit, « vos nomen effari non sine metu decuit, et totius corporis concussione, amasio (amasius *ms. reg. cod.*) captus ab uxore, describitur confiteri culpas suas, et velut demens, ac nescius, quas amiculas conjugi, quas uxori anteposuerit pellices, obduratus inverecundia publicare » (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 150). At ibi ad hos haud dubie alludit Homeri versus, quibus Jupiter se Ixioniæ uxoris, sive Diæ, et Danaes, ac Phænicis filiæ, Semeles, Alcmenes, Cereris, et Latonæ amore se captum fuisse Junoni declarat, et confitetur (*Homer.*, *Iliad.*, XIV, *vers.* 314, et seqq.).

Tam effrenis ergo hujus aliorumque poetarum licentia, pergit Arnobius (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 150), legibus, ac plebiscitis non minori severitate coerceri ab Ethnicis debuit, quam eorum, qui de regibus murmuraverant, atque idcirco majestatis rei agebantur. Quibus sane verbis ille respicit ad legem Juliam majestatis, quam Theodosius Magnus postea mitigavit. Videsis in Justinianæo et Theodosiano codice leges de maledictis in principem, et quæ in eas Gothofredus animadvertit (*Cod. Just.*, *lib.* I, *tit.* 7 et 8; *ac tom.* III, *cod. Theodos.*, *pag.* 42, *et seqq.*). Iis autem illud confirmatur, quod subjungit Arnobius decretas in eum pœnas, qui in ordinem magistratuum senatorum redigit, aut illum convicio persequitur. Quanto ergo severius in divinæ majestatis reos sæviendum erat? Cur ergo poetis veniam dabant et impunitatem?

Sed pergamus si placet: « Carmen malum » addit auctor noster, « conscribere, quo fama alterius coinquinetur, et vita, decemviralibus scitis evadere noluistis impune: ac ne vestras aures convicio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis injuriis. » (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 151.) Si quis velit id sibi alicujus auctoritate probari, is audiat Ciceronem: « Duodecim tabulæ, » ait orator, « declarant condi jam tum solitum esse carmen: quod ne liceret fieri ad alterius injuriam, leges sanxerunt. » (*Cicer.*, *lib.* IV *Tuscul.*, *pag.* 163, lin. 23.) Augustinus vero testatur se ex nunc deperdito ejusdem Ciceronis quarto de Republica libro hæc de verbo ad verbum descripsisse. « Nostræ duodecim tabulæ cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt; si quis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri. Præclare. Judiciis enim magistratuum, disceptationibus legitimis propositam vitam, non poetarum ingeniis habere debemus, nec probrum audire; nisi ea lege ut respondere liceat, et judicio defendere » (*August.*, *lib.* II *de Civit.*, *cap.* 9, *pag.* 38). Quod quidem Augustinus Senecæ adhuc testimonio firmavit (*Idem*, *ibid.*, *cap.* 12, *pag.* 40). Denique cecinit Horatius:

Quin etiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Describi.

(*Horat. lib.* II, *epist.* 1, *vers.* 152 *et seqq.*)

Atque ille paulo ante tabularum, a duodecim viris sancitarum, mentionem fecerat. Hunc, si lubet, consule, et Gothofredi in titul. de famosis libellis annotationes (*Tom.* III *cod. Theod.*, *pag.* 237, *et seqq.*) Quanta igitur iniquitate et injustitia ethnici tam severis legibus hominum injurias atque calumnias vindicabant, et patienter tolerabant, immo vero summis laudibus extollebant, poetas, a quibus ipsimet dii innumeris conviciis et contumeliis vexabantur?

Neque tamen solis poetis, sed etiam pantomimis, mimis, histrionibus, comœdis, ac tragœdis eadem licentia data erat (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 151). Nam hi omnes in theatris eadem ipsa deorum Veneris, Cybeles, Herculis, et aliorum flagitia, turpiaque et crudelia facinora majore adhuc impudentia nec minore impunitate repræsentabant. Gentiles vero non molles tantum et effeminati, sed etiam, omnis populus, senatores, sacerdotum et magistratuum collegia, Pontifices maximi, Curiones, Diales, Flamines, Augures, et Quindecim viri laureati hos magno applausu magnaque voluptate audiebant. Quindecim autem illi viri Sibyllinorum librorum erant custodes, quos Servius, primum duos, deinde decem, postea quindecim fuisse observat. Plura de his si scire avenas, consule Ciceronem, Valerium Maximum, A. Gellium, Plinium, Suetonium, Tiraquellum, et Lactantium a nobis alibi citatum (*Serv.*, *in lib.* VI *Æneid.*, *vers.* 73; *Cicer.*, *lib.* I *de Natura deor.*, *pag.* 225; *Val. Max.*, *lib.* I, *cap.* 1; *A. Gell.*, *lib.* I *Noct. Attic.*, *cap.* 19, *pag.* 86; *Plin.*, *lib.* XXVIII *Hist. natur.*, *cap.* 2, *pag.* 557; *Tiraq. in Alex. ab Alex.*, *lib.* III *Gen. dier.*, *cap.* 16, *pag.* 269; *tom.* I *Apparat.*, *pag.* 254).

Tantum porro abest, ut ethnici mimos, histriones, aliosque ejusdem farinæ homines, tam infamia

deorum facta repræsentantes, pro merito castigaverint quin potius illis concesserint, ut recte ait auctor noster, « dona et munera, ab officiis otium publicis, immunitatem, vacationem cum coronis » (*Arn. lib.* IV, *p.* 52). Nam Theodoretus aperte dixit : Τραγῳδίας μὲν καὶ κωμῳδίας ὑποκριταὶ ἔχουσιν εἰς ὃ βλέποντες τὴν τέχνην μετίασι, καὶ τῇ τῶν στεφάνων ἐλπίδι τῶν πόνων ἀνέχονται. *Tragœdiarum et comœdiarum mimi habent id cujus respectu artem exercent, et coronarum spe laborem sustinent* (*Theodor.*, *orat* 9, *de Provid.*, *pag.* 429 *et* 434). Addit vero tragœdiarum mimis, quemadmodum exercituum ducibus, athletis, pugilibus, et aurigis statuas, eo quo vicerant, habitu decretas fuisse et collocatas.

Tantam igitur iniquitatem jure merito Arnobius condemnat. Cum Tertulliano siquidem et Augustino evidentissime ostendit numquam atrocius, quam hisce comœdiis et tragœdiis posse divinam majestatem offendi, lædi et violari (*Tertullian.*, *Apolog.*, *cap.* 35; *August.*, *lib.* II *de Civit.*, *cap.* 8, *et seqq.*). Quamobrem recte omnino et eam in rem apposite scripsit Lactantius : « Num pejus, quam iidem ipsi, qui, cum deos colere se dicant, tamen eos publice turpiterque derident, de quibus etiam mimos cum risu et voluptate patiuntur? Qualis hæc religio, aut quanta majestas putanda est, quæ adoratur in templis, illuditur in theatris? Et qui hæc fecerint non pœnas violati numinis pendunt, sed honorati etiam, laudatique discedunt » (*Lactant.*, *lib.* III *Institut.*, *cap.* 20, *pag.* 526). Nec minus acriter jam laudatus Augustinus ethnicorum, qui turpia deorum facta a poetis ficta esse garriebant, insulsitatem castigat et insectatur : « Quid sunt, » inquit, « ad hoc malum Mercurii furta, Veneris lascivia, stupra ac turpitudines cæterorum, quæ proferremus de libris, nisi quotidie cantarentur et saltarentur in theatris? Sed hæc quid sunt ad tantum malum, cujus magnitudo magnæ Matri tantummodo competebat; præsertim quod illa dicuntur a poetis esse conficta, quod sint diis grata et accepta? Ut ergo canerentur, et scriberentur, audacia sit, vel petulantia poetarum : ut vero divinis rebus et honoribus, eisdem imperantibus, et extorquentibus numinibus adderentur, quid est nisi crimen deorum, immo vero confessio dæmoniorum, et deceptio miserorum? » (*August.*, *de Civit. lib.* VII, *cap.* 26, *pag.* 182; *et lib.* IV, *cap.* 10, *pag.* 96.) Quin etiam hæc deorum et crimina essent incredibilia, nisi in theatris, in eorum honorem institutis, libentissime spectarentur.

ARTICULUS II.

Quo pacto Arnobius falsos esse gentilium deos demonstret, ex ludis solemnibus in eorum honorem exhibitis, ac præsertim Floralibus, ac Megalensibus, et de quorumdam instauratione; de comœdiis, tragœdiis, et Atellanis fabulis, quæ in iisdem ludis agebantur; de stupidorum capitibus rasis, atque salepitarum sonitu, et fascinorum rubore.

Ficta ab ethnicis deorum suorum natura, majestas mentita, et superstitiosus illorum cultus evidentissime adhuc demonstrabantur publicis iis ludis, quos iidem ethnici, inquit Arnobius (*Arnob.*, *lib.* VII,

A *pag.* 238), sacros esse, illisque tamquam solemnibus religionum officiis, honorari, placari, ac posita simultate, reconciliari opinabantur. Litteris autem Livius, ac deinde Valerius Maximus, et Augustinus mandarunt T. Sulpicio Petico, et C. Licinio Stolone Consulibus, cum pestis gravissima lectisternio sedata non fuisset, ad placandam deorum iram institutos fuisse ludos scenicos (*Liv.*, *lib.* VII, *init.*; *Val. Max.*, *lib.* II, *cap.* 4, § 4; *August.*, *lib.* I *de Civit.*, *cap.* 32, *pag.* 29). Tum dehinc iis insertas turpes fabulas, et impudicos histrionum actus. Audi, quæso, Augustini (*Lib.* II *de Civit.*, *cap.* 17, *pag.* 75; *lib.* IV, *cap.* 26, *pag.* 106, *et lib.* VIII, *cap.* 13, *pag.* 201), verba : « Ludi scenici, spectacula turpitudinum, et licentia vanitatum, non hominum vitiis, sed B deorum vestrorum jussis Romæ instituti sunt. Tolerabilius divinos honores deferretis illi Scipioni, quam deos ejusmodi coleretis. » Quamobrem postea ille haud dubitanter pronuntiat his ludis majorem invectum fuisse morum, quam corporum pestem; tametsi hujus sanandæ causa constituti dicerentur.

Prius autem Lactantius : « Ludorum celebrationes, » inquit, « deorum festa sunt; siquidem ob natales eorum, vel templorum novorum ædificationes sunt constituti. Et primitus quidem venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributæ sunt : ludi autem scenici Libero, circenses Neptuno. Paulatim vero et cæteris diis idem honos tribui cœpit, singulique ludi numinibus eorum consecrati sunt, sicut Sisinnius Capito in libris Spectaculorum docet. Si quis igitur C spectaculis interest, ad quæ religionis gratia convenitur, discessit a Dei cultu, et ad deos se contulit, quorum natales et festa celebravit » (*Lactan.*, *lib.* VI *de vero Cultu*, *cap.* 20, *pag.* 621).

Tertullianus vero hæc longe fusius integro de Spectaculis libro prosequitur (*Tertull.*, *lib. de Spect.*, *pag.* 89, *et seqq.*). In eo enim planissime demonstrat illos omnes solemnes gentilium ludos origine sua, titulis, et apparatu ita ad idololatriam pertinere, ut nulli christiano iis adesse, illosque spectare umquam licuerit. Quamobrem Arnobius dixit eos ab ethnicis, *religionum inter officia deputari*, quibus deos suos honorari arbitrabantur (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 238). Sed quomodo, oro te, dii ludis honorari poterant, qui turpissima agebantur obscœnitate?

D Duos autem tantum auctor noster nominatim appellat, Florales et Megalenses, quia singulos recensere longius fuisset, atque horum exemplo quid de aliis judicandum, omnes facile intelligebant.

Florales vero, sive Floralia, quemadmodum observavit Macrobius, ludi et festa erant, quæ nomen et originem duxerunt a famosa meretrice, quæ prius, sicut alibi annotavimus, Chloris nuncupata, hos ludos ex pecunia, turpi corporis quæstu coacta, institui voluit (*Macrob.*, *lib.* I *Saturnal.*, *cap.* 4; *Dissert. in Minuc.*, *cap.* 18, *art.* 3). Sed ut infamis adeo originis memoria obliterari facilius posset, eam, mutato nomine, Floram, appellaverunt, finxeruntque eam præsidere floribus. Verumtamen missam penitus nolue-

runt tam gratam sibi flagitiosæ auctoris lasciviam. Nobis si fidem habendam dubites, illam Ovidio haud dubie non denegabis, cujus hæc sunt de horum Floralium institutione carmina :

Convenere Patres, et si bene floreat annus,
Numinibus nostris annua festa vovent.
Annuimus votis, consul cum consule ludos
Posthumio Lænas persolvere mihi.
Quærere conabar quare lascivia major
His foret in ludis, liberiorque jocus.
Sed mihi succurrit, nomen non esse severum,
Aptaque deliciis munera ferre deam.
(*Ovid.*, *lib.* v *Fastor.*, § 3.)

Ibi vero ille varia in hisce ludis admissa lasciviæ genera describit, quæ si vacat, legere poteris. Consules porro ab eo notantur Posthumius Albinus, et M. Popilius Læna, a quibus hi ludi primum editi sunt. Si præterea quæras cur, cujus jussu, quo Urbis conditæ anno instituti, ac quo anni die agerentur, his disces Plinii verbis : « Floralia quarto kalendas ejusdem, » maii, « instituerunt, Urbis anno DXIV, ex oraculis Sibyllæ, ut omnia bene deflorescerent. Hunc Varro determinat; sole Tauri partem quartam decimam obtinente. Ergo si in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges, et omnia, quæ florebunt, lædi necesse erit » (*Plin.*, *lib.* XVIII *Hist. natur.*, *cap.* 19, *pag.* 527). In fastis autem kalendariis notantur VI, kal. junii, et in kalendario Rustico sub maii mensis finem. Plura de ludis illis maxima obscœnitate et lascivia celebratis si desideres, adire poteris Varronem, Ciceronem, Suetonium, Martialem, Valerium Maximum, atque in primis Lactantium, qui erroris tamen cujusdam a Vossio arguitur, sed utrum jure, vel injuria suo loco expendemus (*Varro.*, *lib.* IV *de Ling. latin.*, *pag.* 18, *lib. Rer. rust. cap.* 1; *Cic.*, *orat.* 4 *in Verr.*, *pag.* 194; *Suet. in Vit. Galb.*, 6, § 6; *Val. Max.*, *lib.* II, *cap.* 10, § 8; *Martial.*, *lib.* I, *epigr.* 3 *et* 36; *August.*, *lib.* II *de Civit. cap.* 27, *pag.* 57).

Megalenses vero ludi in Matris deum honorem, inspectis libris sibyllinis, decreti fuerant. Eo autem nomine appellatos perhibent, quia Pessinunte, unde dea illa, sive ejus effigies Romam asportata est, exstructum fuit celeberrimum illius templum, quod, Varrone attestante, Megalesion nuncupabatur. « Megalesia, » inquit ille, « dicta a Græcis, quod ex libris sibyllinis accersita ab Attalo, rege Pergami, prope murum Megalesion, ubi templum ejus deæ, unde advecta Romam » (*Varr.*, *lib.* v *de Ling. latin.*, *pag.* 49). At persuasum Scaliger habet corrupta esse ea verba Varronis, *prope murum*, et legendum *Pessinunte*, vel ἀπὸ μητρὸς μεγάλης, quamquam in priorem lectionem magis inclinet.

De his porro ludis, quorum Livius, aliique sæpius meminere, sic oravit Cicero : « Quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum, in ipso Matris magnæ conspectu, Magalensibus fieri, celebrarique voluerunt? Qui sunt more institutisque maxime casti, solemnes, religiosi : quibus ludis primum ante populi consessum, senatui locum P. Africanus iterum consul ille major dedit....... Ita ludos eos quorum religio tanta est, ut ex ultimis terris accersita, in hac urbe consederit; qui uni ludi, ne verbo quidem appellantur latino, ut vocabulo ipso et appetita religio externa, et Matris magnæ nomine suscepta declaretur : hos ludos servi fecerunt, servi spectaverunt; tota denique, hoc ædile, servorum Megalesia fuerunt » (*Liv.*, *lib.* XXIX, *cap.* 7; *Cic. orat.* 30, *de harusp. Resp.*, *pag.* 432, *lin.* 36 *et seqq.*).

Quanta autem religione, vel potius superstitione, hi aliique solemnes ludi ab ethnicis fierent, non solum ex his liquet Ciceronis verbis, sed eo potissimum, quod si quo vel minimo delicto polluti crederentur, postea majori cura et sollicitudine instaurari debebant. Quapropter Arnobius hæc ad ipsosmet ethnicos verba fecit : « In cerimoniis vestris, rebusque divinis, postulionibus vestris locus est, et piaculis dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiæ lapsum, aut in verbo quispiam, aut sympuvio deerrarit, si cursu in solemnibus ludis, curriculisque divinis commissum, omnes statim in religiones clamatis sacras, si Ludius (*ms.* Lydius) constitit, aut tibicem repente conticuit; aut si patrimus ille, qui vocitatur puer, omisit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit » (*Arnob.*, *lib* IV, *pag.* 149). Unde vero hæc ille acceperit, si quis ex nobis sciscitetur, in promptu responsio est, illud delibatum ex jam citata Ciceronis oratione. Ibi etenim : « Si Ludius, » inquit, « constitit, aut tibicem repente conticuit, aut puer ille patrimus et matrimus, si terram non tenuit, aut tensam, aut lorum amisit, aut si ædilis verbo, aut si nutu aberravit, ludi sunt non rite facti, eaque errata expiantur, et mentes deorum immortalium, ludorum instauratione placantur » (*Cicer.*, *orat.* 30, *de Arusp. Resp.*, *pag.* 432, *lin.* 26). Nos autem quidam monuerunt in hoc Ciceronis textu pro his verbis, *aut si nutu aberravit*, in quibusdam codicibus scriptum, *aut sympulo aberravit*. Arnobius tamen legisse videtur, *aut sympuvio deerravit* : sed eodem significatu. Sympulum siquidem et sympuvium significant fictilem calicem, quo vinum in sacrificiis libari solebat. Quibusdam vero dubium forsitan videtur utrum in ipso Arnobii textu nomen *postulionibus* adulteratum non sit, ac legi debeat *postulationibus*. Nam Cicero paulo ante citata a nobis ejus verba dixerat : « Postulationes decretas esse Jovi, Saturno, Neptuno, Telluri, diis cœlestibus, » atque etiam postea : « Telluri postulatio debetur. » (*Idem*, *ibid.*, *lin.* 8; *et pag.* 434, *lin.* 10; *Guther.*, *lib.* IV *de Jure pontif.*, *cap.* 15.) Gutherio tamen probatur illa Arnobii lectio *postulionibus*, atque ut omnem tollere scrupulum queat, contendit *postulationes*, diis superis factas, et inferis *postuliones*, quibus petebant hominem his devoveri. Verum etsi res ita esset, quo argumento conficietur Arnobium, ibi de diis inferis potius, quam superis fecisse sermonem. Si quid enimvero ex Cicerone, sicuti diximus, delibavit, de iisdem proculdubio, atque ille, diis superis loquitur. Addamus, si velis, nihil imperito, aut festinanti librario facilius, quam scribendo nomen *postulionibus*, has duas litteras, *at*, omittere. Nobis quidem non latet

Varronem nomine *postulionis*, sic alicubi usum esse, A ubi scripsit: « Deum Manium postulionem postulare, id est, civem fortissimum eodem mitti » (*Varr.*, *lib.* IV *de Ling. latin.*, *pag.* 35). Sed Scaliger ibi delenda censet hæc verba, *id est*, et *postulionis* nomine idem ac *postulationis* significari.

Quidquid porro pronuntiaveris, Arnobius ex ejusdem Ciceronis verbis ea adhuc sumpsisse videtur, quæ de aliorum ludorum, propter servum, virgis in circo cæsum et necatum, instauratione postea retulit (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 244). Sed hæc infra a nobis aptiori loco enucleanda sunt.

Cæterum quo majori cultu et religione hi, aliique præfati solemnes ludi, ab ethnicis celebrabantur, eo evidentius inde ostenditur deos, qui in illis colebantur, falsos esse et commentitios, ac depravatam prorsus B et corruptam fuisse eorumdem gentilium religionem. Nam in hisce ludis præter alia plurima, diis plane indigna, agebantur tragœdiæ crudeles, et turpes comœdiæ, de quibus paulo ante disseruimus. Ab Arnobio autem nostro nominatim indicantur Sophoclis Trachiniæ, Hercules Euripidis, et Plauti Amphitryo (*Ibid.*, *pag.* 238 *et seqq.*); quæ quidem comœdiæ, haud semel typis editæ, in omnium manibus versantur. Huc accedit, quod quatuor comœdiæ Terentii notentur actæ his ipsis, quos explicuimus, Megalensibus ludis. Quis autem nescit quantum in eis læsa irrisaque fuerit, si qui esse potuissent, deorum majestas?

Addit præterea auctor noster actas adhuc fuisse publicis in ludis Atellanas, comœdias seu fabulas C (*Ibid.*, *pag.* 239). Scire autem si velis, quæ, et cur sic cognominatæ sint, facile intelliges ex hisce Livii verbis: « Quod genus ludorum ab Oscis acceptum, tenuit juventus, nec ab histrionibus pollui passa est. Eo institutum manet, ut actores Atellanarum, nec tribu moveantur, et stipendia tamquam expertes ludicræ artis faciant » (*Liv.*, *lib.* VII, *cap.* 2). Atella vero Campaniæ oppidum nunc Aversa; Osci vero erant Campaniæ populi, qui turpibus, quandoquidem verbis sæpe sæpius abutebantur, inde, nomen *obscœnum*, ad rem aliquam turpem significandam, derivatum est. Eorum itaque comœdiæ Romam adductæ, quoniam turpiores erant, Romana, vel, ut ait Valerius Maximus, *italica* severitate temperatæ sunt (*Val. Max.*, *lib.* II, *cap.* 4, § 4). Donatus vero illa- D rum obscœnitates, his verbis excusare frustra nititur: « Atellanæ salibus et jocis compositæ, quæ in se non habent, nisi venustam elegantiam. » Nam Arnobius merito contendit has fabulas et comœdias aliis nec castiores esse, nec honestiores, neque deos minus indigne in illis, quam aliis tractari.

Quapropter ethnicos acriter corripit, qui perperam existimabant his solemnibus ludis, ac comœdiis deos lætari, honorari, placari, iram et simultatem deponere, et hominibus, a quibus offensi erant, reconciliari. Qua enim dii lætitia perfundi, aliisque jucundis motibus affici possunt, visis tot tantisque comœdiarum, uti jam dictum, et adhuc infra dicetur, obscœnitatibus, ludicra et infami personarum suarum repræsentatione, atque insuper, quemadmodum loquitur Arnobius, « stupidorum capitibus rasis, salapitarum sonitu, et fascinorum ingentium ruboro » (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 239)? In hisce scilicet scenicis ludis quidam mimi et histriones, ridiculas stupidorum hominum, rasis capitibus, personas agebant, ac salapitarum sonitu, id est, alaparum ictibus, sonum edentibus, officii sui admonebantur. Quamobrem Tertullianus hanc insanam impudentissimorum hominum temeritatem sic irridet, et exagitat: « Placebit qui vultus suos novacula mutat? Infidelis erga faciem suam, quam non contentus Saturno, et Isidi, et Libero proximam facere, insuper contumeliis alaparum sic objicit, quasi de præcepto Domini ludat. Docet scilicet et diabolus verberandam maxillam patienter offerre? » (*Tertull.*, *lib. de Spectac.*, *cap.* 23.) Julius vero Capitolinus narrat quomodo stupidus quidam in scena adulterum uxoris Antonini Philosophi, eo præsente, nomine suo appellaverit (*Capitolin.*, *sub fin. Vit. Anton. philosoph.*). At nihil impudentius fascino, cujus nulla umquam, nisi ab aliquibus, quemadmodum Augustino, et auctore nostro, christianorum causam contra ethnicos, de infami deorum suorum impudicitia gloriantes, agentibus mentio fieri debuit (*August.*, *lib.* VI *de Civit.*, *cap.* 9, *pag.* 157).

Quis autem non fateatur hinc ab Arnobio recte concludi stupenda prorsus cæcitate captos fuisse gentiles (*Arnob.*, *lib.* V, *pag.* 176 *et* 184), qui credebant deos tam infamibus ludis et comœdiis gaudere, coli atque placari? Non aliunde demum ortas esse censet adeo absurdas illorum opiniones, quam quod plane nescierint quid sit Deus, aut quæ sint ejus natura, attributa et qualitates. De his porro ludis comœdiis et tragœdiis, de quibus jam disputavimus (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 13, *art.* 1), qui plura scire cupit, is legat Lilii Giraldi, Scaligeri, Camerarii, Casalis, Alberici gentilis, Fabricii, et aliorum de illis commentationes. Satis autem aperte ex his, quæ dicta sunt, ab omnibus intelligitur vel illis solis gentilium deos, totamque eorum religionem funditus everti.

CAPUT XVI.

Quam variæ fuerint ethnicorum de singulis diis suis opiniones, et quam recte Arnobius inde demonstret falsam esse unicujusque divinitatem.

ARTICULUS PRIMUS.

Examinatur Arnobii contra ethnicorum deos argumentum, inde ductum, quod quem deum nonnulli ex parentibus procreatum dicebant, alii rem aliquam naturalem esse affirmaverint, atque in primis Janum, Saturnum, Jovem, Junonem, Fluvionam, Pomonam, Ossipaginam, Februtim, Populoniam, Cinxiam, Caprotinam.

Aliud Arnobius, nec cæteris minus efficax ac validum, adversus absurdos gentilium de diis suis errores argumentum duxit ex variis et inter se pugnantibus illorum de uno eodemque deo sententiis. Quo enim, inquit, modo fieri potest ut ad deum aliquem cognoscendum ac colendum homines inducas, tu

qui qualis ille sit, quem colis, nec ipse scis, nec ab aliis scire umquam tibi datum est? Nonne de uno eodemque gentilium deo tot fere erant opiniones, quot capita?

At certe id auctor noster more adhuc suo hac inductione evidentissime demonstrat : « Incipiamus, inquit, solemniter ab Jano, et nos patre, quem quidam ex vobis mundum, annum alii, solem esse prodidere nonnulli » (*Arnob., lib.* III, *pag.* 114). Neque hoc temere ab illo dictum putes. A Servio quippe hæc scriptis prodita legimus : « Alii Janum diei dominum volunt, in quo ortus est et occasus....... Alii anni totius, quem in quatuor tempora constat esse divisum. Anni autem esse deum illa res probat, quod ab eo prima pars anni nominatur. Nam a Jano Januarius dicitur...... Alii Janum mundum accipiunt, cujus caulæ ideo in pace clausæ sunt, quod mundus undique clausus est; belli tempore aperiuntur ad auxilium petendum, ut pateant. » (*Serv., in lib.* VIII *Æneid., vers.* 605 *et seqq., pag.* 474). Addit illum ab aliis, quemadmodum a Cicerone (*Cicer., lib.* I *de Natur. deor., pag.* 224), Janum seu Eanum ab eundo vocitari, ipsumque esse Martem; ab aliis aerem credi, ab aliis vero Clusivium, aut Patuleum, aut Jazonium, atque etiam Quirinum appellari.

Macrobius vero ostendit hunc ipsum a quibusdam, uti ab Nigidio, eumdem dici atque solem, et Apollinem, a nonnullis vero mundum et cœlum, atque iisdem, quæ Servius recenset, nominibus, ab aliis vocatum, in primisque Janonium, « quasi, » inquit, « non solum mensis Januarii, sed mensium omnium ingressus tenentem. » (*Macrob., lib.* I *Saturnal., cap.* 9).

Atqui si res ita sit, arguit Arnobius (*Arnob., lib.* III, *pag.* 117), certe nullus erit Janus, quem ethnici venditabant Cœlo et Hecata procreatum, Juturnæ maritum, generum Vulturni, patrem Fonti, Janiculi conditorem, Italiæ regem, cunctisque precibus, ut ex Ovidio liquet, atque etiam, ut monet Cicero, sacrificiis semper præponendum (*Ovid., lib.* I *Fastor.*, § 5; *Cicer., lib.* II *de Natur. deor., pag.* 224). Nec absimili prorsus modo Augustinus : Si Janus, inquit, sit mundus, cur gentiles falso asserebant ad eum rerum initia, fines, et terminum referri? Cur bifrontem illum, quasi duæ tantum sint mundi partes, aut quadrifrontem, quasi ipse et mundus geminus sit, fingebant? Cur venditabant penes eum esse prima, sive initia factorum, et summa penes Jovem, quasi omnium regem? Quid ergo factum est de hoc Jove hominum deorumque rege, si Janus mundus esse dicatur? (*August., lib.* VII *de Civit., cap.* 7 *et seqq., pag.* 168 *et seqq.; Dissert. in Minuc., cap.* 15, *art.* 1.)

Alia insuper ratione Arnobius ostendit nullam e[illegible] dem Jano, si annus sit, tribui posse divinit[illegible]. Quid enim est annus, nisi aliquod spatium temp[illegible] certo dierum mensiumque numero circumscri[illegible]. Quis vero illud, quod transit ac labitur, vim di[illegible] habere sibi persuadebit (*Arnob., lib.* [illegible]

Eodem plane rationis momento ille conficit nu[l]lum esse numen Saturni; quippe qui tempus latin[e] et græce χρόνος, sive, ut ait Augustinus, *tempori[s] longitudo*, fuisse perhibeatur. Non solum autem Macrobius, et Plutarchus, hæc expresse tradiderunt, sed Cicero etiam hisce totidemque verbis : « Saturnum autem eum esse voluerunt, qui cursum et conversionem spatiorum ac temporum contineret. Qui Deus græce idipsum nomen habet. Χρόνος enim dicitur, qui est idem χρόνος temporis spatium. » Rursus autem inde infert Arnobius tollendum de medio Saturnum, Cœlo editum patre (*August., lib.* IV *de Civit., cap.* 10, *pag.* 95; *Macrob., lib.* I *Saturn., cap.* 8; *Plutarch., lib. de Isid. et Osir., tom.* II, *p.* 363; *Cicer., lib.* II *de Nat. deor., p.* 223, *lin.* 28).

Quid præterea, quod nullus quoque umquam fuisse dicendus est ejusdem Saturni et Opis filius Jupiter, in finibus Cretensium sepultus? Nam hunc alii solem, alii ætherem esse contendebant. Macrobius enim variis veterum auctorum testimoniis probat eum revera esse solem (*Macrob., lib.* I *Saturnal., cap.* 23). Cicero autem aperte nobis declarat illum a Chrysippo æthera censeri, atque Ennium, qui a Varrone etiam eamdem ob causam citatur (*Cicer., lib.* I *de Natur. deor., pag.* 201, *lin.* 34, *et lib.* II, *pag.* 214, *lin.* 12; *Ibid., pag.* 223, *lin.* 37; *Varr., lib.* IV *de Ling. lat., pag.* 16), omnium assensu dixisse :

Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.

Alium adhuc testem profert Euripidem, qui, ut multa *præclare*, addit ille (*Cicer., loc. cit.*), sic hoc breviter :

Vides sublime fusum, immoderatum æthera,
Qui tenero terram circumvectu amplectitur
Hunc summum habeto divum, hunc perhibeto Jovem.

Nos vero Eusebius monitos esse voluit Jove[m] [illegible] pheo, si Porphyrio fides, et mundum univ[illegible] et animam ejus æthera (*Euseb.* [illegible] *Evang., cap.* 9, *pag.* 100, *et seqq.* [illegible]

Falsa ergo est etiam Junonis [illegible] arguit Arnobius (*Arnob., lib.* [illegible] plerique dicebant, ac potius [illegible] opinionem Cicero his ex[illegible] ut Stoici disputant, inter[illegible] Junonis nomine consecra[illegible] jux Jovis; quod [illegible] summa conjunctio[illegible] nique tribu[illegible] *lib.* II *de Na*[illegible]

Orat[illegible] [illegible]

ναμιν Ἥραν προσείποντες. ἔστι γὰρ καὶ ὁ αἰθὴρ, ἀὴρ ὁ λεπτομερέστατος. *Junonem autem Jovis uxorem esse finxerunt, quod ætheriam scilicet aeriamque vim Junonem appellarent. Æther enim subtilissimus ac tenuissimus aer est.* Addit ille eam ἀπὸ τοῦ ἀέρος Ἥρα, ab aere Junonem fuisse appellatam Macrobius tandem, quem paulo ante citavimus, alibi narrat Junonem esse infimum aerem, uti paulo post observabimus (*Macrob.*, *lib.* III *Saturnal.*, *cap.* 3).

At inde Arnobius sic argumentatur: « Si aer illa est quemadmodum vos ludere ac dictitare consuestis, græci nominis austeritate repetita, nulla soror et conjux omnipotentis reperietur Jovis, nulla Fluviona, nulla Pomona, nulla Ossipagina, nulla Februtis, Populonia, Cinxia, et Caprotina (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 118). » Ethnici siquidem tot aliasque plures Junones, ejusque nomina et numina finxerant. At de *Cinxia* jam a nobis paulo antea actum est. Quæ autem Fluviona sit, docet Festus: « Fluvionam Junonem, » inquit, « mulieres colebant, quod eam sanguinis fluorem in conceptu retinere putabant (*Festus*, *ad verb.* FLUVIONEM). » Quam quidem nomenclationem Augustinus Varronis auctoritate sic confirmat: « Dea Mena menstruis fluoribus præest, quamvis Jovis filia, tamen ignobilis. Et hanc provinciam fluorum menstruorum in libro selectorum deorum ipsi Junoni idem auctor, Varro, assignat, quæ in diis selectis etiam regina est, et hic tamquam Juno Lucina cum eadem Mena, privigna sua, eidem cruori præsidet (*August.*, *lib.* VII *de Civit.*, *cap.* 2, *pag.* 163). » Sed id ab illo paulo post, sed brevius repetitum, et a Vossio tractatum reperies (*Ibid.*, *cap.* 3; *Voss.*, *lib.* VI *de Orig. et prog. Idol.*, *cap.* 26, *pag.* 221).

Quamvis autem Varro nominis *Pomonæ* originem latere fateatur, eam tamen ille, et Ovidius, Servius, Augustinus, aliique plurimi pomorum et hortorum deam ab ethnicis prædicari testificantur (*Varr.*, *lib.* VI *de Ling. lat.*, *pag.* 80; *Ovid.*, *lib.* XIV *Metam.*, § 17; *Serv.*, *in lib.* VI *Æneid.*, *pag.* 457; *August.*, *lib.* IV *de Civit.*, *cap.* 34, *pag.* 114; *Fabric. in Descript. urb. Rom.*, *tom.* III *Antiquit. Rom.*, *pag.* 432). At quomodo ea Juno dici potuerit, haud facile perspicitur. Quapropter suspicantur nonnulli hoc nomen librarii incuria esse corruptum, et ei subrogandum *Sororiæ*; quandoquidem Juno ferebatur esse Jovis soror et conjux. In hujus autem opinionis confirmationem adjungi potest Romæ a Sororio Tigillo constructum Junoni templum, quod idcirco Junonis *Sororiæ* nuncupatum fuit. Sed huic conjecturæ nullius codicis testimonio firmatæ, si aliam adjicere liceat, dicemus et poma et fructus ad terram, sive tellurem quandoquidem pertinent, fieri potuisse ut Juno, quæ tellus esse, et terrestria regere credebatur, *Pomonæ*, quemadmodum et tot aliis nominibus appellata fuerit. Quod autem Juno terra censeretur, his Varro, cui Augustinus astipulatur, verbis nos admonuit: « Jovis Juno conjux, et is cœlum, hæc terra, quæ eadem tellus; et ea dicta quod una cum Jove juvat Juno; et regina, quod hæc omnia terrestria regit » (*Varr.*,

A *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 17; *August.*, *lib.* VII *de Civit.*, *c.* 16, *pag.* 174). Sed de hac conjectura nostra aliorum esto judicium.

Depravatum quoque nonnulli opinantur subsequens ejusdem Junonis nomen, quo ab Arnobio *Ossipagina* vocatur, emendandumque vellent *Opigena*, de qua hunc Festus loquitur in modum: « Opigenam Junonem matronæ colebant, quod ferre eam opem in partu laborantibus credebant » (*Festus, ad verbum* OPIGENA). Sed inde non satis dilucide conficitur utrum hæc eadem sit, atque *Ossipagina*, quæ, ut postea Arnobius scripsit, *solidatrix* ossium, atque infantium ossa *durare et solidare* putabatur (*Arnob.*, *lib.* IV, *p.* 131). Vossius vero lubenter assensus est Stewechio, qui *Ossipaga* vel *Ossipanga* restituendum autumabat B (*Voss.*, *in Etymolog.*, *ad verbum* OS.). Eam etenim sic nuncupatam censet, quod *pangat*, sive, ut antiqui loquebantur, *paget puerorum ossa.*

Februtis autem, sive *Febralis* Juno a Romanis, uti adhuc observat Festus, ab aliis *Februta*, vel *Februalis* cognominabatur (*Fest. ad verbum* FEBRUARIUS). Nomen porro illud sortita est a mense februario, quo sacra ejus fieri solebant, atque ut idem Festus ait: *Feriæ erant Lupercalia, quo die mulieres februabuntur*, id est, lustrabantur et purgabantur, *a Lupercis, amiculo Junonis, id est, pelle caprina.* Legesis Varronem, Augustinum, et Lilium Giraldum (*Varr.*, *lib.* V *de Ling. lat.*, § 3; *August.*, *l.* VII *de Civit.*, *c.* 7, *p.* 168; *Girald.*, *Syntagm.* 3, *p.* 119).

Populoniæ vero Junonis, et templi in illius honoC rem dicati, meminit apud Macrobium P. Tertius: « In Papyriano enim jure, » aiebat, « evidenter relatum est aræ vicem præstare posse mensam dicatam; ut in templo, inquit, Junonis Populoniæ mensa dicata est » (*Macrob.*, *l.* III *Saturnal.*, *c.* 11). At hoc nomen illi inditum perhibent, quia maris et feminæ conjunctioni, ex qua novi populi creantur, Junonem præfici existimabant. Seneca vero apud Augustinum mentionem cujusdam Populoniæ viduæ fecit, cui petitorem defuisse non miratur (*August.*, *l.* VI *de Civit.*, *c.* 10, *p.* 160). Sed hæc procul dubio Juno Populonia non erat. De hac autem, et *Februti*, itidem Junonia legendus Martianus Capella lib. II de Nupt. Philolog.

D *Caprotinæ*, vel, ut aliis placet, *Capratinæ* Junoni mulieres olim sacrificabant ob servatam puellarum et matronarum pudicitiam, ac Fidenates, qui eam eripere volebant, superatos. Varro autem de hoc sacrificio sic loquitur: « Nonæ Caprotinæ, quod eo die in Latio Junoni Caprotinæ mulieres sacrificant, et sub caprifico faciunt, et e caprifico adhibent virgam » (*Varr.*, *l.* V *de Ling. lat.*, *p.* 50). Hujus porro sacrificii, atque festi, quod Ancillarum vocabatur, causam et institutionem Macrobius retulit. Illius etiam meminit Plutarchus, et alii. Cæterum plura adhuc, ut Servius ait, erant Junonis numina, ut *Curis* et *Lucina*, quæ Arnobius, quandoquidem satis multa memoraverat, silentio præterire maluit (*Macrob.*, *l.* I *Saturnal.*, *c.* 11, *p.* 223; *Plutarch.*, *Pa-*

rallel., *tom.* II, *p.* 313; *Serv. in l.* I *Æneid.*, *vers* 12 *et* 13).

Cum tot ergo ethnici habuerint Junones, vel ut Servius ait, Junonum numina, inde pro ecto auctor noster conficit illas omnes, atque ipsam quoque, quæ Jovis soror et conjux ubique prædicabatur, deas dici non posse, si Juno juxta græci nominis etymologiam, et plurium opinionem, aer fuerit, nam aer non potest esse deus; ergo nulla Juno dea est.

ARTICULUS II.

Quomodo Arnobius ostendat deam revera non esse Minervam ex variis gentilium opinionibus de illa e Jovis cerebro orta, Mentis et Victoriæ filia, ubi de nominis Minervæ etymologia.

Venit Arnobius ad Minervam, ac Granii testimonio probat Aristotelem docuisse eam esse Lunam. Alii tamen ab hujus opinione recesserunt, palamque asseruerunt illam esse ætherium verticem, et *summitatis*, ut ait Arnobius, *illius summam*. Alii memoriam esse voluerunt: « Unde, » inquit, « nomen Minerva, quasi quædam Meminerva formatum est » (*Arnob.*, *l.* III, *p.* 118). Ad Aristotelis vero sententiam propius accessit Porphyrius, ut liquet ex verbis ejus ab Eusebio sic transcriptis (*Euseb.*, *l.* III *Præpar. evang.*, *c.* 11, *p.* 113): Ὅπερ δὲ Ἀπόλλων ἐν ἡλίῳ, τοῦτο Ἀθήνη ἐν σελήνῃ. ἔστι γὰρ τῆς φρονήσεως σύμβολον, Ἀθηνᾶ τις οὖσα. *Quod autem in sole Apollo, hoc ipsum Minerva in luna est, quod illa prudentiæ symbolum instar cujusdam Minervæ sit.* Augustinus vero utramque opinionem, ab aliis defensam, et assertam hunc explicat in modum: « Minervam, quia eam humanis artibus præposuerunt, nec invenerunt stellam, ubi eam ponerent, eamdem vel summum æthera, vel etiam lunam dixerunt. » Et paulo post: « Minerva summus æther, et Minerva itidem luna, quam esse in ætheris infimo limite existimant » (*August.*, *l.* VII *de Civit.*, *cap.* 16, *p.* 174). Diodorus autem Siculus, ubi de Ægyptiorum theologia, memoriæ tradidit aeri nomen Minervæ datum, et inde factum, ut virgo, ex Jovis vertice orta, ac Tritogenia, et Glaucopis dicta sit. Diodori porro verba si legere velis, ab Eusebio sic descripta invenies (*Diodor. Sicul.*, *lib.* I *Biblioth.*, *pag.* 8; *Euseb.*, *l.* III *Præparat. evang. c.* 3, *pag.* 89): Τὸν δὲ ἀέρα προσαγορεῦσαί φασιν Ἀθηνᾶν, μεθερμηνευομένης τῆς λέξεως· καὶ Διὸς θυγατέρα νομίσαι ταύτην, καὶ παρθένον ὑποστήσασθαι διά τε τὸ ἄφθαρτον εἶναι φύσει τὸν ἀέρα,, καὶ τὸν ἀκρότατον ἐπέχειν τόπον τοῦ σύμπαντος κόσμου. διόπερ ἐκ τῆς κορυφῆς τοῦ Διὸς μυθολογηθῆναι συνέβη ταύτην γενέσθαι. ὠνομάσθαι δὲ αὐτὴν Τριτογένειαν, ἀπὸ τοῦ τρὶς μεταβάλλειν αὐτῇ τὴν φύσιν κατ᾽ ἐνιαυτὸν, ἔαρος, καὶ θέρους καὶ χειμῶνος· λέγεσθαι δὲ αὐτὴν καὶ γλαυκῶπιν, οὐχ ὥσπερ ἔνιοι τῶν ἑλλήνων ὑπέλαβον, ἀπὸ τοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς γλαυκοὺς (τοῦτο μὲν γὰρ εὐηθὲς ὑπάρχει), ἀλλ᾽ ἀπὸ τοῦ τὸν ἀέρα τὴν πρόσοψιν ἔχειν ἔγγλαυκον. *Aeri autem, Minervæ nomen quadam vocis interpretatione attribuisse, Jovisque filiam hanc et virginem putari, eo quod aer natura corruptioni non obnoxius sit, et summum universi locum occupet. Unde etiam fabula e Jovis vertice illam enatam. Vocari autem* A *Tritogeniam, quod ter in anno naturam mutet, vere, æstate, hyeme; et Glaucopin dici, non quod glaucos oculos habeat (insulsum enim hoc esse), sed quia aer glauco sit aspectu.*

Servium huic adjungamus, qui in suis ad Virgilii Æneiden commentariis scripsit: « Potestates aut terrenæ sunt, aut aeriæ: sed quia æther ignis est, ideo in ætheriarum potestatum templis ignis est; ut reddatur eis imago sui elementi. Est autem in templo Jovis, quia æther est Minervæ, quæ supra ætherem est. Unde patris de capite procreata esse dicitur » (*Serv.*, *in l.* IV *Æneid.*, *p.* 326). Denique Macrobius narrat ab iis, qui diligentius, uti putabat, veritatem quærebant, hanc datam fuisse rationem cur Minerva dicta fuerit summum ætheris cacumen: B « Esse, » inquit, « medium æthera Jovem, Junonem vero medium æthera cum terra, et Minervam summum ætheris cacumen, eo argumento utuntur, quod Tarquinius, Demarati Corinthii filius, Samothraciis religionibus mystice imbutus, uno templo, ac sub eodem tecto numina memorata conjungit » (*Macrob.*, *l.* III *Saturnal. c.* 4). Sed vide, quæso, quanti roboris sit hoc argumentum.

Porro autem Vossius putat ethnicos Minervæ nomine intellexisse ætheris Deique vim in homine, ac potissimum memoriam ejusque fœtum, prudentiam (*Voss.*, *l.* II *de Orig. et Prog. idolol.*, *c.* 42, *p.* 273). At id, ac eamdem quoque Minervam Mentis, siculi ait Arnobius, filiam nuncupatam fuisse, confirmari posse arbitratur his apud A. Gellium Afranii versi- C bus, quibus Sapientiam usus et memoriæ filiam cecinit:

Usus me genuit, mater peperit memoria,
Sophiam vocant me Græci, vos sapientiam.
(*Gell.*, *lib.* XIII *Noct. Attic.*, *cap.* 8.)

Cæterum tametsi Porphyrius, uti paulo ante vidimus, dixerit, quemadmodum Apollo in sole est, sic in luna, prudentiæ symbolo, esse Minervam, Macrobius tamen aliud profert illius testimonium, quo significavit hanc ipsam Minervam esse solis virtutem, quæ prudentiam hominibus impertit. Hæc enim sunt Macrobii verba: « Porphyrius testatur Minervam esse virtutem solis, quæ humanis mentibus prudentiam subministrat. Nam ideo hæc dea, Jovis capite pro- D gnata memoratur, id est, de summa ætheris parte edita; unde origo solis est » (*Macrob.*, *l.* I *Saturnal.*, *c.* 17, *p.* 262).

Tantumdem ergo ethnici de hujus nominis etymologia, quantum de ipsa variabant. Quidam enim, ut ait Arnobius, nomen a memoria, ortum voluerunt, *quasi quædam Meminerva.* Ciceroni autem sic dicta videtur, *quod vel minueret, vel minaretur;* Isidoro, quasi *dea* et *munus* artium variarum, quæ ab illa inventæ venditabantur (*Cicer.*, *l.* II *de Natur. deor.*, *p.* 224, *lin.* 20; *Isid.*, *l.* VIII *Origin.*, *c.* 11): Festo denique, quod bene moneat. « Hanc enim, » inquit, « pagani pro sapientia ponebant. Cornificius vero, quod fingatur, pingaturque minitans armis, eamdem dictam putat » (*Fest.*, *adverb.* MINERVA). Quæ quidem

Cornificii eadem ac Ciceronis est, etymologia, quæ ab illo explicatur.

At Vossius in Festi sententiam magis inclinat, censetque verbum *moneo*, ab antiquiori *meneo* derivatum: et a *meneo, mentio, memini, memor, reminiscor*, atque ita factum nomen Menerva, ac deinde Minerva (*Voss.*, *lib.* II *de Orig. et Progr. idolol.*, *cap.* 42, *pag.* 271 *et seqq.*). Ibi porro ille plura congessit, quibus ea quæ ab Arnobio dicta vidimus, diserte enucleantur et stabiliuntur.

Jam vero etsi penitus taceremus, quis est, quæso, qui non videt quo jure idem Arnobius noster hinc conficiat nullam prorsus fuisse Minervam, Mentis aut Victoriæ filiam, nullam ex Jovis natam cerebro, inventricem oleæ, variisque artibus et disciplinis præfectam et eruditam, sed rem naturalem, quæ dea utique esse nequit? (*Arnob.*, *lib.* III, *p.* 118.)

At quo clarius, ex hactenus dictis constat ethnicos credidisse illam Mentis filiam, atque ex Jovis cerebro natam, eo difficilius probatu, qua ratione filia Victoriæ ab Arnobio dicatur. Dionysius siquidem Halicarnasseus narrat (*Dion. Halic.*, *lib* I, *pag.* 26): Νίκην δὲ Ἀρκάδες μυθολογοῦσι Πάλαντος εἶναι θυγατέρα τοῦ Λυκάονος. τιμάς δὲ παρ' ἀνθρώπων ἃς καὶ ἔχει νῦν, Ἀθηνᾶς βουλήσει λαβεῖν, γενομένην τῆς θεοῦ σύντροφον, δοθῆναι γὰρ εὐθὺς ἀπὸ γονῆς τὴν Ἀθηνᾶν Πάλαντι ἀπὸ Διός, καὶ παρ' ἐκείνῳ, τέως εἰς ὥραν ἀφίκετο, τραφῆναι. *Victoriam autem Arcades fabulantur filiam Palantis, prognati Lycaone: et honores quos nunc apud homines habet, consecutam, Minerva jubente, quod cum hac dea simul educata sit. A Jove enim recens natam commendatam esse Palanti, et apud illum educatam, dum adoleverit.* Quibus certe verbis planum ille facit Minervam non esse filiam Victoriæ, sed tantummodo cum illa educatam. Prævium nihilominus opinionis suæ assertorem Arnobius habuit Pausaniam, qui dixerat (*Pausan.*, *lib.* I, *pag.* 40): Καὶ ἕτερον ἐνταῦθα ἱερὸν Ἀθηνᾶς πεποίηται, καλουμένης Νίκης. *Alterum ibidem est delubrum Minervæ, cui, Victoriæ cognomentum.* In quodam autem Orphei, uti inscribitur, hymno illa vocatur νικηφόρε δαῖμον, *Victoriam ferens dæmon* (*Orpheus*, *tom.* I *Poet. græc.*, *pag.* 509). At hinc Arnobii narratio plane firmatur, si ejus in textu legeretur: « Nulla est ergo Mentis filia, nulla Victoria. » Si vero legendum sit, *Nulla Victoriæ*, videlicet filia, expende, quæso, utrum hæc opinio inde invaluit, quod a templo ipsius, quæ Victoria nuncupabatur, cognominata est, aut quia pugnantes ejus auxilio victoriam reportare ferebantur.

Longe porro vulgatius et notius est illam, quemadmodum alibi ostendimus (*Supr.*, *cap.* 9, *art.* 2), oleæ et aliarum, sicut Diodorus Siculus testatur, plurimarum artium dictam fuisse inventricem. Nam inde ille concludit: Ἀφ' ὧν Ἐργάνην αὐτὴν προσαγορεύεσθαι (*Diodor. Sicul.*, *lib.* III, *Biblioth.*, *p.* 142, *et lib.* V, *pag.* 235), unde *ergana*, seu opifex *vocitatur*.

Cæterum quantum in hoc Arnobii argumentatione, A qua hanc aliosque fictos a gentilibus deos explodit, ponderis sit ac virium, quis est, qui confestim non animadvertat? At illud præterea perspicue probatur ab Eusebio et Augustino, qui ex iisdem variis ethnicorum de Saturno, Jove, Junone, et Minerva opinionibus, eos nunquam deos fuisse demonstrant (*Euseb.*, *lib.* III *Præpar. evang.*, *c.* 10, *pag.* 107; *August.*, *lib.* IV *de Civit.*, *art.* 10, *p.* 95).

ARTICULUS III.

Quomodo Arnobius illud adhuc ostendat ex Neptuno Stygii fratre, pistricum domino, mænarum et gurgitum motatore: item ex Mercurio Caduceatore, Cyllenio, verborum et nominum inventore, ac mutatore nundinarum, mercium, et commerciorum; atque etiam Cerere, quæ Terra, Magna Mater, Vesta, Ops, et Saturni uxor vocabatur: ubi de etymologia nominum Neptuni, Mercurii, Cereris, et Vestæ.

B

Nobis Arnobium alios gentilium deos recensentem sequentibus occurrit Neptunus, quem ethnici, inquit ille, *quod aqua nubat terram*, eo nomine appellaverunt (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 118). Neque certe hæc etymologia patrono defensoreque caruit. Quamvis enim Cicero Neptuni nomen a nando, quibusdam litteris paululum immutatis, Isidorus a nube quasi tonante, alii a verbo etiam græco νίπτειν lavare, abluere, deductum velint; Varro tamen diserte dixit: « Neptunus quod mare terras obnubit, ut nubes cœlum, a nuptu, id est, opertione, ut antiqui, a quo nuptiæ, nuptusque dictus » (*Cicer.*, *lib.* II *de Natur. deor.*, *pag.* 224; *Isidor.*, *lib.* VIII, *Origin*; *Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 18).

C Atqui si id verum sit, ait Arnobius, concidit profecto deus Neptunus, ab ethnicis dictus frater *Stygii*, id est, Plutonis, et Jovis germanus, de quibus jam disseruimus. Addit ironice auctor noster: « Tridenti armatus, pistricum dominus, atque, mænarum, rex salsorum gurgitum » (*Arnob.*, *loc. cit.*), id est, maris et pelagi, uti liquet his carminibus, quibus Virgilius illum sic loquentem induxit:

Non illi imperium pelagi sævumque tridentem,
Sed mihi sorte datum.

(*Virgil.*, *lib.* I *Æneid.*, *vers.* 142 *et seqq.*)

Pistrix autem, piscis est magnus seu bellua marina, quam nonnulli balenam esse arbitrantur. De pistrice plura in Arati phœnomenis, ex quibus hæc D selegimus:

Andromedam tamen explorans fera quærere pistrix
Pergit, et usque sitam validas aquilonis ad auras
Cærula vestigat finita in partibus austri.

(*In Cicer. Fragm.*, *pag.* 33 *et seqq.*)

Mæna quoque marinus piscis est, qui græce μαίνις, a Romanis hodie *mænola* vocatur. Cicero autem his verbis illius meminit: « Qui voluptatem ipsam contemnunt, iis licet dicere se ancipenserem mænæ non anteponere » (*Cicer.*, *lib.* II *de Finib.*, *p.* 66, *lin.* 31). Mentionem etiam ejus facit Athenæus, et sæpius Plinius, qui nos docet quibus morbis, et quomodo remedia ex hoc pisce conficiantur (*Athen.*, *lib.* VII *Deinosoph.*, *pag.* 313; *Plin.*, *lib.* XXVI, *Hist. natur.*, *cap.* IV, *pag.* 448; *lib.* XXVII, *cap.* 101,

pag. 542, *et lib.* XXXII, *cap.* 8 *et seq.*, *pag.* 858 *et seqq.*). Videsis Rondeletum lib. V, cap. 13. Aldrovandum, et alios de duobus illis piscibus, pistrice et mæna.

Ethnicos igitur, haud illepide ridet Arnobius, dum Neptunum pistricum et mænarum dominum, ac salsorum gurgitum, tremebundique sali motatorem vocat, quia illum insani illi homines pelagi et maris regem serio appellabant. Nam præter citatos Virgilii versus, scriptum a Cicerone legimus: « Datum est Neptuno alterum, Jovis, ut volunt, fratri, maritimum omne regnum, nomenque productum, ut Portunus a portu, sic Neptunus a nando, paululum primis litteris immutatis » (*Cicer.*, *lib.* II *de Natur. deor.*, *pag.* 224, *lin.* 1). Quam bellus ergo ille deus, qui natat per fluctus maris, solumque regit illius imperium?

Tum deinde Arnobius sic prosequitur: « Mercurius etiam quasi quidam medicurrius dictus est, et quod inter loquentes duos media currat, et reciprocetur oratio, nominis hujus concinnata est qualitas » (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 118). Favet Arnobio Augustinus, qui id paulo explicatius edisserit: « Mercurius, » inquit, « quasi medius currens dicitur appellatus, quod sermo currat inter homines medius; ideo Ἑρμῆς græce, quod sermo, vel interpretatio, quæ utique ad sermonem pertinet, ἑρμηνεία dicitur, ideo et mercibus præesse, quia inter vendentes et ementes sermo fit medius » (*August.*, *lib.* VII *de Civit.*, *cap.* 14, *pag.* 173). Quæ quidem Augustini verba, ad explicandum hujusce nominis etymologiam Isidorus postea transcripsit. Festus vero a mercibus hoc nomen illi impositum opinatur. Aliter tamen Servius: « Alii, » ait, « Mercurium quasi medicurrium, a Latinis dictum volunt, quod inter cœlum et inferos semper incurrat » (*Isidor.*, *lib.* VIII *Orig. cap.* 11; *Fest. ad verb.* MERCURIUS; *Serv. in lib.* VIII *Æneid, vers* 158 *et seqq.*). Ab illo autem ista observata sunt, in hos Virgilii versus, quibus ea, quæ auctor noster subjungit, explicantur. Canit quippe poeta:

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllene, gelido conceptum vertice fudit.
(*Virgil.*, *lib.* VIII *Æneid.*, *vers.* 138.)

Quid autem, uti loco citato subdit Arnobius, ex hac opinionum varietate, et dissentione aliud sequitur, nisi quod *aboletur et extinguitur caducitor ille Cyllenius in algido fusus monte*, quemadmodum patet ex mox citatis Virgilii carminibus, ad quos illum collineasse haud immerito dici potest? *Caducitor* vero, vel potius caduceator dicebatur, quia, ut animadvertit Servius, aliique bene multi: « Caduceum illi a deo assignatur, quod fide media, hostes in amicitiam conducat, quæ virga ideo serpentibus illigata est, ut sicut illi obliti veneni sui in se coeunt, ita hostes, contemptis et depositis inimicitiis, ad amicitiam revertantur » (*Serv. loc. cit.*).

Addit auctor noster: « Verborum excogitator et nominum » idem Mercurius. Nam sicut observat Cicero (*Cicer.*, *lib.* III *de Natur. deor. pag.* 248, *lin.* 9), leges et litteras tradidisse ferebatur, de quo nos alibi. Denique, « nundinarum, mercium, commerciorumque mutator; » quia ethnici, sicuti ex Augustino et Isidoro paulo ante annotavimus, existimabant eum mercibus præesse. Unde Servius: « Hic etiam, » inquit, « mercimonii deus est » (*Serv. loc. cit.*). Quin immo Festus a nobis paulo ante citatus, arbitratur inde formatum illius nomen, cujus hanc reddit rationem: « Hunc etenim negotiorum omnium existimabant esse deum. » (*Fest.*, *ad verbum* MERCURIUS.) Porro autem Augustinus ex illa priori etymologia, et ethnicorum opinione eamdem, atque Arnobius, conclusionem elicit: « Si ergo Mercurius ipse, » inquit, « sermo est etiam ipsis confitentibus, deus non est » (*August.*, *lib.* V *de Civit. cap.* 12, *pag.* 173).

Simili plane argumento auctor noster Cereris divinitatem sic evertit: « Terram quidam e vobis, » ita ille loquitur, « quod cunctis sufficiat animantibus victum, Matrem esse dixerunt magnam; eamdem hanc aliquot, quod salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronuntiant; nonnulli autem Vestam, quod in mundo stet sola, cæteris ejus partibus mobilitate in perpetua constitutis. » (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 119.) Terram vero esse Cererem, et paulo infra observandum, et his nunc probari potest Ciceronis verbis, quibus allata ab Arnobio Cereris etymologia confirmatur: « Mater autem est, » inquit ille, « a gerendis frugibus Ceres, tamquam geres, casuque prima littera itidem immutata, ut a Græcis. Nam ab illis quoque Δημήτηρ, quasi γημήτηρ nominata est » (*Cicer.*, *de Nat. deor.*, *lib.* II, *pag.* 224). At de Vestæ nomine ibidem paulo post hæc habet: « Vestæ nomen a Græcis; ea est enim, quæ ab illis Ἑστία dicitur » (*Ibid.*, *lin.* 13). Sic autem græce a veteribus vocata est, ait Pharnutus (*Pharnut.*, *Cerer. et Vest.*), ἀπὸ τοῦ ἱστάναι, quod est stare ac sistere; quia stat per res universas. Et id quidem Ovidius his versibus significavit:

Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur,
Causaque per Graii nominis esse potest.
(*Ovid.*, *lib.* VI *Fastor.*, *vers.* 331.)

Ibi autem ille non solum Vestæ etymologiam confirmat, sed eam quoque eamdem esse ac terram seu tellurem. Quod quidem prius his carminibus dixerat:

Vesta eadem est, quæ terra, subest vigil ignis utrique,
Significant sedem terra focusque suam.

Et infra:

Et tellus Vestaque numen idem est.
(*Ibid.*, *vers.* 271.)

Ovidio autem adstipulatores accedunt Servius et Augustinus, quos adire facile poteris, atque etiam Giraldum, Lipsium, ac Vossium (*Serv.*, *in lib.* IV *Æneid.*, 297; *August.*, *lib.* VII *de Civit.*, *cap* 16, *pag.* 174; *Girald.*, *Syntagm.* 6; *Lips.*, *lib de Vest.*, *cap.* 1; *Voss. lib.* II *Progr. idol.*, *cap.* 59), qui, præter alia plura, hos citant Euripidis versus:

Καὶ Γαῖα μῆτερ, Ἑστίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ
Βροτοὶ καλοῦσιν ἡμένην ἐν αἰθέρι.

Et terra mater, Vestaque sapientibus,
Vocaris, ipso considens in æthere.

Atqui horum scriptorum atque etiam Lucretii, quem adire poteris (*Lucret.*, *lib.* II, *vers.* 597 *et seqq.*, *vers.* 995 *et seqq.*), autoritate et testimonio liquet utique illud verissimum esse, quod ab Arnobio assumitur, trina hæc numina nulla esse, quandoquidem iis terra, quæ divinæ proculdubio, naturæ non est, sola significatur.

Quamobrem Arnobius noster jure merito hæc continenter adjecit: « Non ipsa Mater deum, quam Nigidius autumat matrimonium tenuisse Saturni, dea recte poterit nuncupari; siquidem unius terræ hæc sunt omnia nomina » (*Arnob.*, *lib.* III, *p.* 119). Nonne autem idem etiam a Varrone hisce verbis asseritur: « Terra Ops, quod hic omne opus, et hac opus ad vivendum; et ideo dicitur Ops mater, quod terra nutriat. Hæc enim terris gentes omnes peperit, et resumit denuo, quæ dat cibaria, ut ait Ennius, quæ quod gerit fruges, Ceres » (*Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 16). Quis autem nescit, quod etiam a nobis supra notatum est (*Supr.*, *cap.* 9, *art.* 3), Opem ab ethnicis dictam Saturni uxorem?

At quoquo nomine vocetur, si terra est, nec dea est, ne esse potest. Recte ergo Augustinus postquam aliis ejusdem Varronis verbis comprobavit eamdem esse tellurem, Matrem magnam, et Opem, cum Arnobio nostro concludit: « Si ergo una dea est, quæ quidem consulta veritate, nec ipsa est, interim quid itur in multas » (*August. lib.* VII *de Civit.*, *cap.* 24, *pag.* 180)? Neque sibi sinit responderi ethnicos non absurde censuisse eas plures esse deas, quoniam in una eademque dea res plures esse possunt. Nam his illico occurrit: « Et concedo, » inquit, « in uno homine esse res plures, numquid ideo et homines plures? Sic in una dea esse res plures, numquid ideo et deas plures? Verum sicut volunt, dividant, conflent, multiplicent, replicent, implicent » (*Ibid.*). Tanto enim certius evertent alicujus divinitatem, quanto magis eam multiplicatam voluerint.

ARTICULUS IV.

Qua ratione Arnobius ostendat falsam esse divinitatem Vulcani, qui ignis; Veneris, quæ Proserpina; Solis, qui Liber et Apollo; Dianæ, quæ Ceres et Luna dicebantur; atque aliorum omnium numinum, quia plures ethnici mundum esse animal quoddam, ac deum esse existimabant: ubi de etymologia nominum Vulcani et Veneris, ac de Apolline murium perulcie.

Tria alia ethnicorum numina, Vulcanum, Venerem et Proserpinam eodem argumentandi genere Arnobius ex deorum albo eradendos esse liquido convincit (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 119). Vulcanum enimvero ignem esse adserebant. Visne id tibi testibus saltem quibusdam probari? En adest Varro, cujus hæc ipsa sunt verba: « Ab ignis jam majore vi ac violentia Vulcanus dictus » (*Var.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 18). Accedit Servius, qui adhuc expressius id tradidit: « Vulcanus ignis est, et dictus Vulcanus, quasi Volcianus, quod per aerem volet. Ignis enim A e nubibus nascitur. Unde etiam Homerus dicit eum de aere præcipitatum in terras, quod omne fulmen de aere cadit » (*Serv.*, *in lib.* VIII *Æneid.*, *pag.* 512). Hunc pone sequitur Isidorus, qui eadem priora pene omnia illius verba repetit. Quid vero, quod idem Servius antea dixerat: « Plerumque Vulcanum ponimus pro igne? » Augustinus vero: « Vulcanum volunt ignem mundi » (*Isidor.*, *lib.* VIII *Origin.*, *cap.* 11; *Serv.*, *in lib.* I *Æneid.*, *pag.* 180; *August.*, *lib.* VII *de Civit.*, *cap.* 16, *pag.* 164).

Neque id probatu difficilius, quod subjungit auctor noster, Venerem, « quod ad cunctos veniat, » nuncupatam (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 219). Ex Cicerone siquidem illud desumptum videtur, qui diserte pronuntiat: « Quæ autem ad res omnes veniret, Venerem nostri nominaverunt, atque ex ea potius venus- B tas, quam Venus ex venustate » (*Cicer.*, *lib.* II *de Natur. deor.*, *pag.* 224, *lin.* 27). Aliis tamen de hujus vocis etymo aliter visum. Nam Varro a verbo antiquo *viere*, seu *vincire*, illud deducit, quod Venus non quidem vincere, sed vincire et vinciri pudendis scilicet vinculis ipsa velit (*Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 12). Isidorus vero: « Venus, » inquit, « inde dicta, quod sine vi (aliter viro) femina esse virgo non desinat » (*Isidor.*, *lib.* VIII *Origin. cap.* 11). Sed Arnobio haud forsitan immerito probabilior visa est Ciceronis opinio.

Verum quo propius ibi ad eum accedit, eo longius in hoc recedere videtur, quod subnectit inde cognominatam Proserpinam, quia sata in lucem proser- C punt (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 119). Vult quippe latinus orator Proserpinam græcorum esse nomen; « Ea est enim, » ait, « quæ Περσεφόνη græce nominatur, quam frugum semen esse volunt, absconditamque quæri a matre » (*Cicer.*, *loc.*, *cit.*, *lin.* 6). Attamen alios Arnobius habuit sententiæ suæ asseclas, et fautores. Nam a Varrone hoc litteris consignatum legimus. « Proserpina dicta, quod ut serpens, modo in dextram, modo in sinistram partem late movetur. Serpere et proserpere idem dicebant, ut Plautus, qui scribit: quasi proserpens bestia » (*Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 17). Brevius quidem, sed clarius, ad auctorisque nostri mentem accommodatius Isidorus dixit: « Proserpina, quod ex ea proserpant fruges. » Antea vero Augustinus: « A proserpendo Pro- D serpina dicta » (*Isidor.*, *lib.* VIII *Origin.*, *cap.* 8; *August.*, *lib.* VII *de Civit.*, *cap.* 20, *pag.* 177). Atque horum sententia quibusdam, etiam Ciceronem numquam non admirantibus, magis quam ipsamet Ciceroniana placuit.

Cum eodem porro Augustino hinc scite Arnobius infert ab ethnicis tolli de medio tria ipsorum numina » (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 319). Vulcanum, quem omnes ignis elementum; Venerem, quam libidinem per cuncta animantia diffusam; et Proserpinam, qua fruges ac germina subcrescentia moveri venditabant. Quidquid enimvero de illis alii aliter sentirent, falso falsius erat illos, quos res creatas esse dicebant, suprema aliqua divinitate donari.

Prosequitur Arnobius (*Ibid.*), et instat ab ethnicis passim jactitari eumdem esse Solem, atque Liberum, et Apollinem. Macrobius quippe id non solum Euripidis et Æschyli testimonio, sed variis quoque rationibus probare conatus est (*Macrob.*, *lib.* II *Saturnal.*, *cap.* 18, *pag.* 263). Memoriæ autem Servius prodidit illud fuisse ab Stoicis et Porphyrio adsertum : « Stoici, » inquit, « eumdem Solem, eumdem Liberum, eumdem Apollinem vocant. » Prius vero : « Constat secundum Porphyrii librum, quem Solem appellavit, triplicem esse Apollinis potestatem, et eumdem esse Solem apud superos, Liberum patrem in terris, Apollinem apud inferos » (*Serv.*, *in lib.* I *Georg.*, *vers.* 17, *pag.* 59; *in quint. Virg. eclog.*, *vers.* 64, *pag.* 27).

Arnobius itaque ex hac vulgari gentilium persuasione plane conficit ab illis imminui deorum numerum, ac nullum umquam in rerum natura exstitisse, neque Liberum, ex Semele, uti supra diximus, oriundum; neque Apollinem Pythium, et *murium*, ut idem auctor noster loquitur, *perniciem*, de quo nos alibi egimus (*tom.* II *Apparat.*, *lib.* III ; *dissert.*, *cap.* 9, *art.* 1, *pag.* 754). Augustinus vero ex iisdem gentilium opinionibus colligit ex una eademque re naturali plures quidem ab illis factos esse deos, sed falsos plane et commentitios.

Quid plura? Non indocti, uti ait Arnobius (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 119), apud gentiles viri docebant Dianam, Cererem, et Lunam tres non esse personas, a se invicem distinctas, sed triplici hoc nomine Lunam appellari. At docti illi homines erant haud dubio Stoici de quibus hæc Servius narrat : « Stoici eumdem Solem..... Item Lunam eamdem Dianam, eamdem Cererem, eamdem Junonem, eamdem Proserpinam dicunt; secundum quos Virgilius pro sole et luna, Liberum et Cererem invocavit » (*Serv.*, *in lib.* I *Georg.*, *vers.* 7); at hoc quoque ultimum Macrobius observavit. Augustinus vero : « Apollinem...... Solem esse dixerunt, Dianamque germanam ejus similiter Lunam, et viarum præsidem » (*Macrob.*, *lib* I *Saturn.* *cap.* 18, *pag.* 266 ; *August.*, *lib.* VII *de Civit.*, *cap.* 16, *pag.* 174).

Atqui si Diana et Ceres illud revera sint astrum, quod luna vocatur, inde Arnobius optime arguit extinguendam omnino, et penitus delendam esse non solum Cererem, frugum, uti opinabantur, et alibi observavimus (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 15, *art.* 1), inventricem; sed Dianam quoque, Apollinis germanam, uti citatus paulo ante Augustinus, animadvertit. Solum enimvero superest astrum, quod luna quidem appellatur, sed non potest esse deus. Tollenda etiam e medio Diana illa, « quam, » sicut ait Arnobius, « quondam puris in fontibus abluentem membrorum sordes corniger ille venator inspexit et pœnam curiositatis invenit » (*Ibid.*, *pag.* 120). Quibus sane verbis fabulam adtigit Actæonis, qui propterea quod Dianam lavantem vidisset, in cervum conversus esse fertur. Videsis Ovidium, Diodorum Siculum, Pausaniam, Natalem Comitem et alios (*Ovid.*, *lib.* III *Metamorph.*, *fab.* 2; *Diodor. Sicul.*, *lib.* IV, *pag.* 195; *Pausan.*, *lib.* IX, *pag.* 283; *Nat. Com.*, *lib.* VI *Mythol.*, *cap.* 24).

Postremo Arnobius alia generali ratione cunctos, jam a nobis memoratos, gentilium de diis suis errores concutit ac destruit (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 120). Philosophorum enim, inquit, doctissimi et crediderunt, et definiverunt mundum esse animal rationale et sapiens. Sed itane arguet aliquis, res se habet, ac quinam illi sint, nobis indica? Nihil dictu promptius. Nam hæc non solum Platonis, uti ex Ciceronis libris liquet, verum etiam Zenonis, Stoicorumque illius sectatorum, sicuti ex Cicerone, Lactantio, Laertio, Lipsio, aliisque discimus, genuina constansque sententia fuit (*Plato*, *in Timæo*, *tom.* III *pag.* 0; *Cicer.*, *lib.* I *de Natur. deor.*, *pag.* 199; *item, idem Cic.*, *lib.* II *de Nat. deor.*, *pag.* 216, *et seqq.*; *et lib.* III, *pag.* 243; *Lactant.*, *lib.* II, *cap.* 5, *pag.* 166; *Laert.*, *lib.* VII, § 142 *et seqq.*; *Lips. dissertat.* 10 *de Phys. Stoic.*, *tom.* IV, *pag.* 569 *et seqq.*). Atqui si mundus rationale sit animal, inde necessario sequitur solem, lunam, tellurem, aliasque mundi partes, sive suo, sive alio ut vidimur, nomine nuncupentur, falso et frustra ab illis in deorum numerum adgregari. Qui fieri enim potest, ut si mundus unum sit animal, sicut singularis quilibet homo, in varias scindatur partes, diversaque membra, quæ singula sint aliquod ab aliis distinctum animal, atque, ut volunt, unus et singularis Deus. Simili quoque modo argumentatur Lactantius : « Si deus mundus est; ergo omnia illa, quæ sunt in eo, dii non sunt, sed dei membra; quæ utique solius Dei nomen accipere non possunt. Nec enim recte quis dixerit membra hominis unius multos homines esse. » Quin etiam Cicero hunc errorem funditus evertit. Lege si velis, quæ ab eo, et si animus est, quæ ab Eusebio disputata sunt (*Lactant.*, *lib.* II, *cap.* 5, *pag.* 168; *Cicer.*, *lib.* II *de Natur. deor.*, *pag.* 243, *et Euseb.*, *lib.* III *de Præparat. Evangel.*, *cap.* 10, *pag.* 103 *et seqq.*).

CAPUT XVII.

Quomodo Arnobius vana de gentilium diis opinionum commenta ex aliis illorum de iisdem diis suis dissensionibus adhuc evertat.

ARTICULUS PRIMUS.

Excutitur argumentum Arnobii, petitum ex diversis, et contrariis ethnicorum opinionibus de Musarum parentibus, conditione et numero, ac de diis Novensilibus et Indigetibus, ubi de Æneæ morte.

Magnæ ethnicorum de uno eodemque numine dissensiones aliud evidentissimum Arnobio nostro suppeditant argumentum, quo falsa illorum omnium divinitas rursus invictissime demonstratur. Quid enim, quæso, tanta illa dissidia aliud probant, nisi eosdem ethnicos nihil de quoquumque deo suo habuisse certi et explorati? Quo ergo jure eos tamquam veros deos colere, precari, et adorare poterant, de quibus nihil manifestum et indubitatum umquam se accepisse palam profitebantur? Quis autem non mirabitur quanta fuerint illorum de Musarum verbi gratia parentibus

conditione, et numero divortia pugnæ, et contentiones? Mnaseas quippe, uti ait Arnobius (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 121), illas ex Cœlo et Tellure, alii ex Jove et Memoria vel Mente ortas fuisse tradiderunt. Aliqui eas virgines dixere, alii matres; has Ephorus numero tres, Mnaseas quatuor, Myrtillus septem, Crates octo, et Hesiodus novem, quarum nomina singulatim recenset. Servius tamen has omnes diversas opiniones ad tres potissimum redigit: « Musas, » inquit, « multi novem, multi octo, multi septem dixerunt. » At Cicero expressius docet primas quatuor Jove altero, secundas Jove tertio, sive Cretensi et Mnemosyne, tertias Jove tertio, et Antiopa ortas, *quas Pieridas*, inquit, et Pierias solent poetæ appellare (*Cic.*, *lib.* III *de Natur. deor.*, *pag.* 247, *lin.* 41). Sed hæc quæstio longe fusius ab Lilio Giraldo peculiari de Musis syntagmate tractatur (*Girald.*, *syntagm. de Musis*, *pag.* 531 *et seqq.*). Nos vero de iis jam aliquid alibi adtigimus. At certe vides quantum de harum Musarum numero, parentibus, et conditione non infimi, sed majoris utique nominis scriptores ethnici inter se digladiarentur (*tom.* I *Apparat.*, *pag.* 820). Quoniam igitur modo hi aliique eas, sibi non satis cognitas, et deas dicere, et illas invocare poterant?

Neque minor profecto erat illorum de Novensilibus diis, eorumque nomenclatione et numero, ac proinde de illorum divinitate controversia. Quidam enim a novenario numero, qui ut citatus ab Arnobio Varro tradidit (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 122), in movendis rebus potentissimus habetur, sic cognominatos censebant, alii a novitate rerum, quibus eos præesse opinabantur; alii ab alio novitatis genere, quo videlicet a victoribus, puta Romanis, uti alibi vidimus (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 16, *art.* 2), in urbes suas ac templa adsportari, nova dedicabantur consecratione. Sed plura de hujus nominis etymologia Vossius et alii disputant (*Voss.*, *in Etymolog.*, *ad verb.* NOVEM).

Tam diversarum autem opinionum varios Arnobius protulit fautores, ac primum quidem Pisonem, qui hos « esse credit novem, » ita ille loquitur, « in Sabinis apud Trebiam constitutos » (*Arnob.*, *loc. cit.*). Trebia autem fluvius est non procul a Placentia, qui ex Apennino, ut scripsit Strabo, in Padum incidit. Ad hunc porro fluvium Annibal Scipionem consulem, ut narrat Polybius, clade maxima profligavit (*Strab.*, *lib.* V *Geogr.*, *pag.* 217; *Polyb.*, *lib.* III *Histor.*, *pag.* 220, *et seqq.*). Unde hic Lucani cantus (*Lucan.*, *lib.* II, *vers.* 48 *et seqq.*):

> O miseræ sortis, quod non in Punica nati
> Tempora Cannarum fuimus, Trebiæque, juventus.

De Novensilibus vero diis citatus ab auctore nostro Varro hæc brevissime scripsit: « Feronia, Minerva, Novensiles a Sabinis » (*Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 16; *Arnob.*, *loc. cit.*, *pag.* 122). At Ælius post Granium hos Musas esse opinatus est; Cornificius vero novitatum præsides, Cincius eos omnes, qui a victoribus, uti paulo ante monuimus, in urbes suas transvectos solebant compendii causa, ac ne quis illorum omitteretur, hoc Novensilium nomine invocari.

A Quando autem Decius seipsum pro Romanis legionibus devovit, illos cum pluribus aliis, teste Livio, sic imploravit, et obtestatus est: « Divi Novensiles, dii Indigetes, divi quorum potestas nostrorum, hostiumque » (*Liv.*, *lib.* VIII, *cap.* 9).

Manilium vero citat adhuc Arnobius (*Arnob.*, *loc. cit.*), qui quidem hosce deos, sicut Piso, novem esse existimabat, sed quibus solis Jupiter fulminis sui jaciandi detulerit potestatem. Denique nonnulli arbitrabantur illos ex hominibus factos esse deos, quales, inquit Arnobius, erant Hercules, Romulus, Æsculapius, Liber et Æneas. Et illud quidem his confirmatur Servii verbis: « Sane quidem veteres illos deos Novensiles dicunt, quibus merita virtutis dederint numinis dignitatem » (*Serv.*, *in lib.* VIII *Æneid.*, *vers.*
B 187, *pag.* 498).

Quod vero ad memoratos ibi ab auctore nostro Romulum, Æsculapium et Liberum spectat, de iis supra disseruimus. De deo autem sane præclaro Hercule hæc Cicero tradidit: « Quos ab hominibus pervenisse dicis ad deos, tu reddes rationem quemadmodum idem fieri potuerit, aut cur fieri desierit, et ego discam libenter. Quomodo nunc quidem est, non video quo pacto ille, scilicet Hercules, in domum æternam patris sui pervenerit » (*Cic.*, *lib.* III *de Natur. deor.*, *pag.* 245, *lin.* 38). Sed de illo hacque funesta, deoque indignissima ejus morte supra disseruimus (*Supr.*, *cap.* 12, *art.* 2).

Superest quintus ad Arnobio appellatus Æneas, quem Augustinus tribus annis in Latio regnasse tes-
C tificatur: sed cum postea in prælio, sicut Dionysius Halicarnasseus, Livius, auctor anonymus, Servius narrant, cecidisset, nec inventum fuisset ejus corpus, jactitarunt illum ad deos abiisse, ac ipsi tanquam deo ad Numici fluminis ripas, ubi in pugna occisus fuerat, templum ædificaverunt cum hac inscriptione: « Patri deo Indigeti, qui Numici amnis undas temperat » (*August.*, *lib.* XVIII *de Civit.*, *cap.* 19 *et* 21, *pag.* 502 *et* 503; *Dionys. Halic.*, *lib.* I *Antiq. Roman.*, *pag.* 52; *Liv.*, *lib.* I *Histor.*, *init.*; *auctor.*, *lib. de Orig. gent. rom.*, pag. 598; *Serv. in lib.* XII; *Æneid.*, *pag.* 702). Ea propter Tibullus cecinit:

> Impiger Ænea, volitantis frater amoris,
> Troica qui profugis sacra vehis ratibus.
> D Jam tibi Laurentes assignat Jupiter agros,
> Jam vocat errantes hospita terra Lares.
> Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
> Unda deum cœlo miserit Indigetem.
>
> (*Tibull.*, *lib.* II, *Eleg.* 5.)

Tibullo concinit Ovidius, qui de eodem Ænea hæc metrice etiam decantavit:

> Lustratum genitrix divino corpus odore
> Unxit, et ambrosia, cum dulci nectare mixta,
> Contigit os, fecitque deum: quem turba Quirini
> Nuncupat Indigetem, temploque arisque recepit.
>
> (*Ovid.*, *lib.* XIV *Metam.*, § 15.)

Verum ibi Æneas a Tibullo et Ovidio, quemadmodum a Virgilio (*Virg.*, *lib.* XII *Æneid.*, *vers* 794), aliisque, jam a nobis citatis scriptoribus, non in Novensilium, sed Indigetum deorum numero ponitur.

At certe Arnobius his alibi subscripsit, ubi eumdem Æneam, suppresso tamen ejus nomine, et alios deos sic irridet : « Indigetes illi, qui flumen repunt, et in alveis Numici cum ramis et pisciculis degunt » (*Arnob.*, *lib.* I, pag. 20).

Neque alii proculdubio illi *Indigetes*, quam Novensiles dii esse videntur. Nam sicuti ait Servius, « Indigetes proprie sunt dii ex hominibus facti, quasi in diis agentes » (*Serv. in lib.* I *Georg.*, p. 94). Tales autem erant Novensiles, de quibus egimus. Addit Servius, « Abusive omnes dii generaliter possunt dici Indigetes, tanquam nullius rei egentes » (*Idem, in lib.* XII *Æneid.*, pag. 702). Sed hæc quidem ille uberius alibi edisserit. Macrobius etiam priorem illius explicationem Hesiodi auctoritate confirmat : « Hesiodus divinæ, » inquit (*Macrob.*, *lib.* I *in Somn. Scip.*, *cap.* 8, *pag.* 52), sobolis assertor, priscos reges cum diis annumerat; hisque exemplo veteris potestatis etiam in cœlo regendi res humanas assignat officium. Et ne cui fastidiosum sit, si versus ipsos, ut poeta Græcus protulit, inseramus. Referemus eos, ut ex verbis ejus in latina verba conversa sunt :

Indigetes divi fato summi Jovis hi sunt,
Quondam homines, modo cum superis humana tuentes
Largi ac munifici, jus regum nunc quoque nacti. »

Arnobius vero noster hos fuisse asseverat crudelitate, stupris, adulteriis, sacrilegiis, et cædibus infames (*Arnob.*, *lib.* II, pag. 39). Videsis Giraldum, Vossium, Lescalopierium et alios (*Girald.*, *Syntagm.* I, *p.* 15 ; *Voss.*, *in Etymolog.*; *Lescal.*, *in Cicer. lib.* I *de Natur. deor.*, § 62). Quis ergo ferat hujusmodi factos ab hominibus deos, quorum nec parentes, nec originem, nec numerum compererant? Numquid in potestate hominum est aliis tribuere divinitatem?

ARTICULUS II.

Quam variæ fuerint gentilium de diis Penatibus, Penetralibus, Consentibus, et Complicibus opiniones, ac quomodo inde eorum divinitas evertatur.

Ad deos penates si gradum cum auctore nostro faciamus (*Arnob.*, *lib.* III, pag. 123), non minores de illis occurrent ethnicorum rixæ, ac contentiones. Nobis siquidem ostendit levem prorsus esse, et inconstantem Nigidii de illis sententiam. Et certe primum ille censuit *Penates* deos fuisse Neptunum et Apollinem, qui pacta conditione, ut alibi vidimus (*Supr.*, *cap.* 4, *art.* 1), Trojæ muros fecerunt. At Macrobius asserit hanc non modo Nigidii, sed Cornelii quoque, Labeonis, ac Virgilii fuisse opinionem. Ubi enimvero de diis *Penatibus*, seu, ut ille ait, Romanorum propriis, disputat, hæc scribit : « Nigidius de diis libro decimo nono requirit, num dii *Penates*, sint Trojanorum Apollo et Neptunus, qui muros eis fecisse dicuntur; et num eos in Italiam Æneas advexerit. Cornelius quoque Labeo libro de iis Penatibus eadem existimat. Hanc opinionem sequitur Maro cum dicit :

« Sic fatus, meritos aris mactabat honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo. »
(*Virgil.*, *lib.* III *Æneid.*, *vers.* 118.)

At ista quoque est Servii in hos versus animadversio : « Sane hoc loco Virgilius, secutus veterum opinionem, Neptunum tantum, et Apollinem nominavit. Dicuntur enim hi dii *Penates* fuisse, quos secum advexit Æneas, quamvis diversis locis alias opiniones aliorum secutus poeta, de diis Penatibus diversa dixerit » (*Servius*, *pag.* 272). Videsis eumdem Servium alia plura alibi de iisdem *Penatibus* disputantem (*Idem, in lib.* I, *versus* 384 ; *et in lib.* III, *versus* 148 *et* 168).

Altera Nigidii de his diis opinatio, quam auctor noster inexplicabilem dixit, ea fuit, qua quatuor esse deorum *Penatium* genera, atque alios Jovis, alios Neptuni, alios inferorum, et mortalium hominum ultimos esse garribat. Quantumvis autem Arnobio obscura videatur hæc Nigidii sententia; videamus tamen utrum lux aliqua ei nequeat afferri. De *Penatibus* vero hæc sunt Virgilii paulo ante citati carmina :

Feror exsul in altum
Cum sociis, natoque, Penatibus, et magnis diis.
(*Virgil.*, *lib.* III *Æneid.*, *vers.* 12.)

At quid in hos versus animadvertit Servius, animum, si placet, paulisper advertamus : « Alii, » inquit, « magnos deos Cœlum, ac Terram putant, ac per hoc Jovem et Junonem. Dei Penates a Samothracia sublati ab Ænea, in Italiam advecti sunt : unde Samothraces cognati Romanorum esse dicuntur; quos inter cætera ideo magnos appellant, quod de Lavinio translati Romam, bis in locum suum redierint; quod imperatores in provincias ituri, apud eos primum immolabant, quod eorum nomina nemo nesciat, quod præsentes sentiantur... quos immani penitus in cultu habent, quos nisi sacerdoti videre fas nulli fuit, qui ideo Penates appellantur, quod in penetralibus ædium cœli sedeant. Nam et ipsum penetral penus dicitur... Varro eorum dicit Penates et magnos deos. Nam et in basi scribebatur : MAGNIS DIIS. Potest tamen hoc et pro honore dici. Nam et dii magni sunt, Jupiter, Juno, Minerva, Mercurius, qui Romæ colebantur; Penates vero apud Laurum Lavinium, unde apparet non esse unum. »

Totum hunc locum etsi paulo longiorem ideo transcripsimus, quia inde patet quantum inter ethnicos scriptores de diis Penatibus varietur. Deinde vero quædam ab Arnobio tradita diserte hic asseruntur. Communior autem sententia, cui non tantum Varro, sed etiam Dionysius Halicarnasseus, Augustinus et alii subscribunt, fuit deos Penates eos esse, quos Æneas secum in Italiam adsportavit (*Var.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 35 ; *Dionys. Halic.*, *lib.* I *Antiquit. rom.*, *pag.* 54 ; *August.*, *lib.* X *de Civit.*, *cap.* 16, *pag.* 252). Addit insuper Dionysius a græcis, qui latinam vocem græce reddiderunt hos deos a nonnullis Πατρώους, ab aliis *γενεθλίους*, a quibusdam *κτησίους*, ab aliis *μυχίους*, aut *ἑρκίους* appellatos. Præterea vero Cassius Hemina, a Macrobio laudatus, perhibet eosdem Romanorum Penates proprie dici *θεοὺς μεγάλους, θεοὺς χρηστοὺς, θεοὺς δυνατοὺς* (*Macrob.*, *lib.* III *Saturnal.*, *cap.* 4, *pag.* 321).

Quis autem ex dictis facile non intelligat cur Nigi-

dius, ab Arnobio citatus (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 123), putaverit Jovem aut Neptunum deos esse Penates? Quis enim non videt hos a Servio deos magnos vocari? Nulli autem mirum videri debet, quod subnectit idem Nigidius, alios esse Penates inferorum et mortalium hominum, tametsi id adeo luculenter probari nequeat. Nam Servius aperte declarat *Penatum* nomina nemini fuisse plane cognita. Et vero quis deorum, quos secum Æneas detulit, scire potuit nomen et numerum? Huc accedit, quod ipso adhuc Servio attestante, nemini nisi sacerdoti eos videre fas fuit. Paucis ergo comperti esse poterant.

Postea vero Servius non admonet eos *Penetrales* vocari, quod in penetralibus cœli sedeant. Qua quidem de etymologia sic sentit Cicero : « Nec longe, inquit, absunt ab hac vi dii Penates, sive a penu ducto nomine, est enim omne, quo vescuntur homines, penus : sive ab eo quod penitus insident, ex quo etiam Penetrales a poetis vocantur » (*Cicer.*, *lib.* II *de Natur. deor.*, *pag.* 224, *lin.* 15). Quid autem his dictis aptius et convenientius ad ea explicanda atque stabilienda, quæ postmodum tradidit Auctor noster : « Varro, qui sunt introrsus, atque in intimis penetralibus cœli deos esse censet, quos loquimur; nec eorum numerum, nec nomina sciri. » (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 123)

Ad hæc vero ille scribit non defuisse, qui existimaverint Jovem, Junonem, Minervam, deos esse *Penates*, sine quibus nec vivere possumus, nec spirare; ut pote qui ratione, calore, ac spiritu nos regant (*Ibid.*). At in hujusce opinionis defensionem illa recte proferri possunt, quæ a Macrobio memoriæ sic prodita legimus : « Qui diligentius quærunt veritatem, Penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem habemus. » (*Macrob.*, *lib.* III *Saturn.*, *cap.* 4, *pag.* 321.)

Ab iis tamen scriptoribus plane prorsusque dissidere videtur citatus posthæc ab auctore nostro Cæsius (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 123). *Penates* enim esse voluit Fortunam, Cererem, Genium Jovialem, et Palem quemdam, Jovis ministrum, ac villicum. De Pale autem superius egimus. Quid autem mirum, si *Penates* eorumque nomina nemini, ut diximus (*Supr.*, *cap.* 14, *art.* 2), cognita, quidam aliorum testimonio fulti, quoquo modo indicare tentaverint, aut finxerint ad libitum?

Docet denique Arnobius *Penates* deos ab Etruscis *Consentes* et *Complices* nominari (*Ibid.*), sexque esse mares totidemque feminas, sed ignotis nominibus; qui tamen Jovis sunt consiliarii, ac simul et oriuntur et concidunt. Postea vero Augustinus : « Deos Consentes, » inquit, « dicunt in consilium Jovis adhiberi » (*August.*, lib. IV *de Civit.*, *cap.* 32, *pag.* 104). Varro autem initio sui de Re rustica operis hos, aliosque deos sic invocat : « Et quoniam, ut aiunt, dii facientes adjuvant, prius invocabo eos; nec ut Homerus et Ennius Musas, sed duodecim deos Consentes, neque tamen eos urba-

A nos quorum imagines ad forum auratæ stant sex mares, et sex feminæ; sed illos duodecim deos, qui maxime agricolarum duces sunt » (*Varr.*, *lib.* I *de Re rustic.*, *cap.* 1). Hos vero singulatim suo quemque nomine appellat; Jovem, Tellurem, Solem, Lunam, Cererem, Liberum, Robigum, Floram, Minervam, Venerem, Lympham et Bonum Eventum. At ex hac sola nominum recitatione facile colligitur Arnobium de prioribus potius, quam de posterioribus fecisse sermonem. Illi vero primi dii *Consentes*, a quibusdam dii etiam dicuntur majorum gentium, quorum nomina duobus his Ennii versibus exprimuntur :

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jove, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Legesis Giraldum et Vossium, qui plura de diis *Con-*
B *sentibus* adnotaverunt (*Girald.*, *syntagm.* 7, *cap.* 18; *Voss.*, *lib.* I *de Orig. et Progr. idol.*, *cap.* 14 *et* 17).

At, inquies, cur Arnobius dixit hos non solum *Consentes*, sed etiam *Complices* nominari, Nonne recte Heraldus suspicatur hoc ultimum nomen esse glossema superfluum, quo imperitus aliquis priorem vocem *Consentes* explicare voluit? Sed ille tamen addidit nomen *Complices* potuisse ab Arnobio adhiberi, ut significaret hosce deos, qui simul oriuntur et occidunt, conjunctos esse, et arctissimis nodis colligatos. Bene quidem. Non obscure enim Arnobius innuit hanc ipsam esse rationem, propter quam hi dii ab Etruscis *Complices* cognominati sunt. Eo porro sensu nomen illud ab Ambrosio accipitur, ubi scripsit : « Complex honestatis est semper uti-
C litas, et utilitatis honestas. » (*Ambros.*, *lib.* III *de Offic. minist.*, *cap.* 14, *pag.* 130.) Nonne ergo hæc Heraldo, ad deponendam de corrupto auctoris nostri textu suspicionem sufficere debebant?

Cæterum ingenii adeo tardi putamus esse neminem, qui jam haud difficiliter perspiciat, quid ex tam variis ac contrariis ethnicorum hisce de diis opinionibus concludendum sit. Quis enim non videt unam ab altera funditus everti? Deinde vero, tametsi in una aliquid esset veri, id a nemine deprehendi umquam poterit. Nullus ergo deos illos Consentes et Penates divinis honoribus dignos censebit; quandoquidem omnes ingenue fateri cogebantur sibi plane exploratum non esse quales illi sint, quam mortalibus opem ferre valeant, et quid in eis veræ,
D quæ unica esse potest, sit divinitatis.

ARTICULUS III.

Quanta fuerit gentilium de diis Laribus dissensio, cur Grundules vocarentur, et Summanus eis præfectus, ac quam evidenter demonstretur nullam esse horum aliorumque antea memoratorum divinitatem.

Non major fuit ethnicorum de *Laribus*, quam aliis diis suis consensus. Vulgaris quidem, ut ait Arnobius (*Arnob.*, *l.* III, *p.* 124), opinio erat illos vicorum et itinerum esse deos; quia vicus græce Λαύρα appellatur. Et hanc quidem græcæ vocis significationem Casaubonus aliique complures satis probavere (*Casaubon. in l.* XII; *Athen.*, *c.* 10). Vossius tamen nomen *Lares* ab Etrusca voce, *Lar*, ductum fuisse su-

spicatur. Utut sit, constat sane illos communi ethnicorum opinione vicorum deos censeri. De Lara siquidem, Larium matre, ab Ovidio decantatum legimus illam, cum Jovis jussu ad manes duceretur, ab ipso duce suo, postquam muta et elinguis facta fuisset, compressam, et inde inquit:

Fitque gravis, geminosque parit, qui compita servant,
Et vigilant nostra semper in æde Lares.

(*Ovid., lib.* II *Fastor., vers.* 703.)

Tibullus quoque eos agrorum custodes esse asseverat:

Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares.

(*Tibull., lib.* I, *eleg.* 1, *vers.* 23 *et seqq.*)

Magna tamen in Nigidio, ait auctor noster fuit de illis diis varietas et inconstantia. Primum enim asseruit hos esse tectorum domorumque custodes. At hoc quidem ab Ovidio expressum vidimus; cui rursus concinit his verbis Tibullus:

Sed patrii servate Lares, aluistis et iidem,
Cursarem vestros cum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse a stipite factos:
Sic veteris sedes incoluistis avi.

(*Id., ibidem, eleg.* 11, *vers.* 15 *et seqq.*)

Deinde vero idem Nigidius, narrante Arnobio (*Arnob., l.* III, *p.* 124), dixit illos esse Curetas, qui puerum Jovem occultarunt. Denique aliquando tradidit hos ipsos Lares esse eosdem, atque Idæos Samothracios, sive Idæos Dactylos, de quibus alibi disputavimus (*tom.* I *Apparat. l.* III, *dissert.* 2, *c.* 19, *art.* 2, *p.* 1163 *et seq.*). At si vera est ista Arnobii narratio, hinc colligitur Nigidium ex his fuisse unum, qui Curetas ab Idæis Dactylis distinguebant, nec compertum habuit qui Lares fuerint.

Similis fuit Varronis hæsitatio. Nobis enim auctor noster declarat eum alicubi scripsisse illos esse Manes, et ideo matrem eorum Maniam. Et re quidem vera in quodam ejus libro hæc legimus totidem ejus verba: « Videmus Maniam matrem Larum, et Luciam Volumniam Saliorum carminibus appellari » (*Varr., l.* VIII *de Ling. lat., p.* 126). Nec illius tantum fuit hæc opinio, verum etiam Cecinnæ, ex quo hæc refert Macrobius: « Aliquamdiu observatum, ut pro familiarium, seu familiarum, sospitate pueri mactarentur Maniæ deæ, matri Larium » (*Macrob., l.* I *Saturn., c.* 7, *p.* 207); sed hoc sacrificium postea in aliud commutatum esse significat.

Verum hæc sententia cum eidem Varroni omnino non arrisisset, alibi definivit Lares aerios esse deos, et heroas: alibi vero antiquorum opinionem sequitur, et eos Larvas, quasi quosdam genios, et defunctorum animas fuisse pronuntiat. Ab Augustino autem discimus Plotinum, qui Platonem cæteris excellentius intellexisse fertur, docuisse dæmones esse hominum animas, atque ex iisdem hominibus, si bene meruerint, fieri Lares; si male, Lemures; si incertum quid mererentur, Manes evadere (*August., l.* IX *de Civit., c.* 10, *p.* 226).

Apuleius quoque, ubi de Socratis deo et vario dæmonum genere disputat (*Apulei, de Deo Socrat. p.* A 295 *et seqq.*), ibi nobis luculenter exponit quosdam existimavisse animum hominis post mortem vetere latina lingua Lemurem dictitatum: ex Lemuribus autem eum, qui pacato et quieto numine, haud dubie propter transactæ vitæ merita, domum possidet, familiarem Larem; male vero si vixerit, Larvam; si autem dubia sint ejus merita, Manium deum nuncupari.

De illo porro errore, quo dæmones hominum mortuorum animas esse venditabant, non semel a nobis disputatum. De Laribus vero Lilium Giraldum Salmasium, Natalem Comitem, Vossium, et de Manibus Servium legere poteris (*tom.* I *Apparat., p.* 537 *et* 993; *Girald., Hist. deor., syntagm.* 15, *p.* 480 *et seqq.*; *Salmas. in Solin., p.* 64, 412 *et* 913; *Nat.* B *Com., l.* IV *Mythol., c.* 2 *et* 4; *Voss., l.* I *de Orig. et Progr. idol., c.* 11, *p.* 43 *et seqq.*; *Serv., in l.* III *Æneid., p.* 166).

Quid vero, inquiet aliquis, sibi vult Arnobius, cum ethnicis vitio vertit, quod *Grundules* (Ms. codex regius *Grunulios*) *Lares* adorarent? Sed is meminisse debet a pluribus jam observatum fuisse Lares cognominari *Grundules*, ab antiquo verbo *grundio*, ac postea *grunnio*, fanumque illis in scrophæ, quæ 30 porcos pepererat, memoriam constructum. Quod quidem auctoritate probant Diomedis, qui in opinionis suæ confirmationem Cassium Heminam citavit (*Arnob., l.* I, *p.* 15; *Diomed., l.* II *de Dub. verbor. signif.*; *Hem., l.* II *Histor.*). Videsis Vossii etymologicon ad verba *grunnio et suggrunda*.

C Quorsum vero, rogabit alius, inter hosce deos interjecta a nostro auctore Summani dei commemoratio? Facilis obviaque est responsio. Summanus enim rex Manium summus habebatur. Quocirca ipsemet Arnobius, ubi postea de Proserpina a Plutone rapta disserit: *Rex prosiliens Manium*, inquit, *raptam virginem secum vehit*. Alibi hujus ille templi, ac Cicero fictilis ejus simulacri, fecerunt mentionem. Plinius vero docet attributa illi fuisse nocturna fulmina: *Tuscorum*, inquit, *litteræ novem deos emittere fulmina existimant..... Romani duos tantum ex eis servavere, diurna attribuentes Jovi, nocturna Summano*. Eam sæpe ob causam majores huic honores, quam Jovi, teste Augustino, ethnici quondam detulerunt. Postea tamen sic imminutos fuisse perhibet, ut qui Sum- D mani nomen se legisse meminerit, vix ullus amplius inveniretur homo. At hunc nihilominus ethnici deum, uti Varro testatur, esse autumabant. At quis inde, atque ex iis omnibus, quæ toto hoc in capite disputata sunt, facillime non intelligat ethnicos nihil de Laribus, Penatibus, Novensilibus, aliisque diis habuisse certum et exploratum? Quis ergo eos plane falsos commentitiosque esse diffitebitur? (*Arnob., l.* III, *p.* 125; *Varr., l.* IV *de Ling. lat., p.* 18 *et* 19; *Arnob., l.* V, *p.* 173 *et* 183, *l.* VI, *p.* 191; *Cic., lib.* I *de Divinat., p.* 257, *lin.* 41; *Plin., l.* II *Natur. hist., c.* 52, *p.* 206; *August., l.* IV *de Civit., c.* 23, *p.* 105.)

Sed urget Arnobius, huncque argumentatur in

modum? (*Arnob.*, *l.* III, *p.* 125.) Quisquis alicui sup- A plicat deo, vel ejus implorat auxilium, vel morbo aliquo se ab illo levari plane postulat, is scire prius debet, quis ille deus sit, et utrum ab illo, aut ab alio possit ea, quæ rogat, impetrare. Nec minus ipsi perspicuum esse debet quibus verbis ei supplicandum, quove sacrificandum ritu. Atqui cum tanta sit de uno deo opinionum varietas et repugnantia, nullus profecto id scire umquam potest. Qui ergo in hac ignoratione versatur, ille temere deum aliquem, atque unum sæpe sæpius pro alio, Summanum pro Jano, Neptunum pro Apolline, pro Laribus Curetes, aut Penates invocabit. Tantum igitur abest, ut sacrificiis, et precibus ea, quæ ab illo petit, exoret et consequatur; ut obstructas obturatasque aures ejus inveniat, aut in illius incurrat offensionem atque B odium.

ARTICULUS IV.

Perpenditur aliud Arnobii contra gentium deos argumentum, ductum ex multiplicato eorumdem deorum numero, tribus videlicet Jovibus, quinque Solibus, totidem Mercuriis ac Minervis, quatuor Vulcanis, tribus Dianis et Æsculapiis, sex Herculibus, tribusque Castorum et Musarum generibus.

Quam falsi sint gentilium dii evidentissime adhuc probat facta non solum ab imperitis quibusdam, sed ab antiquis etiam ac peritioribus illorum theologis unius ejusdemque dei multiplicatio. Sed audias velim quomodo Arnobius hoc demonstret non minorum quidem, sed majorum quoque, uti jactitabant, deorum exemplis. Sic autem ille: « Aiunt theologi C vestri, et vetustatis absconditæ conditores, tres in rerum natura Joves esse, ex quibus unus Æthere sit patre progenitus, alter cœlo, tertius vero Saturno, apud insulam Cretam, et sepulturæ traditus et procreatus » (*Arnob.*, *l.* 4, *p.* 135). Ex Cicerone autem isthæc decerpta fuisse satis probant hæc ipsa latini Oratoris verba: « Principio Joves tres numerant ii, qui theologi nominantur; ex quibus primum et secundum natos in Arcadia, alterum patre Æthere..... alterum patre Cœlo..... tertium Cretensem Saturni filium, cujus in insula illa sepulcrum ostenditur » (*Cicer.*, *l.* III *de Natur. deor.*, *p.* 247, *lin.* 34). At græcorum veterum ea fuisse commenta ex superioribus Ciceronis verbis facile colligi potest: « Nam Joves quoque plures, ait ille, in priscis græcorum D litteris invenimus » (*Ibid.*, *p.* 245, *lin.* 45). Nos vero de hisce atque aliis adhuc Jovibus alibi egimus (*tom.* I *Apparat.*, *p.* 752).

Tum deinde Arnobius objicit quinque ab iisdem ethnicis Soles produci, quorum « primus, Jovis, inquit, filius dicitur, et Ætheris habetur nepos; secundus æque Jovis filius, et Hiperiona proditus genitrice: tertius Vulcano, non Lemnio, sed Nili qui fuerit filius; quartus Jalysi pater, quem Rhodi peperit heroicis temporibus Achanto: quintus Scythici regis, et versipellis habetur Circæ» (*Arnob.*, *l.* IV, *p.* 135). At hæc etiam hausta sunt ex Cicerone, qui prius dixerat: « Soles ipsi quam multi a theologis proferuntur. Unus eorum Jove natus, nepos Ætheris: alter Hiperione: tertius Vulcano Nili filio..... quartus is, quem heroicis temporibus Achanto Rhodi peperisse dicitur, avum Jalysi, Camiri et Lindi: quintus, qui Colchis fertur Æetam et Circen procreavisse » (*Cicer.*, *l.* III *de Natur. deor.*, *p.* 247, *lin.* 45). Neque objicias Arnobium ibi paululum a Cicerone variasse; quippe qui secundum Solem ex Jove et Hiperione, Cicero vero ex Hiperione dumtaxat natum dixerit. Nam tametsi responderi possit lectum fortasse ab Arnobio in Ciceronis textu nomen Jovis, ea levissima discrepantia, qua Cicero Apollinis tantum matrem, et Arnobius patrem et matrem nominat, nulli persuadebit hunc Ciceronis locum ab Arnobio non fuisse compilatum.

Urgebis quartum Solem ab Arnobio Jalysi patrem, et a Cicerone avum vocari. At numquid patris nomine, avus numquam significari potest? Quod tandem quintus Sol a Cicerone Æetæ et Circes, et ab Arnobio Scythici regis et Circæ filius dicatur, ambo verbis tantum dissentiunt. Quid enim vetat quominus Scythici regis nomine Æetas Colchorum, qui Scythis olim accensebantur, rex intelligatur?

In dubium autem nullus umquam vocabit, quæ de quinque Mercuriis subjungit Arnobius, ea ex eodem Cicerone fuisse delibata. Sola siquidem verborum descriptio manifestissimum illud omnibus facit. Arnobii autem hæc sunt: « Mercurius primus, qui in Proserpinam dicitur genitalibus adhinnivisse subrectis, supremi progenies Cœli est. Sub terra est alter, Trophonius qui esse jactatur. Maia tertius matre, et Jove procreatus tertio. Quartus soboles Nili est, cujus nomen Ægyptia gens horret et reveretur expromere. Quintus Argi est interemptor, fugitivus atque exsul, et proditor apud Ægyptum litterarum » (*Arnob.*, *l.* IV, *p.* 135). Cicero vero hunc loquitur in modum: Mercurius unus Cœlo patre, Die matre natus, cujus obscenius excitata natura traditur; quod aspectu Proserpinæ commotus sit. Alter Valentis et Phronoridis filius, is qui sub terris habetur, idem Trophonius. Tertius Jove tertio natus et Maia..... Quartus Nilo patre, quem Ægyptii nefas habent nominare. Quintus, quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interemisse, ob eamque causam Ægypto præfuisse, atque Ægyptiis leges et litteras tradidisse » (*Cicer.*, *l.* III *de Natur. deor.*, *p.* 248, *lin.* 4). Vides sane hæc proculdubio ab auctore nostro desumpta fuisse, quæ suis verbis, et brevius quidem, sed minus eleganter reddidit.

Prosequitur ille, ac quinque etiam Minervas ab gentilibus venditatas ita recensuit: « Prima non virgo, sed ex Vulcano Apollinis procreatrix. Nili altera proles, et quæ esse perhibetur Ægyptia. Stirps Saturni est tertia, et quæ usum excogitavit armorum. Jovis quarta progenies, quam Messenii Coryphasiam nuncupant. Et quæ Pallantem occidit patrem, incestorum appetitorem, est quinta » (*Arnob.*, *l.* IV, *p.* 135). Tullius vero: « Minerva prima, quam Apollinis matrem supra diximus. Secunda orta Nilo, quam Ægyptii Saitæ colunt. Tertia, illa quam Jove generatam

supra diximus. Quarta Jove nata et Coryphe Oceani filia, quam Aracades Coriam (al. Coryphasiam) nominant, et quadrigarum inventricem ferunt. Quinta Pallantis, quæ patrem dicitur interemisse, virginitatem suam violare conantem, cui pinnarum talaria affigunt » (*Cicer.*, *loc. cit.*, *lin.* 31).

Clemens etiam Alexandrinus totidem Minervas dinumerat (*Admon. ad Gent.*, *p.* 17), ita ut non minus auctor noster ad illum, quam ad Ciceronem accedere videatur : Εἰσὶ δὲ οἱ πέντε Ἀθηνᾶς ὑποτίθενται, τὴν μὲν Ἡφαίστου, τὴν Ἀθηναίαν. τὴν δὲ Νείλου, τὴν Αἰγυπτίαν. τρίτην τοῦ Κρόνου, τὴν πολέμου εὑρέτιν. τετάρτην τὴν Διός, ἣν Μασσήνιοι Κορυφασίαν, ἀπὸ τῆς μητρὸς ἐπικεκλήκασιν. Ἐπὶ πᾶσι, τὴν Παλλάντος καὶ Τιτανίδος τῆς Ὠκεανοῦ, ἣ τὸν πατέρα δυασσεβῶς καταθύσασα, τῷ πατρῴῳ κεκόσμηται δέρματι, ὥσπερ κῳδίῳ : « Sunt et qui fingunt quinque Minervas, unam quidem Vulcani filiam, Atheniensem : alteram vero Nili » [de qua Plato ab ipsomet Arnobio (*Arnob.*, *l.* IV, *p.* 137 ; *Plato*, *in Timæo*, *t.* III, *p.* 21) postea citatus] « Ægyptiam : tertiam Saturni, belli inventricem : quartam Jovis, quam Messenii Coryphasiam a matre cognominarunt : postremam, filiam Pallantis et Titanidis, filiæ Oceani, quæ patre impie ab ipsa sacrificato, ornata fuit pelle patris tamquam vellere. Utrumque Ciceronis et Clementis Alexandrini locum integrum retulimus, quia mutuam sibi et Arnobio lucem afferunt, ac facillus quivis judicabit utrum ipse Arnobius ad unum potius respexerit, quam ad alterum, aut ad utrumque, aut aliquid ab uno, et aliud ab alio mutuatus sit.

Porro autem etiamsi ille cum utroque, Cicerone et Clemente Alexandrino, asserat Minervæ *Coryphasiæ*, nomen a matre ejus Coryphe formatum (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 137); postea tamen ipse nos admonet inde etiam illud potuisse derivari, quia ex Jovis vertice armata prodiisse ferebatur. Nec forsitan prorsus immerito. A nonnullis enimvero observatum est græco nomine, κορυφή, significari verticem, et partem capitis inter sinciput et occiput mediam et summam. Non desunt tamen, qui ex Coryphasio monte sic appellatam velint.

At ex Cicerone ea similiter Arnobius decerpsit, quæ de aliis diis, sed verbis retulit paucioribus. Tot namque insulsas de illis ethnicorum fabulas fusius enarrare pertæsus, cætera sic scrictim perstringit : « Aiunt iidem theologi quatuor esse Vulcanos, et tres Dianas, Æsculapios totidem, et Dionysios quinque, ter binos Hercules, et quatuor Veneres, tria genera Castorum, totidemque Musarum, pinnatorum Cupidinum trigas, et quadrigas Apollinarium nominum » (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 136). At Cicero eos omnes, sicut et alios priores singillatim recenset. Apud eum itaque reperies horum omnium et expositionem et probationem. Nos vero alibi de quibusdam aliquid attigimus (*Cicer.*, *lib.* III *de Natur. deor.*, *pag.* 245, 247 *et* 248; *tom.* I *Apparat.*, *pag.* 851).

Cotta autem, cujus nomine Cicero ea omnia explicat, inde haud dubitanter concludit iis, quæ ex Græcia vetere sunt collecta, plane resistendum, ne perturbentur religiones. At certe Arnobius noster perspicue ostendit quonam religiones modo his plane perturbentur. Nam si plures sint, inquit, ejusdem nominis dii, a se invicem distincti, conturbata hæsitabit religio hominum, qui sane ad quem vota precesque dirigant, scire non poterunt. Quid vero, si sacrificium aliquod Minervæ, aut Jovi, aut alteri fiat, nonne unusquisque ex iis sibi soli factum existimabit? Nonne cum alio, si sibi fieri contendat, illico rixabitur, atque ambo inter se digladiabuntur?

Non patitur autem Arnobius sibi ab aliquo responderi incompertum esse, an theologi gentiles certa et explorata, aut ficta et falsa pro libidine scripserint. Satis enimvero nobis est, inquit, ostendisse illos de rebus publicis et vulgaribus loqui, quarum unaquæque se ipsam prodit, et omnibus manifesta est. Si vero hi theologi mentiti sunt, ab ethnicis demonstrandum est, unde certi de diis suis aliquid didicerint. At quomodo hoc demonstrabunt, nisi ex eorumdem theologorum suorum scriptis, ex quibus acceperunt quid de diis divinisque rebus statutum factumve olim fuerit? Denique si libri theologorum, pontificum, vel philosophorum mendaciis fabulisque scateant, rejiciendi prorsus sunt, ac penitus abolendi, omnesque eorum religiones exterminandæ.

CAPUT XVIII.

Quam perspicue Arnobius ex seriis gravibusque ethnicorum historiis, quarum memoria annuis diebus festis celebrabatur, absurdos illorum de diis errores destruat.

ARTICULUS PRIMUS.

Examinatur prima historia, qua Numa Pompilius a Jove, Fauni et Pici artibus evocato, fulminis procurationem didicisse jactitabatur; et alia Cybeles, Agdestis, et Attidis historia, annuis celebrata festis diebus, ubi de Abderitanorum stupore et insania.

Quam falsa sit superstitiosa gentilium religio, alio Arnobius argumento manifestissime convincit (*Arnob.*, *lib.* V, *pag.* 154). Illud autem petit ex gravibus seriisque illorum historiis, quas veras esse ita persuasum habuere; ut eas quotidiano usu probatas, annuis celebrarent festis, variisque simulacris repræsentarent.

Primam itaque Arnobius ex secundo Antiatis, hoc est, illius Annalium libro excerpsit. Ibi vero ille narrabat Numam, ut procurandi fulminis scientia informaretur, Egeriæ monitu Faunum et Picum deos agrestes, cum extinguendæ sitis causa ad fontem quemdam venissent, dolo et arte inebriatos, ac postea sopitos, a duodecim, quos Numa ipse in insidiis posuerat, juvenibus constrictos fuisse vinculis. Non prius autem illos solvi voluit, quam a Jove, in terras evocato, et variis verborum ambagibus deluso extorsissent, quam rex Numa scire volebat, fulguris *procurationem*, seu expiationem. Procurare enim fulmen idem est, ac solemni expiare illo ritu et sacrificio, quo illud credebatur arceri et removeri. Unde Seneca : « Procuranda, » inquit, « existimant fulmi-

na, et expiationes non dubitant prodesse aliquando, ad submovenda pericula, aliquando ad levanda, aliquando ad differenda. » (*Senec.*, *lib.* II *Nat. qu.*, *cap.* 36, *pag.* 422.)

Hanc porro historiam non solum Antiates, sed Ovidius quoque et Plutarchus, atque hic quidem brevius, ille vero fusius descripserunt. Livius autem hæc de Numa scriptis tradidit : « Quæque prodigia fulminibus, aliove quo viso missa susciperentur atque curarentur : ad ea elicienda ex mentibus divinis, Jovi Elicio aram in Aventino dicavit. » (*Ovid.*, *lib.* III *fastor.*, § 3, *pag.* 529, *et seqq.*; *Plutarch.*, *in Vit. Numæ*, *tom.* II, *pag.* 70; *Liv.*, *lib.* I, *cap.* 20.)

Verum Arnobius hanc historiam nulli, sicut etiam fatetur Plutarchus (*Plutarch.*, *loc. cit.*), esse credibilem variis probat rationum momentis. Cui enim, inquit, umquam persuaderi poterit Faunum et Picum, ad fontem, ut sitim sedarent, venisse, ibique illis vino, pro aqua potato inebriatis, et somno oppressis injecta vincula, nec ab alio, quam a Jove disci potuisse fulminis procurationem? Neque facilius ulli probabitur eumdem Jovem, ut remedia contra fulmen suum suppeditaret, incantamentis evocatum, et *in verricula*, uti loquitur Arnobius, seu parva verruca, id est, loco edito et aspero, sicut ex Catone docet Gellius, cum homunculis conversatum, atque ambiguis illorum verbis deceptum fuisse (*Gell.*, *lib.* III *Noct. Attic.*, *cap.* 8, *pag.* 224). Omnem denique fidem superat Jovem, sicuti aiebant, crudeli humani capitis sacrificio, de quo nos supra disseruimus (*Supr.*, *cap.* 4, *art.* 1), tum voluisse fulmen expiari.

Porro autem notat Arnobius factam incantationem illam mola falsa, thure, sanguine, verbenarum suffitione, et *terribilium*, id est, magicorum, *fremore verborum*. At quædam ex his expressa videbis istis Virgilii versibus :

Effer aquam, et molli cinge hæc altaria vitta,
Verbenasque adole pingues, et mascula thura :
Conjugis ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus; nihil hic, nisi carmina desunt.
(*Virgil.*, *eclog.* 3, *vers.* 64 *et seqq.*)

Sed de præstigiis et magicis artibus jam aliquid alibi annotavimus (*tom.* I *Apparat.*, *pag.* 1239). Narrat tamen Augustinus Numam hydromantia usum, testemque citat Varronem, a quo ille dicitur nympham Ægeriam duxisse uxorem; quia aquam, unde hydromantiam faceret, egesserat, seu exportaverat (*August.*, *lib.* VII *de Civit.*, *cap.* 35, *pag.* 188). Valerius autem Maximus, Florus, Aurelius Victor, Dionysius Halicarnasseus, aliique tradunt eum simulasse se omnia sacra facere uxoris suæ Egeriæ nymphæ monitis et consiliis (*Valer. Max.*, *cap.* 2, § 1; *Florus*, *lib.* I, *cap.* 2; *Aurel. Vict.*, *de Vir. illust. rom.*, *cap.* 2; *Dionys. Halicarn.*, *lib.* II *Antiquit. rom.*, *pag.* 122). Sed de his in sequenti dissertatione (*Dissert. in Lactant.*, *cap.* 30, *art.* 2).

Cæterum vides quam validis rationum momentis Arnobius ostendat qua insulsitate gentiles annuis festis ea celebrarent; quæ nullam prorsus habebant veri speciem. Si autem vera esse putarent, Jovem

A suum maximum et omnipotentem penitus infamabant. Palam enim fatebantur illum magicis evocatum esse carminibus, iisque coactum cedere, ac docere fulminis procurationem.

Secunda Magnæ deorum matris, sive Cybeles et Attidis historia ab Arnobio, ad sempiternum ethnicorum decus deinde retractatur (*Arnob.*, *lib.* V, *pag.* 157 *et seqq.*). Eam autem a prima sua origine ex Timotheo non ignobili theologo, et aliis etiam, ac reconditis antiquitatum libris, et intimis mysteriis erutam, sic ille descripsit : In Phrygiæ finibus petra erat inauditæ vastitatis, cui ab regionis illius incolis nomen Agdus impositum. Sumpti inde lapides, ex quibus a Deucalione et Pyrrha Themidis jussu jactatis, magna Mater cum cæteris hominibus procreata

B fuit. Jupiter vero illius postea amore captus, cum sibi promissa impetrare nequivisset, voluptatem fudit in petram, ex qua decimo post mense ortus est puer, Agdestis cognominatus. Invicti autem hic fuit roboris animique adeo ferocis, ut nec homines curaret, nec deos, atque omnia pro libidine et innata ferocitate ageret. Quapropter postquam de frangenda ipsius audacia dii deliberassent, tandem artibus Liberi, qui ei vinum pro aqua propinaverat, virilitate privatus fuit. Tum ex profluente ejus sanguine nascitur malum punicum; cujus pulchritudinem Nana, filia Sangarii regis, admirata, ex eoque in sinum admisso, prægnans, tanquam vitiata in carcerem fame enecanda conjicitur. A deum autem Matre pomis sustentata, parvulum enixa est, quem Sangarius jubet

C exponi : sed a Phorba lacte nutritus hircino, idcirco Attis appellatus est. Ubi autem adolevit, illum Mater deum et Agdestis nefarie ac deperdite amaverunt. Midas vero, rex Pessinuntius, ut puerum tam infami amore liberaret, filiam suam in matrimonium ei collocandam destinavit. Ne quid porro indicta nuptiarum die illis accideret funesti, jussit urbis portas occludi. Sed Deum Mater, muris civitatis capite sublevatis, urbem ingressa est. Tum omnibus ab Agdesti, ira percito, in furorem et insaniam actis : *Mammas*, ait Arnobius, *sibi demetit Galli filia pellicis*, et Attis sub pinu sibi amputat virilia, et moritur. Ex cruore autem virilium, quæ Mater deum veste defuncti tecta in terram injecerat, viola nascitur. Sponsa vero Attidis, quam Valerius pontifex Iam vocat, fusis cum

D Agdesti lacrymis, se ipsam interficit, et sanguis ejus vertitur in violas. Has cum Mater deum suffudisset, inde oritur amygdalus. Dehinc pinum, paulo ante a nobis memoratam, in antrum defert, atque ibi illa et Agdestis lacrymantur, tunsumque pectus sauciant. Postea Agdestis Jovem rogat, ut Attim ad vitam revocet. Sed nihil aliud ab eo impetravit; nisi ut corpus illius non putresceret, comæ crescerent semper, ac minimus digitus viveret, perpetuoque motu agitaretur.

Ad eum sane modum hæc Cybeles et Attidis historia ab Arnobio describitur. At certe quamvis eam ex reconditis atque intimis antiquitatis monumentis, a se decerptam esse significet, certum nihilominus

est ab aliis scriptoribus a nobis alibi citatis (*Dissert. in Minuc., cap. 20, art. 2*), longe aliter narrari. Ne quis tamen illum secretis veterum commentariis, et Timotheo fidem facilius præbuisse arguat, alius testis antiquissimus proferendus est Pausanias, qui ad ejus narrationem cæteris omnibus propius accessit. Quia vero longius foret hujus verba et græce et latine transcribere, hæc quæ ab omnibus intelligantur proferemus : « Alius, » inquit, « sermo de Atte est apud ipsos, » Gallo græcos Pessinuntis incolas, « memoriæ consecratus. Jovem fabulantur per somnium in terram semen profudisse. Ex eo terræ conceptu genium humana quidem figura, sed ambiguo sexu in lucem prodiisse, Agdestim appellatum ; deos monstro exterritos virilem ei partem exsecuisse; ex ea amygdalam enatam, cujus cum maturos fructus appetisset B Sangarii amnis filia, eosque in sinum abdidisset, evanuisse illos quidem, verum puellam gravidam factam, puerum enixam : hunc in sylva expositum, a capella educatum, cum adolevisset, eximia fuisse, et multo quam humana excellentiore pulchritudine. Quocirca ejus amore captum Adgestim, cum ad virilem ætatem pervenisset, Pessinuntem eum propinqui sui miserunt. Ibi cum regis filiam uxorem esset ducturus, et jam nuptiale carmen cantaretur, Agdestis interveniens, tantum Atti immisit furorem; ut sibi pudenda præcideret. Hoc item socer ejus fecit. Agdestim facti pœnituit. Quare a Jove impetravit, ne qua corporis Attæ pars putresceret, aut tabesceret. » Intelligis sane plura ibi Arnobii narrationi de Attide et Agdesti similia, quædam vero diversa, ac præsertim C altum de deorum Matre silentium. Sed quæ sibi invicem conveniunt, ea certe probant Arnobium nec temere, nec immerito ethnicis Timothei, et aliorum, quos secutus est, objecisse auctoritatem.

Ex omnibus autem hujus historiæ circumstantiis, quas ille singillatim resumit, nec a nobis repeti necesse est, evidentissime demonstrat nihil plane fingi posse non solum cuilibet deo, sed cuicumque honesto moderatoque homini magis contumeliosum, nec quo proinde tota ethnicorum religio magis proteratur, et radicitus convellatur. Quin immo vel id solum, quod de Matris deorum ortu et amore, et obscenis aliorum factis dicitur, invicte probat eam, cæterosque deos, ortum aliquando habuisse, et infames fuisse homines, qui idcirco nec æternæ nec divinæ naturæ compotes D umquam esse potuerunt.

Jure igitur merito exclamavit auctor noster : « O Abdera, Abdera, dares quantas vias mortalibus irridendi, talis si apud te esset fabula ita conflata? » (*Arnob., lib.* v, *pag.* 164.) Abdera autem urbs erat Thraciæ, Democriti philosophi, et aliorum insignium virorum patria. Sed alii ejus cives erant stupori atque insaniæ obnoxii. Unde illud, de quo Erasmus disserit adagium : *Abderitica mens* (*Erasm., Adag., chil.* 4, *et cent.* 6, *adag.* 28, *pag.* 877); et hoc Martialis carmen :

Abderitanæ pectora plebis habes.
(*Martial., lib.* xx, *epigr.* 25.)

Sensus itaque Arnobii est Abderitanos, quantumvis A stupidos et insanos, numquam sine irrisione passuros aniles hujusmodi fabulas, diis indignissimas, et in eorum ludibrium confictas, apud se venditari ac prædicari. Et vero Tullius haud prorsus absimili modo post explicatam Democriti illius Abderitani insulsam de deorum natura et imaginibus opinionem, adjecit : « Quæ quidem omnia sunt patria Democriti, quam Democrito digniora » (*Cicer., lib.* I *de Nat. deor., pag.* 212).

Nec erat sane ullus ethnicis respondendi locus, in tota illa historia nihil prorsus subesse veri. Christianorum enimvero nihil interest utrum hæc falsa aut vera dicatur. Nam si vera sint, quæ in ea narrantur, dii certe irasci non debent christianis, qui tantas illorum turpitudines nec ullis umquam scriptis prodidere, nec ullibi aliquando divulgarunt. Si vero falsa sint, justam sane deorum iram ethnici concitarunt, qui hæc in eorum opprobrium litteris et sempiternæ memoriæ mandare ausi sunt. At dic tandem, obsecro, qua isti ratione asserere poterant hæc aliaque plurima eis similia esse falsa, quæ, sicuti Arnobius ait, et nos alibi annotavimus, annuis festis, et sacris, ac solemni, uti Apuleius, Tertullianus et Hieronymus testificantur, ciborum abstinentia celebrabant? Sed hæc Augustinus fusius insectatur, cujus verba, quæ quidem longe plura sunt, quam hic referri debeant, in ejus libris te legisse non pœnitebit. (*Arnob., lib.* I, *pag.* 54 ; *tom.* I *Apparat., pag.* 759; *Dissert. in Minuc., cap.* 20, *act.* 2; *Apul., lib* II *Metam., pag.* 206 *et* 209; *Tertull., lib. de Jejun., cap.* 2 ; *Hieronym., epist.* 7, *ad Lætam, et lib.* II *adv. Jovin., pag.* 91 ; *August., lib.* VII *de Civit., cap.* 26, *pag.* 172.)

ARTICULUS II.

Expenduntur vulgatæ aliæ historiæ de Fauna Fatua, seu Bona dea, myrteis virgis cæsa, et de turpissimo Tullii regis ortu.

Fatetur Arnobius et materiæ, a se de vera ac falsa religione tractandæ, rationem, et susceptum christianæ religionis vindicandæ munus postulare; ut alias similes historias sacris ethnicorum mysteriis, ac festis diebus repræsentatas, prosequeretur (*Arnob., lib.* v, *pag.* 168). Verum ne turpissima earum expositione ipse aliique contaminarentur, plures judicavit prudenti silentio esse prætereundas. Rhetorica igitur figura se præmittere simulat, quod breviter, satis tamen ad propositum suum enarrat, Faunam Fatuam, seu Bonam deam myrteis virgis, teste Sexto Clodio, propterea cæsam fuisse, quia marito suo nesciente, plenam vini seriam bibisset. Cujus quidem in facti memoriam amphora vini in illius mysteriis obtecta constituitur, nec ulli fas est iis inferre verbenas.

Macrobius autem hæc paulo enodatius, non aliquo tamen sine discrimine, huncque in modum retulit (*Macrob., libr.* I *Saturnal., cap.* 12). Fauna, inquit, et Fatua a quibusdam, ac potissimum Cornelio Labeone, et in Pontificum libris eadem dicitur atque Maia, Bona dea, Ops, Terra, et Magna mater, cui

mense Maio, ipsis hujusce mensis Calendis, res divina agitur. Ab aliis tamen eadem ac Fauni filia censetur, quæ cum patris sui, a quo perdite amabatur, voluntati obstitisset, virga myrtea ab illo verberata est. Tum ille addit : « Horum omnium hoc proferunt indicii, quod virgam myrteam in templo haberi nefas sit; quod super caput ejus extendatur vitis, qua maxime eam pater ejus decipere tentavit; quod vinum in templum ejus non suo nomine soleat inferri, sed vas in quo vinum inditum sit, mellarium nominetur, et vinum lac nuncupetur, serpentesque in templo ejus nec terrentes, nec timentes indifferenter appareant. »

Plutarchus autem quærenti cur matronæ domesticum muliebris deæ, quam Bonam appellavere, sacellum ornantes, myrtum non inserant, respondet apertam non esse illius ritus rationem; fabulæ nihilominus si qua fides habenda sit, eum morem inde ortum, quod Faulii (forte Fauni) cujusdam aruspicis uxorem, clam poto vino, virgis myrteis a marito cæsam fuisse existiment (*Plutarch.*, *Quæst. Roman.*, *tom.* II, *pag.* 268).

Clodius vero apud Lactantium refert Faunam Fatuam, Fauni uxorem, propterea quod ollam vini contra morem decusque regium clam ebibisset, fuissetque inebriata, virgis myrteis usque ad mortem a viro verberatam : sed cum illum postea facti pœnituisset, nec posset uxoris ferre desiderium, divinos honores illi detulisse, et idcirco in ejus sacris obvolutam offerri vini amphoram. Plura de illa L. Giraldus et Vossius, quos adire poteris, sicuti alios a nobis paulo ante citatos (*Lactant.*, *lib.* I *de fals. Relig.*, *cap.* 22, *pag.* 127; *Girald.*, *Hist. deor.*, *syntagm.* 4, *pag.* 137 et seq.: *Voss.*, *lib.* I *de Orig. et Progr. idolol.*, *cap.* 12; *sup.*, *cap.* 11, *art.* 5).

Porro autem ex hac variorum Scriptorum narratione quivis illud intelligere poterit, quod Arnobius ethnicos irridendo prius dixerat : « Fauna Fatua, Fauni uxor, Bona dea quæ dicitur, sed in vini melior et laudabilior potu. » (*Arn.*, *l.* I, *pag.* 20.) Quis ergo, his auditis, cum ipso non rideat, aut potius non deploret insanam ethnicorum temeritatem, qui tali feminæ, aliisque similibus divinitatem tribuere non dubitaverunt? Sed id alio adhuc exemplo perspicue demonstrat.

Ad turpissimum siquidem Servii Tullii Romanorum regis ortum delabitur (*Arn.*, *l.* V, *pag.* 169); et quamvis illum se omittere velle significet, paucis tamen verbis ea describit, quæ ad demonstrandam hujus historiæ infamiam abunde sufficiunt. At Dionysius Halicarnasseus rem totam retulit, prout apud multos romanæ historiæ scriptores memoriæ tradita fuerat (*Dion. Halic.*, *init. l.* IV *Antiq. Roman.*, *p.* 207). Ovidius porro illud his, quibus utraque Arnobii, et Dionysii narratio confirmatur, versibus cecinit :

Namque pater Tulli Vulcanus, Ocresia mater,
Præsignis facie Corniculana fuit.
Hanc secum Tanaquil, sacris de more paratis,
Jussit in ornatum fundere vina focum.
Hic inter cineres obsceni forma virilis
Aut fuit, aut visa est, sed fuit illa magis.
Jussa foco captiva fovet, conceptus ab illa
Servius, a cœlo semina gentis habet.
Signa dedit genitor tum, cum caput igne corusco
Contigit, inque coma flammeus arsit apex.

(*Ovid.*, *lib.* VI *Fastor.*, § 15.)

Quinam autem, nisi impii prorsus ac scelerati homines, hosce deos, vel potius deorum monstra, colere potuerunt? Sed hæc eorum impietas non minus manifeste patebat ex solemnibus festis et mysteriis, quæ in illorum honorem, et factorum memoriam quotannis agere consueverant, quæ jam excutienda sunt.

CAPUT XIX.

Quomodo ethnicorum mysteria et festa in deorum honorem, et rerum ab iis gestarum memoriam instituta ac celebrata falsam demonstrarent illorum divinitatem.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam evidenter Bacchanalia, seu Omophagia, Veneris Cypriæ initia, Sabazia, Thesmophoria, Eleusinia, et Alimontia demonstrent falsos esse gentilium deos.

Non infimum inter turpissima gentilium mysteria et festa locum obtinebant *immania*, ut ait Arnobius, *Bacchanalia*, quæ græco nomine *Omophagia* nuncupabantur. Quanta autem, ac quam execranda turpitudine agerentur, ex his quilibet agnoscere poterit, quæ de illis in priore Apparatus nostri tomo disputavimus. Inde etiam facile intelliget hæc, quæ Auctor noster enarrat, ex Clementis Alexandrini decerpta esse libris (*Arn.*, *l.* V, *pag.* 169; *tom.* I *Apparat. l.* III, *dissert.* I, *cap.* 9, *art.* I, *pag.* 756; *Clemens Alex.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 11).

Ex eodem proculdubio fonte illa quoque hausit, quæ de aliis Bacchanalibus, ubi Liber, seu Bacchus, a Titanibus, uti ipse alibi dixerat, ac Diodorus Siculus et Macrobius memorant, membratim sectus celebrabatur (*Arn.*, *l.* V, *pag.* 169, *et l.* I, *pag.* 23 *et seqq.*; *Diodor. Sicul.*, *l.* III *Biblioth.*, *pag.* 137; *Macrob.*, *l.* I *in Somn. Scip.*, *cap.* 12). De his autem Bacchanalibus et Omophagiis si plura, quam a nobis dicta sunt (*tom.* I *Apparat.*, *loc. cit.*), legere aliquis desiderabit, is adeat Titum Livium, Augustinum, Castellanum, ac Johannem Nicolai, et Meursium, qui de illis libros ediderunt (*Liv.*, *l.* XXXIX, § 11 *et seqq.*; *August.*, *l.* VII *de Civit.*, *cap.* 21, *pag.* 177; *Castell.*, *ad verb.* Διονυσία).

Quæ dehinc Auctor noster retulit de abstrusis Cypriæ Veneris initiis et sacris, eorumque conditore Cinyra, hæc quoque ex eodem Clementis Alexandrini libro desumpta sunt. Julius autem Firmicus de his sic loquitur : « Audio Cyniram Cyprium templum amicæ meretrici donasse, ei erat Venus nomen. Initiasse etiam Cypriæ Veneri plurimos, et variis consecrationibus deputasse. Statuisse etiam, ut quicumque initiari vellet, secreto sibi Veneris tradito, assem in manu mercedis nomine deæ daret, quod secretum quale sit, omnes intelligere debemus; quia hoc ipsum propter turpitudinem explicare non possumus. Bene

amator Cyniras meretriciis legibus servit, consecratæ Veneri a sacerdotibus suis stipem dari jussit, ut scorto. » (*Jul. Fir., de Error. prof. relig., pag.* 15.) Theodoretus vero de Cynira hæc litteris consignavit : Τὴν δέ γε Ἀφροδίτην οὐδὲ εὐεργεσίας τινὸς ἄρξασαν, ἀλλὰ καὶ ἀκολασίας γεγενημένην διδάσκαλον. χαμαιτύπην γάρ αὐτὴν καὶ ἑταίραν γεγενῆσθαί φασι καὶ ἐρωμένην Κινύρου, θεὰν ὀνομάζουσι. (*Theodoret., tom* IV, *serm.* 3, *de Angel. et dæmon., pag* 511.) « At Venerem nullius beneficii auctorem, sed intemperantiæ magistram (prostituti siquidem corporis meretricem fuisse aiunt, ac Cyniræ amasiam) deam tamen appellantes. De Cynira porro, ac Venere Vossium consule, si velis. (*Voss., l.* VI *de Orig. et Progr. Idol., cap.* 17, *pag.* 71.) Nos vero de illis alibi disseruimus (*tom.* I *Apparat., pag.* 729 *et* 1176; *Arnob., lib.* v, *pag* 169). At quis non videat his turpissimis crudelissimisque mysteriis, et festis radicitus evelli eorum divinitatem, quorum in honorem, immo ignominiam sempiternam, agebantur.

Breviter deinde auctor noster attigit sacra Corybantia, quibus fratris a fratre trucidati mors repræsentari solebat. Sed de his in primo Apparatus nostri tomo disputavimus, ac si quis ea legere velit, confestim comperiet Arnobium hic rursus in Clementis Alexandrini insistere vestigiis (*tom.* I *Apparat., pag.* 635 *et* 758; *Clemens Alex., Admonit. ad gent., pag.* 12).

Tum deinde fœdissima illa, quibus Phryges initiabantur, mysteria fusius quidem, sed propter interpositum Jovis nomen, invitus explicat (*Arn., l.* v. *pag.* 170 *et seqq.*). Ethnicos igitur ut Jovem aliosque deos suos obscenissimorum scelerum ignominia infamare puderet, breviter exponit quomodo in hisce mysteriis repræsentabant effrænatam ejusdem Jovis libidinem, qui variis artibus primum Cererem, ac deinde Proserpinam, ex ipsius cum illa adulterio progenitam constupravit. Quæ autem ibi narrat, hæc si cum jam citato Clementis Alexandrini libro conferre volueris, inde delibata esse facile perspicies (*Clemens Alexandr., Admonit. ad gent., pag.* 10 *et seqq.*). De his porro mysteriis in superiori Apparatus nostri tomo disseruimus (*tom.* I *Apparat., pag.* 759 *et seq.*), pluresque ibi citavimus scriptores, qui ea enucleare conati sunt.

Non sine aliqua tamen observatione prætermittendum est his mysteriis datum a Clemente Alexandrino Σαβαζίων μυστηρίων nomen, et ab auctore nostro dici : « Quibus Sabadiis nomen est » (*Arn., l.* v, *pag.* 171). A pluribus autem annotatum fuit Bacchum vocari Sabasium, ac mysteria ejus Sabasia. Apud Ciceronem quippe scriptum legimus : « Tertium Dionysium, seu Bacchum, Caprio patre natum, eumque regem Asiæ præfuisse dicunt, cujus Sabasia sunt instituta. » (*Cicer., l.* II *de Natur, deor., pag.* 248, *l.* 23.) Scribit etiam Diodorus Siculus (*Diodor., l.* III, *pag.* 148) alterum proferri Dionysium, sive Bacchum, Jove et Proserpina ortum, τὸν ὑπό τινων Σαβάζιον ὀνομαζόμενον, *quem nonnulli Sabasium appellant,* ac cujus ortum, sacrificia, et cultum nocturno tantum tempore ac secreto, propter eorum turpitudinem introducebant. Unde rursus Cicero : « Novos deos, » inquit, « et in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes, facetissimus poeta veteris comœdiæ, vexat, ut apud eum Sabasius, et quidam alii dii peregrini judicati, e civitate ejiciantur. » (*Cicer., lib.* II *de Legib., pag.* 337, *lin.* 44.) Denique ut Strabonem aliosque missos faciamus, Suidas aperte declarat Sebasium, Σαβάσιον, eumdem esse ac Dionysium, seu Bacchum (*Strab., lib.* XX *Geogr., pag.* 470 *et seqq.*; *Suid., ad verb.* σεβάσιος).

Neque dixeris in Arnobii nostri textu haberi *Sabadiis*, aut, ut quidam putant, *Sebadiis*. Nam apud Apuleium legimus : *Sanctus Sabadius*, haud dubie Bacchus. Apud Macrobium vero : « In Thracia eumdem haberi Solem atque Liberum accipimus; quem Sebadium nuncupantes magnifica religione celebrant » (*Apul., lib.* VIII *Metam., p.* 140; *Macrob., lib* III *Saturnal., cap.* 18, *pag.* 264). Vides itaque Bacchum ab iis et *Sebadium*, et *Sabadium*, mysteriaque ejus Sabadia cognominari. Cur ergo, inquies, ipsa quoque mysteria, quibus Jupiter imprimis colebatur Sabasia appellantur? Numquid idcirco quia Jovi etiam Sabasio cognomen fuit. Nam Grutherus varias exhibet inscriptiones, Jovi SABASIO. At nonnulli, quemadmodum Vossius, existimant Jovem eumdem esse ac Bacchum seu Liberum (*Voss., lib.* II *de Orig. et Progr. idolol., cap.* 14, *pag.* 241). Quid ergo mirum si turpissima illa mysteria, quibus duplex Jovis adulterium celebrabatur, Sabasia vocarentur? Huc illud accedit, quod in his mysteriis, uti Clemens Alexandrinus annotavit, Corybantum et Bacchi mentio fiebat (*Clemens Alexandr., Admonit. ad gent., pag.* 11).

Quæ vero de aliis mysteriis, quæ Græci Thesmophoria nuncupabant, Arnobius postea narrat, hæc ille rursus ex Clemente Alexandrino deprompta, suis verbis reddidit (*Arnob., lib.* v, *pag.* 173; *Clemens Alexandr., loc. cit.*). Pauca tamen illis adjecit, quibus exagitandam esse putavit horumce mysteriorum turpitudinem, et ethnicorum ea celebrantium cœcitatem atque impudentiam. Nos vero in primo Apparatus nostri tomo de illis disputavimus (*Tom.* I *Apparat., lib.* III, *dissert.* I, *cap.* 9, *art.* 2, *pag.* 759 *et seqq.*). Sufficiat itaque animadvertisse ibi citari quædam carmina græci poetæ, quem Clemens Alexandrinus Orpheum, et Auctor noster Calliopes filium appellat, haud dubie quia Orpheus, ut canit Virgilius, Calliope musa natus ferebatur (*Virgil., Eclog.* 4, *in fin.*). Ea autem ab illo græce exhibentur, et ab Arnobio latine tantum : utrum autem eo ipso interprete, quis definire audebit? At certum est in regio codice manuscripto mendose scriptum *sanguinibus*, melius vero in editis *inguinibus*, sed minus honeste, quam in græcis carminibus : οὐδὲ πρέποντα τύπον.

Rursus vero Arnobius ex eodem Clemente ea mutuatus est quæ de Eleusiniis mysteriis subjunxit (*Arnob., lib.* v, *pag.* 175; *Clemens Alexandr., Admonit. ad gent., pag.* 13). At si quis a nobis inquirat cur

ibi uterque Erechthidarum fecerit mentionem; huic post Diodorum Siculum respondebimus advectam Atheniensibus sterilitatis tempore ingentem frumenti copiam ab Erechtheo Ægyptio, quem tantum propter beneficium regem creaverunt (*Diodor. Sicul.*, *lib.* I *Biblioth.*, *pag.* 17). Summa autem rerum potitus, Eleusinia, sive Cereris mysteria, ritibus ex Ægypto traductis, instituit. Quapropter Athenienses Erechthidæ, seu Erechthidarum populi, ab Clemente Alexandrino, Arnobio et aliis vocantur. De illis autem Eleusiniis mysteriis a nobis in superiore Apparatus nostri tomo actum est (*tom* I *Apparat.*, *lib. cit.*, *pag.* 760).

Execranda tandem, nec satis unquam detestanda Alimontia mysteria Arnobius, Clementis Alexandrini sequester adhuc et interpres, pro merito insectatur (*Arnob.*, *lib.* V, *pag.* 176 *et seq.*; *Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 21 *et* 22). Nos vero de hisce sacris fœdissimis et æterna oblivione, nisi ad confutandos gentiles, eosque a superstitioso deorum cultu ad veram religionem adducendos, damnandis, nos alibi disputavimus (*Eod. tom.* I *Apparat.*, *pag.* 774, *et seqq.*).

Porro autem quis sanæ mentis homo illam tot tamque horrendorum mysteriorum enarrationem audire potest, quin statim cum Auctore nostro concludat summam esse ethnicorum iniquitatem ac dementiam, qui ad deos tantis adeoque nefandis sceleribus infames colendos, atque ad tam obscena ac detestabilia mysteria peragenda omni suppliciorum genere christianos compellere conabantur? Quid enim magis iniquum, quam eos idcirco condemnare, tamquam atheismi convictos? Nonne ipsi gentiles potiori jure athei dicendi erant, qui, rejecto veri Dei cultu, publicis in festis et mysteriis fictitios colebant deos, qui execranda sua ob flagitia nec hominum digni erant nomine?

ARTICULUS II.

Quomodo ethnicorum responsio, qua mysteria illa ac turpissimas deorum suorum historias allegorice explicandas esse contendebant, ab Arnobio funditus evertatur.

Non magna sine animi commotione persentiebant ethnici, quam evidenter deorum suorum festa, mysteria, atque etiam historiæ, quas in superiori capite recensuimus, falsam eorum divinitatem demonstrarent (*Arnob.*, *lib.* V, *pag.* 179). Quamobrem argumenta ex iis ducta, quoquo tandem modo infirmare connitebantur. Itaque respondebant ea quæ sibi objiciebantur, nec negare aut dissimulare poterant, turpia deorum suorum scelera in mysteriis repræsentata, nentiquam debuisse ad litteram, sed allegorico altiorique sensu intelligi. Peritiores etenim docebant in iis omnibus, quantumlibet turpia obscenaque viderentur, contineri physicas, mysticas, mirabiles ac paucis cognitas rationes. Nam Jovis, inquiebant, cum Cerere, aut filia sua concubitus, raptus Proserpinæ, et alia quælibet his similia nihil significabant aliud, nisi pluviam, tellurem, imbrem, semina, aliasque res

A naturales, quas illorum auctores, atque ex iis postmodum Natalis Comes et Vossius enucleare conati sunt. Et certe ex Cicerone discimus hanc ipsam fuisse Chrysippi aliorumque philosophorum, qui physici vocabantur, opinionem ac responsum. In secundo etenim illius de Natura deorum libro Balbus, Stoicorum nomine, latentem in historiis illis, et mysteriis physicum allegoricumque sensum eruere et explanare nititur. Postquam vero planum ibi fecit, quid Saturni a Jove vincti, et aliorum ejusdem generis factorum nominibus physice et allegorice significetur, hunc in modum concludit: « Videtisne igitur ut a physicis rebus, bene atque utiliter inventis, tracta ratio sit ad commentitios et fictos deos? Quæ res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos, et superstitiones B pene aniles. » (*Cicer.*, *lib.* I *de Natur. deor.*, *pag.* 223 *et seq.*; *et lib.* I *pag.* 201.) Contendit itaque res physicas et naturales, summa poetarum aliorumque licentia, ad deos falsos et commentitios translatas fuisse, atque in eos præpostere transformatas. Contra tamen Eusebius (*Euseb.*, *lib.* II *Præpar. evang.*, *cap.* 6, *pag.* 74), Diodori Siculi et Clementis Alexandrini auctoritate fretus, contendit prius ab antiquissimis gentilibus disseminatas fuisse turpissimas illas de diis suis opiniones, vel potius opinionum monstra ac portenta. Posthæc vero cum recentiores tantarum, inquit, obscœnitatum, in his tam turpiter expressarum puderet, nec ea tamen possent omnino aut rejicere, aut inficiari, ad physicum allegoricumque sensum confugere coacti sunt.

C Verum, utcumque res se habuerit, constat sane hæc ethnicorum responsa, vanasque explicationes ab Arnobio nostro aliisque Ecclesiæ Patribus stirpitus extrahi. Quo enim pacto, ait auctor noster, hæ interpretationes prohibere possunt (*Arnob.*, *lib.* V, *pag.* 180 *et seqq.*) quin ea, quæ de diis scripta legimus, prout verba sonant, sint flagitiosa ac omnino impia? Quis vero ea allegorico tantum sensu explicanda esse probare poterit? Si hic enimvero sensus, sicuti aiebant, occultus est, quis illum gentilibus patefecit? Nonne etiam plures afferri possunt unius et ejusdem historiæ, verbi gratia, de Jove et Cerere explicationes? Quis ergo unam potius, quam aliam, veram genuinamque esse certo nobis probabit?

Age vero; numquid omnes ejusdem historiæ parD tes sensu allegorico intelligendæ sunt? (*Ibid.*, *p.* 189 *et seqq.*) Sed quis nobis umquam edisseruit aut edisserere potuit quid Brimo, quid Baubo, quid Hennæ nemus et flores, quid Ætnæ ignis et faces, quid Attica regio, quid pagus Eleusinius, et alia ejuscemodi propemodum infinita allegorice significent?

At illud inprimis attentione dignum, quod in illorum memoriam festa et mysteria, annuis ac statis quibusdam diebus, ab omnibus ethnicis peragebantur (*Ibid.*, *pag.* 184 *et seq.*). Quemadmodum ergo certa et constans, ac insigni facto aliquo fundata esse debebat horumce festorum dierum origo: ita quæ solebant in eis exhiberi, aliquid reapse antea actum repræsentabant. Necesse igitur fuit ut quædam saltem

historiarum illarum partes naturalem et minime allegoricum sensum habuerint. At si quædam partes naturali et aliæ allegorico sensu sunt accipiendæ, quis eas recte discernet? Nulla enimvero nota, nullumque signum est quo una ab alia secernatur.

Sed ethnicos adhuc acrius urget Arnobius. Gratis enim et liberaliter illis concedit has historias, et quæ in mysteriis flebant, neutiquam litterali, sed allegorico tantum sensu posse explicari. At non inde profecto, arguit ille, minor in deos redundat infamia. Quo enim graviori convicio verberari poterant, quam illos idcirco nominibus appellare flagitia et scelera apertissime significantibus, quia plures garriebant iis res naturales mystico sensu indicari?

Quid iisdem diis magis contumeliosum quam turpissima illorum facta palam et ubique et prædicando, et repræsentando, res velle significari graves nec inhonestas? Eo quippe absurdo penitus loquendi modo turpitudo prius animum, quam sensus illius allegoricus, et religionis auctoritas perstringit. Quis etiam inficias ire audeat longe satius fuisse rem quamlibet naturali suo, quam ullius obsceni aut crudelis deorum facinoris nomine vocari? Tum enim ea et cognitu facilis, et illæsa servata fuisset cœlestium numinum dignitas.

Non itaque audiendi amplius gentiles, qui adhuc objectabant deos nolle sua sciri mysteria, atque ea idcirco, et illorum historias allegoricis tectas esse ambagibus (*Ibid.*, *pag.* 187). Quis enimvero nosse potuit ita diis fuisse placitum? Certo autem nobis compertum est deos numquam voluisse turpia de se dici et prædicari. Quid enim sol, verbi causa, tellus, aliæque res naturales, si quædam sint numina, meruerunt ut ab ethnicis, Attidis, id est, hominis castrati et semiviri, aliorumque sceleratorum hominum nominibus nuncuparentur? Denique non solum dii ipsi colendi, sed illorum etiam nomina veneratione et honore digna sunt, neque illa aliis proculdubio terrenis et abjectis, multoque minus turpibus ac fœdis rebus imponenda. Quis ergo his rationibus rite perpensis, non videt quam recte Arnobius probaverit ab iis, qui deorum suorum historias et mysteria allegorico mysticoque sensu explicabant, non magis religionibus suis fuisse consultum, quam ab aliis, qui eas litterali obvioque sensu intelligendas esse opinabantur? Parem enimvero utrique diis suis faciunt injuriam, omnemque imprudentes eis adimunt divinitatem.

ARTICULUS III.

Quomodo eadem gentilium responsio ab aliis scriptoribus penitus infirmetur et destruatur.

Exposuimus quam brevius clariusque fieri a nobis potuit, omnia Arnobii contra datas ab gentilibus allegoricas et mysticas deorum mysteriorumque suorum interpretationes, argumenta; ut omnes facilius intelligant illas tanto planius ab eo confutari, quanto sæpius ethnici ad eas tanquam ad maximum religionis suæ propugnaculum confugiebant. Non solus tamen Arnobius, sed alii etiam scriptores cum christiani, tum ethnici, illos ex hac levissima defensione dejecerunt.

Cicero siquidem in tertio de Natura deorum libro Balbum, his explicationibus opiniones stoicorum propugnantem, Cottæ Academici nomine, sic refellit: « Jam vero quid vos, » inquit, « illa delectat explicatio fabularum, et enodatio nominum..... Magnam molestiam suscepit, et minime necessariam primus Zeno, post Cleanthes, deinde Chrysippus, commentitiarum fabularum reddere rationem; vocabulorum, cur quidque ita explicatum sit, causas explicare. Quod cum facitis, illud profecto confitemini longe aliter se rem habere atque hominum opinio sit; eos enim, qui dii appellantur, rerum naturas esse, non figuras deorum. Qui tantus error fuit; ut perniciosis etiam rebus non modo nomen deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. Febris enim fanum in palatio..... Omnis igitur talis a philosophia pellatur error; ut cum de diis disputamus, dicamus digna diis immortalibus: de quibus habeo quid sentiam, non habeo autem quod tibi assentiar » (*Cicer.*, *lib.* II *de Natur. deor.*, *pag.* 248 *et seq.*). Audisne quam recte Tullius has stoicorum interpretationes, tamquam absurdum penitus errorem, a philosophia repellendum, explodat? Nec minore facilitate animadvertisti quanta evidentia demonstret iis nihil, uti etiam Arnobius contendit, Deo immortali dignum proferri.

Eusebius vero, et post eum Theodoretus, transcriptis Platonis ex ipsius Timæo verbis ostendunt illum diserte et explicate docuisse vulgares illas de diis fabulas, sive historias, omnesque allegoricos earum sensus, quos Ethnici ad philosophiam accommodatos esse rebantur, excludendos esse prorsus et coercendos (*Euseb.*, *lib.* II *Præpar. evang.*, *cap.* 7, *pag.* 76 *et seq.*; *Theodor.*, *serm.* 3, *de Angel. et dæmon.*, *tom.* IV, *pag.* 512 *et seq.*). Ad hæc vero idem Eusebius, Dionysii Halicarnassei verbis, ex secundo illius Antiquitatum romanarum libro desumptis, probat a priscis Romanis statutum fuisse, ut universa illa Græcorum physiologia, tanquam plane inutilis, nec sibi cohærens, ab universis theologiæ finibus ejiceretur exterminareturque.

Non mirum itaque, si antiquissimi Ecclesiæ patres tanto animi ardore eosdem allegoricos sensus insectati sunt. Nam ut Recognitionum Clementis nomine inscriptarum et Clementinarum auctorem qui eas similibus atque Arnobius noster rationibus impugnat, missum faciamus, Athenagoras evidenter demonstrat ethnicos, ac nominatim stoicos hisce allegoriis ne hilum quidem ad religionis suæ defensionem proficere. Certum quippe esse debet iis divinitatem rebus dumtaxat creatis et corporeis attribui. Veri autem Dei una tantum esse potest ingenita, incorporea et æterna substantia. At hinc plane conficitur Saturnum, Jovem, et alios ejuscemodi numquam fuisse deos (*Clem.*, *lib.* X *Recogn.*, *cap.* 35 *et seq.*, *pag.* 517; *Clement.*, *hom.* 4, *cap.* 24 *et seq.*, *pag.* 607, *et hom.* 6,

cap. 17 *et seq.*, *pag.* 625 *et seq.*; *Athenag.*, *Leg. pro christian.*, *pag.* 22 *et seq.*).

Eodem quoque modo Tatianus, quemadmodum alibi annotavimus, corripit gentiles, ac præsertim Metrodorum Lampsacenum, qui omnes deos, eorumque historias, ad allegoricum sensum trahere moliti sunt (*Tom.* I *Apparat.*, *pag.* 522 *et* 550; *Tatian. Orat. contr. Græc.*, *pag.* 160).

At Eusebius aliis adhuc rationibus hanc novam, uti loquitur, et insolentem ethnicorum contumaciam reprimit (*Euseb.*, *lib.* II *Præpar. Evang.*, *cap.* 6, *pag.* 74). Post inventas enimvero illas allegoricas physicasque interpretationes, iidem ethnici patrios colendorum deorum ritus non mutavere. Quin immo pecudes, homines, ipsasque humani corporis partes, quas nominare pudet, iisdem divinis honoribus, hymnis, sacrificiis, aliisque religiosis ritibus sunt prosecuti. A Julio autem Firmico eadem propemodum rationum momenta contra ethnicos adhibentur (*Jul. Firm.*, *de Error. prof. relig.*, *pag.* 4).

Quamobrem Augustinus scite docet eum qui scelestis turpibusque rebus, res alias naturales colit, bis peccare (*Augustin.*, *lib.* VII *de Civitat.*, *cap.* 27, *pag.* 183): tum quia verum Deum non colit, tum quia illum eo modo non colit, quo colendus est. Alibi vero illas allegoricas et physicas turpium deorum explicationes a doctioribus allatas explodit, quia parum interest utrum « hoc, » inquit, « in veracibus libris homines instruat religiosos, illud in fallacibus ludis dæmones delectet impuros, quos tamen illi religiosi tanquam deos colunt; et cum de illis hæc negant, ab omni eos crimine purgare non possunt; quoniam ludos iis ritibus exhibent, ubi turpiter aguntur, quæ velut sapienter negantur; et his falsis ac turpibus dii placantur, ubi etsi fabula cantat crimen numinum falsum, delectari tamen falso crimine, crimen est verum » (*Idem.*, *ibid.*, *libr.* XXVIII, *cap.* 12, *pag.* 497).

Nobis porro ethnici objicere non poterant sacrarum quoque nostrarum Scripturarum abstrusos, latentes, et allegoricos esse sensus. Nam hi plane penitusque ab illorum expositionibus discrepant, quemadmodum Gregorius Nazianzenus, hisce verbis disertissime explicat: « Apud nos quoque, » inquit, « abditi quidem et abstrusi sermones sunt; nec enim inficias ivero. Verum quænam duplicis eorum sensus est ratio, et quæ vis, quæ facultas? Nec externa species indecora et inhonesta est; et quod occultatur admirandum est, iisque qui in penetralia ipsa incuduntur, mire splendidum, ac pulcherrimi cujusdam corporis instar, haud aspernanda veste contegitur. Rerum enim divinarum, mea quidem sententia, ne indicationes quidem ipsas externasque species inhonestas esse convenit, rebusque significatis indignas, ac denique tales, ut homines quoque ipsi eas de se prædicari permoleste laturi sint, veram aut maximam omnino pulchritudinem habere, aut certe a summa turpitudine abesse, ut partim eruditiores oblectent, partim vulgi animos minime labefactent. Apud vos contra, nec quod intelligendum proponitur, fidem meretur, et quod externe oculis objicitur, funestum et exitiosum est. » (*Greg. Naz.*, *orat.* 39, *seu* 1 *in Julian.*, *pag.* 250.) Prius vero Origenes ubi contra Celsum disputat, scite quidem ostendit christianorum gentiliumque allegorias eo inter se differre, quod hæ Dei offendant majestatem (*Origen.*, *lib.* IV *contr. Cels.*, *pag.* 196): illæ vero omnibus sive indoctis, sive doctis, ac quibuscumque, qui cupiunt veros sacræ Scripturæ sensus scrutari, optime conveniant, atque ut ex Augustino audivimus, non impediant quominus verus Deus, eo, quem decet, ritu modoque colatur.

CAPUT XX.

Quam frustra ethnici ex quibusdam miraculis, aut de re aliqua futura responsis, probare conabantur deos suos revera existere.

ARTICULUS PRIMUS.

Quanta perspicuitate Arnobius diluat ethnicorum argumentum ex miraculis petitum, sive cum pestis sedata est, sive cum ludi, monente Jove, instaurati, sive cum Æsculapii simulacrum in insulam Tiberinam transportatum fuit.

Unicum ethnicis contra tot christianorum argumenta, quorum vel uno solo omnis deorum cultus, et tota illorum religio funditus evertebatur, supererat præsidium, quod Arnobius penitus diruit ac demolitur. Objiciebant enim multa a diis patrata miracula, et reddita de futuris rebus responsa, quibus eos revera existere et hominum satisfactione atque sacrificiis placari, nec semel nec obscure demonstratum arbitrabantur.

Primum itaque narrabant editum fuisse miraculum, cum propter ludos circenses, qui in Jovis honorem instituti erant, non rite factos, pestis urbem depopulabatur (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 242 *et seq.*). His enim ludis eo quem alibis exposuimus, Jovis monitu instauratis, lues confestim cessavit (*Dissert. in Minuc. Octav.*, *cap.* 17, *art.* 3).

Aliud miraculum factum fuisse gentiles jactitabant, quando ob simulacrum Æsculapii Epidauro, quæ Peloponnesi civitas est, in Tiberinam insulam transportatum, pestis adhuc sedata fuit (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 248 *et seqq.*). Res autem tota Ovidii decantata carminibus hunc, si quæ ei fides, se habuit in modum (*Ovid.*, *lib.* XV *Metam.*, *pag.* 580 *et seqq.*): Cum dirissima pestis Romam vicinasque regiones devastaret, Romani post adhibita incassum humana medicamenta, Delphicum oraculum ab eo accipiunt Æsculapium Epidauro Romam arcessendum. Parent oraculo Romani, legatosque Epidaurum mittunt. Eorum precibus annuunt Epidaurii quidam, renuunt alii. Sed Romani ab Æsculapio admoniti, illum in serpentis formam mutatum, in Tiberinam insulam detulerunt. Quo facto pestilentia depulsa est. Et ita quidem Ovidius, ejusque narratio potest Valerii Maximi, Livii, Plutarchi, Aurelii Victoris, Lactantii et Augustini auctoritate confirmari, tametsi aut brevius, aut paulo aliter quasdam illius circumstantias retulerint (*Val. Max.*, *lib.* I, *cap.* 8, § 2; *Liv.*, *in fin. lib.* X, *et lib.* XXIX, *cap.* 11; *Plutarch.*,

Quæst. roman., *tom.* II, *pag.* 286; *Aurel. Vict.*, *de Vir. illust.*, *cap.* 22; *Lactant.*, *lib.* II, *cap.* 7, *pag.* 175; *August.*, *lib.* III *de Civit.*, *pag.* 12 *et* 17, *et lib.* X, *cap.* 16).

Ethnici itaque præcipuum, atque ut ipsis videbatur, palmarium pro sua, et contra religionem christianam argumentum ex illis aliisque ejusdem generis narrationibus petere solebant. Nec diffitetur quidem Arnobius hac in re *articulum*, sicuti loquitur, sive cardinem totius hujus causæ ac quæstionis verti (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 243). Eo enim illud argumentum validius videtur, quod hæc in ethnicorum annalibus scripta præ se ferebant aliquam veritatis ac miraculi speciem. Verum si penitus, inquit, introspiciantur, tum deprehendes nihil habere quod diis, eorumque divino numini, ac summæ majestati conveniat.

Ad instauratos enimvero ludos quod spectat, nonne dictu, inquit, absurdum est Jovem illum Optimum, Maximum, rerum omnium, uti venditabant, creatorem, magna cum animi oblectatione e cœlo spectatum venisse cantherios seu equos castratos, de velocitate certantes, *replicantes gyros septem*, id est, septies circi metam circumeuntes, tumque homines cum curribus everti, aut fratris inde retrahi cruribus? (*Ibid.*, *pag.* 245 *et seq.*) Quis prudens homo hæc tamquam pueriles ludicrasque ludificationes non aspernabitur?

Quid autem Jove magis indignum quam ira ideo excandescere; quia servus in circo flagris cæsus, ac mortis supplicio affectus fuit? Si enim pœnas ille merito dedit, non debuit Jupiter ira incendi. Si vero innocens occisus est, reus fuit ludimagister, qui illum cum posset, a morte non eripuit, et Jovem pronuntiavit hujus nece offensum. Qui autem fieri potuit, ut ea servi morte Jupiter læderetur, qui dicitur plurimos plane innocentes in his ludis occisos læto animo conspexisse? Fatetur quidem Arnobius, si in religionis contemptum id ante ludos actum fuerit, condonandum Jovi, qui sacrilegio se sperni patienter ferre nequibat. Sin autem errore et casu factum est, debebat utique optimus Jupiter humanæ fragilitati et imprudentiæ dare veniam. Quamvis porro illud, quoquomodo factum, non debuerit inultum relinqui; unius tamen propter delictum non debuere omnis civitatis populus, omnes feminæ, pueri, infantes, aliique innumeri insontes crudeli plecti pestis supplicio. Nonne enim iniquum est tot innoxios pro uno tantum reo condemnari et puniri?

Præterea, si Jupiter ludos restitui voluit, cur rusticum hominem potius, quam Consulem, aut pontificem maximum, aut flaminem suum dialem, horumce rituum longe peritiores, voluntatis suæ admonebat? Cur rustici animum ad morem sibi gerendum non prius adduxit, quam in eum tam acerbe sæviret? At completo, inquiebant, annuntiationis officio, ille sanatus est. Ecquid mirum, reponit Arnobius, si is qui intulit malum, illud repulit? Reddita vero sanitas crudele proculdubio fuit homini illi beneficium,

A quo filiorum orbitatem et mortem sensit acerbius.

Non minus insulse et inepte conficta fuerat Æsculapii, Epidauro Romam advecti, historia (*Ibid.*, *pag.* 249). Non enim ille Coronidis filius dici potest, qui fulmine perculsus interiit. Sed quisquis ille fuerit, nihil aliud Epidauro allatum ferunt, nisi magnæ molis et immensæ proceritatis serpentem. Quis autem sibi facile persuadeat deum vilissimi serpentis, super terram reptantis, induisse formam, membra habuisse ad manducandum et digerendum necessaria, atque ut maria transnataret, nave indiguisse? Cur vero se ipsum talem, qualis ipse est, videndum non præbuit? Si autem mentiri et formam mutare voluit, cur non aliam assumpsit, quam horrendam serpentis similitudinem? Nonne locum dubitandi dedit utrum
B revera ipse esset, vel aliud ab ipso plane diversum?

Nonne etiam aliqua saltem ratio ab ethnicis reddenda erat, cur serpens ille post suum ad insulam Tyberinam accessum non amplius comparuerit? Nihil quippe christiani, neque ipsimet proculdubio ethnici, aliud de hac fabula noverant, quam quod in eorumdem gentilium scriptis traditum invenitur?

Denique ethnici negare non potuerunt hunc serpentem generis fuisse terreni, « quamvis, » inquit Arnobius (*Ibid.*, *pag.* 251), « fuerit immanis et nimius, quamvis illum ab Regulo, exercitus vi cæsum, longitudine corporis et roboris anteiret. » Quantæ vero molis hic fuerit, inde judica, quod postquam ille ab Atilii Reguli exercitu apud Bragadam fluvium, ubi Regulus castra posuerat, interemptus est;
C illius corium, Romam postea missum, pedes 120 longum fuisse perhibetur. Testes hujus rei si quos desideras, tibi dabimus A. Gellium, Livium a Valerio Maximo citatum, Plinium, Senecam, Florum, Orosium, et alios adhuc, si necesse foret (*Gell.*, *lib.* VI *Noct. Attic.*, *cap.* 3, *pag.* 368; *Val. Max.*, *lib.* I, *cap. ult.*, § 19, *pag.* 77; *Plin.*, *lib.* VIII *Hist. natur.*, *cap.* 13, *pag.* 153; *Senec.*, *epist.* 82, *pag.* 156; *Flor.*, *lib.* III, *post. init.*; *Oros.*, *lib.* IV *Hist.*, *cap.* 8). Quis ergo ethnicos non miretur, qui hujusmodi serpentem deum esse dixerunt et coluerunt?

Urgebant tamen, ubi primum ille, seu, ut aiebant, Æsculapius, *ex libris fatalibus*, id est, Sibyllinis, *Vatumque*, hoc est, Apollinis *responsis*, Romam advocatus est, tum pestem protinus, nec magno sine mira-
D culo fuisse depulsam (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 251). At si Æsculapius in serpentem conversus, uti respondet Arnobius, ideo accitus est, ut hanc cladem averteret, ubi tunc erat, quando eadem civitas eodem postea morbo toties afflicta fuit, tantaque hominum millia simili peste perierunt? Cur post templa ei ædificata, non prohibuit, ne lues amplius grassaretur? Neque dixeris subsequenti tempore corruptos fuisse hominum mores. In magnis etenim et populis et civitatibus semper boni cum malis permisti fuerunt. Dicendum ergo aut attritam fuisse serpentis ad sedandas postea pestes vim et potestatem, aut falsa fatalia carmina; quando quidem suggestum ab eis serpentis remedium omni non profuit ætate. Quid ergo ex iis

omnibus concludendum, nisi gentiles tota via errasse, A qui a Jove et Æsculapio vere edita fuisse miracula venditabant.

ARTICULUS II.

Quanta evidentia Arnobius ostendat falsa esse miracula, quæ ethnici facta esse contendebant, cum simulacrum Matris magnæ ex Phrygio monte Romam adductum est, atque aliud etiam Jovis in editiore loco ad Orientem collocatum.

Non majoris profecto ponderis erat ethnicorum argumentatio, ex alio et magno quidem, uti jactitabant, miraculo desumpta (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 253). Instabant etenim frequenti sermone tritum divino magnæ Matris, sive Matris deum subsidio, postquam Vatum jussu signum illius ex Phrygio monte Romam asportatum fuit, tunc hostem potentissimum Annibalem ex Italia pulsum, ac reportatis illustribus victo- B riis, redditum Urbi decus, multaque alia domi et foris præclare gesta, quæ Romanæ gentis nomen et majestatem insuperabili firmitate fundaverunt. A quibus autem Scriptoribus hæc litteris mandata sint, alibi ostendimus (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 19, *art.* I).

Sed hoc argumentum Arnobius similibus, atque superius, responsis refellit. Nihil quippe veri, inquit, in tota illa historia continetur, nisi quod a rege Attalo, siculi aiebant, missus est ex Phrygio monte, et Romam inde asportatus parvus quidam lapis, niger, durus, asper nec satis expressa simulacri effigie politus. Cui autem umquam probabitur. Annibalem, sub quo Romana respublica tamdiu sortis suæ dubia contremuit, eo lapide asportato, factum illico sibi prorsus dissimilem, ab Italia pulsum et fugatum? C Numquid tunc nihil humanis consiliis, nihil præstantissimorum militari virtute ducum, nihil magno exercituum robore actum est? Numquid etiam ille lapis, qui ab uno homine portari facile poterat, auxit Romani exercitus, et fregit ac debilitavit Annibalis vires, eumque victum, et Romanos victores reddidit? Cui tandem facile persuadebis in hujusmodi lapide Matrem deum revera fuisse; aut numen aliquod in illius habitasse venis, frustis ac fragmentis?

Quo ergo modo, inquiebant ethnici, adventu illius parta est victoria, si nullum in eo lapide numen inerat? Respondet Arnobius eam tribuendam pugnantium virtuti ac fortitudini, aut fortunæ mutabilitati et inconstantiæ. Et vero ubinam gentium illud egregium numen degebat, cum tantis exercitibus cæ- D sis, Romani in summum periculum venerunt?

Si quis vero reponat deum Matrem tum Roma abfuisse per quam longissime; ab Arnobio statim audiet divinum numen ubique semper esse præsens, et sua sub potestate omnia semper habere. Præterea cur, obsecro te, dea illa, priores suos cultores Phrygios penitus deseruit; ut ad potentiorem populum Romanum commigraret? Talis tantaque levitas Deo non competit.

Nec Romani respondere poterant ideo hanc deam ad bellicosam ipsorum gentem transivisse, quia res militares amabat. Divinæ siquidem æquitatis non erat, inquit Arnobius, humanis sese immiscere discordiis; ac nulla sibi data causa, opes horum frangere, ut illorum fautricem se exhiberet; libertatem his auferre, ut illos ad supremum extolleret dominationis fastigium, Phrygios delere, ut Romana civitas, in humani generis perniciem nata, innoxium orbem sub gravissimum servitutis jugum mitteret.

Urgebant ethnici atque alio miraculo prorsus, sicut ipsis videbatur, stupendo probare rursus nitebantur deos suos reipsa existere, atque infinitam esse eorum potestatem (*Arnob.*, *lib.* VII, *p.* 245). Testibus enimvero, inquiebant, fide dignissimis memoriæ proditum erat cum Capitolium fulmine ictum fuisset, tunc de sede sua deturbatum Jovis simulacrum. Ubi vero illud altiore loco ad orientem solem haruspicum responso collocatum est, tum patuisse res abditas, et in reserata vindicatum maleficia. Narrat siquidem Cicero a Romanis memoriter adhuc teneri quomodo plurimis deorum simulacris, ex sua in Capitolio sede depulsis, haruspices, ex tota Etruria accersiti, « jusserunt simulacrum Jovis facere majus, et in excelso collocare, et contra atque fuerat, ad Orientem convertere; ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod videtis, Solis ortum, et forum, curiamque conspiceret, fore ut ea consilia, quæ clam fuissent inita contra salutem Urbis atque imperii, illustrarentur; ut a S. P. Q. R. perspici possent. » (*Cicer.*, *orat.* 3 *in Catil.*, *pag.* 329.)

Quid ad hanc ethnicorum argumentationem Arnobius responderit, nihil plane neque in manuscripto librorum ejus codice regio, neque in ulla illorum editione, aut alibi legitur. Suspicabuntur fortasse nonnulli hoc ab illo potuisse prætermitti; quoniam aliis ad superius objecta responsis hoc satis confutatum fuerat. Sed quia jam annotavimus ibi fragmentum ab oscitante librario præpostere transpositum, hinc colligi potest Arnobium huic gentilium argumento, sicut et aliis sigillatim, respondisse, sed ea omnia de medio sublata, quæ ab illo hanc in rem scripta fuerant. Verum illam, si quæ sit, jacturam ea abunde supplent, quæ ex aliis ejus responsionibus hactenus retulimus, et in ejus libris integra permanent.

Si quid tamen huic argumento respondit, minime dubitamus illud fuisse potissimum, quod Cicero, ex quo plura, ut sæpe diximus, delibaverat, scriptum reliquit. Post allata siquidem a nobis ejus verba continenter adjecit : « At illud, Jovis simulacrum, ita collocandum Consules illi statuerunt : sed tanta fuit operis tarditas; ut neque a superioribus Consulibus, neque a nobis ante hodiernum diem collocaretur. » (*Ibid.*) Nonne enim his vel solis verbis tota ethnicorum levissima profecto ratiocinatio plane penitusque infirmatur? Nonne illa Consulum aliorumve negligentia manifestissime probat quantum gentiles haruspicum oracula ac prædictiones, atque illud Jovis simulacrum parvifecerint?

Cæterum jam ostendimus totam hanc, quam gentiles validissimam esse putabant, argumentationem alia ratione ab Minucio Felice, aliisque antiquis scri-

ptoribus nostris everti. Multis siquidem validisque rationum firmamentis demonstrant, si quid his in omnibus inusitatum, et extra consuetum naturæ ordinem factum fuerit, illud omne dæmonum fraudibus ac præstigiis esse tribuendum. Ast nulli certe mirum videri debet, si unus idemque gentilium error pluribus argumentis convellatur penitusque destruatur (*Dissert. in Minuc. Octav., cap.* 19, *art.* I *et* II).

CAPUT XXI.

De templis gentilium.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus argumentis Arnobius ostendat nulla diis ædificanda esse templa, neque tuguriola, neque conclavia, aut cellulas; ubi de primis deorum templis et aliis, quæ mortuorum dumtaxat hominum sepulcra fuerunt: item de abscondito Apidis tumulo; et capitolio, quod ab invento Toli capite dictum est, atque de polyandriis.

Deos gentilium nullos ac plane commentitios esse cum Arnobius tot tantisque rationum, uti vidimus, momentis invictissime demonstraverit, nulla profecto opus erat alia argumentatione, qua illis nulla templa ædificanda probaret. Verum ultra ille progreditur, idque peculiaribus quibusdam argumentis evidenter ostendit. Templa enim, inquit, si diis alicui usui esse possint, cur per plurima, antequam ædificarentur, sæcula iis caruerunt? Primus quippe illorum fabricator, ait Arnobius, « aut Phoroneus Ægyptius, aut Merops tibi fuisse monstrabitur: aut, ut tradit in Admirandis Varro, Jovis progenies Æacus. » (*Arnob., lib.* VI, *pag.* 189 *et seqq.*; *Ibid., pag.* 191.) Antea vero Clemens Alexandrinus dixerat (*Clemens Alexandr., Admonit. ad gent., cap.* 28): Εἴτε Φορωνεὺς ἐκεῖνος ἦν, εἴτε Μέροψ, εἴτε ἄλλός τις, οἱ νεὼς, καὶ βωμοὺς ἀνέστησαν αὐτοῖς. *Seu Phoroneus ille fuerit, seu Merops, seu aliquis alius, qui eis posuerunt templa et altaria.* Sed de prima templorum origine, et de Æaco alibi disputavimus (*Tom.* I *Apparat., pag.* 722 *et seqq., et pag.* 1118).

Quoquo autem tempore templa diis construi cœperint, quantumvis sint magnifica, quantumvis auro, et gemmis fulgentia; constat sane verum Deum nullo unquam posse includi. Persuasum tamen ethnici habebant deos suos illis totos concludi, quemadmodum in domibus suis homines. Falsæ enim hujus opinionis testes quam plurimos ut omittamus, quid clarius his Ciceronis verbis? « Patrum (aliter deorum) delubra esse in urbibus censeo: nec sequor Magos Persarum, quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Græciæ dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset et domus. Melius Græci atque nostri, qui ut augerent pietatem in deos, easdem illos, ac nos, urbes incolere voluerunt. Adfert enim hæc opinio religionem utilem civitatibus. » (*Cicer., lib.* II *de Legib., pag.* 335, *lin.* 44.) Sed hic acumen desideramus Ciceronis, qui nesciebat, aut potius nescire se dissimulabat, verum Deum esse immensum, nulliusque loci spatio posse circumscribi.

Lucianus ergo longe potiori ratione suos irridet gentiles, qui templa diis se fabricasse asserebant, ne tectis aut penatibus carerent (*Lucian., de Sacrific., pag.* 185). Timæus autem, teste adhuc Cicerone, vel ut narrat Plutarchus, Hegesias Magnesius, libere joculabatur, cum dixit Dianæ Ephesiæ templum deflagravisse, quia *cum in partu Olympiadis*, matris Alexandri Magni, *adesse voluisset, abfuisset domo*, id est, templo suo (*Cicer., lib.* II *de Natur. deor., pag.* 224, *lin.* 26; *Plutarch., in Vit. Alex. Magn., pag.* 665). Quamvis autem quidam peritiores ethnici hæc similiter irriserint; cæteros tamen omnes hæc opinio penitus pervaserat deos suos non esse immensos, atque idcirco quodam loco includi et comprehendi.

Quamobrem hi iisdem diis suis non sumptuosissima tantummodo templa condederant, sed, ut ait Arnobius, *tuguriola, concluvia et cellulas*, id est, sacella, seu privatas quasdam intra magnifica illa templa ædiculas, ubi aliquod dei cujuspiam simulacrum collocabatur (*Arnob., lib.* VI, *pag.* 191). Ex A. Gellio siquidem discimus Scipionem, scilicet Africanum, solitum fuisse sub crepusculum in Capitolium intrare, « ac jubere aperiri cellam Jovis, ac ibi solum diu morari, quasi consultantem de Republica cum Jove. » (*A. Gell., lib.* VII *Noct. attic., cap.* I, *pag.* 396.) Quod quidem ab Livio, Valerio Maximo, et Aurelio Victore confirmatur. Sed haud infrequens apud alios scriptores harum cellularum mentio (*Liv., lib.* XXVI, *cap.* 19; *Val. Max., lib.* II, *cap.* 2, § 2; *Aur. Vict., de Vir. illust., cap.* 49). Si quis tamen probaverit Arnobium *tugurioli, conclavis, et cellulæ*, nomine, de parvis ædibus, quæ minoribus diis construi solebant, esse quoque intelligendum, huic non prorsus refragabimur. Sed necesse est ut omnes fateantur illos veros deos non esse, quos gentiles sive parvis, sive maximis ædibus et templis includi posse existimabant.

Neque censet Arnobius audiendos esse gentiles, qui respondebant se diis templa ædificare; ut cum eis, ibi quodammodo præsentibus, coram et cominus colloquerentur, ac dii illos de proximo loquentes audirent. Verus enimvero Deus, immensus, et ubique præsens audit homines quoscumlibet, quacque in mundi parte loquentes et precantes, atque omnia etiam eorum cogitata penitus cognoscit. Neque enim ille, sicut Jupiter fingitur, cœnatum venit ad Æthiopas, immo vero locum mutare numquam potest (*Homer., Iliad.* I, *pag.* 20; *Lucian., de Sacrific., p.* 186; *Diodor. Sicul., lib.* I *Biblioth., pag.* 62; *Athen., lib.* VIII *Deipnos., pag.* 363; *Greg. Naz., orat.* 1 *in Jul., pag.* 263).

Instat Arnobius ex hac ethnicorum, qui deos suos loco moveri credebant, opinione sequi spem nullam hominibus reliquam fore, ut ab illis audiantur. Plurima etenim uni eidemque Deo in diversis, et a se invicem remotissimis terræ regionibus posita erant templa, in quorum dumtaxat uno illum habitare opinabantur. Non alios itaque, quam qui in hocce templo orabant, deus ille audire poterat. Frustra ergo

alii homines illum aliis precabantur in templis, a quibus absens, nequibat illos audire, multo minus aliquid eorum concedere postulatis.

Sed auctorem nostrum Ethnicos adhuc urgentem sequamur. Templa, inquit (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 193), et delubra deorum sunt mortuorum hominum sepulcra, vel sicut ipse loquitur, *mortuorum superlata bustis*. Gentiles itaque in hisce templis, aut *pro diis immortalibus* colebant mortuos homines, aut contra eorum decus, illis viventibus mortuos homines socios adjungebant, vel utrosque similiter et mortuos, et sepultos fuisse arbitrabantur. Quæ autem divinæ majestati contumelia major fieri poterat? Exemplis tamen propemodum innumeris cum Arnobius id probare potuisset, satis ad propositum suum esse duxit nonnulla certo certiora seligere, quæ hunc proposuit in modum: « In historiarum Antiochus nono, Athenis in Minervio memorat Cecropem esse mandatum terræ. In templo rursus ejusdem, quod in arce Larissæ est, conditus scribitur atque indicatur Acrisius: Ericthonius Poliadis in fano; Dairas et Immarus fratres in Eleusino consepto, quod civitati subjectum est. Quid? Celei virgines non in Cereris Eleusinæ humationis habuisse perhibentur officia? Non in Dianæ delubro, quod in Apollinis constitutum est Delii, Hyperocha, Laodiceque, quas advectas illuc esse finibus ex Hyperboreis indicatur? In Didymæo Milesio Clearchum dicit habuisse suprema Leandrius funeris. Leucophrynæ monumentum in fano apud Magnesiam Dianæ esse Myndius profitetur, ac memorat Zeno. Sub Apollinis arula, quæ Telmessi apud oppidum visitur, Telmessum esse conditum vatem non scriptis constantibus indicatur? Ptolemæus Agesarchi, de Philopatore quem edidit primo, Cyniram regem Paphi cum familia omni sua, immo cum omni prosapia in Veneris templo situm esse litterarum auctoritate declarat. » (*Ibid.*) Ea autem omnia ex græcis proculdubio desumpta sunt hisce Clementis Alexandrini verbis: Ἐν τῷ νεῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν Λαρίσσῃ, ἐν τῇ ἀκροπόλει τάφος ἐστὶν Ἀκρισίου. Ἀθήνῃσι δὲ ἐν ἀκροπόλει, Κέκροπος, ὥς φησιν Ἀντίοχος ἐν τῷ ἐνάτῳ ἱστοριῶν. τί δὴ Ἐριχθόνιος; οὐχὶ ἐν τῷ νεῷ τῆς Πολιάδος κεκήδευται; Ἴμμαρος δὲ ὁ Εὐμόλπου καὶ Δαείρας, οὐχὶ ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ Ἐλευσινίου τοῦ ὑπὸ ἀκροπόλει: αἱ δὲ Κελεοῦ θυγάτερες, οὐχὶ ἐν Ἐλευσῖνι ἐθάψαντο; τί σοι καταλέγω τὰς Ὑπερβορέων γυναῖκας; Ὑπερόχη καὶ Λαοδίκη κέκλησθον· ἐν τῷ Ἀρτεμισίῳ ἐν Δήλῳ κεκήδευσθον. τὸ δὲ ἐν τῷ Ἀπόλλωνος τοῦ Δηλίου ἐστὶν ἱερῷ. Λεάνδριος δὲ, Κλέαρχον ἐν Μιλήτῳ τεθάφθαι ἐν τῷ Διδυμαίῳ φησίν. ἐνταῦθα τῆς Λευκοφρύνης τὸ μνημεῖον οὐκ ἄξιον παρελθεῖν, ἑπομένους Ζήνωνι καὶ Μυνδίῳ, ἣ ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἐν Μαγνησίᾳ κεκήδευται. οὐδὲ μὲν τὸν ἐν Τελμισσῷ βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος, ὃν μνῆμα εἶναι καὶ τοῦτον Τελμισσέως τοῦ μάντεως ἱστοροῦσι. Πτολεμαῖος δὲ ὁ τοῦ Ἀγησάρχου, ἐν πρώτῳ τῶν περὶ τὸν Φιλοπάτορα, ἐν Πάφῳ λέγει, ἐν τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἱερῷ Κινύραν τε καὶ τοὺς Κινύρου ἀπογόνους κεκηδεῦσθαι (*Clemens Alexandr.*, *Admon. ad gent.*, pag. 29). Totum porro hunc Clementis Alexandrini et Arnobii locum exhibemus; ut ab omnibus facile intelligatur illum ab Auctore nostro transcriptum, ac latine ita redditum, ut alia interpretatione non opus sit. Quæ autem diversæ in utriusque textu lectiones, ac quæ obscura et difficilia occurrunt, alibi enucleavimus (*Tom.* I *Apparat.*, *lib.* III, *dissert.* 1, *cap.* 7, *art.* 3, *pag.* 725 *et seqq.*).

Duo addidit Arnobius, et primum quidem: « Nec exactam desiderat curam, quam is pœnam constituerit Ægyptius in eum qui publicasset quibus Apis jaceret absconditus » (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 164), id est, ubi sit Apidis sepulcrum. Apis autem, uti Strabo aliique testificantur, idem est atque Serapis et Osiris, de cujus sepulcro loqui Arnobium, ex iis plane demonstratur, quæ alibi annotavimus (*Strab.*, *lib.* XVII, *pag.* 807; *Dissert. in Minuc.*, *cap.* 14, *art.* 4).

Secundo Arnobius quatuor auctorum, scilicet Sammonici, Granii, Valeriani, et Fabii testimonio probat Capitolii nomen derivatum fuisse ab effosso et invento in illius fundamentis capite Toli, quem a fratris sui servis occisum, cives inhumatum reliquerunt (*Arnob.*, *loc. cit.*, *pag.* 194). Pluribus vero aliis testibus id facile potest confirmari. Scribit enim Varro: « Capitolium dictum, quod hic cum fundamenta foderentur ædis Jovis caput humanum inventum dicitur. » Livius vero: « Hic Capitolium est, » inquit, « ubi quondam capite humano invento, responsum est, eo loco caput rerum, summamque imperii fore. » Verum hæc fusius a Dionysio Halicarnasseo et Plinio narrantur, quos adire cuilibet facile et promptum est. Qua ergo ratione Theodorus Canterus aliique nonnulli asserere potuerunt, horum qui meminerit, præter Arnobium inveniri neminem? Cui porro honori fuit Jovi templum omnium maximum habere non tam suo, quam hominis mortui nomine ædificatum et nuncupatum? (*Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 10; *Liv.*, *lib.* V, *sub. fin.*, *cap.* 54; *Dionys. Halic.*, *lib.* IV, *pag.* 257 *et seqq.*; *Plin.*, *lib.* XXVIII *Natur. Hist.*, *cap.* 2, *pag.* 558; *Cant.*, *lib.* I *Var. lect.*, *cap.* 11.)

Denique petit Arnobius, « Polyandria Varronis quibus in templis conteganlur? » (*Arnob.*, *ibid.*, *pag.* 194.) Polyandrium autem, uti ex sacris profanisque scriptoribus liquet, locus erat, in quo plura hominum corpora sepeliebantur. Sensus itaque Arnobii est templa deorum esse communia cum mortuis sepultisque hominibus, quos tamen in eorumdem deorum fastis ascribere ausi non fuerant. In superiori porro dissertatione ostendimus plura fuisse templa, in quibus ethnici deos suos sepultos esse palam prædicabant (*Dissertat. in Minuc.*, *cap.* 15, *art.* 2). Quis ergo indigne cum Arnobio nostro non ferat talibus diis templa, ædesque sacras ædificari et consecrari, quæ soli Deo viventi et æterno debentur?

ARTICULUS II.

De templis, quæ humanis affectibus aut virtutibus impie consecrata fuerant, nimirum Pietati, Concordiæ, Saluti, Honori, Virtuti, Felicitati, Victoriæ, Paci, Æquitati, et apud Ægyptios felibus, scarabæis, et buculis, ac quam recte probetur ex templorum eversione nullum falsis diis ædificandum.

Non solis hominibus mortuis, sed vivorum etiam affectionibus et eventibus, tamquam veris diis, templa ab Ethnicis condita sunt. Tam absurdam autem et cæcam illorum, ac præcipue Romanorum impietatem ab initio quarti sui libri Arnobius sic castigat: « Interrogare vos libet, ipsosque ante omnia Romanos, dominos rerum ac principes, utrumne existimatis, Pietatem, Concordiam, Salutem, Honorem, Virtutem, Felicitatem, cæteraque ejusmodi numina, quibus aras videmus a vobis cum magnificis exædificatas delubris, vim habere divinam, cœlique in regionibus degere? » (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 127.) Paulo post vero adjecit templa, *Victoriæ*, *Pacis* et *Æquitatis*, ab iisdem Ethnicis fuisse similiter exstructa. Quam autem hæc vera sint, breviter inquirendum.

Celebris est paucisque incognita sive plebeiæ, sive ingenuæ cujusdam filiæ historia, quæ matrem suam (*Val. Max.*, *lib.* II, *cap.* 5, § 7, *pag.* 268 *et seqq.*), aut ut alii tradunt, suum patrem, in carcere constitutum, ne inedia conficeretur, lacte suo aluit. Narrat autem Plinius, ac post illum Solinus in facti hujus memoriam conditum eodem in carcere, C. Quinctio, et M. Acilio consulibus, *Pietatis* templum, ubi theatrum Marcelli erat. Nec desunt qui existiment illud ipsum esse, quod Marcius Acilius Glabrio, ut ait Livius, in foro Olitorio positum dedicavit (*Plin.*, *l.* II *Natur. hist. cap.* 36, *p.* 57; *Solin.*, *Polyhist.*, *cap.* 1, *pag.* 11; *Liv.*, *lib.* 40, *cap.* 34).

Ab eodem Livio adhuc accepimus a C. Flavio ædem *Concordiæ* in area Vulcani consecratam, et aliam, quam Duumviri, ad eam rem creati, in arce locaverunt (*Idem*, *lib.* IX, *cap.* 46, *et lib.* XXII, *cap.* 33). Testatum etiam Cicero facit, Cotta consule, templum *Concordiæ*, tactum de cœlo fuisse, et illius quoque mentio in Dionis historia, et fastis Magistratuum romanorum facta est (*Cicer.*, *lib.* II *de Natur. deor.*, *pag.* 223, *lin.* 5; *et lib.* I *de Divinat.*, *pag.* 252; *Dion.*, *lib.* XLIV *Rom. hist.*, *pag.* 275, *et tom.* XI *Antiquit. rom.*, *pag.* 189). Quamobrem canebat Ovidius:

Te quoque magnifica Concordia dedicat æde
Livia, quam charo præstitit illa viro.
Ovid., *lib.* VI *Faster.*, *ante fin.*)

Sed hæc pro merito irridet et explodit Augustinus, quem adire poteris (*Aug.*, *lib.* III *de Civit.*, *cap.* 25, *pag.* 82).

Cicero autem non solius *Concordiæ*, sed *Virtutis* etiam, *Honoris*, *Salutis et Victoriæ* templa, tamquam omnibus nota memorat. Nos autem admonuit templum Honoris a M. Marcello fuisse renovatum (*Cicer.*, *lib.* II *de Natur. deor.*, *pag.* 223, *lin.* 6). Livius vero memoriæ prodidit ædem *Salutis*, quam consul bello Samnitium voverat, a C. Junio Bubulco exædificatam fuisse, et ab ipso Dictatore dedicatam (*Liv.*, *lib.* IX, *cap.* 43, *et lib.* X, *cap.* 1).

Narrat præterea idem Livius, cui Plutarchus suffragatur, Marcellum bello Gallico ad Clastidium, *Honori et Virtuti* vovisse ædem, cujus dedicatio impedita est a pontificibus, qui negabant unam cellam amplius, quam uni deo rite dedicari (*Liv.*, *lib.* XXVII, *cap.* 25; *Plutarch.*, *in vit. Marcelli*, *pag.* 314). At Valerius Maximus testificatur memorata illa pontificum admonitione effectum; *ut Marcellus separatis ædibus Honoris ac Virtutis simulacra* statueret (*Val. Max.*, *lib.* I, § 8, *pag.* 9). Utriusque autem templi mentionem fecit Vitruvius, quemadmodum Symmachus qui ad Ausonium hæc scripsit in verba: « Bene ac sapienter majores nostri, ut sunt aliæ ætatis illius, ædes Honori atque Virtuti gemellas junctim locarunt, commenti quod in te vidimus, ibi esse præmia honoris, ubi sunt merita virtutis. » Plinius vero hanc *Honoris et Virtutis* ædem ab Vespasiano Augusto restitutam fuisse tradidit. Denique ex Livio rursum discimus aliud templum *Virtutis* a M. Marcello, memorati a nobis Marcelli filio, ad portam Capenam consecratum (*Vitruv.*, *lib.* III, *cap.* 1, *et lib.* VII, *in Proœm.*; *Symmach.*, *lib.* I, *epist.* 14; *Plin.*, *lib.* XXXV *Natur. hist.*, *cap.* 10, *p.* 224; *Liv.*, *lib.* IX, *cap.* 11).

Ad *Felicitatem* quod spectat; testis est Plinius facta fuisse a Praxitele duo signa, quæ ante hujus *Felicitatis* ædem posita fuerant (*Plin.*, *lib.* XXXIV, *cap.* 8, *pag.* 120). Ciceroni autem si credas, « Ille L. Mammius, sicuti loquitur, Thespiis ea, quæ ad ædem Felicitatis sunt, cæteraque profana ex illo oppido signa sustulit. » (*Cicer.*, *orat.* IV, *in Verr.*, *pag.* 160, *lin.* 39.) Ab Dione porro, Augustino, et aliis factam adhuc legimus templi *Felicitatis* mentionem (*Dion.*, *lib.* XLIV *Histor. roman.*, *pag.* 278; *August.*, *lib.* IV *de Civit.*, *cap.* 18 *et* 23, *pag.* 100 *et* 104).

Posthumius autem, si Livio fides, « ædem Victoriæ, quam ædilis curulis ex mulctatitia pecunia faciendam curaverat, dedicavit. » (*Liv.*, *lib.* X, *cap.* 33.) Alio adhuc in libro alias duplicis Victoriæ ædes his verbis commemorat: « Ædiculam Victoriæ virginis, prope ædem Victoriæ M. Porcius Cato dedicavit, biennio postquam vovit. » (*Idem*, *lib.* XXXV, *cap.* 9.) Pausanias quoque, et Dionysius Halicarnasseus de *Victoriæ* fano loquuntur (*Pausan.*, *lib.* I, *pag.* 20; *Dionys. Halicar.*, *lib.* I *Antiquit. rom.*, *pag.* 26). Nos etiam alibi animadvertimus Symmachum, cum ab Imperatore Valentiniano postulasset aram Victoriæ in curia restitui, ab Ambrosio fuisse confutatum (*Observ. in Ambros.*, *epist.* 18, *et Symmach. relat.*, *tom.* II).

Discimus præterea ex Suetonio conditum a Vespasiano Imperatore templum *Pacis*, foro proximum, cujus Plinius, Xiphilinus, Josephus et alii meminere. Chimenis autem statua attestante Pausania, Romam in *Pacis* templum deportata est (*Sueton.*,

in Vit. Vespas., cap. 9, *pag.* 739; *Plin., lib.* XII *Hist. natur., cap.* 19, *pag.* 36, *et lib.* XXXVI, *cap.* 15, *pag.* 309, *et alibi; Xiphil., epist., pag.* 221; *Joseph., lib.* VII *de Bello jud., cap.* 24, *pag.* 979; *Pausan., lib.* VI, *pag.* 179).

Æquitatis tandem nomine Arnobius justitiam haud dubie intelligit, de qua Ovidius videtur hæc condidisse carmina :

Principe nec nostro deus est moderatior ullus :
 Justitia vires temperat ille suas.
Nuper eam Cæsar, facto de marmore templo,
 Jam pridem posuit mentis in æde suæ.

(*Ovid., lib.* III, *ex Pont., epist.* 6, *vers.* 23 *et seqq.*)

Quidam tamen censent nihil de eo templo apud idoneos auctores inveniri, atque idcirco poetam allusisse ad Martis ultoris ædem, quandoquidem vindicta, de qua loquitur Ovidius, pars quædam est justitiæ. Verum numquid Arnobius non satis idoneus testis habendus, qui suo adhuc tempore *Æquitatem*, sicut *Victoriam et Pacem* templo a Romanis honoratam affirmat? Porro autem Juvenalis plurium deorum, ab Auctore nostro nominatim appellatorum, templa his duobus versibus comprehendit :

Ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus,
Quæque salutato crepitat Concordia nido.

(*Juvenal., satir.* 1, *vers.* 114 *et seqq.*)

Nos vero de iis aliquid alibi attigimus (*tom.* I *Apparat., pag.* 766).

Jure igitur merito Arnobius stupiditatem exagitat gentilium, qui commentitiis ejusmodi numinibus templa ædificaverant. Sed prævium haud dubie secutus est Ciceronem, qui hæc confutatione nulla indigere his declarat verbis : « Num igitur censes subtiliori ratione opus esse ad hæc refellenda? Nam mentem, fidem, spem, virtutem, honorem, victoriam, salutem, concordiam, cæteraque ejusmodi, rerum vim habere videmus, non deorum. Aut enim in nobismet insunt ipsis, ut mens, ut fides, ut spes, ut virtus, ut concordia : aut optandæ nobis sunt, ut honos, ut salus, ut victoria. Quarum rerum utilitate video etiam consecrata simulacra. Quare autem in his vis deorum insit, tunc intelligam, cum cognovero. » (*Cic., lib.* III *de Nat. deor., p.* 248, *lin.* 41.)

Ast si hæc gentium impietas ethnico oratori indigna visa sit, quæ refellatur, quanto magis confutatione erit indigna longe major amentia Ægyptiorum, qui, ut ait Arnobius, felibus, scarabæis, et buculis, sive novellis bobus templa sublimibus elata fastigiis exstruxerunt (*Arnob., lib.* I, *pag.* 15). Quamobrem Origenes jure merito dementissimam castigat Celsi temeritatem, *qui vult etiam*, inquit, *conferre nostras res cum rebus Ægyptiorum, ad quos venienti offerunt se splendida fana cum lucis, et templa cum vestibulis atque porticibus, eximia magnitudine pulchritudineque mirandis, cæremoniæque admodum religiosæ, ac mysticæ : introgressus autem videbit adorari felem, aut simiam, aut crocodilum, aut hircum, aut canem :* Παραβάλλειν δὲ τὰ τῆς πίστεως ἡμῶν τοῖς Αἰγυπτίων θέλει πράγμασι. παρ' οἷς προσιόντι μὲν ἐστι λαμπρὰ τεμένη, καὶ ἄλση, καὶ προπυλαίων μεγέθη τε, καὶ κάλλη, A καὶ νεῷ θαυμάσιοι, καὶ σκηναὶ πέριξ ὑπερήφανοι, καὶ θρησκεῖαι δεισιδαίμονες, καὶ μυστηριώτιδες. ἤδη καὶ εἰσιόντι, καὶ ἐνδοτέρῳ γενομένῳ θεωρεῖται προσκυνούμενος αἴλουρος, ἢ πίθηκος, ἢ προκόδειλος, ἢ τράγος, ἢ κύων (*Origen., lib.* III, *contr. Cels., pag.* 120 *et seqq.*). Sed de his nos in superiori Apparatus nostri tomo, et alibi disputavimus (*tom.* I *Apparat., pag.* 496-767, *et Dissert. super. in Minuc., cap.* 12, *art.* 2).

Examinavimus etiam aliud Arnobii contra deorum templa argumentum, quod ex illorum eversione et ruina deprompsit (*Ibid.*). Si quid tamen in eo novi occurrat, in sequenti capite, ubi de deorum simulacris, quibus illud conjunxit, more nostro expendetur et illustrabitur.

B

CAPUT XXII.

De Deorum simulacris et imaginibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus rationum momentis Arnobius demonstret deorum imagines, signa, et simulacra impie ab ethnicis coli et adorari : quid leonis facies mero oblita minio, ac de primis simulacris et aliis humana figura repræsentatis.

Ad deorum imagines signa, statuas et simulacra, quæ, uti paulo post ostendemus (*Arnob., l.* VI, *p.* 194 *et seqq.*), vel ipsosmet deos suos esse, vel in eis saltem habitare, ethnici arbitrabantur, venit Arnobius (*infr., art.* 4), ac vario argumentorum genere convincit illa, quæ multa arte efficta erant, impia prorsus et absurda religione coli et adorari. Primum enim si persuasum Ethnici habuissent deos suos existere, C et in cœlis habitare, debuissent utique iis ipsis, non eorum simulacris ferre preces suas. Si illos existere dubitabant, ridiculum erat rei dubiæ fingere simulacrum.

Neque dicere poterant eorum, quos nullo pacto videre potis est, præsentiam simulacris exhiberi, tuncque majori pietate coli, eisque officiosa præstari munia. Nam qui hæc dicit, quomodo asseverare potest deos revera existere, « cui, » uti ait Arnobius, « opus est videre, quod teneat, ne inane forte sit, quod obscurum videtur » (*Ibid., pag.* 195), id est, significat in dubium se vocare an dii sint, quorum nisi videat simulacra, existere non credet.

At deos nostros, inquiebant ethnici, per simulacra honoramus. Sed perperam, sicuti respondet Arnobius. Nulla enimvero si essent deorum simulacra, D nunquam eos coluissent. Deinde vero, quid magis his diis injuriosum quam eosmetipsos, quos existere credis, non honorare, sed colere tantum per omnis sensus expertem, aliquam effigiem, tanquam per aliquod fideicommissum? Denique omnino futilis et nugatoria erat hæc responsio gentilium, qui has effigies et imagines deos esse credebant.

Sed hos idololatras vehementius premit Arnobius, palamque facit ab iis sciri non potuisse utrum hi illorum dii, quos nunquam viderant, tales revera fuerint, quales ab eis repræsentabantur. Quod autem alicui simile non est, illius nequit esse effigies, et imago. Atqui ethnici solem, ut hominem; lunam, ut feminam; ventos, ut homines quosdam, inflato ore

buccinam animantes exhibebant. Quis autem has illorum veras esse imagines dicere umquam aususeat?

Tum deinde hæc Arnobius continuo adjecit: « Inter deos videmus vestros leonis (*ms. cod. reg.* leones) *torvissimam faciem, mero oblitam minio, et nomine frugiferi* (*ms. cod. reg.* frugiferio) nuncupari » (*Ibid.*, *pag.* 196). Mirum autem quantum obscurus hic locus eruditorum ingenia exercuerit. Latinus autem Latinius nodum hujusce difficultatis secare potius, quam solvere videtur, cum hæc verba sic corrigi voluit: « Inter deos videmus leones torvissima facie, mero oblita minio » (*Latin.*, *Biblioth. sacr. et proph.*, *pag.* 98). Sed mera est conjectura, quæ nullius codicis auctoritate fundatur. Quapropter qui in veterum scriptis, nihil nisi certissima ratione mutatum volunt, ex iis nonnulli suspicantur de Sole intelligenda esse hæc auctoris nostri verba. Sed ab aliis redarguuntur, quia de Sole privatim locutus est. Probabilius itaque quibusdam videtur ab illo indicari leones, qui in templorum fastigiis quandoque sculpebantur. Verum hæc ad ædificii ornamentum posita potius videbantur, quam ad deorum faciem exprimendam. Nobis itaque facilius persuadebitur auctorem nostrum his verbis eadem significare, quæ post Tertullianum Minucius Felix dixit: « De capro et homine mixtos deos, et leonum, et canum vultus deos dedicatis. » Arnobius si quidem post citata a nobis verba adjecit: « Sine reliquo corpore persona est, et facies sola, fremebundis hiatibus, torvis rictibus, sanguineo de coroto... atque fessi canes » (*Tertull.*, *Apolog. cap.* 16, *et lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 12; *Min. Felix*, *pag.* 261; *Arnob.*, *loc. cit.*, *pag.* 196).

Quis autem facile non concedet utrumque loqui de simulacris, quemadmodum Panis, Satyrorum, aliorumque hujusmodi, sicut in nostra de ejusdem Minutii libro dissertatione ostendimus (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 11, *art.* 3). Quod vero Arnobius ibidem addidit, *faciem oblitam minio*, ad eum ethnicorum morem plane ridiculum spectat, quo simulacrorum facies minio oblinere solebant. Scriptum quippe ab Plinio legimus: « Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam » (*Plin.*, *lib.* XXXV *Hist. natur.*, *cap.* 7, *pag.* 56). De Panis vero effigie canit Virgilius:

> Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi
> Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.
>
> (*Virgil.*, *eclog.* 10, *vers.* 26 *et* 27.)

Quos in versus hæc Servius observat: *Ebulum genus est herbæ sambuco simile. Minio autem ideo, quia facie rubra pingitur Pan, propter ætheris similitudinem.*

Arnobius itaque hinc concludit summæ temeritatis esse eam deorum figurare speciem et formam, quam talem esse nemo umquam probare potuit. Quamobrem Lucianus alicubi disertissime scripsit: Ναοὺς ἐγείραντες, ἵν' αὐτοὶ μὴ ἄνοικοι, μηδὲ ἀνέστιοι δῆθεν ὦσιν, εἰκόνας αὐτῶν ἀπεικάζουσι παρακαλέσαντες ἢ Πραξιτέλην, ἢ Πολύκλειτον, ἢ Φειδίαν. οἱ δὲ οὐκ οἶδ' ὅτι ἰδόντες ἀναπλάττουσι (*Lucian.*, *de sacrific.*, *pag.* 185). *Fanis*

A *erectis*, *ne tectis videlicet aut penatibus* (dii) *careant*, *formas illorum exprimunt*, *adhibito ad id vel Praxitele*, *vel Polycleto*, *vel Phidia. At hi artifices haud scio ubinam visam eorum effigiem repræsentant.*

Tantam porro audaciam, auctor noster, ut magis comprimat, rem ipsam a prima sua origine sic repetit: « Ridetis temporibus priscis Persas fluvium coluisse, memoralia ut indicant scripta: informem Arabas lapidem; acinacem Scythiæ nationes; ramum pro Cinxia Thespios; Lignum Icarios pro Diana indolatum; Pessinuntios silicem, pro deum Matre; pro Marte Romanos hastam, Varronis ut indicant Musæ, atque ut Aethlius memorat; ante usum disciplinamque fictorum, pluteum Samios pro Junone » (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 196 *et seqq.*). Sequitur ibi Cle-B mentem Alexandrinum, cujus haud dubie hæc græca verba legerat: Πάλαι μὲν οἱ Σκύθαι, τὸν ἀκινάκην. οἱ Ἄραβες τὸν λίθον· οἱ Πέρσαι τὸν ποταμὸν προσεκύνουν, καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων οἱ ἔτι παλαίτεροι ξύλα ἱδρύοντο περιφανῆ, καὶ κίονας ἵστων ἐκ λίθων ἃ δὲ καὶ ξόανα προσηγορεύετο, διὰ τὸ ἀποξεῖσθαι τῆς ὕλης· ἀμέλει ἐν Ἰκάρῳ τῆς Ἀρτέμιδος τὸ ἄγαλμα ξύλον ἦν οὐκ εἰργασμένον καὶ τῆς Κιθαιρωνίας Ἥρας ἐν Θεσπίᾳ πρέμνον ἐκκεκομμένον. καὶ τὸ τῆς Σαμίας Ἥρας, ὥς φησιν Ἀέθλιος πρότερον μὲν ἦν σανίς, ὕστερον δὲ ἐπὶ Προκλέους Ἄρχοντος ἀνδριαντοειδὲς ἐγένετο..... ἐν Ῥώμῃ δὲ τὸ παλαιὸν δόρυ φησὶ γεγονέναι τοῦ Ἄρεως τὸ ξόανον Οὐάῤῥων ὁ συγγραφεύς. οὐδέπω τῶν τεχνιτῶν ἐπὶ τὴν εὐπρόσωπον ταύτην κακοτεχνίαν ὡρμηκότων (*Clemens Alexand.*, *admonit. ad gent.*, *pag.* 29 *et seqq.*). *Scythæ quidem antiquitus ado-C rabant acinacem*; *Arabes autem lapidem*; *Persæ vero fluvium : et ex aliis hominibus ii*, *qui adhuc erant antiquiores*, *ligna erigebant insignia*, *et columnas ponebant ex lapidibus*, *quæ etiam appellabantur* ξόανα, *eo quod eraderentur et expolirentur ex materia. In Icaro certe imago Dianæ lignum erat non elaboratum*, *et Citheroniæ Junonis Thespiæ trunctus excisus : et Samiæ Junonis*, *ut ait Æthlius*, *prius quidem erat tabula*, *postea autem*, *Archonte Procleo*, *in formam statuæ effecta est....... Romæ autem antiquitus statuam Martis fuisse hastam ait Varro*, *cum nondum pervenissent artifices ad hoc speciosum quidem*, *sed improbum artificium.* Vides sane quomodo Arnobius, cum hæc ex Clemente Alexandrino delibavit, verbis latinis fuerit interpretatus, quædam demendo et aliquid addendo, D illud nimirum quod dixit de silice effigiem matris deorum repræsentante, de quo paulo ante disseruimus (*Cap. super.*, *art.* 2), sicut de aliis omnibus in superiori apparatus nostri tomo (*tom.* I *Apparat.*, *lib.* III, *dissert.* 1, *cap.* 18, *art.* 1, *pag.* 734 *et seqq.*). Nobis porro liceat illud his omnibus adjicere, quod Lucanus de luco, quem Cæsar in Massiliensi obsidione excidi jussit, hisce cecinit versibus:

> Arboribus suus horror inest, tum plurima nigris
> Fontibus unda cadit, simulacraque mœsta deorum
> Arte carent, cæsisque exstant informia truncis.
>
> (*Lucan.*, *lib.* III, *vers.* 394.)

At, inquit Arnobius, si hæc merito ridebant ethnici, non minori profecto cæteri omnes irrisione

digni erant, qui diis immortalibus humana forma effictis supplicabant (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 197). Quis enim credere unquam potuit deos humanis membris componi? Quapropter si datum, addit ille, nobis esset, in intimas ethnicorum cogitationes introspicere, eos utique videremus eadem nobiscum sentire; sed id malle, quod aliquando absque ratione fecerunt, pertinaciter defendere, quam agnitæ cedere veritati.

ARTICULUS II.

Quam recte Arnobius contra eadem falsorum deorum simulacra argumentetur ex ridiculis deorum imaginibus, Hammonis cum arietinis cornibus, Saturni cum falce adunca, Mercurii pinnati, Argiphontis cum petaso, Liberi cum membris mollibus, Veneris nudæ, Vulcani cum pileo et malleo, Delii cum plectro et fidibus, Musarum cum tibiis et psalteriis, Neptuni cum fuscina, Jani cum dentata clave, Jovis riciniati cum fomite, Palladis cum militari galea, Matris deum cum tympano, Jani cum duplici fronte, Jovis cum barba, Cereris cum mammis grandibus, et Dianæ cum semitectis femoribus.

Deplorandam gentilium cæcitatem acrius auctor noster insectatur (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 197 *et seqq.*), planeque ostendit ab eis simulacra imaginesque deorum ea forma exhiberi, quæ cuilibet cordato homini tanto majorem, quanto tristiorem risum movebant. Nonne enim summa erat illorum dementia, a quibus Ammon, seu Jupiter deorum maximus fingebatur cum arietinis, ut alibi notavimus (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 15, *art.* 2), cornibus? Nec impar sane, aut certe major insania Alexandri Magni, qui quidem quemadmodum Athenæus, Clemens Alexandrinus (*Athen.*, *lib.* XII *Deipnosoph.*, *pag.* 537; *Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 36), et alii testificantur, voluit tanquam ejusdem Ammonis filius, simili modo repræsentari.

Saturnus vero, « eum obunca, » ait Arnobius, « falce, custos ruris, ut aliquis ramorum luxuriantium tonsor (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 197). » Et alibi: « Falcifer et vitisator » (*Id.*, *lib.* III, *pag.* 117); atque adhuc alibi: « Falx messoria est attributa Saturno » (*Id.*, *lib.* VI, *pag.* 209). Eximia autem illa rusticani, vel rusticorum dei figura cum nemini ignota sit, sufficiet in illius confirmationem hic transcribere Macrobii verba: « Observari eum (*Saturnum*), jussit (*Janus*), majestate religionis quasi vitæ melioris auctorem. Simulacrum ejus indicio est, cui falcem, insigne messis, adjecit. Huic deo insertiones surculorum, pomorumque educationes, et omnium hujuscemodi fertilium tribuunt disciplinas » (*Macrob.*, *lib.* I *Saturn.*, *pag.* 205). Huc si velis, accedet Ovidius, qui cecinit:

Fama vetus, tum cum Saturnia terra vocata est,
 Talia fatidici dicta fuere dei.
Falcifero libate seni, duo corpora gentes
 Mittite.
(*Ovid.*, *lib.* V *Fastor.*, § 13.)

Tum deinde Arnobius: *Cum petaso gnatus Maiæ*, id est, Mercurius (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 197). At petasus græce πέτασος, galerus erat, seu pileus, sic dictus quod latos haberet margines. Scribit autem Athenæus (*Athen.*, *lib.* XII *Deipnos.*, *pag.* 537), Alexandrum magnum aliquando in conviviis gestasse indumentum Mercurii, et τὸν πέτασον ἐπὶ κεφαλῇ, καὶ τὸ A κηρύκειον ἐν τῇ χειρί. *Petasum in capite, et in manibus caduceum.* Plautus vero Mercurium sic loquentem inducit:

Ego has habebo hic usque in petaso pinnulas.
(*Plaut.*, *Prolog. Amphit.*)

Quem in versum, Lambini, si lubet, observationes consule.

Eam sane ob causam postea dixit auctor noster: *Mercurius pinnatus Argiphontes* (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 209), in manuscripto codice regio, *Argiferonites*, mendose: etenim *Argiphontes*, græce Ἀργειφόντης, Mercurii est epithetum, quo quidem præter alios, haud semel usus est Homerus, atque ab ejus interprete latine redditur, *Argicida et internuncius* (*Homer.*, *Iliad.* XVI, *pag.* 206, *et Iliad.* XXIV, *pag.* 418).
B Mercurium autem sic cognominatum quidam volunt, quia Argum interfecit, vel ut aliis placet, a sermonis, cui præesse ferebatur, pernicitate et velocitate. Qua de re videsis Macrobium et Lilium Giraldum (*Macrob.*, *lib.* I *Saturnal.*, *cap.* 9, *pag.* 268; *Girald.*, *Syntagm. deor.* 9, *pag.* 291 *et seqq.*).

Prosequitur Arnobius: « Liber membris cum mollibus, et liquoris feminei dissolutissimus laxitate. Venus nuda et aperta, tamquam si illam dicas publicare, divendere meritorii corporis formam. » (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 197). De Libero seu Baccho et Dionyso Lucianus: Πάντες οἶμαι, ὁρᾶτε ὡς θῆλυς καὶ γυναικεῖος τὴν φύσιν, ἡμιμανὴς, ἀκράτου ἕωθεν ἀποπνέων. (*Lucian.*, *deor. con.*, *pag.* 1096.) *Omnes, ut opinor, videtis quam mollis sit et effeminatus deliciis dimidio*
C *insaniens, statim a summo mane merum spirans.* De Venere vero Clemens Alexandrinus: Κἂν γυμνήν ἴδῃ τις ἀνάγραπτον γυναῖκα, τὴν χρυσῆν Ἀφροδίτην νοεῖ..... τὸ ἄγαλμα Ἀφροδίτης ἦν, καὶ γυμνὴ ἦν (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 38). *Et si quis nudam viderit depictam mulierem, auream Venerem intelligit..... erat ea simulacrum Veneris, et erat nudum.* De illa autem et Baccho Theodoretus: Ἀφροδίτην, τὴν τούτων διδάσκαλον, γυμνὴν, καὶ οἱ ἀνδριαντοποιοὶ, καὶ οἱ ἀγαλματογλύφοι κατασκευάζουσι, καὶ οὐδὲ χιτωνίσκῳ καλύπτουσι..... καὶ μέντοι, καὶ ὁ Διόνυσος λυσιμελής τε, καὶ γυμνὸς ὑπὸ τούτων κατασκευάζεται. (*Theodor. serm.* 3, *de Angel. et dem. tom.* IV, *p.* 520.) *Venerem harum*, meretricum, *magistram nudam faciunt statuarii, et sculptores, neque tunica saltem*
D *illam obducunt..... Bacchum quoque iidem artifices mollibus ac solutis membris effeminatoque corpore faciunt.* Tertullianus denique vitio ethnicis vertit, quod Bacchum et Venerem tam turpi infamique specie in theatris exhiberent (*Tertull.*, *l. de Spectac.*, *cap.* 10).

Quid plura? « *Cum pileo*, » inquit Arnobius, « *Vulcanus, et malleo*, » vel, ut postea dixit: « *Mulciber fabrili cum habitu* » (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 197 et 209). Quemadmodum enim a Macrobio annotatum legimus: « Mulciber est Vulcanus, quod ignis sit et omnia mulceat ac domet » (*Macrob.*, *lib.* VI *Saturnal.*, *cap.* 7). Fabrili autem habitu repræsentabatur, quia illum fabrorum operibus, uti alibi diximus (*Dissertat.*), præfectum existimabant.

Similem ob præfecturam, « cum plectro et fidibus, » Arnobii adhuc verba sunt, « Delius, » scilicet Apollo, ac cum tibiis et cum psalteriis Musæ, » cernebantur (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 197 *et* 209). Quod satis a Pausania aliisque probatum est (*Pausan.*, *lib.* III, *pag.* 107 *et lib.* VIII, *pag.* 263). Atque etiam *cum fuscina*, sicut auctor noster loquitur, id est, tridente, *rex maris*, nimirum Neptunus (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 197 *et* 209). Fuscina autem, quo etiam verbo Cicero usus est, sive tridens, Neptuni sceptrum dicitur (*Cicer.*, *lib.* I *de Natur. deor.*, *pag.* 210, *lin.* 16). Quibus enimvero etiam pueris ignoti sunt hi Virgilii de Neptuno Æolum alloquente versus :

Non illi imperium pelagi, sævumque tridentem,
Sed mihi sorte datum.
(*Virgil.*, *lib.* I *Æneid.*, *vers.* 142 *et seqq.*)

Addidit Arnobius : « Tanquam illi pugna sit gladiatorii obeunda certaminis; » quia nimirum gladiatores, atque in primis retiarii, tridente armati, contra myrmilliones pugnabant, unde Juvenalis,

Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi,
Lustravitque fuga mediam gladiator arenam, etc.
(*Juvenal. satir.* 2, *vers.* 143.)

Videsis in hos versus variorum observationes et Lipsium, lib. II. Saturnal. cap. 8, tom. 3, pag. 518, et seqq.

Omnium præterea ob oculos positus erat (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 209) : *Janus cum dentata clavi*, ad fores videlicet aperiendas, quibus præpositus credebatur. Quamobrem cecinit Virgilius :

Nec custos absistit limine Janus.
(*Virgil.*, *lib.* VII *Æneid.*, *vers.* 610.)

Et Ovidius :

Ille tenens dextra baculum, clavemque sinistra.
(*Ovid.*, *lib.* I *Fastor.*)

Jupiter vero, pergit Arnobius, « riciniatus, dextera fomitem sustinens perdolatum in fulminis morem » (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 209). Riciniatus vero dicebatur a ricinio, quod Varro sic explicat : « Antiquissimi amictui ricinium id, quod eo utebantur duplici, ab eo quod dimidiam partem retrorsum jaciebant, ab rejiciendo ricinium dictum » (*Var.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 32). Servius vero : « Ricinius dicitur quod post tergum rejicitur; quod vulgo mavorte dicunt » (*Serv. in lib.* I *Æneid.*, *vers.* 286). Huic subscripsit Isidorus (*Isidor.*, *lib.* XIX *Origin.*, *cap.* 25.) A Nonno autem Marcello idem dicitur ac masurtium et palliolum breve femineum. Sed Festus scribit ricinium esse omne vestimentum quadratum (*Festus*, *de Verb. sign.*). Aliquando tamen a quibusdam, uti Cicerone, pro veste lugubri sumitur (*Cic.*, *lib.* II *de Legib.*, *pag.* 341). Sed Arnobius hoc nomen priori haud dubie significatu adhibuit.

Fomes autem est materia sicca et arida, quæ facile ignescit, vel etiam scintillæ sunt, quæ ex candenti ferro excutiuntur. Unde Virgilius :

Ac primus silicis scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
(*Virgil.*, *lib.* I *Æneid.*, *vers.* 178 *et seqq.*)

A Cui autem incognita est, *militari sub galea*, ut loquitur auctor noster, *puellula delitescens* (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 209). Nemo enim est, qui hanc Palladem esse non fateatur, quam Ovidius sic a semetipsa pictam narrat :

At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus.
(*Ovid.*, *lib.* VI *Metam.*, *pag.* 201.)

Mater vero *deum cum tympano*, addit Arnobius. Expressa siquidem erat illius imago, circa se habens tympana, ad terræ rotunditatem, et duo hemisphæria significanda. De ea autem et aliis superius memoratis videsis Chartarii de deorum imaginibus librum.

Quæ tandem adjecit Arnobius (*Ibid.*), de Jano bi-
B fronte, Hammone barbato Jove, grandibus Cereris mammis, femoribus Dianæ semitectis, hæc a nobis alibi explicata sunt (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 15, *art.* 2).

Qua ergo insulsitate et dementia ethnici credere poterant tales esse deos suos, quales in hujusmodi imaginibus et simulacris fingebantur? Quis enim scire umquam potuit, qualis revera esset cujuslibet dei forma et figura? Deinde vero si unius dei lineamenta, vestis, habitus, ornamenta alteri fraude aliqua et dolo tribuantur, nonne gentiles fraudis nescii unum pro altero deum accipient et adorabunt? Quid ergo his deorum imaginibus et simulacris absurdius et insulsius? At illud certe eo magis damnandum, quod ethnici hæc revera ipsosmet deos
C suos esse, vel in eis habitare arbitrabantur.

ARTICULUS III.

Examinatur aliud Arnobii argumentum contra deorum simulacra, petitum ex imaginibus Mercuriorum ad Alcibiadis instar, Veneris Cnidiæ, et aliarum ad Cratinæ ac Phrynes similitudinem repræsentatis, atque etiam Jovis super cujus digito Phidias inscripsit, *Pantarces pulcher*, ac quæ sigilliola dicantur.

Quo magis ethnicorum idola colentium superstitiones investigamus, eo certe majorem illorum deprehendimus impietatem. Eo enim usque illa processit, ut pro deorum suorum vultu et effigie posuerint certorum quorumdam hominum immo vero famosarum meretricum imagines et simulacra. Nam « quis est, » ait Arnobius, « qui ignoret Athenienses illos Hermas Alcibiadei ad corporis similitudinem fabricatos. » (*Arnob.*, *lib.* VI,
D *pag.* 198.) At hæc, et quæ sequuntur, ille ex Clemente Alexandrino accepta, ordine inverso, descripsit. In sua quippe Clemens ad Gentes Admonitione scripsit : Οἱ λιθοξόοι τοὺς Ἑρμᾶς Ἀθηνῆσιν πρὸς Ἀλκιβιάδην ἀπείκαζον. (*Clemens Alexandr. Admonit. ad gent.*, *pag.* 35.) *Lapidicidæ apud Athenienses Mercurios ad Alcibiadis instar repræsentabant.*

Sed prius dixerat : Πραξιτέλης δέ, ὡς Ποσίδιππος ἐν τῷ περὶ Κνιδοῦ διασαφεῖ, τὸ τῆς Ἀφροδίτης ἄγαλμα τῆς Κνιδίας κατασκευάζων, τῷ Κρατίνης τῆς ἐρωμένης εἴδει παραπλήσιον πεποίηκεν αὐτήν (*Ibid.*). *Praxiteles autem, ut declarat Posidippus in libro de Cnido, Cnidiæ Veneris effingens simulacrum, Cratinæ, quam amabat, formam in ea expressit.* Quæ Arnobius noster,

post jam citata a nobis ejus verba, sic latine interpretatus est: « Quis Praxitelem nescit, Posidippi si relegat, ad formam Cratinæ meretricis, quam infelix perdite diligebat, os Veneris Cnidiæ, solertiarum coegisse certamine » (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 198). Vides sane post hæc verba, *si relegat*, esse hiatum, et isthæc *in libro de Cnido*, librarii imperitia aut incuria deesse, quæ ex Clementis textu supplenda sunt.

Verum posthæc Arnobius (*Ibid.*) multum ea amplificavit, quæ brevissime dixit Clemens: *Cum floreret Phryne meretrix Thespiaca, pictores omnes Veneris imagines ad Phrynes instar referebant*: Φρύνη δὲ ὁπηνίκα ἤνθει ἡ ἑταίρα ἡ Θεσπιακὴ, οἱ ζωγράφοι πάντες τῆς Ἀφροδίτης εἰκόνας πρὸς τὸ κάλλος ἀπεμιμοῦντο Φρύνης. Hæc enim, sic narrat Arnobius: *Phryne illa Thespiaca, sicut illi referunt, qui negotia Thespiaca scriptitarunt, cum in acumine ipso esset pulchritudinis, venustatis, et floris, exemplarium fuisse perhibetur cunctarum, quæ in opinione sunt Venerum, sive per urbes Graias, sive iste quo fluxit amor talium cupiditasque signorum* » (ibid.). De aurata vero Phrynes effigie, a Praxitele efficta, hæc Pausanias scriptis tradidit: Φρύνης δὲ εἰκόνα ἐπίχρυσον Πραξιτέλης μὲν εἰργάσατο, ἐράστης καὶ οὗτος, ἀνάθημα δὲ αὐτῆς Φρύνης ἐστὶν ἡ εἰκών. (*Pausan.*, *lib.* X, *pag.* 330.) *Phrynes inauratam effigiem elaboravit Praxiteles, unus et ipse de mulieris amatoribus: ipsamet dedicavit.* Plura si velis, ab Athenæo non solum de hac Veneris effigie, sed alia ab Apelle depicta, scriptis tradita invenies. Adire adhuc poteris Plutarchum, et Ælianum, ac si lubet, quæ a nobis in superiori Apparatus tomo annotata sunt (*Athen.*, *lib.* XIII *Deipnos.*, *cap.* 6, *pag.* 590 *et seq.*; *Plutarch.*, *de Virtut. Alexandr.*, *tom.* II, *pag.* 336; *Ælian.*, *lib.* IX *Variar.*, *cap.* 32; *tom.* I *Apparat.*, *pag.* 150 *et* 744).

Quin etiam « Phidias, » ait auctor noster, « cum Olympii formam Jovis molimine operis extulisset immensi, super dei digito, Pantarcès inscripsit pulcher. Nomen autem fuerat amati a se pueri, atque obscena cupidate dilecti. » (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 199.) Ex Clemente autem Alexandrino hæc ille rursum mutuatus est. Ethnicis quippe eruditissimus hic Græcus scriptor similiter objecerat: Ὁ μὲν Ἀθηναῖος Φειδίας ἐπὶ τῷ δακτύλῳ τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου ἐπιγράψας, Παντάρκης καλός. οὐ γὰρ καλὸς αὐτῷ ὁ Ζεύς, ἀλλ' ὁ ἐρώμενος ἦν. (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 35.) *Atheniensis quidem Phidias, qui in Jovis Olympii digito scripsit: Pantarces pulcher. Non erat enim ei pulcher Jupiter, sed is qui ab eo amabatur.* Sed de his omnibus jam in superiori apparatus nostri tomo egimus (*tom.* I *Apparat.*, *pag.* 530, 737, 744). Ea autem omnia retulimus, ut uno oculi ductu omnes videant, quomodo ac quæ Arnobius ex Clemente Alexandrino decerpserit.

At validissimum certe contra ethnicorum imagines et simulacra argumentum inde cum illo eruit. Quid namque magis impium, inquit, dictuque magis A horrendum, quam a lascivientibus ac petulantibus statuariis et pictoribus impune consignata fuisse in deorum imaginibus et simulacris exsecrandarum libidinum suarum monumenta? Semetipsos igitur voluntaria cæcitate fallebant ethnici, qui hæc simulacra venerabantur, nolebantque quid ea essent, examinare; ne discussa errorum caligine ad saniorem mentem redire cogerentur.

Sed illos adhuc urget Arnobius, hisque verbis compellat: « Abstinetis a risu, cum pro diis immortalibus, sigilliolis hominum, et formis supplicatis humanis? Quin immo deos esse sigillaria ipsa censetis nec præter hæc quidquam vim creditis habere divinam » (*Arn.*, *lib.* VI, *p.* 197). Paulo post vero illos adhuc his castigat acrioribus verbis: « Usque adeo ludus est, et B puerilis affectio, sigillaria ista formare, adorare pro diis ea, sanctitatibus accumulare divinis » (*ibid. p.* 199). Sigillaria autem et sigilli .la vocat parvas imagines, quæ arte fabrili factæ repræsentabant illorum deos, ac publice vendi, aut aliis mitti solebant. Testatur siquidem Spartianus hæc sigillaria ab Adriano Imperatore clientibus ac magistris sponte data a Caracalla libenter ab amicis accepta, iisque missa etiam inopinantibus (*Spart.*, *in Vit. Adrian.*, *circ. med.*, *Et in Vita Caracall.*, *init.*). Macrobius autem putat hujus moris originem a Saturnalibus festis esse derivatum. Si res ita se habeat, pessima est hæc origo, nec maximo sine piaculo ethnici ea sigillaria, ut ait Tertullianus, in cathedra, aut subselliis sedentes adorabant (*Macrob.*, *lib.* I *Saturn.*, *in fin. cap.* 11; C *Tertullian.*, *de Orat.*, *cap.* 12, *pag.* 154).

ARTICULUS IV.

Qua ratione Arnobius ex materia et arte, qua facta fuerant deorum simulacra, ostendat ea ab ethnicis impio cultu adorari, eorumque implorari auxilium, ac quam vana et futilis sit eorumdem gentilium responsio, qua simulacra post eorum tantum dedicationem se venerari profitebantur; ubi de tæniis, veternosis arboribus, et ritu quo ethnici simulacra adorabant.

Nescire ethnici non poterant deorum suorum simulacra, quæ humilès, prostrati, atque in faciem, ut ait Arnobius (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 200), proni adorabant, quibus tremebundi supplicabant, quorum in adversis rebus opem, et in prosperis, continuationem amoris favorisque adeo submisse postulabant, ab artificibus facta esse ex auro, argento, ebore, D aliaque terrena materia, atque etiam muliebri, immo vero nonnumquam meretricio ornatu, ex cacabulis, id est, vasculis, in quibus pulmenta coquebantur, aliisque ejusdem generis, et obscenioribus vasculis. Quam autem hæc vera sint, in superiori dissertatione ostendimus (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 21, *art.* 1). Quis autem inficias ire potest hanc imaginum, simulacrorum, atque statuarum venerationem, de qua non semel alibi a nobis actum est, ab Arnobio jure meritissimo proscribi ac repudiari.

At certe eo magis damnanda erat, quod ethnici sic ab illis opem, favorem et beneficia poscebant, atque exspectabant, tamquam a diis præsentibus, et

quibus divina inerat vis et potentia. Gentilium quippe animis insulsa hæc opinio adeo infixa hærebat; ut Siculi apud Ciceronem conquesti fuerint: « Sese jam ne deos quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere, quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset? » (*Cicer.*, *orat.* 4, *in Verr.*, *init.*, *pag.* 46.) Eadem quoque fuit, teste Livio, Ambracensium legatorum in senatu Romano querela: « Bona adempta, et quod se ante omnia moveat, templa tota urbe spoliata ornamentis, simulacra deum, deos immo ipsos, convulsos ex sedibus suis, ablatos esse parientes, postesque nudatos. Quos adorarent, ad quos precentur et supplicent, Ambraciensibus non superesse. » (*Liv. lib.* XXXVIII, *cap.* 43.) Quis autem ex his verbis non animadvertat, quam evidenter ac serio homines inter ethnicos clarissimi coram Romano senatu, atque ipsimet Romani adseruerint hæc simulacra suos revera esse deos, vel hos in illis, tamquam domiciliis suis habitare, ita ut sublatis hisce simulacris, nullos amplius deos se habere crederent.

Si quis tamen nimium pervicax illud adhuc inficiari, aut in dubium vocare audeat, is certe Arnobii nostri auctoritate, cui nemo, si sanæ mentis sit, refragari potest, plane confutabitur. Palam enim, nec sine summo contriti cordis dolore, asseverat (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 22), se cum gentilium erroribus, sibi plane cognitis, implicatus esset, persuasum omnino habuisse deorum simulacra, et *picturatas in veternosis arboribus tænias*, eos ipsos esse deos, quibus adulabatur, quos affabatur, et a quibus beneficia postulabat, *tanquam inesset*, inquit, deorum vis præsens, vel in eis revera inhabitarent.

Quid hoc testimonio clarius, et expressius? Quis autem abnuet hanc Arnobii opinionem, seu potius, ut ipse fatetur, gravissimum errorem, ipsi cum aliis communem fuisse gentilibus? Quamobrem Tertullianus ante fabricata deorum simulacra: « Deus, » inquit, « ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Græcorum, atque Tuscorum fingendis simulacris Urbem inundaverant » (*Tertullian.*, *Apolog.*, *cap.* 25, *p.* 28). Sed de illa absurda gentilium opinione, atque impietate aliquid in primo Apparatus nostri et tomo perstrinximus (*Apparat.*, *pag.* 496 *et seq.*, *pag.* 750 *et seqq.*). De Tertulliano autem suo loco agendum.

Cæterum Arnobius dixit *tænias*, græce ταινίας, id est, fascias, sive, ut Servius animadvertit (*Serv.*, *in lib.* V *Æneid. Virgil.*, *pag.* 374), vittas, aut vittarum extremitates, in arboribus *veternosis*, hoc est, senio, seu morbo vetere confectis, ut explicat Donatus (*Donat.*, *in Terent.*, *Eunuch.*, *act.* 4, *scen.* 4). Significat itaque Auctor noster, secum ethnicus adhuc esset, coluisse in arboribus, longa ætate consumptis, vittas et coronas, seu potius antiquas arbores vittis et coronis redimitas. Arbores siquidem deo alicui dicatas, sicut deos, aut eorum sedes olim ethnici adorabant. « Hæc, » inquit Plinius, « fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc deo præcellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos et in iis silentia ipsa adoramus. » (*Plin.*, *lib.* XII *Hist. natur.*, *cap.* 1, *pag.* 4.) De Phœnicibus vero hæc Philo ex Sanchoniatone, et hic ex Taauto, si Eusebio fides, retulit: Οὗτοί γε πρῶτοι ἀφιέρωσαν τὰ τῆς γῆς βλαστήματα, καὶ θεοὺς ἐνόμιζον, προσεκύνουν ταῦτα. « *Illi omnium primi germina terræ*, » ac proinde arbores, « consecrarunt, iisque deorum in loco habitis adorationis cultum tribuerunt. » (*Euseb.*, *lib.* III *Præpar. Evangel.*, *cap.* 10, *pag.* 34.) Mentionem quoque Arnobius facit, *lubricati lapidis*, de quo in superiore nostra dissertatione, ubi etiam de arboribus aliquid attigimus (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 19, *art.* 2). Declarat itaque Arnobius se olim cum insulsas gentilium superstitiones sectaretur, coluisse et adorasse simulacra, arbores, et lapides ab illisque beneficia poposcisse, persuasumque falso habuisse hæc ipsosmet esse deos, et in illis vim potestatemque inesse divinam.

Quamvis autem ille christianus factus, non sine acerbo animi sensu, sinceraque pœnitentia se deorum simulacra coluisse confiteatur (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 101); tanta tamen erat gentilium obstinatio, ut ea ipsa quæ ex vilissimo luto facta esse nescire non poterant, in templis tamen suis posita, pro diis haberent, ac venerarentur. Cæci enimvero homines, ut aliquid ab iis, quemadmodum ait Arnobius, impetrarent, « Deorum, » sive simulacrorum, « ante ora prostrati, limina ipsa converrebant osculis » (*id. lib.* I, *p.* 29). Qui quidem adorantium ritus erat, ut satis ex Suetonio, Livio, Polybio, et aliis colligitur (*Sueton.*, *lib.* VII, *in vita Vitell.*, *paulo post init.*; *Liv.*, *lib.* XXX, *cap.* 8; *Polyb.*, *lib.* XV, *init.*). Quamobrem Tibullus canebat:

> Nec ego tellurem genibus prorepere supplex,
> Et miserum sancto tundere posse caput.
> Nec ego si merui, dubitem procumbere templis,
> Et dare sacratis oscula liminibus.
>
> (*Tibull.*, *lib.* I, *eleg.* 5.)

Verum Lucretius, a Lactantio citatus (*Lactant.*, *lib.* II *Instit.*, *cap.* 3, *pag.* 150), impium illum gentilium suorum cultum his versibus explodit:

> Nec pietas ulla est velatum sæpe videri
> Vertire ad lapidem, atque omnes accedere ad aras,
> Nec procumbere humi prostratum, et pandere palmas,
> Ante deum delubra.
>
> (*Lucret.*, *lib.* V, *vers.* 1198 *et seqq.*)

Lege adhuc, si velis, Plutarchum, Lucanum, et Brissonium, qui plura de his gentilium ritibus observarunt (*Plutarch.*, *Quæst. roman.*, *pag.* 266; *Lucan.*, *lib.* II, *vers.* 128 *et seqq.*; *Brisson.*, *lib.* I, *de Form.*, *pag.* 46).

Arnobius porro hanc impietatem acerrime eo insectatur, « quod, si liceret, » inquit, « in simulacri alicujus introire pendigines, » seu, ut clarius paulo post loquitur, « in omnes sinus et commissuras » (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 204 *et seqq.*), nihil aliud cerneretur, quam variæ illius partes, quas catenæ ferreæ, unci, ansulæ, et suffusum plumbum retinebant. Ad

hæc vero illa simulacra, « quorum plantas et genua ethnici orantes contrectabant » (*Veget.*, *lib.* II, *cap.* 44), semiplena et vacua, ac minime animata et spirantia, temporum injuriis putrescunt, ac dissolvuntur. In iis etiam sorices, stelliones, blattæ nidificant, araneis vero coinquinantur et hirundinibus. Arnobius itaque sicuti Minucius Felix, aliique, ut vidimus (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 19 *art.* 2), Ecclesiæ Patres hinc recte concludunt, nihil omnino in hisce simulacris et signis inesse posse divinitatis.

Ethnici vero, ut hoc argumentum, cujus pondere se opprimi sentiebant, quoquo modo infirmare possent, respondebant se numquam credidisse ea simulacra esse per se deos : sed in illis hos tantum colere ac venerari, « quos dedicatio infert sacra, et fabrilibus efficit inhabitare simulacris » (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 203 *et seqq.*). Verum auctor noster illud ridiculæ opinionis commentum variis rationum momentis plane comminuit, penitusque dissipat. Eccui enim, si sanus sit, unquam, ait ille, persuadebitur deos ridiculo quodam dedicationis jure, aut ad terrena simulacra inhabitanda cogi, aut sidereis sedibus suis, sponte sua relictis, ad ea toties commigrare, quoties homini statuam dedicare placuerit? Quid vero, quod dii nulla vi humana compelli possunt, ut in simulacris illis semper maneant? Nihil enim ea necessitate miserius, nihilque Deo magis indignum. Deinde vero, si in eis tamdiu tantum commorentur, quamdiu ipsis libuerit, certe simulacra aliquando, illis recedentibus, dii esse desinent. In dubio igitur stabit quando eis sacra fieri, et ea adorari debeant. Præterea vero, cum plura, inquit Arnobius unius ejusdemque dei simulacra, modo parva, modo maxima fabricantur, numquid dii in illis aut se contrahunt, aut se porrigunt, suumque corpus pro simulacri componunt forma ac figura? Quid autem absurdius de Deo dici aut cogitari potest?

Sed agedum ; constat sane plurima unius ejusdemque dei simulacra in diversis, et a se invicem longissimo terrarum intervallo disjunctis regionibus posita fuisse. An in iis omnibus deus ille adesse poterat? Non divisus quidem, quia verus Deus dividi nequit. Non integer ; nam deus ille, uti putabant corporeus erat, nec proinde potest in pluribus simul esse locis.

Denique si hæc simulacra aut dii essent, aut eorum habitatio, nonne divina potestate sua se ipsos adversus quoslibet casus tutari debebant? Cur ergo ethnici, arguit auctor noster (*Ibid.*, *pag.* 205.), illa ne qua injuria afficerentur, validissimis claustris, repagulis, pessulis claudebant, ac muniebant? Cur, ne a furibus clam noctuve raperentur, « æditnis mille » ita ille loquitur, (Ibid.) « protegebant ; atque excubitoribus mille. » Eodem modo argumentatur Tertullianus, ac qui sint illi excubitores clarius explicat : « Jam utique suas, » inquit, « primo statuas, et imagines, et ædes tuerentur, quæ, ut opinor, Cæsaris milites excubiis suis salva præstant » (*Tertullian.*, *Apolog.*, *cap.* 29, *pag.* 29). Ante vero auctor epistolæ ad Diognetum sic ethnicos affatur, et corripit : Nonne deos vestros illuditis, dum lapideos quidem, et testaceos veneramini, custodibus carentes : Τοὺς δὲ ἀργυρέους καὶ χρυσοῦς ἐγκλείοντες ταῖς νυξὶ, καὶ ταῖς ἡμέραις φύλακας παρακαθίσαντες, ἵνα μὴ κλαπῶσι (*Epist.*, *ad Diognet.*, *post. init.*) : *Argenteos autem et aureos includitis noctu, aut interdiu custodes apponitis ne furto auferantur.* Similiter Cyprianus, nec minus acri styli sui aculeo eos pungit : « Sic illos, » inquit, « læsos ultio vestra defendit, quomodo et clausos ne pereant, tutela vestra custodit. Pudeat tutelam de iis sperare, quos tu ipse tueris. (*Cyprian.*, *tract. ad Demetr.*, *pag.* 191.)

Satis porro gentilibus non erat simulacra, sive deos suos hominum custodiis, ac diurnis nocturnisque vigiliis tueri, sed eamdem, pergit Arnobius, ob causam, canes et anceres alebant. Et certe scriptum a Cicerone legimus : « Anseribus cibaria publica locantur, et canes aluntur in Capitolio ; ut significent, si fures venerint. (*Cicer.*, *orat.* 2, *pro Rosc. Amer.* 1, *pag.* 24.) Quod etiam Livii, Plinii, Plutarchi, Æliani, et aliorum testimonio confirmatur (*Liv.*, *lib.* V, *ante fin.*, *Plin.*, *lib.* X *Hist. nat.*, *cap.* 22, *pag.* 408 ; *Plutarch.*, *in vit. Camill.*, *pag.* 142, *et Quæst. roman.*, *pag.* 284 ; *Ælian.*, *lib.* XII *de Animal.*, *cap.* 33). Atqui hæ custodiæ, arguit Arnobius, tam inutiles, quam diis injuriosæ erant. In simulacris siquidem si ipsi saltem inhabitassent, illis profecto nec aliis, ea a quolibet casu, et injuria protegendi cura relinquenda erat. Nullus enimvero gentilis dicere unquam potuit illos aut dormire, aut non posse se tueri. Unde etiam Augustinus ex, proxime memorata anserum custodia, sic eosdem gentilium deos irridet et explodit. « Tunc tota *romana* urbe in hostium potestatem redacta, solus collis Capitolinus remanserat, qui etiam ipse caperetur, nisi saltem anseres, diis dormientibus, vigilarent. Unde pene in superstitionem, ægyptiorum bestias avesque colentium, Roma deciderat, cum anseri solemnia celebrabant. » (*August.*, *lib.* II *de Civit.*, *cap.* 22, *pag.* 51.)

Quis autem diffiteri potest ex his omnibus rationibus recte ab Arnobio confici gentilium simulacra, vel ante, vel post suam consecrationem, nec deos esse, nec hos in illis inhabitare, multo minus ad ea, cœlo relicto, inhabitanda posse compelli? De illa porro simulacrorum dedicatione, alibi diximus (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 19, *art.* 1).

ARTICULUS V.

Examinatur aliud Arnobii adversus deorum simulacra argumentum, inde petitum, quod illa ab ethnicis probro et dedecori habita, ac spoliata fuerint : nempe simulacrum Jovis ab Antiocho Cyziceno et Dionysio tyranno, Æsculapii ab eodem Dionysio, Veneris a Pygmalione, et alio adolescente ; alia vero aut diruta, aut cremata, ubi de vario Capitolii incendio.

Ultimum Arnobii adversus deorum simulacra argumentum ex iis ducitur, quæ maximo dedecori et probro habita, cum opprobrio spoliata, ac tandem non secus ac templa deturbata, et penitus diruta sunt. Quis enim negabit Jovis statuam cum irrisione et ludibrio ab Antiocho Cyziceno spoliatam? « Hunc

quippe Antiochum Cyzicenum ferunt, » Arnobii verbis utimur, « quindecim cubitorum Jovem ex delubro aureum sustulisse, et ex ære bracteolis substituisse fucatum » (*Arnob.*, *lib* VI, *pag.* 205). Ex Clemente autem Alexandrino illud proculdubio delibatum est. Audi, quæso, græca ejus verba, ac id haud dubie fateberis : Ἀντίοχος ὁ Κυζικηνὸς, inquit, ἀπορούμενος χρημάτων, τοῦ Διὸς τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν, πεντεκαίδεκα πηχέων τὸ μέγεθος ὂν, προσέταξε χωνεῦσαι, καὶ τῆς ἄλλης τῆς ἀτιμοτέρας ὕλης ἄγαλμα παραπλήσιον ἐκείνῳ πετάλοις κεχρυσωμένον ἀναθεῖναι πάλιν. (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent. pag.* 34.) *Antiochus Cyzicenus, cum egeret pecuniis, Jovis auream statuam, quæ erat magnitudinis quindecim cubitorum, fundi jussit, et ex alia materia statuam illi similem laminis inauratam rursum reponi.*

Ex eodem Scriptore græco Arnobius in librum suum hæc adhuc transtulit : « Dionysius ille, sed junior, cum velamine aureo spoliaret Jovem, et pro illo laneum subderet, jocularibus etiam facetiis ludens, cum esse illud in rigoribus algidum, hoc vaporum, onerosum illud in æstatibus diceret, hoc rursus sub ardoribus flabile » (*Arnob.*, *loc. cit.*). Clemens enim Alexandrinus dixerat : Διονύσιος ὁ τύραννος, ὁ νεώτερος, τὸ ἱμάτιον τὸ χρύσεον περιελόμενος τοῦ Διὸς ἐν Σικελίᾳ, προσέταξεν αὐτῷ ἐρέουν περιτιθέναι, χαριέντως φήσας, τοῦτο ἄμεινον εἶναι τοῦ χρυσίου, καὶ θέρους κουφότερον, καὶ χειμῶνος ἀλεεινότερον (*Clem.*, *loc. cit.*). *Dionysius tyrannus junior cum auream vestem Jovi abstulisset in Sicilia, jussit eum indui lana, facete dicens, eam esse aurea meliorem, ut quæ esset et æstate levior, et hyeme calidior.* De utraque illa Jovis statua in superiori Apparatus nostri tomo disseruimus (*tom.* I *Apparat.*, *lib.* III, *dissert.* I, *cap.* 8, *art.* 2 *et* 3, *pag.* 737 *et* 743). At in simulacris suis, arguit Arnobius, si dii habitassent, neque Antiochus et Dionysius id fecissent impune; neque Jupiter tam patienter ferre potuisset tales tantasque contumelias, sibi ab infirmis hominibus non sine irrisione illatas. Ipse enim illas non expectato, uti in superiore articulo diximus, ullius alterius auxilio, statim ultus fuisset.

Pergit auctor noster atque eumdem Dionysium similiter adhuc jocatum esse narrat, cum Æsculapium amplissima barba aurea spoliaret : « Facinus » enimvero, « esse dicebat indignum, ex Apolline procreatum levi glabro, simillimoque impuberi, ita barbatum filium fingi; ut in ancipiti relinquatur, uter eorum pater sit, uter filius, immo an sint generis et cognationis unius » (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 206). Numquid a vero is multum aberraverit, qui istud ex his Ciceronis verbis decerptum esse opinabitur : « Idemque Dionysius, » inquiebat Latinus Orator, « Æsculapii Epidaurii barbam auream demi jussit. Neque enim convenire barbatum esse filium, cum in omnibus fanis pater imberbis esset » (*Cicer.*, *lib.* III *de Natur. deor.*, *pag.* 252). Eadem de utroque Dionysii impio facinore Valerius Maximus, Lactantius, Ælianus, atque allii retulerunt (*Val. Max.*, *lib.* I, *cap.* 2, § 3, *pag.* 20; *Lactant.*, *lib.* II, *cap*, 4, *pag.* 157; *Ælian.*,

A *lib.* I *Var. hist.*, § 8). Cur ergo, instat Arnobius, utrumque Dionysii tam audax facinus, utrique deo tam probrosum, illico neuter vindicavit? Cur tam patienti animo toleravit, et alter quidem deformari vultum suum, alter autem suo ornamento adeo turpiter spoliari? Cur ambo illi dii merita ultione non demonstrarunt se in simulacris suis, uti gentiles opinabantur, præsentes esse, atque illorum custodes ac defensores? Verum hi, « ita ludibrio habiti sunt, » inquit Ambrosius, « ut neque Jupiter vestem suam defendere potuerit, nec barbam Æsculapius, nec Apollo adhuc pubescere cœperit, neque omnes, qui dicuntur dii retrahere potuerint pateras, quas tenebant, non tam furti reatum timentes, quam sensum non habentes. Quis igitur eos colat, qui nec defen-
B dere se, quasi dii, nec abscondere, quasi homines possunt? » (*Ambros.*, *lib.* II *de Virginib.*, *cap.* 5, § 7, *pag.* 172.)

Neque est sane quod ethnicus nescio quis cum Valerio Maximo nobis objiciat, tametsi Dionysius debita supplicia non exsolverit, illum tamen dedecore filii pœnas post mortem dedisse, quas vivus effugerat. Nam ille debitas non paternæ sed suæ crudelitatis, uti ex Athenæo, et Justino historico, satis probatur, pœnas pertulit (*Athen.*, *lib.* XII *Deipnos.*, *pag.* 541; *Justin.*, *Hist. lib.* XXI, *cap.* 2 *et* 5); unde Ovidius de illo hæc canebat :

> Ille Syracusia modo formidatus in urbe,
> Vix humili duram reppulit arte famem.
>
> (*Ovid.*, *lib.* IV, *epist. ex Pont. Epist.* 3, *pag.* 328.)

C Quid vero, quod Cicero ipse, etsi gentilis, eodem plane modo quo auctor noster, aliique christianæ religionis defensores, ex Dionysii patris facto argumentatur : « Hunc igitur, » inquit, « nec Olympius Jupiter fulmine percussit, nec Æsculapius misero diuturnoque morbo intabescentem interemit, atque in suo lectulo mortuus, in Tympanidis rogum illatus est, eorumque potestatem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi justam et legitimam hæreditatis loco filio tradidit » (*Cicer.*, *loc. cit.*).

Nec ethnicum respondere juvat illas, quæ nominibus videntur, contumelias, eaque opprobria, a diis ita plane negligi, et haberi pro nihilo, ut supplicium de illis sumere non curaverint. Qua enim fronte, urget Arnobius, quave animi tranquillitate, seu po-
D tius stupiditate dii tolerare potuerunt non solum illa impia Dionysiorum, et Antiochi facta; sed alia etiam exsecranda, nec sine horrore nominanda flagitia, quæ a Philostephano, et Posidippo memoriæ mandata sunt? Primus enim, « in Cypriacis, » ait auctor noster, « auctor est Pygmalionem, regem Cypri, simulacrum Veneris, quod sanctitatis apud Cyprios, et religionis habebatur antiquæ, adamasse ut feminam... solitum sublevato in lectulum numine copularier amplexibus..... Consimili ratione Posidippus in eo libro, quem scriptum super Cnido indicat, superque rebus ejus, adolescentem haud ignobilem memorat; sed vocabulum ejus obscurat, correptum amoribus Veneris, propter quam Cnidus in nomine est, amatorias

et ipsum miscuisse lascivias cum ejusdem numinis A signo, genialibus fusum toris, et voluptatum consequentium finibus» (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 106 *et seqq.*). At hæc rursum ille ex Clemente Alexandrino mutuatus est. Totidem quippe hæc illius sunt verba : Ὁ Κύπριος ὁ Πυγμαλίων ἐκεῖνος ἐλεφαντίνου ἠράσθη ἀγάλματος. τὸ ἄγαλμα Ἀφροδίτης ἦν, καὶ γυμνὴ ἦν· νικᾶται ὁ Κύπριος τῷ σχήματι, καὶ συνέρχεται τῷ ἀγάλματι. καὶ τοῦτο Φιλοστέφανος ἱστορεῖ. Ἀφροδίτη δὲ ἄλλη ἐν Κνίδῳ, λίθος ἦν, καὶ καλὴ ἦν. ἕτερος ἠράσθη ταύτης, καὶ μίγνυται τῷ λίθῳ. Ποσίδιππος ἱστορεῖ· ὁ μὲν πρότερος ἐν τῷ περὶ Κύπρου, ὁ δὲ ἕτερος ἐν τῷ περὶ Κνίδου (*Clemens Alexandr.*, *Admonit ad gent.*, *pag.* 38). *Pygmalion ille Cyprius eburneam amavit statuam; erat ea simulacrum Veneris, et erat nudum. Movetur figura Cyprius, et coit cum imagine, et hoc narrat Philostephanus.* B *Venus autem alia in Cnido erat lapis, et erat pulchra, alius eam amavit, et cum lapide Veneris habet consuetudinem, ut refert Posidippus; prior quidem in Opere de Cypro, alter vero in Opere de Cnido.* Videsis quæ de iis in primo Apparatus nostri tomo adnotavimus. (*tom.* I *Apparat. lib.* III, *dissert.*, I, *cap.* 8, *art.* 4, *pag.* 745).

Ubinam igitur gentium, ait Arnobius, erat utraque illa Venus, quæ effrenem et indomitam horum juvenum petulantiam propulsare ac coercere non curavit? Numquid respondebunt ethnici huic deæ voluptatum et libidinis magistræ, gratissimas fuisse ejusmodi contumelias? Sed hæc deæ, uti fatebantur gentiles, libidinosissimæ simulacra, et sceleratissimi eorum C amatores ultricibus flammis tradi utique debebant.

Cæterum tametsi deæ molles et voluptuariæ hæc libenter permisissent, numquid eadem aliorum deorum fuit mollities et socordia? Si ergo major in eis fuit animi æquitas et fortitudo, ubinam, ait Arnobius (*lib.* VI, *pag.* 207), erat Jupiter Fulminator, cum Capitolium, et illum ipsummet Capitolinum Jovem cum uxore et filia edax ignis toties corripuit et absumpsit? Ubi Juno Argiva, quando illius templum cum sacerdote Chryside; ubi Serapis Ægyptius cum Iside; ubi Liber Eleutherius cum Athenis; ubi Diana, cum Ephesi; ubi Dodonæus Jupiter, cum Dodonæ; ubi denique Apollo divinus cum eorum templa, et simulacra aut spoliata a prædonibus, aut incendio consumpta sunt? at hæc adhuc ex jam citato Cle- D mentis Alexandrini libro delibata fuisse, ex iis colligi potest, quæ in superiore adhuc Apparatus nostri tomo diximus (*tom.* I *Apparat.*, *ibid.*, *pag.* 729 *et seqq.*). Nihil itaque his adjiciemus, nisi triplex fuisse, Capitoli incendium : unum bello civili Scipione et Norbano Coss. alterum Vitelliano bello, sed Capitolium a Vespasiano postea instauratum. Tertium ante Titi Vespasiani illius filii mortem, ac rursus a Domitiano reædificatum est. Legesis Marlianum, Pancirolum, et Donatum de urbe Roma, atque citatos ab eis auctores (*tom* III *Antiquit. roman.*, *pag.* 77, 344 *et* 577).

ARTICULUS VI.

Ostenditur quam infirma sit ethnicorum responsio, simulacra deorum ideo retinenda; ut imperitum vulgus eorum timore in officio et religione contineretur; ac quid ex hactenus dictis colligendum.

Postrema ethnicorum ad ea, quæ hactenus contra simulaca deorum disputavimus (*Arnob.*, *lib.* IX, *pag.* 108), responsio erat, se palam docere deos in illis residere, ipsosque esse deos, non quidem quod ita rem se habere crederent, sed ut falsa hac persuasione, ac præsentium deorum terrore imperita vulgi multitudo, quæ maxima omnium civitatum pars erat, in officio et religione contineretur. Et certe Cicero eamdem ob rationem censebat in urbibus templa, et lucos in agris, contra Persarum sententiam, esse debere (*Cicer.*, *lib.* II *de Legib.*, *pag.* 335). Ea quippe opinio, qua cunctas urbes, et templa, atque adeo simulacra dii incolere creduntur, religionem aufert civitatibus omnibus utilem, ac homines singulos reddit castiores et religiosiores.

At quem, respondet Arnobius (*Arnob.*, *loc. cit.*) terrorem malis, improbis, et sceleratis, quibus plenus semper fuit mundus, incutere possunt falsorum deorum simulacra? Nonne hi, sicuti cæteri omnes, apprime noverant illa impune a tyrannis, furibus, prædonibus, et aliis, ut supra dictum est, appetita, spoliata, direpta, transportata, deturbata, ac per summum dedecus, et ignominiam tractata, tandemque eversa et funditus diruta.

Deinde vero quid ex simulacris cuilibet homini metuendum erat (*Ibid.*, *pag.* 209)? Numquid falx Saturni messoria, ait Auctor noster, numquid Jovis riciniati fulmen, Junonis cæstus, seu cingulum, Matris deum tympana, Palladis galea, Mercurii petasus, baculus Æsculapii, Cereris mammæ grandes, Fortunæ, seu Amaltheæ, ut ait Pausanias cornu, vel, ut alii dicunt, cornucopia, ac tandem ridiculi Anubis, quemadmodum Diodorus Siculus, Macrobius, Lucianus et alii declarant, canina facies (*Pausan.*, *lib.* IV, *pag.* 14; *et lib.* VII, *pag.* 234; *Diodor. Sicul.*, *lib.* I *Biblioth.*, *pag.* 55; *Macrob.*, *lib.* I *Metamorph.*, *pag.* 201; *Lucian.*, *de Sacrific.*, *pag.* 186)? Nemini certe homini, si sane mentis unquam fuit, persuaderi a quoquam potuit in his, quæ paulo ante a nobis in hoc capite, et dissertatione superiori explanata sunt (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 15, *art.* 2), aliquid fuisse formidandi ac tremendi, aut quo aliquis a pravo actu aliquando deterreretur.

Tantum vero abest, ut illa, aliaque deorum simulacra malos homines a scelere aliquo averterint; ut nec legum severitas, nec ullum supplicii genus illorum hactenus compresserit audaciam. Quin immo inde sæpius pejores facti sunt et deteriores. Falsum est igitur simulacrorum, sive deorum in eis habitantium metu sinceram religionem stabiliri aut conservari. Neque id ipsismet ethnicis, aut iis saltem, qui apud illos sapientia et doctrina præstabant, incognitum esse potuit. Nam Cicero Cottam alicubi sic loquentem fecit : « Quid? si qui dixerunt totam de diis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus

sapientibus reipublicæ causa, ut quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret, nonne omnem religionem funditus sustulerunt? » (*Cicer.*, *lib.* II *de Natur. deor.*, *pag.* 212.)

At ex his omnibus, quæ in hoc et superioribus articulis disputata sunt, facile quilibet colligere poterit ab Arnobio validissimis rationum momentis comprobari deorum imagines et simulacra prorsus damnanda esse et rejicienda. Gentiles siquidem in animum suum frustra induxerant ea, sive ante, sive post eorum dedicationem ac consecrationem, deos fieri, atque ab illis conferri sibi posse opem, favorem et beneficia. Nihil enimvero in eis erat, nisi a vera divinitate prorsus abhorrens, ac suam plerumque ob turpitudinem vero et optimo Deo penitus indignum. Quæ quidem adhuc mirum in modum ex iis confirmantur, quæ jam alibi haud semel animadvertimus, ubi etiam manifeste, uti opinamur, cuivis, præjudicatis opinionibus non penitus excæcato, ostendimus nihil inde contra imagines pie a christianis coli solitas posse quidquam confici (*Dissert.*, *in Minuc.*, *cap.* 19, *art.* 2; *tom.* I *Apparat.*, *lib.* V, *dissert.* 1, *cap.* 9, *art.* 5, *pag.* 743 *et seqq.*). Sed de his adhuc in subsequentibus dissertationibus nostris agendum.

CAPUT XXIII.

De gentilium sacrificiis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus argumentis Arnobius nulla sacrificia diis gentilium facienda esse demonstret, atque oppositas eorumdem gentilium rationes evertat, ubi de hostia animali, de cnissa et hostiæ anima.

Si ficti commentitiique sint dii, si nulla proinde iis templa, delubra, fana construenda, si illorum sint falsæ imagines, fictitia signa et simulacra, nonne inde sequitur nulla prorsus sacrificia debere umquam illis fieri? Atqui primæ propositiones, uti superius vidimus, ab Arnobio invictissime probantur. Ergo et ultima simul cum illis tam aperte demonstrata est, ut ne minima quidem amplius probatione indigere videatur. Verum prioribus illis erroribus singillatim confutatis, et hunc quoque posteriorem Arnobius speciatim, ac peculiaribus rationibus a se impugnandum esse judicavit.

Manifestum itaque primo facit nullam penitus sacrificii ullius diis gentilium faciendi causam posse a quoquam adsignari (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 212 *et seqq.*). Nihil enim commodi, aut lucri, aut fructus ex iis dii, si qui sint, percipere unquam potuerunt. Falsum siquidem est eos sacrificiis ali, et nutriri. Nam quisquis cibi et alimenti aliquid accipit, is mortalis sit oportet. Dii vero immortales esse debent.

Deinde quod deorum altaribus admovetur inanimatum illud est, aut animatum (*Ibid.*). At dii neutro ali possunt. Non inanimato quidem, nisi corporei, sicuti homines dicantur, ac proinde dii non sint. Ad hæc vero nullus diffitebitur iis animatum potius convenire quam inanimatum. Animatum enim, ut ait Arnobius, est *animalis hostia*. Quæ autem ea sit, disces ex Macrobio, qui post citatos a se Trebatium et Virgilium observat hoc hostiarum genus, cujus sola anima sacratur, ab haruspicibus animalem hostiam vocari (*Macrob.*, *lib.* III *Saturnal.*, *cap.* 5, *pag.* 322 *et seqq.*). Strabo autem, ubi de Persarum sacrificiis disputat, hæc memoriæ prodidit : « Dicunt Deum nihil velle præter hostiæ animam. » (*Strab.*, *lib.* XV *Geogr.*, *pag.* 732.) Atqui ethnici frustra putabant deos animata, sive hujusmodi victima nutriri : « Nisi forte, » uti Arnobius facere arguit, « hostiarum deus animas devorat, aut aris ardentibus nidorem consectatur, et fumos, pasciturque de cnissis, quas evomunt ardentia viscera, adhuc suda de sanguine, et prioribus humecta de succis » (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 212). Cnissa autem, græce κνίσσα, vel κνίσα, est nidor, seu animalium arvina, et pinguedo, sive fumus quem cum hostia comburitur, ignis exhalat. Ultimo autem hoc sensu ab auctore nostro accipitur.

At gentiles revera credidisse deos suos his cnissis pasci et saturari, ex his colliges Clementis Alexandrini verbis : Ζεὺς δὲ ὕστερον ἐπιφανεὶς, εἰ θεὸς ἦν, τάχα που τῆς κνίσσης τῶν ὀπτωμένων κρεῶν μεταλαβὼν, ἧς δὲ τὸ γέρας λαχεῖν ὁμολογοῦσιν ὑμῶν οἱ θεοὶ (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 12). *Jupiter autem cum postea apparuisset, si quidem deus erat, ut qui assarum carnium cnissam forte sensisset, cujus præmii se esse participes vestri dei confitentur.* Neque minus perspicue id probari potest auctoritate Luciani, qui quidem, quamvis ethnicus homo, suos tamen deos hoc σαρκοσμῷ, irridere ausus est : « Dii juxta Jovem adsidentes, in terram despiciunt, et quoquo versum intento capite, circumspectant, sicunde subvolantem ignem videant, vel nidorem in aere surgentem, ἡ ἀναφερομένην κνίσσαν, circaque fumum rotantem esse. Quod si quis forte sacrum faciat, epulantur omnes, fumo inhiantes, ac muscarum in morem sanguinem exsugentes, circum aras effusum » *Lucian.*, *de Sacrific.*, *pag.* 185).

Sed hanc absurdissimam opinionem Arnobius ideo refellit ; quia nihil plane ex immolata qualibet hostia ad deorum substantiam pervenit. Quidquid enim ab gentilibus immolabatur, remanebat in terra, aut sursum sublevatum, atque in cineres dissolutum, in eam recidebat. Hinc rursum idem Lucianus : Ἡ δὲ κνίσσα θεσπέσιος καὶ ἱεροπρεπὴς χωρεῖ ἄνω, καὶ ἐς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν διασκεδάννυται ἠρέμα (*Luc.*, *ibid.*, *pag.* 186). *Nidor enim ille sacer atque divinus sursum fertur, atque in ipsum cælum subvectus, paulatim diffunditur.*

Quamobrem Clemens Alexandrinus inde recte conficit hæc a christianis meritissimo jure penitus rejici : Εἰκότως ἄρα τῷ μὴ νικωμένῳ ἡδοναῖς θυσίαν οὐ προσάγομεν, κάτω που καὶ οὐδὲ μέχρι νεφῶν τῶν παχυτάτων, μακρὰν δὲ καὶ τούτων, τῆς διὰ τοῦ καπνοῦ ἀναθυμιάσεως φθανούσης, εἴ που φθάνει (*Clemens Alexandr.*, VII *Stromat.*, *pag.* 707). *Merito ergo si non offerimus sacrificium, qui voluptatibus non capitur, cum inferius nec usque ad crassissimas nubes perveniat, sed longe etiam ab iis consistat, quæ fit per fumum*

exhalatio, si modo perveniat. Posteà vero hanc insulsam ethnicorum opinionem alio argumento refellit : Εἰ δὲ τῷ ὄντι ἡ κνίσσα γέρας ἐστὶ θεῶν τῶν παρ' Ἕλλησιν, οὐκ ἂν φθάνοιεν καὶ τοὺς μαγείρους θεοποιοῦντες, οἱ τῆς ἴσης εὐδαιμονίας ἀξιοῦνται. καὶ τὸν ἰτμὸν αὐτὸν (lege ἰπνόν. seu potius τὴν κάμινον αὐτήν. προσκυνοῦντες) προσεχεστέραν γινομένην τῇ κνίσσῃ τῇ πολυτιμήτῳ (*Ibid., pag.* 116). *Sin autem revera cnissa est munus deorum, qui apud Græcos sunt, cur non prius quoque coquos in deos referunt, qui æquali dignantur beatitudine, et non ipsum adorant caminum, qui est huic venerabili cnissæ propinquior?* A

Secunda ethnicorum ratio cur sacrificia diis suis facerent. hæc erat, hostias voluptatis gratia iis esse cædendas; ut pote qui gaudio et lætitia inde perfundantur (*Arnob., lib.* VII, *pag.* 213). Nam, uti Lucianus a nobis jam laudatus dixit : Τίς οὐκ ἂν εἰκάσειεν ἥδεσθαι ταῦθ' ὁρῶντας τοὺς θεούς; *Quis non facile conjectet gaudere deos, cum ista spectant? (Lucian., ib., pag.* 186.) B

At nemini unquam non insani capitis homini persuadebis, inquit Arnobius, deos, velut quoddam animal, delectatione aliqua et gaudio adlici. Voluptas siquidem quinque corporis sensibus percipitur. Dii autem, si sint immortales, sensibus illis carere debent.

Præterea quale illud est gaudium, quo quis innoxiorum animalium cæde lætatur? Nonne feri etiam homines illorum commoventur aliquando commiseratione? Quanto igitur magis dii, quos pios, mites, ac mansuetissimos esse finxerunt? Quamobrem vetus C quidam poeta a Porphyrio citatus hæc cecinit (*Porphy., lib.* II *de Abstin. animal., pag.* 230).

Τίς ὧδε μῶρος, καὶ λίαν ἀνειμένος,
Εὔπιστος ἀνδρῶν, ὅστις ἐλπίζει θεοὺς,
Ὀστῶν ἀσάρκων, καὶ χολῆς πυρουμένης,
Ἃ καὶ κυσὶν πεινῶσιν οὐχὶ βρώσιμα,
Χαίρειν ἅπαντας, καὶ γέρας λαχεῖν τόδε;

Quis ita stultus, et tam remissus,
Credulusque hominum, qui speret deos,
Ossibus excarnibus, et bili igne examinata, seu excocta,
Quæ canibus famelicis non essent esculenta.
Omnes gaudere, et præmium illud consequi?

Prius vero ille ipsemet Porphyrius dixerat malos dæmones, qui dii videri cupiunt, *νίσσῃ*, et sacrificiorum nidore recreari. Quamobrem *vir bonus,* inquit D ille, *et sapiens ab ejusmodi sacrificiis cavebit;* ne ad se adliciat tales impietatis magistros. Quantum autem in omnibus ac singulis, quæ exposuimus, argumentis sit virium, facile ut putamus, quisque perspiciet. Si quis vero plura desiderabit, hæc apud Eusebium magno sine labore inveniet (*Euseb., lib.* IV *Præpar. evang., cap.* 22, *pag.* 175; *lib.* V, *cap.* 2, *pag.* 182). Neminem porro esse arbitramur, qui ex cunctis Arnobii rationibus, simul collectis, non fateatur illis absurdum gentilium errorem penitus subverti (*Arnob., lib.* VI, *pag.* 204).

ARTICULUS II.

Quomodo Arnobius alia evertat ethnicorum argumenta, quibus sacrificia diis suis esse facienda probare nitebantur; ubi de ritu quo iidem ethnici antequam templa adirent, corpus abluebant, et explicatur quid sit Bulba, Immissulus, Buteo, Solipuga, natrix, cominum, nasturcium, bulbus, cunila, et motacilla.

Vulgaris gentilium opinio, et magni, uti arbitrabantur, ponderis ad sacrificia diis facienda argumentum, hac fundatum erat vana persuasione, qua existimabant eos a sacrificantibus placari, atque illorum sedari iracundiam. Sed hanc opinationem Arnobius falsitatis evidentissime arguit (*Arnob., lib.* VII, *pag.* 214). Nullus quippe in vero Deo esse potest iræ motus, quippe qui belluis proximus. eorum tantum esse potest, qui mortales sunt, nec adhuc beati. Sed de ira Dei fusius in subsequenti dissertatione agendum (*Dissert. in Lactant., cap.* 15, *art.* I *et seqq.*)

Fac tamen nunc si velis, ait Arnobius, deos revera hominibus irasci, non inde eos sacrificiis mitigandos esse unquam conficies. Non enim antequam irati sint, sacrificium eis fieri debet. Tum enim, sicut feris, ne sæviant, esca objicitur, ita sacrificium futuram deorum iram cohiberet. Neque etiam diis jam ira inflammatis sacrificandum est. Nam præterquam quod ab hominibus dii lædi nequeunt, nullis sane illi legibus unquam constituerunt quodnam ab hominibus prævaricatoribus, ne pœnas læsi numinis darent, sacrum agendum erat. Deinde vero ab omni prorsus verisimilitudine abhorret illos porco, aut gallinula, aut aliis pecudibus immolatis, iram ponere, et injuriarum oblivisci. Criminum enim tam facile redimendorum hac spe data, cresceret dubio procul sceleratorum hominum multitudo. Quod quidem Porphyrius fusius eo protulit (*Porphyr. lib.* II *de Abst. animal., pag.* 232 *et seqq.*), quod hac ratione inductus quilibet improbus homo, credet factam sibi injuste et male agendi potestatem : secus vero, si existimet sua tantum propter bona opera mercedem a diis accepturum.

Addit insuper Arnobius iniquum omnino videri, ut, pro reo et noxio homine innocens bestia occidatur. Simili argumento Porphyrius ostendit nullum animal gratitudinis causa, et ad gratias diis rependendas esse sacrificandum (*Idem, ibid., pag.* 165). Qui namque pro accepto beneficio gratias agit, is non debet male quemquam immerito afficere nec pro noxio et criminis conscio homine ullum innocens animal.

Contra vero instabant adhuc ethnici, majorique voce clamabant ideo cuilibet deo hostias immolandas, ut res nobis tribuat prosperas, et adversas avertat. Sed hæc ratio auctori nostro non videtur aliis firmior aut validior (*Arnob., lib.* VII, *pag.* 517, *et seqq.*). Ethnicorum siquidem philosophorum eruditissimi præfracte docebant omnia fato fataliqne, ut alibi vidimus, necessitate fieri. At inde aperte sequitur deos nihil penitus hominibus aut dare posse, aut prohibere, atque idcirco hostiis victimis, libationibus, et sacrificiis frustra fatigari (*Dissert. in Minuc., c.* 6, *art.*4).

Præterea si dii prospera largiuntur, et adversa propellunt, cur innumeri homines, atque ii etiam,

qui perpetuis sacrificiis aras onerant, ad extremas angustias orbitate, morbis, naufragiis, aliisque malis et infortuniis redacti sunt? Nonne omnium ingratissimi essent dii, si hæc cum possint, nollent impedire, nihilque vellent piorum annuere postulatis?

At prius, inquies, hostiarum sanguine et sacrificiis comparanda et emenda sunt deorum beneficia. Quid ais, vir bone? Quod, amabo te, diis magis indignum, quam venalia habere benefacta, ac sine illis prodesse nemini? Quid vero, quod si sola hujuscemodi sacrificia prosint, certe homo dives, qui plura animalia magno quidem, sed si opes ejus respicias, modico pretio empta, diis mactabit, ab iis tanto majora, quanto minora pauper, qui exiguum aliquid, sibi tamen pro egestate maximum, offeret, beneficia accipere debebit? Quæ autem major hac esse potest injuria et iniquitas? Eadem vero ratione, si duo populi secum bello decertantes, eadem omnino sacrificia faciant, tum dii illis opem, quam utique parem merentur, ferre numquam poterunt.

Verum ea sacrificia, aiebant ethnici, ad honorandos deos, amplificandamque eorum dignitatem recte instituta sunt. Sed id palam planeque negat Arnobius (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 220 *et seqq.*). Nam honorum dignitatumque attributio et incrementum in solis hominibus locum habet. Deus enimvero nullo prorsus modo dignitate, potentia, honoribus augeri potest. Quin etiam qui humanis, ait Arnobius, honoribus *mactatur*, id est Servio, Brissonio et aliis interpretibus, quasi magis augetur, illo inferior est, cujus augetur potentia (*Serv.*, *in lib.* IV *Æneid.*, I, *pag.* 316, *et Brisson.*, *lib.* I *de Form. pag.* 21). At id, aut quid simile de Deo dicere vel cogitare impium est (*Cic.*, *fragm.*, *pag.* 16).

Nos itaque Deum vere, ac maxime, et super cætera omnia honoramus et colimus; cum de ipso digne sentimus (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 221). Nihil quippe credimus in illo esse, quod solis conveniat mortalibus, aut ipsi extrinsecus, quo perturbari possit, adveniat. Palam quoque fatemur illum sua vi se perfectissime cognoscere, nec ullo unquam iracundiæ, voluptatis, ambitionis, cupiditatis, aut quovis ejusce modi alio motu agitari.

Quis ergo non sine sibilo explodat ethnicos (*Ibid.*), qui existimabant se non minimum diis suis tribuere honorem, si sacra quadam corporis lavatione prius abluerentur, quam ante illorum ora bovem, aut aliud animal occiderent illiusque effunderent sanguinem? Templa enimvero antequam adirent, *ab omni labe se puros*, ut ait Arnobius (*Ibid.*), *lautos*, seu lavatos, *castissimosque præstabant*, aut potius se præstare arbitrabantur. De illo autem ethnicorum sese levandi more scripsit Cicero: «Castos jubet lex adire ad deos, animo videlicet, in quo sunt omnia. Nec tollit castimoniam corporis: sed hoc oportet intelligi, cum multum animus corpori præstet, observaturque ut casto corpore adeatur, multo esse in animis servandum magis. Nam illud vel illud asaspersione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate vanescere, nec manibus ullis elui potest. (*Cicer.*, *lib.* II, *de Legib.*, *pag.* 335.) Testatum vero Macrobius facit communem hanc fuisse gentilium consuetudinem, sed aspersionem ab ablutione distinguit: «Constat enim, inquit, diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari. Cum vero inferis litandum est, satis actum videtur, si aspersio sola contingit» (*Macrob.*, *lib.* III *Saturnal.*, *cap.* 1). Multa ibi ille ex Virgilio, et longe plura Brissonius ex eodem poeta aliisque scriptoribus de hoc gentilium ritu retulere. Hos autem adire haud difficiliter poteris, sicut Tertullianum, ac Justinum etiam martyrem, qui ubi christianam religionem contra ethnicos tuetur, ibi scribit a dæmonibus, qui lavationem ab Esaia propheta indictam cognoverant, effectum fuisse; ut gentiles templa sua ingresuri, se ipsos et aquæ aspersione lustrarent, et toto etiam corpore lavarentur (*Brisson.*, *lib.* I *de Form.*, *pag.* 6 *et seqq.*; *Tertull.*, *lib. de Baptism.*, *cap.* 5; *Justin.*, *Apolog.* II, *seu* I, *p.* 94 *et seqq.*). Quapropter Lactantius, uti suo loco videbimus, eos corripit, propterea quod pie se sacrificasse existimarent, si antea laverint (*Lactant.*, *lib.* V *Institut.*, *cap.* 20, *pag.* 512).

Sed hæc sacrificiis præmissa lavatio, seu ablutio, aut aspersio non efficiebat, ut cæsarum hostiarum sanguine, et putoribus, quos nec ipsi sacrificantes, sicut auctor noster recte arguit (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 222), ferre poterant dii honorarentur. Neque dixeris a Cicerone citatis legibus cum corporis lavatione castum animum requiri. Nam nihil de illa curabant gentiles. Quo autem modo castus esse poterat eorum animus, qui diis omni, ui venditabant, effrenatissimæ libidinis et impudicitiæ genere contaminatis ea quæ diximus, faciebant sacrificia?

Præterea vero, si sacrificatis animalibus honos diis redditur, cur ethnicis iis non mactabant elephantos, ursos, canes, *belbas*, codex ms. regius *belluas*, littera *u.* pro *b.* more solito posita (*Ibid.*, *pag.* 223). Belba autem idem significat atque hyæna, quemadmodum epistolæ a Barnaba scriptæ interpres pseudo-Clemens, Capitolinus et Cotelerius observarunt (*Barnab.*, *Epist.*, *num.* 10; *Clem.*, *lib.* VIII *Recognit.*, § 25; *Capitol.*, *sub fin.*, Gordi 3; *Coteler.*, *in citat. epist. Barnab.*). Cur etiam ethnici non immolabant *Immissulum et Puteones*, qui teste Plinio, Aldrovando, et aliis quædam erant avium genera; cur nec *solifugas* seu *solipugas*, seu bestiolas maleficas, quæ cum sol ardentior est, tum acrius pungunt; cur nec *natrices*, seu serpentes, venenum in aquam fundentes, de quibus idem Plinius, Solinus, Lucanus, Isidorus, Cicero, Columella, et nos alibi (*Plin.*, *lib.* XVIII *Natur. hist.*, *cap.* 7 *et* 8; *idem*, *lib.* VIII, *cap.* 30; *lib.* XXII *cap. ult.*; *lib.* XXIX, *cap.* 4; *Solin.*, *cap.* 4, *pag.* 18; *Lucan.*, *lib.* IX, *vers.* 837; *Isidor.*, *lib.* XII *Orig.*, *cap.* 4; *Cicer.*, *lib.* IV *acad. Quæst.*, *pag.* 53; *Columel.*, *lib.* I, *cap.* 5).

Respondebant gentiles, ut debitus diis honos tri-

luatur, ea esse sacrificanda, quæ illi ad vitam sustentandam nobis suppeditarunt. Ergo, inquit auctor noster, sacrificandum est eis, *cuminum*, cujus, præter alios meminit Plinius (*Plin.*, *lib.* XIX *Hist. nat.*, *cap.* 8, *pag.* 613), vel *nasturcium*, ab eo quoque memoratum, et quo, ut testatur, Cicero, Persæ vesci solebant; vel *bulbos*, ab Ovidio, et Martiale (*Plin.*, *ibid.*, *pag.* 611; *Cic.*, *lib. de Finib.*, *p.* 66, *et lib.* V *Tuscul.*, *pag.* 192; *Ovid.*, *sub fine lib. Remed. amor.*; *Martial.*, *lib.* III, *Epigr.* 34) decantatos, quorum natura, teste Plinio, siseri et pastinacæ proxima est; vel *ocinum*, seu ocymum, ocinam et ozina, de quo præter jam laudatum Plinium Varro, Cato, et Theophrastus (*Plin.*, *lib. cit.*, *pag.* 591; *idem*, *lib.* XIX, *cap.* 8, *pag.* 611; *Varr. de Re rust.*, *lib.* I, *cap.* 31; *Cato*, *de Re rustic.*, *cap.* 54; *Theophr.*, *lib.* VII *de Plant.*, *cap.* 3) vel *cumilam bubulam*, cujus plurimas utilitates describunt Plinius, Columella, et Salmasius (*Plin.*, *lib.* XIX, *cap.* 8, *et lib.* XX, *cap.* 15; *Columel.*, *lib.* XVI *de Re rustic.*, *cap.* 13; *Salmas.*, *in Solin.*, *pag.* 1275 *et seqq.*).

Urget ethnicos (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 224 *et seqq.*) Arnobius: Si canes, asini, porci, motacillæ, aves scilicet, quæ attestante (*Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 19) Varrone, caudam semper movent, si hirundines, accepto aliquo humanitatis sensu, crederent deos nos esse, nobisque sacra facere vellent, numquid honori duceremus ab illis muscas, formicas, stercora, aliaque, quibus aluntur, nobis sacrificari? Atqui dii mactatis taurorum, aliorumque animalium, quæ mox putrescunt, corporibus non magis honorantur.

Verum aliquis nos hic morabitur, ac redarguet nullius momenti esse illud Arnobii argumentum; quandoquidem Judæi Deo vero oves, boves, ac plura alia animalia mactabant. Atqui hæc sacrificia illi grata erant, immo ab ipso imperata, atque idcirco in ejus facta honorem. Sed qui hæc objiciet eo ipso, quo fatetur illa ab ipso Deo præscripta fuisse, solvit nodum, si quis sit, propositæ a se difficultatis. Jam enim supra ostendimus (*Supr.*, *cap.* 8, *art.* 4), et paulo post dicetur, omnia ethnicorum, quodlibet diis suis immolantium, sacrificia idcirco ab Arnobio reprobari, quia nulla prorsus eorumdem deorum, qui utique nulli erant, lege constituta unquam fuerunt. Contra autem Judæi vero Deo, sicuti præceperat sacrificantes, eum hisce sacrificiis honorabant? Nonne enim qui jubenti obtemperat, eo ipso debitum illi tribuit honorem?

Præterea plurimis antiquis Ecclesiæ Patribus, ac recentioribus theologis nostris visum est sacrificia Judæis a Deo præscripta fuisse, non quidem potissimum ut iis honoraretur, sed ne ipsi Judæi in idololatriæ, ad quam propensissimi erant, scelus dilaberentur. Denique Arnobius, ethnicorum responsa iis in primis refellit rationum momentis, quibus illi se ad diis suis sacrificandum inductos esse jactitabant. Cæterum etsi singula hanc aliamve in rem ab eo proposita, non ejusdem roboris quibusdam

A videri possint; nemo tamen diffitebitur iis omnibus secum compositis, atque conjunctis superstitiosa gentilium sacrificia plane penitusque subverti. Ad alia itaque, si lubet, excutienda veniamus.

ARTICULUS III.

Ponderatur aliud Arnobii adversus ethnicorum sacrificia argumentum, inde petitum, quod hostiæ uni deo, et aliæ alteri immolabantur, ubi de diis inferis, et scrofa inciente.

Rejicienda esse gentilium sacrificia ut Arnobius magis magisque patefaciat, ab illis poscit cur uni deo taurum, alteri hædum, huic oves, illi inscientem *scrofam*, id est suem gravidam, et partui proximam; cur singulis diis singularem quamdam hostiam, atque illis fœminini, his masculini generis, B quibusdam albi vel rufi, aliis nigri coloris animal immolarent. Qua vero lege, inquit, id aliquando statutum est? Quid etiam refert cujus animalis cæde aliquod hominis *debitum luatur*, et sedetur deorum iracundia? Numquid his unius potius quam alterius sanguis gratior est et acceptior?

Respondebant ethnici deos mares esse et feminas, alios dextros alios lævos, quosdam superos, et nonnullos inferos, atque idcirco illis victimas diversi generis cædendas. At id quidem a diis præceptum fuisse probare forsitan poterant hoc Apollinis oraculo, græcis versibus edito, quod ex Porphyrio Eusebius decerpsit (*Euseb.*, *lib.* IV *Præpar. evang.*, *cap.* 9, *pag.* 145 *et seqq.*). Sed quia illud paulo longius est, latinam dumtaxat illorum interC pretationem proferemus.

Terna quidem Laribus, totidem sacrare memento
Cœlitibus, verum hoc discrimine: candida nempe
Cœlitibus, Larium sit concolor hostia terræ.
Quæ Laribus fient, in ternas divide partes:
Atque diis Erebi, terra sepelito sub alta,
Fumantemque cavis scrobibus demitte cruorem
Fundite mel Nymphis, et mollia dona Lyæi:
Quæ circumvolitant humiles vaga numina terras,
His circumexundans succensa altaria sanguis
Impleat, et sacros avis integra cedat in ignes.
Sed prius infuso subigens tunsa hordea melle,
Hæc thuri admixta, et salsas super injice fruges.
Dum glauci maris ad tenues facturus arenas
Veneris, in caput excussam, totamque profundos
Porricito in fluctus volucrem. Queis rite peractis,
Ad magnos exinde choros vestigia flecte
Cœlituum. Sacer ætheriis honor omnibus idem,
Effusum scatebris ad farrea liba cruorem
Stagnare, et devota deis apponere membra,
Summa quidem flammis imponere, cætera mensis.

D Hæc ille, sicuti et Lilius Giraldus, qui eadem carmina aliter latine reddidit, ac fusius prosequitur. Quapropter Servius observat, « sicut prosperis diis, ut juvent, ita adversis, ne obsint sacrificandum. Ut nigram hyemi pecudem, zephyris felicibus albam. » (*Girald.*, *Hist. deor.*, *syntagm.* 17, *pag.* 489 *et seqq.*; *Serv.*, *in lib.* IV *Æneid.*, *pag.* 516).

Verum præterquam quod citati oraculi falsitas, ab ipso, qui eam retulit, Porphyrio, quemadmodum Eusebius testatur (*Euseb.*, *ibid.*, *pag.* 148), agnita est, certe auctor noster hoc idem oraculum, et alia errantis humanæ mentis allata ab ethnicis commenta facile redarguit ac refellit. Falsum quippe erat, uti sapientiores doctioresque ethnici fateban-

A tur, et superius ille demonstraverat, deos esse mares et feminas. Nec minus aperte, uti vidimus (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 223 *et seqq.*), ostendit falso ab iisdem ethnicis asseri deos quosdam natura sua malos esse et adversos; quandoquidem verus Deus benignissimæ et benefacientis est naturæ. Denique negat ullos esse deos inferos, ac sub terra in Plutonicis regnis degentes (*Ibid.*, *pag.* 226). Negat etiam Juvenalis, ethnicus ipse poeta, id ullum hominem credere nisi forte puer sit, ætatis adeo teneræ, ut nondum publicis in thermis æs ad lavandum ab eo exigeretur. Ipsa autem hæc sunt illius carmina :

Esse aliquos Manes, et subterranea regna,
Et contum, et Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque una transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.
(*Juvenal.*, *satir.* 2, *vers.* 149 *et seqq.*)

Si sola poetæ auctoritas tibi non sufficiat, audi oratorem similiter ethnicum, cui procul dubio non refragaberis, nimirum Ciceronem, qui deos inferos exsibilat et explodit : « Dic, quæso, inquit, num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus.... Adeone me delirare censes, ut ita esse credam.... Si ergo apud inferos miseri non sunt, ne sunt quidem apud inferos ulli. Ita prorsus existimo» (*Cicer.*, *lib.* I *Tuscul.*, *pag.* 116, *lin.* 33).

Sed esto, pergit Arnobius, cedamus esse deos inferos, rebus præfectos tristibus et infaustis, atque idcirco hostia nigri coloris illis mactari debeat (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 226). At quo pacto, inquit, hoc fieri potest? Nonne videtis hostiarum dentes, ossa, *pinguitias*, seu pinguedinem, *omenta*, ac medullas albi esse coloris? At vellera, inquiebant ethnici, sicut et animalium setæ, id est, pili crassiores, ac rigidiores, et alia quædam eorum membra atra sunt et nigra. Recte, ait Arnobius. Hæc ergo sola, non autem integræ pecudes diis inferis debent immolari. Quid vero iis faciendum, qui plura, quæ sicut oleum et sanguis, non sunt nigri coloris, diis inferis litabant? Nonne inde pulchra illa religio solvitur?

Præterea, cur certa quædam hostia cæditur Jovi, aut Baccho, aut Mercurio, et non alia (*Ibid.*)? Dicebant quidem ethnici id antiqua consuetudine constitutum. Sed hæc consuetudo, arguit Arnobius, quantumvis antiqua, ex hominibus tantum manavit. Ad sacrificia autem diis facienda cœlicum et divinum præceptum requiritur.

Qua etiam lege animalium diis immolandorum facta est divisio, ac qua ratione taurus Jovi verbi gratia potius quam alteri deo dicitur convenire? Respondebant gentiles Telluri, utpote matri, scrofam incientem, paulo ante a nobis memoratam; Minervæ vero virgini vitulam virginem, et quæ nullum passa est jugum, cædendam. Sed si res ita se habeat, arguit Arnobius, musici musico Apollini, medico Æsculapio medici, fabri Vulcano fabro mactari debebant. Quid autem ineptius, et insulsius fingi unquam potuit?

ARTICULUS IV.

Quomodo Arnobius diis non esse sacrificandum demonstret ex ipsis rebus, quæ in sacrificiis adhibebantur, ubi explicatur quid sit farcimen, apexabo, hirciæ, silicernium, longavo, tædæ, tæniæ, polimina, plasea, siligo, fitilla, frumen, africia, gratilla, catumeum, conspolium, cubula, libum, caro strebula, pulpamenta, salsamina quadrimis copulata frugibus, far pium, feudicæ, rumæ, seu ærumnæ, gurgulio, ruminatoria sæcula, augmentum, magmentum, velamen sanguinum, præsiciæ, ac quomodo Auctor noster ostendat hæc in sacrificiis frustra adoleri.

Præter hostias et victimas, ea adhuc pleraque omnia, quæ in sacrificiis adhibebantur, aliud Arnobio subministrant argumentum, quo illa penitus tollenda esse apertissime demonstrat. Ethnici quippe varia diis suis offerebant farciminum, liborum, pultium, et fitillarum genera, quæ diis non solum indigna, « sed
B quibus, » auctoris nostri eos alloquentis verba sunt, « nomina indidistis obscura, vulgoque ut essent augustiora fecistis, » et ut paulo ante dixerat, « magorum cohærentia disciplinis» (*Arnob.*, *l.* VII, *p.* 229 *et seqq.*). » Quid autem hæc ultima verba significent, non una est eruditorum opinio. Quidam enim putant ea nomina dici, *magorum cohærentia disciplinis*; quia tenebrosa et obscura erant, et iis similia, quibus magi utebantur. Sed contendit Salmasius nihil esse Arnobii menti magis contrarium (*Salmas.*, *exercitat. in Solin.*, *p.* 128). Censet itaque Arnobium de variis farciminum liborumque, generibusque loqui, quæ ab eo dicuntur magorum disciplinis cohærentia; quoniam magi non solida, et illibata taurorum viscera diis concremabant, sed omentorum duntaxat partes
C et prosicias. Vide autem utrum hæc opinio confirmari possit his Strabonis de Persarum sacrificio verbis, quæ sic latine sonant, Xilandro interprete : « Sacrificant in loco mundo cum imprecationibus, et coronatam hostiam statuunt. Ubi magus, qui sacrificium enarrat, carnes in portiones distribuit, sua quisque accepta, abeunt, nulla parte diis relicta... Dicunt enim deum nihil velle, præter hostiæ animam : quidam, ut fertur, omenti partem igni imponunt» (*Stra.*, *l.* XV *Geogr.*, *p.* 532). Sed si eo sensu magicis disciplinis cohærebant, quid vetat quominus Arnobius dixerit hæc eadem verba nefandis iisdem disciplinis cohærere sua obscuritate, qua sicut magica, vel magicis similia, ita vulgo augustiora fieri credebantur.

D Ut ut sit, longam auctor noster horum seriem texuit verborum, quæ pleraque cum multis non satis forsitan nota sint, a nobis non sine aliqua, si fieri queat, explicatione atque enodatione debent prætermitti (*Arn.*, *l.* VII, *p.* 229). Primum itaque ab eó memoratur, « Farcimen, sive caro concisa, » inquit Isidorus, « et minuta, et inde farcimen dictum, quod ea intestinum farciatur, hoc est, impleatur, cum aliarum rerum commixtione (*Isidor.*, *l.* XX *Orig.*, *c.* 20). » Varro autem : « Afartum farcimina in extis appellata, a quo quod in eo tenuissimum intestinum fartum » (*Varro*, *l.* IV *de Ling. latin.*, *p.* 28). Itaque farcimen intestinum est concisa minute carne aliaque fartura oppletum et fartum, cujus conficiendi

varios Apicius modos descripsit (*Apicius.*, *l.* II *de Re coquin.*, *c.* 5).

Apexabo, sive ut in ms. cod. regio legitur (*Arn.*, *loc. cit.*), *Apexaones*, una farciminis pars erat, cujus hæc apud laudatum Varronem mentio : « Quod in hoc, » inquit, « farcimine summo quiddam eminet, ut in capite apex eminet, apexabo dicta » (*Varr.*, *Ibid.*).

Hirciæ sive *Ircei*, ut scribit Festus, quoddam adhuc erant genus farciminis in sacrificiis adhibiti (*Festus*, *ad verb.* IRCEI).

Silicernium, quidam dictum censent a silice, atque eo nomine senem decrepitum, incurvum, ac silices cernentem vocari. At significat etiam cœnam, quæ, ut ait Donatus, « infertur diis Manibus, quod eam silentes cernant, id est, umbræ possideant : vel quod qui hæc inferunt, cernant tantum, neque degustent. Nam de his, quæ libantur inferis, quisquis comederit, aut biberit, funestatur. (*Donat.*, *in Terent. Adelph.*, *act.* 4, *scen.* 2, *in fin.*) Nonius vero primam explicationem explodit, et secundam his comprobat verbis : « Silicernium pessime intelligentes ita posuisse Terentium putant, quod incurvitate silices cernat senex. Silicernium est proprie convivium funebre, quod senibus exhibetur. » Atque eodem significatu accipitur a Tertulliano, qui silicernium cum Jovis epulo componit (*Tertullian.*, *Apolog.*, *cap.* 13; *Fest.*, *ad verb.* SILICERNIUM).

Tertio tandem Paulus, et Verrius, a Festo laudatus, observant silicernium significare quoddam farciminis genus, quo familia ob alicujus mortem purgari solebat. Eo autem sensu ab Arnobio nostro sumi inde colligitur, quia de variis farciminum speciebus disputat.

Longavi, ms. cod. reg. *longævi*, corrupte, melius *longavo*, vel *longano*. Nam ab Apicio scriptum legimus : « Longanones porcinos fartos ex jure Tarentino coctos concisos» (*Arn.*, *l.* VII, *p.* 229; *Apicius.*, *l.* IV *de Re coquin.*, *c.* 2). Quidam autem putant longanon esse intestinum rectum. Sed Varro censet tertium esse «fartum, quod longius quam duo hila » (*Varr.*, *l.* IV *de Ling. lat.*, *p.* 28). Recte quidem, et satis apposite ad mentem Arnobii, qui hæc quatuor, a nobis memorata, declarat esse « farciminum genera, hirquino, » sive hirci, « alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus, » id est, vehementer insinuata, atque, uti diximus, infarta. Vides sane inter quatuor illa farcimina non magnum profecto, ac nominis potius, quam rei esse discrimen. Nam alia, inquit, hirci sanguine, quem nonnulli sanguiculum vocant, alia imminutis pulmonibus confarta erant. Tacet autem cujus animalis, nisi subaudiri velit hirci de cujus sanguine ibi loquitur. Fortassis etiam nobis subintelligendum reliquit duo priora hirci, et posteriora facta fuisse comminutis ejus pulmonibus. Turnebum præterea, si lubet et vacat, consule » (*Turn.*, XXII *Advers.*, *c.* 6).

Pergit Arnobius : « Quid tædæ, quid tæniæ (ms. cod. næniæ) quid offæ, non vulgi, sed quibus est nomen appellatione penitæ » (*Arn.*, *l.* VII, *p.* 229 *et seqq*). Sed hæc et subsequentia verba librarii imperitia fœde corrupta sunt. Quamobrem aliquis ibi legi voluit *taceta*, quibus escæ regiæ, ut ait Fulgentius, significantur (*Ful.*, *de Voc. anti. sub fin.*).

Verum hæc nihil faciunt ad auctoris nostri propositum. Salmasius autem emendandum suspicatur, *quid taxiæ? quid næniæ?* ibique nos admonet nomine taxea, seu taxia, unde ab indocto librario *tædæ*, scriptum opinatur, idem significari atque arvina et lardo (*Salmas.*, *exercitat. in Solin.*, *p.* 128). An vero scopum ille attigerit, conjicere poteris ex data ibidem illius nominis ab Arnobio hac explicatione : « Primum in exiguas, » inquit, « arvina est miculas catillaminum insecta de more » (*Arn.*, *l.* VII, *p.* 230). In ms. codice regio legimus, *catillaminuam*, in quibusdam editis, *at illa minutim*, in aliis, *et ilia minutim*. Primam autem lectionem a vera propius abesse inde liquet, quod librario latinæ linguæ ignaro proclive fuit unam litteram nomini sibi incognito addere. *Catillamina* autem, et alio Arnobii in libro (*Ibid.*, *et l.* II, *p.* 73), *Castellamenta lucanica*, quædam adhuc farciminis species sunt, quæ etiam longe notiori botulorum nomine nuncupabantur. Sensus itaque illius est arvinam, seu sebum inter animalis cutem et viscera interjectum, minutissimas in partes divisum, atque in botulorum formam compositum, sacrificiis deorum adoleri (*Ibid.*, *p.* 229). De *lucanicis* haud semel Martialis, atque in hoc potissimum epigrammate :

> Filia Picenæ venio Lucanica porcæ :
> Pultibus hinc niveis grata corona datur.
> (*Martial.*, *lib.* XIII, *epigr.* 35; *et lib.* IV, *epigr.* 46.)

Sed de his nos plura sub finem hujus dissertationis. Secundum botulorum, sive ejusmodi farciminum, genus in manuscripto codice et antiquis editionibus appellatur *nænia* (*Arn.*, *l.* VII, *p.* 229). Sed ultimæ editioni præpositus, Scaligeri conjecturam secutus, scribi maluit *tæniæ*. Hujus tamen correctionis immemor, cum cæteris editionibus, et codice nostro manuscripto paulo post nomen *næniæ* retinuit. At etiamsi de hac lectione non constaret, nobis sane sufficit tradita ab ipsomet auctore hæc illius explicatio : « Quod in secundo situm est, intestini est porrectio, per quam proluvies editur succis exsiccata vitalibus, » sive brevius *colon*, aut intestinum rectum (*Ibid.*, *p.* 231). Nonnulli autem probari posse putant nomine *nænia*, illud significari his Plauti versibus :

> Si tibi est machæra, et nobis vervina domi est,
> Qua quidem te faciam, si me irritaveris,
> Confossiorem soricina nænia.
> (*Plautus*, *Bacchilid.*, *Act.* IV, *scen.* 8.)

id est, juxta quorumdam interpretationem, te magis confossum faciam, quam Soricis in muscipula deprehensi, et certa quadam machinatione perfossi intestinum.

Dehinc ab auctore nostro memorantur « offa penita, » quæ ipso enarrante, « est cum particula vis-

ceris cauda pecoris amputata » (*Arn*, *l.* VII, *p.* 230). A At antiqui, uti Festus et Paulus aiunt, « penem codam vocabant : a qua antiquitate etiamnum offa porcina cum cauda in cœnis puris offa penita vocatur. « (*Festus et Paul.*, *ad verba* PENIS *et* PENITA). Addidit Festus : « Penitam offam Nævius appellat absegmen carnis cum cauda, » Plautus vero dicit :

Aufer illam offam penitam : probus hic conger frigidus.
(*Plaut.*, *Mil. glorios.*, *Act.* III, *scen.* 1.)

At dictu omnino absurdum est, ait Arnobius, diis gratas esse hasce næenias offasque penitas, nec « prius iras atque animos ponere, nisi sibi adoleri paratas conspexerint nænias offasque redemptas » (*Arn.*, *l.* VII, *p.* 231). Sed quid, inquies, sibi vult hoc ultimum nomine *redemptas*? Potius enim dicere debuisset redemptrices, quibus videlicet ethnici, sicut B ipse ibidem argumentatur, deorum gratiam se redimere existimabant. Nam ibidem dixit, dii *ut prosint testiculis pecudum rediuuntur*. Sed quid statuas contra unicum, qui superest, codicem? Quid vero, si Arnobius has *offas redemptas* vocaverit, quas plerique omnes diis libandas emerant?

Sed vide, quæso, quousque processerit gentilium superstitio. Diis suis offerebant non solum caudas animalium, sed etiam *polimina*. Ne quis autem nesciret, quid ea sint, ac quantum indigna, quæ illis offerrentur, hæc auctor noster sic describit : « Sunt ea, quæ nos proles verecundius dicimus ; a vulgaribus autem adsolent cognomine testium nuncupari » (*Ibid. p.* 220). Eadem itaque erant ac polimenta, quæ Verrius, Festus, ac deinde Paulus hunc explicant in C modum : « Antiqui dicebant testiculos pecorum, cum eos castrabant, a politione segetum, aut vestimentorum, quod similiter atque illa curentur » (*Festus et Paul.*, *ad verba* POLIMENTA). Explodit quidem hanc etymologiam Scaliger, aliamque profert, sed quæ ab alio vicissim exploditur (*Scal.*, *in lib.* IV *de Ling. lat.*, *p.* 41). Quia vero nihil hæc ad nostrum propositum conducunt, satis erit animadvertisse polimina non alia esse, ac polimenta, quæ notantur hoc Plauti carmine :

Aut polimenta porcina, aut aliquid ad eum modum.
(*Plaut.*, *Men.*, *act.* I, *scen.* 3.)

Ethnicis adhuc Arnobius objicit oblatum diis *omentum*, græce ἐπίπλοον. Membrana autem est tenuis et pinguis, qua inferiores ventris partes teguntur, et D intestinorum involvuntur anfractus. Antea vero, *Omentorum membranulæ*, ab illo nuncupantur, de quibus legere poteris Persium, Plinium, et Isidorum (*Arn.*, *loc. cit.*, *et l.* III, *p.* 107 ; *Pers.*, *satir.* 2, *vers.* 47 ; *Plin.*, *lib.* II *Hist. natur.*, *c.* 37, *p.* 574 ; *Isidor.*, *lib.* II *Orig.*, *c.* 1).

Ab auctore deinde nostro *palasea*, sive sicut a quibusdam vocabatur « plasea, » sic definitur, « cauda bovis siligine et sanguine delibuta » (*Arn.*, *l.* VII, *p.* 230). At *siligo* est farina ex optimo tritico exactissime a furfuribus repurgata. Unde hic Juvenalis de pane versus :

Sed tener et niveus, mollique siligine factus,
Servatur domino.
(*Juvenal.*, *satir.* 5, *vers.* 69.)

Plura de siligine Seneca, Plinius, Isidorus. Plasea itaque erat cauda bovis, optima, niveaque farina et sanguine delibuta (*Senec.*, *epist.* 119 *et* 123, *p.* 226 *et* 232 ; *Plin.*, *lib.* XVIII, *c.* 8, *p.* 462 ; *Isidor.*, *l.* XIX *Origin.*, *c.* 3).

Tum deinde Arnobius : Quid in deorum sacrificiis juvant, *Fitilla*, *frumen*, quæ quidem diversa erant pultium genera. Plinius enim haud obscure significat, *frictillam*, seu, ut alii scribunt, fritillam, quoddam esse pultis genus, in sacris adhibitum. Hæc quippe ipsa sunt ejus verba : « Et hodie sacra prisca atque natalium pulte fritilla conficiuntur ; videturque tam puls ignota Græciæ, quam Italiæ polenta. » Hieronymus autem Joviniano vitio vertit, quod ad popinas et *fritillas* se conferret. Quo quidem verbo *fritillas*, si tamen genuinum est, pultes delicatas intelligit. Videsis Scaligeri in Varronem animadversiones (*Arnob.*, *lib* VII, *p.* 230 ; *Plin.*, *lib.* XVIII *Natur. hist.*, *c.* 8, *p.* 561 ; *Hieronym.*, *lib.* I, *in Jovinian.*; *Scalig.*, *in lib.* V; *Varr.*, *de Ling. latin.*, *p.* 82).

Frumen vero quemadmodum Donatus, Servius, Isidorus docent, est eminens aut summa gulæ pars, per quam lingua cibum in ventrem demittit (*Donat. in Terent. Adelph.*, *act.* V, *scen.* 8, *et Phormi.*, *act.* II, *scen.* 2 ; *Servius in Virg.*, *lib.* I *Georg.*, *pag.* 66, *et lib.* I *Æneid.*, *pag.* 181 ; *Isidor.*, *lib.* XX *Orig.*, *cap.* 2). Donatus vero verbum *fruor*, et Servius nomen *frumentum* a *frumine* facta esse arbitrantur. Quid ergo mirum, si ab aliis ad significandum aliquod pultis genus usurpatum fuerit? De pultibus porro videsis Apicium (*Donat. in Terent. Eunuch.*, *act.* IV, *scen.* 7; *Apic.*, *libr.* V *de Re coquin.*, *cap.* 1).

Sed hæc, ait Arnobius, ethnicos, diis suis sacrificantes, non magis juvabant, quam *africia gratilla*, *catumeum*, *conspolium*, *cubula*, quæ quidem *liborum* species esse satis perspicue significat (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 239). Libum autem a Libero, seu Baccho dictum fuisse Ovidius his carminibus canit :

Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen
Libaque, quod sacris pars datur inde focis.
Liba deo faciunt, succis quia dulcibus ille
Gaudet, et a Baccho mella reperta ferunt.
(*Ovid.*, *lib.* III *Fastor.*, § 10.)

At Varro, cui alii suffragantur, hoc nomen inde ductum putat, quod libandi causa fiat. Alibi vero scripsit : *Libum*, *quod libaretur*, *priusquam esset*, seu essent, *ut erat coctum*, id est, quod coctum prius libabatur, quam illud comedissent (*Varr.*, *lib.* VI *de Ling. lat.*, *pag.* 80 ; *Ibid.*, *lib.* I, *pag.* 26, *et seqq.*).

Quæ vero liba sint, et quibus ex rebus fierent, sic explicat Servius : *Liba sunt placentæ de farre, melle, et oleo*, *sacris apta*. Nec semel hoc dixit, sed prius asseruerat liba esse placentas (*Serv.*, *in Virgil.*, *lib.* VII *Æneid.*, *vers.* 108 ; *idem*, *in eclog.* 7, *vers.* 33). Cato tamen placentam a libo distinguit, aitque libum fieri ex caseo, farina siliginea, sive similagine et ovo uno, quibus bene permistis, et subjecto folio, leniter coquuntur (*Cato*, *de Re rustic.*, *cap.* 54 *et* 76). Tum

deinde docet quomodo placenta fiat ex farina siliginea, alica prima, aquæ infusa, recenti caseo ovillo, melle bono, quibus inter se commistis, et lauri foliis suppositis, placenta componitur, bene et otiose percoquenda. Sed hæc libi et placentæ tanta, uti vides, non est differentia, quin ad unum idemque genus nequeant referri. Magis quippe a Catone explicatur quo fiant modo, quam utrum re ipsa inter se discrepent. Quamobrem Isidorus : « Placentæ, » inquit, « sunt, quæ fiunt ex farre, quas alii liba dicunt, eo quod libeant, et placeant » (*Isidor.*, *lib.* xx *Orig.*, cap. 2).

Cæterum quamvis libum et placenta parum adeo inter se discreparent, si Cato tamen ea distinxit, nihil profecto prohibere videtur, quominus ab Arnobio distincta fuerint alia, non multum a se invicem diversa liborum genera, quæ ab illo *Africia*, *gratilla*, *catumeum*, *conspolium*, *et cubula* vocantur (*Arnob.*, *lib.* vii, pag. 230). Non aliud enim inter illa omnia discrimen intercessisse videtur, nisi ex materia, et ratione qua fieri solebant. Suum autem nomen vel inde, vel a loco, ubi primum facta sunt, vel a diversa sua forma et figura acceperunt. Nostra autem scire parum interest unde derivata sint hæc nomina, aut quid revera significent, sed quanta insulsitate gentiles hæc fictitiis diis suis, quasi esurientibus libaverint.

Multa alia, æque ridicula, Arnobius consulto omittit (*Ibid.*), aitque sibi non placuisse carnem strebulam nominare, *quæ taurorum coxendicibus demitur*. At, Festo si credimus, hoc nomen ab Umbriæ populis ortum habuit; quia illis magis quam Romanis usitatum erat (*Festus*, *ad* Strebula). Observatum siquidem ab eo legimus : « Strebula Umbrico nomine Plautus appellat coxendices hostiarum, quas græci μηρία dicunt, quæ in altaria imponi solebant, ut Plautus ait in Frivolaria. » Nulli itaque dubium esse potest, quin ea caro in ethnicorum sacris adhiberetur. Nam et Pollux ubi varias loquendi formulas ad sacra pertinentes recenset, hanc memorat μηρία ἐπιθεῖναι (*Pollux Onomast.*, *lib.* i, § 14, *cap.* 1, *pag.* 8), *coxendices imponere*. Ad id autem facere nonnullis videtur hic, tametsi corruptus a librariis, Varronis locus, ubi diversas Plauti comœdias citat : « In Cestione, cerastibola, ut de lumbo obcœnabis. Cerastibola Opilius scribit circum coxendices sunt nobis : id græcum est ab hujus loci versura » (*Varr.*, *lib.* vi de *Ling. lat.*, *pag.* 83). Ibi enim legendum putant *caro strebula*, de qua auctor noster disserit. Videsis Scaligeri in hæc Varronis verba annotationes, ac si velis, Turnebi Adversaria (*Turneb.*, *lib.* xxiii, *cap.* 18).

Dehinc vero Arnobius : « Nec placet, » inquit, « nominare pulpamenta non assa, quæ in verubus exta sunt, animata prius et torrefacta carbonibus » (*Arnob.*, *lib.* vii, *pag.* 230). Sed hujus textus obscuritas illum ab imperito; aut oscitante librario adulteratum esse satis ostendit. Quapropter ut lux aliqua, si fieri queat, ei afferatur, observare juvat, *pulpamentum*, a pulpa proculdubio derivari. Pulpa autem, uti animadvertit Donatus, « proprie ea est caro, quæ manducatur, eo quod pulsetur, et conscindatur. » Isidorus vero : « Pulpa, » inquit, « dicta, quia cum pulte olim commixta vescebatur. » Sed alibi, et, ut multis videtur, melius : « Pulpa est caro sine pinguedine, dicta, quod palpitet; resilit enim sæpe. Hanc plerique et viscum vocant, quod glutinosa sit » (*Donat.*, *in Terent. Hecyr.*, *act.* iii, *scen.* 4; *Isidor.*, *lib.* xi *Origin.*, *cap.* 1 *et libr.* xx, *cap.* 2).

His ita observatis, particula negativa *non* in Arnobii textu nobis suo loco mota apparet, et reponenda ante nomen *pulpamenta*, atque ante verbum *exta* aut subaudienda, aut iterum collocanda; ita ut sic scribatur : Non placet nominare carnem *Strebulam*,...... *non pulpamenta assa, quæ in verubus sunt : non exta animata*, etc. Sic enim apertus erit hic Arnobii sensus : In sacrificiis frustra adoleri assa in verubus pulpamenta, hoc est, molles et delicatas carnis sine pinguedine partes, quæ suam propter mollitiem palpitant. Frustra etiam litari animalium exta, prius animata, et carbonibus torrefacta, quæ quidem non in verubus, sed succensis tantum carbonibus torreri poterant. Ea autem diis oblata fuisse si dubites, certiorem Festus te faciet, qui inde nomen suum sortita esse existimat : « Exta, » ait, « dicta quod ea diis prosecentur, quæ maxime extant, eminentque. » (*Festus*, *ad verb.* Exta.)

Addit Arnobius : « Non salsamina, quæ sunt una commixtio quadrinis copulata frugibus » (*Arnob.*, *lib.* vii, *pag.* 230). Nonne vero his verbis salsas fruges intelligit, quas in sacrificiis ethnici adhibebant? Sinon quippe apud Virgilium hæc dixisse fertur :

> Jamque dies infanda aderat, mihi sacra parari,
> Et salsæ fruges.
> (*Virgil.*, *lib.* ii *Æneid.*, *vers.* 129.)

Plinius autem docet a Numa rege institutum « Deos fruge colere, et mola salsa supplicare. » Servius vero in citatos Virgilii versus observat sal et far dici molam salsam, quam Plinius in omnibus sacrificiis, et eam solam a pauperibus hominibus litatam affirmat (*Plin.*, *lib.* xviii *Hist. natur.*, *cap.* 2, *pag.* 473; *Prolog.*, *lib.* i, *pag.* 5, *et lib.* xxxi, *cap.* 7, *pag.* 809). Sed Tibulus ab omnibus utrumque far et sal sæpius adhibitum canit :

> Et vanum metuens hominum genus, omnia noctis
> Farre pio placant, et saliente sale.
> (*Tibull.*, *lib.* xiii, *eleg.* 4.)

Quomodo autem, a quibus, et quo tempore mola salsa fieret describit Servius, quem consule. Arnobius porro declarat esse quadrinarum seu quatuor frugum commixtionem. At Virgilius citato jam carmine plures indefinite fruges memorat (*Serv.*, *in Virgil. eclog.* 8, *pag.* 46).

Vult quoque Arnobius rejici *fendicas*, seu ut aliqui legendum putant *feudicas* (*Arnob.*, *lib.* vii, *pag.* 230). Ex variis autem nominibus ab illo recensitis, hoc nonnulli unum esse putant, quod nunc ignoratur.

Alii opinantur, illud a verbo *findo* ortum, quia fen- A dicæ ex fissis carnibus factæ erant. Verum ipsemet auctor, quid sint fendicæ his edisserit verbis : *Quæ et ipsæ sunt hiræ* (MS. cod. et aliæ edit. *diræ*, sed mendose), *quas plebis oratio ilia* (MS. codices et quidam editi *illa*, sed legendum hilla) *solet, cum eloquitur, nuncupare*. Hira autem a Festo (*ad verb.* HIRA) sic definitur : *Hira, quæ diminutive dicitur hilla, quam græci dicunt νῆστιν, intestinum est, quod jejunum vocant :* Macrobius vero tria intestina esse docet, quorum primum dissipium, alias disseptum nuncupatur, et a græcis διάφραγμα : secundum medium μεσεντέριον, et tertium : *quod veteres hiram vocaverunt, habeturque præcipuum intestinorum omnium, et cibi retrimenta deducit* (*Macrob., lib.* I, *in Somn. Scip., cap.* 6, *pag.* 44). Arnobius itaque dixit fendicas easdem esse B ac hiras, quæ nomine plebeio vocabantur hillæ, nihilque aliud sunt, quam intestinum jejunum.

Quemadmodum autem Arnobius fendicas et hiras sacrificiis adhibendas esse negat, ita et « Œrumnas, quæ sunt, » inquit, « prima in gurgulionibus capita, qua dejicere cibos, et referre natura est ruminatoribus sæculis. » (*Arnob., lib.* VII, *pag.* 230.) At constat sane ibi ab imperito librario depravatum esse nomen *Œrumnas*, ac legendum *rumas*. Ubi enim Arnobius ipse eadem nomina paulo post repetit (*ibid., pag.* 231), ibi *rumis* constanter in manuscripto codice regio, omnibusque editionibus legitur.

Ruma autem duplici sensu a variis auctoribus accipitur. Nam « Rumam, » ut ait Nonius Marcellus, cui Varro, Festus, et Plinius adstipulantur, « veteres C mammam dixerunt. » (*Non. Marcell., de propriet. serm., cap.* 2; *Varr., lib.* II *de Re rust., cap.* 1 *et* 11; *Fest., ad verb.* RUMINALEM; *Plin., lib.* XV *Natur. hist., cap.* 18, *pag.* 198.) Sed in Plinii textu *rumen* pro *ruma* legimus. Alio autem sensu *ruma*, seu *rumen* et *rumis* significat cavum gutturis locum, sive ut Auctor noster loquitur *gurgulionis caput*, quo certa quædam animalia cibos revocant et ruminant. Hinc Festus : « Rumen est pars colli, qua esca devoratur, unde rumare dicebatur, quod nunc ruminare » (*Festus, loc. cit.*). Servius vero : « Ruminatio dicta a ruma, eminente gutturis parte, per quam demissus cibus a certis revocatur animalibus » (*Serv. ad Virgil. Eclog.* 6, *pag.* 33). De *gurgulione* porro, et *ruma*, seu rumine, hæc Isidorus observat : « Gurgu- D lio a gutture nomen trahit, cujus meatus ad os et nares pertendit, habens viam, qua vox ad linguam transmittitur, ut possit verba collidere. Unde et garrire dicimus. Rumen proximum gurgulioni, quo cibus et potio devoratur. Hinc bestiæ, quæ cibos revocant ac remandunt, ruminare dicuntur. » (*Isid., lib.* XI *Orig., cap.* 1.) Rursum autem Servius alibi dixit : « Curculio. Varro ait hoc nomen per antistichon dictum, quasi gurgulio, quoniam pene nihil est nisi guttur » (*Serv. ad Virg., lib.* I *Georg., pag.* 75).

Quivis porro ex dictis facile intelliget his Arnobii verbis, *ruminatoribus sæculis*, significari ea omnia animalia, quæ ruminant. Nomen enim *secula* vel *secla*, eo significatu a Lucretio haud semel usurpatur. Alicubi enim cecinit :

Secla ferarum.
(*Lucret., lib.* II, *vers.* 1075.)

id est, belluarum genera. Et paulo post :

Quin cujusque sient secli permultaque eodem
Sint genere, in primis animalibus, indice mente.
(*Id., vers.* 1078.)

At nomen illud sæpius hac significatione ab illo, et aliis accipitur, quam ut id longiori probatione indigeat.

Quid tum deinde auctor noster? « Non magmenta, » inquit, « non augmina, non mille species vel farciminum, vel fitillarum » (*Arnob., lib.* VII, *pag.* 230). Et ita quidem in ultima editione, in cæteris vero omnibus, et manuscripto regio codice, *velamen sanguinum, vel fitillarum*. Quid sit autem magmentum et augmentum, his disces Varronis verbis : « Augmentum, quod ex immolata hostia desectum in jecore imponendo augendi causa. Magmentum, a magis, quod ad religionem magis pertinet. Itaque propter hoc montana fana constituta locis certis, quo id imponeretur matæ, ab eo quod græci μάτιας καὶ μάπιας. » (*Varr., lib.* IV *de Ling. lat., pag.* 28). Quem in locum animadvertit Scaliger magmentum esse dapem, quæ a rusticis Jano, Silvano, Marti, Jovi Dapali, et aliis profanabatur. Salmasius autem nos monet corruptum esse Varronis textum, et ex veteri codice ita emendandum : « Itaque propter hoc magmentaria cana constituta locis certis, quo id imponeretur » (*Salmas., exercitat. in Solin.*, *pag.* 129). Cana vero magmentaria putat esse canistra vel lances, quibus magmenta in aras inferenda imponebantur. Videsis, quæ ab Turnebo, et Brissonio de magmento adnotata sunt (*Turneb., lib.* XXII *Advers., cap.* 6; *Brisson., lib.* I *de Form., pag.* 126 *et seqq.*).

Pro corruptis tandem his, ut diximus, Arnobii verbis, *velamen sanguinum*, ultimæ librorum ejus editioni præfectus propria auctoritate substituit, *vel farciminum*, haud dubie quia de iis paulo ante memoratis Arnobium agere opinabatur. Sed poterat quidem notari hæc conjectura, sed non idcirco textus tam audacter immutari debuit. Quidam vero primum illud verbum *velamen*, sic dividendum censent, *vel amen*, nosque admonent illud ibi idem sonare, atque apud Hesychium εἶδος πλακοῦντος, speciem placentarum. Sed quid, quæso, ibi significabit subsequens nomen *sanguinum?* Quid cum placentis commune habet? Alii porro arbitrantur *amen*, idem significare atque amentum, sive lorum, et vinculum. Verum ostendere debebant quid *amen*, vel amenta *sanguinum* facere poterant ad Arnobii de magmentis, augminibus, et fitillis propositum. Satius est igitur rotunde fateri corrupta esse hæc duo nomina *velamen sanguinum*, atque ex alio emendatiori codice quærendam esse veram auctoris nostri lectionem. Si conjecturis tamen indulgere liceret, suspicaremur ibi scriptum ab illo *vel salsaminum*. Nam ibi dicta repetit, ac paulo ante *salsamina* dixerat. Sed acu-

tioribus, qui meliora viderint, facilem præbebimus assensum.

Addit Arnobius frustra fingi gratas diis esse, *omnes has partes*, quas illi *proficias*, (in MS. cod. *præsicias*) vocabant (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 231). At prosiciæ seu prosicies et prosicium erant exta animalium secta, vel prosectæ eorum partes, quæ aris inferebantur. Narrat autem Solinus eos, qui in Vulcano colle sacris operantur, *cum proscias intulerunt*, si sacrum probetur, sarmenta licet viridia, ab ipso numine, ac nullo *inflagrante halitu* accendi (*Solin.*, *Polyhist.*, *cap.* 5, *pag.* 20). Plura autem de prosiciis Salmasius hunc in locum disputat, quem adire poteris, non secus atque eruditum Brissonium (*Brisson.*, *lib.* I *de Formul.*, *pag.* 28).

Ea porro omnia, a nobis hactenus commemorata, diis frustra offerri, vel eorum altaribus adoleri, facile Arnobius convincit (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 231). Cur enim hæc diis libentur, nulla plane ratio, vel causa, quæ tamen, uti dictum est, in sacris faciendis maxime desideratur, ab ullo unquam proferri potuit. Dii siquidem, si veri dii sint, neque opipare epulantur, neque stomacho aut fame laborant, neque saporum quærunt oblectamenta; ut eis modo cocta, modo semicruda, modo assa, atque hæ vel aliæ animantium carnes aponantur. Ecquid vero, ait Arnobius, *pro suavibus mateolis*, sive ut Martialis, Tertullianusque loquuntur (*Martial.*, *lib.* X, *Epigr.* 59; *Tertull.*, *lib. de Testim. anim.*, *cap.* 4), mattyis, id est, cibis delicatissimis, de quibus infra (*Infr.*, *cap. ult.*, *art.* 3), sumere unquam potuerunt? Quid dictu absurdius, quam deos oblatis ac libatis pecudum testiculis, caudis, rumis, næniis, offis, rebusque aliis similibus, quas hactenus recensuimus, delectari, placari, aut fieri propitios?

CAPUT XXIV.

De thuris et vini in gentilium sacrificiis usu, et de aliis nonnullis eorum absurdis ritibus, et diebus festis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus rationum momentis Arnobius conficiat explodendum esse in gentilium sacris et sacrificiis superstitiosum thuris, seu Panchaicæ resinulæ usum, eumque fuisse incognitum heroicis, et Albanorum regum temporibus, atque etiam Etruscis, tuncque pium far adhibitum; ubi explicatur quid sit thus masculum, ac de thuris in ethnicorum funeribus usu.

Non ea tantum, quæ in superioribus articulis enumerata sunt, sed thus etiam et vinum in suis ethnici sacris ac sacrificiis sæpissime adhibebant. Thus autem ab Arnobio vocatur resinula Panchaica, a Panchæa videlicet Arabiæ Troglodìtanæ parte, quæ ostio sinus Arabici adjacet (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 231 *et seqq.*). De illa servius in suis librorum Virgilii commentariis. « Panchaia, inquit, Sabæorum gens est, apud quam thus nascitur; ut solis est thurea virga Sabæis. Itemque: Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis. » (*Serv. in Virgil.*, *lib.* II *Georg.*, *adverb.* 115, *pag.* 101). Similiter Ovidius:

> Sudataque ligno
> Thura ferat, floresque alios Panchaia tellus.
> (*Ovid.*, *lib.* X *Metam.*, *fab.* 9.)

Et Lucretius:

> Araque Panchæos exhalat propter odores.
> (*Lucret.*, *lib.* II, *vers.* 417.)

Consule adhuc, si velis, Tibullum, Claudianum et alios (*Tibul.*, *lib.* IV, *eleg.* 2; *Claudian.*, *de tert. Honor. cons.*, *in fin.*).

Panchaicæ autem resinulæ, sive thuris in sacris gentilium et sacrificiis usum plane insulsum ac superstitiosum fuisse hinc Arnobius ostendit, quod recens sit ac novellus. Per plura enimvero post mundum conditum sæcula ethnicis prorsus incognitus erat. Nulla quippe illius, inquit, ne minima quidem *temporibus heroicis*, seu Trojanorum ætate ullibi mentio occurrit (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 232). Quo autem auctore hoc firmari queat, si percuncteris, tibi Plinium dabimus, qui de unguentis hæc memoriæ mandavit: « Quis primus invenerit, non traditur. Iliacis temporibus non erant, nec thure supplicabatur. » (*Plin.*, *lib.* II *Natur. hist.*, *cap.* 1, *pag.* 55.) Deinde Theophrastus, cujus verba a Porphyrio et Eusebio non sine variantibus lectionibus transcripta sunt, idem fusius explicat: Ἀνάριθμος μέν τις ἔοικεν εἶναι χρόνος, ἀφ' οὗ τόγε πάντων λογιώτατον γένος, ὥς φησι Θεόφραστος, καὶ τὴν ἱερωτάτην ὑπὸ τοῦ Νείλου κτισθεῖσαν χώραν κατοικοῦν, ἤρξατο πρῶτον ἐφ' ἑστίας τοῖς οὐρανίοις θεοῖς θύειν, οὐ σμύρνης, οὐδὲ κασσίας, καὶ λιβανωτοῦ κρόκῳ μιχθέντων ἀπαρχάς· πολλαῖς γὰρ γενεαῖς ὕστερον παρελήφθη καὶ ταῦτα, καὶ πλάνης ἐρνευνήτης μαστὴρ ὁ ἄνθρωπος γιγνόμενος, τῆς ἀναγκαίας ζωῆς, μετὰ πολλῶν πόνων, καὶ δακρύων, σταγόνας, ἀπήρξατο τοῖς θεοῖς. οὐ τούτων οὖν ἔθυον πρότερον, ἀλλὰ χλόης, οἱονεί τινα τῆς γονίμου φύσεως χνοῦν ταῖς χερσὶν ἀράμενοι. (*Porphyr.*, *lib.* II *de Abstin. animal.*, *pag.* 124; *Euseb.*, *lib.* I *Præpar. evang.*, *cap.* 9, *pag.* 28.) *Innumerabile quidem aliquod esse tempus videtur, ex quo sapientissima omnium gens, ut ait Theophrastus, et sanctissimam illam, a Nilo fundatam, regionem incolens, diis cœlestibus intra privatos lares sacrificare prima cœpit, non myrrhæ, neque casiæ, neque thuris mixtis cum croco primitiis. Multis enim ætatibus posteriora hæc in usu non fuerant, cum homo peregrinator effectus, et necessitatum vitæ plurimis cum laboribus, et lacrymis indagator, harum, quas dixi, plantarum stillas diis obtulit. Talia igitur antea homines non offerebant, sed gramen, quod velut quamdam fertilis naturæ primævam lanuginem manibus offerebant.* Quæ quidem Porphyrius fusius prosequitur, quam ut omnia a nobis describi debeant. Quamobrem illius, si lubet, librum revolve, et agnosces ab eo luculenter adseri usum thuris, et heroicis, et primis mundi temporibus fuisse incognitum. Verumtamen Arnobius id omnino adfirmare ausus non est, sed adjecit, *quemadmodum creditur, et perhibetur* (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 232). Perperam igitur illum quidam ibi erroris arguunt.

Negare porro nullus potest illud verum esse, quod ipse testis, certe hac in re omni exceptione major, adjecit recentem in sua regione, novellumque fuisse thuris usum. Neque etiam *Etruria genitrix*, inquit (*tom.* I *Apparat.*, *pag.* 1190), et *mater superstitionis*,

primitus illum agnoverat. Etruria autem recte ab eo superstitionis magistra et mater vocatur, uti ex iis patet, quæ de illa alibi adnotavimus, atque iis etiam, quæ ab Ovidio, Servio, Dionysio Halicarnasseo, Tertulliano litteris consignata sunt (*Ovid.*, *lib.* XV *Metam.*, *pag.* 577; *Serv.*, *in Virgil.*, *lib.* II *Æneid.*, *pag.* 259; *Dionys. Halic.*, *lib.* IX *pag.* 563; *Tertull.*, *lib. de Spectac.*, *cap.* 4). At hisce scriptoribus in primis accersendus Cicero, qui in sua de haruspicum responsis oratione hunc loquitur in modum: « Ego vero primum habeo auctores ac magistros religionum colendarum....... qui portentorum explanationes Etruscorum disciplina contineri putaverunt. » (*Cicer.*, *orat.* XXX *de Harusp. resp.*, *pag.* 431.)

Atqui, primis eorumdem Etruscorum temporibus, nullum in gentilium sacris thus adhibitum esse duplici auctor noster ratione demonstrat (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 232). Primo enim hoc *sacellorum*, inquit, *indicant ritus*, ubi thus non incendebatur. Deinde vero nullus illius usus fuit, *quadringentis*, inquit, *annis*, *quibus Albana res viguit*, ac quamdiu Romulus, et Numa, religionum, uti satis ex historiæ Romanæ scriptoribus liquet, artifex, Romanis imperarunt. Albanorum autem regnum initium duxit ab Ænea, vel potius ab Ascanio ejus filio, a quo Alba longa condita est. Livius autem alios singillatim recenset (*Liv.*, *lib.* I, *post. init.*), qui post illum regnaverunt, eosque ex eodem Livio, Ovidio, Dionysio et Eusebio Sigonius in suis ad Livii historiam adnotationibus, et alii chronographi designant.

Ad ea porro usque tempora nullum in sacris thus datum fuisse. « Pium, » inquit Arnobius, « far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum solemnia munia » (*Arnob.*, *loc. cit.*). Enimvero prisca, ut perhibet Ovidius, ætate, agrestes adhuc homines farre et sale, sive mola falsa, de qua nos superius, diis litabant et sacrificabant. Sic autem ille canebat:

> Ante, deos homini quod conciliare valeret,
> Far erat, et puri lucida mica salis.
> Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas
> Acta per æquoreas hospita navis aquas.
> Thura nec Euphrates, nec miserat India costum,
> Nec fuerant rubri cognita fila croci.
> (*Ovid.*, *lib.* I *Fastor.*, § 8.)

Moris autem hujus causam post Varronem, Plinius reddidit, nimirum quia veteres sal cum pane esitabant. Valerius vero Maximus, cum frequentior, inquit, apud eos pultis, quam panis usus esset, in sacrificiis omnibus mola salsa, id est, farre et sale composita, non autem thure, utebantur (*Plin.*, *lib.* XXXI *Hist. natur.*, *cap.* 7, *pag.* 809 *et seq.*; *Val. Max.*, *lib.* II, *cap.* 5, § 5, *pag.* 102).

Itaque Arnobius inde sic argumentatur: Si dii incenso thure placantur, peccavere homines antiqui, a quibus is ritus omissus est. Si vero diis olim, aut non placuit, aut indifferens fuit, frustra ac perperam adhibetur (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 233).

Neque dicendum est deos thure dato honorari. Non enim quæritur utrum homines, sed utrum dii persuasum illud habuerint. At quis unquam id scire potuit? Præterea quis qualisve ex cremati thuris, id est, visci ex arboris corticibus profluentis odore diis honor redditur? Cur non ex aliis quoque odoribus et vaporibus? Numquid quia incensi odor thuris illis magis, quam alius gratus est? Sed dii nares non habent, quibus auras, aeriosque spiritus ducant. Quidquid enim eo modo spirat, mortale est. At deos immortales esse debere, quis non fatetur? Nullo itaque thuris aut alio odore capiuntur: Tametsi *mille*, inquit Arnobius, *tu pondera masculi thuris incendas* (*Ibid.*, *pag.* 234). Thus autem masculum, quemadmodum Plinius, Serviusque observant (*Plin.*, *lib.* XII *Hist. natur.*, *cap.* 14, *pag.* 25; *Serv.*, *in cit. Virgil. versus*), a specie testiculorum dictum putatur, gallice vero appellatur: *encens male*, vel *oliban*. De illo Virgilius cantabat:

> Effer aquam, et molli cinge hæc altaria vitta,
> Verbenasque adole pingues, et mascula thura.
> (*Virgil.*, *eclog.* 8, *vers.* 64 *et seqq.*)

Porro autem quamvis concedatur, quod tamen falsum est, aliquem diis esse odoratum, qua, quæso, ratione probari potest hujus thuris odorem illis esse gratum ac suavem? Numquid quia hominibus suavis est? Nonne fieri facile potest, ut quæ his amœna et jucunda videntur, diis, quorum plane diversa esse debebat substantia, displiceant, iisque molesta sint atque injucunda? Videsis Gothofredi commentaria in Theodosii Magni edictum, quo gentilibus thuris usus, sacrificia, et omnis deorum cultus prohibetur (*tom.* VI *Cod. Theod.*, *leg.* 12, *pag.* 273 *et seqq.*).

Unum tandem his addere liceat, quod ab auctore nostro recte traditur: « Thura cum carnibus esse parentalibus conjunctissima mortuorum. » (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 242). Ethnicis siquidem mos erat, ut suis parentantes, mortuorum corpora thure perfunderent, sive ea cremarentur, sive mandarentur sepulturæ. Nam Virgilius ubi describit funus Miseni, et quomodo crematum sit ejus corpus, ibi dixit:

> Congesta cremantur
> Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.
> (*Virgil.*, *lib.* VI *Æneid.*, *vers.* 224 *et seqq.*)

Festus vero scripsit acerram esse aram, ante mortuum poni solitam, ubi odores incendebantur, vel arcam ubi thus reponebant (*Festus*, *ad verb.* ACERRA). Quapropter Cicero, ubi leges de sepulchris et furibus memorat, *Nec acerræ*, inquit, *prætereantur* (*Cicero*, *lib.* II *de legib.*, *pag.* 341). Legesis apud Brissonium varias veterum de thure diis dando formulas (*Brisson.*, *lib.* I *de Form.*, *pag.* 29 *et* 30). At certe ex his quæ dicta sunt, plane conficitur inutilem prorsus et superstitiosum fuisse thuris, fictitiis gentilium diis incensi, usum et morem. At de illo in superioribus nostris disquisitionibus disputavimus.

ARTICULUS II.

Non minus perversum fuisse vini in ethnicorum sacris et sacrificiis libandi morem, thuris socium, et exponitur quid sit, bria, simpuvium, musci venerabiles, et *Mactus inferio vino esto*.

In privatis solemnibusque gentilium sacris me-

rum, ait Arnobius, thuris socium erat (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 234). A Solebant enim vinum in thus flammis datum profundere, vel, sicut loquitur Lactantius, odorati ac veteris vini profusione madefacere focos (*Lactant.*, *lib.* VI, *cap.* 1, *pag.* 542). Quo quidem de ritu præter varios auctores, hæc ab Horatio dicta legimus :

> Verbenas pueri ponite, thuraque
> Bimi cum patera meri.
> Mactata veniet lenior hostia.
>
> (*Horat.*, *lib.* I, *ode* 19.)

Et ab Ovidio :

> Cumque meri patera thuris acerra fuit.
> Thura focis vinumque dedit.
>
> (*Ovid.*, *lib.* IV *Fastor.*, *sub fin.*)

Alibi vero ubi de uxoris suæ, pro qua bene precatur, B natali celebrando :

> Da mihi thura, puer, pingues facientia flammas,
> Quodque pio fusum stridat in igne merum.

Aliis etiam in libris hunc morem attigit, de quo etiam Tertullianus, et plura Brissonius (*Ovid.*, *lib.* V *Trist.*, *eleg.* 5, *pag.* 171 ; *et lib.* XIII *Metamor.*, *fab.* 4, *pag.* 485; *et lib.* II *Fast.*, § 15; *Tertullian.*, *Apolog.*, *cap.* 20; *Brisson.*, *lib.* I *de Formul.*, *pag.* 30 *et seqq.*).

Atqui Arnobius variis rationum momentis demonstrat hanc vini, quemadmodum thuris, libandi pravam perversamque consuetudinem ab omnibus esse repudiendam. Ac primo quidem, quia nulla hujus ritus causa potuit ab ullo unquam afferri. Non enim dii, ut pote immortales, siti aliquando laborant, aut vinum eis propinandum, ut cibos digerant conficiantque. C Eadem prorsus ratione Lactantius, Arnobii nostri discipulus, hunc ethnicorum errorem profligat : « Mactant, » inquit, « opimas ac pingues hostias deo, quasi esurienti; profundunt vina tanquam sitienti. » (*Lactant.*, *lib.* VI, *cap.* 2, *pag.* 542 *et* 547.) Atque inde sic argumentatur : « Itaque diis non cælestem sensum, sed humanum potius attribuunt : ideoque illis necessaria, et grata credunt esse quæ nobis, quibus aut esurientibus opus est cibo, aut sitientibus potu, aut veste algentibus, aut, cum Sol decesserit, lumine, ut videre possimus. Nullis igitur ex rebus tam probari et intelligi potest deos istos, cum aliquando vixerint, mortuos esse, quam ex ipso ritu, qui est totus e terra. »

Arnobius itaque ethnicos tam scite, quam venuste D insectatus : « Date, quæso, » ait, « immortalibus diis bibant, scyphos, brias, pateras, sympuviaque depromite (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 235). » Bria autem erat quoddam mensuræ, seu vasis, et poculi genus, potioni vini continendæ aptum. Inde in veteri glossario latino-græco legimus *Bria*, εἶδος ἀγγείου, *mensura quædam*, Legesis lexicon Martinii, et Caugii glossarium. *Sympuvium* vas quoque erat ligneum, ut ait Nonius, vel fictile, ut aliis placet, quod sic cognominatum volunt, quoniam in eo sacerdotes omnes bibebant (*Non.*, *de Propriet. serm.*, *c.* 19, § 29). In sacris vero illud a Numa adhibitum ex his colligunt Juvenalis carminibus :

> Et quis tunc hominum contemptor numinis? Aut quis
> Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum,
> Et Vaticano fragiles de monte patellas
> Ausus erat.
>
> (*Juvenal*, *satir.* 6, *vers.* 340.)

Visne alium adhuc hujus moris testem? Audi Plinium : « In sacris, » inquit, « etiam inter has opes hodie, non murrhinis, crystallinisve, sed fictilibus prolibantur Sympuviis (*Plin.*, *lib.* XXXV, *c.* 12, *pag.* 245). » Putant autem idem sympuvium esse ac simpulum, de quo Varro, Paulus et alii (*Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 31 ; *Paul.*, *in Vocabul. ad Simpulum*). Nos vero de illo aliquid ex ipso auctore nostro, ac Cicerone prælibavimus (*Supr.*, *c.* 13, *art.* 2).

Præterea ethnici, sicut ait Arnobius, in deorum suorum honorem excitabant *venerabiles muscos carbonibus exstinctis* (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 235). In codice regio et antiquis editionibus pro *muscos* habetur *muscas*, nullo, ut videtur, sensu : in aliis editis *cnissas*, jure haud multo potiori : quidam in margine addiderunt *suffitus*, sed solius haud dubie explicationis gratia. Magis itaque nobis arridet vox *muscos*, aut *moschos*, quo nomine pretiosum aliquod odoramentum significatur. Nam illud ex thure, ac vino odorato confectum in flammas et incensos carbones injiciebant, ut ex eo suavis procul dubio odor excitaretur. Nihil tamen de vera Arnobiani textus lectione sine auctoritate correctioris alicujus codicis adfirmare audemus.

Quidquid porro de illa statuas, ipse auctor noster ethnicos nullo prorsus modo censet audiendos, qui persuadere omnibus conabantur, vinum illud odoratum recte diis libari honoris ergo, et ut propitii fierent. Quis enim, ait ille, diis honos, cum « vini exigui rores super vividam jeceris atque instillaveris prunam? » (*Ibid. et seqq.*) Quid rectæ rationi magis oppositum, ac dictu magis absurdum, quam deos honorari, aut hominibus favere effuso vino, quod virtutum nervos debilitat, quod pudori, castitati, et verecundiæ inimicum est, quod, si avidius hauseris, in insaniam et furorem te præcipitabit?

Sed eo usque homines falsa religionis specie deceptos error pervaserat, ut solemnibus verbis, quibus vinum diis libabant, magnum honorem illis se deferre profiterentur. Nam illud his ipsis significabant, quæ Arnobius ibidem retulit, verbis : « Mactus hoc vino inferio esto » (*Ibid.*, *p.* 236). Servius autem, et postea Isidorus testificantur hæc in Pontificalibus, seu Pontificum libris sic scripta præscriptaque fuisse : « In pontificalibus, » inquit, « sacrificantes dicebant deo : Macte hoc inferio vino esto » (*Serv.*, *in Virgil.*, *l.* IX *Æneid.*, *p.* 564; *Isid.*, *l.* X, *Etymolog.*, *ad verb.* MACTUS; *Cato*, *de Re rustic.*, *c.* 132 *et* 131). Quod quidem haud semel a Catone, et aliis memoriæ proditum est. Inferium autem vinum, uti ex Festo, Scaligero, et Brissonio disces, illud erat quod infra pateræ labrum effundebatur (*Festus*, *ad verb.* INFERIUM; *Scaliger.*, *conjectan. in Varron.*, *p.* 80; *Brisson.*, *l.* I *Formul.*, *p.* 30 *et* 37). Mactus vero, sicut jam diximus, significabat magis auctus. Horum ita-

que verborum sensus erat: Tu Jupiter, aut alius quivis deus, esto magis auctus hoc inferio vino, quod infra labrum pateræ transfusum, tibi libatur. Ex Trebatio autem Arnobius animadvertit adjectum fuisse hoc verbum *inferio*, ne vinum conditum in cellis et apothecis, ex quibus illud haustum fuerat, sacrum fieret, et usibus humanis eriperetur. Papæ, quantum hoc verendum erat!

Sed audiamus Auctorem nostrum inde adversus ethnicos disputantem. Quo, inquit, honore deus augeri potest, cum ei lex a sacrificante imponitur, ne plus petat, quam vinum illud inferium? Numquid nimium vorax, helluo, et gulosus erat eximius ille deus, ut hac præscriptione cupiditas ejus arceretur? Nihil quippe hæc verba, *Mactus hoc vino inferio esto*, aliud significabant, quam, esto mactus, hoc est, honore auctus et amplificatus, quantum dumtaxat volo, nec magis quam jubeo. Non enim amplius honoraberis, quam volo plus aut minus vini in pateræ labrum inferius effundi. Deum ergo, qui poterat plura postulare, ea lex et prescriptio non honore, sed ignominia afficiebat.

ARTICULUS III.

Quam recte Arnobius exagitet atque ejiciat alios insulsos ethnicorum ritus, quibus deos suos sertis et coronis exornabant, utebantur cymbalis, tympanis, symphoniis et scabillis, illosque mane salutabant, ac quam ridicula et absurda fuerit lavatio Matris deum, Jovis epulum, vindemia Æsculapii, Cereris et aliorum lectisternia, Telluris atque aliorum natalis dies.

Aliæ erant ethnicorum in sacris suis cerimoniæ, variique ritus, cæteris hactenus memoratis non minus inutiles, superstitiosi, et absurdi (*Arnob.*, *l.* VII, *p.* 237). Deos enim suos, sive illorum signa, ac simulacra sertis et coronis exornare consueverant. At hunc gentilium morem quam merito jure Arnobius improbaverit, alibi nec semel ostendimus (*tom.* I *Apparat.*. *p.* 802, *et Dissert. in Minuc.*, *c.* 19, *art.* 2).

Ridet adhuc Arnobius eosdem ethnicos, qui in suis mysteriis, festis, atque solemnitatibus adhibebant cymbala, tympana, symphonias, et scabilla, quæ erant crepitaculi quoddam genus. Tum autem præcipue his musicis aliisque instrumentis abutebantur, cum sacra Matris deum, seu Cybeles, mysteria festaque peragentes, illius simulacrum per urbes circumferebant. Quam vero hæc ridicula essent, his satis agnosces Ovidii carminibus:

> Ibunt semimares, et inania tympana tundent,
> Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.
> (*Ovid.*, *lib.* IV *Fastor.*, § 3.)

Atque ex iis adhuc, quæ paulo post adjecit:

> Priscique imitamina facti
> Æra deæ comites, raucaque terga movent.
> Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant,
> Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, sonos.
> (*Ibid.*)

Similiter quoque Lucretius canebat:

> Tympana tenta tonant palmis, et cymbala circum
> Concava, raucisonoque minantur cornua cantu.
> Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes.
> (*Lucret.*, *lib.* II, *vers.* 618 *et seqq.*)

Sed de his jam quædam alibi annotavimus (*Dissert.* A *in Minuc.*, *c.* 19, *art.* 2 *et* 3). Arnobius itaque hosce absurdos ethnicorum ritus haud invenuste exsibilat. Ab iisdem quippe ethnicis poscit utrum dii, auditis illis crepitibus et sonitibus, honorifice secum actum existiment, vel mulceantur, atque iram tum revera deponant, vel sicut pusiones his exterreantur. Si ita sentiunt, nihil certe fingere poterant his ridiculis opinionibus magis temerarium, et divinæ majestati injurium?

Tum deinde auctor noster simili modo exagitat matutinas eorumdem gentilium excitationes, ac vigilias, ut mane, quemadmodum vespere, deos suos irent salutatum (*Arnob.*, *l.* VII, *p.* 237). De usitato autem illo deos mane salutandi more hunc Apuleius loquitur in modum: « Templi matutinas apertiones B opperiebar. Ac dum velis candentibus reductis, in diversum deæ venerabilem conspectum apprecamur, et dispositas aras circumiens sacerdos, rem divinam procurat, supplicamentis solemnibus de penetrali fonte petitum spondeo, libat. Rebus jam rite consummatis, inchoatæ lucis salutationibus, religiosi primam nuntiantes horam perstrepunt » (*Apul.*, *l.* II *Metam.*, *p.* 207). Verum Seneca matutinas illas salutationes hisce totidemque verbis proscribendas prohibendasque esse declarat: « Accendere aliquam lucernam sabbatis prohibeamus; quoniam nec lumine dii egent, et ne homines quidem delectantur fuligine. Vetemus salutationibus matutinis fungi, et foribus assidere templorum. Humana ambitio istis officiis capitur. Deum colit, qui novit » (*Senec.*, *epist.* 95, *p.* 191). C Ethnici tamen vana superstitione obcæcati, non solum mane, ac vespere, sed singulis diei horis deos suos, uti Tertullianus testificatur, salutare solebant: « Qui in idolis, » inquit, « comendis et in aris ornandis, et ad singulas horas salutandis adulantur, curationem facere dicuntur » (*Tertull.*, *l. de Jejun.*, *c.* 16, *p.* 713).

Quid mirum ergo, si Arnobius has, de quibus plura Brissonius, salutationes jocando sic explodat? « Obdormiscunt superi, remeare ut ad vigilias debeant? Quid dormitiones illæ, quibus ut bene valeant, auspicabili salutatione mandatis? Somni quiete dii solvuntur, occuparique hoc ut possint, lenes audiendæ sunt næniæ » (*Arnob.*, *loc. cit.*; *Brisson.*, *l.* I *Formul.*, *p.* 38 *et seqq.*). Quid autem hoc ultimo nomine sibi D ille velit, si roges, respondebimus plures illius esse significatus. Næniæ enim primo sumuntur pro intestino aut edulio in minutissimas partes conciso, de quo nos supra. Secundo, pro re frivola. Tertio, pro quolibet cantu inutili. Unde Horatius:

> Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum
> Nænia, quæ recte regnum facientibus offert.
> (*Horat.*, *l.* I, *ep.* 1, *ad Mæcen.*, *v.* 62 *et seq.*)

Quarto pro cantilena in mortuorum laudem, aut ut puerorum somnus alliciatur. At vox nænia videtur hac quarta, vel tertia significatione ab Arnobio usurpari. Quid porro absurdius, ait ille, quam dormientes deos fingere, ac post somnum vigilantes?

Ad alios non minus superstitiosos gentilium ritus

sic ille progreditur : « Lavatio deum Matris est hodie » (*Arnob.*, *l.* VII, *p.* 237), sexto scilicet kalendas aprilis, quemadmodum his Ammiani Marcellini verbis discimus : « Ante diem sextum kalend., quo Romæ Matri deorum pompæ celebrantur annales, et carpentum, quo vehitur simulacrum, Almonis undis ablui perhibetur » (*Amm. Marcell.*, *l.* XXIII, *c.* 3, *p.* 355). At non solum illius carpentum, sed ipsum etiam illius simulacrum ibi lavari his versibus Lucanus cecinit :

> Tum qui fata deum, secretaque carmina servant,
> Et lotam parvo revocant Almone Cybelem.
>
> (*Lucan.*, *lib.* I *Pharsal.*, *pag.* 124.)

Brevius vero Martialis :

> Capena grandi porta, qua pluit gutta,
> Phrygiæque matris Almo qua lavat ferrum.
>
> (*Martial.*, *lib.* III, *epigr.* 47.)

Ferrum sive *sacrum*. Locus itaque, quo Mater deum quotannis lavabatur, is erat ubi Almo fluvius, ante portam Capenam in Tiberim influit. Videsis Ovidium (*l.* IV *Fastor.*, *p.* 580), ac notas Fulvii Ursini in kalendarium rusticum, et Valesii in citata Ammiani verba observationes. At legendi in primis Prudentius, atque Augustinus, qui turpissimos hujusce lavationis ritus acerrime exagitat, ac tandem sic concludit : « Quæ sunt sacrilegia, si ista sunt sacra? aut quæ inquinatio, si illa lavatio? » (*Prudent.*, *in Martyr. S. Romani*; *August.*, *l.* II *de Civit.*, *c.* 4, *p.* 34.) Recte igitur Arnobius dictu omnino ridiculum esse contendit deos sordescere, atque ad sordes eluendas lavantibus aquis, et antiqua frixione cineris indigere.

Tum deinde ille : « Jovis, » inquit (*Arnob.*, *l.* VII, *p.* 238), « epulum cras est, » nimirum idibus novembris, uti in Kalendario rustico annotatur. Haud vero infrequens hujus epuli apud varios scriptores mentio. Apud Livium siquidem hæc alicubi legimus : « Ludi plebeii per biduum instaurati, et Jovis epulum fuit ludorum causa » (*Liv.*, *l.* XXV, *c.* 2, *et l.* XXVII, *c.* 36, *et l.* XXXIII, *c.* 42). Et rursum alibi idem repetit. Cicero autem docet hoc epulare sacrificium, et tres epulones, qui ei præessent, a Numa institutos : « Pontifices veteres, » inquit, « propter sacrificiorum multitudinem tres viros Epulones esse voluerunt, cum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti » (*Cicer.*, *l.* III *de Orat.*, *p.* 187, *lin.* 30). Livius autem Triumviros Epulones primum Romæ a Romuleio, seu Romulio, creatos fuisse tradit (*Liv.*, *l.* XXXIII, *c.* 42). De iis et Jovis epulo Valerius Maximus, Tertullianus et alii sermonem fecerunt : sed de illo plura Gutherius, quem adire poteris (*Val. Max.*, *l.* II, *c.* 1, § 3, *et l.* IV, *p.* 2, § 3; *Tertullian.*, *Apolog.*, *c.* 13; *Guther.*, *l.* IV *de Vet. jure Pontif.*, *c.* 23). Nonne ergo deploranda prorsus erat cæcitas gentilium, qui serio dicebant Jovem magnis impleri dapibus, aut ut ait Valerius Maximus (*ubi supra*), in lectulum, ac Junonem et Minervam in cellas ad cœnam invitari? Quapropter Lactantius, Arnobium præceptorem suum secutus, A hæc absurda gentilium sacra sic postea irridebat : « Quin etiam sacras dapes apparant, et exquisitas epulas, quasi aliquid inde delibaturis offerunt » (*Lactant.*, *l.* VI *Instit. divin.*, *c.* 1, *p.* 542).

Longe porro illud difficilius est, quod subjungit Arnobius : « Æsculapii geritur celebraturque vindemia » (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 238). Non enim de festis vinalibus ibi loquitur; quippe quæ prima Jovi, posteriora Veneri sacra fuisse Varro, Festus, Ovidius, aliique testificantur (*Varr.*, *lib.* V *de Ling. lat.*, *pag.* 40 *et* 50; *Festus ad verba* VENALIA; *Ovid.*, *lib.* IV *Fastor.*, *pag.* 616 *et seqq.*). At observandum est alia fuisse festa, quæ Meditrinalia vocabantur, de quibus Varro : « Dies, » inquit, « dictus a medendo, quod ut Flaccus flamen Martialis dicebat, hoc die solitum B vinum novum, et vetus libari et degustari medicamenti causa. Quod facere solent etiam nunc multi, cum dicant : Novum vetus vinum bibo : novo veteri morbo medeor » (*Varr.*, *lib.* V *de Ling. lat.*, *pag.* 51). Sed Festus, qui hæc ultima verba retulit, Meditrinalia a Meditrina dea nomen accepisse asseverat (*Fest.*, *ad verb.* MEDITRINALIA). Plutarchus autem narrat olim eos, qui vinum novum gustabant, vota fecisse; ut illius usus innoxius, medicamentumque salutare foret (*Plutarch.*, *lib.* III *Sympos.*, *quæst.* 7, *pag.* 651). Verum id dicit ea die factum, quam Pithoegiam appellabant. At hoc festum, uti docet Meursius, in Bacchi honorem celebrabatur (*Meurs.*, *lib.* I *Græc. feriatæ*, *pag.* 719; *Antiq. græc.*, *tom.* VII). Utrum vero medicamenti ratione id quoque C Æsculapio sacrum fuerit, aliorum esto judicium. Nos porro non fugit, unum ab Theodoreto Æsculapii festum notari, quod ille Ἀσκλήπια cognominat (*Theodor.*, *serm.* 3, *de sacrific.*, *tom.* IV, *pag.* 583). Sed illud idem fuisse atque Æsculapii vindemiam si recte probaveris, tibi illico subscribemus.

Cæterum Arnobius evidenter ostendit hæc deorum, qui vineas colere falso credebantur, festa, tam superstitiose celebrari, quam *lectisternium Cereris* (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 238). Et re quidem vera erant, ut ait Apuleius, « et publicarum epularum apparatus, et lectisternia deorum, et dies festi » (*Apul.*, *lib.* I *de Mund.*, *pag.* 409). In templis siquidem « lecti, » inquit Augustinus, « sternebantur in honorem deorum, unde hoc sacrum, vel potius sacrilegium nomen D accepit » (*August.*, *lib.* III *de Civit.*, *cap.* 17, *pag.* 74). Primum autem lectisternium, teste Livio, Romæ factum est, ad pestem æstate grassantem sedandam, postquam senatusconsulto libri Sibyllini aditi sunt : « Duumviri sacris, inquit, faciundis per dies octo Apollinem, Latonamque, et Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum, tribus, quam amplissime tum parari poterat, stratis lectis, placavere » (*Liv.*, *lib.* V, *cap.* 13).

Tum deinde lectisternia frequentissime facta fuisse, quis nescire potest? Ex illis autem omnibus, illud tantum commemorabimus, de quo idem Livius ita loquitur. Cum Annibal agros Italiæ depopularetur, inspectis Sybillinis libris, ac voto rite nuncu-

pato: « Lectisternium, » ait ille, « per triduum habitum, decemviris sacrorum curantibus: sex pulvinaria in conspectu fuere, Jovi et Junoni unum, alterum Neptuno ac Minervæ, tertium Marti et Veneri, quartum Apollini ac Dianæ, quintum Vulcano ac Vestæ, sextum Mercurio ac Cereri » (*Idem*, *lib.* XXII, § 10). Vides certe in his lectisterniis deos in lectis et pulvinaribus collocatos, et illis, ut malum aliquod averterent, supplicatum. Arnobius vero Cereris tantum meminit, sed exempli causa. Neque enim ei soli lectisternium factum fuisse significat. Ethnicorum vero insaniam jure merito redarguit, ut pote qui deos suos eo, quo diximus, modo in mollibus lectis et pulvinaribus palam ac publice stratis cubare opinabantur.

Denique ille simili plane modo alios exsibilat exploditque festos dies, quos propter deorum suorum natales celebrare ethnicorum mos erat. Unico autem Telluris exemplo, cæteros omnes damnandos esse ita ostendit: « Telluris natalis est. Dii enim ex uteris prodeunt, et habent dies lætos, quibus eis ascriptum est auram usurpare vitalem » (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 238). At non unius tantum Telluris natalis dies, sed variorum quoque deorum, uti Mercurii, Minervæ, et Jovis Ammonis, in veteri notantur Kalendario, in quod Lambecii notas legere poteris. Unde Lactantius: « Ludorum, » inquit, « celebrationes deorum festa sunt; siquidem ob natales eorum vel templorum novorum dedicationes sunt constituti » (*Lactant.*, *lib.* VI, *cap.* 19, *pag.* 621).

Recte ergo Arnobius insulsissimum illum gentilium morem non sine merita irrisione insectatur. Nam qui deos aliquando, aiebat ille, non exstitisse, et ex aliis ortos dicebant, hi eosdem, ut alibi cum eodem auctore nostro invictissime demonstravimus, non veros, sed falsos, commentitiosque deos esse necessario confitebantur. Quis igitur iis omnibus, quæ hactenus disputata sunt, rite expensis, ultro non fatebitur solemnibus gentilium festis, sacris et mysteriis funditus everti illorum omnium, in quorum honorem agebantur, jactitatam ab iisdem gentilibus divinitatem?

CAPUT XXV.

Quam exigua et exilis sit hominum scientia.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam pauca homo sciat, eique esse incompertum quid ipse sit, quomodo et quando sint insomnia; quomodo fiat visio, et sapor percipiatur; cur pili canescant, et oleum liquoribus non misceatur; cur animus in ægris sit æger, in aliis stolidus, aut delirus; et quis partium nostri corporis situs, ac quorsum hæc Arnobius dixerit.

Ea erat ethnicorum insulsa plane opinio, qua christianos omnes indoctos omnino, idiotas, et illiteratos, ut vidimus (*Dissert. in Minuc.*, *cap.* 3, *art.* 1), se vero omni scientiarum genere instructissimos esse tam falso, quam audacter venditabant. Variis itaque rationum firmamentis vanam illam ostentationem Arnobius noster retundit (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 45), ac proterit. Unde enim, inquit, illa gloratio? Num quia verba et nomina per casus ac tempora de- A clinare, seu grammeticæ leges, aut rhetoricam et dialecticam apprime noverant? (*Ibid.*, *pag.* 85 *et seq.*) Sed quæ inde nisi pueris vana scientiæ jactatio? Num quia animæ eorum vel ab ipsa sua origine aliis quibuslibet scientiis et doctrinis imbutæ fuerunt? Sed hunc errorem satis ab ipso Arnobio confutatum fuisse ostendimus (*Supr.*, *cap.* 9, *art.* 1). Num quia scientias et artes labore et exercitatione comparaverunt? Verum quam exigua sit illa hominum scientia, inde colligas, quod post tot elapsas ab mundi exordio ætates, non multa sane, sed perpauca admodum certo cognoscant. Nonne enim « Socrates, » quemadmodum loquitur auctor noster, « comprehendere nequit in *Phædone* (ms. reg. *Fedro*) homo quid sit, aut unde sit, anceps, varius, mobilis, pellax, multiplex, multi- B formis, in quos usus prolatus sit, cujus excogitatus ingenio, quid in mundo faciat, cur malorum tanta experiatur examina? » (*Ibid.*, *p.* 46.) Verum cur ibi pro *Phædro*, in editis positum sit *Phædone*, nulla neque in editionibus, neque in adnotationibus ratio affertur. In Platonis tamen Phædro Socrates inducitur (*Plato in Phædr.*, *tom.* III, *p.* 230), se ipsum considerando, inquirere utrum sit bellua, Typhone magis multiplex, demens, et furiosa; vel quoddam animal mansuetius atque simplicius, divinæ cujusdam, et ab omni fastu et insolentia alienæ sortis ac naturæ particeps. Utrum vero auctor noster hunc Platonis locum παραφραστικῶς exposuerit, vel alium citaverit, expende, quæso, et pronuntia.

Quid vero, quod homo non solum hæc ignorat, sed C quibus etiam modis, verba sunt Arnobii, « fiant insomnia; » immo « ambigit in *Theætelo* (ms. cod. *Theætone*, vides quam corrupte) Plato vigilemus aliquando, an ipsum vigilare, quod dicitur, summi sit perpetui portio, et quid agere videamur, insomnium cum videre nos dicimus. » (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 46). Et re quidem vera ille philosophorum coryphæus in libro citato scripsit perobscuram esse quæstionem, utrum vigilando dormiamus, aut cogitando somniemus. Ὁρᾷς οὖν ὅτι τό γε ἀμφισβητῆσαι οὐ χαλεπὸν, ὅτε καὶ πότερόν ἐστιν ὕπαρ ἢ ὄναρ ἀμφισβητεῖται· καὶ δὴ ἴσου ὄντος τοῦ χρόνου ὃν καθεύδομεν, ᾧ ἐγρηγόραμεν, ἐν ἑκατέρῳ διαμάχεται ἡμῶν ἡ ψυχὴ, τὰ ἀεὶ παρόντα δόγματα παντὸς μᾶλλον εἶναι ἀληθῆ· ὥστε ἴσον μὲν χρόνον τάδε φαμὲν ὄντα εἶναι, ἴσον δὲ ἐκεῖνα· καὶ ὁμοίως D ἐφ' ἑκατέροις διϊσχυριζόμεθα (*Plato in Theæt.*, *tom.* I, *p.* 158). *Vides ergo quam non difficile sit hac de re ambigere, quando quidem illud ambigitur utrum res vera sit, an insomnium; et cum æquale sit tempus, quo dormimus, ei quo vigilamus, in utroque animus noster decertat, præsentes sententias omnino veras esse: quare æquali tempore hæc esse affirmabimus, æquali vero illa, et peræque de utrisque rem constituemus.*

Neque magis notum est, ait Arnobius, utrum « Radiorum et luminis intentione videamus, an rerum imagines advolent, et nostris in pupillis sidant » (*Arnob.*, *ibid.*). Variabant enimvero ea de re philosophorum sententiæ, quas A. Gellius perspicue his verbis explicat: « Stoici causas videndi has esse dicunt,

radiorum ex oculis in ea, quæ videri queunt, emissionem, aerisque simul intentionem. Epicurus autem affluere semper ex omnibus corporibus simulacra quædam corporum ipsorum, eaque se in oculos inferre, atque ita fieri sensum putat. Plato existimat genus quoddam ignis lucisque de oculis exire; idque conjunctum continuatumque cum luce Solis, vel cum alterius ignis lumine sua vi et externa nixum efficere, ut quæcumque offenderit illustraveritque, cernamus » (*Gell.*, *lib.* v *Noct. Att.*, *cap.* 16). Has quoque et alias philosophorum de videndi causa opiniones Plutarchus recenset (*Plutarch.*, *lib.* IV *de Placit. philosoph.*, *cap.* 13, *p.* 901). Laertius vero Stoicorum ac Pythagoræ (*Laert.*, *de Vit. et dogm. philos.*, *lib.* VII, § 157, *et lib.* VIII, § 29), et Lucretius Epicureorum his versibus retulit :

> Dico igitur rerum effigies tenuesque figuras
> Mittier ab rebus summo de cortice earum :
> Quæ quasi membrana vel cortex nominitanda est,
> Quod speciem ac formam similem gerit ejus imago,
> Cujuscumque deluet corpore fusa vagari?
> Id licet hinc quemvis hebeti cognoscere corde.
>
> (*Lucret.*, *lib.* IV, *vers.* 46 *et seqq.*)

Quam quidem Epicuri sententiam fusius probare connititur. Sed eam Macrobius refellit, et Platonem sequitur (*Macrob.*, *lib.* VII *Saturnal.*, *cap.* 14). Verum de hisce diversis philosophorum opinionibus cum Lactantius fusius disputet, illas in subsequenti dissertatione accuratius examinandi locus opportunior dabitur (*Dissert. in Lactant.*, *cap.* 40, *art.* 2).

Incertum adhuc auctor noster esse contestatur : « Utrum sapor in rebus sit, an palati contagionibus, » seu palati contactu « fiat » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 46). At hæc secunda opinio Epicureorum fuit, ex atomis scilicet lævigatis et rotundis palatum, dum transeunt, jucunde afficientibus, saporem gratum ac suavem, atque ex hamatis et asperis, quæ linguam ac palatum lædunt, insuavem et injucundum saporem oriri. Quæ quidem discipulus Epicuri Lucretius his versibus expressit :

> Hæc ubi lævia sunt manantis corpora succi,
> Suaviter attingunt, et suaviter omnia tractant.
> Humida linguai circumsudantia templa.
> At contra pungunt sensum, lacerantque coorta,
> Quanto quæque magis sunt asperitate repleta.
> Deinde voluptas est e succo in fine palati.
> Cum vero deorsum per fauces præcipitavit,
> Nulla voluptas est.
>
> (*Lucret.*, *lib.* IV, *vers.* 626 *et seqq.*)

Similia alibi dixerat (*libr.* II, *vers.* 398, *et seqq.*). Alcmæo autem, uti narrat Plutarchus, putabat humiditate linguæ et tepore discerni sapores. Diogenes vero raritate, et mollitie linguæ, ac nervorum contactu diffundi sapores, tanquam a spongia attractos. Sed de hac quæstione a nobis in subsequenti dissertatione cum Lactantio agendum (*Plutarch.*, *lib.* IV *de Placit. philosoph.*, *cap.* 18; *Dissert. in Lactant.*, *cap.* 40, *art.* 3).

Non magis autem ulli exploratum esse ait Arnobius, qua de causa pili paulatim canescant, et oleum nullis aliis liquoribus misceatur. De canitiei causa quid philosophi quidam senserint, alibi ostendimus A (*tom.* I *Apparat.*, *lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 12, *art.* 1, *p.* 788). Cur autem oleum aliis liquoribus nunquam misceatur, rationem Plutarchus reddit, quia maxime humidum est, nec ullas siccas partes, nec ullos proinde habet meatus, aut ulla spatia, quibus alia liquida corpora admittat. Alibi tamen monitos nos esse voluit id ab aliis illius densitati ascribi, tametsi his Aristoteles refragetur (*Plutarch.*, *lib.* VI *Sympos.*, *quæst.* 10, *p.* 696; *lib.* VII, *quæst.* 3, *p.* 702).

Post hæc vero Arnobius addidit eos, qui animum humanum immortalem et Deum esse docuerunt, enarrare nobis non posse, cur ille in ægris æger sit, in infantibus stolidus, ac in delira corporis senectute et ipse deliret (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 47). Nemo autem dubitare potest hanc ignorationem ortam esse ex va-
B riis opinionibus de animæ natura, et immortalitate, quas recensent Cicero, Plutarchus, Theodoretus, et alii (*Cicer.*, *lib.* I *Tuscul. quæst.*, *p.* 123 *et seqq.*; *Plutarch.*, *lib.* IV *de Placit. philosoph.*, *cap.* 2 *et seqq.*, *p.* 898 *et seqq.*; *Theodor.*, *serm.* 5, *de Nat. hum.*, *p.* 546 *et seqq.*). Tanta autem, ut ait Justinus martyr, est eorum dissensio, ut in hoc uno consentire videantur, quod se ipsos decipiant, errorisque vicissim arguant ac convincant. Sed de his nos supra, et in subsequenti dissertatione (*Justin.*, *cohort. ad Græc.*, *p.* 7 *et* 8; *supr.*, *cap.* 7, *art.* 1). Porro autem Cicero, sicuti auctor noster ait, tam exiguam esse hominis scientiam, omniaque adeo crassis occultata et circumfusa tenebris fatetur; ut quæ sint corpora nostra, qui situs partium, ac quam vim unaquæque pars ha-
C beat, ignoremus (*Cicer.*, *lib.* IV *Acad. quæst.*, *p.* 32).

At quorsum, inquies, spectat tota hæc Arnobii nostri de hominum ignorantia, disputatio? Ut nimirum omnibus demonstret christianorum fidem, et his, quæ Christus docuerat, credendi facilitatem ab ethnicis immerito prorsus irrideri. Ex hactenus enim disputatis recte concludit nos nihil certi omnino et comperti habere, nisi quod ab eodem Christo Dei filio, et Deo ipso nobis traditum est.

Neque tamen in animum inducas Arnobium negasse scientiam ab hominibus labore, et exercitatione comparari; sed eam adeo exilem esse, ac tenuem; ut nulla ethnicis inde gloriandi possit esse causa. Nihil namque tam certum perspicuumque est, quod illi contentionis studio, ac dissidiis suis dubium incer-
D tumque non fecerint. Quod quidem adhuc examinandum est.

ARTICULUS II.

Quam recte Arnobius probaverit exiguam esse hominum scientiam ex philosophorum dissentionibus, et variis opinionibus Thaletis, Heracliti, Pythagoræ, Archytæ Tarentini, Epicuri, et Democriti de primis rerum principiis, Platonis de anima, Panætii, Chrysippi, et Zenonis de mundi incendio; Carneadis, Arcesilæ et Academicorum, qui nihil sciri posse affirmabant; ac quia nihil adhuc compertum habetur, unde veritas oriatur, aut cur salsum sit mare, ac utrum hæ aliæque similes quæstiones relinquendæ sint.

Quam parum certa, constans, stabilisque sit hominum scientia, alio Arnobius argumento, ex variis philosophorum una eademque de re opinionibus

et discordiis petito demonstrat (*Arnob.*, *l.* II, *p.* 48). Dum enim hostili pervicacia inter se digladiantur, dum alter alterius decreta ac placita labefactat, et destruit, his dissensionibus cuncta fecerunt incerta, et nihil se certo scire potuisse plane commonstrant. Enimvero unicuique argumenta non desunt, quibus sententiam suam asserat ac tueatur (*Ibid.*, *p.* 82 *et seqq.*). Ea autem quia probabilitate sua non carent, inde efficitur, ut verum a falso discerni nequeat, atque idcirco illis ambigua et obscura sint omnia.

Primum itaque auctor noster ob omnium oculos ponit diversas philosophorum de primis rerum principiis opiniones (*Ibid.*, *p.* 48). A Thalete et Heraclito orditur, qui primam rerum originem ignem et aquam, quemadmodum Pythagoras numeros, constituebant. Sed de his jam disputavimus (*t.* I *Apparat.*, *p.* 434 *et seqq.*, *ac Dissert. super.*, *in c.* 4, *art.* 1). Ultimo autem huic philosopho Arnobius Archytam, haud dubie Tarentinum, recte conjunxit. Nam ut ex Laertio discimus : Pythagoricus et ipse fuit : Πυθαγόρικος καὶ αὐτός. Alium testem si postules, adest Cicero, qui hæc de illo memorat : « Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse, et in ea cum alios multos, tum Archytam, Timæumque cognovisse, et didicisse Pythagorea omnia » (*Arnob.*, *l.* II, *p.* 48 ; *Laert.*, *l.* III *de Vit. et dogm. philos.*, § 79 ; *Cicer.*, *Tuscul.* I, *p.* 121).

Tum deinde Arnobius ait Epicurum, Democritum, et Metrodorum, quorum sententiam, tacito eorum nomine, prius retulerat, sensisse primam rerum originem esse atomos, seu individua corpora, quibus fabricatum fuisse mundum somniaverant (*Arnob.*, *l.* II, *p.* 48, *et l.* I, *p.* 18). At de his quoque disseruimus ; sicut et de Aristotele, quem auctor noster dixit principalibus causis quintum addidisse elementum (*t.* I *Apparat.*, *p.* 435, 436 *et* 770).

Alii vero philosophi, inquit, opinati sunt mundum neque natum, neque periturum, atque adeo esse æternum : alii e contrario genitum, et periturum ; alii ex quatuor, alii ex paucioribus factum elementis (*Arnob.*, *l.* II, *p.* 82). Nos autem de his diversis philosophorum placitis, atque eorum patronis et auctoribus, cum locis citatis, tum alibi egimus (*t.* I *Apparat.*, *loc. cit.*, *p.* 1117).

Ad hæc autem Panætius, Chrysippus, et Zeno mundum aliquando arsurum, ait Arnobius, asseverarunt. Stoicorum autem sectam, cujus auctor fuit Zeno, illi sequebantur. Quod quidem et ostendimus, et assertam ab eis fuisse de mundi conflagratione opinionem jam animadvertimus (*tom.* I *Apparat.*, *p.* 1123, 1145 et 1117).

Præterea Plato, sicut auctor noster loquitur, « animam dividit, et incorporales constituit formas » (*Arnob.*, *l.* II, *p.* 48). Nam, ut scite animadvertit Theodoretus : Πλάτων καὶ Πυθαγόρας, τὸ μὲν λογικὸν αὐτῆς ἄφθαρτον εἶναι, φθαρτὸν δὲ τὸ ἄλογον (*Theodor.*, *serm.* 5, *de Nat. hom.*, *tom.* IV, *pag.* 546). Plato et Pythagoras rationalem quidem animæ partem incorruptibilem esse, quæ autem ratione caret, corruptibilem asseruerunt. Hunc, si lubet, plura disserentem consule, et ipsiusmet Platonis libros, ubi hanc sententiam propugnare conatus est (*Plat.*, *Tim.*, *t.* I, *p.* 59 ; *et Phædr.*, *p.* 244, *ac tom.* III, *Phædon.*, *p.* 99 *et* 106).

Quid plura ? Carneades, et Arcesilas, seu Arcesilaus, et Academiæ secundæ ac tertiæ cultores, audacter affirmabant omnia involvi obscuritatis maximæ latebris, et nihil posse comprehendi. Utrumque porro Carneadem et Arcesilam scholæ academicæ sectatores, et hujus opinionis defensores fuisse a nobis in superiori Apparatus nostri tomo demonstratum est (*Ibid.*, *p.* 1131 *et seqq.*). Plura de utroque in suis academicarum quæstionum libris Cicero, ubi scribit Carneadem quatuor composuisse de sustinendis assensionibus liberos, nihilque fuisse quod ei probaretur (*Cicer.*, *l.* IV *Academ. quæst.*, *p.* 29 *et* 37). Arcesilas vero, uti ille adhuc narrat : « Negabat esse quidquam quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset. Sic omnia latere *censebant* (id est academici, alias tamen *censebat*, puta Arcesilas) in occulto, neque esse quidquam, quod cerni aut intelligi possit : quibus de causis nihil oportere neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque assertione probare, cohibereque semper, et ab omni lapsu continere temeritatem, quæ tum esset insignis, cum aut falsa aut incognita res approbaretur ; neque hoc quidquam esse turpius, quam cognitioni et perceptioni assertionem approbationem præcurrere. » Porro autem Carneadis et Arcesilæ vitam descripsit Laertius (*Laert.*, *l.* IV *de Vit. et dogm. philosop.*, § 28 *et seqq.*, *et* § 62 *et seqq.*).

Denique non major erat ethnicorum de ipsismet diis suis consensus. Aliqui enim, inquit Arnobius, eos exsistere negabant, alii dubitabant, alii asserebant, alii humana ab iis administrari dicebant, alii inficiabantur. At de variis hisce opinionibus, et supra, atque etiam in primo nostri Apparatus tomo disseruimus (*Arnob.*, *l.* II, *p.* 82 ; *supr.*, *c.* 9, *art.* 1 ; *tom.* I *Apparat.*, *l.* III, *dissert.* 1, *c.* 2 *et seqq.*, *p.* 781 *et seqq.*).

Multas alias quæstiones enumerat Arnobius, verbi gratia, unde ventus oriatur, et cur salsum sit mare, quæ ab hominibus solvi explicarique nequeunt. Atque ex his et cæteris omnibus, quæ ethnici ignorabant, concludit ab iis iniquissime verecundiam vexari christianorum, qui ea quoque se nescire, nec investigare velle ultro fatebantur (*Arnob.*, *l.* II, *p.* 85 *et seqq.*). Christus enim verus Dei filius jussit hasce litigiosas, atque infructuosas quæstiones et disputationes a discipulis suis relinqui ; ut ad rerum omnium Dominum, tota mente, quoad fieri potest, attollantur, eique adhæreant. Ille enimvero ipse est, de quo nullus nisi amens, aut plane stupidus homo dubitare queat. At illum solum scire sufficit, et ejus cognitio scientia est maxima.

CAPUT XXVI.

De quibus viris illustribus, vatibus, scriptoribus, quos Arnobius citavit, ac de verbis barbaris, obsoletis, obscuris, quibus usus est.

ARTICULUS PRIMUS.

De Pythagora, qui in fano concrematus fuit, de Socratis, Trebonii, Reguli et Aquilii crudeli nece; ac de quibusdam magis, Zoroastre per igneam zonam excito, de Armenio Zostriani nepote, Pamphilo Cyri, Apollonio, Damigero, Velo, Juliano et Bebulo.

Plures Arnobius suis in libris citavit et factis et scriptis illustres viros, quorum exemplo, vel auctoritate documenta sua tuetur ac confirmat. Sed quia multis hosce libros legentibus quidam penitus ignoti, et alii non satis cogniti esse possunt, de his seorsim, hocque in loco agendum duximus; ne orationis nostræ filum in superioribus disputationibus sæpius interrumperetur. Ab iis autem incipiemus, quorum factis et exemplis auctor noster ethnicos confutat, ac revincit.

Primus ex his sese nobis offert Pythagoras Samius, qui « suspicione, inquit, dominationis injusta, vivus concrematus in fano est » (*Arnob.*, *l.* II, *p.* 23). Variæ autem fuerunt de Pythagoræ morte opiniones, quas Laertius, Tzetzes, Suidas, aliique retulerunt (*Laert.*, *l.* VIII, *in Vit. Pythag.*, § 39; *Tzetz.*, *chiliad.* XI, *p.* 443; *Suid.*, *ad verb.* Πυθαγόρας). Prima est, illum in domo Milonis Crotoniatæ cum esset, cujusdam ex illis, quos illuc admittere noluit, invidia, vel Crotoniatarum suspicione metuque tyrannidis, eadem domo incensa, flammis fuisse suffocatum. Alii vero tradunt illum, inde ereptum, in agro fabis pleno jugulum persequentibus dedisse. Dicæarchus vero opinatus est ipsum in Musarum delubro, quod Metaponti est, per quadraginta dies absconditum, fame et inedia egisse animam. Alias adhuc Laertius de ejusdem Pythagoræ interitu sententias Heraclidis et Hermippi enarrat (*Laert.*, *loc. cit.*). At brevius Plutarchus: Τὸ μὲν τὰ τοιαῦτα συμπτώματα τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν, οἷον ἡ Σωκράτους καταδίκη, καὶ ὁ Πυθαγόρου ζῶντος ἐμπρησμὸς ὑπὸ τῶν Κυλωνείων (*Plutarch.*, *de Stoicor. repugnant.*, *tom.* II, *p.* 1051). *Jam hujuscemodi præclarorum virorum calamitates, qualis fuit condemnatio Socratis, quod Pythagoræ vivo a Cyloneis est illatum incendium.* Sed utrum hic in domo aliqua, vel in fano concrematus fuerit, penitus tacet. Verum de illius morte aliquid alibi observavimus (*t.* I *Apparat.*, *p.* 1123, *et seqq.*). Adi adhuc, si placet, Malchum Jamblicum, Tzetzem et alios in Pythagoræ vitam, atque Menagii, et aliorum in citatum Laertii locum annotationes (*Jamblic.*, *l.* I *de Vit. Pythag.*, *c.* 35; *Tzetz.*, *Hist.*, *chiliad.* XI, *v.* 69 *et seqq.*). Denique quod subjunxit Arnobius noster Pythagoram vivum combustum, « suspicione dominationis injusta, » hoc confirmari potest Tertulliani testimonio, qui haud dubitanter asseverat affectatam ab eo fuisse tyrannidem (*Arnob.*, *l.* I, *p.* 23; *Tertullian.*, *Apolog.*, *c.* 46). Sed de hac e nos suo loco uberius disputabimus.

A Socrates quoque, ait Arnobius, « civitatis suæ judicio damnatus, capitali affectus est pœna » (*Arnob.*, *l.* I, *p.* 23). At eum a civibus suis Atheniensibus morte condemnatum, cicutam bibisse, ab scriptoribus Laertio, Platone, aliisque quamplurimis memoriæ proditum est; nosque de illius nece quædam alibi animadvertimus (*Laert.*, *l.* II *in Vit. Socr.*, § 42; *Plat.*, *in Phæd.*, *t.* I, *p.* 117; *Apolog. Socrat. et alibi*; *Dissert. in Minuc.*, *c.* 6, *art.* 2). Plura igitur congerere inutile superacaneumque foret.

Prosequitur Arnobius, ac Trebonium simili suppliciorum genere interemptum asserit. Consularis ille vir fuit, et optimus, inquit Cicero, civis, ac moderatissimus homo, quem perfidus Dolabella fictæ simulatæque amicitiæ insidiis: « Consularem hominem, » ipsa sunt ejusdem Ciceronis verba, » consulari imperio provinciam Asiam obtinentem, Samariæ exsuli tradidit; interficere statim captum noluit, ne nimis, credo, in victoriis liberalis videretur. Cum verborum contumeliis optimum virum incesto ore lacerasset, tum verberibus ac tormentis quæstionem habuit pecuniæ publicæ, idque per biduum, post cervicibus caput abscidit, idque fixum gestari jussit in pilo, reliquum corpus tractum, atque laceratum abjecit in mare » (*Cic.*, *Philip.* II, *p.* 644, *lin.* 30). Tum deinde hunc Trebonium cum Regulo, quemadmodum auctor noster, sic conjungit, et componit: « Cruciatus est a Dolabella Trebonius, et quidem a Carthaginensibus Regulus. In qua re cum crudelissimi Pœni judicati sint in hoste, quid in cive Dolabella judicandus est? » (*Ibid.*, *p.* 645, *lin.* 13; *Arnob.*, *l.* I, *p.* 23.) Exstant etiamnum inter Ciceronis Opera mutuæ epistolæ Trebonii ad Ciceronem et Ciceronis ad Trebonium, atque ibi etiam Lentulus data ad eumdem Ciceronem epistola, « Trebonii indignissimam cædem » appellat (*Cicer.*, *l.* XII, *ep.* 15, *p.* 142). De Reguli autem, quem ut proxime dictum est, auctor noster Threbonio conjungit, crudeli etiam cæde, nos in superiori dissertatione egimus (*Dissert. in Minuc. Octav.*, *c.* 6, *art.* 3, *et c.* 19, *art.* 4).

Quartus ab Arnobio memoratur Aquilius qui dirissimis cruciatibus a Mithridate occisus est: sed de eo quoque in eadem superiori dissertatione disputavimus (*Ibid.*, *c.* 6, *art.* 3; *Meurs.*, *crit. Arnob.*, *l.* I, *c.* 10, *p.* 19). At inde liquet vanam esse Meursii conjecturam, qui in auctoris nostri textu pro *Aquilius*, legendum suspicatur *Acilius*, eumque esse vult, qui sicut cecinit Juvenalis, ab illo citatus, a Nerone sæva morte e medio sublatus est. Ex ibi quippe de Aquilio dictis evidenter colligitur, nihil in Arnobiano textu mutandum.

Ubi vero auctor noster christianæ religionis veritatem innumeris, atque huc usque inauditis Christi miraculis demonstrat, ibi nullum plane ab ethnicorum magis aut per se, aut per alios similiter factum recte contendit. Quod quidem illorum probat exemplo, qui cæteris arte magica antecelluisse ferebantur. Eos autem suis nominibus sic appellat: « Age nunc, veniat, quæso, per igneam zonam magus in-

teriore ab orbe Zoroastres, Hermippo ut assentiamur auctori, Bactrianus : et ille conveniat, cujus Ctesias res gestas historiarum exponit in primo, Armenius Zostriani nepos, et familiaris Pamphilus Cyri, Apollonius, Damigero, et Dardanus, Velus Julianus et Bœbulus » (*Arnob.*, *l.* I, *p.* 31). Sed plurimi conqueruntur fœde corruptum esse hunc locum. Primo enim Heraldus arbitratur hæc verba, *super igneam zonam* interpretamenti vice adjecta esse, atque ibi Azonacis, qui teste Plinio magus, et Zoroastris præceptor fuit, mentionem fieri (*Plin.*, *l.* XXX *Hist. natur.*, *c.* 1, *p.* 725). Quapropter sic censet textum esse restituendum : « Veniat quis Azonaces magus interiore ab orbe, Hermippo ut assentiamur auctori. Bactrianus et ille conveniat, » id est, Zoroastres, qui patria Bactrianus erat. Verum hæ meræ conjecturæ sunt, quæ nec manuscripti, nec ullius editi codicis auctoritate stabiliuntur. Huetius tamen, Abrincensium olim episcopus, videtur Heraldo suum tulisse suffragium, nec aliud putat ab Arnobio significari, nisi : « Ex Æthiopia interiore per igneam zonam venisse Zoroastrem » (*Huet.*, *Demonstr. Evang.*, *proposit.* 4, *c.* 5, *p.* 89, D). Putabat enim vir ille doctus, sicut et alii plures, hunc ab Arnobio patria dici Æthiopem (*Arnob.*, *l.* I, *p.* 5 ; *sup.*, *c.* 4, *art.* 4). Quidni vero credamus eum ab Arnobio dici Bactrianum, quem supra Bactrianis, uti observavimus, imperasse, et adversus Ninum magicis artibus dimicasse dixerat ? Nec refert quod nomen *Bactrianus*, ultimo et remotiori loco, in auctoris nostri textu positum sit. Peculiaris siquidem illius est loquendi modus, quo hyperbatis passim ubique utitur.

Zoroastres vero non solum magus fuit, sed illi a quibusdam, uti alibi vidimus, magiæ etiam tribuitur inventio. Cum autem Arnobius illum ab interiore orbe *per igneam zonam* ethnicos irridendo evocat (*tom.* I *Apparat.*, *pag.* 515 *et* 550), nonne ad illud alludere videtur, quod Suidas narrat (*Suid.*, *ad verb.* Ζωροάστρης), Zoroastrem precibus petiisse ut igne consumptus abiret. Auctor vero Recognitionum Clementis nomine inscriptarum de Zoroastre hunc scribit in modum : « Sæpius ista », id est, scintillas quasdam ex stellis, « producere moliebatur, usquequo ab ipso dæmone, quem importunius frequentabat, succensus cremaretur » (*Recognit.* [*lib.* IV, *cap.* 27). Tametsi enim Opus istud fabulis refertum sit, hæc tamen ideo videntur ab illius auctore tradita, quia plerique existimabant Zoroastrem igne fuisse consumptum. Quid ergo vetat, quominus Arnobius hoc ethnicis ea, uti diximus, acri ironia objecerit ?

Cæterum Apuleius et Tertullianus hujus Zoroastris magi, et aliorum ibidem, ab Arnobio citatorum, mentionem fecerunt ; et Apuleius quidem his verbis : « Si quamlibet modicum emolumentum probaveritis ; ego ille sim Carimondas, vel Hismoses, vel Johannes, vel Apollonius, vel ipse Dardanus, vel quicumque alius post Zoroastrem, vel Hostanem inter magos celebratus est » (*Apul.*, *Apolog.* II, *pag.* 375). Tertullianus vero : « Ut ipsis, » inquit, « jam vocabulis utar, quibus auctrix opinionum istarum magia sonat, Hostanes, et Typhon, et Dardanus, et Damigeron, et Nectabis, et Berenice » (*Tertull.*, *lib. de Anim.*, *cap.* 57).

Tres itaque ab illo et Apuleio memorantur, sicuti et ab auctore nostro nimirum Apollonius, Damigero, et Dardanus (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 31). Plures autem nomen Apollonii cum sortiti fuerint, numquid hic dici potest Apollonius Tyanæus, qui teste Suida, ab Ægyptiis, Babyloniis, atque Arabibus, quos adierat, infinitas præstigias collegit ? Nonne id scriptis a Philostrato de hujus Apollonii vita libris confirmari posset, nisi illos fabulis anilibus scatere eruditi plures viri censerent ? Eorum igitur auctoritatem non urgebimus. At certe nemo, uti opinamur, negabit eumdem Apollonium magum ab Apuleio, atque ab auctore nostro appellari.

Ad hæc vero, « Dardanum, » inquit Plinius, « e Phœnice illustravit Democritus, voluminibus Dardani in sepulchrum ejus petitis (*Plin.*, *lib.* XXX *Hist. natur.*, *cap.* 1, *pag.* 727). Magiæ autem deditis hunc ab Apuleio et Tertulliano annumeratum vidimus. Eam sane ob causam magicæ artes a Columella Dardaniæ his appellantur versibus :

> At si nulla valet medicina repellere pestem,
> Dardaniæ veniant artes.
>
> (*Columel.*, *lib.* X *de Cultu hortor.*, *vers.* 250.)

Quis itaque Arnobium de hoc Dardano loqui abnuet ? Post Clementem vero Alexandrinum ille alibi Dardanum compellat, qui Phrygiæ, sive deorum Matris mysteria patefecisse credebatur. Sed de illo in superiore Apparatus nostri tomo disputavimus (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 95 ; *tom.* I *Apparat.*, *pag.* 758).

Neque etiam integra et incorrupta videntur hæc subsequentia Arnobii verba : « Armenius Zostriani nepos et familiaris Pamphilus Cyri. » Quis enim ille esse potest Armenius *Pamphilus Cyri*, haud dubie filius, et *Zostriani nepos ?* Dictu adhuc difficilius quis ille fuerit Zostrianus. Quidam, vero suspicantur legendum non quidem *Zostriani*, sed *Ostanis*, sive *Hostanis*, de quo paulo ante citati Apuleius et Tertullianus, nosque alibi egimus (*eod. tom.* I *Apparat.*, *pag.* 550). At si obscurum est *Zostriani* nomen, plurimis sane cognita est fabula Heri Armenii, quem, sicut ab Origene, Cyrillo Alexandrino atque a nobis observatum fuit, undecima post obitum die revixisse narrabant (*Origen.*, *lib.* II *contr. Cels.*, *p.* 70 ; *Cyril. Alex.*, *lib.* VII *cont. Julia.*, *p.* 250 ; *tom.* I *Apparat.*, *p.* 116). De illo autem hæc sunt totidem Clementis Alexandrini verba, ab Eusebio accurate descripta : Plato, inquit, Ἠρὸς τοῦ Ἀρμενίου, τὸ γένος Παμφύλου, μέμνηται, ὅς ἐστι Ζωροάστρης (*Clemens Alexandr.*, *lib.* V *Stromat.*, *p.* 599 ; *Euseb.*, *lib.* XIII *Præpar.*, *c.* 13, *p.* 675) ; *Meminit Heri Armenii filii, genere Pamphili, qui quidem est Zoroastres.* Si ergo Arnobius more suo Clementis Alexandrinum ibi secutus est, aut memoriæ lapsu hæc nomina turbavit, aut ab imperito librario depravata sunt. Verum cum ille testem suum Cle-

siam, atque primum historiarum ejus librum, qui amplius non exstat,, nominatim citaverit, quæ genuina sint ejus verba, quis asserere audeat?

Nec minus adulterata esse censent, quæ in illius textu sequuntur nomina, *Velus Julianus et Bœbulus*. Quidam igitur rescribendum autumant, *Nilus et Vulcanus;* quandoquidem Laertius dixit: « Ægyptii Vulcanum Nili filium fuisse tradunt, qui philosophiæ aperuerit præcepta » (*Laert. Proœm.*, § 1). Sed ibi philosophiæ nomine magiam intelligendam nulli umquam probaverunt. Alii itaque pro *Velus* emendandum putant *Belus*. Nec jure quidem prorsus immerito. Primæ etenim utriusque nominis litteræ B et V sæpissime a librariis cummutantur. Belus vero, ut narrat Diodorus Siculus, Flamines, Ægyptiorum more, publicis oneribus et impensis exemptos instituit (*Diodor. Sicul., lib.* I *Biblioth., p.* 17). Ili autem, quos Babylonii vocant Chaldæos, solebant in Ægypto, quemadmodum sacerdotes physici et astrologi, stellas observare. Quam proculdubio ob causam Belus a Plinio et Solino sideralis scientiæ dicitur inventor, atque ab Hieronymo idem, qui ab Hebræis Bel, a Sidoniis et Phænicibus Baal, appellatur, atque a Nino illius filio in deorum ordinem relatus (*Plin. lib.* VI *Natur. hist., c.* 27, *p.* 712; *Solin., c.* 56, *p.* 87; *Hieronym., in Oseam, c.* 2, *v.* 16, *p.* 1251, *nov. edit*).

Fatetur autem Heraldus se de Juliano nihil habuisse comperti. Nihil etiam de eo in aliorum ad Arnobii libros observationibus occurrit. Ex pluribus tamen, hoc nomen præferentibus, duo præsertim a Suida memorantur, quorum unus Chaldæus, et philosophus, qui libros quatuor de dæmonibus ediderat. Alter vero hujus filius scripsit versibus theurgica, initiatoria, oracula, et alia quæcumque hujus scientiæ arcana. Sed hæc ad deorum cultum magis, quam ad magiam spectasse quamvis nonnullis videri possint, si quis tamen Arnobium de illo, aut ejus patre locutum esse probaverit, huic non multum profecto repugnabimus.

De *Bœbulo* denique nihil plane ab ullo annotatur. Quid autem si pro *Bœbulus*, in Arnobii textu *Babilus* legatur? Narrat enim Suetonius Claudio Nerone imperante, cum stella crinita per continuas noctes oriri cœpisset: « Anxius Nero ea de re, » inquit, « ut ex Babilo astrologo didicit solere reges talia ostenta cæde aliqua illustri expiare, atque a semet in capita procerum depellere, nobilissimo cuique exitium destinavit » (*Sueton., lib.* VI *in Vit. Neron., cap.* 35.)

Verumtamen utrum hic, et alii a nobis recensiti, ii revera magi fuerint, qui ab Arnobio compellantur, vel utrum aliquid, et quomodo in illius textu emendandum sit, nos sane nihil, nisi alterius integrioris codicis ope adjuti, certo statuere audemus. Quapropter malumus aliorum ea de re exspectare, quam nostrum ferre judicium.

ARTICULUS II.

De variis vatibus, sive hominibus nimirum Sibylla, Bacide, Heleno, Martio; sive diis Jove Dodonæo, Apolline Clario, Pythio, Didymæo, Philesio, quorum mentionem Arnobius fecit.

Quadruplici vatum exemplo Arnobius confirmat humanam Christi naturam, divina tamen integra perseverante, mortuam revera fuisse (*Arnob., l.* 1, *p.* 38). Nam qui vates illos afflabant, ac per eos loquebantur, cum ipsis morientibus, vita dici non possunt privati.

Prima autem ex his vatibus ab auctore nostro appellatur *Sibylla*, de qua non semel disputavimus (*t.* I *Apparat., l.* III, *dissert.* 2, *c.* 2, *p.* 20; *art.* 2, *p.* 1176). Secundus nuncupatur *Bacis*. At de illo a nobis etiam alibi actum est. Dionem tamen Chrysostomum præterea, si vacat et lubet, consulere poteris (*Dion, Orat.* 15, *de Exsil.*).

Bacidem excipit *Helenus* haud dubie Priami et Hecubæ filius, qui a Cicerone in aliorum vatum numerum merito aggregatur (*Cic., l.* II *de Natur. deor., p.* 214, *lin.* 41). Ille enim vero cum Pyrrho naufragium prædixisset, Pyrrhus ei Andromachen uxorem in matrimonium, ac regni partem concessit. Unde Virgilius hæc, quæ a Pausania comprobantur (*Pausan., l.* I, *p.* 10, *et l.* II, *p.* 66), cecinisse legitur:

Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Graias regnare per urbes,
Conjugio Æacidæ Pyrrhi, sceptrisque potitum,
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
(*Virgil., lib.* III *Æneid., vers.* 294 *et seqq.*)

Qua autem vaticinandi scientia polleret, idem poeta his versibus postea explicat:

Trojugena, interpres divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, et præpetis omina pennæ.
(*Ibid., vers.* 359 *et seqq.*)

Legesis hos in versus Servii annotationes.

Quartus tandem et ultimus *Martius* ab auctore nostro vocatur, quem Livius, et Amimanus Marcellinus vatem illustrem appellant (*Liv., lib.* XXV, *c.* 12; *Ammian. Marcell., lib.* XIV, *p.* 5). Duos autem illius versus Livius exhibet, quorum priore, inquit, Cannensem cladem prædixerat: posteriore vero Romanos, quemadmodum etiam Macrobius testificatur, ad ludos Apollini vovendos faciendosque induxit (*Macrob., lib.* I *Saturnal., c.* 17, *p.* 254 *et seqq.*).

In vatum porro mentionem quandoquidem incidimus, non inutile forsan, nec a proposito nostro prorsus alienum erit, aliquid de iis dicere, quæ Arnobius de divinis quibusdam, siculi gentiles opinabantur, vatibus, seu fatidicis, et divina oracula fundentibus hunc in modum enarrat: « Trophonius... Dodonæus, aut Jupiter...; Delius Apollo, vel Clarius, Didymæus, Philesius, Pythius, et is habendus divinus (*Arnob., lib.* I, *p.* 14). Ita sane in quibusdam horum librorum editionibus. Sed in antiquioribus pro *Trophonius* legimus *profanis*, et *profanus;* in regio codice manuscripto prima manu *profanius*. Tam fœde autem adulteratum est hoc nomen, ut vix absque alio meliore codice resarciri posse videatur.

At si de Trophonio locutum fuisse Arnobium recte probetur, id confirmari poterit testimonio veterum Scriptorum, qui memoriæ prodiderunt illius oracula, ex quodam Labadiæ specu olim reddita fuisse. Narrat vero Pausanias quibus ritibus ii, qui Trophonium consulebant, in hanc specum descenderent, atque antea deberent expiari. De hoc autem oraculo præter Strabonem, Ciceronem, Livium, Origenem, Suidam, legendus est Erasmus, qui varias de illo opiniones retulit. At de illo etiam Tertullianus egit, ut suo loco videbimus. (*Pausan.*, *lib.* IX, *pag.* 313, *et seq.*; *Suid.*, *ad verb.* Τροφώνιος; *Strab.*, *lib.*, IX *Geogr.*, *pag.* 414, 421, *et lib.* XVI, *pag.* 762; *Cicer.*, *lib.* I *Tuscul.*, *pag.* 134, *et lib.* III *de Nat. deor.*, *pag.* 247; *Liv.*, *lib.* XLV, *cap.* 27; *Origen.*, *lib.* III *contr. Cels.*, *pag.* 131; *Erasm.*, *Adag. Chil.*, *cent.* 7, *Adag.* 77; *Dissert in Tertullian.*, *cap.* 7, *art.* 3.)

Tum deinde Arnobius appellat Jovem Dodonæum ejusque oracula, de quibus præter alios mentionem fecerunt Pausanias, lib. I, pag. 15; Cicero, lib. I *de Divinatione*, pag. 268; Plinius, lib. IV *Hist. Nat.*, initio, pag 404; Solinus Polyhist., cap. 7. At plura de illo Servius in suis ad Virgilii carmina annotationibus, ubi observat lebetes in templo Dodonæi Jovis, in finibus Ætolorum, illi et Veneri a veteribus fuisse consecratos (*Virgil.*, *lib.* III *Æneid.*, *vers.* 446). Inde etiam æs Dodonæum, de quo a nobis alibi actum est (*Tom.* I *Apparat.*, *lib.* III, *dissert.* 1, *cap.* 10; *art.* 1, *pag.* 770 *et seq.*), quemadmodum de Apollinibus Clario, Pythio, et Didymæo, ab Arnobio citatis. Qui vero plura de Apolline Clario voluerit, is adeat Plinum lib. II Natur. histor., cap. 103, pag. 254; Strabonem, lib. XIV Geograph., pag. 642, et Cornelium Tacitum, lib. II Annal., post med., ubi de Germanico disserit. De Didymæo autem, eumdem Strabonem, lib. citato, pag. 634; Pausaniam, lib. I, pag. 15; Melam, lib. I, ubi de Jonia; Apuleium, sub fin. lib. IV Metamorph., pag. 70; Plinium, lib. VI Natural. hist., cap. 16, pag. 678; Sozomenum, lib. I, cap. 7, pag. 409. De Pythio, Ovidium, lib. I Metamorph., circa med.; Diodorum Siculum, lib. XVI Biblioth., pag. 323, et seq.; Herodotum, lib. I, § 65; Pausaniam, lib. X, pag. 320, et seqq.; Plutarchum, lib. de Pythiæ oraculis, pag. 394, et seq.; Macrobium, lib. I Saturnal., cap. 17; atque Origenem, initio lib. VII contra Celsum.

Ab auctore nostro adhuc appellatur *Philesius*, de quo Macrobius hæc litteris mandavit: « Ἀπόλλων Φιλήσιος, quod lumen ejus exoriens amabile amicissima veneratione oculorum consalutamus » (*Macr.*, *lib.* I *Saturnal.*, *cap.* 17, *pag.* 259). Plinius vero: « Canachus Apollinem nudum fecit, qui Philesius cognominatur, in Didymæo, Æginetica æris temperatura » (*Plin.*, *lib.* III *Hist. nat.*, *cap.* 3, *pag.* 12, E). Eumdem proculdubio Pausanias memorat æneum in Branchidis Apollinem, a Xerxe Darii filio, et Persarum rege ablatum, quem Milesiis Seleucus post annos multos remisit (*Pausan.*, *lib.* VIII, *p.* 275). Strabo autem addidit ibi esse lucum pretiosum, et

A alia delubra, quæ hujus Apollinis oraculum et sacra continent. Giraldum etiam, si animus est, adire haud difficiliter poteris (*Strab.*, *lib.* XIV, *pag.* 634; *Girald.*, *Syntagm.* 7 *de diis gent.*, *pag.* 225). Denique de variis Apollinibus hæc Statius cecinit:

> Quidquid es, æternus Phœbo dolor, et nova clades
> Semper eris, mutisque diu plorabere Delphis.
> Hæc Tenedon, Cyrrhamque dies, partuque ligatam
> Delon, et intonsi claudet penetralia Branchi:
> Nec Clarias hac luce fores, Didymæaque quisquam
> Limina, nec Lyciam supplex consultor adibis.
> (*Stat.*, *lib.* VIII *Thebaid.*, *longe post init.*)

ARTICULUS III.

De variis scriptoribus ab Arnobio citatis, quorum nomina ordine alphabetico exhibentur.

Plures Arnobius suis in libris citavit scriptores,
B quorum testimonio et autoritate aut dogmata sua stabilit et confirmat, aut gentilium errores confutat et destruit. Eos autem ordine, ut aiunt, alphabetico cæteris omnibus faciliore et clariore nunc appellabimus, et quid de illis ab aliis auctoribus traditum sit, breviter, ac pro virili parte nostra exponere conabimur.

Ælius itaque simpliciter ab Arnobio nostro laudatur, diciturque in aliam, quam Piso et de Novensilibus diis et de Musis ivisse sententiam. Sed duo in primis fuerunt Ælii nomine nuncupati. Primus enim enim est C. Ælius Stilo, quem Varro a Pisone de lacu Curtio dissensisse his verbis testificatur: « In foro lacum Curtium a Curtio dictum constat. De eo triceps historia. Nam et Procilius non
C idem prodidit quod Piso; nec quod is C. Ælius Stilo secutus » (*Varr.*, *l.* IV *de Ling. lat.*, *p.* 36). Alibi vero asserit eum in latinis litteris fuisse exercitatum, citatque illius interpretationem carminum Saliorum, et aliud ejus commentarium, sed utrobique C. Ælius vocatur (*Idem*, *l.* VI, *p.* 70, 76).

Duplex vero Ælii fuisse cognomen perhibet Suetonius, qui hæc de illo memoriæ prodidit: « Lucius Ælius cognomine duplici fuit. Nam et Præconius, quod pater ejus præconium fecerat vocabatur; et Stilo, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat: tantus optimatum fautor, ut Quintum Metellum Numidicum in exilium comitatus sit. » (*Sueton.*, *de Illustrib. Grammat.*, *cap.* 3.) De Præconini quoque cognomine sic scripsit Plinius:
D « Vulgo purpura latiore tunicæ usos invenimus etiam præcones, sicut patrem L. Ælii Stilonis Præconini, ob id cognominati » (*Plin.*, *l.* XXXIII *Natur. Hist.*, *c.* 1, *p.* 16; *et l.* VII, *c.* 1, *p.* 558). Unde postea solo Stilonis Præconini nomine laudatur. Hunc A. Gellius L. Ælium, aut Ælium simpliciter, sed doctum, et alibi eruditissimum, ac Varronis magistrum appellat. Simili quoque modo Ælius Stilo, aut Ælius tantum quandoque a Festo nuncupatur (*Gell.*, *l.* II *Noct. att.*, *c.* 21, *p.* 158, *et l.* III, *c.* 3, *p.* 218, *et l.* V, *c.* 20, *p.* 357, *et l.* XVI, *c.* 8; *Fest.*, *de verbor. Signif.*). Nonne porro et ille ipse est, de quo Cicero scripsit: Philosophica dogmata, « post L. Ælii nostri occasum, ne a Latinis quidem peti

poterant? » (*Cicer., lib.* i *Academ. pag.* 4, *lin.* 44). A

At certe de illo Lucio Ælio Stilone hæc idem Cicero scriptis mandavit : « Cottæ pro *se* » (quidam delendum suspicantur illud *se*) « lege varia, quæ inscribitur, eam L. Ælius scribit Cottæ rogatu. Fuit is omnino vir egregius, et eques Romanus, cum primis honestus, idemque eruditissimus, et græcis litteris et latinis : antiquitatisque nostræ, et in inventis rebus, et in actis, scriptorumque veterum litterate peritus; quam scientiam Varro noster acceptam ab illo, auctamque per se vir ingenio præstans, omnique doctrina pluribus et illustrioribus litteris explicavit. Sed idem Ælius stoicus esse voluit, orator autem nec studuit unquam, nec fuit. Scribebat tamen orationes, quas alii dicerent, ut Q. Metello, ut Q. Cæpioni, ut Q. Pompeio Rufo; B quamquam is etiam ipse scripsisset eas, quibus post se est usus, sed non sine Ælio. Iis enim scriptis etiam ipse interfui, cum essem apud Ælium adolescens, eumque audire perstudiose solerem » (*Cic., Brut., pag.* 229, *lin.* 16).

Fuit alter Ælius cognomine Tubero, qui, ut idem Cicero eodem in libro perhibet, orationes in Gracchum habuit, sed homo durus erat, secta stoicus, mediocris in dicendo, doctissimus id disputando. Quædam autem ejus verba a Cicerone transcripta refert A. Gellius, a quo ejus historiarum libri, aliæque lucubrationes, sicut a Dionysio Halicarnasseo, Festo, atque aliis citantur. Poteris præterea Vossium consulere (*Ibid., p.* 219, *lin.* 54; *A. Gell., lib.* xiv *Noct. att., c.* 2, *p.* 763; *lib.* vi, C *cap.* 3, *p.* 368, *cap.* 4, *p.* 370; *lib.* x, *cap.* 28, *p.* 573; *lib.* xiv, *cap.* 2, *p.* 763; *Dionys. Halic., lib.* i, *p.* 6 *et* 67; *Voss., lib.* i *de Hist. lat., lib.* i, *cap.* 9).

Quis autem ex his duobus ab Arnobio laudetur, si quæras, respondebimus vero esse similius primum Ælium Stilonem ab eo citari. Cujus sane in opinionis confirmationem proferri possunt citata a nobis Varronis verba, quibus discrepantem hujus Ælii a Pisone, quemadmodum ait Arnobius noster, sententiam retulit. Nec multum sane interest utrum ab eodem Varrone C. Ælius, aut ab aliis L. Ælius nominetur. Una enim littera in aliam potuit facile a librariis commutari.

Æthlii testimonio post Clementem Alexandrinum Arnobius, ut supra vidimus, usus est. De illo autem D Vossius, et nos jam aliquid in superiore Apparatus nostri tomo diximus (*Arnob., lib.* vi, *p.* 196; *Vossius, lib.* iii *de Histor. græc., p.* 316; *tom.* i *Apparat., p.* 735).

Antias, seu Q. Valerius Antias grande annalium opus ediderat, cujus liber secundus ab auctore nostro et Macrobio (*Arnob., lib.* v, *p.* 154; *Macrob., lib.* i *Saturnal., cap.* 13); vicesimus vero quartus, quadragesimus quartus, ac septuagesimus quintus hic A. Gellio citantur. Sæpe etiam ab auctor a Livio, et Plinio, atque alicubi a Dionysio Halicarnasseo, et Originis gentis romanæ scriptore laudatus est (*Gell., lib.* i *Noct. att., c.* 7, *et lib.* vii, *c.* 9, *et alibi; Liv., lib.* xxxiii; *Plin., lib.* xiii, *c.* 13, *p.* 58; *Dion. Halicarn., lib.* i, *p.* 6; *Auct. Orig. gent. rom., p.* 299).

Antiochum testem producit Arnobius, sed post Clementem Alexandrinum, uti a nobis alicubi observatum, ubi de hoc scriptore agendi sese occasio obtulit (*Arnob., lib.* vi, *p.* 193; *tom.* i *Apparat., p.* 725 *et* 817).

Apollodorum eodem plane modo testem Arnobius adhibet; sed ostendimus plures eo nomine fuisse appellatos (*Arnob., lib.* iv, *p.* 144; *tom.* i *Appar., p.* 1192 *et* 1256).

Arianus Epicteti, sicut auctor noster attestatur, documenta approbaverat. Et recte quidem. Nam ille, qui patria Nicomediensis fuit, historicus et philosophus, Epicteti dissertationes digessit Quintum autem earum librum A. Gellius citat : sed quatuor tantum typis editæ nobis supersunt. Videsis Vossium, Gesnerum, et in citatos Gellii locos annotationes (*Arnob. lib.* ii, *p.* 90; *Gell., lib.* i, *c.* 2, *lib.* xxvii, *c.* 19; *lib.* xxix, *c.* 2; *Voss., lib.* ii *de Hist. græc., c.* 11, *p.* 15).

Butas ab Arnobio, *in Causalibus*, scripsisse traditur fas mulieribus non fuisse myrteas verbenas in Bonæ deæ inferre sacellum. At quidam ibi non *Butas*, sed *Plutarchus* legendum suspicantur. Nec fortassis immerito (*Arnob., lib.* v, *p.* 188; *Plutarch., tom.* ii, *p.* 268). Nam Plutarchus id revera in *Quæstionibus Romanis*, quæ græce Ῥωμαϊκὰ inscribuntur, eam quæstionem proponit, ac solvit. Cur autem hanc quæstionem Arnobius (*Lib.* i, *p.* 37) *Causalia* vocaverit, ea forsitan ratio reddi potest, quod propositarum quæstionum causas et rationes afferre nititur. Si quis tamen Butæ *Causalia* nobis indicaverit, in eo protinus acquiescemus.

Cæsellius grammaticus celebratissima lectionum antiquarum commentaria, ab A. Gellio sæpius citata, publici juris fecit. Huic autem cognomen *Vindici* fuisse testificatur (*Gell., lib.* ii *Noct. att., c.* 16; *lib.* iii, *c.* 16; *lib.* vii, *c.* 11, *lib.* ii, *c.* 14; *lib.* xi, *c.* 15; *lib.* xxviii, *c.* 11, *lib* ii, *c.* 2).

Cæsii nomen duo in primis poetæ prætulerunt (*Arnob. lib.* iii, *p.* 123). Horum unus fuit, qui insulsus malusque poeta his Catulli ad Calvum Licinium oratorem versibus notatur :

Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia, Cæsios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena.
Ac te his suppliciis remunerabor.
(*Catull., epigr.* 13.)

Alter *Cæsius*, cognomento *Bassus*, poeta lyricus, Neronis ætate floruit, quem Persius sic affatur:

Admovit jam bruma foco te, Basse, Sabino,
Jamne lyra, et tetrico vivunt tibi pectore chordæ,
Mire opifex, numeris veterum primordia rerum,
Atque marem strepitum fidis intendisse latinæ;
Mox juvenes agitare jocos, et pollice honesto
Egregios lusisse senes.
(*Pers., satir.* 6.)

Britannicus autem in suis ad hæc carmina annotionibus observat Fabium de illo sic scripsisse :

« Lyricopum Horatius fere solus legi dignus. Nam insurgit aliquando, et plenus jucunditatis et gratiæ et variis verbis et felicissime audax. Si quem adjicere velis, is Cæsius Bassus erit, quem nuper vidimus. »

Quis autem ex his duobus, aut ex aliis, si qui ab his diversi fuerint, ab Arnobio citetur, dictu haud facile. Si tamen illum de Cæsio Basso loqui probaveris, non refragabimur. Videsis Vossium de poetis latinis (*Voss.*, *Poet. lat.*, *p.* 17 *et* 44).

Cincii ab auctoritate plura Arnobius repetit. Vetustissimis autem historicis a Dionysio Halicarnasseo his verbis annumeratur : « Nec absimiles historias ediderunt quotquot Romani homines urbis suæ res gestas græco sermone scripserunt, quorum vetustissimi Q. Fabius et L. Cincius, Λεύκιος Κίγκιος, ambo æquales bellis Punicis. Horum uterque ea quibus ipse interfuit, ut probe sibi cognita, diligenter mandavit litteris. Quæ vero olim post Urbem conditam deinceps consecuta sunt, contentus fuit summatim percurrere » (*Arnob.*, *lib.* III, *p.* 122; *Dion. Halic.*, *lib.* I, *p.* 6 *et* 16). Ab eo postea vir *senatorii ordinis*, et a Livio *maximus* auctor appellatur, nisi in hoc Livii loco, pro *maximus*, ut in quibusdam editis *maxime* censeas legendum (*Liv.*, *lib.* XXI, *c.* 38). Illius porro librum de Fastis citavit Macrobius : Gellius vero varia libri ejus de re militari fragmenta transcripsit. Plura de eo Vossius, quem si lubet, adire poteris (*Macrob.*, *lib.* I *Saturnal.*, *c.* 12; *Gell.*, *lib.* XVI *Noct. Att.*, *c.* 4; *Voss.*, *de Hist. græc.*, *lib.* IV, *c.* 13, *et de Hist. lat.*, *lib.* I *c.* 4).

Clodius prænomine *Sextus*, ab Arnobio, in eorum, quæ de Fauno dicebat, testis hunc citatur in modum : *Sextus Clodius indicat in sexto de diis græco.* Sed suspicati sunt aliqui corruptum esse hoc ultimum verbum, ac restituendum *Græcorum*. Sed hi non legerant illum Lactantii locum, ubi Arnobium nostrum præceptorem suum, sic sequitur : « Sextus Clodius in eo libro quem græce scripsit, refert Fauni hanc uxorem fuisse » (*Arnob.*, *lib.* V, *p.* 168; *Lact.*, *lib.* I, *c.* 22, *p.* 127). Nam inde facile colligitur in Arnobii textu scriptum non fuisse *Græcorum*, sed potius *græce scripto*, vel quid simile.

Ad Clodium, quod spectat, quidam autumant eum esse cujus liber, *Index temporum* inscriptus, a Plutarcho laudatur (*Plutarch.*, *in Vita Num. Pomp.*, *p.* 52). Sed utrumque hic *Sexto* fuerit prænomen, nemo probavit. Alius autem, cui utrumque prænomen, et nomen convenit, a Suetonio claris rhetoribus adjungitur : « Sextus, » inquit, « Clodius e Sicilia, latinæ simul et græcæ eloquentiæ professor male oculatus, et.... Antonio gratus, quo mox consule, ingens etiam congiarium accepit, ut ei in Philippicis Cicero objicit : Adhibes joci causa magistrum suffragio tuo et compotorum tuorum rhetorem.... duo millia jugerum campi Leontini Sexto Clodio rhetori assignasti, et quidem immunia; ut tanta mercede nihil sapere disceres » (*Suet.*, *de Clar. Rhet.*, § 5, *p.* 841). Et hæc quidem Ciceronis verba in illius Philippica secunda adhuc occurrunt (*Cic.*, *Philipp.* II, *p.* 495). Atqui huic rhetori, uti vides, non modo memoratum ab Arnobio nomen ac cognomen competit, sed illud etiam, quod græce doctus dicatur. Utrum vero is ipse sit, qui libros de diis græce edidisse perhibetur, expende, quæso, et pronuntia.

Cornificii singularem de Novensilibus diis sententiam retulit Arnobius (*Arnob.*, *lib.* III, *p.* 122). Testatum autem nobis Macrobius fecit plures ab illo editos fuisse Etymorum libros, cujus tertium hisce totidemque citavit verbis : « Cornificius Etymorum lib. III Cicero, » inquit, « non Janum, sed Eanum nomina ab eundo » (*Macrob.*, *lib. Saturnal.*, *c.* 6, *p.* 212). Alibi vero quosdam de Centauris versus ab illo *in Glauco* decantatos transcripsit (*Ibid.*, *lib.* VI, *c.* 4, *p.* 486). At nonne hinc colligi potest ipsum esse de quo Eusebius in Chronico sic loquitur : « Cornificius poeta a militibus destitutus interiit, quos sæpe fugientes galeatos lepores appellabat. Hujus soror Cornificia, cujus exstant insignia epigrammata » (*Euseb.*, *Chron. ad ann.* 1976). Non dubitat Vossius quin is idem sit, atque Virgilii obtrectator, de quo in vita ejus apud Donatum (*Voss.*, *de Poet. lat.*, *p.* 22). Sed dubius hæret an ille fuerit, ad quem adhuc leguntur Catulli epigramma (*Catull. epigram.* 36), ac Ciceronis epistolæ; utrum etiam ab eo profecta sint Rhetorica ad Herennium, quæ falso Ciceronis nomine inscribuntur. Nobis porro haud ægre persuadebitur hunc Cornificium, de quo Arnobius loquitur, ipsum esse, cujus libros Etymorum paulo antea observabamus a Macrobio citari.

Crates adhuc ab auctore nostro laudatus, haud dubie grammaticus ille fuit, de quo alibi disseruimus (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 121; *tom.* I *Apparat.*, *pag.* 147 *et* 1259).

Cronius in ultima librorum Arnobii editione nominatur, ubi hæc ille dixit : « Vos Platoni, vos Cronio, vos Numenio creditis » (*Arnob.*, lib. II, *pag.* 49). Sed in manuscripto regio codice pro *Cronio* legitur *Crotonio*. Is autem quis fuerit, cum ignoretur, corruptum nomen esse putaverunt. At quomodo emendari debeat, pro suo unusquisque ingenio conjecit. Canterus quippe opinatur legendum *Protonio*, seu *Prothomo*, vel potius *Prothomio*, de quo Apuleius : « *Sat e Protomo*, » inquit, « gloria est, qui talis fuit, ut ejus nepotem non puderet. » (*Apul.*, *lib. de Deo Socrat.*, *sub. fin.*) Verum quid ad Arnobii institutum hæc Apuleii verba conducant, nobis certe non liquet. Quamobrem plures alii scribendum putant *Plotino*, atque in suspicionis hujus confirmationem proferri possunt hæc Theodoreti verba : Αὐτίκα τοίνυν τὴν Πλάτωνος διάνοιαν ἀναπτύσσοντες, καὶ ὁ Πλωτῖνος, καὶ ὁ Νουμήνιος (*Theodor.*, *serm.* 2, *de principio*, *tom.* IV, *pag.* 500). *Itaque Plotinus et Numenius*, *Platonis mentem explicantes.* Nonne enim, inquiunt, tres hi sunt recentiores philosophi, quorum

mentionem Arnobius fecit? Sed de quibuslibet philosophis eum agere quivis hunc locum attente legerit, non diffitebitur. Nonne etiam imperito, ut sæpius diximus, librario facilius fuit pro *Cronio*, scribere *Crotonio*, quam *Plotino?* At certe si prior lectio, *Cronius*, omnino non displiceat, poterit Eusebii auctoritate stabiliri. De Origene etenim sic scribit: « Numenii quoque, et Cronii, Νουμηνίου, καὶ Κρονίου, Apollophanis, et Longini, Moderati etiam et Nicomachi, et aliorum, qui inter Pythagoricos præcipui habentur, scripta quotidie in manibus habebat » (*Euseb.*, *lib.* VI *Eccles. histor.*, *cap.* 19, *pag.* 220). Si ergo Cronius et Numenius præcipui inter Pythagoricos revera fuerint, quid prohibet quominus ii dicantur, quibus ethnici, uti ait Arnobius, fidem habebant? (*Arnob.*, *l.* I *p.* 31; *tom.* I *Apparat.*, *p.* 1259.)

Ctesiæ primus historiarum liber ab illo etiam citatur. De hoc autem scriptore a nobis alibi actum est. Varia autem librorum ejus fragmenta post Herodoti libros collecta reperies.

De Diagora quoque Melio, qui deos, sicut ait Arnobius, homines fuisse existimabat, alibi atque in hac etiam dissertatione disputavimus (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 147; *supr.*, *cap.* 9, *art.* 1; *Dissert. in Minuc.*, *cap.* 10, *art. ult.*; *et Apparat. tom.* I, *pag.* 147).

Ennii celebris est apud antiquissimos scriptores, Livium. A. Gellium, et poetas Ovidium, Lucretium, atque alios, sed sæpius apud Ciceronem mentio. Narrat autem Arnobius, ac post eum Lactantius, ab illo latine redditos Euhemeri Agrigentini libros, quibus deos homines fuisse demonstrabat (*Lactant*, *lib.* I, *cap.* 11, *pag*, 62, *et lib. de Ira Dei*, *cap.* 11, *pag.* 794), Sed id delibatum est ex Cicerone, qui dixerat: « Quæ ratio maxime tractata ab Euhemero est, quem noster et interpretatus et secutus est, præter cæteros, Ennius » (*Cicer. l.* I *de Natur. deor.*, *p.* 212, *lin.* 34).

Ephorus quid de Musarum numero censuerit, refert Arnobius. Sed de hoc Scriptore non semel disseruimus (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 12; *tom.* I *Apparat.*, *pag.* 545 *et* 1292),

Epicadius tamquam grammaticus illustris ab eodem Arnobio nostro laudatur (*Arnob.*, *lib.* I, *p.* 37). Nonne autem is ipse est, quem in Grammaticorum celebrium numero Suetonius hic verbis reposuit? « Cornelius Epicadus, Lucii Cornelii Syllæ dictatoris libertus, calatorque sacerdotio augurali, filioque ejus Fausto gratissimus fuit; quare numquam non utriusque se libertum edidit. Librum autem, quem Sylla novissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit » (*Sueton.*, *de Illustris. Gramm.*, § 12).

Epicharmi de Marte sententiam post Clementem Alexandrinum Arnobius, ut supra vidimus, ethnicis objicit. At de hoc poeta, et de variis ejus opinionibus et factis, in primo Apparatus nostri tomo sermonem sæpius fecimus (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 143; *tom.* I *Apparat.*, *pag.* 861, 866, 867, 869, 1031, 1114, 1205, *et Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 90).

Epictetus philosophus præceptor fuit Arriani, qui illius dissertationes, ut paulo ante ex A. Gellio animadvertimus, digessit. Plura Suidas narrat de ejus vita, et scriptis (*Suid.*, *ad verb.* ἐπίκτητος). Gesnerus vero, quæ ex his aut edita, aut non edita sint, indicat (*Gesner in Biblioth.*). Denique Stobæus varias ejus, atque Epicharmi sententias et præclare dicta descripsit.

Euhemeri libros de diis, sicuti proxime monuimus, Ennius latinum transtulit in sermonem. Sed de hoc Euhemero quædam superius annotavimus, quemadmodum in superiore Apparatus nostri tomo. Lactantius vero declarat illum Messana civitate oriundum, suam historiam ex titulis et sacris institutionibus condidisse (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 147; *sup.*, *cap.* 9, *art.* 1; *tom.* I *Apparat.*, *pag.* 785; *Lactant.*, *lib.* I *Institut.*, *cap.* 11, *pag.* 62 *et lib. de ira Dei*, *cap.* 16, *pag.* 794).

Fabius ab Arnobio unus ex iis nuncupatur, qui multa de Toli patre, patria, et morte posteris tradiderunt (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 194). Sed plures eo nomine sunt vocati, quorum duo his Ciceronis verbis celebrantur: « Ser. Fabius Pictor, et juris et litterarum, et antiquitatis bene peritus. Quintusque Fabius Labeo fuit ornatus iisdem fere laudibus » (*Cicer.*, *in Brut.*, *pag.* 214). Alius adhuc fuisse perhibetur Fabius Maximus Servilianus Pontifex, qui Macrobio attestante, in libro duodecimó negabat atro die parentandum (*Macrob. lib.* I *Saturnal.*, *cap.* 16, *pag.* 247). Hunc autem quidam cum Fabio Pictore confudisse arguuntur. Alii quoque Fabii fuerunt, ut Fabius Cæcilianus, et Fabius Rusticus. At Fabium Pictorem ab Arnobio citatum fuisse probari potest Ciceronis, Plinii, et A. Gelii auctoritate, qui scriptos ab eo Annales memorant. Quid vero, quod ab Dionysio Halicarnasseo et *Romanorum Scriptorum antiquissimus*, et historias composuisse dicitur. Denique Gellius legerat hos Fabii Pictoris Annales, bonæ atque sinceræ, ut ille ait, vetustatis libros, quos venditor sine mendis esse jactitabat. Ex libro autem illius primo excerpsit Dionysius verba, quæ Pontificem Maximum dicere oportebat, cum virginem capit. Alibi vero longum ejus fragmentum exhibet (*Cicer.*, *lib.* I *de Divin.*, *pag.* 269; *Plin.*, *lib.* X *Hist. natur.*, *cap.* 4, *pag.* 416, *et lib.* XIV, *pag.* 142; *Gell.*, *lib.* I *Noct. Attic.*, *cap.* 12, *pag.* 60, *et lib.* V, *cap.* 4, *pag.* 322, *et lib.* X, *cap.* 5, *pag.* 527; *Dionys. Halic.*, *lib.* I *Antiquit. rom.*, *p.* 5, *et lib.* VII, *pag.* 475).

Flaccus, quem ob grammaticæ peritiam Arnobius laudavit (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 37, *et lib.* V, *pag.* 169), is M. Verrius Flaccus est, qui quidem quis fuerit, aut quo tempore vixerit, his Suetonius verbis enarrat: « Verrius Flaccus libertinus, docendi genere maxime inclaruit. Namque ad exercitanda discentium ingenia, æquales inter se committere solebat, proposita non solum materia, quam scriberent, sed præmio quod victor auferret. Id erat liber aliquis antiquus, pulcher, aut rarior. Quare ab Augusto ne

potibus ejus præceptor electus, transiit in palatium cum tota schola; verum ut ne quem amplius posthac discipulum reciperet : docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars palatii tunc erat, et sestertia centena in annum accepit. Decessit ætatis exactæ sub Tiberio. Statuam habet Præneste, in inferiori fori parte contra Hemicylum, in quo fastos a se ordinatos et marmoreo æri incisos publicarat. » (*De illustr. Gramm.*, § 17.) Quamobrem Eusebius in Chronico ad annum Christi nonum, cum Augustus adhuc Romanis imperaret : « Athenodorus Tarsensis, » inquit, « Stoicus philosophus, et M. Verrius Flaccus grammaticus insignes habentur. » Ab A. autem Gellio primus illius *rerum memoria dignarum* liber, et quartus de verborum significatione, ac *de obscuris Catonis* secundus, et alia ex hisce operibus desumpta citantur. Sæpe etiam a Plinio laudatur, et quædam ejus verba Macrobius retulit (*Gell.*, *lib.* IV *Noct. Att.*, *cap* 5, *p.* 283, *lib.* V, *cap.* 17, *p.* 349; *cap.* 18, *p.* 351 ; *lib.* XVI, *cap.* 14 ; *lib.* XVII, *cap.* 18; *lib.* XVIII, *cap.* 17 ; *lib.* XX, *cap.* 7 ; *Macrob.*, *lib.* I *Saturn.*, *cap.* 6, *p.* 198).

Granius bis terque ab Arnobio testis appellatus, is ipse videtur Granius Flaccus, qui narrante Macrobio, scripserat rem divinam Apollini et Libero in eodem monte celebrari (*Arnob.*, *lib.* III, *p.* 118 *et* 122, *et lib.* VI, *p.* 194 ; *Macrob.*, *lib.* I *Saturnal.*, *cap.* 18, *p.* 263). Prius vero idem Macrobius dixerat, *apud Granium Licinianum libro secundo*, causam proferri cur nundinis feriæ sint (*Ibid.*, *cap.* 16, *p.* 248). Sed ibi pro *Granium*, in margine *Caium*, repositum legimus. A Plinio etiam Granius quidam laudatur, sed ibi cum de medicamentis instituatur disputatio, illum medicum fuisse autumant (*Plin.*, *lib.* XXVIII *Hist. natur.*, *p.* 572). Vero itaque similius est Arnobium de priore esse intelligendum ; ut pote qui de diis opus aliquod publicasse videatur. Nam Arnobius illius opinionem de Musis et Tolo perstringit (*Arnob.*, *lib.* V, *p.* 177).

Heraclitos quinque Laertius recenset, quibus tres alios addidit Menagius (*Laert.*, *lib.* IX *in Vit. Heraclit.*, § 17 ; *Men.*, *in hunc Laert. locum*). Quæ autem ex Heraclito auctor noster retulit de Liberi et Prosymni fabula, magis convenire videntur aut Heraclito Allegoriarum homericarum auctori, aut Heraclito poetæ lyrico, qui duodecim deorum laudes decantaverat (*Arnob. lib.* III, *p.* 31).

Hermippus qui magum Zoroastrem, ut notat Arnobius, Bactrianum fuisse asseruit, nonne ille est, de quo Plinius : « Hermippus, qui de tota, inquit, arte magica diligentissime scripsit, et vicies centum millia versuum, a Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum ejus positis, explanavit. » De illo plura Vossius, quem consule (*Plin.*, *lib.* XXX *Hist. natur.*, *cap.* 1, *pag.* 725 ; *Voss.*, *lib.* III *de Hist. græc.*, *cap.* 16, *p.* 102 et 103).

Hippo Melius inter atheos censebatur, de quo nos haud semel disputavimus (*Arnob.*, *lib.* IV, *p.* 147; *Sup.*, *cap.* 9, *art.* 1, *et tom.* I *Apparat.*, *p.* 785).

Leandri seu Leandrii testimonium ex Clemente Alexandrino Arnobius, uti diximus, protulit. Sed jam illius in primo Apparatus nostri tomo mentio a nobis facta est (*Arnob.*, *lib.* VI, *p.* 193 ; *supr.*, *cap.* XIX, *art.* 1 ; *tom.* I *Apparat.*, p. 870, *et* 1218 *et seqq.*).

Leo Pellæus, inquit auctor noster, in eorum grege a gentilibus annumerabatur, qui illorum deos negabant. Verum de illo, et in hac dissertatione, et alibi egimus (*Arnob.*, *lib.* IV, *p.* 147 ; *supr.*, *cap.* 9, *art.* 1 ; *tom.* I *Apparat.*, *p.* 785).

Lucilianum Fornicem citat Arnobius a Lucilio satirico poeta haud dubie compositam (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 45). Patria is Aruncanus erat, uti ex his colligitur Juvenalis versibus :

Cur tamen hoc libeat potius decurrere campo (1)
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus.
(*Juvenal.*, *satir.* 1, *vers.* 19 *et* 20.)

Et postea hæc de illius satyris cecinit :

Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant præcordia culpa.
(*Ibidem*, *sub. fin. satir.*)

Persius quoque :

Secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis.
(*Pers.*, *sub fin satir.* 1.)

Primam ille Lucilius, teste Plinio (*Plin.*, *lib.* I *Natur hist.*, *p.* 4), satiram condidit. Unde Horatius :

Et Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem ;
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsus turpis.
(*Horat.*, *lib.* II, *satir.* 1, *vers.* 93.)

Quintilianus autem Plinio et Horatio suffragatur, hocque de Lucilio illiusque scribendi genere reddit testimonium : « Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores ; ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis tantum ab Horatio (*Lib.* I, *satir.* 4, *vers.* 6 *et seqq.*) dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, et esse aliquid quod tollere possis, putat. Nam eruditio in comira, et libertas, atque inde acerbitas, et abunde salis » (*Quintil.*, *lib.* X *Institut.*, *cap.* 1, *p.* 157 *et seqq.*). Verumtamen idem ipse Horatius, quamvis dixerit durum et lutulentum esse Lucilii sermonem, eum tamen facetum et emunctæ naris fuisse profitetur. Quamobrem alibi canit :

At idem quod sale multo
Urbem defricuit ; charta laudatur eadem.
(*Horat.*, *lib.* I, *satir.* 10, *vers.* 30 *et seqq.*)

Lucilii quoque sales agnovit Cicero (*Cicer.*, *lib.* I *de Finib.*, *p.* 40, *et lib.* II *de Orat.*, *p.* 12), qui quosdam illius versus descripsit, et longe plures A. Gellius in suis Noctium Atticarum libris. Denique Eu-

(1) Id est *Satirico*.

sebiano in Chronico Lucilii ortus et obitus sic notatur. « Lucilius poeta nascitur. » Tum deinde : « Caius Lucilius, satirarum scriptor, Neapoli moritur, ac publico funere effertur anno ætatis 46 » (*Euseb. Chr., ad ann.* 1869 *et* 1914).

Manilii de Novensilibus diis opinionem aliis ethnicis Arnobius noster opposuit. Nonne itaque ille est, cujus sententias de Europa, Titanide, Casco, et Casca a Varrone expositas legimus? Nonne etiam ipse est, qui a Plinio appellatur diligentissimus togatorum, ac senator; et doctore nullo, maximis nobilis doctrinis. Ab A. autem Gellio viris apprime doctis; a Cicerone, litteratis, et ad dicendum, respondendum, atque agendum peritis adscribitur (*Arnob., lib.* III, *p.* 129 *et seqq.*; *Varr., lib.* IV *de Ling. lat., p.* 10, *et lib.* VI, *p.* 74 *et* 76; *Plin., lib.* X *Natur. hist.*, *cap.* 2, *p.* 389; *Gell., lib.* 17 *Noct. Attic., cap.* 7, *p.* 937; *Cicer., in Bruto, p.* 118, *et lib.* I *de Orat., p.* 129).

Mnaseas, ab aliis, ut ait Arnobius, de Musarum parentibus et numero plurimum dissentiebat : sed quis fuerit, in dubium vocari potest (*Arnob., lib.* III, *p.* 122). Plures enimvero hoc nomine appellati sunt. Unus autem ex iis, si credas Suidæ, Berytius de Arte rhetorica, et nominibus atticis scripsit. Alterum laudat Athenæus, Λοκρὸν καὶ Κολοφώνιον, *Locrum seu Colophonium*, qui inscriptos lusus composuit, ob varietatem *Salpem*, nominatos (*Suid., ad verb.* Μνασέας ; *Athen., lib.* VII *Deipnos., p.* 321). Tertius his multo celebrior, et crebrius a variis scriptoribus citatus, Mnaseas est Patarensis seu Patrensis, cujus Europicorum libri ab eodem Athenæo non semel citantur (*Idem, ibid., lib.* IV, *p.* 158, *et lib.* VII, *p.* 296, *et lib.* XII, *p.* 530). De diis autem sermonem in illis haud dubie instituerat. Nam inde Suidas collegit Praxidicen deam fuisse cujus soror Ctesiam genuit (*Suid., ad verb.* πραξιδίκη). Epaphum vero, uti et Plutarcho discimus, apposuit Liberum, Osiridem et Serapim. Quid ergo vetat, quominus credamus hunc esse quem Arnobius de Musis disputasse testificatur. Plura de Mnasea apud Vossium, et alios invenies (*Plutarch., lib. de Isid. et Osirid., tom.* II, *p.* 365 ; *Voss., lib.* I *de Histor. græc., cap.* 21, *p.* 134).

Myrtili seu Myrsili, inquit Arnobius, peculiaris erat de Musis opinio. Sed de hoc auctore, illiusque sententia in priore Apparatus nostri tomo egimus (*Arnob., lib.* III, *pag.* 121; *tom.* I *Apparat., p.* 785).

Nicagoram Cyprium gentiles, sicuti Arnobius narrat, atheismi postulabant. Nos vero de illo etiam et in hac dissertatione, et alibi disseruimus (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 147; *supr., cap.* 9, *art.* 1; *et tom.* I *Apparat., pag.* 769 *et* 785).

Nigidius ter ab auctore nostro laudatus, Ciceronis ætatem florebat (*Arnob., lib.* III, *pag.* 119, 123 *et* 124). Celebris scriptor fuit, vir prætorius, humanorum artium, philosophiæ, astrologiæ, et medecinæ consul-

A tissimus. Extat autem Ciceronis fragmentum, ubi hujus P. Nigidii doctrina, sicuti a Macrobio, A. Gellio, et Servio, commendatur (*Cic. fragm., pag.* 25; *Macrob., lib.* VI *Saturnal., cap.* 8, *pag.* 495 ; *Gell., lib.* 19 *Noct. Att., cap.* 14; *Serv., in lib.* X *Æneid., pag.* 585). Ad eum autem ipsum orator latinus hæc in verba scripsit : « Nunc P. Nigidio, uni omnium doctissimo et sanctissimo, et maxima quondam gratia, et mihi certe amicissimo, ne benigne quidem polliceri possum (*Cicer., lib.* IV, *Epist.* 13). » Ab A. Gellio et aliis Figulus cognominatur (*Gell., lib.* VI *Noct. Att., cap.* 6), quo nomine a Lucano his versibus magnopere extollitur :

At Figulus, cui cura deos secretaque cœli
Nosse fuit, quem non stellarum Ægyptia Memphis,
B Æquaret visu, numerisque moventibus astra.

(*Lucan., lib.* I, *vers.* 639 *et seqq.*)

Cur autem hoc cognomen illi datum sit, his Augustinus verbis explicat : « Frustra asseritur nobile illud commentum, de figuli rota, quod respondisse ferunt Nigidium, hac quæstione turbatum, unde et Figulus appellatus est (*August., lib.* V *de Civit., cap.* 3, *pag.* 116). Porro autem quando et quomodo mortem obierit, si quæras, audi Eusebiani chronici auctorem : « Nigidius Figulus, Pythagoricis et magus, in exilio moritur (*Euseb., in Chron., ad ann.* 1973). » Denique varii illius libri, atque in primis commentarii grammatici ab A. Gelio sæpe sæpius citantur.

C Nisus in grammaticorum numero ab Arnobio reponitur. Velius autem Longus mentionem illius frequenter fecisse legitur, et scriptos ab eo Fastorum libros Gesnerus memorat (*Arnob., lib.* I, *pag.* 37; *Vel. Long., de Orthograph.*; *Gesner., in Biblioth.*).

Numenium Platoni et Cronio conjunxit Arnobius. Pythagoricus ille fuit, et ἀνὴρ ἐπιφανής, uti Eusebius testatur. Theodoretus vero qui illum Pythagoricum sæpe appellat, hæc de ipso et Plutarcho scripsit : Μετὰ γὰρ δὴ τὴν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφάνειαν αὐτοὶ γενόμενοι, τῆς χριστιανικῆς θεολογίας πολλὰ τοῖς οἰκείοις ἀνέμιξαν λόγοις. *Hi namque cum post adventum Salvatoris nostri existerent, multa christianæ theologiæ suis libris inseruerunt*. At de illo jam supra, et tomo primo Apparatus nostri diximus (*Arnob., lib.* I, *pag.* 49;
D *Euseb., lib.* II *Præpar. Evangel., cap.* 9, *pag.* 525; *Theodor., serm.* 2, *de Fide, tom.* IV, *pag.* 500; *supra, ad verb.* CRONIUS; *tom.* I *Apparat., pag.* 1115 *et* 1128, *ac seqq.*).

Orphei, seu, ut loquitur Arnobius, Threicii vatis libri ab ethnicis ferebantur *antiquitatis esse divinæ* ; haud dubie quia Græcum illum poetam, teste Lactantio, *æqualem ipsorum deorum*, et cum Hercule inter Argonautas navigasse credebant (*Arnob., lib.* V, *pag.* 175; *Lactant., lib.* I *Institut., cap.* 5, *pag.* 20).

Panyassis testimonium ex Clemente Alexandrino Arnobius nobis exhibet (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 144). Quod quidem a nobis supra observatum est, ac quis

ille fuerit, alibi demonstratum (*Supr.*, *cap.* 12, *art.* 1; *tom.* I *Apparat.*, *pag.* 810).

Patrocle de Thurio et Philostephano idem plane dicendum. De illis siquidem Clemens Alexandrinus, et nos post ipsum disputavimus (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 144, *tom.* I *Apparat.*, *pag.* 817 *et* 1208).

Piso, cujus Arnobius meminit, vocabatur. L. Calphurnius Piso Frugi (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 122). Quo de viro, ejusque cognomine Cicero hæc memoriæ mandavit : « Tanta virtute, atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus cum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur (*Cic.*, *orat.* 11, *pro M. Fonteio*, *pag.* 223, *lin.* 43). » De illius vero scriptis idem latius orator id alibi scriptum reliquit : « L. Piso tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis, Censorino et Manilio Coss. tulit. Ipse etiam Piso et causas egit, et multarum legum aut auctor, aut dissuasor fuit; isque et orationes reliquit, quæ jam evanuerunt, et annales sane exiliter scriptos (*Idem*, *de Claris. Orator.*, *seu Brut.*, *pag.* 218, *lin.* 2). » Gellius tamen asserit eum in iisdem Annalibus (*Gell.*, *lib.* VI *Noct. Att.*, *cap.* 9, *pag.* 379 *et lib.* II, *cap.* 14, *pag.* 698), quos idem adhuc Cicero, Varro, Plinius, Lactantiusque citaverunt, simplicissima suavitate rei et orationis esse usum, ac res ibi ab illo perquam pure et venuste narratas (*Cicer.*, *lib.* IX, *epist.* 22, *et lib.* II *de Orat.*, *pag.* 144; *Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 36; *Plin.*, *lib.* II *Hist. nat.*, *cap.* 55, *pag.* 207; *Lactant.*, *lib.* I, *cap.* 6, *pag.* 53). Plura de illo si velis, consule Macrobium, lib. I Saturnal., cap. 12, pag. 229, rursusque Ciceronem, lib. III Tusculan., pag. 166, Tertullianum, lib. de Spectacul., cap. 5, et Dionysium Halicarnasseum, lib. II *Antiquit. roman.*, pag. 105 et alibi.

Plutarchus Cheronæus de Herculis morte testis ab auctore nostro in librorum illius editionibus datus legitur (*Arnob.*, *lib.* IV, *pag.* 144). Sed in manuscripto codice regio, uti supra monuimus (*Sup.*, *cap.* 4, *art.* 4), scriptum est *Hieronymus Plutarchus*. Verumtamen cum ibi Arnobius Clementem Alexandrinum adhuc sequi videatur (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad Græc.*, *pag.* 19), hinc non levis omnino conjectura duci potest legendum esse *Hieronymus et Dicæarchus*. Ab illo enim uterque citatur. Nihil tamen in Arnobii textu temere mutandum arbitramur.

Polemonis de Minerva, ab Ornyto cæsa, testimonium ab auctore nostro citatum (*Ibid.*), ex eodem Clemente Alexandrino decerptum fuisse nullus (*Ib.*), qui utriusque scriptoris verba inter se componet, in dubium vocare poterit. Vide, si lubet, ea quæ a nobis in superiore Apparatus nostri tomo annotata sunt (*tom.* I *Apparat.*, *pag.* 762).

« Pomponii Marsyam, » ait Arnobius, « obsignatum memoria tenetis » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 45). Consularis ille vir, teste Plinio (*Plin.*, *lib.* VII *natur. Hist.*, *cap.* 19, *pag.* 38, *et lib.* XIV, *cap.* 4, *pag.* 129), et vates fuit, cujus vitam se scripsisse his declarat verbis : « Referentes vitam Pomponii secundi vatis,

A cœnamque quam principii illi, » Caio Cæsaris Germanici filio « dedit. » Hujus meminit Plinius secundus; Quintillianus autem hæc de illo litteris consignavit : « Eorum, quos viderim, longe princeps Pomponius secundus, quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore præstare confitebantur (*Plin. Secund.*, *lib.* III, *epist.* 5; *Quintil.*, *lib.* X *Institut.*, *pag.* 748). » Velleius autem Paterculus scribit eum « fuisse sensibus celebrem, verbis rudem, et novitate inventi a se operis commendabilem (*Patercul.*) *lib.* II *Hist.*, *longe post init.*). » Quod vero illud novum opus sit, docet Eusebius in Chronico : « L. Pomponius, » inquit, « Bononiensis, Atellanarum scriptor, clarus habetur (*Euseb. in Chron.*, *ad ann.* 1826). » Ex hac porro illius Atellanas scribendi arte, quam a B Mummio post Nonium et Pomponium suscitatam esse Macrobius asseverat, hæ proculdubio prodierunt fabulæ Mævia, Æditumi, Galli, Transalpini, et Porceta, quæ ab A. Gellio citantur (*Macrob.*, *lib.* I *Saturnal.*, *cap.* 10; *Gell.*, *lib.* X *Noct. Att.*, *cap.* 11, *lib.* XII, *cap.* 10, *et lib.* XVI, *cap.* 6). Quis itaque facile non concedat illam ex his unam fuisse, quam auctor noster Marsyam appellavit?

Posidippus semel atque iterum ab Arnobio, in Clementis Alexandrini vestigiis adhuc insistente laudatur. Narrat autem Suidas Posidippum comicum, Cassadrensem, Cynisci filium, tertio post Menandri mortem anno docuisse, ac triginta edidisse fabulas. Sed Vossius putat alium ab Arnobio et Clemente Alexandrino citari, quem in Græcorum historicorum C album retulit. Quædam autem Posidippi de draconibus carmina a Tzetze exhibentur. Sed utrum idem sit, qui ab Arnobio appellatur, dictu sane difficile. Gesnerus tamen non videtur hunc Posidippum a poeta distinguere (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 198 *et* 206; *Clemens Alexand.*, *Admonit. ad Græc.*, *pag.* 35 *et* 38; *Suid ad verb.* ποσιδιππος; *Tzetz.*, *hist. Chiliad.* 7, *hist.* 144, *p.* 184; *Gesner*, *in Biblioth.*).

Ptolomæus Agesarchi filius erat, cujus de Philopatore post Clementem Alexandrinum, uti alibi patefecimus, primus liber ab Arnobio nostro (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 193; *Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad Græc.*, *pag.* 29; *Sup.*, *cap.* 9, *art.* 1), secundus vero, et tertius ab Athenæo his citatur verbis : Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Ἀγησάρχου, Μεγαλοπολίτης γένος, ἐν τῇ δευτέρᾳ D τῶν περὶ τὸν Φιλοπάτορα ἱστοριῶν (*Athen.*, *lib.* VI, *Deipnosoph.*, *pag.* 246). *Ptolomeus Agesarchi filius*, *civis Megalopolitanus*, *libro secundo historiarum Philopatoris*. Et rursus alibi : Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Ἀγησάρχου ἐν τῇ τρίτῃ τῶν περὶ Φιλοπάτορα ἱστοριῶν (*Et lib.* X, *pag.* 425). *Ptolomæus Agesarchi filius libro tertio historiæ Philopatoris*. Legesis Nossium, lib. 1, de Hist. Græc., cap. 18, pag. 117.

Sammonici frequens apud varios Scriptores (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 194) mentio. Quis autem ille, et quo tempore vixerit, Macrobius hunc scribit in modum : « Temporibus Severi principis, qui ostentabat duritiem morum, Sammonicus Serenus, vir sæculo suo doctus, cum ad principem suum scriberet, faceret-

que de hoc pisce sermonem, verba Plinius, quæ superius posui, præmisit » (*Macrob., lib.* III *Saturnal., cap.* 16, *pag.* 347). Alibi vero ejus verba adhuc refert, citatque quintum illius *Rerum reconditarum* librum (*Ibid., cap.* 9, *pag.* 33, *et cap.* 17, *pag.* 351). At Capitolinus, ubi de Gordiano Cæsare, hæc de Sammoniaco posteris tradidit : « Sereno Sammoniaco, qui patri ejus amicissimus, sibi autem præceptor fuit, nimis acceptus et charus, usque adeo ut omnes libros Sereni Sammoniaci, patris sui, qui censebantur ad 62 millia, Gordiano minori moriens ille relinqueret. Quod eum ad cœlum tulit : siquidem tanta bibliothecæ copia et splendore donatus, in famam hominum litteratorum decore pervenit (*Capitolin., pag.* 367). Testatur autem Spartianus plurimos illius libros *ad doctrinam* suo adhuc tempore extitisse, et Antonino Getæ fuisse familiarissimos, eumque sub Caracalla inter nonnullos cœnantes occisum (*Spartian., in Caracall., pag.* 332, *et in Antonino Geta, pag.* 335).

Scaurum illustribus grammaticis auctor noster jure merito adscivit (*Arnob., lib.* I, *pag.* 237). Nam ab A. Gellio nobilissimus grammaticus (*A. Gell., lib.* XI *Noct. Att., cap.* 15, *pag.* 599), et Adriano imperante floruisse perhibetur : « Terentius, » inquit, « Scaurus divi Adriani temporibus grammaticus nobilissimus. » Gellio suffragium tulit Capitolinus, qui alium Scaurum, hujus filium, etiam grammaticum, Veri imperatoris præceptorem fuisse his de eodem imperatore significat verbis : « Audivit Scaurum, grammaticum latinum, Scauri Filium, qui grammaticus Adriani fuit » (*Capitolin., in Vit. Ver., circa init.*). Sed uterque a Lampridio Scaurinus appellatur. Ubi siquidem de Alexandro Severo verba facit : « Habuit Romæ, » inquit, « grammaticos Scaurinum Scaurini filium doctorem celeberrimum » (*Lamprid., in Vit. Alex. Sever. circa init.*). Quædam illius opera notavit Gesnerus, quem, si lubet, adire poteris (*Gesner., in Biblioth.*).

Sosibium compellando Arnobius Clementem Alexandrinum (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 144; *Clemens Alexandr., Admonit. ad Græc., pag.* 23; *tom.* I *Apparat., pag.* 816) sequitur. De illo autem alibi disputavimus (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 147; *Sup., cap.* 9, *art.* 1 *et tom.* I *Apparat., pag.* 785).

Theodorus Cyrenæus in atheorum numerum ab ethnicis cum aliis, quos supra nominavimus, aggregatus est. Sed de illo cæterisque hujuscemodi impiis hominibus non semel actum a nobis fuit.

Timotheum non ignobilem theologorum, nempe gentilium, *virum* appellat Arnobius (*Arnob., lib.* V, *pag.* 157). Sed quia pluribus commune fuit hoc nomen, quis iste sit nemo facile dixerit. Unus enim a Plutarcho citatur, Τιμόθεος ἐν ιά περὶ ποταμῶν (*Plutarch., lib. de Fluviis, pag.* 1151), *Timotheus, libro undecimo, de Fluminibus*. Alius fuit Timotheus Pergamenus, qui, ut alibi observavimus, librum de Fortitudine philosophorum composuerat (*tom.* I *Apparat., pag.* 1270). Tertius Milesius poeta, cujus varia opera et carmina, ab Athenæo citata invenies (*Athen., lib.* III *Deipnos., pag.* 122, *lib.* VI, *pag.* 142; *lib.* VIII, *pag* 338; *lib.* XI, *pag.* 465). Quartus Atheniensis, qui librum *de Vitis* περὶ βιῶν, haud dubie philosophorum, ut notat Laertius, juris fecit publici. Sed animadvertit Menagius qui præter Laertium illius meminerit, neminem facile repereri. Vossius vero putat eum esse qui a Plutarcho his verbis compellatur : Τιμόθεος ἐν τοῖς Ἀργολικοῖς, *Timotheus in Argolicis*. Sed aliis id ille nondum persuasit. Nam Menagius dubitat an ipse sit quem prius ab eodem Plutarcho laudatum diximus (*Laert., lib.* II, *in Vit. Plato*, § 5, *lib.* IV, *in Vit. Speusip.*, § 4; *lib.* V, *in Vit. Aristot.*; § 1, *lib.* VII, *in Vit. Zenon.*, § 1). At idem Vossius haud dubitanter affirmat hunc diversum omnino esse ab eo, quem auctor noster gentilem theologum nuncupat (*Voss., lib.* III *de Hist. græc.*; *pag.* 421, *et de poet. græc., pag.* 46 *et* 47). Ibi autem ille ex Suida refert alium fuisse Timotheum, Euripidi, et Philippo Macedoni coævum, qui decimam et undecimam lyræ addidit chordam, pluraque composuit poetica opera, quæ Suidas recenset (*Suid., ad verb.* Τιμόθεοι). Præterea alium adhuc indicat Timothæum Atheniensem, mediæ comœdiæ poetam, illiusque commentationes enumerat. Quid plura? Quidam insuper Timothæus simpliciter ab Athenæo citatur, quem, teste Casaubono, parum ingeniosum, frigidum, et nimis sæpe ineptum, facetorum risum sustulisse perhibebant. Porro autem si poetæ, ut ait Augustinus, theologi, ut pote qui de diis carmina conderent, ab ethnicis vocabantur, nobis haud ægre persuadebitur unum ex his poetis ab Arnobio nostro citari (*Athen., lib.* VIII, *pag.* 358; *Casaub., in eumd. lib., cap.* 5 *et* 11; *August., lib.* XVIII *de Civit., cap.* 14, *pag.* 478; *Arnob., lib.* VII, *pag.* 236).

Trebatius ab illo deinceps in testimonium vocatus, is proculdubio esse videtur cujus Macrobius primum et nonum, atque A. Gellius quintum *de Religionibus* librum citaverunt. Nuncupabatur autem C. Trebatius Testa, qui Ciceronis familiaris et conjunctissimus fuit. Nam ei dedicavit Topicorum suorum librum, eumque juris interpretem salutat. Ad Atticum vero scribit : « Quamquam non adspernor Trebatii litteras, a quo me unice diligi scio » (*Macrob., lib.* III *Saturnal., cap.* 5 *et* 9; *Gell., lib.* VI, *cap.* 12; *Cic. Topic., pag.* 276; *idem, lib.* VII, *epist.* 16, *ad Attic., pag.* 282; *lib.* VII, *epist.* 6 *et* 7, *pag.* 7 *et seqq., et lib.* X, *ad Attic. epist.* 1, *pag.* 313). Sed id adhuc magis patet ex datis ad eum litteris bene multis, quæ typis editæ sunt. Alibi vero eum bonum virum et civem appellat, quem Horatius sic alloquitur :

Trebati,
Quid faciam, præscribe.

(*Horat., lib.* II, *satir.* 1, *vers.* 4 *et* 5.)

Valerianum quemdam dictorum suorum testem Arnobius produxit (*Arnob., l.* VI, *p.* 194). Eo autem nomine a Plinio laudatus est. « Cornelius Valerianus, qui Phœnicem in Ægyptum devolavisse tradidit (*Plin., l.* X *Hist. natur., c.* 2, *p.* 389); » et alibi : « Villas et domos ambiri singularum palmitibus ac

sequacibus lauris memoria dignum inter prima Valerianus quoque Cornelius existimavit » (*Lib.* XIV, *c.* 1, *p.* 111). » Utrum vero idem sit atque is, quem Arnobius memorat, aliorum esto judicium.

Valerius Pontifex de Ja, Midæ filia, et Attidis sponsa, litteris quid mandaverit, narrat auctor noster (*Arnob.*, *l.* V, *p.* 160). Sed quia plurimi ex celeberrima Valeria gente orti sunt, quis ille Pontifex ab eo vocetur, dubium sane incertumque videri potest. Animum tamen adverte utrum ille dici non possit M. Valerius Messala, de quo Macrobius : « Marcus, » inquit, « Messala Cn. Domitii in consulatu collega, idemque per annos quinquaginta et quinque Augur, de Jano ita infit : Qui cuncta fingit eademque regit (*Macrob.*, *l.* I *Saturnal.* *c.* 9). » Ex hujus etiam Messalæ Auguris primo de Auspiciis libro Gellius longum fragmentum transcripsit (*Gell.*, *l.* XIII *Noct. Att.*, *c.* 15). Constat itaque illum de diis scripsisse : quidni ergo ille de Jæ historia, seu potius fabula aliquid, ab Arnobio citatum, memoriæ prodidisse dici potuerit? Sæpius vero ab auctoribus latinis haud parum commendatur, magnisque extollitur laudibus. Quam in rem Vossium, si vacat, adire promptum est (*Voss.*, *l.* I *de Hist. lat. c.* 18, *p.* 81). Si alium nihilominus Valerium Pontificem ab Arnobio appellatum contendas, hunc nobis ostende, et cedimus.

Varro Menippeus, vel sicut in manuscripto codice regio, et antiquis editionibus legitur, *Setenipeus*, vel ut aliis placet, *in Menipeis*, unus est ex scriptoribus ab auctore nostro citatis. Primæ autem lectioni favet Athenæus, qui illius auctoritate præmissis hisce verbis utitur Οὐαῤῥον ὁ Μενίππος ἐπικαλούμενος (*Athen.*, *l.* IV *Deipnos.*, *p.* 160), *Varro cognomine Menippeus*. Ultimam vero lectionem confirmat A. Gellius a quo sic laudatur : « Varro in satira Menippea, quam de Officio mariti scripsit (*Gell.*, *lib.* I *Noct. Att.*, *cap.* 17, *pag.* 80). » Verum ille ipse postea his non minimam attulit obscuritatem, ubi de servis disputat : « Alii quoque, » inquit, « non pauci servi fuerunt, qui post philosophi clari exstiterunt, ex quibus ille Menippus fuit, cujus libros M. Varro in satiris æmulatus est, quas alii Cynicas, ipse appellat Menippeas (*Idem*, *l.* II, *c.* 18, *p.* 151). » Quod quidem a Macrobio totidem verbis scriptum legimus (*Macrob.*, *l.* I *Saturnal.*, *c.* 11, *p.* 224). In dubium itaque haud immerito vocari potest, utrum Varro Menippeus, aut celeberrimus M. Terentius Varro Romanus ab Arnobio appelletur. Si autem hunc potius, quam alium ab ipso laudatum censeas, quia latinus, et alio longe illustrior, plura de diis, de quibus auctor noster loquitur, litteris consignavit, eo minus repugnabimus, quo magis genuina ejusdem Arnobii lectio ab imperito librario, uti vidimus, fœde deformata est.

Verrius ab Arnobio dictorum suorum vas et sponsor factus, ipse est Verrius Flaccus, de quo nos supra ad verbum *Flaccus* (*Arnob.*, *l.* I, p. 37).

Zenone ex Myndio, quæ in medium Arnobius protulit (*Arnob.*, *l.* VI, *p.* 193), hæc ille non aliunde, quam ex Clementis Alexandrini fontibus hauserat. Et id quidem a nobis cum in hac dissertatione, tum alibi, ubi de eodem Zenone Myndio egimus, satis probatum putamus (*Supr. c.* 9, *art.* 1 ; *tom.* I *Apparat.* *p.* 727 *et seq.*, *ac p.* 817).

De aliis denique quibusdam scriptoribus, puta Aristotele, Cicerone, Euripide, Hesiodo, Orpheo, Pindaro, Platone et Plauto, verba fecit Arnobius. Sed cum celebres illi scriptores nemini, quantumvis mediocriter erudito, incogniti esse possint, et varia eorum opera, sive græca, sive latina, typis sæpius edita, omnium terantur manibus, nihil de illis speciatim dicendum esse duximus. Huc accedit quod de græcis scriptoribus, ab auctore nostro citatis, in primo Apparatus nostri tomo satis, nisi fallimur, a nobis, ut omnibus noti fiant, disputatum est.

ARTICULUS IV.

De verbis barbaris, obsoletis, inusitatis, aut obscuris, quibus Arnobius usus est.

A nobis jam observatum est incultum confusumque esse Arnobii stylum ac sermonem, eumque in suis libris nomina adhibuisse obsoleta, inusitata et barbara, quæ lectorem ne morentur, a nobis, ut officio nostro satisfaciamus, debent pro virili parte explicari (*Supr.* *cap.* 2, art. 2). Plurima autem ex illis, data superius opportuna occasione, explanavimus. Sed multa non minus obscura et difficilia adhuc occurrunt quorum interpretandorum nullus sese nobis locus satis commodus obtulit. Quapropter illorum interpretationem atque explicationem censuimus ad hujusce dissertationis calcem esse rejiciendam. In hac porro disquisitione eumdem atque in superiori articulo alphabeticum, ut loqui amant, ordinem sequemur. Primum itaque dixit Arnobius :

« Ancillatrum servuli pavibundis trepidationibus imitatus, » qui scilicet potentiores homines humillime salutat (*Arnob.*, *l.* VII, *p.* 221). Ita sane in manuscripto codice regio legimus. Sed illum quidam ibi depravatum putantes, scribi voluerunt *Ancillæ aut servuli*. At hæc correctio sequentibus Arnobii verbis non cohæret. Quamobrem alii restituendum suspicantur : *Ancillarum servuli pavidas trepidationes imitatus*. Sed nullam hujusce lectionis probationem vel conjecturam proferunt. Quid vero, si Arnobius novo verbo servitium, seu obsequium servuli significaverit, quod ipse *ancillatrum*, seu potius ancillatum appellat? Utrum autem genuina sit hæc auctoris nostri lectio, expendant alii, et pronuntient. Nobis certe illius sensum patefecisse sufficit.

Anserum grinnitus Arnobius appellat; quia *Grinnire*, inquit Festus, anserum vocis proprium est (*Ibid.*, *l.* VI, *p.* 205. *Fest. ad verb.* GRUNNIRE).

Arbor pausata ab Arnobio pinus vocatur, sub qua Attis se viri nomine privavit, et cujus circum robur mater deum sociatis cum Acdesti planctibus, pectus tundit et sauciat (*Arnob.*, *l.* V, *p.* 160). Cur autem arbor pausata dicatur, omnes horum Arnobii librorum commentatores sibi fatentur esse incompertum. Vocem itaque *pausatæ* corruptam fuisse nonnulli

arbitrantur, ac pro ea *lanatæ*, vel *lausatæ*, vel *positæ* A legendum. Sed hæc alii ut meras nugas explodunt atque exsibilant. Quid enim vetat quominus Arnobius usus sit verbo *pausatæ*, imitatus Plautum, qui dixit *Pausa*, id est, quiesce. Nam ibi auctor noster scribit matrem deum in antrum suum detulisse illam arborem, et circum robur illius ibi *pausatæ*, sive quiescentis et positæ *sociatis cum* Acdesti planctibus suum tutudisse ac sauciavisse pectus.

Arquata sellula, hoc est, semirotunda, et in arcus similitudinem formata (*Arnob.*, *l.* I, *p.* 59). Quo sensu ab Ovidio canitur :

> Iris et arquato cœlum curvamine signans.
> (*Ovid.*, *lib.* II *Metamor.*, *pag.* 418.)

Attagi phrygia lingua vocantur, quos hircos dicimus (*Arnob.*, *l.* V, *p.* 159). Apud Eustachium vero, B inquit Bochartus, ἄττηγοι, dicuntur αἶγες ἄῤῥηνες, capri masculi seu hirci (*Bochart.*, *l.* II *de Anim. sacr. scrip.*, *c.* 53, *p.* 647). Ab hoc autem phrygio nomine Arnobius putat factum esse nomen Attis. Sed Bochartus ex Hebræo *Athud* potius derivatum arbitratur, quem, si velis, consule.

Auctificari, dixit auctor noster, Ennius vero, ut notat Nonius Marcellus, *augificare* : sed obsoletum verbum est, quod idem atque augere significabat (*Arnob.*, *l.* VII, *p.* 224; *Non.*, *de Propriet. serm.*, *c.* 2). Apud Lucretium autem legimus :

> Auctificique
> Motus perpetuo possunt servare creata.
> (*Lucret.*, *lib.* II, *vers.* 571.)

Augustare simili modo dixit Arnobius, pro augu- C stum reddere (*Arnob.*, *l.* VII, *p.* 201).

Batiaca, in manuscripto autem regio codice *pastiocas* corruptissime (*Ibid.*, *l.* I, *p.* 69). Nam *batiaca* græce βατιάκη, sicut ex Athenæo discimus, poculi erat genus (*Athen.*, *lib.* II *Deipnos.*, *p.* 486). Unde Plautus alicubi dixit :

> Quibus divitiæ domi sunt, scaphio, cantharis,
> Batiolis bibunt.
> (*Plaut.*, *Stych.*, *act.* V, *scen.* 4.)

At ibi quibusdam in editionibus legitur, *Batiocis*.

Bigarii vox est, quæ in Romana horum Arnobii librorum editione et aliis posterioribus exhibetur : in manuscripto autem regio cod. *Pigarii*, in postrema editione, *cybiarii* (*Arnob.*, *l.* II *p.* 70). Sed nulla hujusce immutationis ratio redditur. Cur non potius D *Cibarii*, qui scilicet cibos conficiunt aut ministrant? Varro enim apud Nonium Marcellum : « Tuus ipse frater cibarius fuit Aristoxenis (*Non. Marcell.*, *l. de Propriet. serm.*, *c.* 2, *p.* 536). » Cur non etiam, inquiet aliquis, legatur *Bigarii*, ex quo ab imperito librario factum *Pigarii?* Superiori quippe linea dixit Arnobius *quadrigarios*. Verum nemo fortasse sine alterius manuscripti codicis auxilio adulteratum illud nomen emendare poterit.

Bolones, in ms. codice nostro legimus, pro quo nonnulli perperam scripserunt *Volones* (*Arnob.*, *l.* II, *p.* 70). Nam ut ait Donatus : Cetarii, « qui cete, id est, magnos pisces venditant et bolones exercent, » sive ceteriam mercaturam (*Donat.*, *in Terent. Eunuch.*, *act.* II, *scen.* 2, *vers.* 26). Ab aliis autem, qui Isidorum citant, sumitur pro iis, qui diversa genera piscium emebant et vendebant (*Isidor.*, *in Gloss.*, *p.* 620). Videsis Turnebum lib. XIII Adversar., cap. 14.

Botulus, teste Festo, genus farciminis est, quod, propter connexionem, a bolis sic appellatur (*Arnob.*, *l.* II, *p.* 73; *Festus*, *ad vers.* BOTULUS). Martialis autem alicubi cecinit :

> Qui venit botulus medio tibi tempore brumæ,
> Saturni septem venerat ante dies.
> (*Martial.*, *lib.* XIV, *epigr.* 72.)

Quamobrem Tertullianus ethnicos hunc redarguit in modum : « Inter tentamenta christianorum botulos etiam cruore distentos admovetis, certissimi illicitum esse apud illos, per quod exorbitare illos vultis (*Tertul.*, *Apolog.*, *c.* 9, *p.* 11). » Alibi vero postquam ab orthodoxorum, quos Psychicos vocat, partibus defecisset, sic eos corripit : « Quomodo protegam castitatem et sobrietatem sine taxatione adversariorum? Quinam isti sunt semel nominabo, exteriores et interiores botuli Psychicorum (*Idem*, *l. de Jejuniis*, *c.* 1, *p.* 701). »

Buris dicitur a quibusdam pars aratri posterior, ab aliis temonis superior, et utraque incurvata (*Arnob.*, *l.* II, *p.* 59). Eo autem nomine usus est Virgilius, ubi canit :

> Continuo in sylvis magna vi flexa domatur,
> In burim, et curvi formam accipit ulmus aratri.
> (*Virgil.*, *lib.* I *Georg.*, *vers.* 169 *et seqq.*)

Quos in versus hæc Servius observat : « In burim, in curvaturum. Nam buris est curvamentum aratri dictum quasi βοὸς οὐρὰ, quod sit in similitudinem caudæ bovis. Alii burim curvaturam temonis, quæ supra est, et quod infra est urvum dicunt. Buris enim, ut curvetur, ante igni domatur, amburitur : unde et quæ naturaliter inveniuntur curvæ ita dicuntur. Varro ait totum burim indici ab urbe. » Priori sententiæ Isidorus subscripsit (*Isidor.*, *l.* XX *Orig.*, *c.* 13; *Arnob.*, *l.* I, *p.* 24, *et l.* VII, *p.* 222; *ibid.*, *l.* VI, *p.* 200).

Busticeta, ut animadvertitur in glossis eidem Isidoro attributis, erant sepulcra in agro.

Cucabulus, diminutivum haud dubie nominis *cacabus*, qui vas significat, in quo pulmentarium coquebant. Videsis Lexicon Martinii, et Vossii etymologicon.

Calamistris vibrare cæsariem, inquit Arnobius (*Ibid.*, *l.* II, *p.* 72). Calamistrum enim erat acus major, seu ferrum, quo calefacto capillus intorquetur et crispatur. Audi Virgilium :

> Fœdare in pulvere crines
> Vibrato calido ferro, myrrhaque madentes.
> (*Lib.* XII *Æneid.*, *vers.* 90 *et seqq.*)

Quos in versus Servius : « Calamistrum est acus, inquit, major, quæ calefacta, et adhibita intorquet capillos. » Videsis Julium Pollucem, et Isidorum (*Poll.*, *l.* V, *c.* 16; *Isidor.*, *l.* XX *Orig.*, *c.* 13).

Caliendri nomine putabat Turnebus ab Arnobio indicari pallium, quod ante riciniatum appellaverat. Sed re maturius expensa, existimavit significari capitis operimentum. Quo sensu ab Horatio usurpatur :

..... Altum Saganæ caliendrum.
(*Horat.*, *lib.* I, *satir.* 8, *vers.* 48.)

Quod in carmen Acron, sive quivis ejus nomine alius, annotavit *caliendrum* dici, sive ornamentum capitis mulierum, quo ad exornandos crines utebantur; sive supposititios crines, quos pro naturalibus accipiebant. Tertullianus quoque hoc nomen usurpavit, ubi in mulieres invehitur : « At nunc in semetipsas lenocinando, quo planius adeantur, et stolam, et supparum, et crepidulam, et caliendrum, ipsas quoque jam lecticas, et sellas queis in publico quoque domestice, ac secrete habebantur, ejeravere » (*Tertull.*, *l. de Pallio*, *c.* 4, *p.* 136).

« Canacheni obserata pandentes remedorum obscuritate » (*Arnob.*, *l.* VI, *p.* 108). Verba sunt auctoris nostri, quæ pluribus plane corrupta esse haud immerito videntur. Quidam itaque pro *remedorum*, restitui volunt *tenebrarum*, sed qua auctoritate? De nomine autem *Canacheni* quærendum amplius censent. Sed ubi id quærendum, nisi alius melioris notæ et integrior manuscriptus codex habeatur? At certe nulli obscurum esse potest Arnobium loqui de nocturnis prædonibus, qui deorum simulacra aut spoliaverant, aut ex templis abstulerant. An autem eos designet, qui magica arte id facerent, aliorum judicio permittimus.

Chantharulus ab Arnobio dicitur (*Ibid.*, *pag.* 209) parvum vas potorium, cum quo Bacchus pingi solebat. Paucas enim ante lineas scripserat : « In Liberi, seu Bacchi, dextera pendens potoris cantharus. » Rationem si quæras, hanc tibi Valerius Maximus suggeret. « Liber pater ex Asia ducens triumphum, hoc usus poculi genere ferebatur » (*Val. Max.*, *lib.* II, *cap.* 6, § 7). Cujus exemplo, uti ille et Plinius annotarunt (*Plin.*, *lib.* XXXIII *Hist. nat.*, *cap.* 11, *pag.* 73), C. Marius post victoriam Cymbricam cantharis semper potavit.

Capite censi appellati sunt, inquit, post Julium Paulum, A. Gellius, qui nullo, aut perquam parvo ære censebantur, ac parvum aut nullum vectigal pendebant (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 63; *Gell.*, *lib.* XVI, *Noct. Attic.*, *cap.* 10).

Castus peculiari sensu ab Arnobio accipitur (*Arnob.*, *lib.* V, *pag.* 167), ubi matris deum seu Cybeles, mysteria hunc exagitat in modum : « Quid temperatus ab alimonio panis, cui rei dedistis nomen castus. » Quod quidem ut intelligatur, ex Apuleio, Tertulliano, Hieronymo et aliis, animadvertendum est, in horum mysteriorum celebratione observatam fuisse, præter alios plures superstitiosos ritus, ciborum saltem communium abstinentiam (*Apul.*, *lib.* XI *Metam.*, *pag.* 206 *et* 209; *Tertull.*, *lib. de Jejun.*, *cap.* 2; *Hieronym.*, *epist.* 7 *ad Lætam*, *pag.* 59, *et lib.* II *Advers. Jov.*, *pag.* 98). At quidam, uti Martinius et Vossius,

A Festi verbis et auctoritate fulti, putant *Castus* nomine has omnes cerimonias significari. Tertullianus autem ubi adversus catholicos pro suorum Montanistarum jejuniis disputat : « Sed bene, » inquit, « quod in nostris Xerophagiis blasphemias ingerens, Casto Isidis et Cybeles adæquas » (*Tertull.*, *lib. de Jejun.*, *cap.* 16). Si quis vero alium pro catholicis contra hæreticos agentem audire malit, en præsto est Hieronymus, qui adversus Joviniani errores pugnando, hæc scribebat : « De ciborum sibi placent abstinentia, quasi non et superstitio gentilium castum matris deum observet, et Osiridis » (*Hieronym.*, *adv. Jovin.*, *lib.* II, *pag.* 91). Postea vero planius ac propius ad Arnobii nostri mentem : « Quomodo, inquit, virginitati veræ non præjudicat imitatio virginum diaboli,
B ita nec veris jejuniis castum Isidis et Cybeles, et quorumdam ciborum in æternum abstinentia, maxime cum apud illos jejunium panis, sagina carnium compesceretur » (*Ibid.*, *pag.* 104). Nonne enim illud *jejunium panis*, idem est atque *temperatus*, ut Arnobius dixit, *ab alimonio panis?*

Cimices vermiculi sunt fœtidi ex ligno, chartis, et paleis nascentes. Isidorus vero : « Cimex, » inquit, « de similitudine cujusdam herbæ vocatur, cujus fœtorem habet » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 75; *Isidor.*, *lib.* XII *Orig.*, *cap.* 5).

« *Cinnum*, » ait auctor noster, « cyceonem quem nuncupat Græcia, oggerit » (*Arnob.*, *lib.* V, *pag.* 174). Hæc autem ille et plura alia, quæ ibi de Eleusiniis mysteriis narrat, ex Clemente Alexandrino, ut supra
C notavimus, mutuatus est. Græce enim doctus vir scripserat : ἔπιον τὸν κυκεῶνα, *Bibi cyceonem*. Cinnus autem, teste Nonio Marcello, potionis genus erat, ex multis liquoribus confectum (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *pag.* 13; *Non. Marcell.*, *de Propriet. verb.*, *cap.* 1 *et* 6). Monitos porro nos ille facit ea voce usum esse Ciceronem. Videsis Turnebum, lib XII Adversar., cap. 8.

Classici appellabantur cives Romani qui quidem varias in classes quomodo distributi fuerint, Livius et Dionysius Halicarnasseus descripsere (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 63; *Liv.*, *lib.* II, *cap.* 43; *Dionys. Halic.*, *lib.* IV, *pag.* 221 *et seqq.*). Singulari tamen significatu, ut refert A. Gellius, classici vocabantur primæ tantum classis homines, qui centum et viginti quinque
D millia æris ampliusve censi erant (*Gell.*, *lib.* VII *Noct. Attic.*, *cap.* 13). At eo significatu hoc nomen *classicus* ab Arnobio sumitur, si integer et incorruptus sit ibi illius textus, ubi plura turpiter fœdata fuisse nemo diffiteri potest. De iisdem autem Romanorum civium classibus Arnobius (*lib.* II, *pag.* 91), uti superius vidimus, locutus antea fuerat. At de his præterea consulere poteris, A. Gellium, lib. X Noct. Attic., cap. 28, et Lipsium, lib. I de Milit. Rom., Dialog. 2, tom. III, pag. 15.

Crateræ, si Nonio Marcello credideris, vasa sunt vini; crateres vero vasa olearia; ac utrumque Virgilii auctoritate probare nititur (*Ibid.*, *pag.* 56; *Marcell.*, *cap.* 19).

Cupa est vas, in quo bibitur; vel, ut quibusdam placet, vas vinarium majus (*Arnob.*, *lib.*, II, *pag.* 59).

Curculio, seu curgulio, aut gurgulio, parvum est animal frumentum corrodens (*Ibid.*, *pag.* 75), ut patet hoc Virgilii carmine :

> Populatque ingentem farris acervum
> Curculio.
> (*Virgil.*, *lib.* I *Georg.*, *vers.* 185.)

Lege, si velis, de Re rustica scriptores, Varronem, cap. 63; Catonem, cap. 2; Columellam, lib. I, cap. 6; Palladium quoque, lib. I, tit. 19.

Defanata spatiola dicit Arnobius (*Arnob.*, *lib.* IV, *p.* 153), id est profanata spatiola. Nam ibi alludere videtur ad ea quæ de Tiberio Graccho, Cicero, Valerius Maximus, et alii memorant (*Cic.*, *lib.* II *de Natur. deor.*, *p.* 215, *lib.* I *de Divin.*, *p.* 261; *Val. Max.*, *lib.* I, *cap.* 1, § 3). Cum ille, inquiunt, tabernaculum vitio cepisset imprudens, et pomarium inauspicato transgressus esset, ideo vitio creatos consules ab auguribus pronuntiatum. Quod quidem si ita sit, auctor noster tabernaculum illud et pomarium *defanata spatiola* appellare videtur. Si tamen ad aliam similem historiam eum respexisse probaveris, tibi certe non repugnabimus : sed eadem semper erit verborum illius significatio.

« Desultores, » inquit Isidorus, « nominati, quod olim, prout quisque ad finem cursus venerat, desiliebat ac currebat : sive quod de equo in equum transiliebat » (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 70; *Isidor.*, *lib.* XVIII *Origin.*, *cap.* 39). Atque hoc sensu a Livio accipitur, ubi de Numidarum agilitate ita disserit. « Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in modum, binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpe pugnam, in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat : tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus est » (*Liv.*, *lib.* XXIII *cap.* 29). Videsis Lipsium, lib. III de milit. Rom., Dialog. 8, pag. 95, tom. III; et Cæl. Rhodiginum, lib. XXIII, lect. Antiq., cap. 30.

Dibus in regio Arnobiano codice legitur (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 60). Sed quid ea vox significet, quia incompertum erat, pro ea in quibusdam editis nomen *cubus* positum est. Salmasius vero hanc, quam genuinam putat lectionem corruptam fuisse opinatur imperitia librariorum, qui secundam hujus nominis litteram *u* diviserunt, ac priorem ejus partem primæ litteræ *c* conjungentes fecerunt *Dibus*. Alio autem, sed non majoris momenti exemplo id probare connititur. At Meursius primam lectionem *Dibus*, qua usus est Agathias, et quæ binionem significat, retinendam esse censuit (*Meurs.*, *lib.* II *Crit.*, *cap.* 6; *Salmas.*, *Exercitat. in Solin.*, *pag.* 417 *et* 699). Alii tamen illud ab eo voluissent aliis exemplis confirmari. At nonne ad id probandum satis est, quod ibi Arnobius de numeris disputet, ac varia numerorum nomina continuo subjunxerit?

Dynamis autem ab illo ibidem notatur, et in quibusdam editionibus *dymanis*, sed mendose. Dynamis autem quaternionem significat, quemadmodum Meur-
A sius Hieroclis, et Elmenhorstius Hieronis Alexand. confirmant testimonio.

Enterocelici vocantur qui intestini a proprio et naturali loco descensu, seu hernia laborant. Eo quoque græco nomine Plinius usus est, et latinum fecit (*Arnob.*, *lib.* VII, *p.* 240 ; *Plin.*, *lib.* XX *Natur. hist.*, *cap.* 4, *p.* 13).

Exauctorare deos ipsos dixit Arnobius (*Eodem lib.*, *p.* 236), pro auctoritatem eis adimere et eripere.

Fasciola, fasciæ diminutivum, idemque sonat atque linteolum (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 59), quod ad ligandum aliquid aptum est, vel quo speciatim vulnera alligantur, sicuti Isidorus animadvertit (*Isidor.*, *lib.* XIX *Orig.*, *cap.* 33). Et Cicero quidem in quadam oratione primo sensu dixit : « P. Clodius a crocota, »
B inquit, « a mitra, a muliebribus soleis, purpureisque fasciolis » (*Cicer. Orat.* 30 *de Harusp. resp.*, *p.* 436). Horatius autem secundo sensu scripsit :

> Ponas insignia morbi,
> Fasciolas.
> (*Horat.*, *lib.* II, *satir.* 3, *vers.* 254 *et seqq.*)

Fellitantes mammas exsugerent, honesto significatu ab Arnobio dicitur (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 70). Nam de infantibus loquitur, qui matrum aut nutricum mammas sugebant. Solinus vero dixit : « Nequaquam mater pullo ubera præbet fellitanda. » (*Solin.*, *cap.* 45, *p.* 74.) Lege Turnebum, lib. XXIV Advers., cap. 13, et lib. XXIX, cap. 10.

Feruncultum in librorum Arnobii manuscripto codice regio legimus (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 47). Sed hanc
C vocem quidam corruptam opinati, *furunculum* in textu haud tamen merito jure posuerunt. Nam ut scriptum Isidorus reliquit : « Furunculus est tumor in acutum surgens, dictus, quod ferveat, quasi feruncutus, unde græce ἄνθραξ dicitur, quod sit ignitus. » (*Isidor.*, *lib.* IV *Origin.*, *cap.* 8.) Sed quoquo modo legatur, illud optime auctoris nostri proposito congruit. Dicit enim nullum vel levissimum *furunculum*, sive *feruncalum* ab nullo unquam philosopho una sola voce sanatum. De furunculo autem sæpius Plinius lib. XX, et alii.

Flatare calamo, *et cœli flaturas* dixit auctor noster, pro flare calamo seu tibia, et cœli flatu (*Arnob.*, *lib.* I, *p.* 7, *et libr.* II, *p.* 69).

D *Fluoris* quoque verbo haud semel ille utitur, quo etiam nomine usum esse Festum (*Fest.*, *ad verb.* FLUVIONA), Apuleium, Solinum, ac præcipue medicos legimus, ut fluxum significent.

Formatura varia res spectans, verba sunt Arnobii (*lib.* II, *p.* 59), qui more suo, ut alibi vidimus, Lucretium sequitur :

> Formaturaque labrorum pro parte figurat
> . . . .
> Servat enim formaturam, servatque figuram.
> (*Lucret.*, *lib.* IV, *vers.* 554 *et* 560.)

Frustilla ignea stellæ ab Arnobio vocantur (*lib.* II, *p.* 84), id est, frusta parvula ignea. A diminuto enim nomine frustum factum est frustillum. Plautus vero alicubi eodem modo dixit :

Jam ego te faciam ut hic formicæ frustillatim differant.
(*Plaut., in Curcul., act. 4, scen. 4.*)

Hoc est, ut formicæ te in parvula frusta concisum diversum ferant, atque distrahant.

Fulguritum, idem est, auctore Festo, atque fulmine ictum (*Arnob., lib.* v, *p.* 155; *Fest.*, *ad verb.* FULGURITUM). Locus autem fulmine percussus, statim religiosus, et a deo sibi dedicatus ethnicis videbatur.

Fuligine oculos obumbrare, est eos nigro colore pingere (*Arnob., lib.* II, *p.* 72). Quod quidem his probatur Juvenalis carminibus:

Ille supercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu, pingitque, trementes
Attollens oculos.
(*Juvenal., satir.* 2, *vers.* 93 *et seqq.*)

De illo autem pravo more disseruimus tom. I Apparat., lib. III, dissert. I, cap. 12, art. I, p. 788.

Fuscinum satis auctoris nostri et Augustini verbis explicatur (*Arnob., lib.* v, *p.* 176 *et* 184, *et lib.* VII, *p.* 239; *August., lib.* VII *de Civit., cap.* 9, *p.* 157).

Gnariores in quibusdam horum Arnobii librorum editionibus legimus. In aliis ex Scaligeri, ut videtur, emendatione *gnarures*. At in manuscripto habetur *ignarores*, male profecto, uti vides. Sensus autem Arnobii postulare videtur *gnarores* aut *ignariores* (*Arnob., lib.* III, *p.* 115). Continuo siquidem adjecit, *et habere scientias in quibus singuli emineant.*

Grallator a gradu magno dictus, quemadmodum Varro testificatur (*Ibid., lib.* II, *p.* 70; *Varr., lib.* VI *de Ling. lat., p.* 83). Festus vero: « Grallatores appellabantur pantomimi, qui ut in saltatione imitarentur Ægipanas, adjectis perticis furculas habentibus, atque in his superstantes, ad similitudinem crurum ejus generis gradiebantur, utique propter difficultatem consistendi. Plautus: Vinceretis cursu cervas, et grallatorem gradu. » (*Fest., ad verb.* GRALLATORES.) Hoc autem Plauti carmen ex ejus *Pænulo*, Act. 3, scen. I, desumptum est. Videsis adhuc Nonium Marcellum, de verbor. Propriet. cap. 2, ad verbum *Grallatores*.

Hierophanta, græce ἱεροφάντης, is est, qui sacra et cerimonias docebat, et sacrorum antistes (*Arnob., lib.* v, *p.* 174).

Honorationis officium, hoc est, honoris et reverentiæ (*Ibid., lib.* VII, *p.* 221).

Jecusculum est diminutivum nominis jecur. Quo etiam nomine utitur Plinius: « Murium, » inquit, « jecusculi fibræ ad numerum lunæ in mense congruere dicuntur. » Et prius Cicero: « Musculorum jecuscula bruma dicuntur augeri » (*Ibid., lib.* IV, *p.* 134; *Plin., lib.* II, *cap.* 37, *p.* 571, *Cicer., lib.* II *de Divin., p.* 283).

Immoderatum, id est, sine modo, vel fine, seu immensum et infinitum (*Arnob., lib.* II, *p.* 97). Quapropter Cicero quoddam Euripidis carmen (*Cicer., lib.* II *de Natur. deor., p.* 223), sic latine interpretatur:

Vides sublime, fusum, immoderatum æthera.

A *Inequitare* haud semel scripsit Arnobius, pro insectari et persequi.

Inflexibus flexuosis, inquit Arnobius (*Lib.* II, *p.* 57), id est, anfractibus viæ, aut sinuosis et curvis reflexibus.

Infula eliciendæ miserationis offerentem Jovem (*Ibid., lib.* v, *p.* 172; *Varr., lib.* VI *de Ling. lat., p.* 76), id est, velamenta lanea, ut Varro aliique docent, quibus aut illius mater ornaretur, aut potius scelus ejus tegeretur. Examina locum, et tuum ea de re judicium feres.

Institor erat mercaturæ et negotiationi præpositus (*Arnob., lib.* II, *p.* 66 *et* 70). Ovidius enim cecinit:

Institor ad dominam veniet discinctus emacem:
Expediet merces teque sedente suas.
B (*Ovid., lib.* I *de Art. amand., vers.* 425.)

Institores quoque tonsores, caupones, et coqui vocabantur ut quidam ad hoc Martialis carmen observarunt:

Abstulerat totam temerarius institor urbem,
Inque suo nullum limine limen erat.
(*Martial., lib.* VII, *epigr.* 60)

Juvenalis vero:

Institor hibernæ tegetis niveique cadurci.
(*Juvenal., satir.* 7, *sub fin.*)

Quem in versum videsis Variorum observationes.

Interibilis pro interitui obnoxius et mortalis (*Arnob. lib.* II, *pag.* 65).

Isicia, sive insicia, *ab eo*, inquit Varro, *quod insecta caro, ut in carmine Saliorum est: quod in extis* C *nunc dicitur prosectum* (*Ibid., pag.* 73; *Varr., lib.* IV *de Ling. lat., pag.* 28). Macrobius etiam nos monet insicium ab insectione derivari, « amissione » inquit, « litteræ, postea quod nunc habet, nomen obtinuit (*Macrob., lib.* VII *Saturn., cap.* 8). Aliam tamen hujus nominis etymologiam his Isidorus dedit verbis: « Isocem piscem quemdam vocant, ex quo primum isicia facta sunt: et quamvis ex alio genere piscium fiant, initium tamen piscis vocabulum dedit (*Isidor., libr.* XX *Orig., cap.* 1). » Lampridius porro narrat Heliogabalum primum de piscibus, ostreis, et aliis similibus conchis fecisse insicia. Plura vero Apicius insiciorum genera, eorumque conficiendorum rationem describit. Videsis Casaubonum in libros Athenæi, et Variorum in citatum Apicii locum animad- D versiones (*Lamprid., in Vit. Heliogab.*; *Apic., lib.* II *de Art. coquinat., cap.* 1; *Casaub., in Athenæ., lib.* IX, *cap.* 5, *pag.* 651).

Labeones nuncupantur, quibus magna sunt labia. Plinius: « Labra » ait, « a quibus Brocchi, labeones dicti » (*Arnob., lib.* III, *pag.* 108; *Plin., lib.* XI *Hist. natur., cap.* 37, *pag.* 355).

Lacernula, a nomine lacerna haud dubie derivatum. Lacerna autem vestis erat vilior et communior, et, uti ait Isidorus, « pallium fimbriatum, quo olim soli milites utebantur. Unde et in distinguenda castrensi urbanaque turba, hos togatos, illos lacernatos vocabant. Inde autem lacernæ, quasi amputatis capitibus fimbriarum, neque ita laxis, ut sunt penula-

rum » (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 56; *Isidor.*, *lib.* XIX *Origin.*, *cap.* 24). Frequens autem apud varios, ac præcipue de re vestiaria scriptores, hujus nominis usus.

Læna, uti animadvertit Varro, *quod de lana multa; duarum enim togarum instar: ut antiquissimum mulierum ricinium, sic hoc duplex virorum* (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 56 *et* 59; *Varr.*, *lib.* VI *de Ling. lat.*, *pag.* 33; *Festus*, *ad verb.* LÆNÆ). Addit Festus a quibusdam traditum eam sic tusce, et ab aliis græce χλαῖναν appellatam. A. Nonio autem dicitur esse vestimentum militare, quod supra cætera omnia induebatur (*Nonius*, *cap.* 13). Atque in opinionis suæ confirmationem ab illo hæc Virgili carmina citantur:

Tyrioque ardebat murice læna,
Demissa ex humeris.
(*Virgil.*, *lib.* IV *Æneid.*, *vers.* 262.)

At Servius hos in versus varias refert de læna et ejus inventore sententias, atque ab aliis togam censeri duplicem et amictum auguralem, in quo, ut quibusdam placuit, flamines infulati sacrificabant, ab aliis vero dici amictum rotundum. Plura in ejus commentariis legere poteris.

Laminas pertundunt aurium, id est, imas auriculas, seu inferiorem earum partem, ut gemmas aliave eis insererent (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 72). Videsis Vossii etymologicon ad vers. *Lamina et ligula.*

Lancicula diminutivum videtur nominis lanx (*Ibid.*, *pag.* 59), atque idcirco idem esse ac parva lanx, sive minus vas escularium, quo caro tosta, sive elixa mensis inferebatur. De lance autem canit Plautus:

In popinam divortundum est mihi.
Lances detergam omnes, omnesque trullas hauriam.
(*Plaut.*, *in Amphyt.*, *act.* IV, *scen.* 3.)

Varro autem ubi de vasis escariis: « Magidam » inquit, aut « langulam, alteram a magnitudine, alteram ab latitudine finxerunt » (*Varr.*, *lib.* I *de Ling. lat.*, *pag.* 30). Atqui si Vossio credideris, langula quasi lancula dicitur. Vide ergo utrum ab Arnobio scriptum fuerint *lancula*, aut inde facta sit *lancicula*.

Laura græce λαῦρα, et latine vicus, recte dicitur, ut Athenæus monet, ac satis probavit Casaubonus, quem, si lubet, consule (*Arnob.*, *lib.* III, *pag.* 124; *Casaub.*, *in Athenæ.*, *lib.* XII, *cap.* 10).

Lenocinio fulgoris augustat deorum simulacra exterior lævitas; ita loquitur Arnobius, ac lenocinium vocat nitorem, venustatem, excellentiam. Cicero quoque *corporum lenocinia* appellat et Suetonius Augusti Imperatoris formam ubi describit, ait eam fuisse omnis lenocinii sive adscitæ venustatis expertem (*Arnob.*, *lib.* VI, *pag.* 201; *Cicer.*, *lib.* II *de Natur. deor.*, *pag.* 236, *lin.* 4; *Sueton.*, *in Vit. Aug.*, *cap.* 79).

Lucanica genus farciminis erat, quam sic appellatam Varro et Isidorus putant, quod in Lucania prius facta, vel quod milites, quomodo fieret, a Lucaneis didicerunt (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 73; *Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 28; *Isidor.*, *lib.* XX *Orig.*, *cap.* 1). De illa hæc sunt Martialis carmina:

Et Lucanica cum ventre Filisco.
(*Martial.*, *lib.* IV, *epigr.* 46.)

A Atque alio in libro:

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ,
Pultibus hinc niveis grata corona datur.
(*Mart.*, *lib.* III, *epigr.* 35.)

Quos in versus nonnulli observant Lucanicam ex concisis carnibus porcæ, in agro Piscæno natæ, fieri. Tullius porro Papirio scribit: « Solebam enim antea delectari oleis, et lucanicis tuis » (*Cicer.*, *lib.* IX, *epistola* 16, *pag.* 102).

Mantele, seu mantelium, et mantile, a tergendis manibus dictum, sicuti Servius annotat in hunc Virgilii versum:

Tonsisque ferunt mantilia villis.
(*Virgil.*, *lib.* I *Æneid.*, *vers.* 706.)

B Varro quoque dixerat: « Mantelium, quasi manuterium, ubi manus terguntur » (*Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *pag.* 66). Isidorus vero, qui illud olim huic usui fuisse fatetur, nunc operiendis mensis inservire declarat. Plura de eo Vossius in Etymologico congessit:

Marsi, de quibus infra ad verbum *Psylli* (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 66).

Mastruca, vel mastruga vestis erat Sardonum (*Ibid.*, *pag.* 59), quam Isidorus sic explicat: « Vestis Germanica ex pellulis ferarum, de qua Cicero pro Scauro: quem purpura regalis non commovit, cum Sardorum mastruga mutavit. Mastruga autem dicta quasi monstruosa, eo quod qui ea induuntur, quasi in ferarum habitum transformentur » (*Cicer.*, *Orat.* III, *de Prov. consul.*, *pag.* 509). Videsis Turnebum, lib.
C x Adversar. cap. 3, et lib. XX, cap. 9.

Mateola diminutivum, sive, ut alii opinantur, idem ac mattea, vel mattya græce, ματτύα, vel ματύη (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 231). Delicatus est cibus, aut ciborum deliciæ. Unde Martialis:

Dives et ex omni posita est instructa macello
Cœna tibi, sed te Mattya sola juvant.
(*Martial.*, *lib.* X, *epigr.* 59.)

Postea vero:

Inter aves turdus si quis, me judice, certet,
Inter quadrupedes Mattya prima lepus.
(*Mart.*, *lib.* XIII, *epigr.* 92.)

Lege Athenæum, lib. XIV Deipnosophist., pag. 662 et 663.

Meraco sapientiæ tincti et saturi potu (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 47). Meracum adjective aliquando sumitur,
D ac significat solum ac purum: aliquando substantive idem ac vinum sonat. Audias, velim, Horatium;

Expulit elleboro morbum, bilemque meraco.
(*Horat.*, *lib.* II, *epist.* 2, *vers.* 137.)

Miculam dixit haud semel Arnobius (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 77, *et lib.* VII, *p.* 236); quod nomen a mica desumptum, quæ exiguam rei alicujus aridæ et siccæ particulam significat. Miculam igitur vocat minimam rei micam et partem. Atque ita sanæ nominibus, ut jam sæpius admonuimus, diminutivis uti amat.

Minimissimus itaque digitus ab illo eamdem sane ob rationem dicitur, quamvis minimum dixisse satis ipsi fuisset (*Idem.*, *lib.* V, *p.* 260 *et* 266).

Mitra, ut docet Servius, pileus incurvus erat, ex

quo pendebat baccarum tegimen, quo Phryges et Lydii utebantur, et quos Trojani imitati sunt (*Idem, lib.* II, *p.* 57; *Serv., in lib.* IV *Æneid.*, *vers.* 215, *et lib.* IX, *vers.* 216). Addit autem quibusdam visum mitram meretricum esse, et iis adscriptam quibus effeminatio crimini dabatur. Romanarum autem mulierum erat integumentum, uti liquet ex his Plinii verbis : « Polygnotus Thasius primus mulieres lucida veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit. » Isidorus vero : « Mitra est pileum Phrygium, caput protegens, quale est ornamentum capitis devotarum. Sed pileum virorum est, mitra autem feminarum. » (*Plin.*, *lib.* XXV *Natur. hist.*, *cap.* 9, *p.* 197; *Isidor.*, *lib.* XIX *Origin.*, *cap.* 31.)

Muccinium ab Arnobio illud nuncupari Turnebus Vossiusque suspicantur, quo mucum, hoc est, narium humiditatem, detergimus (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 59; *Turneb.*, *lib.* XXIII *Advers.*, *cap.* 14; *Voss.*, *in Etymol.*).

Mustacium, seu mustaceum docet Cato fieri farina siligena, musto conspersa, anyso, cumino, adipe, caseo, et virgæ lauri ramentis (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 59; *Cato*, *de Re rustic.*, *cap.* 121). Canit autem Juvenalis :

Nec est quare cœnam et mustacea perdas.
(*Juvenal.*, *satir.* 6, *vers.* 201.)

Quem in versum scholiastes hæc annotavit : *Cibaria dulcia musto conspersa, quæ sub finem convivii dari in nuptialibus cœnis solita.* Videsis Erasmi adagia chiliad. 4, centur. 9, adag. 87, pag. 942 et pag. 1215.

Nasicas a naso vocat Arnobius eos, qui, uti ille loquitur, nares habent displosas, sive sonitum edentes (*Arnob.*, *lib.* III, *p.* 108, *et lib.* VI, *p.* 196).

Nebridarum familiam vocat auctor noster, ubi de Eleusiniis mysteriis sermonen facit (*Ibid.*, *lib.* V, *p.* 185). Quidam autem putant *Nebridæ* nomen esse proprium. Alii vero opinantur Arnobium eo nomine designasse quamdam apud Athenienses familiam, sed illum hac in re deceptum. At nobis a vero non prorsus is aberrare videtur qui dixerit Arnobium hoc ipso nomine illos nuncupavisse, vel forsitan eorum sacerdotes, qui Cereris Bacchique Orgia celebrabant. Hi enim induebantur hinnuli sive cervi pelle, quæ græce νεβρίς dicitur. Inde Clemens Alexandrinus, ex quo Arnobium plura delibasse ostendimus, in sua Admonitione ad gentes scripsit : ἧκε, ὦ παραπλήξ, μὴ θύρσῳ σκηριπτόμενος, μὴ κιττῷ ἀναδούμενος. ῥῖψον τὴν μίτραν, ῥῖψον τὴν νεβρίδα, σωφρόνισσον. (*Clemens Alexandr.*, *Admonit. ad gent.*, *p.* 74.) *Veni, o vesane, non thyrso innixus, neque hedera redimitus : abjice mitram, abjice nebridem sis temperans et moderatus.* Statius autem cecinit :

Nunc Orgia Cadmi
Cernitis, aut avidas Bacchum scelerare parentes,
Nebridas, et fragiles thyrsos portare putastis
Imbellem ad sonitum.
(*Stat.*, *lib.* II *Thebaid.*, *paulo ante fin.*)

Et alibi :

Quid imbelles thyrsos mercatus et æra
Urbibus in mediis, baccheaque terga, mitrasque
Huc tuleris, variosque aspersas nebridas auro.
(*Idem*, *lib.* I *Achilleid.*, *pag.* 234.)

Nebulositate, inquit Arnobius, *redundantium vaporum totum cœlum claudatur*, id est, redundantibus incensi thuris vaporibus, quibus tanquam nebula totum cœlum, seu potius totus aer claudatur et tegatur (*Arn.*, *lib.* VII, *pag.* 234.)

Nidamenta ponere dixit Arnobius (*Idem.*, *lib.* VI, *pag.* 202), verbo scilicet Plautiniano :

In nervum mille hodie nidamenta congeret.
(*Plaut.*, *Rudens.*, *act.* III, *scen.* 6.)

Quo verbo significatur locus ubi aves nidificantur.

Nitedula, in ms. regio *Nitetula*, sed male (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 75). Nitedula enimvero, seu nitella mus est sylvestris, quem gallice *mulot* dictum arbitrantur. Quamobrem Cicero : « Id etiam, » inquit, « fatum civitatis fuit, ut illa ex vepreculis extracta, nitedula Rempublicam conaretur arrodere » (*Cicer.*, *orat.* 32 *pro P. Sextio*, *pag.* 471). Putat autem Servius illum a Virgilio exiguum murem appellari (*Serv.*, *in lib.* I *Georg. Virgil.*, *pag.* 75). Videsis Plinium, lib. VIII. Hist. nat., cap. 58, pag. 247. Gesnerum et alios.

Nominaliter, et *nominitare* scripsit auctor noster pro nominatim et nominare (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 80, *et lib.* VII, *pag.* 251).

Obsolefacere etiam ab eo dicitur, pro abolere, delere, tollere de medio, et oblitterare (*Ibid.*, *lib.* V, *pag.* 160).

Obtentiones allegoricas vocat mystica et allegorica verborum integumenta, et involucra, sive res, quæ allegoriis teguntur (*Ibid.*, *pag.* 181).

Panchristiarios apud auctorem nostrum legimus quidem, sed mendum subesse suspicamur (*Ibid.*, *lib.* IX, *pag.* 70), ex solita librarii, quam sæpissime notavimus, imperitia ortum. Quamobrem illorum sententiæ haud inviti subscribemus, qui *panchrestarios* potius, quam crustarios, uti putavit Turnebus, emendandum existimant. Panchrestarii autem cognominantur, qui panchrestum, cujus Cicero et Plinius meminere, id est, unguentum benignissimum, ac sanandis pluribus morbis utilissimum conficiebant (*Turneb.*, *lib.* XIII *Advers.*, *cap.* 14; *Cicer.*, *Orat.* 3, *in verr.*, *pag.* 145; *Plin.*, *lib.* XXVI *Natur. hist.*, *cap.* 20, *pag.* 326). Nec multum refert, quod Arnobius unguentariorum mentionem prius habuerit. Neque enim insolitum illi est, aut eadem repetere, aut nullum in suis enumerationibus sequi ordinem.

« Papula, » inquit Isidorus, « est parvissima cutis erectio, circumscripta cum rubore, et ideo papula dicta, quasi pupula sirimpia. » Eam autem a pustula, sicuti Auctor noster, distinxit, hancque sic definivit : « Pustula est in superficie corporis turgida veluti collectio » (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 31; *Isidor.*, *lib.* IV *Origin.*, *cap.* 8). Virgilius vero ardentes pupulas dixit, quas Servius carbunculos esse affirmat. Legesis Celsum et alios medicos (*Virgil.*, *lib.* III *Georg.*, *in fin.*; *Cels.*, *lib.* III, *in fin.*).

Partiliter, et *partilitas* ab Arnobio dicitur pro partim, et parte aliqua (*Arnob.*, *lib.* I, *pag.* 5 *et* 8; *lib.* I, *pag.* 192 et 204.)

Passibilitatem quoque dixit *et passivum*, quod ali-

quid pati potest. Unde etiam *passio* illud, quod aliquid patitur, et tolerat, seu tolerantiam significat (*Idem.*, *lib.* II, *pag.* 61 *et seqq.*).

Peniculantem, decurtán temcantherios Liberum (*Id.*, *lib.* V, *pag.* 163), seu Bacchum, *videre vellem*, verba hæc sunt Arnobii, sed quibusdam corrupta jure non immeriti videntur. Restituendum autem quidam ominantur *peniculamenta;* alii *penicula decurtantem cantheriorum.* Martinius vero, qui favet priori lectioni, opinatur peniculamentum significare vinculum ex setis cantheriorum; Nonius vero idem sonare ac vestis fimbriam, sive partem illius, quæ terram attingit (*Nonius*, *cap.* 2, *ad verb.* PENICULAMENTUM). Sed hæc parum faciunt ad Arnobii propositum, nisi Bacchus ipse equorum, quibus e cœlo in terram vehebatur, curam habuisse dicatur. Potuit quidem Arnobius illud ethnicis haud plane infaceta ironia exprobrare : sed sine alicujus correctioris manuscripti codicis auxilio nihil certo definire audemus.

Pestilitas Arnobio idem est ac pestis, atque ibi Lucretium, ut alibi sæpius, sicut a nobis observatum est, imitatus, hoc verbum adhibuit (*Arnob.*, *lib.* VII, *pag.* 248; *Lucret.*, *lib.* VI, *vers.* 1096, 1123, 1130).

Phrygiones ii vocantur, qui vestes aut pingunt aut intexunt. Testes si velis, Servium tibi citabimus, Nonium, et Isidorum (*Arnob.*, *lib.* II, *pag.* 70; *Serv.*, *in lib.* III *Æneid.*, *vers.* 484; *Nonius*, *cap.* 1, *num.* 10; *Isidor.*, *lib.* XIX *Origin.*, *cap.* 22). Plinium adhuc his adiungemus, cujus hæc sunt verba : « Pictas vestes jam apud Homerum fuisse, unde triumphales natæ. Aut facere id Phryges invenerunt, ideoque Phrygionicæ appellatæ » (*Plin.*, *lib.* VIII *Hist. natur.*, *cap.*, 48, *p.* 230). At Phrygionis nomine Plautus sæpe usus est :

> Pallam illam, quam dudum dederas, ad Phrygionem ut [deferas,
> Ut reconcinnetur, atque ut opera addantur, quæ volo.
> (*Plaut.*, *in Menæch.*, *act.* I, *scen.* 8, *et act.* III, *scen.* 2.)

Et alibi :

> Stas fullo, Phrygio, aurifex, lanarius.
> (*Idem*, *in Aulular*, *pag.* 176.)

Pinguitias hostiarum dixit Arnobius (*lib.* VII, *p.* 226), pro earum pinguedine.

Plani sunt iidem ac sycophantæ, fallaces, seductores, et impostores (*Idem*, *lib.* II, *p.* 66). Audi, quæso, A. Gellium : « Planum pro sycophanta M. Cicero in oratione scriptum reliquit, quam pro Cluentio dixit » (*Gell.*, *lib.* XVI *Noct. Att.*, *cap.* 7, *p.* 880; *Cicer.*, *orat* 14, *p.* 264). Et re quidem ipsa id in ea oratione legitur. Horatius quoque cecinit :

> Nec semel irrisus, triviis attollere curat
> Fracto crure planum.
> (*Horat.*, *lib.* I, *epist.* 17, *vers.* 52 *et seqq.*)

Eodem quoque verbo eodemque significatu Plinius utitur (*Plin.*, *lib.* XXXV *Hist. natur.*, *cap.* 10, *p.* 210).

Pollinctorum, ait Arnobius, *voluminibus expediri* eorum corpora, qui divina Christi gratia a morte ad vitam revocati fuerant, id est, opera illorum, qui mortuorum corpora lavabant, atque curabant fasciis sepulcralibus et institis solvi et expediri (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 26) Eas autem fascias volumina appellat Arnobius, quia iis corpus mortuum involvebatur.

Polubrum vas est, teste Festo, quod nos pelvim, vel, ut ait Nonius Marcellus, trulleum vocamus (*Idem*, *lib.* II, *p.* 59; *Fest.*, *ad verb.* POLUBRUM; *Non.*, *cap.* 19, *num.* 11). Hos, si lubet, consule, et Turnebum, lib. XXVIII Adversar., cap. 7.

Porrina genus est oleris porracei, nec alio sensu ab Arnobio accipi videtur (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 85, *et lib.* VII, *p.* 223). Ab eo autem dicitur *porrum sectivum*, quod, inquiunt, sæpius in culinæ usum secatur. Juvenalis vero dixit :

> Filaque sectivi numerata includere porri.
> (*Juvenal.*, *satir.* 14, *vers.* 133.)

Videsis Plinium, lib. XIX, cap. 6, pag. 595 et seqq., ac Columellam, lib. I de Re rustica, cap. 3, et quid porrum sectivum a capitato differat, intelliges.

Posterganeus ab sole occasus, id est, sol oriens post tergum illius habetur, qui occidentem respicit (*Arnob.*, *lib.* IV, *p.* 130.)

Præsidatus ab Arnobio vocatur, præfectura, seu officium præsidiis, præpositi, et præfecti (*Idem*, *lib.* III, *p.* 114, *et lib.* IV, *p.* 130).

Priva, seu res singularis, una et sola. Nam ut docet Festus : « Privos privasque antiqui dicebant pro singulis : ob quam causam et privata dicuntur, quæ uniuscujusque sint » (*Festus*, *ad verb.* PRIVUS). Et id quidem probat quibusdam Lucilii (*Non.*, *cap.* 2, *num.* 69), et his Lucretii carminibus :

> Quod si forte animas extrinsecus insinuari
> Vermibus, et privas in corpora posse venire
> Credis.
> (*Lucret.*, *lib.* III, *vers.* 722 *et seqq.*)

Sed non solum ibi, sed alibi adhuc illud nomen usurpavit (*Ibid.*, *vers.* 390, *et lib.* IV, *vers.* 261 *et* 570).

Protelarii, seu proletarii dicti sunt, inquit A. Gellius, qui in plebe Romana tenuissimi pauperrimique erant, neque amplius, quam millia quingenta æris in censum deferebant (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 63). A Paulo autem, et Nonio Marcello *proletarii* nuncupati dicuntur, qui Reipublicæ prolem tantum sufficiebant. Unde Augustinus : « Proletarii, eo quod proli gignendæ vacabant, ob egestatem militare non valentes, hoc nomen acceperant. » Quamobrem proletarius sermo, apud Plautum, vilem et plebeium sermonem significat (*Paulus.*, *ad verb.* PROLETARIUM; *Non.*, *cap.* 1, *num.* 312, *et cap.* 2, *num.* 66; *August.*, *lib.* III *de Civit.*, *cap.* 17, *p.* 75; *Plaut.*, *in Mil. glorios.*, *act.* 3, *scen.* 1).

Psyllorum, et *Marsorum* ubi mentionem Arnobius facit (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 66), ibi corruptus est ejus textus. Sic autem in editione illius ultima exhibetur : « adversus ictus noxios, et venenatos colubrarum morsus remedia sæpe conquirimus, et protegimus nos laminis, Psyllis (ms. cod. reg. lamminis phyllis) Marsis vendentibus aliisque institoribus (ms. cod. reg. institutoribus) et planis. » Theodorus autem

Canterus hunc locum sic corrigendum opinatur : *Protegimus nos labiis Psyllis, Marsisve dentibus.* Optimo quidem sensu si *Psyllorum* et *Marsorum* legeretur. Salmasius autem hæc ita vult emendari, *Psyllis labinis, Marsisve dentibus.* Eodem sane sensu. Quibus enim serpentes mortale infuderant mordendo venenum, hos Psylli et Marsi sugendo sanabant. Nullus autem plane dubitandi locus videtur quin Arnobius loquatur de hisce Psyllis Africæ, et Marsis Italiæ populis, qui reipsa venenatis serpentium morsibus medebantur. Scriptis quippe a Plinio traditum legimus : « Crates Pergamenus in Hellesponto, circa Parrium, genus hominum fuisse tradit, quos Ophiogenes vocat, serpentium ictus contactu levare solitos, et manu imposita, venena extrahere corpori. Varro etiamnum esse paucos ibi, quorum salivæ contra ictus serpentium medeantur. Similis in Africa gens Psyllorum fuit, ut Agatharchides scribit, a Psyllo rege dicta, cujus sepulchrum in parte Syrtium majorum est. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, et cujus odore sopirent eos..... Simile et in Italia Marsorum genus durat, quos a Circæ filio ortos servant, et ideo inesse iis vim naturalem eam » (*Plin., lib.* VII *Hist. natur. cap.* 2, *p.* 7 *et* 8). Alio in libro idem adhuc retulit, aitque hos populos *tactu ipso, suctuve modico* levare a serpentibus perculsos (*Ibid., lib.* XXVIII, *cap.* 3, *p* 560). Quamobrem alibi Marsos serpentium domitores vocat (*Ibid., lib.* XXV, *cap.* 2, *p.* 376). Denique alio adhuc in loco eamdem et Marsorum et Psyllorum memorat virtutem (*lib.* XXI, *cap.* 13, *p.* 134).

Ælianus vero narrat eosdem serpentium morsus a Psyllo curari, si salivam solum inspuat (*Ælianus, lib.* I *de Anim., cap.* 57), aut cum corpus veneno nimis imbutum fuerit, si aquam multam, in ore et intra dentes diu agitatam, ac postea in speculum injectam, vulnerato propinet, postquam ea manus illius abluerit. Denique si veneni vis acrius invalescat, tum Psyllus ægrotanti nudo nudus incumbit, et proprio suo corpore illi medetur. Alii porro tradunt Psyllos virus ipso suo ore suxisse, et incantationibus hebetasse serpentes. Unde hæc cecinit Lucanus :

> Gens unica terras
> Incolit a sævo serpentum innoxia morsu ;
> Marmaridæ Psylli, par lingua potentibus herbis,
> Ipse cruor tutus, nullumque admittere virus,
> Vel cantu cessante, potest : natura locorum
> Jussit ut immunes mixti serpentibus essent.
> (*Lucan., lib.* IX, *vers.* 891 *et seqq.*)

Videsis Plutarchum in vita Catonis Minoris, tom. I, pag. 727 ; Strabonem, lib. XVII Geograph., pag. 814, Suetonium, in Vita Octaviani Cæsaris, cap. 17 ; Solinum, cap. 27, pag. 52 ; Hieronymum præfat. in Johelem prophetam ad Pammachium. De Marsis denique hos Lucilii versus citant :

> Jam disrumpatur medius, jam ut Marsius colubras
> Disrumpit cantu, venas cum extenderet omnes.
> (*Lucil., lib.* X *satir.*)

Et hæc quidem manifeste satis ostendunt Arnobium

A de his, uti diximus, Psyllis et Marsis fecisse sermonem. Utrum vero voces *laminis*, et *vendentibus* genuinæ sint, aut quid pro eis reponendum, sine aliquo codice integro et incorrupto quis asserere audeat ? At pro *institutoribus* recte *institoribus* restitutum, ex his colligere est, quæ supra ad nomen *institor* diximus.

Pulticula, id est, puls parva, vel minima, quod nomen a Plinio et Columella adhibetur (*Arnob., lib.* VI, *p.* 242 ; *Plin., lib.* XXVI *Natur. hist., cap.* 8, *p.* 460, *Columell., lib.* VIII, *de Re rustic. cap.* 12).

Pupulus diminutivum nominis pupus, ac parvulum puerum significat (*Arnob., lib.* VII, *p.* 215). Catulus hoc sensu ad Catonem dixit :

> Deprendi modo populum puellæ
> Trusantem.
> B (*Catull., epigr.* 57.)

Aliquando vero pro imagine aliqua accipitur, qua infantes et pueri ludere solent, et a nobis gallice vocatur *poupée*. Atque eo sensu ab Arnobio usurpatur.

Querquera febris est cum magno frigore et tremore (*Arnob., lib.* I, *p.* 28). Inde A Gellius : « An tu forte, » inquit, « morbum appellari hic putas ægrotationem gravem, cum febri rapida et quercera » (*Gell., lib.* XX *Noct. Att., cap.* 1, *p.* 1096). Lege, si velis, varias in hunc locum annotationes, ac Festum et Paulum ad verbum *Querquera*.

Rancescere olearum fluenta, id est, rancore et putredine putida fieri (*Arnob., lib.* I, *p.* 12).

Radius, codex, liber, ait Arnobius (*Ibid., lib.* II, *p.* 59). Plures autem sunt radii significationes, sed ali-
C quando sumitur pro instrumento, quo geometræ aliique lineas describunt. Eo autem sensu Virgilius dixit :

> Descripsit radio totum qui gentibus orbem :
> (*Virgil., eclog.* III, *vers.* 41.)

Et rursus alibi :

> Cælique meatus
> Describent radio, et surgentia sidera dicent.
> (*Et lib.* VI, *vers.* 844.)

Verumtamen quia Arnobius radium codici et libro conjunxit, eo nomine stylum, quo scribere mos antiquis erat, ab illo designari haud forsan immerito quis suspicabitur ?

Rediria, seu reduvia, et reduvium, teste Festo, appellatur, cum circa ungues cutis se resolvit (*Arnob., lib.* I, *p.* 31). Eo verbo sæpius Plinium (*Plin., lib.*
D VII *Natur. hist., cap.* 19, *p.* 58), et alicubi Ciceronem usum esse legimus (*Cicer., orat. pro Sext. Rosc., p.* 34, *lin.* 2). Legesis Turnebum, l. XVII Adversar. cap. 8.

Repetentiam priorum vocat auctor noster repetendi resumendi actum (*Arnob., lib.* II, *p.* 62). Et id quidem hausisse videtur ex hoc Lucretii versu :

> Interrupta semel cum sit repetentia nostri.
> (*Lucret., lib.* III, *vers.* 868.)

Scimus quidem in jam editis legi *repentia nostri* : sed eo, quo diximus, modo scriptum ab Lucretio fuisse inde conjici haud prorsus absurde potest, quod Arnobius eodem loco dixit : *Usu est illis vita non man-*

cipio tradita. Quis enim facile sibi non persuadebit, id ab ipso Arnobio sumptum ex hoc alio ejus carmine?

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.
(*Lucret., eod. lib., vers.* 984.)

Runcina ab auctore nostro appellatur instrumentum illud, quo fabri ligna aspera lævigant, et gallice *rabot* nuncupatur. Plinius hoc eodem significatu de abiete dixit : « Pampinato semper orbe se volvens ad incitatos runcinarum raptus » (*Arnob., lib.* VI, *p.* 200; *Plin., lib.* XVI *Hist. natur., cap.* 42, *p.* 304).

Saburato sanguine genus ducant, in quibusdam Arnobii editionibus legitur (*Arnob., lib.* V, *p.* 164) : in manuscripto regio codice, *ex sanguine suburatio*, sed librarii proculdubio errore. Quamobrem in ultima editione positum *ex sanguine saporatiore.* Quis autem non videt id ex sola conjectura emendatum, quod aliqua probatione stabiliri debuit? Agitur autem ibi de profluente ex amputatis Acdestis genitalibus sanguine, ex quo malum punicum ortum fabulabantur. Dicit itaque Arnobius poma illius arboris esse *uvida* et *vinosa*; quia ex *sanguine* illo *saporatiore*, vel saporato, id est, sapido, vel sapore delibuto *genus ducant*. Nobis quidem non latet Plautum usum esse nomine saburratus, ubi cecinit :

Quæ ubi saburratæ sumus.
(*Plaut., Cistell., act.* I, *scen.* 2.)

id est, ut notat interpres cibo et potu onustæ. Tralatio est a navibus onerariis, quæ cum omni onere sint vacuæ, saburra onerantur, ut sint adversus tempestatem et fluctus magis firmæ ac stabiles. Quid ergo, inquiet aliquis, si in Arnobii textu scriptum fuerit poma *ex sanguine saburata*, id est, repleta et onerata, genus suum ducant? Sed hæc correctio non multis fortasse ita etiam explicata probabitur. Nihil itaque absque alterius codicis fide, vel certiori auctoritate, mutatum volumus.

Saccati inter obcenissimas serias, in utero matris positum infantem, dixit Arnobius (*Arnob., lib.* II, *p.* 69). At « saccatum », uti animadvertit Isidorus, « liquor est aquæ feci vini admixtus, sacco expressus » (*Isidor., lib.* V, *Origin., cap.* 3). Verum hæc vox ab Lucretio accipitur pro lotio seu urina. De pueris enim somniantibus canit :

Credunt attollere vestem,
Totius humorem saccatum ut corporis fundant.
(*Lucret., lib.* IV, *vers.* 1021 *et seqq.*)

Seriæ vero significant vasa quædam, in quibus aqua asservabatur. Inde Terentius :

Relivi dolia omnia, omnes serias.
(*Terent., Heautontim., act.* III, *scen.* 1.)

Arnobius porro, ut humilem et abjectam hominis conditionem evidentius demonstraret, scripsit eum, cum in matris utero formatus est, *inter pituitas et sanguinem degere, inter stercoris hos utres, et saccati* supple humoris, *obscœnissimas serias*. Ita sane auctori nostro prægnantis fœminæ uterum appellare placuit.

Salinatores cognominabantur (*Arnob., lib.* II, *p.* 70.), qui, uti, post Papiam, Elmenhorstius observat, salem faciebant, idque vetere inscriptione confirmat. At ii etiam hoc nomen sortiti fuerant, qui ex annona salaria novum, ut loquitur Livius, vectigal statuissent (*Liv., lib.* XXVII, *cap.* 37).. Priori autem sensu potius, quam posteriori illud ab Arnobio videtur usurpari, quamvis utroque modo ad ejus propositum facere videatur.

Scientiolas, Arnobius appellat minimas artium scientias et cognitiones (*Arnob., lib.* II, *p.* 56). Nam sicuti haud semel animadvertimus, verbis diminutivis libentius utitur.

Scitulos vocat Lydia, inquit Arnobius (*Ibib., l.* V, *p.* 159), eos nimirum, qui aluntur lacte hirquino. Et postea hos ipse nuncupat *scitulos pusiones* (*Ibid., p.* 179). Non deerunt fortasse qui opinabuntur scriptum ab Arnobio fuisse *scitali*, græce σκίταλοι, quo nomine appellabantur viles et improbi homines, quia, ut observat Suidas: *Sciton fullo fuit homo vilis, qui propter improbitatem a Comicis carpebatur. Aristophanes in equitibus :*

Ἄγε δὴ σκίταλοί τε, καὶ φένακες, ἦν δ' ἐγώ,
Βερέσχεθοί τε καὶ κόβαλοι, καὶ μόθωνες,
Ἀγορά τε ἐν ᾗ παῖς ὤν, ἐπαιδεύθην ἐγώ,
Νῦν μοι θράσος, καὶ γλῶτταν εὔπορον δότε,
Φωνήν τ' ἀναιδῆ.

(*Aristoph., Equit., p.* 823, *tom.* II, *Poetæ Græc.*)

Agite igitur, Scitalique et Phenaces, inquam ego,
Beresohetique, et Cobuli, et Mothones,
Forumque, in quo puer existens, institutus fui,
Nunc mihi audaciam, et linguam uberem date,
Vocemque impudentem.

Atqui hi quidem versus in citata Aristophanis comœdia leguntur. Verumtamen quia Arnobius dixit *scitulos pusiones atque adultos venustissimis lineis*, retinenda proculdubio videtur hæc vox *scitulos*. De quibusdam enim mulieribus Plautus canebat :

Qua sunt facie? Scitula.
(*Plaut., Rudens., act.* II, *scen.* 7.)

Et hoc etiam altero :

Atque ambas forma scitula, atque ætatula.
(*Act.* IV, *scen.* 1.)

id est, forma subeleganti et venusta. Eo etiam nomine Apuleius sæpe utitur (*Apul., lib.* II *Metam. pag.* 19, 26 *et alibi*).

Scurrula urbanus, nomen est diminutivum scurræ, cui Plautus adjectivum *urbanus*, quemadmodum Arnobius *scurrulæ* conjunxit (*Arnob., l.* VII, *p.* 206). Hi autem sunt Plauti versus :

Tu urbanus vero scurra, deliciæ populi,
Rus mihi tu objectas.
(*Plaut., Mostell., act.* I, *scen.* 1, *pag.* 521.)

Et alibi :

Quam urbani assidui cives, quos scurras vocant.
(*Idem, Trinum., act.* I, *scen.* 2, *pag.* 1022.)

Scurram autem urbanum poeta aliique veteres appellabant facetum politumque hominem, qui minime sit rusticus. Atque hoc sensu ab Arnobio scurrulæ nomen similiter accipitur. Postea tamen alia sane et contraria significatione usurpatum est. Sed ea de re videsis Turnebum, lib. XIX Adversar., cap. 13; Vossium, in Etymolog., et alios.

Securicula ab Arnobio diminutive adhuc nuncupatur securis parva (*Arn.*, *l.* II, *p.* 56), quemadmodum a Plinio qui alicubi hæc tradidit : « Securiculam insitivam pendere, qua intercidantur radices » (*Plin.*, *lib.* XVIII *Hist. natur.*, *cap.* 19, *p.* 493).

Secus virile, et *secus femineum*, in nostro librorum Arnobii codice et pluribus editionibus legitur (*Arn.*, *lib.* V, *pag.* 165, *et* 174), melius quam in aliis quibusdam *sexus virile*. Nam ibi nomen *secus* eam partem significat, qua uterque sexus a se invicem distinguitur. Festo autem probatur hæc significatio, quam Martinius Apuleii et Ammiani Marcellini testimonio asserere conatur. Nonius vero perhibet Salustium alicubi *sexus* neutro genere dixisse ; sed alii illic *secus* scribendum opinantur (*Nonnius*, *c.* 3, § 198).

Sellularii plebeias et infimas artes sedendo exercebant (*Arn.* *l.* III, *p.* 112). Quo sensu dictum a Livio legimus : « Opificum vulgus, et sellularii minime militiæ idoneum genus » (*Liv.*, *l.* VIII, *c.* 20).

Siliquastrum, seu seliquastrum; utroque enim modo scriptum quidam volunt (*Arn.*, *l.* II, *p.* 59). « Ab sedendo » autem, uti Varro observat, « appellantur sedes, sedile, sedum, sellæ, seliquastrum. » Festus vero. « Seliquastra, inquit, sedilia antiqui generis appellantur, *d.* littera in *l.* conversa, ut etiam in cella factum est, et subsellio, et solio, quæ non minus a sedendo dicta sunt » (*Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *p.* 31; *Fest.*, *ad verb.* SELIQUASTRA).

Spiraminibus, id est, spirandi facultatibus *interclusis interire* (*Arn.* *l.* VII, *p*, 234). Lucanus siquidem decantabat :

> Hic aures, alius spiramina naris aduncæ
> Amputat.
> (*Lucan.*, *lib.* II, *vers.* 180).

Statius quoque :

> Reficit spiramina fessi
> Ignis, et horrendos irrumpit turbida campos.
> (*Stat.*, *lib.* XII *Thebaid.*, *vers.* 69).

Spirula, diminutivum nominis spira, cujus multiplex significatio (*Arn.*, *l.* II, *p.* 73). Primo enim idem sonat ac basis columnæ unius tori, vel duorum; secundo genus operis pistorii, tertio funis nauticus in orbem convolutus. Ita Festus (*Festus*, *ad verb.* SPIRA). Secundo autem sensu Arnobius nomen illud accipit, et significat quoddam placentæ genus, uti colligitur ex Catone, qui, quomodo fieri debet perspicue explicat (*Cato*, *de Re rustic.*, *p.* 77).

Stragula dicitur aut vestis, aut quidquid lecto, equo, vel alicui rei sterni solet. Priore autem significatione ab auctore nostro accipitur, quemadmodum et a Cicerone in sua pro Sexto Roscio, et aliis in Verrem orationibus, atque ab aliis etiam scriptoribus (*Arn.*, *l.* II, *p.* 58; *Cicer.*, *orat.* IV, *p.* 34, *lin.* 45; *l.* IV *in Verr.*, *p.* 170, *lin.* 3).

Stribiligo, seu Stribligo, a græca voce στρεβλός, id est, pravus, curvus, intortus (*Arn.*, *l.* III, *p.* 36). Vetustioribus autem latinis, uti ait A. Gellius, solœcismus ita dicebatur, a versura videlicet, et pravitate tortuosæ orationis, quasi sterobiligo (*Gell.*, *l.* V A *Noct. Att.*, *cap.* 20). Ab Arnobio autem nostro hac eadem significatione sumitur.

Strophium, Nonio auctore, est fascia brevis, quæ virginalem papillarum tumorem cohibet, quemadmodum ille Turpilii, Ciceronis, Plauti, et Varronis testimonio confirmat (*Arn.*, *l.* II, *p.* 58; *Non.*, *c.* 14, *Num.* 8). Possumus et hoc Catulli carmen addere :

> Non tereti strophio lactantes vincta papillas.
> (*Catull.*, *Argonaut.*, *vers.* 65).

Coronam adhuc strophium significabat. De coronis quippe ubi disputat Plinius : « Tenuioribus, inquit, utebantur antiqui, stropos appellantes, unde nata strophiola » (*Plin.*, *l.* XXI *Natur. hist.*, *cap.* 2, *pag.* 105). Videsis Festum ad verb. *Stroppus*, et Harduini in citatum Plinii locum annotationes. Primo B autem sensu ab Arnobio adhibetur.

« Subscudes, » ait Festus, « appellantur tabellæ, quibus tabulæ inter se configuntur quia quo immittuntur succuditur. » (*Arnob.*, *l.* VI, *p.* 202; *Fest.*, *ad verb.* SUBSCUDES.) Eam vocem Cato lib. de re rustica cap. 18, usurpavit, qua quidem, sicut Arnobius, retinacula significat.

Substructionibus sacratissimos lucos aut religiosa loca polluere, et profanare (*Arn.*, *l.* VII, *pag.* 217). Cicero eodem sensu duxit : « Vos Albani tumuli, atque luci, vos inquam, imploro, atque obtestor, vosque Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi Rom. sociæ, et æquales, quas ille præceps amentia, cæsis prostratisque sanctissimis lucis substructionum insanis molibus oppresserat : vestræ C tum aræ, vestræ religiones viguerunt, vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat » (*Cicer.*, *orat.* 38 *pro Milon.*, *p.* 556 *et seq.*). Prius vero auctor noster dixerat : *Ossea substructione*, id est, subtus structis, et positis ossibus fulciri (*Arnob.*, *l.* III, *p.* 107).

Subuculam vocat Arnobius genus vestis, qua subter alias homines induuntur (*Idem.*, *lib.* II, *p.* 56). At hanc esse illius nominis significationem non Varro tantum et Nonius ostendunt, sed id omnibus manifestum esse asserit Festus, qui tamen adjecit illo adhuc significari genus libi, quod diis ex halica, oleo, melleque dabatur (*Varr.*, *lib.* IV *de Ling. lat.*, *p.* 33; *Non.*, *cap.* XIV, *num.* 36; *Fest.* *ad verb.* SUBUCULA). Verum priori sensu illud ab Arnobio accipi inde liquet, quod continuo alia vestium genera huic D subjungit.

Suminatam, in manuscripto regio codice *suanimінatam carmen* legimus (*Arn.*, *lib.* III, *pag.* 78). Sed mendum librarii cum vidissent horum librorum editioni præfecti, emendarunt scribendo *suminatam*. Quod si placeat correctio, vox suminata a sumine proculdubio derivatur. Nonius autem Marcellus tradidit sumen ab antiquis dici mulieris mammam (*Non.*, *cap.* XV, § 54). Alii vero existimant sumen esse ventris ac speciatim suilli partem, quæ ubera continet. Unde aiunt Martialem cecinisse :

> Esse (1) putas nondum sumen, sic ubere pleno
> Effluit, et vivo lacte papilla tumet.
> (*Martial.*, *lib.* III, *epigr.* 44.)

(1) Al. *Esse potes nudum.*

Suminatam vero carnem Arnobius eam appellat, quæ ex illis ventris suilli partibus desumpta est, sicuti ex superioribus ejus verbis intelligi facile potest.

Suppara Varro, paulo ante citatus, docet esse quoddam genus vestis, qua superinduimur (*Arn., lib.* II, *p.* 56; *Varr., l.* IV *de Ling. lat., pag.* 28). Quocirca Lucanus cecinit :

Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.
(*Lucan., lib.* II, *vers.* 353.)

Non desunt tamen, qui supparum idem ac subuculam, de qua paulo supra diximus, esse opinentur. Sed cum auctor noster ea satis aperte distinxerit, nobis haud prorsus dubium est supparum, illa, quam notavimus, significatione, ab ipso adhiberi.

Symplegmata mimorum vocat Arnobius eorum complexus, complexiones, et complicationes (*Arn., lib.* VII, *pag.* 239). Martialis autem canebat :

Præstent, et taceant, quid exsoleti
Quo symplegmate quinque copulentur.
(*Martial., lib.* XII, *epigr.* 43.)

Textricula puella nomine adhuc diminutivo ab Arnobio nostro nuncupatur (*Arn., lib.* V, *pag.* 166), quasi minima textrix, quæ scilicet aliquid nondum docta manu texebat.

Tipula, in manuscripto codice *hippula*, sed male (*Idem., lib.* II, *p.* 84). Tipula autem est species vermis, seu araneoli, sex habens pedes, tantæ levitatis, ut super aquas gradiatur : unde hic Plauti versus :

Neque tipulæ levius pondus est, quam fides lenoniæ.
(*Plaut., Pers., act.* II, *scen.* 2).

Trabea erat vestis, cujus triplex genus. Primum purpura factum diis consecrabatur (*Arn., lib.* II, *pag.* 56). Aliud regum, et illud quoque purpureum, sed albi aliquid coloris mixtum habebat. Tertium augurale, purpura mixtum et cocco. Frequens illius apud bonos auctores mentio. Videsis Suetonium lib. de genere vestium, Isidor. lib. 19. Origin. capite 24 et aliorum de re vestiaria libros.

Trapetum, seu trapes, mola est olearia (*Ibid., p.* 59). Virgilius quippe dixit :

Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis.
(*Virgil., lib.* II *Georg., vers.* 519).

Quem in versum Servius : *Trapetis*, inquit, *molis olivaribus, et declinatur trapetum sicut templum. Terentianus : Quos super insidens trapetos signa gyris temperat. Quod metrum aptum est olivam terentibus.* Videsis Catonem lib. de Re rustica, cap. 20 et 22, ac Columellam lib. II, de Re rustica, cap. 50, et lib. III, cap. 2.

Tribula, seu tribulum quid sit (*Arnob., ibid.*), docet idem Servius in hoc Virgilii carmen :

Tribulaque, trabeæque, et iniquo pondere rastri.
(*Virgil., lib.* I *Georg., vers.* 164.)

Tribula enim, inquit ille, est « genus vehiculi ex omni parte dentatum, unde teruntur frumenta, quo maxime in Africa utebantur. » Adi, si velis, Varronem, lib. IV de Ling. lat., pag. 6, et lib. I de Re rust., cap. 52; Columellam, lib. I de Re quoque rustica, cap. 6, et lib. II, cap. 21.

Trilices vestes, a tribus liciis, ait Isidorus, dictæ (*Arnob., lib.* IV, *pag.* 144). Apud Virgilium enim legimus :

Loricam consertam hamis, auroque trilicem.
(*Virgil., lib.* III *Æneid., vers.* 467.)

Et alio in libro :

Lævibus huic hamis consertam auroque trilicem.
(*Lib.* V, *vers.* 259.)

In priorem autem versum Servius, *Trilicem*, ait *trino nexu intextam.*

Trullam et trulleos memorat Arnobius (*Arnob., lib.* II, *pag.* 56 *et* 59). Trulla autem, quemadmodum a Varrone discimus, idem ac ingens cochlear, et vas vinarium sonat (*Varr., lib.* IV *de Ling. lat., p.* 29). Sic autem ille : « Trulla, » inquit, « a similitudine truæ, quæ quod magna, et hæc pusilla, ut truula. Hinc græci τρυβλίον, nos trullam. Truæ quæ a culina in lavatrinam aquam fundunt. Trua, quod travolat ea aqua; ab eodem est appellatum trulleum. Simile enim figura, nisi quod latius concipit aquam, et quod manubrium cavum non est, nisi vinaria trulla accessit. » Priori autem sensu a Plinio, et posteriori a Cicerone accipitur, ubi sic invehitur in Verrem (*Plin., lib.* XXXVII. *natur. Hist., cap.* 2, *p.* 362; *Cic., orat.* 4, *contr. Verrem, p.* 172). « Erat etiam vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata, cum manubrio aureo..... Mittit etiam trullam gemmeam rogatum, velle eam se diligentius considerare; ea quoque ei mittitur. » Juvenalis vero vas potorium esse hoc significat versu :

Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.
(*Juvenal., satir.* 3, *vers.* 108).

Atque etiam Horatius :

Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis.
(*Horat., lib.* II, *satir.* 3, *vers.* 143 *et seqq.*)

Videsis præterea citatum jam a nobis Plautum (*Supr., ad verb.* LANCILULA), nec non Martialem, lib. IX, epigram. 98; Plinium, lib. XXXIV Nat. histor., cap. 2, pag. 91. Catonem, de Re rustica, cap. 10 et 11, et in Juvenalis carmen annotationes. Denique trulla est instrumentum cæmentarii omnibus notum : sed eo sensu ab Arnobio non sumitur (*Arnob., lib.* II, *p.* 73).

Tuceta, si Fulgentio credas, *dicuntur escæ regiæ* (*Fulgent., de prisco serm., num.* 4). Callim. in Pisæis :

Ambrosio redolent tuceta sapore.

Verum Johannes Britannicus in hoc Persii carmen :

Grandes patinæ tucetaque crassa.
(*Pers., satir.* 2, *vers.* 40.)

observat tuceta genus esse farciminis ex carnibus suillis minutim concisis. Nec ægre nobis probabitur hoc nomen illo sensu ab Arnobio accipi. Apuleius vero alicubi dixit : « Quis dominus parabat viscum furtim concisum, et pulpam frustatim collectam ad pascua virulenta; et quidem naribus. Jam mihi ariolabar tucetum per quam suavissimum. » Alibi vero : « Pulmenta recentia tucetis temperat, mensa largiter instructa » (*Apul., lib.* II *Metam., p.* 20).

Vannorum sirpiarumque vitores in Arnobii textu legimus (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 70). Nullus autem in hæc illius verba vel minimum quid annotavit; haud dubie quia difficilior locus, corruptusque, nec sanabilis visus est. Quid ergo si medicam manum ei afferre tentando, aliquis pro *sirpiarum* dixerit *sirpearum* legendum? Apud Varronem enim scriptum videmus, *sirpeas stercorarias*, et postea *sirpeam stercorariam* (*Varro, lib. de Re rustic.*, *cap.* 10 *et* 11). Alibi vero clarius quid sirpea sit, explicat: « Sirpea, » inquit, « quæ virgis stipatur, id est, colligando implicatur, in qua stercus aliudve quid evehitur. » Sirpea itaque canistri seu cophini genus est stercoribus aliisque rebus evehendis destinatum. Alio tamen sensu ab Ovidio accipitur, ubi hæc cecinit:

Nec mora: convivæ valido titubantia vino
Membra movent; dubii stantque labantque pedes.
At dominus: discedite, ait: plaustroque morantes
Sustulit, in plaustro sirpea lata fuit.

(*Ovid.*, *lib.* VI *Fastor.*, § 12.)

Id est, plaustrum seu vehiculum, quod tectum erat matta, vel storea, gallice *natte*. At si pro *vitores*, in Arnobii textu legas *venditores*, tribus tantum litteris vel abbreviatis, vel amanuensis librarii incuria omissis, planus apertusque erit Arnobii sensus. Proposito siquidem illius recte congruit, si *vannorum sirpearumque venditores* ibi appellentur. Nec mireris imperiti librarii oscitantia vel imperitia tres litteras fuisse prætermissas. Nam eadem pagina pro *mentiri*, tantummodo *iri* scripserat. Has tamen conjecturas aliorum arbitrio permittimus.

Vectitatus curru quadrijugo dixit Arnobius, pro vectus aut vectatus (*Arnob.*, *lib.* III, *p.* 183).

Verrucula collis haud semel ab illo dicitur editior altiorque cujuspiam collis locus (*Idem*, *lib.* II, *p.* 77, *et lib.* V, *p.* 156). Sic enim Cato, teste A. Gellio Verrulam locum editum et asperum appellat (*Gell.*, *lib.* VIII *Noct. Attic.*, *cap.* 7, *p.* 224). Sed auctor noster diminutivum nomen pro more suo adhibet.

Versuras in hujusmodi cogi, hoc est, in hujusmodi sensus, interpretationes, et explicationes fabularum seu historiarum converti, transferri, et adduci (*Arnob.*, *lib.* V, *p.* 187).

Vindicias justas dare est alicui cum altero de re aliqua disputanti jus, et quod suum est, tribuere, vindicare, et asserere (*Ibid.*, *lib.* IV, *p.* 128). Videsis Festum, et citatos ab illo auctores, atque Gellium, et variorum in illum observationes (*Fest.*, *ad verb.* VINDICIÆ; *Gell.*, *lib.* XX, *cap.* 10).

Vinum acoris in perfidiam repente mutari; hoc est, vinum contra naturam suam acidum fieri (*Arnob.*, *lib.* I, *p.* 12).

Vitiligines fœdæ, et albicantes, ab auctore nostro dicuntur (*Ibid.*, *pag.* 26, 28 *et* 30). « At vitiligo, » inquit Festus, « in corpore hominis macula alba, quam Græci ἄλφον vocant, a quo nos album: sive a vitio dicta, etiamsi non lædit: sive a vitulo, propter ejus membranæ candorem, qua nascitur, involutus. Lucilius: Hæc odiosa mihi vitiligo est. Non dolet, inquit. » (*Fest.*, *ad verb.* VITILIGO.) A Seneca vero id scriptum legimus: « Creditum est quasdam aquas scabiem afferre corporibus, quasdam vitiliginem, et fœdam ex albo varietatem. » (*Senec.*, *lib.* III *Natur. quæst.*, *cap.* 26, *p.* 434.) Quidam autem hanc vitiliginem lepram esse opinantur.

Ulpicum genus allii grandius est, quod Græci, ut refert Columella, ἀφροσκόδορον, quidam allium punicum, vel Cyprium, sicuti docet Plinius, alii antiscorodon appellant (*Arnob.*, *lib.* II, *p.* 85; *Columell.*, *lib.* XI *de Re rustic.*, *cap.* 3; *Plin.*, *lib.* XIX *Histor. nat.*, *cap.* 6, *p.* 597). De illo Plautus cecinit (*Plaut.*, *in Pœnul.*, *act.* V, *scen.* 5):

Tum autem plenior
Allii ulpicique, quam sunt Romani remiges.

Videsis adhuc Palladium, de Re rustic., lib. XII, cap. 6.

Volumina, vide supra Pollinctores.

Ustrina a Festo sic describitur: « Ubi combustus quis tantummodo, alibi vero est sepultus, is locus ab urendo ustrina vocatur. » Ab Arnobio autem ea significatione sumi evidentissime patet (*Arnob.*, *lib.* VII, *p.* 222; *Festus*, *ad verb.* BUSTUM); quandoquidem ibi scribit ethnicorum altaria, ubi animalia immolabantur, esse *infelicissimi animalium generis ustrinas*, rogos et busticeta.

Alia adhuc inusitata, exsoleta, barbara, obscura verba in illius libris haud infrequenter occurrunt. Sed ea suis locis, quando opportuna occasio data est, breviter explanavimus.

ARNOBII AFRI

DISPUTATIONUM ADVERSUS GENTES

LIBRI SEPTEM.

LIBER PRIMUS.

INDEX CAPITUM.

Profitetur Arnobius a se susceptum opus, ut sæpius inculcatam calumniam propulsaret, qua ethnici propter abdicatum a christianis falsorum numinum cultum eos publicarum omnium calamitatum auc-

tores esse falso ac temere accusabant... Cap. 1, 2. A

Manifestum itaque facit, a christianæ religionis exordio, nihil in rerum natura, nihil in privatis publicisque hominum negotiis, aut mutatum aut relaxatum et dissolutum. *Cap.* 2, 3.

Ethnicos refutat objicientes, impietate christianorum deos offensos, mundum pestilentia aliisque calamitatibus obruere: ex ipsis enim gentilium historiis compertum est homines ante auditum umquam christianorum nomen aut iisdem aut etiam gravioribus cladibus fuisse vexatos. *Cap.* 3, 4.

Demonstrat quoque tam certum esse crudelia bella ab Atlanticis, Assyriis, Bactrianis, Persis, Græcis, Trojanis et Romanis, a Nino, Zoroastre, Xerxe, Alexandro Magno, aliisque olim gesta fuisse, quam constare, illa post Christi ortum imminuta fuisse. Cap. 5, 6. B

Inquirit, cur tot tantisque malis ex ethnicorum sententia mundus prematur. Docet vel hæc ad causas naturales referenda esse; vel mala videri hominibus, omnia commoditate sua metientibus, quæ certe toti naturæ et mundo utilia sunt. *Cap.* 7-12.

Quam præpostere autem ethnici mala omnia in Christianos trecentis circiter abhinc annis exortos refundenda esse clamitarent, variis rationibus scite coarguit. *Cap.* 13-16.

Absurdum vero dictu esse demonstrat, iram cadere in deos immortales, nullamque simul æquitatem iisdem inesse, si ob illatas sibi a Christianis injurias, earum pœnas tam ab ipsis quam ab insontibus; ut aiebant, ethnicis ullo absque discrimine repetierint. Concluditque has ridiculas criminationes sola aruspicum, C *ariolorum et vatum avaritia esse confictas. Cap.* 17-24.

Respondet ethnicis objicientibus deos ideo in homines sævire, quia Christiani novum cultum in terrarum orbem invexerunt. Hinc edocet, in quo potissimum totius Christianæ religionis summa consistat. *Cap.* 25, 26, 27.

Exinde arguit meliorem esse Christianorum causam, quam eorum, qui falsa numina reverentur. Patrem enim illum adorant, a quo ipsimet gentilium dii, si qui sunt, accipere debuerant quidquid numinis et majestatis habere creduntur. *Cap.* 28.

Illum autem verum Deum rerum omnium esse opificem ex effectibus probat Arnobius; Apolline, Mercurio aliisque omnibus fictitiis numinibus antiquiorem, infinitum, ingenitum, immortalem, æternum. D *Cap.* 29, 30, 31.

Cuilibet a natura insitum esse asserit, ut hunc agnoscat regem summum et omnium moderatorem: quin et animalia et saxa ipsa, si forte loquerentur, id aperte palamque clamarent. Frustra igitur ethnici Jovem summum Deum prædicant, quem scilicet solito hominum more natum noverunt, cum tamen summus Deus ingenitus sit atque æternus. Cap. 31 33.

Occurrit ethnicis Christianos insimulantibus, non quod Deum omnipotentem venerentur, sed quia hominem natum et infami crucis supplicio interemptum Deum esse contendant. *Cap.* 36, 37.

Si vero, inquit Arnobius, fas fuit ethnicis, quosdam in deorum numerum referre propter collata sibi, ut putabant, beneficia: quanto magis Christus honore divino ab hominibus habendus est, qui illis multa majora et infinita abundantissime contulit? *Cap.* 38, 39.

At ille, inquiebant ethnici, crucis patibulo affixus interiit. Quid inde? Non enim mors Christi, sicut nec Pythagoræ nec Socratis, ejus doctrinæ egregiisque factis ullum attulit detrimentum. Quid vero, quod nulla mortis infamia innocens homo, quemadmodum Aquilius, Trebonius et Regulus, inuri umquam potest? Quid insuper irrisione magis dignum hac argumentatione gentilium, qui Liberum a Titanibus discerptum, Æsculapium fulmine percussum, Herculem vivum combustum aliosque morte violenta sublatos superstitioso cultu honorabant? *Cap.* 40, 41.

Christus porro a summo Rege ad nos missus innumeris, quæ patravit, miraculis tam certo quam evidenter verus esse Deus comprobatur. Christi miracula summatim exposita, ex quibus divinitas ejus adstruitur. *Cap.* 42-47.

Neque his opponi poterant curatæ ab ethnicorum diis infirmæ nonnullorum hominum valetudines. Nam, hoc interim gratis dato, certum est, a nullo umquam gentilium Deo, sicuti a Christo, ægris hominibus, sola adhibita manu aut voce, redditam sanitatem. Cap. 48.

Neque patitur auctor sibi objici, opem a diis ferri non malis quidem, sed bonis piisque hominibus. Christus enim malis omnibus æqualiter ac bonis succurrit. Vera præterea esse Christi miracula ostendit adhuc Arnobius ex illa prorsus mirabili potestate, quam dedit etiam infimæ plebis hominibus, quælibet solo ipsius nomine prodigia edendi. *Cap.* 49-52.

Et sane quantæ magnitudinis et potestatis sit ipse Christus, sublimis et ab intima radice Deus, tametsi hominibus olim incognitus, vel solis quæ, ipso moriente, facta sunt miraculis evidentissime demonstratum est. *Cap.* 53.

Christi miraculorum veritas comprobata primum ex testibus locupletissimis, Christi discipulis, qui certo capitis periculo ea publicarunt et posteris tradiderunt: deinde vero ex eo, quod Christiana religio iis stabilita et confirmata, brevissimo tempore in toto terrarum orbe suscepta est. *Cap.* 54, 55.

Neque demum ea miracula a scriptoribus nostris aut scripta mendaciter aut nimium exaggerata probat Arnobius. Quin etiam tam vera sunt, quæ nostris in Libris de Christo scripta fuere, quam falsa, quæ gentiles de diis suis tradiderunt. *Cap* 56, 57.

Retundit Arnobius ethnicos urgentes, hinc scripta sua esse antiquiora atque idcirco veriora, illinc vero nostra fuisse ab indoctis hominibus sermone rudi atque impolito exarata. *Cap.* 58, 59.

Satisfacit auctor ethnicis, qui a Christianis postulabant, cur Christus, si Deus sit, humanam formam induit et more humano est interemptus. *Cap.* 60, 61, 62.

Respondet iisdem reponentibus, incredibile prorsus esse Christum Deum et hominem humana tantum natura visum ac patibulo adfixum vitam finiisse: ostenditque,

Christum ad sanandos erudiendosque homines, tanta lenitate, quanta libertate passum esse se ab impiis occidi. *Cap.* 63.

Quapropter Arnobius acriter arguit ethnicos, qui tametsi tyrannis divinos deferrent honores aliosque omni impietatis ac sceleris genere contaminatos summis extollerent laudibus statuisque donarent; solum nihilominus Christum, verum, maximum ac maxime salutarium nuntium, iniquissimo atque implacabili odio persequebantur. *Cap.* 64.

A *Quid enim iniquius, inquit, et crudelius, quam virtutum omnium Dominum mortisque extinctorem bello acerbissimo semper lacessere, qui permissa morte hominis, quem gestabat, certam de futura animarum nostrarum salute, si pie vixerimus, spem omnibus fecit?* *Cap.* 65.

I. Quoniam comperi nonnullos, qui se plurimum sapere suis persuasionibus credunt, insanire, bacchari, et velut quiddam promptum ex oraculo dicere:

COMMENTARIUS.

Arnobii Disputationum adversus gentes libri VII. Hæc est horum librorum ἐπιγραφὴ in editione romana, et aliis omnibus quæ ab ea propagatæ sunt. At in ms. observant scriptum *Adversus nationes*. Res una et eadem est. Ipse noster lib. III: *Ad unius credulitatis assensum mente una concurrere gentes et populos fecit, et moribus dissimillimas nationes.* Lib. V, cap. 13: *Quid dicitis, o gentes! quid hujusmodi deditæ opinionibus nationes?* Infideles omnes populi appellantur in libris veteris Testamenti גוים, et inde in apostolicis libris et evangelistarum monumentis ἔθνη; nempe quia præter populum Deo peculiarem Judææ terminis inclusum, et postea præter paucos fideles, gentes omnes aliæ et nationes, vero Deo ignorato, idolis serviebant. Hinc igitur vetus Ecclesia appellationes illas retinuit, donec, ruente idololatria et christiana pietate longe lateque diffundente se, facies rerum mutari cœpta est. Tunc enim, quum christiani imperatores terrarum orbi præsiderint, et Ecclesiæ Christo ubique conderentur, contra idolorum templa clauderentur et everterentur, simul cum appellationis causa, appellatio quoque illa mutata est; et pro nationibus, gentibus, ethnicis, pagani appellari cœperunt, quippe non amplius terrarum orbem occupantes, sed in angustum coarctati, et quasi pagis tantum quibusdam conclusi. Nec dubito quin hæc vera appellationis ratio fuerit; atque sententiam meam non inutiliter affirmat, quod ab aliis etiam observatum est, incognitam fuisse appellationem istam, antequam ad christianos imperatores imperium devolutum esset. HERALDUS.

E Fragmento Commentarii Salmasiani in Arnobium edito ab J. A. Fabricio ad calcem operum sancti Hippolyti, tom. II, pag. 122-134, ubi vir eruditionis immensæ de nominibus et prænominibus Romanorum, more suo, ample satis, sed docte disputat, paucissima quæ ad nomen Arnobii spectant, hic delibasse sufficiat. Incipit quærere vir doctissimus quare nomen Arnobii nude hic absque prænomine et cognomine inscribatur. Fecit scil. hoc Arnobius, more Græcorum, plerumque, qui pristinam semper consuetudinem retinuerunt, ut unico nomine gauderent; quamquam vix dubitandum est, quin plura nomina habuerit Arnobius, quod solemne fuit non Romanis tantum, sed etiam Hispanis, Gallis, Afris sub Romanorum imperio degentibus usque ad Constantinum, per quem usus prænominum abolitus fere est, qualis olim nimirum erat, ut Titus aliquis, aut Marcus, aut Aulus, aut Cnæus ante alia nomina vocaretur; retentum tamen, ut plura haberent nomina, quorum prima quæque prænominis vicem obtinuisse videri possunt, et vel ex eo colligi potest, nomen hoc illi proprium fuisse; siquidem ex pluribus cum unum præcipue seligitur, præteritis cæteris, id maxime proprium videtur, quo solo quis nominatur. Fecerunt idem alii quoque ejusdem fere ætatis scriptores, v. c. Agellius (ita citatus ab Augustino, de Civitate Dei, lib. IX, cap. 4, et libris omnibus antiquis, ex quo nomen A. Gellii postea per editiones vulgatum est), et Apuleius, cui Lucii prænomen ascripserunt editiones, cum minime tamen id compareat in pluteariis libris, in quibus legitur tantum: Incipit primus liber Metamorphoseos Apuleii. Atque ita deinceps et in cæteris ejus scriptis. Sane quod ad Agellium et Apuleium attinet, græci moris imitatione id eos factitasse verosimile est, cujus magnam in omnibus affectationem produnt. Verum et Arno-B bius nomen mere græcum est. Ἀρνόβιος, ut Ζηνόβιος, Μακρόβιος, Πολύβιος. Nec enim gentilicium est, ut Apuleius, sed ut græcanica dura nomenclatura est, ita ex eorum nominum genere existit, quæ vicem cognominis in libertis habere solita erant, prænomine ac nomine dominorum præpositis. Liberti quippe, prænomine ac nomine domini adscito, tertium suum addebant proprium et græcum. Exempla passim obvia apud auctores et in antiquis inscriptionum monumentis. Sic enim sese vocabant: A. APPULEIUS, A. L. THYASUS, hoc est Aulus Appuleius, Auli libertus, Thyasus. Nomen servi græcum Thyasus, qui dominum habuit Aulum Appuleium, sic vocatum prænomine et nomine: cognomen ignoratur. Ab eo manumissus, assumpto prænomine et nomine, vocatus est Aulus Appuleius Thyasus. Hoc in omnibus perpetue et constanter observatum. Libertini autem nomen proprium paternum, quod in patre vice cognominis fuit, post ejusdem emancipationem converte-C bant in nomen quasi gentilicium, ac de nomine patroni gentilicio prænomen plerumque faciebant hoc modo: Flavius Sosipater Charisius. Sosipater nomen proprium, Charisius patris. Sosipater, qui Flavius nominabatur, ab aliquo patrono ex gente Flavia manumissus. Sic ille Thyasus si filium habuisset nomine Epaphroditum, sic nuncupandus secundum hanc regulam veniret: Appuleius Thyasus Epaphroditus. Aliquando etiam prænomen patroni paterni retinebant libertini. Quemadmodum vero plura nomina habuisse videtur Arnobius, ita incertum est, utrum nominis an cognominis ei loco fuerit hæc appellatio. Hæc Salmasius.

I. — *Insanire, bacchari.* Id est tamquam vates deo impletos id affirmare. Arioli scilicet et vates existimati furere propter motus illos, quibus tamquam divina vi concitati rotabantur. Ita Virgilius, Æn. III, 445: *Insanam vatem aspicies;* et VI, 78: *Bacchatur vates.* HERALDUS et PRIOR. — Sic et Minucius Felix Octav. cap. 27: *Vates et ipsi absque templo sic insa-*D *niunt, sic bacchantur, sic rotantur.* Conf. Oudend. ad Apulei. Met. III, p. 211. ORELL.

Et velut quiddam promptum ex oraculo dicere. Id est tamquam certissimum quid et indubitatum audacter et magnifice pronuntiare. Nam oracula cum brevitatis majestate, tum rei veritate habebantur augustissima; nec de iis dubitandum existimabant, quæ ἐκ τρίποδος Deus cecinisset. Cicero apud Augustinum, de Civ. Dei, lib. II, cap. 21, de hoc Ennii versu: *Moribus antiquis res stat Romana virisque. Quem quidem ille versum*, inquit, *vel brevitate vel veritate tamquam ex oraculo mihi quodam esse effatus videtur.* Idem pro Fonteio, cap. 7: *Si, quidquid ex illo loco dicetur, ex oraculo dici arbitrabitur.* HERALD. et ELMENHORST. — Conf. Juret. ad Symmach., lib. II, Epist. VII, p. 77, ed. Lectii. ORELL.

postquam esse in mundo christiana gens cœpit, terrarum orbem periisse, multiformibus malis affectum esse genus humanum; ipsos etiam cœlites, derelictis curis solemnibus, quibus quondam solebant invisere res nostras, terrarum ab regionibus exterminatos: statui pro captu, ac mediocritate sermonis contraire invidiæ, et calumniosas dissolvere criminationes, ne aut illi sibi videantur, popularia dum verba depromunt, magnum aliquid dicere; aut, si nos talibus continuerimus a litibus [a], obtinuisse se causam putent, victam sui vitio, non assertorum silentio destitutam. Neque enim negaverim validissimam esse accusationem istam, hostilibusque condignos odiis nos esse, si apud nos esse constiterit causas, per quas suis mundus aberravit ab legibus, exterminati sunt dii longe, examina tanta mœrorum mortalium importata sunt sæculis.

II. Inspiciamus igitur opinionis istius mentem, et hoc quod dicitur, quale sit: summotisque omnibus contentionum studiis, quibus obscurari et contegi contemplatio rerum solet, an sit istud quod dicitur verum, momentorum parium examinatione pendamus. Efficietur enim profecto rationum consequentium copulatu, ut non impii nos magis [b], sed illi ipsi reperiantur criminis istius rei, qui se numinum profitentur esse cultores, atque inveteratis religionibus deditos. Ac primum ab his illud familiari et placida oratione perquirimus: postquam esse nomen in terris christianæ religionis occœpit, quidnam invisitatum, quid incognitum, quid contra leges principaliter institutas, aut sensit aut passa est rerum ipsa quæ dicitur appellaturque natura? Numquid in contrarias qualitates prima illa elementa mutata sunt, ex quibus res omnes consensum est esse concretas? Numquid machinæ hujus, et molis, qua universi tegimur, et continemur inclusi, parte est in aliqua relaxata, aut dissoluta constructio? Numquid vertigo hæc mundi, primigenii motus moderaren excedens, aut tardius

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ab litibus *Ms.*

[b] Impii magis. nos *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Postquam esse in mundo christiana gens cœpit, terrarum orbem periisse. Ita ascribebant eo tempore causas malorum omnium christianis, et deos aiebant christianorum impietate exasperatos mala omnia, quæcumque humanum genus urgebant, excitare. Conf. Tertullian. Apologet., cap. 40; Augustin., de Civ. Dei, lib. II, cap. 2 et 3; Cyprianus ad Demetrianum, etc. Postea quum principum christianorum imperio idolorum templa clauderentur, et gentilis superstitio prohiberetur, huic etiam causæ mala sæculi tribuebant, et inde Orosio data occasio scribendæ historiæ. HERALD. et ELMENH.

Quibus quondam solebant invisere res nostras. Pervulgata opinio apud veteres. Vide Catulli Epithalam. v. 382, seqq.; Ovid. Metam. I, 145-150. Fast. I, 247 seqq. ORELL.

Popularia verba. Hoc est sermones ortos ex imperitia populari, qualesque repetere indignissimum fuisset hominibus doctrina excultis. Similiter Augustinus, de Civit. Dei, lib. II, cap. 3: *Memento autem, me ista commemorantem adhuc contra imperitos agere, ex quorum imperitia illud quoque ortum est vulgare proverbium: Pluvia defecit causa christiani nominis.* HERALD.

Hostilibus condignos nos odiis esse. Christiani enim publici hostes et existimabantur et appellabantur. HERALD.

Exterminati sunt dii longe, examina tanta mœrorum mortalium importata sunt sæculis. Hanc lectionem restituit Stewechius e Cod. msto. Editio Rom.: *Exterminati sumus, dum longe*, etc., quod Gelenius depravaverat hoc modo: *Exterminandi sumus, si per nos examina*, etc., sequente Elmenhorstio. Meursius in Critico Arnobiano, pag. 1, legendum existimat: *Exterminati simus longe, dum examina*, etc., *exterminati simus* explicans *exterminemur*. At si aliis verbis repetere voluisset Arnobius id quod dixerat in antecedentibus: *hostilibus condignos nos odiis esse*, dixisset proculdubio, *tollendi*, *necandi sumus*, aut simile quid. Nam *exterminare* non est interimere, sed extra terminos mittere, e civitate ejicere. Vid. Nonius h. v. ibique Mercerus pag. 98, quod contra Rothium bene monet Heusinger. ad illum Ciceronis locum de Offic. lib. II, cap. 23: *Exque eo tempore tantæ discordiæ secutæ sunt, ut et tyranni existerent, et optimates exterminarentur, et præclarissime constituta respublica* (Lacedæmoniorum) *dilaberetur.* Conf. Bunemann. ad Lactant. Inst. lib. VI, cap. 19, pag. 810 seq.; Adr. Behotius in Apophoretis lib. I, cap. 9, conj. *exterminatis summis et diis longe, examina*, etc. Sed bene habet Codicis lectio. ORELL.

Importata sunt sæculis. Vide infra, cap. 3. Ita Lactantius in Epitome, cap. 46, § 8: *Pro hoc importavit illis Deus mala*, ubi multus est de hoc verbo Bunemannus, pag. 1285. *Mortalium sæcula* nihil aliud significat quam genus humanum. Vide infra, lib. VII, cap. 24. ORELL.

II. — *Opinionis istius mentem.* Alii *fontem.* Sed statim ipse se explicat Arnobius *et hoc quod dicitur quale sit:* ut nos dicimus: *was daram sey, was duhinter steke.* ORELL.

Contentionum studiis. Sic Augustinus Confes., lib. XII, cap. 18: *Nolo verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* ELMENH.

Ut non impii nos magis, sed illi ipsi, etc. Crimen objectorum malorum impietatisque ad nationes retorquent et alii scriptores, v. c. Tertullianus, in Apologet., cap. 41; Lactantius, Inst., lib. V, cap. 8; Cyprianus ad Demetrianum. ELMENH.

Quidnam invisitatum, quid incognitum, etc. Sic habet editio Lugd. Bat. e correctione J. Meursii in Critico, pag. 4. Alii *inusitatum.* Sed *invisitatum et incognitum* est numquam antea neque visu, neque auditu cognitum, et in sequentibus Arnobius talia tradit, quæ non tantum a quotidiano usu abhorrent (hoc enim esset *inusitatum*), sed quæ plane numquam vidit vel audivit genus humanum. ORELL. — *Invisitatum* et *inusitatum* sæpe confundi, monuerunt Lipsius Epistol. Quæst. lib. II, cap. 26; Hottingerus V. Cl., ad Cic. de Divin. I, pag. 317; Fr. A Wolf. ad Sueton. vol. I, p. 166 seq.; Oudendorp., ad eumdem Suetonii locum; August., cap. 13. Idem copiose docuit Menkenius in Obss. lat. ling., v. 760, *invisitatus.* JAC. OCHSNERUS.

Contra leges principaliter institutas. Hoc est a Deo rerum omnium moderatore ac principe in ipsis rerum primordiis constitutas. Ita apud Tertullianum non semel. HERALD.

Vertigo hæc mundi. Id est *mundi incitatissima conversio*, ut ait Cicero in Somn. Scip., cap. V, *der Umschwung, die Kreisbewegung des Himmels.* Ita Plinius, Hist. Nat., lib. II, cap. 3, mundum *molem* dicit *rotatam vertigine assidua.* ORELL. — *Mundus* pro cœlo, ut fere semper in hoc scripto, ab Arnobio, ponitur, et a plu-

repere, aut præcipiti cœpit volubilitate raptari? Numquid ab occiduis partibus attolere se astra, atque in ortus fieri [a] signorum cœpta est inclinatio? Numquid ipse siderum sol princeps, cujus omnia luce vestiuntur, atque animantur calore, exarsit, intepuit, atque in contrarios habitus moderaminis soliti temperamenta corrupit? Numquid luna desivit redintegrare se ipsam, atque in veteres formas novellarum semper restitutione traducere? Numquid frigora, numquid calores, numquid tepores medii inæqualium temporum confusionibus occiderunt? Numquid A longos habere dies bruma, revocare tardissimas luces nox cœpit æstatis? Numquid suas animas expiraverunt venti? emortiusque flaminibus neque cœlum coactatur in nubila, nec madidata ex imbribus arva succedunt? Commendata semina tellus recusat accidere, aut frondescere arbores nolunt? sapor frugibus esculentis, et vitis liquoribus mutatus est? olearum ex bacculis cruor teter exprimitur, nec lumini subministratur extincto? Animalia terris sueta, atque in aquis degentia non suriunt, nec concipiunt?

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Sab.* In ortus ferri *Fulv.*

COMMENTARIUS.

rimis veterum, Manilio, Lucretio et aliis. Festus: B *Mundus appelatur cœlum, terra, mare et aer.* Macrobius ad Somn. Scip., lib. II, cap. 20: *Non solum terram, sed ipsum quoque cœlum, quod vere mundus vocatur, temperari a sole certissimum.* Lib. II, cap. 20, *unde et mundanus dicitur, quia mundus proprie cœlum dicitur.* Ennius in Scipione:

— Mundus cœli vastus constitit silentio. MEURSIUS.

Cujus luce omnia vestiuntur. Ita de sole, Lucretius, II, vers. 145:

Quam subito soleat sol ortus tempore tali
Convestire sua perfundens omnia luce,
Omnibus in promptu, manifestumque videmus.

Et Virgilius Æn. VI, 640:

Largior hic campos æther et lumine vestit
Purpureo.

(CANNEGIETER., *Epist. ad J. D. Hortens. in van Hoven Ot. Litt.*, p. 72.)

Calore, exarsit, intepuit. Sic interpungendum, ut *calore* referatur ad præcedens *animantur.* Quod visum etiam doctissimo viro Petro Bertio. *Exardere* vero dixit pro *ardere desiit*, quemadmodum etiam Martialem uti observavi, lib. III, Epigr. 66:

Jam prono Phaethonte sudat Æthon
Exarsitque dies.

MEURS., p. 3. — *Intepuit* est *tepefacto ardore* (ardoris detrimenta passus) *deriguit*, ut ipse Arnobius infra. *Tepere* scilicet ubi cum frigore confertur, calorem signare; si cum calore componatur, frigiditatem, multis exemplis ostendit Behotius in Apophoret., lib. III, cap. 3. ORELL.

Moderaminis soliti temperamenta. Id est: mediocritatem illam inter nimium calorem et frigus, qua sol terræ moderatur. Ita sæpissime apud veteres *temperies. temperatura cœli.* ORELL.

Novellarum semper-restitutione. Nota ὑφὲν *semper-restitutione.* Sic Lucretius, quem sæpissime imitatur Arnobius noster, lib. I, 125:

Unde sibi extortam semper-florentis Homeri
Commemorat speciem.

Ita quoque *semper-lenitas* apud Terentium Andria, act. I, scen. 2. MEURS., *p.* 4. — At Lucretii locus nihil probat. ORELL.

Numquid tepores medii inæqualium temporum confusionibus occiderunt? Pessime Meursius: *acciderunt. tepores medii* sunt tepores veris et autumni, qui occidunt in æqualibus temporibus sive anni tempestatibus, æstate scil. et hyeme cum illis confusis. ORELL.

Tardissimas luces. Luces h. l. pro *diluculo.* ORELL.

Numquid suas animas exspiravere venti. Scholiastes vetus ad notissimos illos Horatii versus, IV, Od. 12:

Jam veris comites, qui mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ.

Usitatum est, inquit, *poetis animas nominare flatus, allusione vocabuli Græci* ἄνεμος. ELMENH. — Plura exempla citavit Meursius, in Critico suo. pag. 4, et C. Barthius in Adversar., lib. III, cap. 12. ORELL.

Emortuisque flaminibus. Veteres omnia deficientia *mori* dicebant ex Pythagoræorum sententia, qui omne, quod cresceret, animam habere censebant. Virgilius, Georg. I, 107:

Et cum exustis ager morientibus æstuat herbis.]

Ubi videndus Servius. Persius Satyra 4:

Pannosam fæcem morientis sorbit aceti.

Cyprianus contra Demetrianum: *Vinea licet fallat, et olea decipiat, et herbis siccitate morientibus æstuans* C *campus arescat, quid hoc ad Christianos?* et ipse Arnobius infra: *Difficiles pluviæ sata faciunt emori.* MEURS., pag. 5.

Coactatur. Ita editor Lugd. Bat. ex conjectura Fulvii Ursini verissima, quam Elmenhorstius in Var. Lectionum libello exemplorum nube astruit, probante etiam Adr. Behotio in Apophoretis. *Coactare* scil. frequentativum a *cogere* est verbum antiquum et Lucretianum (Conf. de Rer. nat., VI, vs. 1120), qualia multis in locis in Arnobio antiquitatis studiosissimo imitatore sunt restituenda. *Coguntur nubes cœlo*, συνάγονται, centies apud veteres, *coarctantur* (ut cæteri habent, etiam recentissimus editor, Oberthür) non item, nisi de iis sermo sit, quæ in στενοχωρίας et montium convalles ventis compelluntur. ORELL.

Nec madidata ex imbribus arva succedunt? Hæc est Th. Canteri emendatio, excepta tantum præpositione *ex*, quam nos addidimus. Codex ms. habet: *nec madidari ex imbribus arva succedunt*, quam tuetur Heraldus *succedunt* dictum putans pro *pergunt.* D Sed *succedere* vix est pergere simpliciter, sed pergere in labore, quem alius inchoaverat. Meursius, pag. 5, conj. *madidari..... succedit.* Gelenius edidit: *nec madidata imbribus arva succescunt*, id est succum capiunt. Salmasius edidit *nec madori ex imbribus arva succescunt.* Behotius in Apophoretis, lib. III, cap. 3, conj. *madidari .... suescunt.* Præpositio *ex* non debebat offendere Grotium legentem: *nec madidarier imbribus arva succedunt*, et Canterum. Solet enim Arnobius præpositiones *ex*, *de*, *in* abundanter ponere imitatione Græcorum, qui ἐκ eodem modo usurpant. ORELL.

Et vitis liquoribus mutatus est. Hæc est verissima lectio quam e Codice msto eruit J. Meursius in Appendice. Sabæus et Gelenius ed. *exustis liquoribus.* ORELL.

Non suriunt. Ita editor Leidensis ex emendatione F. Ursini. Codex ms. habet: *non esuriunt*, quod tuetur Heraldus, *esurire* accipiens pro *surire*, ut *egelidum* pro *gelidum*, illique astipulatur Behotius

fœtus non in uteris sumptos suis moribus, et sua lege custodiunt? Ipsi homines denique, quos per inhabitabiles oras terræ sparsit prima incipiensque navitas, non matrimonia copulant nuptiarum solennibus justis? non dulcissimas procreant liberorum stirpes, non negotia publica, non privata, et familiares res agunt? non, ut cuique libitum est, per diversas artium, disciplinarumque rationes ingenia dirigunt, et studiosæ referunt navitatis usuras? Non regnant, non imperant, quibus sors rerum attributa est talium? non auctiores quotidie dignitatibus et potestatibus fiunt? judiciorum disceptationibus præsunt? leges interpretantur et jura? Nonne omnia cætera, quibus vita succingitur et continetur humana, suis omnes in gentibus patriorum celebrant institutionibus morum?

III. Cum igitur hæc ita sint, neque ulla irruperit novitas, quæ tenorem perpetuum rerum dissociata continuatione diduxerit: quid est istud, quod dicitur invectam esse labem terris, postquam religio christiana intulit se mundo, et veritatis absconditæ sacramenta patefecit? Sed pestilentias, inquiunt, et siccitates, bella, frugum inopiam, locustas, mures, et grandines, resque alias noxias, quibus negotia incursantur humana, dii nobis important injuriis vestris atque offensionibus exasperati. Si in rebus perspicuis, et nullam desiderantibus defensionem, non stoliditatis esset diutius immorari, ostenderem profecto, replicatis prioribus sæculis, mala ista, quæ dicitis, non esse incognita, non repentina; nec postquam [a] gens nostra [b] felicitate donari hujus vocaminis meruit, irrupisse has labes, et infestari cœpisse discriminum varietate mortalia. Si enim nos sumus in causa, et

LECTIONES VARIANTES.

[a] Priusquam. *Fulv.*

[b] Genus nostrum *Ms. male.*

COMMENTARIUS.

lib. I, credens primam et propriam verbi *esurire* significationem fuisse coitum appetere, postea propter honestiorem usum translatam ad cibi appetentiam. Sed Arnobius infra constanter habet *surire*. *Surire* proprie de suibus fœmellis verrem appetentibus. Vid. Festus verb. *Suillum*, ibique Scaliger, et Nonius verb. *Catullire*. Sed de maribus usurpant Apuleius in Apologia: *Qui eorum coitu progignuntur: qui ex limo coalescant: quoties et quid anni cujusque eorum generis fœminæ subent, mares suriant;* et ipse noster infra, lib. v, cap. 28, de Baccho: *Lascivia deinde surientis assumpta, huc atque illuc clunes torquet*. Ita *καπρᾷν* apud Græcos, *κάπρος, τὸ αἰδοῖον τοῦ ἀνδρὸς*, ut docet Meursius, in Critico suo, pag. 6. Conf. Behotius, qui de hoc verbo multus est, et P. Burmanus II, in Antholog. lat. Epigr., vol. I, pag. 629. ORELL.

In uteris sumptos. Cannegieter. mavult *sutos*, hoc est tunicis, membranis insutos in corpore materno. Male *sumptos in uteris* dictum pro *conceptos*, *assumptos in uteros*. Ablativus pro accusativo, ut postea videbimus. ORELL.

Inhabitabiles pro simplici *habitabiles*, ut *inhabitare* pro *habitare*. HERALD. Elmenhorstius *in* negative accipit, male. ORELL.

Navitas. Alii: *nativitas*. Immo vero non *nativitas*, sed *navitas*, id est industria et labor in quærendo victu dissociavit primo mortales. Hanc vocem ergo repone. CANNEGIETER.

Non matrimonia copulant nuptiarum solemnibus justis. Stewechius legendum censet *matrimonia ..... justa*, quemadmodum a jurisprudentibus dicuntur *justæ nuptiæ, justa servitus, liberi justi*. At recte Heraldus defendit lectionem Codicis. *Nuptiarum solemnia justa* sunt nuptiarum ritus solemnes, *τὰ νομιζόμενα τῶν γάμων*. *Justa* scil. hoc loco substantive. Ita *justa operum et laboris* apud Columellam de Re Rust. VI, 3. Conf. Nic. Heins. Adversar. pag 462, ed. Burmanni. ORELL. — Sic et Ovidius, Metam., II, 627:

...... Injustaque justa peregi. OSCHNER.

Ingenia dirigunt. Ms. præmittit *et*. Non male. Pro *dirigunt* autem habet *derigunt*. Sed solemne scripturariis *e* pro *i* scribere. MEURS., *in Append.*

Et studiosæ referunt gnavitatis usuras. Hæc est palmaria Fulvii Ursini emendatio, merito ab editore Leidensi in textum recepta. Vulgo legitur *studiose referunt nativitatis usuras*, quod Stewechius mutavit in *studiosæ nativitatis usuras*. At vellem nobis explicasset quid sit *studiosa nativitas*. Nativitatem enim pro nativa indole dici posse vix crediderim. Reponendum itaque est *gnavitatis* vel *navitatis*, quod unice verum est, et a librariis facillime corrumpi poterat in *nativitatis*. ORELL.

Quibus sors rerum attributa est talium? Non auctiores, etc. Sic e cod. ms. restituit Meursius in Append. Antea edebatur: *attributa est? Talibus*, etc. Abutitur acumine suo Gelenius V, *talium* plane delens. Cannegieter. mavult *talis*, scil. sors, ut *regnent atque imperent*. ORELL.

Succingitur. Proprie de armis quibus corpus defenditur. Hinc per metaphoram de bonis quibuscumque, sive animi, sive corporis. Sic Petronius, cap. v, 21:

...... His animum succinge bonis. ORELL.

III. — *Tenorem ...... diduxerit*. Ita legendum esse docent verba *dissociata continuatione*. Cod. ms. *deduxerit*, quod frustra defendit Canterus. De vi verbi *irrumpere*, vide quos laudat Bunemann ad Lactant., lib. I, cap. 20, pag. 126. ORELL.

Quibus negocia incursantur humana. *Negotia humana* i. q. res humanæ. Sic infra: *et corporibus labem ferat et negotia infirmet humana*. *Incursantur* autem dicit verbo significantissimo. Tractum enim a militibus est populantibus omnia et vastantibus. Εἰσβάλλειν Græci dicunt. HERALD.

Felicitate donari hujus vocaminis meruit. *Meruit* Heraldus interpretatur *cœpit*. At vero *merere*, *mereri* hanc significationem non habet; sed dicitur apud scriptores mediæ latinitatis de iis, qui consequuntur aliquid sive Dei, sive principis alicujus vel potentioris gratia. Ita Minucius Felix, cap. 6: *Qui in ipsius mundi natalibus meruerunt deos vel faciles habere vel reges*, id est quibus datum est contigit, ut haberent, etc. Spartianus in Adriano c. 4: *Secundo consul favore Plotinæ factus, totam præsumptionem ad optionis emeruit*. Verbum *mereri* apud Romanos scriptores semper notionem meriti proprii, sive virtutis, qua quis se dignum reddit bono aliquo, annexam habere, *mereri* autem sine merito suo, sed mera gratia Dei, latinitatem ecclesiasticam sapere, docet Corte ad Plin., I, Epist. VIII, pag. 32, ed. Longolii, et ad Rutilii Itinerar., vs. 6, pag. 39, ed. Kapp. Conf. Gierig. ad eumdum Plinii locum et Havercamp. ad Tertullian. Apologet. cap. 33, pag. 286. ORELL.

Et infestari cœpisse. Codex ms. *infectari*, quod tuetur Stewechius ad lib. VII. ORELL.

Irrupisse has labes. Stewechius legendum suspicatur *irrupisse se has labes* more loquendi antiquo, et idem *se* in tribus aliis locis refingendum censet. Atqui haud verosimile videtur, si ista fuisset perpetua Arnobii latinitas, librarios illud *se* toties omisisse. ORELL.

in nostri criminis meritum excogitatæ sunt hæ pestes, unde novit antiquitas miseriarum hæc nomina? unde bellis significatum dedit? pestilentiam, grandines, qua potuit notione signare, aut inter suas voces, quibus oratio explicabatur, assumere? Nam si novella sunt hæc mala, et ab recentibus ducunt offensionibus causas, qui potuit fieri ut eis rebus verba formaret, quas nec ipsa sciebat expertam se esse, neque ullis comperisset majorum in temporibus factitata? Penuria, inquit, frugum, et angustiæ frumentariæ arctius nos habent. Antiqua enim et vetustissima sæcula necessitatis istius aliquando fuerunt expertia? nonne ipsa nomina, quibus censentur hæc mala, testificantur et clamant, nullum ab his umquam immunem abisse mortalium? Quod si ad credendum difficilis res esset, testimoniis agere possemus auctorum, quantæ, quoties, et quæ gentes famem senserint horridam, et aggerata interierint vastitate. Casus frequentissimi grandinis accidunt, A atque adierunt cuncta. In litteris enim priscis comprehensum et compositum [a] non videmus, etiam imbres saxeos totas sæpe comminuisse regiones? Difficiles pluviæ sata faciunt emori, et sterilitatem indicunt terris. Immunis enim antiquitas malis ab his fuit? cum etiam flumina cognoverimus ingentia limis inaruisse siccatis. Pestilentiæ contagia urunt genus humanum. Annalium scripta percurrite linguarum, fol. 3, diversitatibus scripta, universas discetis gentes sæpenumero desolatas, et viduatas suis esse cultoribus. A locustis, a muribus, genus omne acciditur atque arroditur frugum. Historias ite per vestras, et ab istis pestibus instruemini, quoties prior ætas affecta sit [b], et paupertatis ad miserias venerit. Terrarum validissimis motibus tremefactæ nutant usque ad peri- B culum civitates. Quid, hiatibus maximis interceptas urbes cum gentibus superiora tempora non viderunt, aut ab hujusmodi casibus fortunas habuere securas?

IV. Quando est humanum genus aquarum diluviis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Positum *Fulv.*

[b] Afflicta sit *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Penuria, inquit, frugum. Hæc est lectio primariæ editionis, quam et ipse Fulv. Ursinus mutaverat. Atqui sæpius Arnobius verbo *inquit* ita usus est, nec Arnobius solum; verum et alii complures, v. c. Tertullianus, Apologet., cap. 1: *Sed non ideo, inquit, bonum,* etc. Proba lectio, pro qua male substituere volunt, *inquiunt.* HERALD. — Conf. Bunemann. ad Lactant., de Ira Dei, cap. 19, pag. 1002; et infra ad lib. III, cap. 6, notam amicissimi Ochsneri. ORELL.

Angustiæ frumentariæ, eleganter, ut *angustiæ ærarii, pecuniæ publicæ, rei familiaris* apud Ciceronem non semel. ORELL.

Vastitate, Cannegieter. reponere vult *egestate.* Sed ipse addit: *Non nescio, vastitatem induci regionibus calamitatibus iis, quas enumerat noster.* Itaque nil mutandum. De verb. *aggerare* vid. Oudend. in Apulei, pag. 640. ORELL.

Accidunt atque adierunt cuncta. Ita Codex ms. et Sabæus. Quam lectionem Gelenius et Fulv. Ursinus mutaverunt in *atterunt,* quod multo est significantius et a librariis facillime corrumpi poterat in *adierunt.* Sed vulgata lectio potest defendi Virgilii loco Æn. v, 378:

> Nec quisquam ex agmine tanto
> Audet adire virum.

Adierunt itaque hoc loco i. q. *aggrediuntur, εἰσβάλλειν* perfectum pro præsenti. Quam ob causam equidem D non ausim lectionem istam mutare. Cannegieterus *accidunt* legendum putat, media syllaba producta, ab *ad* et *cædo.* Sed si *adierunt* legamus, verbum hoc locum heic habere non potest, sed *accidunt* est i. q. *ingruunt.* ORELL.

Imbres saxeos totas sæpe comminuisse regiones. Non video cur lectio hæc sanissima mutanda sit in *communisse,* quod habet editio Lugd. Bat. *Munire, communire,* est ὀχυροῦν, tectum, firmum, planum, reddere lapidibus extructis et coaptatis. Sic infra lib. II, cap 17: *Nonne alia* (animalia) *cernimus opportunissimis sedibus nidulorum sibi construere mansiones, alia saxis et rupibus tegere et communire suspensis.* At *communire* pro obstruere insolitum apud Latinos. Bene itaque legitur *comminuisse,* i. e. confregisse, de satis scilicet grandine collisis. Conf. Arntzen., ad Plinii Panegyr., cap. 30, pag. 134, ed. Schwarz. De imbribus saxeis vide, LIV. I, 31; XXIII, 3; XXVI, 23; XXX, 38; et Plin. Hist. Nat. XX, 24. ORELL.

Indicunt. Ita ms. optime, et hæc puta Arnobii dictio. Sub finem hujusdem libri: *Huic arduum foret lethum cui vellet indicere;* et lib. VII (cap. 42.): *Et pestilentium, morbos, stragem mortalitati indixit.* Quin et Manilium alicubi ita loqui commemini. MEURS., *in Append.* — Fulv. Ursinus leg. *inducunt.* Atqui *indicere* est inferre, inducere aliquid et præparare, quod non C statim et illico, sed post aliquam temporis intercapedinem consequetur. Ita Suetonius, Caligul., cap. 26: *Ac nonnumquam, horreis præclusis, populo famem indixit.* ORELL.

Limis inaruisse siccatis. Fulv. Ursinus et Sabæus *inhorruisse.* Stewechius *induruisse,* pessime. Nam hoc solummodo dicitur de fluminibus frigore congelatis. *inaruisse* unice verum. Sic Ovid. Met. XV: *Æque paludosa siccis humus aret arenis.* Conf. Elmenh. Pro *limis,* Ms. *limnis,* quod Meurs. in Append. ortum putat ex *linsis lymphis,* atque ita legendum. ORELL.

Urunt. Similiter de peste Lucret. IV, 1160 seq. Sic etiam urere flagris verberibus, *urere,* in gen. malo afficere. Vide Nic. Heins., Adversar., lib. IV, cap. 4, p. 591. ORELL.

A locustis. Conf. Tacit., Annal., XV; Liv. XLII; Oros., v, 11; Augustin., de Civ. Dei, III, 31. ELMENH.

Ab locustis. Conf. Augustin.. de Civ. Dei, III, 31; Oros., Hist., v, 11; Cornel. Tacit., lib. XV, init.; Bochart. Hierozoic., cap. 1 et seqq. NOURR.

A muribus. Cf. Plin., Hist. Nat., VIII, 29. ELMENH.

Acciditur atque adroditur. Behotius et Cannegieter. probant *occiditur,* quod habent quædam editiones antiquæ. Sed nil mutandum, cum Arnobius amet talia verba idem significantia conjungere. ORELL.

Historias ite per vestras. Hæc quoque lectio est e ms. cod. Legebatur enim antea: *Historias ite per exteras.* HERALD.

Terrarum validissimis motibus . . . . . . hiatibus maximis interceptas urbes. Illustrat hæc Tertullian. in Apologet. c. 40: *Legimus, Hieran, Anaphen et Delon et Rhodon et co-insulas multis cum hominibus pessum abiisse. Memorat et Plato majorem Asiæ et Africæ terram Atlantico mari ereptam. Sed et mare Corinthium terræ motus ebibit, et vis undarum Lucaniam Italiæ abscissam in Siciliæ nomen relegavit.* ORELL.

Nutant usque ad periculum civitates. Nove *periculum,* sed proprie, usurpat pro interitu. Sic infra: *Qui si sunt nativi et geniti, ab interitionibus utique periculisque vicini;* et lib. VI: *Quidquid enim causis et rebus*

interemptum? non ante nos? Quando mundus incensus in favillas et cineres dissolutus est? non ante nos? Quando urbes amplissimæ marinis coopertæ sunt fluctibus? non ante nos? Quando cum feris bella, et prælia cum leonibus gesta sunt? non ante nos? Quando pernicies populis venenatis ab anguibus data est? non ante nos? Nam quod nobis objectare consuestis bellorum frequentium causas, vastationes urbium, Germanorum et Scythicas irruptiones, cum pace hoc vestra et cum bona venia dixerim : quale sit istud quod dicitur, calumniarum libidine non videtis.

V. Ut ante millia annorum decem, ab insula quæ perhibetur Atlantica Neptuni, sicut Plato demonstrat, magna erumperet vis hominum, et innumeras funditus deleret atque extingueret nationes, nos fuimus causa? ut inter Assyrios et Bactrianos, Nino quondam Zoroastreque ductoribus, non tantum ferro dimicare-

A tur et viribus, verum etiam Magicis et Chaldæorum ex reconditis disciplinis, invidia nostra hæc fuit? ut Helena diis ducibus atque impulsoribus rapta, et suis esset dirum et venturis temporibus fatum, religionis nostræ attributum est crimini? ut ille immanis Xerxes mare terris immitteret, et gressibus maria transiret, nostri nominis effectum est causa? ut ex Macedoniæ finibus unus exortus adolescens Orientis regna et populos captivitati et servitio subjugaret, nos fecimus, atque excitavimus causas? ut modo Romani, velut aliquod flumen torrens, cunctas submergerent atque obruerint nationes, nos videlicet numina præcipitavimus in furorem? Quod si hominum nullus est, qui, quæ dudum gesta sunt, nostris audeat temporibus imputare, quemadmodum possimus mi-
B seriarum esse præsentium causæ, cum novi fiat nihil, sed sunt omnia vetera, et nullis antiquitatibus inaudita?

VI. Quamquam ista quæ dicitis bella religionis

COMMENTARIUS.

fulcitur extraneis, necesse est esse mortale et habere ad periculum viam pronam, ubi aliquid cœperit deesse, quo vivitur. Invenio etiam Cypriano usitatum in tractatu de Habitu virginum : *Quid ornata, quid compta procedit, quasi maritum habeat, aut quærat? Timeat potius placere, si virgo est, nec periculum sui appetat, qui ad meliora et divina se servat.* Meurs., *p.* 6.

IV. — *Quando mundus incensus in cineres et favillas dissolutus est? non ante nos?* Spectant hæc sine dubio ad fabulam de Phaethonte notam ex Ovid., Metam., II, init.; Lucian., Dial. Deor. 25; Hygin., fab. 154. Cf. imprimis Platonem in Timæo p. 291, vol. IX, ed. Bip. Orell.

Prælia cum leonibus gesta. Nourrius p. 331, opinatur Arnobium loqui de certaminibus, quibus gladiatores et athletæ cum leonibus et aliis belluis pugnaturi in arenam descendebant. Sed videtur potius sermo esse de populis Africæ a leonibus vexatis Sic Nomæos gentem Libyæ penitus extinctam a leonibus tradit Ælianus de Nat. Animal., lib. XVII, cap. 27. Orell.

Venenatis ab anguibus. Ita Amyclas in Italia a serpentibus deletas refert Plin., Hist. Natur., VIII, c. 29. Orell.

Cum pace hoc vestra et cum bona venia dixerim. Formula præfandæ veniæ optimis scriptoribus familiaris, imprimis Velleio Paterculo, I, 7, 17; II, 129. Orell.

V. — *Ab insula, quæ perhibetur Atlantica Neptuni, sicut Plato demonstrat.* In Timæo, vol. IX, p. 296, ed. Bipont. Orell.

Nino quondam Zoroastreque ductoribus. Multa de hoc bello testimonia collegit Elmenhorstius ad. h. l. e quibus præcipuum est Hieronymi, tom. V, in Oseam, cap. II : *Primum omni Asiæ regnasse Ninum, Beli filium, omnes et græcæ et barbaræ narrant historiæ, qui apud Assyrios Ninum sui nominis condidit civitatem,* et deinde : *Hic adversus Zoroastrum magum, regem Bactrianorum, forti certamine dimicavit, et in tantam pervenit gloriam, ut patrem suum Belum referret in Deum.* Cf. Diodor., libr. II, cap. 6, qui vero Bactrianorum regem non *Zoroastrem*, sed *Oxyartem* nominat. Quod autem magicis artibus decertatum fuerit in hoc bello, hujus rei nusquam nisi apud nostrum mentio est. Cf. Scaliger., ad Euseb. Chron., p. 16. Orell.

Verum etiam magicis, et Chaldæorum ex reconditis disciplinis. Hæc est lectio principis editionis. At Fulv. Ursinus particulam *ex* ejecerat. Sed eam ostendimus paulo post apud hunc scriptorem sæpissime παρέλκειν. Herald.

Ut ille immanis Xerxes. Immanis i. q. φρενοβλαβὴς καὶ ἀτάσθαλος. Sic deploratæ spei hominem et jam suis malis non assuetum modo, sed etiam gaudentem significant Græci; qualem Xerxem describit Herodot. Musa VIII. Idem, Musa II, Pheronem ait, Ægyptiorum regem, ἀτασθαλίῃ χρησάμενον, jaculum in Nilum arva inundantem torquere ausum, et idcirco luminibus captum. *Immanis Xerxes* igitur ἀτάσθαλος et præ nimia ἀτασθαλίᾳ deorum et hominum contemptor resque aggressus immanes et plus quam humanas. Sic igitur in Xerxe significare voluit Arnobius vesaniam et vecordiam plus quam huma-
C nam, πάθος θηριῶδες, quo nomine appellantur vitia ἄγρια et inusitata : quemadmodum contra magnæ virtutes et exempla communia supergressæ θεῖα appellatæ sunt; quod in Nicomacheis observat Aristoteles. Herald. — Pro *Xerxes* P. Burmann. II, ad Antholog., lat., vol. I, p. 191, legend. censet *Perses* propterea, quod in Cod. ms. scriptum sit *Xerses*. Sed nulla mutandi ratio; *x* enim et *s* sæpissime confunduntur a librariis, *x* et *p* non item. Orell. — Hæc Xerxis facinora Athonem perfodientis et jungentis Hellespontum celebratissima ab antiquis scriptoribus. Sylburgius ad Clem. Alexandr. Strom., lib. III, cap. 4, ed. Potter. laudavit Lycophr. Cassandr. vs. 1414; Herodot. Polyh., pag. 249; Thucydid., IV, pag. 156; Arrian., de Exped. Alex. V. pag. 103. Quibus adde Isocr., Paneg. § 25, repetita in Aristotel. Rhet. III, cap. 9; Hist. Aug. vol. II, pag. 365; B. Martini Var. Lectt. p. 136; Ruhnken. ad Longin. p. 250 seq. Ochsner.

D *Nostri nominis effectum est causa.* Hæc est Codicis ms. lectio, testibus Livinæo ad Panegyr. vet. Lat., pag. 387, ed Arntzenii et Marklando ad Statii Silv. I, Carm. I, not. pag. 3, quam temere mutavit Gelenius edens *injuria*. Editor Lugd. Bat. *cura*. Heinsius Adversar., lib. II, cap. 10, pag. 276, mavult *culpa*. Sed optima est Codicis lectio : *nostri nominis causa*, id est *propter nos*, scil. christianos. Ita *nomen sapientum* in Sulpiciæ Satira, vs. 35, pro sapientibus, philosophis ipsis. Orell.

Captivitati et servitio subjugaret. Ita edidi pro *captivitate* ex emendatione L. Bunemanni ad Lactant. Inst., lib. VII, cap. 15. Cujus locutionis exempla passim apud Lactantium, v. c. III, cap. 8, *ditioni subjugare*; IV, cap. 10, *legi subjugare*. De Ira Dei, cap. 13, *imperio ac ditioni subjugare*. De Mort. Persecutorum, cap. 23: *Censui subjugare*. Orell.

Possimus. Ita Cod. ms. Alii *possumus*. Orell.

VI. — *Bella . . . . . post auditum Christum in mundo non tantum non aucta, verum etiam immi-*

nostræ ob invidiam commoveri, non sit difficile comprobare post auditum Christum in mundo non tantum non aucta, verum etiam majore de parte [a] furiarum compressionibus imminuta. Nam cum hominum vis tanta magisteriis ejus acceperimus ac legibus, malum malo rependi non oportere, injuriam perpeti quam irrogare esse præstantius; suum potius fundere, quam alieno polluere manus et conscientiam cruore: habet a Christo beneficium jamdudum orbis ingratus, per quem feritatis mollita est rabies, atque hostiles manus cohibere a sanguine cognati animantis occœpit. Quod si [b] omnes omnino, qui homines se esse non specie corporum, sed rationis intelligunt potestate, salutaribus ejus pacificisque decretis aurem vellent commodare paulisper, et non fastu et supercilio luminis, suis potius sensibus, quam illius commonitionibus crederent: universus jamdudum orbis mitiora in opera conversis usibus ferri, tranquillitate in mollissima degeret, et in concordiam salutarem, incorruptis fœderum sanctionibus conveniret.

VII. Sed si per vos, inquiunt, nihil rebus incommodatur humanis, unde sunt hæc mala, quibus urgetur et premitur jamdudum miseranda mortalitas? Sententiam me poscis huic necessariam nihil causæ. Neque enim præsens atque in manibus posita disceptatio [c] in id sumpta est a me, ut ostenderem, vel probarem, quibus unaquæque res causis et rationibus fieret: sed ut maledicta criminis tanti procul esse ab nobis ostenderem. Quod si præsto, si facto et argumentis insignibus rei veritas explicatur, unde sint hæc mala, vel ex quibus profluant fontibus principiisque, non curo.

VIII. Ac ne tamen omnino quid de rebus hujusmodi sentiam, nihil videar interrogatus expromere, possum dicere: Quid enim si prima materies, quæ in rerum quatuor elementa digesta est, miseriarum omnium causas suis continet in rationibus involutas? Quid si siderum motus certis signis, partibus, temporibus lineis pariunt hæc mala, et subjectis afferunt variorum discriminum necessitates? Quid si statis temporibus rerum vicissitudines fiunt, atque ut in maritimis æstibus, modo secundæ res affluunt, modo rursus refluunt malis reciprocantibus prospera? Quid si materiæ fæx ista, quam sub nostris calcamus ingres-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Sab.* Ex parte *alii.*
[b] *Ita Fulv.* Quid si *Sab.*
[c] Disceptatione. *Ms.* disputatio *Fulv. Male.*

COMMENTARIUS.

nuta. Simillimus locus est Tertulliani in Apologet., c. 40. « Et tamen, si pristinas clades comparemus, leviora nunc accidunt, ex quo christianos a Deo orbis accepit. Ex eo enim innocentia sæculi iniquitates temperavit, et deprecatores Dei esse cœperunt. » Et omnino veteres Ecclesiæ Patres pacatum sub Augusto ejusque successoribus orbem Christi in terris apparitioni tamquam præcipuæ causæ ascribunt. Vide loca Hieronymi in Psalm. LXXI, et in cap. II, Isaiæ allegata ab Elmenhorstio ad h. l. ORELL.

Cognati animantis. Ita Arnobius infra lib. II, cap. 16: *Animantia nos esse, aut consimilia cæteris, aut non plurima differitate distantia.* ELMENHORST.

Qui homines esse se non specie corporum. . . . . intelligunt. Ita Fulv. Ursinus, Stewech. et Meursius. In Cod. ms. abest *se.* ORELL. — Et potest abesse, more scil. Græcorum, ut infra cap. 28: *Deitatem sortiti esse sentiunt,* quem locum notavit Lips. Ant. Lectt. II, 7. Add. Bentlei. ad Horat. I, Epist. VII, 22. Aut enim latine dicitur: *hominem me esse intelligo,* aut per græcismum: *homo esse intelligo.* OCHSNER.

Supercilio luminis. Hanc lectionem affirmat etiam Codex ms. Quare nolim eam temere mutare. *Supercilium luminis* fortasse appellat Arnobius arrogantiam, qua se credit aliquis cæteris perspicaciorem καὶ ὀξυδερκέστατον. HERALD. — Gelen. mutabat *supercilio tumidi* (quod habet Arnobius infra lib. II, cap. 1,) sequente Oberthurio. Meursius *fastus et supercilii lumine.* ORELL.

Mitiora in opera conversis usibus ferri. Respicit Arnobius ad locum Isaiæ cap. II, v. 4. ORELL.

VII. — *Miseranda mortalitas. Mortalitatem* dicit Arnobius, ut *humanitatem* Minucius, humanum genus. Sic infra: *Nam Deus omnipotens mente una omnium et communi mortalitatis assensu neque genitus scitur,* etc.; et lib. IV: *Et audetis post ista mirari, unde oriantur hæc mala, quibus inundatur et premitur sine ulla intermissione mortalitas.* HERALD. — Ita et Plin. Hist. Nat. II, 7: *Fragilis laboriosa mortalitas,* et eodem cap. § 22, *improvida mortalitas.* ORELL. — Add. Plin. min., epist. VI, 20: *Nisi me cum omnibus, omnia mecum, misero, magno tamen mortalitatis solatio credidissem.* Ex eodem genere est *mortale malum.* Ovid., Met. VII, 525. OCHSNER.

Si facto et argumentis insignibus rei veritas explicatur. Jac. Cujacius legend. conj. *si faxo, ut argumentis insignibus rei veritas explicetur.* HERALD. — Nil mutandum: *facto,* i. e. exemplis in facto positis, *Thatsachen,* ut sæpissime. Behot. *si facto* e glossemate putat in textum irrepsisse, cum absit a Codice Regio. Delet itaque cum Meursio. ORELL.

VIII. — *Suis continet in rationibus involutas.* Cod. ms., *Suis continet irritationibus,* etc. Quæ lectio antehabenda editæ *in Rotationibus* (quam post Gelenium omnes secuti sunt, excepto Heraldo), quia significat aliquid in ea esse occultum, quod mala provocet atque irritet. Si quid tamen mutandum, *in rationibus* magis vellem. (*Just. Lips. in Physiolog. Stoic. lib.* I, *Dissert.* XIV, *p.* 568. *Oper. vol.* III, *ed. Vesal.*) *Irritationes* itaque active 1, q., *vires irritantes, die bewegenden Krafte.* Sed præfero emendationem Heraldi, vel potius Canteri, *in rationibus.* Ita Lucretius, lib. V, vs. 1182, dicit *cœli rationes,* i. e. cœli motus ratos, ratos astrorum ordines, atque ab omni æternitate immutabiles cursus, ut expl. Lambinus. Verte igitur *in ihren bestimmten, ewigen Gesetzen. Rotationes* essent *vires rotantes, Schwungkraste.* ORELL.

Lineis, i. q. constellationibus. ORELL.

Quid si statis temporibus. Cod. ms. *Quid si æstatis temporibus,* unde Theod. Canterus fecerat *Quid si et statis temporibus.* ORELL.

Malis reciprocantibus prospera. Proprie, i. e. quasi fluctus recipientibus et remittentibus. Sic Ennius Andromeda ap. Nonium: *Rursus prorsus reciprocat fluctus feram,* et ibid., ex alio scriptore: *Reciproca animum, inquam, odiose,* ubi legend. *animam.* Proprie enim omnino *reciprocare spiritum*, ut infra in hoc libro. HERALD. — Ad verba præcedentia *rursus refluunt* Meursius observat, *rursus* antiquitus dictum fuisse pro *retrorsum,* citans Donatum ad Terent. Hecyr. act. III, scen. 1:

Tropidari sentio, cursari rursum prorsum.

Rursum proprie retro, prorsum ante significat. ORELL.

sibus, hanc habet sibi legem datam, ut expiret nocentissimos halitus, quibus corruptus aer iste, et corporibus labem ferat, et negotia infirmet humana? Quid si, quod proximum vero est, quicquid nobis videtur adversum, mundo ipsi non est malum : omniaque quæ fiunt nostris commoditatibus statuentes, opinionibus improbis criminamur eventa naturæ? Plato, ille sublimis apex philosophorum et columen, sæva illa diluvia, et conflagrationes mundi, purgationem terrarum suis esse in commentariis prodidit : nec vir prudens extimuit humani generis, subversionem, cladem, ruinas, interitus, funera, rerum innovationem vocare, et juventutem his quamdam redintegratis viribus comparari.

IX. Non pluit, inquit, cœlum, et frumentorum inopia nescio qua laboramus. Quid enim inservire elementa tuis necessitatibus postulas? atque, ut vivere mollius et delicatius tu possis, obsequia temporum tuis debent commoditatibus se dare? Quid enim si hoc pacto navigationis cupidissimus conqueratur A ventos jamdiu non esse, et cœli conquievisse flaturas? Numquid ideo dicendum est perniciosam esse tranquillitatem illam mundi, quia vectoribus impediat vota? Quid si sole aliquis torrere se suetus, et acquirere corpori siccitatem, ratione consimili conqueratur frequentissimis nubilis jucunditatem serenitatis ablatam? Numquid ideo dicenda sunt nubila inimica obductione pendere, quia libidini non permittitur otiosæ rutilare se flammis, et causas potionibus præparare? Eventa hæc omnia, quæ fiunt, et accidunt mole sub hac mundi, commodulis non nostris [a], sed ipsius pendenda sunt rationibus ordinibusque naturæ.

X. Nec si aliquid accidit, quod nosmetipsos, aut res nostras parum lætis successibus fovit, continuo B malum est et in exitiabilis rei opinione ponendum. Pluit mundus aut non pluit, sibimet pluit aut non pluit : et quod forsitan nescias, aut uliginem nimiam siccitatis ardore decoquit, aut longissimi temporis ariditatem pluviarum effusionibus temperat. Pesti-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ms. mserit* sunt, *quod Arnobianum est.*

COMMENTARIUS.

Plato ille sublimis, apex philosophorum et columen. Editio Romana *et lumen.* Stewechius *colmen* antique pro *culmen.* Male. Differunt enim nonnihil *culmen* et *columen*, quamquam cognata sint maxime, et sæpissime confunduntur a veteribus. *Culmen* proprie summa pars tecti, a *culmis*, i. e. paleis e messibus, quibus ædificia contegebantur. *Columen* autem est proprie trabs illa, quæ per longum in summitate culminis ponitur, a qua tamquam nata producuntur omnia tecti ligamenta, quemadmodum e spina piscium majori reliquæ omnes proficiscuntur. TRAGBALKEN. vid. Gesner. in Thesauro, h. v. Vitruv. de Architect., IV. 7 : *Columen in summo fastigio culminis, unde et columnæ dicuntur.* Hinc *columen* sæpius pro columna, v. c. ap. Ciceron., de Divinat., I, 11 :

> Nisi post excelsum ad columen formata decore
> Sancta Jovis species claros spectaret ad ortus.

ubi vid. Hottinger. V. Cl. *Columen* itaque significat non tantum summitatem, apicem, summam partem rei, sed etiam quod rem quamcumque sustinet, continet, tuetur. Ita Curtius, lib. IX, c. 6, § 8. Alexandrum appelat *Macedoniæ columen ac sidus*, et Plautus Epid. act. II, scen. II, vs. 5, *Senati qui columen cluent*, ubi vid. Taubmann. Catullus in Epithal., *Emothiæ columen Peleu.* Aquila Rom. de Figuris sentent., *custos et defensor reipublicæ, salus et columen civitatis.* Cf. Burmann. ad Ovid., Met., I. vs. 689. Verte itaque h. l. *das Haupt und der Grundpfeiler der Philosophen.* Cæterum de summa Platonis apud scriptores veteres, maxime ecclesiasticos, existimatione vid. J. Lips. Manud. ad Stoic. Philosophiam, lib. I, diss. 1, Oper. tom. IV, p. 632. ORELL.

Purgationem terræ suis in commentariis prodidit. Respicit Arnobius ad verba illa Platonis in Timæo, pag. 291, vol. IX, ed. Bip. : Ὅταν οἱ Θεοὶ τὴν γῆν ὕδασι καθαίροντες κατακλύζωσιν, quam sententiam Platonis laudarunt et alii Patres Ecclesiæ, v. c. Origenes contra Cels., lib. IV : Ἴσασι δὲ καὶ Ἕλληνες κατακλυσμῷ ἢ πυρὶ τὴν γῆν κατὰ περιόδους καθαιρομένην, ὡς καὶ Πλάτων που οὕτω λέγει. HERALD.

Vocare, et juventutem his quamdam comparari. Cod. ms. habet *et injuventutem*, quod Th. Canterus uno vocabulo ut antiquum retinendum censet, ut sit *injuventus* i. q. summa juventus. Sed hoc est inauditum prorsus et monstrum vocabuli. Stewechius legit : *Etenim juventutem*, quæ correctio in textum recepta ab editore Lugduno-Batavo ad sensum bona quidem est, sed non necessaria. Est scil. h. l. Syllepsis, figura apud antiquos scriptores frequentissima, qua duabus diversisque sententiis et rebus unum datur verbum C minime utrisque conveniens. Ita Virgil., Æn., II, vs. 258 :

> Inclusos utero Danaos et pinea furtim
> Laxat claustra Sinon

ubi *laxat* ad Danaos referri non potest, sed subintelligendum est *emittit.* Ita h. l. *comparari* non pendet a præcedente *vocare*, sed totus locus ita supplendus : *non extimuit. . . . . . vocare (et affirmare) juventutem his quamdam. . . . . . comparari.* ORELL.

IX. — *Quid si sole aliquis torrere se suetus et acquirere corpori siccitatem.* Multa de hac exercitatione veterum Gymnastarum notissima exempla congessit Elmenhorst., ad h. l. *Insolationem*, ἡλίωσιν, ἡλιοκαΐαν dicebant veteres, itaque ex præscripto medicorum ad siccitatem corpori acquirendam utebantur. Conf. Meurs., in Critico, pag. 8, et, qui hac de re multus est, Is. Casaubon., ad Persii sat. IV, v. 52; nec non Ast. ad Platon. Phædr. pag. 262 seq. ORELL.

D *Flaturas.* Insolentior formatio pro *flatus.* Habet tamen Vitruvius II, 7, *in aeris flatura.* ORELL.

Otiosæ rutilare se flammis. Fulv. Ursinus leg. conj. *ociose ustulare.* Sed nil mutandum. Verbum enim proprium et exquisitum in hac re est *rutilare*, h. e. colorem rutilum cuti inducere. Ita *curata cuticula sole* dicitur a Persio, sat. IV. vs. 15, ubi scholiastes vetus : *Curata scil, a chromatiariis, nam chromatiarii dicuntur colorarii, vel qui tota die in arena sunt, vel in sole. Antiqui enim ungebant se et in sole erant, ut oleum corpus imbiberet.* ORELL.

Commodulis nostris. I. e. commodis, quæ nobis magna videri possunt, sed nihil sunt comparatione salutis hujus universi, ut bene explicat Gesner in Thesauro. *Commodulum* est ἅπαξ λεγόμενον. ORELL.

X. — *Uliginem nimiam.* Servius ad Virgil., Georg. II, vs. 184 : *Uligo est proprie naturalis humor terræ, ex ea numquam recedens.* ELMENH.

lentias, morbos, fames, atque alias suggerit malorum exitiabiles formas : unde tibi est scire, ne quod exuberat, sic tollat, ut per sua dispendia modum rebus luxuriantibus figat?

XI. Tu audeas dicere, hoc et illud est in mundo malum, cujus explicare, dissolvere, neque originem valeas, neque causam? et quia tuas impediat deliciarum, forsitan et libidinum, voluptates, perniciosum esse atque asperum dicas? Quid ergo, quia frigus membris tuis adversum est, et congelare sanguinis tui fervorem solet, idcirco in mundo hyems esse non debet? Et quia perferre [a] flagrantissimos soles non potes, ex anno æstas tollenda est, atque aliis legibus alia rursus ordinanda natura? Veratrum venenum est hominibus, numquid ob hanc causam non debuit nasci? Ovilibus insidiatur lupus, numquid in culpa natura est, quod lanitiis extulit importunissimam belluam? Morsu animam serpens tollit : maledicam scilicet primordiis rerum, quod tam sæva prodigia genituris spirantibus addiderunt.

XII. Superciliosa nimium res est, cum ipse sis non tuus, aliena etiam in possessione verseris, potentioribus dare conditionem : velle ut id fiat, quod cupias, non quod in rebus inveneris antiquis constitutionibus fixum. Quare habere si locum vestras vultis querimonias homines, prius est ut doceatis, unde, vel qui sitis, vobisne sit genitus et fabricatus mundus, an in eum veneritis alienis ex regionibus inquilini. Quod cum dicere non sit vestrum, neque explicare possitis, cujus rei causa sub hac cœli convexione versemini, desistite arbitrari, pertinere ad vos quicquam : cum ea quæ fiunt, non partiliter fiant, sed ad census summam redeant, referanturque totius.

XIII. Christianorum, inquiunt, causa mala omnia dii ferunt, et interitus comparatur ab superis, frugibus. Rogo, cum hæc dicitis, non calumniari vos improbe, in apertis conspicitis manifestisque menda-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et quia perferre, sustinere. *Ms.* Bene.

COMMENTARIUS.

Unde tibi est scire, ne quod exuberat, sic tollat. Pro *unde scis, non sic tollere quod exuberat. Scio ut, ne hoc sit* pro infinitivo est antiquioris latinitatis. Plaut., Asin., act. III, scen. 3, vs. 154 : *De argento si mater tua sciat, ut sit factum.* ORELL.

Ut per sua dispendia modum rebus luxuriantibus figat. Tertullian. de Anima, cap. 30 : *Onerosi sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt et necessitates arctiores, et querela apud omnes, dum jam nos natura non sustinet. Revera lues et fames et bella et voragines civitatum pro remedio deputanda, tamquam tonsura insolescentis generis humani.* ELMENH.

XI. — *Cujus explicare, dissolvere neque originem valeas. Dissolvere*, quod adjectum est, est e MS. Cod. Amat autem Arnobius plura verba idem significantia coacervare; unde factum, ut glossemata plura in his libris esse quidam existimaverint. Sic postea *constringere* et *sustinere* adjecta ex eodem libro. HERALD.

Tuas impediat deliciarum forsitan. Ita Cod. ms. vitiosissime *tuarum impediat felicitatum forsitan*, etc.

Congelare, constringere. Ita Cod. ms. Gelenius *constringere* glossema putare non debuerat : nam nimis familiare huic Afro nostro synonyma congerere, idque ad veterum exemplum. Vide Agellium lib. XIII, cap. 23. MEURS. *in Append.*

Veratrum venenum est hominibus. Lucret., lib. IV, vs. 644 :

Propterea nobis veratrum est acre venenum
At capris adipes et coturnicibus auget. ELMENH.

Elleborum Italia veratrum vocat. Plin., Hist. Nat., lib. XXV, c. 5. ORELL.

Ovilibus insidiatur lupus. Virgil., Æn., IX :

Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili.

Habet e Virgilio plura Arnobius. HERALD.

Maledicam scilicet. Cod. ms. *maledicam sc.* i. e. *scilicet.* Stewech. conj. *Maledicam ilicet*, sive potius *Maledicus ilicet.* Editor Lugd. Bat. *Maledicam sic.* At vero optime habet vulgata lectio. Nam *scilicet* apud Latinos sæpissime interrogat ironice cum quadam amaritudine et irrisione et præparat responsionem negantem. Plura e Cicerone exempla allegat Gesner. in Thesauro, quibus add. Juvenal., sat. I, 122 :

Scilicet horreres majoraque monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?

Ita Germani *So? Was denkst du wohl?* Gronov. Diatrib. ad Statii Silv. in Addendis pag. 412, defendit lectionem antiquam *maledicam si* pro *an maledicam* illamque pluribus exemplis adstruit. Sed fateor ejusmodi conjunctionum in directis interrogationibus transpositionem me nullam adhuc reperisse in Arnobio. Præfero itaque *scilicet* ex abbreviato *sc.* ortum ORELL.

Tam sæva prodigia. Balthasar Lydius ap. Meursium p. 9, mavult *tam sæva prodigia*, probante Colvio ad Apuleii. Met. III, p. 198, ed. Oudendorp., qui de h. v. multus est. ORELL.

Genituris spirantibus. Genituræ h. l. sensu prorsus insolito i. q. *creaturæ, animalia.* Interpretes ad h. l. ne γρῦ quidem, nec Lexica agnoscunt hanc significationem. Ita de hominibus ap. Tertullianus non semel, v. c. advers. Marcion., lib. IV, c. 23, ubi verba divi Soteris, Luc. IX, 41, ita reddit : *O genitura incredulas quousque ero apud vos? quousque sustinebo vos?* ORELL.

XII. — *Potentioribus dare conditionem : velle, ut id fiat, quod cupias.* Ita locus distinguendus cum Stewechio. Scilicet immodestus postulat, ut potentiores id velint, ratum habeant, quod ipse concupiverit. ORELL.

Non partiliter fiant. Ita legendum : non *pariliter. Partiliter*, opp. *generaliter*, sæpissime ap. Jul Firmic. in Mathesi. HERALD.— Conf. eumdem in Adversar., lib. I, c. 3, p. 6. *Partiliter* proprie *per partes.* Sic noster infra lib. XI, c. 4 : *Hoc est enim proprium deorum, complere omnia vi sua, non partiliter uspiam, sed ubique esse totos.* H. l. autem significat *partis alicujus vel individuorum quorumdam commodo, gratia* : opp. *ad summam census totius*, ut egregie correxit Fulv. Ursinus. In ms. erat *sensus*, nullo sensu. ORELL.

XIII. — *Mala omnia dii ferunt.* Scriptum erat : *mala omnia adierunt.* Verissimam lectionem reposuimus e ms. Codice. HERALD. — *Ferunt* pro *inferunt.* Simplex pro composito. MEURS.

Calumniari vos improbe. I. e. impudentissime : ut qui rapit propalam, dicitur *fur improbior* jurisconsultis, ita *improba frons. Improbe* igitur ait : *in apertis manifestisque mendaciis* Heic enim extrema impudentia est, quod, cum mendacium promptum sit ac manifestum, calumnia tamen obstinate et impudenter inculcatur ac defenditur. Est enim pars ἀναισχυντίας,

ciis? Trecenti sunt anni ferme, minus vel plus aliquid, ex quo cœpimus esse christiani, et terrarum in orbe censeri: numquid omnibus his annis continua fuerunt bella, continuæ sterilitates, pax nulla in terris, nulla protinus vilitas aut abundantia rerum fuit? Hoc enim primum efficiendum est, ei qui nos arguit, perpetuas et juges calamitates fuisse has, numquam omnino [a] respirasse mortalia, et sine ullis (ut dicitur) feriis, multiplicium formas sustinuisse discriminum.

XIV. Atqui non [b] videmus mediis his annis, mediisque temporibus, ex victis hostibus innumerabiles esse victorias reportatas? prolatos imperii fines, et in potestatem redactas inauditi nominis nationes? sæpenumero maximos annonæ fuisse proventus, vilitates, atque abundantias rerum tantas, ut commercia stuperent universa pretiorum auctoritate prostrata? Quemadmodum enim res agi, et usque ad hoc tempus genus qui durare mortalium, si non omnia, quæ usus posceret [c] subministraret fertilitas rerum?

XV. Sed fuerunt aliquando nonnulla in necessitatibus tempora. Et relaxata sunt abundantiis. Rursus contra voluntatem quædam bella administrata. Et victoriis postmodum successibusque correcta. Quid ergo dicemus? injuriarum nostrarum deos modo memores esse, modo esse rursus immemores? Si quo tempore fames est, irati esse dicuntur, sequitur ut abundantiæ tempore irati et difficiles non sint: atque ita perducitur res eo, ut vicibus lu-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ms. male.* Omnia non.

[b] Atqui *Ms.*; *quod retinendum censeo et tollendas interrogationis notas in omni ista periodo. Meurs.*

[c] Usus ut posceret. *Ms.*

COMMENTARIUS.

τὸ τὰ φανερὰ ἀρνεῖσθαι, inquit Aristoteles in Rhetoricis. Herald.

Trecenti sunt anni ferme. Similiter lib. II. *Ante trecentos annos religio*, inquit, *vestra non fuit.* Ex his patet auctorem nostrum vixisse sub Diocletiano, trecentis plus minus annis post natum Salvatorem, opusque hoc varia eruditione refertum scripsisse anno ferme Christi 298, Urbis conditæ 1050, vel exeunte 1049, coss. Maximiano et Gordiano, ut observat vir doctissimus Joannes Meursius. Elmenh.

Nulla protinus vilitas. Oudendorp. ad Apuleii. Met. v, p. 348; pro *protinus* mavult *prorsus*: sed nolim mutare *protinus*, i. e. *mox*, *parva intercapedine.* Opp. *continuæ sterilitates.* Orell.

Sine ullis, ut dicitur, feriis. Id est: sine ulla bonorum intermixtione. Idcirco Philo ait, Deum solum vere feriari, quia solus vero gaudio fruitur, et pace sincera, nec ullo belli simulacro interrupta. Verba ejus sunt in Commentario de Cain: Μόνος ὁ Θεὸς ἀψευδῶς ἑορτάζει, καὶ γὰρ μόνος γήθει, καὶ μόνος χαίρει καὶ μόνος εὐφραίνεται, καὶ μόνῳ τὴν ἀμιγῆ πολέμου συμβέβηκεν εἰρήνην ἄγειν. Herald.

XIV. — *E victis hostibus innumerabiles esse victorias reportatas.* Cannegieter. leg. censet *de victis*, quod aliquid amplius est quam *victis*, nempe *debellatis.* Orell.

Sæpenumero maximos annonæ fuisse proventus. Hanc lectionem e cod. ms. primus restituit Stewechius. Editio Romana et aliæ illam secutæ, v. c. Oberthurii, habent *proventus annorum*, quod defendit N. Heins. ad Tacit. Dial. de Corrupt. Eloq., c. 19, p. 945, ed. Oberlin., et Adversar., III, 3, p. 923, loco Plinii Hist. Nat., lib. XII, cap. 1: *Ex arboribus recreans membra olei liquor, viresque potus vini; tot denique sapores anni sponte venientes* pro provenientes. Sed nolim quidquam mutare contra cod. ms. fidem. Orell.

Et commercia stuperent universa, pretiorum auctoritate prostrata. Nihil poterat dici expressius. *Stupere* igitur commercia dicuntur, i. e. stupore quodam et torpore obsessa stare, quomodo λιθοῦσθαι Græci dicunt eos, qui stupore aliquo perculsi stant attoniti. Unde nata de Gorgus capite fabula. Herald.

Quemadmodum enim res agi, et usque ad hoc tempus genus qui durare mortalium. Fulv. Ursinus legend. censet *quiret durare*, quod cum Cannegietero præfero, immo unice verum puto. Nam *potest*, *possibile est* numquam per ellipsin subauditur, nisi præcedente *ne*, v. c. *Mene incepto desistere victam* (scil. possibile est), vel etiam in altero membro, si in priori aliud *potest* præcesserit. Dici itaque non potest absolute: *qui facere? qui fieri?* scil. potest, possibile est. Orell. — Bona est Ursini emendatio *quiret durare.* Sed quæ de Ellipsi *potest*, *possibile est* allata sunt, parum juvant. Omnino multiplex est pro sententiæ cujusque diversitate ejusmodi accusativi cum infinitivo orationis complementum. Plerumque affectum designat aut admirantis aut indignantis dolentisve: ita ut illud *potest, possibile est* nimis vagum et incertum sit. Nam ad vocem Junonis *Mene incepto desistere victam?* cogitandum est: quam grave est et indignum majestate nostra, ut clarius cernatur ratio adjectæ particulæ *ne*, quæ utique ex suppressa quadam interrogatione alteri membro in *Mene* adhæsit: *Ferendumne sit me desistere* etc. In talibus autem formulis, in quibus affectus dominari solet, non certa singularum vocum ratio exigitur, ipsaque interrogatio, utcumque accipienda, commoti animi signum est. Neque vero sine interrogatione non efferri possit istiusmodi sententia; quo minus probabile fit, quod præcipitur: « Talem Ellipsin numquam esse, nisi præcedente *ne.* » Vide mihi locum Livii III, 67, ubi Consul Quintus plenus doloris et indignationis in hunc modum ordinatur: *Hoc vos scire*, *hoc posteris memoriæ traditum iri!* scil. quam ignominiosum mihi consuli est! Nullam sane vides interrogandi particulam, quamquam *ne* intelligi possit ad *vos*: *Vosne hoc scire* etc. Sed vanum esse commentum de necessitate adjiciendæ particulæ *ne*, Græcorum exempla magis evincunt. Clamat Strepsiades in Aristophanis Nubb., vs. 267: Τὸ δὲ μὴ κυνέην οἴκοθεν ἐλθεῖν, ἐμὲ τὸν κακοδαίμον' ἔχοντα, ubi Schol.: Οὐ μωρὸν δηλονότι, οὐκ ἀνόητον. Xenophon Cyropæd. II, 2: Τῆς τύχης, τὸ ἐμὲ νῦν κληθέντα δεῦρο τυχεῖν, scil. οὐκ ἄθλιόν ἐστι, vel ὡς δυνατόν ἐστι. Ochsner.

XV — *Et relaxata sunt abundantiis.* Observandus hic usus particulæ et mere adversativus pro *at*, de quo dubitat P. Burmann., ad Ovid. Met., IV, vs. 615. Orell.

Et victoriis postmodum successibusque correcta. Jul. Firmic. Mathes., lib. IV, c. 14. Tunc enim infortunia gravesque casus prosperis rerum actibus corriguntur διορθοῦνται. Herald.

Irati et difficiles non sunt. Contra *faciles et propitii.* Difficiles dicuntur δύσκολοι, δυσέριδες, quorum est delicatum iracundiæ genus, ut ait Seneca, homines qui ad aliorum mores non facile se accommodant, sed statim irascuntur, si quid ingenio, sive potius morbo suo minus concinere videtur, quos idcirco δυστρόπους etiam eleganter Græci dicunt. Herald.

dicris, et ponant, et repetant iras: et in integrum se semper offensionum recordatione restituant.

XVI. Quamquam istud quod dicitur, quale sit explicabili non potest comprehensione cognosci. Si Alamannos, Persas idcirco voluerunt devinci, quod habitarent et degerent in eorum gentibus christiani, quemadmodum Romanis tribuere victoriam, cum habitarent et degerent in eorum quoque gentibus christiani? Si in Asia, Syria, idcirco mures, et locustas effervescere prodigialiter voluerunt, quod ratione consimili habitarent in eorum gentibus christiani: in Hispania, Gallia, cur eodem tempore horum nihil natum est, cum innumeri viverent in his quoque provinciis christiani? Si apud Getulos, Tinguitanos hujus rei causa siccitatem satis ariditatemque miserunt, eo anno cur messes amplissimas Mauris Nomadibusque tribuerunt, cum religio similis his quoque in regionibus verteretur? Si in civitate unaqualibet fame plurimos emori nostri nominis aversione fecerunt, cur ibidem annonaria caritate non tantum corporis non nostri, verum etiam christianos ditiores et locupletissimos reddiderunt? Aut igitur cuncti nihil læti habere debuerunt, si malorum causa nos sumus: nationibus enim sumus in cunctis: aut cum mixta videatis cum incommodis læta, desinite nobis ascribere id quod offendit res vestras, cum nihil lætis officiamus et prosperis. Si enim ego ut male sit facio, cur ut bene sit, non obsto? Si, ut inopia magna sit, meum nomen in causa est: cur nihil impedio, ut sit feracitas maxima? Si, ut in bellis accipiatur vulnus, ego dicor afferre fortunam, cur duelles cum pereunt, lævum augurium non sum, nec adversus spes bonas [a] mali ominis obscœnitate traducor?

XVII. Et tamen, o magni cultores atque antistites numinum, cur ut irasci populis christianis angustissimos illos asseveratis deos, ita non advertitis, non videtis, affectus quam turpes, quam indecoras numinibus attribuatis insanias? Quid est enim aliud irasci, quam insanire, quam furere, quam in ultionis libidinem ferri, et in alterius doloris cruces, efferati pectoris alienatione bacchari? Hoc ergo dii magni norunt, perpetiuntur, et sentiunt, quod feræ, quod belluæ, quod mortiferæ continent venenato in

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ms.*, in adversas, *etc. Fulv.*, nec adversas res bonas. *Alii*, nec adversas spes bonas m. o. obscœnitate traduco.

COMMENTARIUS.

In integrum se semper offensionum recordatione restituant. Ita Cod. ms., quæ lectio quare deferenda sit, non video. Fulv. Ursinus: *in integrum sese per offensionum recordationem*, etc. Vult dicere Arnobius, deos esse natura iratos et difficiles, adeo ut, si quando precibus vel sacrificiis fuerint mitigati, mox prima statim offensionum recordatione *in integrum se restituant*, h. e. ad pristinam innatamque ipsis iracundiæ indolem revertantur. Pro *vicibus ludicris*. Meurs. in Critico, lib. VII, cap. 9, legendum suspicatur *lubricis*. Non male. ORELL.

XVI. — *Alamannos*. Intelligenda non certa Germaniæ gens, sed Germanorum natio universa, quod pluribus ostendit Salmasius ad verba Flavii Vopisci in Proculo Script. Hist. August., vol. II, p. 761: *Nam Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebuntur, non sine gloriæ splendore contrivit*, docens Alamannos, gentem Germaniæ populosam, et (ut scribit Aurelius Victor) ex equo mirifice pugnantem (quos cum devicisset prope Mœnum Caracallus, Alamannici cognomen assumpserat), postea toti Germaniæ nomen dedisse, quæ ab illis Alamannia dicta est, et nunc dicitur apud Francogallos; idque factum fuisse non multo ante Vospisci tempora, qui contemporaneus Arnobii vixit, imperantibus Diocletiano et Maximiano. Non necessaria itaque Meursii conjectura *Alanos*. ORELL.

Si apud Getulos Tinguitanos. Hæc est emendatio verissima Lud. Carrionis merito in textum recepta ab editore Leidensi, probata etiam a Livinæo ad Panegyr. Lat., p. 158, ed. Arntzen. Lectio antiqua: *si apud Getulos tum Aquitanos* orta videtur a sciolo aliquo librario Aquitanos hic intrudente, cum in præcedentibus verbis facta esset Galliæ mentio, cujus provincia erat Aquitania. At vero verbis *si apud Getulos*, etc., novam periodum inchoans Arnobius loquitur de populis Africæ septentrionalis ejusmodi calamitatibus infestatis. ORELL.

Nihil læti. Ms. *nihil lætum*. MEURS., *in Append.*

Duelles, I. e. *hostes*, cujus vocabuli unum hoc Arnobii exemplum citat Gesner. in Thesauro. Compositum *perduellis* multo frequentius. A *duellum* antique pro *bellum*, vid. intpp. ad Fest. v. *duellum*. ORELL.

Adversus spes bonas. Ms. *in adversos*. Lego *inadversus*, quomodo *inante, incoram*. MEURSIUS.

Mali ominis obscœnitate. Herald. in Curis secundis, insertis Observationibus suis in Salmasii jus Atticum et Romanum, mavult *mali nominis*. Stewech. leg. conj. *mali ominis obscævitate*, citans Nonium v. *obscævavit*, quasi scævum, malum omen attulit, *scævus* nimirum, *lævus* et *sinister*, i. q. infaustus significatione Græca: nam apud Romanos læva, sinistra auguria erant bona faustaque. Sed, ut bene monet Heraldus, nihil mutandum. *Obscœnus* enim et *obscœtinas* proprie de ominibus malis, nempe quia obscœna omnia et fœda antiquis visa tristia et infausta, ut contra pura purgataque læta et felicia. Ita Virgil Georg. I, vs. 470, *Obscœni canes*, ubi vid. Voss. Idem Æn., III, 242, 262. *Obscœnæ volucres*, et Festus, v, *Alliensis*: *Dies alliensis dicebatur apud Romanos obscœnissimi ominis*. Cf. eumdem, v. *Oscus* et Nonium, v. *Obscœnus*. ORELL.

XVII. — *Antistites numinum*. *Antistites*, i. q. *sacerdotes*, nil amplius. Vide auctorem confutationis virulentissimæ animadversionum Ant. Cercœtii (D. Petavii) ad Cl. Salmasii notas in Tertullian. de Pallio, p. 147 sq., qui hac de re multus est. Ita Liv. Hist., I, 7: *Potitii ab Evandro edocti antistites sacri ejus per multas ætates fuere*. Cf. loca citata ab Elmenh. ORELL.

Cur ut irasci. *Ut* necessarium ad sensum restituit editor Lugd. Bat. Behot. conj. *qui iraci*, non male. ID.

Quid est enim aliud irasci, quam insanire, quam furere? Ita Horat. Epist. II, 1, *ira furor brevis*. Seneca de Ira, lib. I, c. 1: *Quidam e sapientibus iram brevem dixerunt insaniam*. ELMENH.—Cæterum Arnobius, h. l. loquitur ex sententia Stoicorum, qui benignam et beneficam naturam Deo tribuebant, eumque posse irasci negabant. HERALD.

In alterius doloris cruces, etc. Ita legendum, cum sit in Cod. ms. *crucis*, scil. pro *cruces*. (*Herald., Cur. secund. Obss. in Salamasii Jus Att., p.* 600). Meursius in Append., legendum suspicatur: *in alterius dolores, trucis, efferati pectoris alienatione bacchari*. ORELL.

Hoc ergo dii magni norunt. *Norunt*, h. l. i. q. *expe*-

dente natrices. Quod levitatis in homine, quod terreno in animante culpabile est, præstans illa natura, et in perpetuæ virtutis firmitate consistens, scire asseveratur a vobis. Et quid ergo sequitur necessario, nisi, ut ex eorum luminibus scintillæ emicent, flammæ æstuent, anhelum pectus spiritum jaciat ex ore, et ex verbis ardentibus labrorum siccitas inalbescat?

XVIII. Quod si verum est istud, et est exploratum, et cognitum, et fervescere [a] deos ira, et hujusmodi motus perturbatione jactarit immortales, et perpetui non sunt: nec in divinitatis alicujus existimatione [b] ponendi. Ubi enim est ullus, sicut sapientibus videtur, affectus, ibi esse necesse est passio- A nem. Ubi passio sita est, perturbationem consentaneum est consequi. Ubi perturbatio est, ibi dolor et ægritudo est. Ubi dolor et ægritudo est, imminutioni et corruptioni jam locus est: quæ duo si vexant, adest vicinus interitus, mors omnia finiens, et cunctis adimens sentientibus vitam.

XIX. Quid? quod isto modo non tantum illos leves et fervidos: verum, quod ab diis convenit procul esse dimotum, et iniquos inducitis, et injustos et æquitatis vel modicæ nullam prorsus obtinere rationem. Quid est enim tam injustum quam in alios irasci, et alios lædere, de hominibus conqueri et innoxia dilacerare frumenta? Christianum B

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Sab. recte.* Effervescere *Fulv.*

[b] Æstimatione *Fulv.*

COMMENTARIUS.

riuntur, accidit illis, græce πάσχουσι. Eodem sensu *scire* paulo post. Ita etiam res inanimatæ, v. c. lignum dicitur *scire*, *nescire tineas*. HERALD. — Deos magnos Turnebus Adversar., lib. XV, cap. 21, intelligit illos, qui maximum imperium et numen habebant publiceque colebantur, ut Jupiter, Juno, etc., quos Lares urbis Romæ appellat Asconius. ORELL.

Scire asseveratur a vobis. Stewechius pro *scire* mavult *sentire*, cum præcesserit *perpetiuntur et sentiunt* Sed nihil mutandum. *Scire* enim, nosse et similia pro *sentire*, *experiri* haud raro apud antiquos. Vid. N. Heinsii Adversar., lib. III, cap. 3, pag. 417. Eodem sensu infra, cap. 23, dixit Arnobius, *dæmonas et heroas non nosse cœlestia*, *et in hac materia crassiore versari.* ORELL. C

Scintillæ emicent. Describit habitum hominis ira perciti. Lucretius, lib. III, 290:

> Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira,
> Cum serviscit, et ex oculis micat acribus ardor.

Virgilius, Æneid. XII, 101:

> His agitur furiis, totoque ardentis ab ore
> Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Lucretium imitatus Virgilius. Hæc autem omnia in furiosis eadem, ut ostendit Seneca in libris de Ira. Quare Menæchmus insanire ostenditur apud Plautum hac etiam nota: *ut oculi scintillant, vide.* HERALD.

Scintillæ emicent, flammæ æstuent, anhelum pectus spiritum jaciat ex ore. Fulv. Ursin. *flammis æstuet anhelum pectus, spumas jaciat ex ore.* Salmasius in ed. Lugd. Bat.: *Scintillæ emicent flammeæ, æstuet anhelum pectus, spuma jaciatur ex ore.* Meursius *jactetur ex ore.* Equidem nullam causam video cur deserenda sit antiqua lectio, *flammæ æstuant* bene de irarum D flammis, quæ antea pectore fuerant inclusæ, erumpentibus jam et exæstuantibus. Nec minus bene habent sequentia verba: *anhelum pectus spiritus jaciat ex ore.* Ita Seneca, Trag. Medea, vs. 387, sq.:

> Talis recursat huc, et motu effero
> Furoris ore signa limphati gerens
> Flammata facies spiritum ex alto citat.

Cf. Virgil., Æn. XII, vs. 101 sq.; Lucret. III, 290; et Seneca, de Ira, lib. I, cap. 1, *spiritum coactum* inter iræ signa recenset. ORELL. — Cæterum in eamdem sententiam elegantissime Lactantius (de Ira Dei, cap. 1): *Quod si hominem, qui modo sit sapiens et gravis, ira non deceat, siquidem, cum in animum cujusdam incidit, velut sæva tempestas tantos excitet fluctus, ut statum mentis immutet, ardescant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vultum maculet nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens, quanto magis Deum non deceat tam fœda mutatio?* HERALD.

Ex verbis ardentibus labrorum siccitas inalbescat. Ita Lactant., de Ira Dei, cap. 5, de homine irato: *Ardescunt oculi, os tremit, lingua titubat, dentes concrepant, alternis vultum maculis nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens signat.* Similiter locum Virgilii Æn. IV, 499, de Didone, *pallor simul occupat ora*, malim de ira Didonis in Æneam vultus pallore se manifestante, quam cum Servio et Heynio de conscientia cogitatæ mortis interpretari. De spuma accipit verba Arnobii Heraldus. Male. ORELL.

XVIII. — *Ubi passio sita est ..... perturbationem, ubi perturbatio, ibi dolor et ægritudo est.* Sequitur Arnobius in his definitiones Stoicorum, qui distinguunt *affectum*, *passionem*, *perturbationem*. Seneca, de Ira, II, cap. 2: *Ut scias, quemadmodum incipiant affectus, aut crescant, aut efferantur. Est primus motus non voluntarius, quasi præparatio affectus, et quædam comminatio. Alter cum voluntate non contumaci. Tertius motus est jam impotens, qui rationem evicit.* Primum itaque animi motum appellat h. l. Arnobius *affectum*, sensu angustissimo, secundum *passionem*; tertium *perturbationem*. Cf. J. Lips. Introd. ad Stoic. Philos., lib. III, Dissert. 7, p. 764 sqq. Opp., tom. IV, ed. Vesal. ORELL.

Ubi dolor et ægritudo est, ibi imminutioni et corruptioni jam locus est. Similiter libro II: *Quod autem est promptum atque expositum passioni, corruptibile esse ipsa passibilitate interveniente denunciatur*; et lib. VII: *Quicquid enim vexatur rei alicujus e motu, passibile esse constat et fragile, quod passioni fragilitatique subjectum est, id necesse est esse mortale.* ELMENH.

XIX. — *Æquitatis vel modicæ nullam prorsus obtinere rationem.* *Ratio* h. l. pro *portione*, *rata parte.* Vid. Gesner., Ind. ad Scriptores Rei rust. Hinc et Germani *die Ration.* ORELL.

Innoxia dilacerare frumenta. Conj. Cannegieter. rectius forsan legi *armenta*. Sed nil mutandum. *Lacerare* enim et *dilacerare* non tantum de vestibus scissis et ferarum laniatu, sed et de aliis rebus quibuscumque fissis, diremptis, contritis dixerunt veteres. Ita de Sicilia terræ motu et maris influxu dirempta ab Italia Silius Punic. XIV, vs. 14:

> Namque per occultum cæca vi turbinus olim
> Impactum pelagus laceratæ viscera terræ
> Discidit.

Et propius ad nostrum Columella, lib. V de Cultu hortorum, vs. 70:

> Pellite nunc somnos et curvi vomere dentis
> Jam virides lacerate comas

Quidni itaque fruges grandine fractæ et collisæ recte dicantur *a diis lacerari?* Meursius legendum censet: *Ut innoxia dilacerare frumenta*, homines scilicet. ORELL.

nomen odisse, et dispendiis omnibus suos labefactare cultores?

XX. An numquid idcirco in vos etiam sæviunt, ut intestinis vulneribus concitati in ultionem consurgatis illorum? Ergo humana patrocinia dii quærunt, et nisi vestra fuerint assertione protecti, idonei non sunt ipsi, qui propulsare, defendere suas valeant contumelias. Quinimmo si verum est ardere illos ira, permittite illis potestatem sui, defendant se ipsi: atque in ultionem majestatis offensæ intestinas exerant, experianturque [a] virtutes. Possunt nos, si voluerint, æstu, possunt nocentissimo frigore, possunt auris pestilibus, possunt morborum obscurissimis causis enecare, consumere [b], atque ab omni penitus cœtu exterminare mortalium [c], aut si malum consilium est aggredi nos vi, emittant [d] aliquod in- B

A dignationis signum, per quod esse liquidum cunctis possit, invitissimis nos eis habitare sub cœlo.

XXI. Vobis secundas tribuant valetudines: adversas nobis, ac pessimas. Opportunis imbribus vestra irrigent rura: pluviarum quicumque sunt rores, nostris ab agellulis abigant. Lanitia curent vestra numerosis fœtibus multiplicari, sterilitatem infaustam nostris pecuariis inferant. Ex olivis vestris atque vinetis plenam faciant autumnitatem fundi: at ex nostris exprimi unum prohibeant palmitis rorem [e]. Ad extremum et ultimum, in vestro ore præcipiant suam fruges retinere naturam: at vero in nostro mel amarum [f] fieri, olearum fluenta rancescere, et sub ipsis potum labris in [g] acoris perfidiam vinum repente mutari.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Expediantque *Fulv.*
[b] *Abest in ms.*
[c] *Ita Fulv.* Mortalia *male. Sab.*
[d] Mittant. *Fulv.*
[e] Ullum....... rorem *Fulv.*
[f] Oleorum *vel* olivi *Fulv.*
[g] Sub ipsius potu laboris *vitiose Sab.*

COMMENTARIUS.

Christianum nomen odisse et cultores. Idem Cannegieter. legend. censet *christianum numen*, dicens, v. *cultores* non *nomen*, sed *numen* flagitare. At bene habet vulgata lectio *cultores suos*, scil. *Christi*, quod eliciendum ex præcedent. *Christianum nomen*, vel, si quid mutandum, malim legere *Christi nomen* pro ipso Christo, ut *nomen Dei* pro Deo. Vide Suicer, Thesaur. Eccles. in Patres Græc. v. ὄνομα *Christianum nomen* sunt ipsi christiani, ut observavimus supra ad cap. v. Orell.

XX. — *An numquid.* Scio, ab Arnobio nonnumquam conjungi voces et præcipue adverbia et particulas similes; similia autem sunt *an* et *numquid*. Sed carere licebit illa observatione, si *At numquid* scribimus, litterula una sollicitata. An idem dicendum de loco lib. II, c. v. *An numquid hæc fieri passim et inaniter creditis? Numquid*, detracto *an*, crebrum. lib. I, c. 2; lib. v, c. 24; lib. VII, c. 9. (Cannegieter *in van Hoven Ot. Litter.*) C

Ut intestinis vulneribus concitati. Id est propriis, οἰκείοις καὶ ἰδίοις. Vox est Lucretiana, lib. II, vs. 290:

.........Sed ne res ipsa necessum
Intestinum habeat cunctis in rebus agendis.

Et sæpius Arnobius paulo post: *Intestinas exerant experianturque virtutes*, et infra, cap. 36: *Venus viri materfamilias Troici, atque intestini decoris publicatrix*, et lib. II: *fierique vos deos vestro fiditis intestinoque conatu*, et passim. Herald.

Ergo humana patrocinia dii quærunt. Similiter argumentatur Lactantius, Instit. lib II, c. 5: *Sed quum puniunt deprehensos in sacrilegio, ipsi de deorum potestate diffidunt. Cur enim illis potissimum non relinquant ulciscendi sui locum, si eos posse aliquid arbitrantur?* Quid quod ipsos alias gentiles ita sensisse, leges illorum demonstrant, quibus in perjuros nullæ pœnæ constitutæ, si per deos pejeraverant; contra, si per Imperatores, pœnæ promptæ et paratæ erant. Conf. l. XI, c. de Rebus creditis. Deum igitur perjurii ultorem existimabant; et eos idcirco, qui jurisjurandi religionem violaverant, deorum judicio relinquendos censebant. *Deorum enim injurias diis curæ*, inquit Tiberius apud Tacitum. Herald. D

Propulsare, defendere. Sterwech. τὸ *defendere* delendum censet tamquam glossema. Male; talia enim epitheta idem significantia amat coacervare Arnobius. Vide supra ad cap. XI, init., notam Heraldi. Cæterum *defendere* hoc loco, idem quod *arcere*, *propulsare*, quod pluribus exemplis illustrat idem Stewech., ad Veget., de Re milit., lib. III, c. 21, p. 260, ed. Vesal. Orell. — Cf. Lips. Var. Lectt. II, 22. Ochsner.

Aut si malum consilium est. Cannegieter. vult *malum* non conjungendum cum voce *concilium*, sed interjectionem esse indignantis aut reprehendentis. Cui explicationi equidem nolim accedere. Nam Arnobius non est ita tersus et limatus scriptor, cui nihil plane insit otiosi et supervacui. Fulv. Ursinus legend. conj. *sin alia consilium est aggredi nos via*, quod, si Codicis fide niteretur, in textum recipere non dubitarem. Orell.

Indignationis. Fulv. Ursin. sequente editore Lugd. Bat. emend. *indicationis;* sed *signum* et *indicium*, sive *indicatio* idem plane sunt. Quare non video cur mutanda sit antiqua lectio. Orell.

XXI. — *Autumnitatem.* Vocabulum antiquæ et probatæ latinitatis. Cato, de Re rustica, c. 155: *Prima autumnitate, cum pluvius est, tum maxime ab aqua periculum est.* Hoc loco autem *autumnitatem* dicit Arnobius *autumni* sive vinearum proventum. Eodem sensu Mamertinus Grat. Act. ad Julian., c. 22, *olivitatem* dicit pro proventu olei, ubi vid. Livinæum, pag. 185, vol. II Panegyr. Vet., ed. Jæger. Plura congessit Meursius, in Critico Arnob., p. 16. Orell.

At ex nostris exprimi unum prohibeant palmitis rorem. Variis locum hunc sanissimum conjecturis offuderunt interpretes. Alii legunt *palmites*, editor Leid. *palmitibus*, Stewech. conj. *vinum .... rorem*, eodem sensu quo dicunt Latini *dies autumnos*, id est *autumnales*, *sexum marem* pro *masculino*, *verba oblivia* pro *obliviosa*. Nicol. Heins., Adversar., lib. I, c. 10, pag. 102, legendum censet *udum rorem*. Quæ conjecturæ fere omnes fluxerunt e voce *rorem* male intellecta a viris doctis. *Ros* enim hoc loco non est humor ille, qui serenis noctibus colligitur in plantis (nam is detergitur, non exprimitur), sed ipse succus palmitum. Nam *ros* ap. Latinos de quovis liquore, aqua, vino, etc. Ita Sidon., carm. XXII, v. 25, *ros meri pro vino. Unum rorem* itaque dicit Arnobius unam vini vel musti guttam. Orell. — Mihi concinnius videtur Salmasii *palmitibus*, quod Heraldus etiam secutus est, ipsaque verborum collocatio plane Arnobiana: *Ex olivis vestris atque vinetis ... at ex nostris palmitibus.* Qui *palmites* voluerunt, videntur quæsivisse nominativum ad verbum *prohibeant*, qui responderet superiori membro *fundi faciant*, quod quidem non necesse est, cum idem nominativus facile ad utrumque membrum pertineat. Ochsner.

Et sub ipsis potum labris in acoris perfidiam vinum

XXII. Quod cum minime fieri testificentur res ipsæ, neque minus ad nos quicquam, neque ad vos plurimum redundare vitalibus ex beneficiis constet, libido quæ tanta est inimicos atque hostes deos esse contendere christianis, quos in rebus tristissimis, atque lætis nihil abs te videas ratione in aliqua discrepare? Si verum vobis permittitis, ac sine ullis assentationibus dici : verba sunt hæc, verba sunt, res immo per calumnias creditæ, non cognitionis alicujus testimonio comprobatæ.

XXIII. Cæterum dii veri, et qui habere, qui ferre nominis hujus autoritatem condigni sunt, neque irascuntur, neque indignantur, neque quod alteri noceat, insidiosis machinationibus construunt. Etenim revera est impium, et sacrilegia cuncta transcendens, sapientem illam credere beatissimamque naturam magnum aliquid putare, si se sibi aliquis adulatoria humilitate submittat : et si fuerit non factum, despectam se credere, et ab summi culminis decidisse fastigio. Puerile, pusillum est, et exile, vix et illis convenieus, quos jamdudum experientia doctorum dæmonas appellat et heroas, non nosse cœlestia, et in hac rerum materia crassiore conditionis suæ exortes versari.

XXIV. Vestra sunt hæc, vestra sunt irreligiose opinata, et irreligiosius credita. Quinimmo, ut verius proloquar, haruspices has fabulas, conjectores, arioli, vates, et numquam non vani concinnavere fanatici : qui, ne suæ artes intereant, ac ne stipes exiguas consultoribus excutiant jam raris, si quando vos velle

COMMENTARIUS.

repente mutari. Potum, quod pro vitiosa lectione antiqua *potu* restituit Gelenius, editor Lugd. Bat. mutavit in *positum*, qua causa, non video. *Acoris*, idem quod aceti, *perfidiam* eleganter dixit Arnobius, *perfidus* enim et *perfidia* dicitur ap. Latinos exquisite de cibis etiam et potionibus, quæ spem gustantis frustrantur. Ita Martialis lib. XII, epig. 48, qui locus nostro simillimus :

Imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum
Et Vaticani persida vappa cadi.

Eodem sensu *nequitia* ap. Plin., Hist. Nat. XIV, 20, *aceti nequitiæ inest virtus ad magnos usus*. Cf. N. Rigaltium ad Artemidor. Oneirocrit., lib. I, pag. 45, vol. II ed. Reiff. ORELL.

XXII. — *Neque ad vos plurimum. Plurimum* pro plus. Sic infra lib. II, cap. 11, init : *Et quid est quod in hac parte aut vos plurimum habeatis aut nos minus?* Vide annotationem Heraldi ad sequentia verba. ORELL.

Quos in rebus tristissimis atque lætis. Solemne est Arnobio et plerisque omnibus illius ævi scriptoribus mutare comparationis gradus, et superlativum accipere pro positivo, ut loquuntur οἱ τῶν γραμματικῶν παῖδες. Unde et Menandri versum : φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, ita redditum apud antiquos Ecclesiæ doctores reperimus : *Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ*. Talia apud scriptores illos infinita. HERALD.

XXIII. — *Dii veri.* Hæc est palmaria emendatio Fulv. Ursini, merito in textum recepta ab Oberthurio. Nam quotusquisque est gentilium Deus, qui immunis fuerit illorum vitiorum et affectuum, quos in sequentibus recenset Arnobius? Antea legebatur *dii vestri*. ORELL.

Si se sibi aliquis adulatorio humilitate submittat. Sic enim solent adulatores et qui magnam abjectionem restari volunt. Noster infra lib. VII, cap. 13 : *Tum deinde salutet acclinis, ancillæ aut servuli pavibundas trepidationes imitatus.* Hoc eleganter appellat Tertullianus *decrescere* libro de Pœnitentia, cap. 11 : *Ad omnem occursum majoris cujusque personae decrescentes.* Ταπεινοῦσθαι Græci hoc dicunt, ὑποπίπτειν et ὑποκύπτειν : quibus opponit Diodorus Siculus ὑπερέχειν. ORELL.

Quos jam dudum experientia doctorum dæmonas appellat et heroas. Variis hunc locum conjecturis tentarunt interpretes. Cod. ms. et editio romana habent *appellat errores*, quod manifeste vitiosum Gelen. mutavit in *et hos*, quem posteriores editores secuti sunt usque ad Herald. Behot. Apophoret. lib. III, cap. 8, leg. censet *et quos*, et in sequentibus *scit versari*. Pontanus apud Meursium *terrestres*. Stewech. *ertones*, quod, proprie de servis fugitivis usurpatum, bene etiam dici potest de dæmonibus in terris vagantibus et circumvolitantibus, neque prorsus rejiciendum videtur. Sequi tamen malui emendationem Fulv. Ursini probatam ab Heraldo, *et heroas*, qui sæpissime conjunguntur cum dæmonibus, verbi causa ab Augustino, de Civit. Dei, lib. X, cap. 21 : *Volunt cum dæmonibus heroas habitare, quo nomine appellant alicujus meriti animas defunctorum.* Cf. intpp. ad Gnomas Pythagoreorum, init. Plura vide ap. Meurs., p. 17. ORELL.

Non nosse cœlestia, i. e. non usu, experientia cognita habere cœlestia. Vide supra cap. 17, ad verba *Hoc ergo Dii magni norant* notam Heraldi. ORELL.

XXIV. — *Haruspices has fabulas, conjectores, arioli, vates...., fanatici.* Iidem conjunguntur et exploduntur etiam a Cicerone de Nat. Deor., I, 20, ubi Velleius : *Sequitur* μαντικὴ *vestra... qua tanta imbueremur superstitione, si vos audire vellemus, ut aruspices, augures, harioli, vates et conjectores nobis essent colendi.* De haruspicibus res nota. *Conjectores* dicebantur κατ' ἐξοχὴν *somniorum interpretes*, ὀνειροκρίται. Vid. Fest. h. v. ibique Dacer. *arioli* dicti ab *aris*, qui circa aras versantur, precantur, vaticinantur. Vid. Isidor., Orig., lib. VIII, c. 9. Donatus ad Terent. Phorm., act. IV, scen. 4, ab *hari*, verbo antiquo pro *fari*, derivat. Cf. Havercamp. ad Tertullian. Apologet., p. 227, *fanatici* a fanis (Glossæ : *fanaticus*, ἱερατικός, ἱερόδουλος), *erant tales, qui semper conversabantur in templis, ut futura prædicerent.* Vide J. Firmic. Mathes. liber. III, c. 13. Designat autem his vocibus Arnobius planos et agyrtas in locis publicis, templis, foris plateis versantes et vaticiniis aliisque vanitatibus mulierculas et alios imperitos homines aggredientes et stipes illorum credulitati extorquentes. HERALD. et ORELL.

Ac ne stipes exiguas consultoribus excutiant jam raris. Cannegieter. leg. censet *stipes non exiguas*. Sed verba *consultoribus jam raris* aperte indicant, illud *non* locum habere neutiquam posse. Sensus est : *Verentes, ne stipes jam exiguæ ob consultorum raritatem penitus dispereant.* ORELL.

Si quando vos velle rem venire in invidiam compererunt. Hic locus admodum torsit interpretes variis conjecturis ipsi medelam afferre conatos. Editio rom. habet *nos velle*, etc., quod defendit Th. Canterus, explicans nos, scil. christianos, ira incensos in illos, ariolos scil., vates, etc., velle rem eorum venire in invidiam. Stewech. leg. censet : *Si quando nos belle provenire compererunt, invident, indignantur, declamitantque : Negliguntur Dii*, etc. Just. Lips., Epistolic. Quæst., lib. I, Epist. 20 : *Si quando nos bellorum venire in invidiam*, etc., intelligens de bellorum et publicæ calamitatis invidia in christianos conflata ab istis sacrilculis. Cannegieter. *eos*, scil. sacrificulos. At hi non volunt, alioqui non consulerent. Mihi videtur locus sanissimus. Sensus est : *Si quando com-*

A rem venire in invidiam compererunt, negliguntur dii, clamitant, atque in templis jam raritas summa est : jacent antiquæ derisui ceremoniæ, et sacrorum quondam veterrimi ritus religionum novarum superstitionibus occiderunt : merito humanum genus tot miseriarum angustiis premitur, tot laborum excruciatur ærumnis. Et homines brutum genus, et quod situm sub lumine est, cæcitate ingenita nequeuntes videre, audent asseverare furiosi, quod vos credere non erubescitis sani.

XXV. Ac ne quis nos tamen diffidentia responsionis, tranquillitatis existimet Deos donare muneribus, innoxias affingere[a] his mentes, atque ab omni perturbatione dimotas, concedamus, sicut libitum vobis est, intendere in nos iras, sanguinem illos sitire nostrum, et jamdudum nos cupere mortalium submovere de sæculis. Sed si non est molestum, non grave, si communis officii res est, non ex gratia, sed ex vero disceptationis hujus disceptare momenta, audire a vobis exposcimus, quænam sit hæc ratio, quæ causa, propter quam in nos tantum et dii sæviant superi, et asperati homines inardescant. Religiones, inquiunt, impias, atque inauditos cultus terrarum in orbe tractatis. Quid, o participes rationis, audetis, homines proloqui, quid effutire, quid promere temerariæ vocis desperatione tentatis? Deum principem, rerum cunctarum quæcumque sunt dominum, summitatem omnium summorum obtinentem, adorare, obsequio venerabili invocare, in rebus fessis totis, ut ita dixerim, sensibus amplexari, amare, suspicere, execrabilis religio est et infausta, impietatis et sacrilegii plena, cærimonias antiquitus institutas novitatis suæ superstitione contaminans?

B XXVI. Hoccine est, quæso, audax illud facinus et immane, propter quod maximi cœlites aculeos in nos intendunt irarum atque indignationum suarum? propter quod vos ipsi, cum libido incesserit sæva, exuitis nos bonis, exterminatis patriis sedibus, irrogatis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Affigere. *Male. Sab.*

COMMENTARIUS.

pererunt, vos ipsos (gentiles scil.) *velle rem* (suam scil.) *venire in invidiam.* Tales nimirum agyrtas et sacrificulos ob mendicitatem suam malasque artes, quibus imperitis hominibus imponebant, ab ipsis deorum cultoribus contemptos et exosos fuisse, ex plurimis veterum testimoniis satis constat. Vel, si quid mutandum, mallem plane delere pronomen *vos*, ut sit *velle venire in invidiam ;* idem quod simplex *venire.* C *Velle* cum infinitivo sæpissime abundat apud veteres. Ita ap. Petronium aliquoties *velle* pleonastice positum, verbi causa, cap. 70, § 10. *Jam cœperat Fortunata velle saltare*, ubi vide Burmann. et indicem Antonii, et apposite ad nostrum locum auctor. Priapeiorum, carm. LXXII, vs. 9 et sq. :

At vos amplius hoc loco cavete
Quicquam ponere : ne famelicorum
Ad me turba velit canum venire.

ubi *velit venire* pro veniat. Sensus itaque nostri loci esset : *Wenn sie merken dass ihre Sache (ihre Künstel, ihr Orakelgewerb) ihren Credit verlieren wolle.* ORELD.

Negliguntur dii, clamitant, atque in templis jam raritas summa est. Gelenius solita mutandi libidine sanissimam hanc codicis ms. lectionem sic interpolavit : *Indignantur, declamitantque : in templis*, etc. Editio, princeps habet vitiose : *negliguntur, declamitant, atque in templis*, etc. Fulv. Ursin. leg. conj. etc. *clamitant, arœque*, etc. Sed causam mutandi nullam D video. ORELL.

Jacent.... derisui cæremoniæ. Hoc est contemptæ sunt et expositæ, objectæ dirisui. *Jacere*, centies ap. veteres de rebus neglectis, contemptis, quod notissimum. At rarior hujus verbi constructio cum tertio casu. Ita Sil. Ital., lib. XV, vs. 646 et sq. :

.... Quicumque timeri
Dux bello poterat, fratri jacet.

id est, ab eo cæsus, postratus est. ORELL.

Occiderunt. Fulv. Ursinus legend. censet *conciderunt.* Sed bene habet *occiderunt* et multo est significantius. Imago scil. ducta a sideribus, quæ sole exorto occidunt, evanescunt. ORELL.

Et merito humanum genus.... tot laborum excruciatur ærumnis. Stewechius legendum censet *eo* (id est *eapropter*) *merito humanum genus....... tot laborum exercetur ærumnis*, citans Virgilianum illud, Ab. III, 1821. *Puer Iliacis exercite satis*, et Apulei. Miles., lib. VI : *Psyche tantis exercita ærumnis*, quod elegantius quidem et bono scriptore dignius. Sed in Arnobio tales elegantiæ non exigendæ.

Tot laborum excruciatur ærumnis. Stewech. leg. conj. *exercetur ærumnis*, afferens loca duo, alterum Apuleii, lib. VI. Metam. *Psyche tantis exercita ærumnis*, alterum Virgilii Æn. III, vs. 182.

. . . . . . Nate Iliacis exercite satis.

Sed non minus frequens ap. Latinos *excruciari ærumnis*, *ægritudine*, *sollicitudine*, *miseriis.* Cf. Terent. Heautont. I, 2, vs. 4, et Cic. Epist. ad Fam. XIV, 3. Itaque nil mutandum. ORELL.

Et homines, brutum genus. Cannegieter leg. cens. *Ei homines*, non male. ORELL. — Pari sensu Horat., lib. I. sat. 3. dixit *Mutum et turpe pecus.* PRIOR.

Furiosi. Vide notata ad initium capitis I. ORELL.

XXV. — *Mortalium..... de sæculis.* Id est *de genere mortalium sæculum* pro genere, sobole, multitudine sæpissime usurpat Lucretius, v. c., lib. III, 629 : *Priorum sæcla scriptorum*, et II, vs. 77. *Animantum sæcla in brevi spatio mutantur.* Vid. Gesner. in Thesauro et quæ annotabimus infra ad lib. VII, c. 24. ORELL.

Summitatem omnium summorum obtinentem. Is Deus mox *summus* dicitur, quo nomine veteres appellarunt unum illud et supremum numen, rerum omnium auctorem et gubernatorem. Philosophi Deum opificem nominabant, alii Jovem æternum et exsuperantissimum ; Græci etiam ὕψιστον. CANNEGIETER *in van Hoven Ot. Litt.*

Temerariæ vocis desperatione. Fulv. Ursinus leg. censet *disparatione*, alii *disceptatione* male. *Desperatio*, ut bene Herald. explicat, est ἀπόνοια eorum, qui divinam iram contemnere cœperunt, et simul omnem salutis curam abjicere. *Desperatio vocis temerariæ* est itaque vox temeraria hominis scelerati et de salute sua prorsus desperantis, *ein tollkuhnes, ruchloses Wort.* ORELL.

In rebus fessis. Infra, lib. III : *Inexorata beneficia præbere fessis atque invalidis rebus.* Habet a Virgilio, Æn. III, 145 :

Quam fessis finem rebus ferat; unde laborum
Tentare auxilium jubeat. HERALD.

Add. Tacit., Annal. XV, c. 50. *Diligendumque, qui fessis rebus succurreret.* ORELL.

supplicia capitalia, torquetis, dilaceratis, exuritis, et ad extremum nos feris et belluarum laniatibus objectatis? Quisquis istud in nobis damnat, aut in aliqua ducit criminatione ponendum, is aut nomine appellandus est hominis, quamvis ille videatur sibi? aut Deus esse credendus est, quamvis ipse se esse mille profiteatur in vatibus? Trophonius nos impios Dodonæus aut Jupiter nominat [a], et ipse dicetur Deus, atque in ordine computabitur numinum, qui aut summo servientibus regi crimen impietatis affingit, aut sibi torquetur majestatem ejus, cultumque præponi? Delius Apollo, vel Clarius, Didymæus, Phile- A sius, Pythius, et is habendus divinus est, qui aut summum imperatorem nescit, aut ignorat a nobis quotidianis ei precibus supplicari? Qui si pectorum secreta nesciret, nec quid in intimis sensibus contineamus, agnosceret: summum tamen invocare nos Deum, et ab eo quod postulamus orare, vel auribus potuit scire, vel ipsius vocis sono, qua utimur in precibus, noscitare.

XXVII. Nondum est locus, ut explicemus omnes istos, qui nos damnant, qui sint, vel unde sint: quantum possint, vel noverint: cur ad Christi paveant mentionem, discipulos cur ejus inimicos ha-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ritibus profanos nos aut impios Dodonæus Jupiter nominat. *Fulv.*

COMMENTARIUS.

XXVI. — *Dilaceratis.* Nempe flagellis et ungulis, quibus derasa et fulcata fuere christianorum latera. In his etiam lacerationibus numerare possumus ἑλκυσμοὺς θηρίων. Nam sanctos Christi testes bestiis quandoque admordendos dabant, ut vel hac ratione summum iis terrorem incuterent. Herald.

Exuritis. Refero hoc non ad vivicomburium, quo sæpe Christi milites ἐτελειώθησαν, sed ad cruces et tormenta, quæ extremam τελείωσιν præcedebant. Torquebantur enim christiani, lacerabantur, exurebantur, id est, igni et laminis igneis propius admotis tentabantur. De igni ad veritatem eruendam admoto antiquissima res est. Recte autem et condecenter ab Arnobio collocatur loco ultimo. Nam revera erat sæpius ultimus βασανισμός. Seneca lib. iii, de Ira, cap. 19: *Torserat per omnia, quæ in rerum natura tristissima sunt, fidiculis, tabularibus, aculeo, igni, vultu suo.* C Apuleius, Milesia, x: *Nec rota vel eculeus more Græcorum tormentis ejus apparata jam deerant. Sed obfirmatus mira præsumptione nullis verberibus, ac ne ipso quidem succubuit igni.* Prudentius, in Martyrio Vincentii:

> Tum deinde cunctatus diu.
> Decernit extrema omnium
> Igni, grabato et laminis
> Exerceatur quæstio. Herald.

Ad extremum nos feris et belluarum laniatibus objectatis. Nota *ad extremum.* Præmissa ergo ante extremum agonem. Hinc Prudentius Hymno primo περὶ στεφάνων, vs. 54, seqq.

> Stant parati ferre, quidquid sors tulisset ultima:
> Seu foret præbenda cervix ad bipennem publicam,
> Verberum post vim crepantum, post catastas igneas;
> Sive pardis offerendum pectus, aut leonibus.

Bestiis autem objectabantur, cum venationes darentur; alias enim non licebat. Hinc, cum Polycarpum D ad leonem postularent, respondit Proconsul fieri hoc non posse, quia venationes peractæ erant. Quare vivus concrematus est constantissimus et floridissimus Martyr. Herald.

Is aut nomine appellandus est hominis, quamvis ille: videatur sibi? aut Deus esse credendus est, quamvis ipse se esse mille profiteatur in vatibus? Trophonius nos impios, etc. Hæc est palmaria emendatio P. Pithoei, merito in textum recepta ab editore Lugd. Bat. Editio prima Romana habet e cod. ms.: *Is haud nomine appelandus est hominis, quamvis ille videatur sibi, haud Deus esse credendus est, quamvis ipse se esse similem profiteatur. In vatibus profanus nos impios*, etc. Falsissime neque enim oracula profitebantur, eos, quos gentes colebant, similes deorum, sed veros deos esse; et in sequentibus, *Dodonæus aut Jupiter, aut* non haberet quo referretur. Itaque miror, Oberthurium emendationem illam unice veram e textu suo eliminasse. Et mirum sane videri possit attento B lectori, cur Arnobius pleraque Græcorum oracula recensens celebratissimum illud Trophonii in Lebadia Bœotiæ præterierit. Orell.

Clarius. Clarius Apollo a Clario nemore prope Colophonem, quod cum sacerdotibus esset aptum visum, in quo templum strueretur, successu temporis oraculo Apollinis inclaruit condito a Manto, vatis Tiresiæ filia, fugiente victores Thebanorum Epigonos, teste Pomp. Mela, de Situ Orb. i, c. 17, cujus celebritas eo colonos attraxit, quorum manibus structum est oppidum, Nicandri patria. De condito ibi templo et oraculo vid. Strabon., lib. xiv, pag. 642; Scholiasten Apollonii Rhod., ad i, vs. 308; Pausaniam in Achaicis, c. 3, et quos laudat, Oberlin., V. C. ad Taciti Ann., ii, 54, et ad Vib. Sequestr., pag. 265, qui hac de re multus est. Orell. — Conf. Intpp. ad Ovid. Met., i, 516. Ochsner.

Didymæus. Pomp. Mela, de Situ Orb., i, c. 17: *Post Basilicum Ionia aliquot se ambagibus sinuat: et primum a Posideo promontorio flexum inchoans, cingit oraculum Apollinis, dictum olim Branchidæ, nunc Didymæi*, ubi vid. Voss. Cf. Strabo, l. xiv, p. 634, ed. Casaubon.; et Ernest. ad Sueton. Caligul., c. 21. Didymæus scil. Apollo dictus a nomine loci Δίδυμα, alii derivant a δίδυμος, geminus sive gemelus, quod cum Diana uno partu editus sit. Tertiam nominis rationem philosophicam affert Macrobius, Saturn. i, 17, qui eo nomine Apollinem etiam Romæ cultum dicit. Orell.

Philesius. Φιλήσιος *Apollo dictus, quod lumen ejus exoriens amabile amicissima veneratione consalutamus*, teste Macrobio, sat. i, 17. Alibi hujus cognominis mentio non exstat. Orell.

Ab eo quod postulamus orare. Postulamus hoc loco idem quod optamus. Consequens pro antecedente. Ceterum minime contemnenda videtur Fulv. Ursini conjectura, *ab eo, quo postulamus, ore.* Orell.

Vel auribus potuit scire, vel ipsius vocis sono. Id est et ipsius, etc. Nam particulæ istæ disjunctivæ ponuntur sæpe pro copulativis ab Arnobio, ut etiam ab Julio Firmico locis infinitis. Quæ in editione Fulv. Ursini notata sunt ad hunc locum, sunt plane inutilia. Herald.

XXVII. — *Cur ad Christi paveant mentionem.* Prudentius Apotheos. v. 402, seqq.

> Torquetur Apollo
> Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
> Ferre potest, agitant miserum tot verbera linguæ,
> Quot laudata Dei resonant miracula Christi.

Lactant., l. v, c. 21: *Hi spiritus contaminati cum corpora hominum occupant, animasque divexant, adjurantur ab his et nomine Dei veri fugantur. Quo audito tremunt, exclamant, et uri se verberarique testantur.* Vide Athanasium, de Humanitate Verbi. Elmenh.

beant et invisos : quod tamen humanum pollicentibus sensum una pariter definitione figamus : nihil sumus aliud Christiani, nisi magistro Christo summi regis ac principis veneratores : nihil, si consideres, aliud invenies in ista [a] religione versari. Hæc totius summa est actionis : hic propositus terminus divinorum officiorum, hic finis. Huic omnes ex more prosternimur, hunc collatis precibus adoramus, ab hoc justa, et honesta, et auditu ejus condigna deposcimus. Non quo ipse desideret supplices nos esse, aut amet substerni tot millium venerationem videre. Utilitas hæc nostra est, et commodi nostri rationem spectans. Nam quia proni ad culpas, et ad libidinis varios appetitus vitio A sumus infirmitatis ingenitæ, patitur se semper nostris cogitationibus concipi : ut dum illum oramus, et mereri ejus contendimus munera, accipiamus innocentiæ voluntatem, et ab omni nos labe delictorum omnium amputatione purgemus.

XXVIII. Quid dicitis, o sacri, quid divini interpretes juris? Meliorisne sunt causæ [b], qui Grundules adorant lares, Aios locutios, Limentinos, quam sumus nos omnes, qui Deum colimus rerum patrem, atque ab eo deposcimus rebus fessis languentibusque tutamina? Et illi cauti, sapientes, prudentissimi vobis videntur, nec reprehensionis ullius, qui Faunos, qui

LECTIONES VARIANTES.

[a] Isti. *Bene*. (Meur.) *ms*.

[b] Meliorine sunt causa. *Fulv*.

COMMENTARIUS.

Una pariter definitione figamus. Figamus, id est, constituamus tanquam firmum ratumque ponamus extra omnem dubitationis aleam. Metaphora ducta ab iis quæ clavis figuntur. ORELL.

Aut amet substerni tot millium venerationem videre. Verbum *substerni* tanquam glossema eliminandum censet Stewech. Sed bene defendit Heraldus loco Tertulliani in Apologet., c. 43. *Quantos habetis, non dico jam qui de vobis dæmonia excutiant, non dico jam, qui pro vobis quoque vero Deo preces sternant?* Meursius conj. *aut amet substerni tot millia in venerationem*. ORELL.

XXVIII. — *Quid dicitis, o sacri, quid divini interpretes juris?* Hæc est certissima lectio (Fulvii Ursini) pro antiqua, *quid divini interpretes viri?* C HERALD.

Grundules Lares. Diomedes, l. I, de dubia verborum positione, p. 59, ed. Jo. Cæsari : *Hinc* (a *grundio* scil. verbo antique pro *grunnio*) *Grundules Lares dictos accepimus, quos Romulus constituisse dicitur in honorem scrophæ, quæ triginta pepererat porcos. Hoc ita affirmat, hoc modo Cassius Hemina in secundo historiarum : Pastorum vulgus sine contentione consentiendo, præfecerunt æqualiter imperio Remum et Romulum, ita ut de regno pares inter se essent. Monstrum fit, sus parit porcos triginta, cujus rei fanum fecerunt Lares grundiles*. Cf. Nonius in *Grundules*. *Elmenh*. Cod. ms. vitiose *Grunduleos*. ORELL.

Aios, Locutios, Lementinos, etc. Cod. ms. *Locutios, Ajaceps, Boetios, Libentinos*, vitiosissime quidem. Sed in voce *Boetios* latere existimo nomen Dei alicujus boum curam gerentis, neque illud temere e textu eliminaverim. Itaque legendum conjicio : *Locutios, Ajos. Bubetios* (vel *Bovicios*). *Limentinos*. Bubetiorum ludorum meminit Plin., Hist. nat., XVIII, 3. Quidni statuamus, fuisse etiam *deos Bubetios*, cum multa deorum minorum gentium nomina vetustate interiisse, alia solummodo in Patrum Ecclesiæ, Augustini, Minucii, Lactantii scriptis servata esse constet? Ita Dea Bubona memoratur ab Augustino, de Civit. Dei, VI, 3. ORELL.

Aios Locutios. De Aio Locutio locus classicus est apud Livium, Hist. V, 50. *Expiandæ etiam vocis nocturnæ, quæ nuncia cladis ante bellum gallicum audita neglectaque esset mentio illata, jussumque templum in nova via Aio Locutio fieri*. Cf. Cic. de Div., I, 45; et II, 32, et Gell., Noct. Att., lib. XVI, cap. 17. ORELL.

Limentinos. Noster infra, l. IV, c. 9. *Quis* (est qui credat) *Limentinum, quis Limam custodiam liminum gerere et janitorum officia sustinere?* Augustin., de Civit. Dei, l. IV, c. 8. *Tres Deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini*. Cod. ms. habet *Libentinos* male. *Libentinam* et *Li-* B *burnum Deos*, qui libidinum tutelis præsint, noster memorat infra, l. IV, l. I. ORELL.

Rebus fessis languentibusque. Vide supra, ad c. 25.

Qui Faunos, qui fatuas. Ita egregie emendavit Lipsius, Epist. Quæst., l. I, ep. XX, eaque lectio firmatur etiam codice ms., teste Meursio. Ed. Rom. *statuas*. At cum statuis hic nullum litigium, sed cum deorum ridiculis nominibus. De Fauno et Fatua locus classicus est ap. Lactantium, l. I, c. 22 : *Ut Pompilius apud Romanos institutor ineptarum religionum fuit : sic ante Pompilium Faunus in Latio, qui et Saturno avo nefaria sacra constituit, et Picum patrem inter deos honoravit : et sororem suam Fatuam Faunam, eamdemque conjugem consecravit, quam Ga-* C *bius Bassus Fatuam nominatam tradit, quod mulieribus fata canere consuevisset, ut Faunus Viris. Eumdem Varro scribit tantæ pudicitiæ fuisse, ut nemo eum, quod vixerit, præter virum suum mas viderit, nec nomen ejus audierit. Idcirco illi mulieres in operto sacrificant, et bonam deam nominant. Et Sex. Clodius in eo libro, quem græce scripsit, refert Fauni hanc uxorem fuisse, quæ quia contra morem decusque regium clam vini ollam ebiberat, et ebria facta erat, virgis myrteis a viro usque ad mortem cæsam : postea vero, cum eam facti sui pœniteret, et desiderium ejus ferre non posset, divinum illi honorem detulisse : idcirco in sacris ejus obvolutam vini amphoram poni*. Cf. Macrob., Saturn., l. I, c. 12. ORELL. — Varro (l. VI, de Ling. lat.), et Servius (in Virgil., Georg. I, v. 10 et 11, et Æn., VII, v. 45 et seq.), Fauno nomen datum putant a fando, vel quia, ut Cajus Bassius apud Lactant., l. I, c. 11. Fatus nominata, quæ mulieribus, sicut Faunus viris fata canere perhibebatur. Et Virgillus quidem Fauni responsa laudavit, Æn., VIII, D v. 103. At Cicero quamvis dixerit, Fauni voces sæpe in præsiis et rebus turbidis auditas (de Divin., I, 45), ubi tamen Cottam Baldo respondentem introduxit de Nat. deor., II et III, eam Fauni vocem a se unquam auditam inficiatus est. NOURR., p. 419.

Civitatumque genios. De locorum geniis plana res est. Pruventius libro contra Symmachum posteriore :

Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos genios; perque omnia membra
Urbis, perque locos geniorum millia multa
Fingere : ne propria vacet angulus ullus ab umbra.

Sed eos existimabant specialiter singulis civitatibus et populis attributos, quorum cura et providentia singulæ civitates continerentur. Symmachus relatione de restituendo veteri Deorum cultu apud eumdem Prudentium : *Suus enim cuique mos : suus cuique ritus est. Varios custodes vel urbibus, et cultus mens divina distribuit. Ut animæ nascentibus, ita populis fatales Genii dividuntur*, Hinc GENIUS POPULI RO-

Fatuas, civitatumque genios, qui Pausos reverentur A atque Bellonas. Nos hebetes, stolidi, fatui, obtusi pronuntiamur et bruti : qui dedidimus nos Deo, cujus nutu et arbitrio omne quod est, constat, et in sententiæ suæ perpetuitate defixum est. Hanccine sententiam promittis? hanc legem constituistis? hanc promulgatis, ut honoribus afficiatur amplissimis quisquis vestros adoraverit servulos? crucem mereatur extremam quisquis vobis ipsis dominis supplicarit? In civitatibus maximis, atque in potentioribus populis sacra publice fiunt scortis meritoriis quondam, atque in vulgarem libidinem prostitutis, nullus tumor indignationis in Diis est. Templa felibus, scarabeis, et buculis sublimibus sunt elata fastigiis : silent irrisæ numinum potestates, nec livore afficiuntur ullo, quod sibi comparatas animantium vilium conspiciunt sanctitates. Nobis solis sunt inimici, nobis B asperrimi Dii hostes, quia patrem veneramur illorum, per quem, si sunt, esse et habere substantiam sui numinis majestatisque cœperunt : a quo ipsam deitatem, ut ita dicam, sortiti esse sentiunt [a], et in rerum numero recognoscunt; cujus voluntate et arbitrio, et interire, et solvi, nec solvi possunt, nec interire? Nam si omnes concedimus unum esse principem solum, quem nulla res alia vetustate temporis antecedat, post illum necesse est cuncta et nata esse et prodita, et in sui nominis prosiluisse naturam. Quod si fixum et ratum est, erit vobis consequens confiteri, et Deos esse nativos, et a principe rerum fonte ortus sui originem ducere. Qui si sunt nativi, et geniti, et interitionibus utique periculisque vicini. At enim esse creduntur immortales, perpetui, et nullius umquam participes finis. Ergo istud munus Dei patris et donum est, ut infinita meruerint iidem esse per sæcula, cum sint labiles solubilesque natura.

XXIX. Atque utinam daretur in unius speciem concionis toto orbe contracto oratione hac uti, et

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sortitos esse se sentiunt. *Fulv.*

COMMENTARIUS.

MANI passim in veteribus nummis, qui *γένιος τοῦ δήμου* a Dione dicitur et Genius publicus apud Ammianum Marcellinum. HERALD — Cf. C. Barth. ad Rutil. Itinerar. I, vs. 328, prolixe de hac re disputantem. ORELL.

Pausos. Pausum Turneb. Adversar., lib. XV, c. 21, putat fuisse Deum, qui pausam afferret et quietem, bellis adversarium. ELMENH.

In sententiæ suæ perpetuitate defixum est. Id est immotum, immutabile manet, defixum quasi ac firmatum in perpetua Dei sententia, h. e. in æterno C ejus decreto. Similiter Cicero pro Flacco, cap. I. *Tantum petimus a vobis, ut omnia reipublicæ subsidia, totum statum civitatis, omnem memoriam temporum præteritorum, salutem præsentium, spem reliquorum, in vestra potestate, in vestris sententiis, in hoc uno judicio positam esse et defixam putetis.* ORELL.

Crucem mereatur extremam. Quo supplicio scil. nullum erat tetrius, nec abjectius; nullum detestabilius. HERALD. — Quare etiam summum supplicium, extrema pœna, *ἡ ἐσχάτη δίκη* crux dicta veteribus. Hoc loco tamen etiam laxe et de peste aut pernicie cupit intelligi, ut recte observat J. Lips., de cruce, lib. II, cap. 1, Op., tom. III, p. 1175, ed. Vesal. ORELL.

In civitatibus maximis..... sacra publice fiunt scortis meritoriis. Athenienses Læenam meretricem famosissimam, Romani Accam, Laurentiam et Floram, scorta propudiosa, post mortem sacrificiis, et annuæ parentationis honore mactarunt. Lactant., lib. I, c. 20; D Gellius, lib. VI, c. 7; Macrob., sat. I. 10. Plutarchus Quæst. Rom. ELMENH.

Nullus tumor indignationis in Diis est. Hæc erat verissima lectio Codicis ms. et editionis primæ, quam in editione Gelenii operæ, opinor, unica litterula mutata depravaverant. Minutius Felix, c. 14. *Num indignationis ejus tumorem effusæ orationis impetus relaxaverat.* Virgil., Æn. VIII, 40 :

> . . . . . Tumor omnis et iræ
> Concessere Deum.

Hinc *ira sufflatum* dicit Zeno Veronensis, sermone VII, de tribus pueris : *Ipsum contempserunt regem, qui ira sufflatus solito septies amplius caminum jussit incendi.* Sensus itaque est : nullas inde causas indignationis Dii contrahunt : non idcirco tument, nec in fermento sunt, ut loquitur ille ap. Plautum. HERALD. — Editio Oberthurii habet *timor* vitiose. ORELL. — In voce *timor* et *tumor* quam proclivis fuerit error, pluribus exemplis docuit Bentley ad Horat. Art. poet., vs. 197. OCHSNER.

Templa felibus, scarabæis, et buculis sublimibus sunt elata fastigiis. Perstringit Ægyptiorum superstitionem. Quod autem de scarabeis dicit, id ex Eusebio et aliis notum est. Cæterum quæ constituebant animalibus illis templa, ea superba erant et magnifica; quare *sublimibus elata fastigiis* dicit Arnobius. Quod et Celsus Epicureus apud Origenem significat, christianorum fidem Ægyptiorum superstitioni comparans. Illius verba sunt apud Origenem, lib. III : Παραβάλλειν δὲ τὰ τῆς πίστεως ἡμῶν τοῖς τῶν Αἰγυπτίων θέλει πράγμασι· παρ' οἷς προσιόντι μὲν ἐστι λαμπρὰ τεμένη, καὶ ἄλση, καὶ προπυλαίων μεγέθη τε καὶ κάλλη, καὶ νεῲ θαυμάσιοι, καὶ σκηναὶ πέριξ ὑπερήφανοι, καὶ θρησκεῖαι μάλα δεισιδαίμονες καὶ μυστηριώδεις· ἤδη δὲ εἰσιόντι καὶ ἐνδοτέρω γενομένῳ θεωρεῖται προσκυνούμενος αἴλουρος, ἢ πίθηκος, ἢ κροκόδειλος, ἢ τράγος, ἢ κύων. HERALD. — Bovis figura apud Ægyptios culta Isis (quæ Io ante) et Apis, Venus etiam. Vid. Jo. Meurs. ad Lycophron. Cassandr., vs. 1292. ORELL.

Silent irrisæ numinum potestates. Monebamus in hoc scriptores Jambos repiriri quandoque integros. Exemplum his habes. HERALD.

Sortiti esse sentiunt. Non male fortasse ad id exemplum : *Sensit medios delapsus in hostes*, ap. Virgil., Æn. II, 377. Etsi aliud dicere videtur Arnobius. Alii igitur : *a quo ipsam deitatem (ut ita dicam) sortiti esse se sentiunt*, etc. Nolim tamen quidquam temere mutare. ORELL. — Vid. J Lips. Antiq., lect. II, c. 7. OCHSN.

Cujus voluntate et arbitrio, et interire et solvi, nec solvi possunt nec interire. Loquendi ratio singularis prorsus et insolita pro *cujus arbitrio et interire solvique possunt, et ab interitu ac solutione conservari.* ORELL.

Erit vobis consequens. Sic edidi ex emendatione Meursii. Alii *erit nobis consequens.* ORELL.

Ortus sui originem ducere. Talia ἰσοδύναμα, *principium, ortus originum, ortus origo, exordium nativitatis*, etc., sæpissime jungi a veteribus, pluribus exemplis demonstrat Wopkensius ad Justin. Hist. lib. II, cap. 1, in Miscellan. Obss. crit. novis. Fascic. II. pag. 19. ORELL.

Meruerint. Vide supra ad cap. 3; *idem* pro *iidem* reposuit Meursius. ORELL.

Labiles. Labilis idem quod caducus, vocabulum familiare Arnobio. Vid. Ol. Borrich. Cogitat., p. 152. ORELL.

humani in generis audientia collocari. Ergone impiæ religionis sumus apud vos rei, et quod caput rerum et columen venerabilibus adimus obsequiis, ut convitio utamur vestro, infausti et athei nuncupamur? Et quis magis rectius horum feret invidiam nominum quam qui alium præ hoc Deum, aut novit, aut sciscitatur, aut credit? Nonne huic omnes debemus hoc ipsum primum quod sumus? quod esse homines dicimur? quod ab eo vel missi, vel lapsi [a] cæcitate hujus in corporis continemur? Non quod incedimus, quod spiramus et vivimus, ab eo ad nos venit, vique ipsa vivendi efficit nos esse, et animali agitatione motari? Nonne ab hoc effluunt causæ, per quas nostra fulcitur salus variarum munificentia voluptatum? Mundus iste in quo degitis, cujus est? aut quis ejus vobis attribuit fructum possessionem-

A que retinere? Quis, ut subjectas res cernere, ut contrectare, ut considerare possetis, publicum illud lumen dedit? Quis, ne fixa pigritiæ stupore torpescerent elementa vitalia, solis ignes constituit ad rerum incrementa futuros? Solem deum cum esse credatis, conditorem ejus, opificemque non quæritis? Luna cum apud vos dea sit, non similiter scire curatis genitor ejus et fabricator quis sit?

XXX. Nonne cogitatio vos subit considerare, disquirere, in cuja possessione versamini? cuja in re sitis? cujus ista sit, quam fatigatis, terra? cujus aer iste, quem vitali reciprocatis a spiritu? cujus abutamini fontibus? cujus liquore? quis ventorum disposuerit flamina? quis undosas excogitaverit nubes? quis seminum frugiferas potestates rationum

B proprietate distinxerit? Apollo vobis pluit? Mer-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Missæ vel lapsæ. *Male. ms.*

COMMENTARIUS.

XXIX. — *Humani in generis audientia collocari.* Ita emendavit Fulv. Ursinus et Gelenius. Vulgo *collocare*, quod defendere conatur Heraldus, in Curis II. Sed vellem locutionis *collocare orationem in audientia* exempla nobis dedissent. Contra recte dicuntur homines *collocari in audientia*, hoc est in consessu audientium, auditorio, ut bene explicat C. Barthius Adversar., lib. XXIII, cap. 3, pag. 1121, seq. Conf. Meurs., Crit. Arnob., lib. I, cap. 10, pag. 21. Ita incertus auctor vitæ Lucani præmissæ editioni Grotii: *Declamavit et græce et latine cum magna admiratione audientiæ*. ORELL.

Caput rerum et columen. Sic scriptum apud Arnobium aliquoties: pro quo nonnulli *culmen* rescribere voluerunt, sane inutiliter. Nam *columen* hoc sensu notum etiam antiquis scriptoribus. Servius, ad Æn. VIII. *Sicut columnæ mortuis nobilibus superponuntur ad ostendendum eorum columen* et Zeno Veronensis Susannam appellat *columen matronatus*, sermone de pudicitia. Glossæ: *columen* — περιστύλιον. HERALD. — Vide supra ad cap. 8. ORELL.

Infausti. Id est, abominandi, detestandi tamquam monstrum aliquod et portentum. *Infaustus, infelix*, de rebus mali ominis usitatum apud Romanos. ORELL.

Athei. Ita dicebantur christiani a gentilibus, quod inveteratos deorum cultus abolerent, ipsosque adeo deos destruerent. Hinc solemnis illa exclamatio in amphitheatris, Αἶρε τοὺς ἀθέους, quam etiam pronuntiare jubebantur, qui Christum et pietatem christianam abnegabant. HERALD.

Magis rectius. Vide infra ad lib. VII, cap. XVIII, annotationem Heraldi. ORELL.

Quod ab eo vel missi vel lapsi. Rationales animas fuisse in cœlestibus et propter quædam antiqua peccata in corpora esse delapsas ad pœnas luendas, delirarunt Pythagoras, Plato et Origenes. ELMENH. Huc pertinet locus Virgilii, Æn., VI, 724—734. ORELL.

Cæcitate hujus in corporis. Virgilius, l. I, de animis hominum e cœlo lapsis:

Igneus est illis vigor et cœlestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt cupiuntque: dolent gaudentque: neque [aurat
Dispiciunt clausæ tenebris et carcere cæco.

Ubi Heyne V. S. hæc annotat: « Corpus vinculis animi tenebrisque assimilatur, quibus ille offuscatur, et a libera rerum contemplatione retrahitur. » ORELL.

Possessionem retinere. Codex ms. *possessionem in re*: unde Stewechius legendum censet *possessionem cum re*, putans alludi his verbis ad formulas Juris Consultorum distinguentium *possessionem cum re* et *sine re*: *cum re*, cum is, qui accipit, cum effectu bona retinet, *sine re*, cum alius jure civili hæreditatem evincere potest. ORELL.

Solis igneis constituit ad rerum elementa futuros. J. Meursius, pag. 21, legendum conjicit: *Constituit rerum incrementa foturos*, a foveo. Sed nihil mutandum. *Esse ad rem*, id est, rei mederi, prodesse. Vide Gesner., in Thes. Sic Cato, de Re Rust. XII. *Est ad alvum*
C *crudam, ad capitis dolorem*, etc. ORELL.

Solem Deum esse cum credatis. Ita ut θεὸς sine ulla adjectione Sol dicatur Græcis non raro: et ἀρχόμενος καὶ δυόμενος θεός, Sol Oriens et Occidens. Themistius Euphrades, Orat. XI. Οἱ σφόδρα ἐπιθυμοῦντες τοῖς ὄμμασιν ἀτενίσαι εἰς τὸν θεὸν, πρῶτον μὲν ἐν τοῖς ὕδασι μελετῶσι καὶ διαπειρῶνται τῶν ὀφθαλμῶν πρὸς τὸ φάσμα αὐτοῦ καρτερεῖν καὶ ἀπερείδεσθαι. HERALD. — Conf. Gisb. Cuperi Harpocrat., pag. 113, ed. Ultraject., in-4. ORELL.

XXX. — *In cuja possessione versemini? cuja in re sitis. Cujus, a, um* vocabulum antiquioris latinitatis. Terentius Andr., act. V, scen 4: *Cedo cujum puerum hic apposuisti*. Virgil., Eclog. III, vs. 1:

Dic mihi, Damœta, cujum pecus, an Melibœi?

Fœminino nil frequentius apud Plautum, Gellium aliosque. Vid. qui exemplorum nubem congessit Ol. Borrich., Cogit. de Ling. lat., p. 78. ORELL.

D *Quem vitali reciprocatis a spiritu.* Ita noster infra lib. II, cap. 16: *Auras accipiunt paribus et per anhelitum reciprocatas reddunt*: et lib. VII, cap. 28: *Quidquid enim spirat et reciprocos halitus auris commeabilibus ducit, id necesse est esse mortale.* Meursius legendum censet *aspiritu* una voce, id est *aspiratione*, sed præpositiones *a, in, de, ex* Arnobius περιττῶς usurpat sæpissime. ORELL.

Cujus abutimini fontibus. Abuti hoc loco in bonam partem, *valde, maxime uti*, ut sæpe apud optimos scriptores. Vid. Gronov. et Corte ad Cic., ad Fam. IX, Epist. VI, Heumann. in Cic. pro Milone, cap. 2. Davis., ad Cic., de Nat. Deor. II, cap. 60; Jæger., ad Paneg. Nazarii, cap. 30. Bunemann., ad Lactant. Inst. I, cap. 6, p. 43; Rulinken., ad Rutil. Lup., pag. 99. ORELL.

Rationum proprietate distinxerit. Lucretius *rationem* accipit sæpe pro modo ac natura quadam peculiari. Sic Arnobius locis compluribus. Mox: *Æsculapius, Hercules aut Diana rationem imbrium tempestatumque*

curius vobis pluit? Æsculapius, Hercules, aut Diana rationem imbrium, tempestatumque finxerunt? Et hoc fieri qui potest, cum in mundo profiteamini eos natos certoque tempore sensum arripuisse vitalem? Si enim temporis antiquitate mundus eos antevenit, et priusquam nati sunt, jam noverat pluvias tempestatesque natura: nullum serius nati pluendi jus habent, neque eis inserere rationibus [a] se possunt, quas invenerunt hic agi, et majore ab auctore tractari.

XXXI. O maxime, o summe rerum invisibilium procreator! O ipse invisus, et nullis umquam comprehense naturis! dignus, dignus es vere, si modo te dignum mortali dicendum est ore, cui spirans omnis intelligensque natura, et habere et agere numquam desinat gratias: cui tota conveniat vita genu nixo procumbere, et continuatis precibus supplicare. Prima enim tu causa es, locus rerum, ac spatium, fundamentorum cunctorum quæcumque sunt infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, quem nulla deliniat forma corporalis [b], nulla deter- A minat circumscriptio, qualitatis expers, quantitatis, sine situ, motu, et habitu, de quo nihil dici et exprimi mortalium potis est significatione verborum: qui ut intelligaris, tacendum est, atque, ut per umbram te possit errans investigare suspicio, nihil est omnino mutiendum. Da veniam, rex summe, tuos persequentibus famulos: et quod tuæ benignitatis est proprium, fugientibus ignosce tui nominis et religionis cultum. Non est mirum si ignoraris: majoris est admirationis, si sciaris. Nisi forte audet quisquam, hoc enim furiosæ restat insaniæ, ambigere, dubitare an sit iste Deus, annon sit: explorata fidei veritate, an rumoris cassi opinatione sit creditus. Audimus enim quosdam philosophandi studio deditos, partim ullam negare vim esse divinam, partim B an sit, quotidie quærere: alios casibus fortuitis, et concursionibus temerariis summam rerum construere, atque diversitatis impetu fabricari: cum quibus hoc tempore [c] nullum nobis omnino super tali erit obstinatione certamen. Aiunt enim sana sentientes, contradicere rebus stultis, stultitiæ esse majoris.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nationibus. *Male. ms.*
[b] Corporis. *Fulv.*
[c] Hoc temporis. *Bene. Græca phrasis. ms.* Meurs.

COMMENTARIUS.

finxerunt. HERALD. — Annon legendum *fixerunt?* ORELL.

Rationem imbrium tempestatumque finxerunt. Scribendum *fixerunt.* ORELL.

XXXI. — *O ipse invisus et nullis umquam comprehense naturis.* Ita Cod. ms. et ed. Sabæi. Cæteri *invise*: sed sunt hujus generis ἐναλλαγαὶ apud hos scriptores plurimæ, *nullis comprehense naturis*, id est incomprehensibilis, quam vocem significare malint, quam pronuntiare. Tertullianus: *Invisibilis est, et si videatur; incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur.* Cum hac precatione conferenda illa S. Augustini Confess., lib. I, c. 3 et 4. *Invisus* pro non visus, ut sæpe. Vide Bunemann., ad Lactant., Inst. VII, cap. 16, pag. 947 sq. *Natura autem* hoc loco pro creatura, ut ap. Prudentium περὶ στεφάνων, hymno X:

Fluctus liquentis æquoris pressit pede,
Natura fluxa et tenuis in solidum coit.

quem locum citavit Meursius. ORELL.

Genu nixo procumbere. Vulgatus mos veterum christianorum, in orationibus in terram poplite nixo procumbere. Origenes in Numeri, cap. 4, Homil. 5, fol. 190: *Genua flectimus orantes.* ELMENH.

Locus rerum ac spatium. Ita nominarunt Deum veteres Peripatetici, τόπον πάντων, quos refellit Sext. Empiricus adversus Mathem., lib. X, ubi Fabricius, pag. 639, hæc annotat: « Deum Hebræi non dubitant, quia a nullo continetur, ipse vero immensa virtute sua continet omnia, appellare מקום, sive locum, ut sæpe fit in libello rituum Paschalium, quem edidit Rittangelius. Philo Judæus, libro de Profugis, p. 360 explicans locum Exod. XXI, 13. Τόπον καλεῖ νῦν οὐ χώραν ἐκπεπληρωμένην ὑπὸ σώματος, ἀλλὰ δι' ὑπονοιῶν αὐτὸν τὸν θεὸν, ἐπειδὴ περιέχων οὐ περιέχεται, καὶ ὅτι καταφυγὴ τῶν ὅλων ἐστί. Sic et christiani scriptores. Theophilus II ad Autolyc., p. 81. Θεὸς γὰρ οὐ χωρεῖται, ἀλλὰ αὐτός ἐστι τόπος τῶν ὅλων. In Confessione Græcorum, quam edidit Normannus, p. 36. Deus dicitur τόπος αὐτὸς ἑαυτοῦ. Proprie tamen locum dici posse Deum, recte negat B. Augustinus, libro de diversis Quæstionibus LXXXIII, quæstione 20: *In Deo sunt potius omnia, quam ipse alicubi; nec tamen ita in illo, ut ipse sit locus. Locus enim in spatio est, quod longitudine, et latitudine, et altitudine corporis occupatur: nec Deus tale aliquid est. Et omnia igitur in* C *ipso sunt, et locus non est.* Hæc Fabric., quibus adde Augustin., Confess. I, c. 3. ORELL.

Nulla determinat circumscriptio, qualitatis expers, quantitatis. Th. Canterus verb. *qualitatis* conjungens cum *circumscriptio* legendum conjicit: *Nulla determinat circumscriptio quantitatis, expers qualitatis.* Male. *Expertem qualitatis, quantitatis* Deum vocat Arnobius, cujus neque qualitatem, hoc est virtutes, neque quantitatem, id est summam potentiam et omnipræsentiam, homines queunt vel ingenio capere vel verbis exprimere. ORELL.

Potis est. Legebatur *potest.* At in ms. reg. scriptum *potis est,* quam lectionem expressimus. Sic alibi sæpissime pro *pote est* reposuimus *potis est* ex eodem ms. Ita loquebantur veteres, apud quos *potissum* pro possum. Lucretius:

Nec potis est cerni, quia cassum lumine fertur.

HERALD.

D Conf. Lips., Var. Lect., lib. I, cap. 14. OCHSN.

Partim ullam negare vim esse divinam. Diagoras scil. et Theodorus Cyrenaicus, qui ideo κατ' ἐξοχὴν athei dicebantur. Vid. Cic., de Nat. Deor., l. I, et 23, et Lactant., I, c. 2. ORELL.

Partim an sit.... quærere. Protagoras Abderites. Vid. Cic. l. I. ORELL.

Casibus fortuitis et concursionibus temerariis. Cujus sententiæ auctor erat Democritus, confirmator Epicurus. Lactantius, lib. I, c. 2. Cf. Juvenal., sat. XIII, 85. Plin., Hist. Nat., II, 7. ORELL.

Diversitatis impetu fabricari. Hoc est, impetuoso atomorum concursu, quas diversissimas esse statuerunt Epicurei, alias læves, alias asperas, rotundas alias, partim autem angulatas, curvatas quasdam et quasi aduncas. Vid. Cic., de Nat. Deor., I. 24. *Diversitatis* est itaque idem quod *diversarum atomorum,* neque opus habemus correctione J. Walkeri ad Cic., de Nat. Deor., I, 38, pag. 349, ed. Davisii legentis *universitatis impetu* vel *ambitu.* Contra in sequentibus

XXXII. Sermo cum his nobis est, qui divinum esse consentientes genus, de majoribus dubitant, cum iidem esse plebeia atque humiliora fateantur. Quid ergo, res tantas argumentis nitemur atque elaboramus obtinere? Discedat hæc longe, atque a nobis procul, inquam, ut dicitur, averruncetur amentia. Ita est enim periculosum argumentis aggredi, Deum principem comprobare, quam ratione hujusmodi esse illum, velle cognoscere. Nec quicquam refert, aut discrepat, utrumne neges illum, an asseras, atque existere fatearis : cum in eadem culpa sit, et assertio talis rei, et abnegatio refutatoris increduli.

XXXIII. Quisquamne est hominum, qui non cum istius principis notione diem primæ nativitatis intraverit? cui non sit ingenitum, non affixum, immo ipsi pene in genitalibus matris non impressum, non insitum esse regem ac dominum, cunctorum quæcumque sunt moderatorem? Ipsa denique hiscere si animantia muta potis essent : si in linguarum nostrarum facilitatem solvi : immo si arbores, glebæ, saxa, sensu animata vitali vocis sonitum quirent et verborum articulos integrare, ita non duce natura, et magistra, non incorruptæ simplicitatis fide, et intelligerent esse Deum, et cunctorum dominum solum esse clamarent?

XXXIV. Sed frustra, inquit, nos falso, et calumnioso incessitis et appetitis crimine : tamquam eamus inficias esse Deum majorem : cum a nobis et Jupiter nominetur, et optimus habeatur et maximus; cumque illi augustissimas sedes, et Capitolia C A constituerimus immania. Dissimilia copulare, atque in unam speciem cogere inducta confusione conamini. Nam Deus omnipotens mente una omnium et communi mortalitatis assensu, neque genitus scitur, neque novam in lucem aliquando esse prolatus, nec ex aliquo tempore cœpisse esse, vel sæculo. Ipse est enim fons rerum, sator sæculorum ac temporum. Non enim ipsa per se sunt, sed ex ejus perpetuitate perpetua et infinita semper continuatione procedunt. At vero Jupiter, ut vos fertis, et patrem habet et matrem, avos, avias, fratres : nunc nuper in utero matris suæ formatus, absolutus mensibus et consummatus decem, ignotam sibi in lucem sensu irruit se vitali. Ergo, si hæc ita sunt, Jupiter esse deus qui potest! cum illum esse perpetuum constet, B et perhibeatur alter a vobis, et dies habuisse natales, et pavefactus re nova lamentabilem extulisse vagitum?

XXXV. Sed sint, ut vultis, unum, nec in aliqua vi numinis, et majestate distantes : ecquid ergo injustis persequimini nos odiis? Quid, ut ominis pessimi, nostri nominis inhorrescitis mentione? si, quem Deum colitis, eum et nos? aut quid in eadem causa vobis esse contenditis familiares Deos inimicos atque infestissimos nobis? Etenim, si una religio est nobis vobisque communis, cessat ira cœlestium : sin nobis infesti sunt solis, manifestum est nescire, et vos, et illos Deum : quem Jovem non esse ipsis clarum est indignationibus numinum.

XXXVI. Sed non, inquit, idcirco dii vobis infesti sunt, quod omnipotentem colatis Deum : sed quod

COMMENTARIUS.

probo ejusdem Walkeri conjecturam *opinatione* pro *obstinatione*. ORELL.

XXXII. — *Averruncetur amentia*. Ita Lucilius ap. Non. v. *averruncare* : *Dii monuerint meliora atque amentiam averruncassint tuam*. ELMENH.—Quem locum fortassis ante oculos habuit noster. ORELL.

Ita est enim periculosum, etc. Sic editio rom. cod. reg. *Tam est enim*. Copulat quandoque has particulas Lucretius *ita quam* pro *tam quam*. HERALD.

XXXIII. — *Diem nativitatis intraverit*. De loquendi formulis *intrare, transcendere, supergredi annum, diem*, etc. Vid. Oudend. ad Apulei. Met., lib. x, page 679. ORELL.

Ipsi. Cod. ms. *ipsis*, quod præfero. ORELL.

Potis essent. Editio prima *potuissent*, quod defendit Herald. et Salmasius ad Tertullianum de Pallio, pag. 67, enallage apud scriptores ecclesiasticos, imprimis Tertullianum et Cyprianum, frequentissima. Sed *potis essent* e cod. ms. fluxit. Meursius, p. 22, conj. *potissent* a *potissum*, verbo antiquo et lucretiano. ORELL.

Si in linguarum nostrarum facilitatem solvi : immo si arbores, glebæ, saxa, sensu animata vitali vocis sonitum quirent et verborum articulos integrare, ita non duce natura, etc. Wakefield., in Silv. Crit., tom. iv, pag. 244, locum sic refinxit : *Si in linguarum nostrarum facultatem — immo si arbores, glebæ, saxa, sensu animata vitali, vocis sonum quirent et verborum articulos integrare, ista non duce natura*, etc. At nolim quidquam mutare *facilitatem* multo aptius est verbo *solvi*, solvuntur enim difficilia in facilitatem, in facultatem non item. Nec etiam *ita* mutandum in *ista*. Sed *ita* est οὕτως *so*, ea conditione scil. *hiscere si potis essent*, etc. ORELL.

XXXIV. — *Inquit*. Al. *inquitis* male. Vid. supra ad c. III. ORELL.

Et capitolia constituerimus immania. Tertullian., Apologet., c. 25. *Nondum tamen templis aut simulacris res divina apud Romanos constabat : frugi religio et pauperes ritus, et nulla capitolia certantia cœlo*. Dicit autem *immania* exemplo Virgil., Æneid., VI, 19.

..... Posuitque immania templa. HERALD.

Inducta confusione. Fulv. Ursin. *indocta*, non male. ORELL.

Nunc nuper in utero matris suæ formatus. Nunc nuper χθὲς καὶ πρώην, quæ Græcis est proverbialis formula de re haud ita pridem gesta, ut *heri et nudius tertius*, ap. Latinos. Vid. Erasm., Proverb. D Gataker, ad M. Antonin., lib. x, § 7; J. Ch. Wolf., in Libanii Epist. 270; Juret. ad Symmach., lib. I, Epist. 3, pag. 6. ed Lectii. *Nuper formatum recentem* Jovem dicit Arnobius respectu Dei veri, summi, æterni et numquam geniti. HERALD. et ORELL.

Irruit se. Ita legendum ex emendatione Fulv. Ursini. Phrasis optimis scriptoribus usitata. Terent. Adelph., act. IV scen. 2, vs. 11 : *Vide ne ille huc prorsus irruat se*. Ita *erumpere se ad bellum*. Ap. Cic., Epist. VIII, 14. Alii *irruisse* turpi solœcismo. STEWECH. *Cf. Corte ad Cic. l. I.*

XXXV. — *Si una religio est nobis vobisque communis, cessat ira cœlestium*. Meursius, pag. 23, legendum censet : *si una religio est nobis vobisque, communis esset ira cœlestium*. ORELL.

XXXVI. — *Sed quod hominem natum, et, quod personis infame est vilibus, crucis supplicio interemptum*. Lactant., lib. IV, 16. *Dicat enim fortasse aliquis : Cur si Deus fuit, et mori voluit, non saltem*

hominem natum, et, quod personis infame est vilibus, crucis supplicio interemptum, et Deum fuisse contenditis, et superesse adhuc creditis, et quotidianis supplicationibus adoratis. Si vobis jucundum est, amici, edissertate quinam sint hi dii, qui a nobis Christum coli, suam credant ad injuriam pertinere? Janus Janiculi conditor, et civitatis Saturniæ Saturnus auctor? Fauna [a] Fatua, Fauni uxor, Bona Dea quæ dicitur, sed in vini melior, et laudabilior potu? Indigetes illi, qui flumen repunt, et in alveis A Numici cum ranis et pisciculis degunt? Æsculapius, et Liber pater Coronide ille natus, et ex genitalibus matris alter fulmine præcipitatus? Mercurius utero fusus Maiæ, et, quod est divinius, candidæ. Arcitenentes Diana et Apollo, circumlati per fugas matris, atque in insulis errantibus vix tuti? Dioneia Venus proles viri mater familias Troici, atque intestini decoris publicatrix; in Trinacriæ finibus Ceres nata, atque in floribus legendis occupata Proserpina? Thebanus, aut Tyrius Hercules, hic in finibus se-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Fenta. *Inepte. ms.*

COMMENTARIUS.

honesto aliquo mortis genere affectus est? Cur potissimum cruce? Cur infami genere supplicii? Quod etiam homine libero, quamvis nocente, videatur indignum. HERALD.

Et quotidianis supplicationibus adoratis. Id est oratis et invocatis, venerabilibus obsequiis aditis. Est enim *adorare* orare ad, precari ad quemadmodum adire ad deos dictum. Tertullian., de Oratione: *Docuerat et Joannes discipulos suos adorare.* Et passim apud istum scriptorem. Ita *precari ad.* Livius, libro XXXVIII: *Deos demum ipsos convulsos ex sedibus suis ablatos esse. Quos adorent, ad quos precentur et supplicent, Ambraciensibus non superesse.* Verba ista *ablatos esse* sapiunt glossema: quo vitii genere contaminata locis prope innumeris Livii exemplaria observavimus. HERALD. — *Adorare* Priorius explicat suam manum osculari. Male: nam fuit hæc adoratio gentilium, non christianorum. Vid. Salmas., ad Script. Hist. Aug., vol. II, pag. 685 sq. ORELL.

Sed in vini melior et laudabilior potu. Hæc lectio C est e ms. codice. Edit. rom habebat *sed vino meliori et laudabiliori potu*, vitiosissime. HERALD. — Stewech. leg. censet: *vino meliori et laudabiliori pota*, id est ebria. Sed si ita legamus, omnis vis ironiæ perit. Irridet scil. Arnobius *bonam deam*, quam dicit meliorem multo et omnium optimam in vino bibendo. Itaque non deserenda codicis lectio. ORELL.

Indigetes. Indigetes, ait Servius a Virgil., Georg., I, vs. 498, *sunt dii ex hominibus facti, quasi in diis agentes*, quam explicationem Macrobius (in Somn. Scip., lib. I, cap. 9), Hesiodi auctoritate confirmat: *Hesiodus divinæ*, inquit, *sobolis assertor, priscos reges cum diis annumerat; hisque exemplo veteris potestatis etiam in cœlo regendi res humanas assignat officium. Et ne cui fastidiosum sit, versus ipsos, ut poeta Græcus protulit, inseramus; referemus eos, ut ex ejus verbis si in latina verba conversa sunt:*

Indigetes divi fato summi Jovis hi sunt
Quondam homines, modo cum superis humana tuentes, D
Largi ac munifici jus regum nunc quoque nacti.

NOURR., p. 453.

Indigetes illi, qui flumen repunt, etc. Inscriptum heroo: ΠΑΤΡΟΣ ΘΕΟΥ ΧΘΟΝΙΟΥ ΟΣ ΠΟΤΑΜΟΥ ΡΕΥΜΑ ΔΙΕΠΕΙ. HERALD. — Alludit Arnobius ad fabulam de Ænea optime expositam a Servio ad Virgil. Æn., XII, vs. 794: *De Ænea fabula talis est: Cum Turno occiso et accepta Lavinia, condita civitate, in Numicum fluvium, ut alii volunt, sacrificans, ut alii, Mezentium, ut alii, Messapum fugiens, cecidisset, nec ejus esset cadaver inventum, Ascanius, filius ejus, cum cæteris Trojanis credens et jactitans inter numina receptum, sive patrem volens consecrare, templum constituit, quod dei Indigetis appelari jussit. Jovem Indigetem* vocatum Livius narrat Hist., I, 2. Conf. Ovid. Met., XIV, 581 seqq. Tibull., Eleg. II, 5, 43, et Heyn., V. S. Excurs. III, ad Æneid., XII. Cæterum *repens* significantius dictum propter alveum Numici ulvosum et limosum, B vid. Giemg. ad I. I. Ovidii in editione secunda] pag. 347. ORELL.

Qui flumen repunt. Æneam intelligit, de quo Tibullus lib. II, eleg. V:

Impiger Ænea, volitantis frater amoris,
Troica qui profugis sacra vehis ratibus,
Jam tibi Laurentes assignat Jupiter agros,
Jam vocat errantes hospita terra Lares.
Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
Unda deum cœlo miserit Indigetem.

NOURR., p. 453.

Maiæ..... candidæ. Hoc mutuatus est a Virgilio, Æn., VIII, 138:

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenæ gelido conceptum vertice fudit.

Conf. Macrob., I, Sat., c. 12; Apollodor. Bibl. lib. III. ELMENH.

Arcitenentes Diana et Apollo circumlati per fugas matris. Meursius, pag. 24, et in Hypocritico Minutiano, pag. 258, corrigere vult *circulati* a *circulare*, quod Glossæ exponunt *circumire erronum modo*, unde *circulator*, ἀγύρτης. Sed hoc verbo uti si voluisset Arnobius, scripsisset sine dubio *circulantes* non *circulati*, et omnino hæ sunt meræ argutiæ. ORELL.

Dioneia Venus proles. Hæc est lectio principis editionis. In ms. reg. *Loncia* nullo sensu. *Ex Dione et Jove Venus*, Hygin. HERALD. Sciverins ap. Meurs. in append. conj. *Pontia Venus proles.* ORELL.

Viri mater familias Troici. Loquitur de concubitu Veneris cum Anchise, unde Æneas postea procreatus est. Vid. Serv., ad I. Æneid., Hyginum. Fab. 94. ELMENH.

Intestini decoris publicatrix. De v. *intestinus* vid. supra ad cap. 20, annotationem Heraldi, *decus* de pulchritudine, venustate, fœminarum imprimis. Seneca Med., vs. 75:

Vincit virgineus decor
Longe Cecropias nurus.

Publicare proprium de meretricibus copiam sui publice facientibus. *Decorem publicare* est itaque: *seine Reitze offentlich feil bieten.* Alii *dedecoris.* ORELL.

Thebanus aut Tyrius Hercules. Thebanus, quem Jupiter ex Alcmena genuit. Tyrius filius Jovis et Asteriæ, Latonæ sororis, qui Tyri maxime colitur, cujus Karthaginem filiam ferunt. Ut scribit Cicero in loco classico, de Nat. Deor., III, 16, ubi sex Hercules distinguit. Cf. Herodot., II, 44, de duobus loquentem, altero Deo Olympio, altero heroe. ORELL.

Tyrius Hercules. Arrianus de Exped. Alex., lib. II, c. 16: Ἔστι γὰρ ἐν Τύρῳ ἱερὸν Ἡρακλέους, παλαίτατον ὧν μνήμη ἀνθρωπίνη διασώζεται, οὐ τοῦ Ἀργείου Ἡρακλέους, τοῦ τῆς Ἀλκμήνης. πολλαῖς γὰρ γενεαῖς πρότερον τιμᾶται ἐν Τύρῳ Ἡρακλῆς, ἢ Κάδμον ἐκ Φοινίκης ὁρμηθέντα Θήβας κατασχεῖν, καὶ τὴν παῖδα Κάδμου τὴν Σεμέλην γενέσθαι· ἐξ ἧς καὶ ὁ τοῦ Διὸς Διόνυσος γίνεται, etc. Mela lib. III, cap. 6. *In Gaditana insula templum*

pultus Hispaniæ, flammis alter concrematus Oetæis? Tyndaridæ [a] Castores, equos unus domitare consuetus, alter pugillator bonus, et crudo inexuperabilis cestu : Titanes et Bocchores Mauri, et ovorum progenies dii syri? Apis Peloponnesi proditus et in Ægypto Serapis nuncupatus? Æthiopicis solibus Isis furva mœrens perditum filium, et membratim con- A jugem lancinatum? Prætcrimus, et transgredimur Opis soboles regias : quas in libris auctores vestri, quæ fuerint, et quales, vobis ediscentibus prodiderunt. Hice ergo Christum coli, et a nobis accipi, et existimari pro numine, vulneratis accipiunt auribus? et obliti paulo ante sortis fuerint et conditione cu-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Tuno dari dii Castores. *ms. et Sab. corruptissime* :

COMMENTARIUS.

Ægyptii Herculis, conditoribus, religione, vetustate, opibus illustre, Tyrii condidere. Cur sanctum sit, ossa ejus ibi sita efficiunt. Male hic confundens Herculem Tyrium cum Ægyptio. Conf. Pausanias, lib. v, c. 25. B Plura vide ap. Nourrium, p. 431 seq. ORELL.

Tyndaridæ Castores. Castores sæpissime pro Tyndaridis fratribus, Castore et Polluce. Vide Turneb., Adversar., lib. xv, c. 21, et quos citat Gesnerus in Thesauro. ORELL.

Titanes et Bocchores Mauri. Cod. ms. *Tisianes et Bucures Mauri.* « Quot verba, tot mendæ. Lege *Titanes et Bocchores.* Titanes in Africa pro diis culti, ut et ipsorum mater Titaæ. Vide Diodor., lib. III, Mauritani autem etiam regulos suos pro diis colebant. Tertullian. (Apologet., c. 24) : *Unicuique provinciæ et civitati suus Deus est..... ut Africæ Cœlesti, ut Mauritaniæ Reguli sui.* Jubam pro deo a Mauritanis adoratum tradit Athenagoras. Ante Jubam in Mauritania regnabant Bogudes et Bocchores. Βόγοι καὶ Βόκχοι. Sic Bocchor et Βόκχος idem. Βόκχορις etiam nomen Ægyptiorum regis. » SALMAS., *Exercit. Plinian. in Solinum, p.* 199.—Gelenius conj. *ignes et fulgores marini.* quod secuti reliqui editores, excepto Heraldo et C Lugdun., atque retinuit etiam novissimus editor Oberthur. Spreta emendatione Salmasii unice vera. Grotius apud Meursium, pag. 25, legendum suspicatur *Tisianira et Bucero nati*, explicans nati Nemesi et Jove Bucero, ita dicto, quia in taurum aliquando mutatus est. Quod magis etiam abhorret a vero. ID.

Et ovorum progenies dii syri. « Ita emendavimus e veteri libro. Quod enim editum est. *Dioscuri*, correctorum manus est prorsus ab auctoris mente aliena. Tribus lineis ante nominavit *Tyndaridas Castores* : cur heic repeteret Dioscuros, qui iidem sunt? Per deos syros intelligit deam syriam, quam ex ovo genitam crediderunt. Incertus in Germanici Aratea Phænomena (vs. 240) : *Nigidius hos* (in Zodiaco scil.) *pisces dicit in flumine Euphrate fuisse, et ibi ovum invenisse miræ magnitudinis, quod volventes ejecerunt in terram, atque ita columbam insedisse, et post aliquot dies exclusisse deam syriam, quæ dicitur Venus*, Lucius Ampelius in libro ad Macrinum : *dicitur et in Euphratæ fluvio ovum piscis columba insedisse dies* D *plurimos, et exclusisse deam benignam et misericordem hominibus ad bonam vitam.* Inde nec columbas in cibis attingebant Syri, quia columba ovum piscis fovisset, e quo nata dea syria, quam Venerem dicebant. Ex his constat, deos syros, quorum mentio frequens in veteribus inscriptionibus, de dea syria, hoc est, Venere et ejus filio Cupidine esse intelligendos, fortasse etiam de Adonide, qui Veneri πάρεδρος et pariter a Syris cultus. *Ovorum progeniem* deos syrios dicit Arnobius, quasi non sola Venus ex ovo edita, sed etiam filius ejus ita natus sit. Venerem certe cum filio in Syriam ad Euphratem metu Typhonis venisse, et figuram piscium forma mutasse scribit Hyginus, Fab. 117 : *Itaque*, inquit, *postea Syros, qui in his locis sunt proximi, destitisse pisces esitare, quod vereantur eos capere : ne simili causa aut deorum præsidia impugnare videantur, aut eos ipsos captare. Eratosthenes autem ex eo pisce natos hos dicit.* Id est, hos deos, Venerem et Cupidinem. Sic enim libri eo loco legunt, pro quo ediderunt : *ex eo pisce natos homines*, absurdissime. Si ex pisce nati Venus et Cupido apud Syros, ovorum plane sunt progenies, quia pisces ex ovis nascuntur. Hi igitur *syri dii.* SALMAS. Add. Hug. Grot. Animadw, ad Libr. I, § 16. de Verit. relig. christ. ORELL. — Pisce Venerem latuisse canit etiam una Pieridum ap. Ovid., Met. v, 331. OCHSNER.

Apis Peloponnesi proditus. Apis Phoronei filius ex Laodice, de quo Apollodor. Bibl., lib., I, c 1. Ἆπις μὲν οὖν εἰς τυραννίδα τὴν ἑαυτοῦ μεταστήσας δύναμιν καὶ βίαιος ὢν τύραννος, ὀνομάσας ἀφ' ἑαυτοῦ τὴν Πελοπόννησον Ἀπίαν, ὑπὸ Θελξίονος καὶ Τελχῖνος ἐπιβουλευθεὶς, ἄπαις ἀπέθανε, καὶ νομισθεὶς θεὸς ἐκλήθη Σέραπις. Ubi Heyn. V. S. in Obs., p. 97, ed. nov. recte observat confusum hunc Apin a Græcis fuisse cum Ægyptio, quem Herodotus III, 27. Epaphum, alii modo Osiridem, modo Serapidem sunt interpretati. Navibus transvectum in Ægyptum ibique mortuum et nomine Serapidis cultum ab Ægyptiis, scribit Augustin., de Civ. Dei, lib. XVIII, c. 5, et Eusebius, Chron. II, fol. 64, quam tamen fabulam tamquam mendacis Græciæ commentum refutat Scaliger in Obss., pag. 22. — Alii et Oberthur. *Syriapis*, pessime. *Peloponnesi proditus*, hoc est *in Peloponneso natus.* Istum scil. genitivum loci in nominibus non tantum urbium, sed et regionum, provinciarum, insularum locum habere, multis exemplis ostendit Sanctius in Minerv., lib. IV, c. 4, p. 655, ed. Perizon. Ita Cornel. Nep. in Miltiad., Cap. 2 : *Se autem domum Chersonesi habere*; et cap. VIII : *Non Chersonesi omnes illos quos habitarat annos, perpetuam obtinuerat dominationem.* ORELL. *et* OCHSNER.

Isis furva mœrens perditum filium et membratim conjugem lancinatum. Vide Diodor, Sic., Bibl., lib. I, c. 21, et Plutarch., in libro de Iside et Osiride. Cæterum *filius* et *conjux Isidis* est idem Osiris. cujus a Typhone interempti et in 14 partes lancinati membra undique conquisita composuit Isis eo ipso loco, quo quodque invenerat. cf. Lactant., lib. I, 21, et Ovid., Met., IX. 690 sqq., ibique Gierig. *membratim*, κατὰ μέλη. Vid. Keuchen, ad Frontin, p. 141.

Transgredimur Opis soboles regias. Non contemnenda conjectura Oudendorpii ad Apulei., lib. v, p. 336, legentis *egregias*, scil. ironice. Ita *egregius* sæpe per ironiam pro pessimo. Sic Apulej., lib. II; *Uxor egregia capit audaciam et mente sacrilega*, etc. idem lib. IX. *Uxor egregia diras devotiones in eum imprecata.* Ita nostrum : *fein, sauber, tugendsam.* ORELL.

Hice ergo. Ita ed. Lugd.; cet., *Hi*; ed. prima Sabæi. *Hinc.* ORELL.

Vulneratis accipiunt auribus. Quæcumque ingrata et injucunda auribus accidunt, eas dicuntur offendere, et proprio verbo *vulnerare.* Virgil., VII, Æn., vs. 582 :

..... Gravior ne nuntius aures
Vulneret.

Lactant., lib. VII, c. 1. *Vulnerant aures eorum præcepta continentiæ.* HERALD. Cf. Reiff. in Artemidor. Oneirocrit. I, 24, pag. 241. ORELL.

jus, id, quod sibi concessum est, impertiri alteri nolunt? Hæc est justitia cœlitum? hoc deorum judicium sanctum? Nonne istud livoris est atque avaritiæ genus, non obtrectatio quædam sordens, suas eminere tantummodo velle fortunas, aliorum res premi, et in contempta humilitate calcari?

XXXVII. Natum hominem colimus. Quid enim, vos hominem nullum colitis natum? Non unum, et alium? non innumeros alios? quinimo non omnes, quos jam templis habetis vestris, mortalium sustulistis ex numero, et cœlo sideribusque donastis? Si enim forte vos fugit, sortis eos humanæ, et conditionis fuisse communis: replicate antiquissimas litteras, et eorum scripta percurrite, qui vetustati vicini, sine ullis assentationibus cuncta veritate in liquida prodiderunt. Jam profecto discetis, quibus singuli patribus, quibus matribus fuerint procreati, qua in nati regione, qua gente, quæ fecerint, egerint, pertulerint, actitarint [a], quas in rebus obeundis adversorum senserint, secundantiumque fortunas. Sin autem scientes uteris esse gestatos, et frugibus eos victitasse terrenis, nihilominus tamen nati nobis hominis objectatis cultum: res agitis satis injustas, ut id in nobis constituatis esse damnabile, quod et ipsi vos factitatis: aut, quæ vobis licere permittitis, consimiliter aliis licitum esse nolitis.

XXXVIII. Sed concedamus, interdum manum vestris opinationibus dantes, unum Christum fuisse de nobis, mentis, animæ, corporis, fragilitatis, et conditionis unius: nonne dignus a nobis est tantorum ob munerum gratiam Deus dici, Deusque sentiri? Si enim vos Liberum, quod usum repererit vini, si, quod panis, Cererem, si Æsculapium, quod herbarum, si Minervam, quod oleæ, si Triptolemum [b], quod aratri, si denique Herculem, quod feras, quod fures, quod multiplicium capitum superavit compescuitque natrices, divorum retulistis in cætum: honoribus quantis afficiendus est nobis, qui ab erroribus nos magnis insinuata veritate traduxit: qui velut cæcos passim, ac sine ullo rectore gradientes, ab deruptis, ab deviis, locis planioribus reddidit: qui, quod frugiferum primo atque humano generi salutare, Deus monstravit quid sit, quis, quantus, et qualis: qui profundas ejus atque inenarrabiles altitudines, quantum nostra quivit mediocritas, capere et intelligere permisit et docuit: qui, quo autore, quo patre mundus iste sit constitutus et conditus, fecit benignissime sciri: qui nativitatis ejus exprompsit genus, et nullius aliquando cognitione præsumptam materiam [c] illius. Unde ignibus solis ge-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quid si ac tolerarint? *Wopkens in Misc.*
[b] Neoptolemum *Male. ms.*
[c] Materia. *Male. Sab.*

COMMENTARIUS.

Cujus id, quod sibi concessum est. *Cujus* pro *de qua* Genitivus partitivus, Franco-Gallorum *dont.* Orell.

Nonne istud livoris atque avaritiæ genus est? Id est πλεονεξία. Non potuit vocem græcam latina una et propria exprimere: idcirco pluribus dictionibus usus est. Herald.

Non obtrectatio quædam sordens. Propric. Gloss. *Obtrectatio,* ζηλοτυπία, λοιδορία, διαβολή, κακοθέλεια. M. Tullius, Tusc. iv: *Est æmulatio ægritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat. Obtrectatio autem est ea, quam intelligi zelotypiam volo, ægritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ille ipse concupiverit.* Herald.

Aliorum res premi, et in contempta humilitate calcari. Virgil., xi. Æn.:

Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victæ, contra premere arma Latini.

His autem verbis *in contempta humilitate calcari* exprimit verbum Græcum ταπεινοῦσθαι. Nam ταπεινὸς quasi πατεινός. Sic *contemptim conterere* dicit Plautus in Pœnulo:

Sed tamen quomodocumque, quamquam simus pauperculi,
Est domi quod edimus ne nos tam contemptim conteras.

Herald.

XXXVII. — *Non unum et alium? non innumeros alios.* Fulv. Ursin. leg., *num unum aut alium,* et delet *alios.* Non male. Orell.

Eorum scripta percurrite, etc. Respicit Arnobius ad scripta Evhemeri, et eorum, quos infra nominat lib. iv, c. 29. Orell.

Qua in nati regione. Cave legas *innati* una voce. Hæc enim præpositionum trajectio familiaris Arnobio. Orell.

Quæ fecerint, egerint; pertulerint, actitarint. Cannegieter., in Curis secundis ad Avian., Fab. ii, v. 6, in Miscellan. Obs. Crit., vol. vii, pag. 200, legend. censet: *quæ fecerint, egerint, ac pertulerint,* deleto *actitarint.* Sed talis orationis abundantia familiaris Arnobio. Orell.

XXXVIII. — *Sed concedamus interdum, manum vestris opinationibus dantes.* *Interdum* pro *interim, interea.* Ita Sil. Pun., iv, vs. 491, de Hannibale:

Interdum rapta vicinis saltibus alno
Flumineam texit, qua transvehat agmina, classem.

cf. vi, 30, ibique Drakenborch. Oudendorp. in Apulei. Metam., lib. iii, pag. 174 et J. Fr. Gronov., Obss. ad scriptores ecclesiasticos, cap. xxii, p. 246. Quod autem ait *manum dare,* est pro *manus dare,* quod est usitatius. Nata locutio ab iis, qui victos fatentur se, et victoribus manus vinciendas præbent. Hinc per metaphoram submittere se alicujus sententiæ, victum se fateri oratione alterius. Ita Lucret., lib. ii, vs. 1042:

Si tibi vera videtur,
Dede manus.

ubi vid. Lambin. Cicero Læl., c. 26. *Nec enim facillime agnoscitur* (adulator), *quippe qui etiam adversando sæpe assentetur, et litigare se simulans blandiatur, atque ad extremum det manus, vincique se patiatur.* Herald et Orell.

Divorum retulistis in cœlum. Ms. reg. habet *in censum,* fortasse melius. Sic infra lib. iv, c. 1. Herald. et Stewech.

Ab deruptis ac deviis. Derupta loca non aliud sunt quam præcipitia. Ita Lucretius, vi. 538. *In gremio gerere et rupeis deruptaque saxa.* Meursius, pag. 25.

Et nullius aliquando cognitione præsumptam materiam illius. Materia Dei, hoc est ejus natura πνευματική. Videtur autem Arnobius respicere ad verba Divi Soteris Joh. iv, vs. 24, πνεῦμα ὁ Θεός. Orell.

Fervor adsciscitur. Ita aut *arcessitur* legendum esse pro *adscitur,* quod editiones habent, docet Oudendorp., ad Apulei. Met. iv, pag. 312. Orell.

nitalis fervor adsciscitur. Cur luna semper in motu indemnis creditur animalibus causis lucem semper atque obscuritatem resumens. Animalium origo quæ sit, rationes quas habeant semina. Quis ipsum finxerit hominem, quis informarit, vel ex materiæ quo genere constructionem ipsam confirmaverit corporum. Quid fit sensus, quid anima, advolarit ne ad A nos sponte, an cum ipsis sata sit et procreata visceribus; mortis particeps degat, an immortalitatis perpetuitate donata sit. Qui status nos maneat, cum dissolutis abierimus a membris. Visurine nos simus, an memoriam nullam nostri sensus et recordationis habituri. Qui arrogantiam constrinxit [a] nostram, et elatas supercilio cervices modum fecit suæ infirmita-

LECTIONES VARIANTES.

a Constringit. *Sab.*

COMMENTARIUS.

Cur luna semper in motu indemnis creditur, animalibus causis lucem semper atque obscuritatem resumens. Ita plurimi editores, præeunte Gelenio. Cod. ms. et editio princeps romana habet: *semper in motu ne* B *quis creditur*, etc., quam lectionem vitiosissimam variis modis tentarunt interpretes. Stewech. leg. *in motu, id est, inquies creditur*, etc. Fulv. Ursin. *idemne orbis redditur*, etc. Meursuis *ideis novis creditur*, id est *formis, faciebus*. Editor Lugd. Bat., totum locum sic refingit: *Cur luna semper in mutuis damnis ac crementis, annualibus causis*, (id est propter annum, ad annum conficiendum) *lucem semper*, etc. Quæ emendatio aptum quidem sensum præbet, sed audacissima est et nimis remota a lectione cod. ms. Si quid et mihi tentare licet, equidem pro *idem ne is*, etc., legendum conjecerim *in ter denis vicibus redditur;* id est restituitur. Simillimus locus infra lib. vi, c. 10. *Luna semper in motu est, et ter denas facies in restitutione accipit menstrua. Idem ne is* natum videtur ab inscio librario *in ter denis* ab alio dictatum male audiente. Ceterum ut totum hunc locum a verbis: *Unde ignibus solis*, etc. usque ad verba *obscuritatem resumens* putem Glossema, quod e margine, ubi sciolus aliquis C librarius quæstiones physicas adscripserat, in textum irrepsit, facit imprimis indicativus *adscitur..... redditur* alieno loco positus. Nam antecedentia: *quo patre mundus sit constitutus*, æque ac sequentia; *Animalium origo quæ sit*, procul dubio conjunctivum flagitant. Quæ sequuntur, *animalibus causis*, mihi videntur sanissima. Verum sensum ex parte unus vidit Stewech. *Animales causæ* sunt causæ animatæ, impulsus vis cujusdam vel naturæ intelligentis, qualem soli, lunæ cæterisque sideribus attribuerunt Stoici. Stobæus, Eclog., l. i, c. 26: Ζήνων τὸν ἥλιόν φησι καὶ τὴν σελήνην καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων ἕκαστον εἶναι νοερὸν καὶ φρόνιμον καὶ πύρινον, πυρὸς τεχνιτικοῦ. Augustin., de Civit. Dei, iv, 11. *Dicunt* (Stoici) *omnia sidera partes Jovis esse, et omnia vivere atque rationales animas habere, et ideo sine controversia Deos esse*, et imprimis Jul. Firmicus Mathes., lib. i, c. 3 (p. 7, ed. Prukner). *Habent enim stellæ proprium sensum, divinamque prudentiam, nam puro divinitatis animatæ conceptu, summo illi, ac rectori Deo, qui omnia perpetuæ* D *legis dispositione composuit, ad perennis procreationis custodiendum ordinem, infatigabilibus consensionibus obsequuntur*. Quam sententiam etiam primores Patrum secuti, ut Arnobius hoc loco et Origenes, *qui*, teste Hieronymo Epist. ad avitum 59, *solis et lunæ et stellarum animas agnovit, neque eo tamen tempore, quo mundus factus est, esse cœpisse, sed antequam lucens illud, et ardens corpus intrarent.* Hic veteres Astrologi, verbi causa, Manilius, dixerunt:

Conscia fati
Sidera diversos hominum variantia casus.

V. J. Lips. de Physiolog. Stoic., lib. ii, dissert. 14, Oper., p. 933 sq., vol. iv, ed. Vesal. Cæterum mirum cui videri possit, cur Arnobius h. l. Christum de rebus physicis et meteoris docentem induxerit. At fecit hoc more multorum Ecclesiæ patrum, qui divinum Soterem tamquam omnis sapientiæ divinæ æque ac humanæ magistrum repræsentantes talia, de quibus ne verbum quidem dixerat, illi affinxerunt, qualia Plato Socrati. Orell.

Quis informarit. Informare idem quod simplex *formare*. Ita Lactantius, de Opific. Dei, cap 8: *Eas igitur aures. . . . . noluit Deus artifex mollibus pelliculis informare*, ubi vide Bunemann., pag. 1165. Orell.

Confirmaverit. Fulv. Ursinus conj. *conformaverit*, probante Meursio et Stewechio. Sed præstat *confirmare*. Nam *conformare corpus* recte quidem dicitur, non autem *constructionem corporis conformare*, sed *confirmare*, hoc est omni ex parte firmam, solidam reddere. Quid quod *conformaverit* cum præcedenti *informaverit* ingratissimam efficeret tautologiam. Et omnino duo hæc verba sæpissime confunduntur in Mss. Fid. Græv., ad Cic. Epist. ad Fam. i, 8. Orell.

An cum ipsis sata sit visceribus, id est *cum ipso corpore*, ut sæp. Orell.

Visurine nos simus. . . . . an memoriam nullam nostri sensus et recordationis habituri. Ita legendum cum editore Lugd. Bat. non *victuri*. Nam modo dixit Arnobius: *an* (anima) *immortalitatis perpetuitate donata sit*, quod plane idem esset, quod *victuri simus*. *Videre* autem dicitur ap. Latinos de omni sensu, ut significet *sentire*, *cognoscere*, ut cum dicatur: *vide quid sonet, vide quid oleat*, *quid sapiat*, *quam durum sit*. Vid. S. Augustin., Confess., lib. x, c. 35, et Corte ad Sallust. Catil., c. 40, pag. 247. Verte igitur, *ob wir* (*nach dem Tode*) *noch empfinden*, *oder ob alles*, *Bewusstseyn der Empfindung und Erinnerung aufhören werde.* Orell. Verum quidem est, videndi verba ab omnes sensus referri posse, quatenus omnis sensatio animadversione continetur. Multi de hac re monuerunt; etiam Ernesti ad Callimach. Hymn. in Apoll., vers. 4. Sed quæ exempla afferuntur, pleraque omnia ejusmodi sunt, ut adjunctum habeant certum genus sensuum, quo verbum illud refertur, nec *videre* simpliciter ponitur. Atqui videndum est, num talia reperiantur exempla, ubi *videre* non hanc aut illam sensuum partem, sed, ut hoc loco, simpliciter universam sentiendi vim complectatur. Ochsner.

Elatas supercilio cervices. Cervices tollere superborum est: contra, qui de se modeste sentiunt, dicuntur *plani* et planos se facere. Cyprian. de Mortalitate: *cervicem flectat superbi*. Lactant., lib. v, c. 23: *Idem nihil tumoris atque insolentiæ gerens*, *non extollit se altius, nec erigit superbum caput, sed placidus et concors et comis et planus est, quia conditionem suam novit.* Elmenh. et Herald.—Meursius corrigit *superciliose cervices*. Alii *cum supercilio cervices*, quod defendit Jan. Dousa ad Catulli carm. lxviii, vs. 4, ut sit sensus: *et supercilium elatum et cervices*. Et ita quidem Petronius cap. xci, § 7. *Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit;* et ipse noster infra lib. ii, cap. 50. *Philosophi, qui se esse solos sapientissimos autumant, et vi hujus nominis supercilium sustulerunt.* At *supercilium* quoque per metaphoram in gen. de fastu, superbia, arrogantia. Juvenal., sat. 6, vers. 167:

Mala Venusinam, quam te, Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, et numeras in dote triumphos.

Itaque nil mutandum. Orell

tis agnoscere. Qui animantia monstravit informia nos esse, vanis opinionibus fidere : nihil comprehensum habere, nihil scire, et quæ nostros sita sunt ante oculos, non videre. Qui, quod omnia superavit, est transgressum est munera, ab religionibus nos falsis religionem traduxit [a] ad veram. Qui ab signis inertibus, atque ex vilissimo formatis luto ad sidera sublevavit et cœlum : et cum domino rerum Deo supplicationum fecit verba atque orationum colloquia miscere.

XXXIX. Venerabar, o cæcitas, nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus deos et ex malleis fabricatos, elephantorum ossa, picturas, veternosis in arboribus tænias : si quando conspexeram lubricatum lapidem, et ex olivi unguine sordidatum, tamquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, et beneficia poscebam nihil sentiente de trunco : et eos ipsos divos, quos esse mihi persuaseram, afficiebam [b] contumeliis gravibus : cum eos esse credebam ligna, lapides, atque ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materia. Nunc doctore tanto in vias veritatis inductus, omnia ista, quæ sint, scio : digna de dignis [c] sentio, contumeliam nomini nullam facio divino : et quid cuique debeatur, vel personæ, vel capiti, inconfusis gradibus atque auctoritatibus tribuo. Ita ergo Christus non habeatur a nobis Deus ? nec, qui omnium alioquin vel maximus potest excogitari, divinitatis afficiatur cultu, a quo jamdudum tanta et accepimus dona viventes, et expectamus, dies cum venerit, ampliora?

XL. Sed patibulo affixus interiit. Quid istud ad causam? Neque enim qualitas et deformitas mortis dicta ejus immutat aut facta, aut eo minor videbitur disciplinarum ejus auctoritas, quia vinculis corporis non naturali dissolutione digressus est, sed vi illata decessit. Pythagoras Samius suscipione dominationis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Transduxit. *Alii.*
[b] Adfaciebam. *ms.*
[c] Divis. *Stewech.*

COMMENTARIUS.

Qui animantia monstravit informia nos esse. Id est imperfecta et deformia, ne decore suo glorientur. Quare nihil mutandum existimo. HERALD. — Stew. conj. *infirma.* ORELL.

Nihil comprehensum habere, nihil scire, et quæ nostros sita sunt ante oculos, non videre. Videtur hoc loco Arnobius verba illa Christi ap. Matthæum, c. XIII. v. 15 : Ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, μή ποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι, καὶ ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς, quæ divinus Soter de Judæorum gente effatus est, perperam ad universum humanum genus transtulisse. ORELL.

Signis inertibus. Similiter infra, lib. II, cap. 39, *simulacris inertibus supplicare. Stupida simulacra* appellat Zeno Veronensis Sermone de Jona. HERALD.

XXXIX — *In incudibus Deos et ex malleis fabricatos.* Fulv. Ursin. delet *in*, sed nil mutandum. *In* et *ex* sæpissime abundant. Vide supra ad cap. 5, verba *Chaldeorum ex reconditis disciplinis.* Simillimus nostro locus est ap. Minuc. Fel. Octav., cap. 33 : *Deus aureus vel argenteus de immundo vasculo, ut sæpius factum Ægyptio regi, conflatur, tunditur malleis, in incudibus figuratur.* HERALD. et ELMENH.

Veternosis in arboribus tænias. Arbores dicit, in quibus spolia suspensa erant et diis consecrata. Nam in ipsis donariis et anathemasi *tæniæ* (id est fasciæ, sive vittæ aut vittarum extremitates, ut explicat Serv., ad Virgil. Æn., lib. I, vs. 374), et aliquid inibi depictum. Plutarch. in Timoleonte : ἐκ γὰρ τῶν κρεμαμένων ἀναθημάτων ταινία τις ἀποῤῥυεῖσα, καὶ φερομένη στεφάνους ἔχουσα, καὶ νίκας ἐμπεποικιλμένας, περιέπεσε τῇ κεφαλῇ τοῦ Τιμολέοντος. Eæ autem arbores religiosa observatione a prætereuntibus colebantur, et inviolatæ durabant annos plurimos, quare *veternosas* appellat eas Arnobius. Talem arborem elegantissime describit Lucan., lib. I, vs. 136, seqq. De cultu autem et veneratione harum arborum testimonia exstant cum alibi prope infinita, tum apud Apuleium verbis significantissimis Florida prima. HERALD et NOURR. — *Veternus* est inertia, ut exponit Servius ad Virgil., Georg. I, 124, *veternosus* iners. Fructum e sacris arboribus decerpere erat nefas, idcirco vix alias consecrabant, quam veternosas et nulli jam usui habiles, quod hic tangit Arnobius. Eadem fere mens est Tertulliani, christianorum hostes sic alloquentis Apologet., cap. 14 : « Volo et ritus vestros recensere, non dico quales sitis in sacrificando, cum enecta et tabidosa et scabiosa quæque mactatis. » Ita locum nostrum optime explicat Franc. Odinus in adversariis criticis insertis Miscellaneis Observationibus criticis novis, Fascic. XXII. pag. 458. ORELL.

Si quando conspexeram lubricatum lapidem, et ex olivi unguine sordidatum. Ita Ful. Ursinus. Cod. ms. habet *lapidem.... ordinatum*, ex quo Theod. Canter. fecit *odoratum*, Stewech. *exornatum*. Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiqu. rom. II, cap. 20, pag. 184, ed. Schrevel., conj. *irrigatum* Meursius *divatum*, id est divum factum. Sed præstat *sordidatum*. Verbum *sordidare* ap. scriptores ecclesiasticos, Lactantium, Cyprianum, Augustinum, non rarum. Intelligit autem *unctum* lapidem, λιπαρὸν λίθον. Ita enim Græcis dicitur, ut ex Clemente Alexandr. videre est Stromat. VII : οἱ αὐτοὶ πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον, τὸν δὲ λεγόμενον λιπαρὸν, προσκυνοῦντες. Quem locum, ut multos alios Clementis, latine vertit Arnobius. Non abludit Theophrasti Character XVI, de Superstitione ; καὶ τῶν λιπαρῶν λίθων τῶν ἐν ταῖς τριόδοις παριὼν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν. Ubi vid. Casaubon *Unctum* vocat *lapidem* in Apologia Apuleius, et in Floridis : *lapis unguine delibutus*. PRIOR. et ORELL.

Trunco. Prudentius περὶ στεφάνων vocat *deasciatum stipitem*, et Apotheosi *cippum et ficulneum stipitem.* ELMENH.

Nomini divino. Th. Canterus leg. *numini*, probante Stewechio et Meursio. Sed vide notata ad cap. 20. ORELL.

XL. — *Pythagoras Samius suspicione dominationis injusta vivus concrematus in fano est.* Variæ fuerunt de Pythagoræ morte opiniones, quas Laertius (VIII, § 39), Tzetzes (Chiliad. XI, pag. 443), Suidas (ad v. Πυθαγόρας) aliique retulerunt. Prima est illum, in domo Milonis Crotoniatæ cum esset, cujusdam ex illis, quos illuc admittere noluit, invidia, vel Crotoniatarum suspicione metuque tyrannidis, eadem domo incensa flammis, fuisse suffocatum. Alii vero tradunt, illum, inde ereptum, in agro fabis pleno jugulum persequentibus dedisse. Dicæarchus vero (ap. Laert., l. cit.) opinatus est, ipsum in Musarum delubro, quod Metaponti est, per quadraginta dies absconditum fame et inedia egisse animam. Alias adhuc Laertius de ejusdem Pythagoræ interitu sententias Heraclidis et Hermippi enarrat. At brevius Plutarchus (de Stoic. repugnant., tom. II, pag. 1051) : Τὰ μὲν

injusta vivus concrematus in fano est : numquid ea, quæ docuit, vim propriam perdiderunt, quia non spiritum sponte, sed crudelitate appetitus effudit? Similiter Socrates, civitatis suæ judicio damnatus, capitali affectus est pœna : numquid irrita facta sunt, quæ sunt ab eo de moribus, virtutibus, et officiis disputata, quia injuria expulsus e vita est? Innumerabiles alii gloria, et virtute, et existimatione pollentes, acerbissimarum mortium experti sunt formas, ut Aquilius, Trebonius, Regulus : numquid idcirco post vitam judicati sunt turpes, quia non publica lege fatorum, sed mortis asperrimo genere lacerati, excruciatique perierunt? Nemo unquam innocens A male interemptus infamis est : nec turpitudinis alicujus commaculatur nota, qui non suo merito pœnas graves, sed cruciatoris perpetitur sævitate.

XLI. Et tamen o isti, qui hominem nos colere morte functum ignominiosa ridetis, nonne Liberum et vos patrem membratim ab Titanis discerptum fanorum consecratione mactatis? Nonne Æsculapium medicaminum repertorem, post pœnas, et supplicia fulminis, custodem nuncupavistis et præsidem sanitatis, valetudinis, et salutis? Nonne ipsum Herculem magnum sacrificiis, hostiis, et thure invitatis incenso, quem ipsi vos fertis vivum arsisse post pœ- B nas, et concrematum in funestis busticetis : Nonne

COMMENTARIUS.

τὰ τοιαῦτα συμπτώματα τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν, οἷον ἡ Σωκράτους καταδίκη, καὶ ὁ Πυθαγόρου ζῶντος ἐμπρησμὸς ὑπὸ τῶν Κυλωνείων. Sed utrum hic in domo aliqua, vel in fano concrematus fuerit, penitus tacet. Adi adhuc, si placet, Malchum, Jamblichum (de Vita Pyth., I, cap. 35), Tzetzem et alios in Pythagoræ vitam, atque Menagii et aliorum in citatum Laertii locum annotationes. Denique quod subjunxit Arnobius noster, Pythagoram vivum combustum *suspicione dominationis injusta*, hoc confirmari potest Tertulliani testimonio (Apologet., cap. 46), qui haud dubitanter asseverat, affectatam ab eo fuisse tyrannidem. Nourr., p. 531 seq. Add. Athenagor., Leg. p. Christ., p. 280. Recbenb. Cæterum pro *injusta* Fulv. Ursin. conj. *innsta*. Havercamp. ad Tertullian. Apologet., cap. 46, pag. 591, *injustæ* scil. dominationis. Sed nil mutandum : Arnobius enim in toto hoc capite de iis loquitur, qui innocentes adversariorum injuria perierunt. Pro *in fano* alii *in Samo*. Male. Orell.

Aquilius. Meursius leg. cens. *Acilius*, qui a Nerone fuit sæva morte e medio sublatus. At nihil mutandum. De Manio Aquilio, Oppii legato, a Mithridate crudelissime interempto, agere Arnobium, recte observavit doctissimus Casaubonus. Aquilio igitur capto miris modis illusit Mithridates, asino impositum circumvexit, tandemque aurum liquefactum in os ejus infudit, ut refert Appianus in Mithridaticis, c. 21. Cf. Plin., Hist. Nat., lib. xxxiii, cap. 3. Ejusdem meminit Cicero, de lege Manilia. Herald. et Nourr. Lindner, in Indic. ad Minuc. Felic., intelligit Aquilium duumvirum inspiciendis libris Sibyllinis creatum, qui visus non cum fide rem gerere, et a ministro parricidii delatus, a Tarquinio superbo rege culeo insutus in mare projectus est. Sed male. Is enim est *Atilius*, non Aquilius. Vide Dionys. Halicarn., Ant. Rom., lib. iv, p. 239 sq. ed. Sylburg. Orell.

Trebonius. Is est, quem a Dolabella fuisse crudelissime necatum scribunt Cicero Philippica xi, 1, et Appian., de Bellis civilibus, lib. iii, c. 26. Herald., *in Curis secundis*.

Sævitate. Ita emendavit L. Carrio Emendatt., lib. ii, c. 3, p. 134, in Lampade Crit. Gruteri. Antea legebatur *sævitatem*. Orell.

XLI. — *O isti*. Græcismus est ὦ οὗτοι per contemptum scil. Vid. C. Barth., Advers., lib. ix, c. 10, pag. 433, et xxviii, c. 2, p. 1311 ; et Viger., de Idiotism. græc., cap. vii, sect 11, ubi nostrum locum allegat. Observat autem C. Barth. Adversar., lib. liii, cap. 10, pag. 2496, christianos scriptores nomen *paganorum* seu *gentilium* effari abhorruisse superstitione quadam, qua nec nominanda ea arbitrabantur veteres, quibus erant merito insensi, cum ipsa eorum appellatione viderentur quodammodo iis assentiri, aut factum velle. Conf. Heraldi Adversar., lib. i, c. 3, pag. 9. Orell.

Liberum patrem, membratim ab Titanis discerptum. Ita editor Leid. Alii *dissipatum*. Vide infra lib. v, c. 19; Jul. Firmic., de Errore profan. Religionum, qui de hac fabula multus est; Hygin., Fab. 167; Euseb., de præparatione evangelica, lib. ii, cap. 5; Clemens Alexandr. Protrept. Elmenh.

Fanorum consecratione mactatis. Hæc est verissima lectio e ms. Reg. Legebatur antea *fanorum consecrationi aptatis*. Veram lectionem primus vidit et restituit Lud. Carrio, lib. ii. Emendationum cap. 3. Pari locutione ait Arnobius *animus immortalitatis conditione mactatas*, lib. ii, cap. 28, et lib. vii, cap. 14 : *Cum honorari ab homine Deus dicitur et muneris alicujus oblatione mactari*. Stewech. et Herald. — Optime hoc verbum illustrat Andr. Schottus in Nodis Ciceronianis, lib. iv, cap. 4, in Observatt. human., pag. 371. *Mactare*, idem quod magis augere, proprie est sacrorum verbum per εὐφημισμὸν usurpatum, C quod scil. nefas esset prisca superstitione sæva verba proferre, ne vitiarentur sacra : hinc *mactare* pro *occidere*. Orell.

Nonne ipsum Herculem magnum, etc. Herculem *magnum* appellat proprio Epitheto. Virgil. viii, Æn. vs. 102 :

> Forte die solemnem illo rex Arcas honorem
> Amphitryoniadæ magno, divisque ferebat. Herald

Thure invitatis incenso. Alii (ut Fulv. Ursin.) *inatgitatis*, male. Sacrificiis Deos invitabant, eosque etiam in ipso opere vocabant, *Adeste*, etc. Virgil., Georg. ii, 529. *Te libans, Lenæ, vocat*. *Tura* autem scriptum in exemplaribus, quomodo ævo illo scribebant. Serv., ad lib. i, Georg.: *Sane tus modo sine aspiratione dicimus. Nam antiqui thus dicebant ἀπὸ τοῦ θύειν, quod displicuit. Tura enim a tundendo dicta esse voluerunt, a glebis tunsis, cum quibus dicitur fluens de arbore coalescere*. Herald.

Vivum arsisse, post pœnas, et concrematum in funestis busticetis. Verba *post pœnas* irrepserunt ex D præcedenti clausula, itaque expungi debent, nisi quis malit : *per pœnas*. Adr. Behot. *in Apophoretis*. Meursius totum locum credens luxatum ita disponit : *Nonne ipsum Herculem magnum post pœnas sacrificiis, hostiis et thure invitatis incenso, quem ipsi vos fertis vivum arsisse et concrematum*, etc. Mihi videntur hæc verba profecta a sciolo quodam librario, qui iis Herculis ἆθλα voluit significare. Pro *funestis* ms. reg. habet *funestibus*, ex quo alii fecerunt *funebribus*, male. Nam *funestus* hoc loco sensu proprio et primario idem quod *funere inquinatus*. *Funesta busticeta* igitur sunt τάφοι γέμοντες ὀστέων νεκρῶν καὶ πάσης ἀκαθαρσίας, ut dicit divinus Soter Matth., xxiii, 27, vel. ut ipse Arnobius infra lib. vii, cap. 15. *Busticeta in opus structa fœdissimum, atque in sedem fabricata fœtorum*. *Busticeta, sepulchra in agro*, Gloss. Isidori. Meursius, pag. 28, *funestibus* tuetur more illorum scriptorum formas secundæ ac tertiæ declinationis sæpissime confundentium. Ita *diacones, subdiacones* apud Augustinum, *opipares* ap. Apuleium

illum Atym Phrygem abscissum, et spoliatum viro magnæ matris in adytis Deum propitium, Deum sanctum Gallorum conclamatione testamini? Nonne ipsum Romulum patrem, Senatorum manibus dilaceratum centum, et Quirinum esse Martium dicitis, et sacerdotibus et pulvinaribus honoratis, et in ædibus adoratis amplissimis, et post hæc omnia cœlum ascendisse juratis? Aut igitur ridendi et vos estis, qui homines gravissimis cruciatibus interemptos Deos putatis, et colitis : aut, si certa est ratio, cur id vobis faciendum putetis : et nobis permittite scire, quibus istud causis, rationibusque faciamus.

XLII. Natum hominem colitis. Etiam si esset id verum, locis ut in superioribus dictum est, tamen pro multis, et tam liberalibus donis, quæ ab eo pro- A fecta in nobis sunt, Deus dici appellarique deberet. Cum vero Deus sit re certa [a], et sine ullius rei dubitationis ambiguo, inficiaturos arbitramini nos esse, quam maxime illum a nobis coli, et præsidem nostri corporis nuncupari? Ergone, inquiet aliquis furens iratus, et percitus, Deus ille est Christus? Deus respondebimus, et interiorum potentiarum Deus : et, quod magis infidos acerbissimis doloribus torqueat, rei maximæ causa a summo rege ad nos missus. Postulabit forsitan insanior et furiosior factus : an se ita res habeat, quemadmodum dicimus, comprobari. Nulla major est comprobatio quam gestarum ab eo fides rerum, quam virtutum novitas : quam omnia victa decreta, dissolutaque fatalia, quæ B populi gentesque suo geri sub lumine nullo dissen-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Revera. *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Miles. 1 et 2. Cyprianus in Epistolis *presbyteres* et *diacones*. Festus *patrimes*, *matrimes*, *heres* pro herus, *sacres*. Sic vicissim ea, quæ tertia declinatione usitatius efferuntur, secunda alii. Tertullianus de Pallio *informus* et *elinguus*. *Inermus* Sallustius, alii. *Imbecillus* quoque. *Sterilus*, *hilarus*, *gracilus*, *proclivus* apud Lucretium. *Acrum* dixit Cn. Matius Odyss. xv, ut ex Cæsellio Vindice notat Charisius, unde Glossæ : *Acrum*, δεινὸν, δριμύ. Hæc Meursius. Orell.

Abscissum et spoliatum viro. *Vir* sæpissime pro *genitali*, nostrum *Mannheit*. Vide Meurs. et Barth., Adversar., lib. iv, cap. 11, pag. 158 Orell. — Add. Scaliger et Douza ad Catull. lxiv, 6. Ochsner.

C *Et Quirinum esse Martium dicitis*. *Martium* esse glossema facile crediderim. Et sane, aut valde fallor, ita res est. Nam etsi plura vocabula copulare amat Arnobius, exemplum tamen videtur hic minus idoneum. Solita autem mortuis consecratis nomina immutari, ne quis eos putaret homines fuisse, quod observat Lactantius, notum hodie omnibus est. Herald. — Nescio annon legendum sit *Quirinum Martem*. Quirinus enim proprie Martis Epitheton. Serv. ad Virgil. Æn. i, 292 : *Mars, cum sævit, Gradivus dicitur; cum tranquillus est, Quirinus*. Et notum est Romanos hominibus inter divos relatis honoris causa nomen alicujus dei vel deæ majorum gentium apposuisse, verbi causa *Juno Cleopatra*, *Juno Faustina*, *Venus Agrippina*, *Jupiter Serapis*. vid. Lips. et Oberlin. ad Tacit. Ann. v, 2, p. 467 seq. et Musgrav. ad Soph. Philoct. vs. 929, p. 264, ed. Erfurdt. Quidni igitur et *Mars Quirinus*? Orell.

XLII. — *Quæ ab eo profecta in nobis sunt*. Proba lectio. Ita lib. ii, cap. 2. *Qui veram in orbe religionem induxit*. Zeno Veronensis sermone de Susanna : *Tunc in puero sancto Daniele spiritus sanctus ingressus*. Quare et Græci ita loquebantur, usurpantes ἐν pro εἰς. Herald. Ita non solum inferioris, ævi, sed aureæ quoque ætatis scriptores, Ovid., Fast., iii, 664 : *In sacri vertice montis abit*. Phædr., lib., v, fab. 1 : *Quinam ille cinædus in conspectu meo audet venire*. Vid. Munker., ad Hygin., Fab. 92 et Davis., ad Commodian. Instruct. xiii. Duplex observatio est, altera, ablativum poni pro accusativo, altera, accusativum pro ablativo, quem usum Lipsius passim affectavit in operibus criticis. Imprimis notavit B. Rhenanus in Thefauro locutionum Taciti. Jan. Gebhardus in crepundiis, Oudendorp. ad Sueton. August., cap. 16, et alii. Idem. adversus Neveletum, docuit Cannegieter Dissertat. ad Aviam., cap. 19, pag. 299. seqq. Ochsner.

Et sine ullius rei dubitationis ambiguo. Vacat *rei*, quare legerim *et sine ullius redubitationis ambiguo*. Redubitatio, ut repromissio et similia, Herald. Equidem cum Fulvio Ursino *rei* plane delendum censeo. E præcedenti *re certa* ortum glossema. Nam verbi *redubitationis* nullum apud veteres exemplum. Orell.

Iratus et percitus. Fulv. Ursin. leg. *ira percitus*. Sed nil mutandum. Amat hoc Arnobius. Infra : *Nonne digna res esset, propter quam iratus et percitus*. Et lib. vii. *antequam sunt irati et perciti*. Elmenh.

Interiorum potentiarum Deus. Locus difficilis, quem neminem interpretum attigisse valde miror. Equidem potentias intelligo eas, quæ in sacris litteris dicuntur δυνάμεις τῶν οὐρανῶν, στρατιὰ τοῦ οὐρανοῦ, exercitus cœlestis, id est angeli. Jam notum est Judæos et primos Ecclesiæ patres in multis judaizantes cœlum in varias regiones sive circulos disposuisse, singulos a suis potentiis, id est naturis intelligentibus, divertissimis dignitate ac potestate, quas æonas dicebant, inhabitatos. Medium et intimum locum assignarunt Deo ipsi, et Christo dextræ patris assidenti, qui et ipse κατ' ἐξοχὴν dicitur a Patribus Ecclesiæ ἄγγελος vel angelus Novi Testamenti. Vid. Suicer., in Thesauro Ecclesiast., ἄγγελος. Proximum locum dederunt θρόνοις, ulteriorem archangelis, quos sequuntur Cherubim et Seraphim, extremum denique atque a Dei sede remortissimum chorum efficiunt angeli siderum præsides et hominum genii tutelares. (Vide de hac re imprimis Dionysium Areopagitam de Hierarchia cœlesti vel excerpta ex eo in Cl. Schrœckhii Historia ecclesiastica, vol. xvii, p. 546 seqq). Quæ doctrina fluxisse videtur a Chaldæis simili modo cœlum in varios orbes sive circulos distribuentibus. Vid. Mich. Pselli Summarium dogmatum chaldaicorum ad Zoroastri Oracula magica in D Gallæi editione Sibyllin. Oracul. Dicit itaque Arnobius Christum, tamquam Deo proximum, *interiorum potentiarum*, *von den innersten (obersten) Himmelsmächten*. At judicent doctiores. Nourrius, pag. 551, *interiorum potentiarum deum* exponit animi nostri omniumque facultatum ejus præsidem. Sed num hæ voces absolute positæ sine additione verbi *mentis* vel *animi* hoc significare possint, equidem maximopere dubito. Potius *Deus occultarum virium* scil. naturæ. *Herr aller geheimen*, *verborgenem Kraste*. Sed etiamnum puto, Arnobium reconditi aliquid e gnosticorum doctrina spectasse his vocibus. Orell.

Postulabit forsitan insanior et furiosior factus, an se ita res habeat comprobari. Annon legendum : *Postulabit forsitan insanior et furiosior, factis* (id est rebus in facto positis, *durch Thatsachen*) an se ita res habeat comprobari. Orell.

Victa decreta. *Victa*, idest τελεωθέντα, completa ac consummata. Orell.

Suo geri sub lumine. Hæc est Fulv. Ursini correc-

tiente videre : quæ nec ipsi audent falsitatis arguere, quorum antiquas seu patrias leges vanitatis esse plenissimas atque inanissimæ superstitionis ostendit.

XLIII. Occursurus forsitan rursus est cum aliis multis calumniosis illis et puerilibus vocibus : magus fuit, clandestinis artibus omnia illa perfecit : Ægyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina, et remotas furatus est disciplinas. Quid dicitis, o parvuli, incomperta vobis, et nescia temerariæ vocis loquacitate garrientes? Ergone illa, quæ gesta sunt, dæmonum fuere præstigiæ, et magicarum artium ludi? Potestis aliquem nobis designare, monstrare ex omnibus illis magis, qui umquam fuere per sæcula, consimile aliquid Christo millesima ex parte qui fecerit? qui sine ulla vi carminum, sine herbarum et graminum succis, sine ulla aliqua observatione sollicita sacrorum, libaminum, temporum? Non enim urgemus, et quærimus, quæ sese spondeant facere, vel in quibus generibus actuum soleat omnis illorum doctrina et experientia contineri. Quis enim hos nesciat aut imminentia studere prænoscere, quæ necessario, velint, nolint, suis ordinationibus veniunt? aut mortiferam immittere quibus libuerit tabem aut familiarum dirumpere charitates, aut sine clavibus reserare, quæ clausa sunt : aut ora silentio vincire, aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare, aut uxoribus, et liberis alienis, sive illi mares sint, sive fœminei generis, inconcessi amoris flammas, et furiales immittere cupiditates? Aut si utile aliquid videantur audere, non propria vi posse, sed eorum, quos invocant, potestate.

COMMENTARIUS.

tio. Cod. ms. *Suo generis sub limine*, quod non temere rejiciendum videtur, ut sit sensus : *decreta* (divini) *inchoata jam a generis humani primordiis*. ORELL.

XLIII. — *Occursurus forsitan rursus est cum aliis multis calumniosis illis et puerilibus vocibus.* Stewechius mavult : *Occursurus forsitan rursus est alius cum multis calumniosis illis*, etc. retracto pronomine ad præcedentia : *Postulabit forsitan insanior et furiosior factus*. Sed nihil mutandum, *occursurus* scil. adversarius meus : scil. gentiles, quos talibus singularibus, *inquit*, *dicet*, *occursurus est*, etc., in toto suo opere omnes collective comprehendit Arnobius. ORELL.

Magus fuit. Celsus, ap. Origen., lib. I : κατηγορεῖ δὲ ἐν τοῖς ἑξῆς καὶ τοῦ Σωτῆρος, ὡς γοητείᾳ δυνηθέντος ἃ ἔδοξε παράδοξα πεποιηκέναι. ELMENH.

Ægyptiorum ex adytis. Horrendæ sunt blasphemiæ, quas adversus Christum temeraria vocis desperatione vomebant. Quoniam igitur Christum legerant translatum in Ægyptum ob Herodis furorem, eam dicebant in Ægypto maleficis artibus operatum, atque iis instructum in Judæam remeasse ad populares, ibique Dei nomen sibi arrogasse. Hoc ait impuratissimus Celsus apud Origenem (l. I. p. 30. ed. Spencer. O.) : καὶ ὅτι οὗτος διὰ πενίαν εἰς Αἴγυπτον μισθαρνήσας, κἀκεῖ δυνάμεών τινων πειραθεὶς, ἐφ' αἷς Αἰγύπτιοι σεμνύνονται, ἐπανῆλθεν, ἐν ταῖς δυνάμεσι μέγα φρονῶν, καὶ δι' αὐτὰς θεὸν αὑτὸν ἀνηγόρευσεν. HERALD.

Ægyptiorum ex adytis.... remotas furatus est disciplinas. Idem Celsus apud Origenem l. I. καὶ ὅτι οὗτος διὰ πενίαν εἰς Αἴγυπτον μισθαρνήσας, κἀκεῖ δυνάμεών τινων πειραθεὶς, ἐφ' αἷς Αἰγύπτιοι σεμνύνονται, ἐπανῆλθεν ἐν ταῖς δυνάμεσι μέγα φρονῶν, καὶ δι' αὐτὰς θεὸν αὑτὸν ἀνηγόρευσεν. Eamdem fabulam refricarunt etiam recentiores quidam male feriati S. Litterarum interpretes. ORELL.

Incomperta vobis et nescia. Nescius significatione passiva pro *ignotus*. Apulei. Met. V. de Psyche gravida : *Crescentes dies et menses exeuntes anxia numerat, et sarcinæ nesciæ rudimenta miratur*, ubi vid. Oudendorp., p. 343. ORELL.

Angelorum potentium nomina. Nomina dicit, quia in suis incantationibus barbara et horrenda angelorum ac potestatum nomina proferebant Magi, quorum vi et virtute res ullas magnas et παραδόξους fieri existimabant. Vide Origen., lib. I, contra Celsum. HERALD.

O parvuli. ὦ νήπιοι. HERALD.

Magicarum artium ludi. Proprie. Tertullianus, Apologet., cap. XXIII. *Si multa miracula circulatoriis præstigiis ludunt.* Sic magorum παίγνια Græci dicunt. Irenæus, apud Epiphanium, Hæres. XXIV : Τὰ γὰρ Ἀναξιλάου παίγνια τῇ τῶν λεγομένων μάγων πανουργίᾳ συμμίξας, δι' αὐτῶν φαντάζων τε καὶ μαγεύων, εἰς ἔκπληξιν τοὺς ὁρῶντάς τε καὶ πειθομένους αὐτῷ περιέβαλεν. Ergo magorum *ludi* proprie Q. Curtius, lib. VII (c. 4) : *Erat in eo convivio Cobares natione Medus, sed magicæ artis* (*si modo ars est, non vanissimi cujusque ludibrium*), *magis professione, quam scientia celeber.* Ipsi etiam magi vulgari appellatione *vani* appellati. HERALD. —Nostrum *Gaukelei, Gaukelspiel, Taschenspiel*. ORELL.

Qui sine ulla vi carminum, etc., scil. *id fecerit*, quod subintelligendum ex antecedentibus. ORELL.

Sine ulla aliqua observatione sollicita sacrorum. Nam sacra quædam a magis curiosissime observari solita, clara res est. Hostiæ enim cæsæ, mascula tura incensa et similia factitata, de quibus scriptores passim. *Observatio* autem est cauta illa circumspectio, quam in sacris adhibere debemus, ne qua in re titubemus et numen offendamus. Sic infra cap. sequente : *Sine ullius ritus observatione*, lib. VI, cap. 8 : *Sequitur, ut de signis aliquid simulacrisque dicamus, quæ multa arte componitis et religiosa observatione curatis* ; et lib. VII, cap. 18. *Aut* (*ut fieri moris est*) *observationis alicujus aut religionis metu ille caprina abstinet se carne, porcinum alius exsecratur attactum.* Jul. Firm., lib. VIII. Mathes., cap. 6 : *Et omni benevolarum stellarum testimonio destitutus plecti faciet malos, aut ad aram metuendæ religionis observationibus immolari.* HERALD.

Quæ necessario, velint nolint, suis ordinationibus veniunt. Ironice hæc intelligenda. ORELL.

Familiarum dirumpere charitates. Familiarum conj. Fulv. Ursinus, probante Meursio et Heraldo in Curis secundis. Sed causam mutandi nullam video. Sensus est : *Vincula familiarum disrumpunt isti magi vel pestifera tabe alicui immissa vel venenis quibusdam, quibus inimicitiæ et odium internecinum instillari credebatur.* ORELL.

Aut sine clavibus reserare, quæ clausa sunt. Origenes, lib. II, contra Cels. Καὶ γόητές τινες ἐπῳδαῖς δεσμοὺς λύουσι, καὶ θύρας ἀνοίγουσιν. HERALD.

Aut in curriculis equos debilitare. Extat exemplum hujus potestatis apud Hieronymum in vita Hilarionis. HERALD.

Inconcessi amoris flammas. Φίλτρα intelligit et amatoria, quæ ἀγώγιμα quoque fuerunt appellata et charitesia. Irenæus lib. I, cap. 20 : *Exorcismis et incantationibus utuntur. Amatoria quoque et agogima, et qui dicuntur Paredri et Oneiropompi, et quæcumque sunt alia parerga, apud eos studiose exercentur.* Juvenal, sat. VI, 608 :

> Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
> Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti.

HERALD. et CLEMENT.

Sed eorum, quos invocant, potestate. Herald. in Curis secundis mavult *sed deorum*. Non male. ORELL.

XLIV. Atqui constitit Christum sine ullis admini- A culis rerum, sine ullius ritus observatione, vel lege, omnia illa, quæ fecit, nominis sui possibilitate fecisse. Et quod proprium, consentaneum, dignum Deo fuerat vero, nihil nocens, aut noxium, sed opiferum, sed salutare, sed auxiliaribus plenum bonis potestatis munificæ liberalitate donasse.

XLV. Quid dicitis, o iterum! ergo ille mortalis, aut unus fuit e nobis, cujus imperium, cujus vocem popularibus et quotidianis verbis missam [a], invaletudines, morbi, febres, atque alia corporum cruciamenta fugiebant? Unus fuit e nobis, cujus præsentiam, cujus visum gens illa nequibat ferre mersorum in visceribus dæmonum, conterritaque vi nova membrorum possessione cedebat? Unus fuit e nobis, cujus fœdæ vitiligines jussioni obtemperabant pulsæ statim, et concordiam colorum commaculatis visceribus relinquebant? Unus fuit e nobis, cujus ex levi tactu stabant profluvia sanguinis, et immoderatos cohibebant fluores? Unus fuit e nobis, cujus manus intercutis veternosæ fugiebant undæ, penetrabilis ille vitabat [b] liquor, et turgentia viscera salutari ariditate deflabant [c]? Unus fuit e nobis, qui claudos currere præcipiebat? Etiam operis res erat: porrigere man-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Emissam. *Fulv.*
[b] Evitabat. *Fulv.*
[c] Defluebant. *Idem Fulv.*

COMMENTARIUS.

XLIV. — *Nominis sui possibilitate.* Stewech., B præeunte Fulv. Ursino et Meursio leg. conjicit *numinis.* Sed nil mutandum. ὄνομα enim pro jussu, auctoritate, potestate sæpius in Nov. Test. vide Marc. XVI. 17; Ac. III, 6. *Possibilitas* hoc loco active pro *potestate, potentia.* Ita Ammian. Marcell. XIX, 2: *Medebatur quisque vulneribus pro possibilitate et curantium copia.* Videtur Gesner. in Thesaur. ORELL.

Auxiliaribus plenum bonis. Ita Fulvius Ursinus. Cod. ms. habebat *auxiliaribus plenum nobis*, unde Stewech. *auxiliaribus plenum nobis*, alii *auxiliare, plena nobis.* ORELL.

XLV. — *O iterum.* Est Aposiopesis gravissime indignantis et reprehendentis. Ita Germani quoque *o ihr! ihr diese und jene!* ORELL.

Quotidianis verbis. Apuleius *communia verba* appellat Milesia I. Hoc etiam dicebant *humane loqui*, ἀνθρωπίνως λαλεῖν, quibus contraria sunt magorum susurramina vocibus exoticis et barbaris, immo et horrendis concepta, nec non verba elata et ampullata, qualia tragicorum. HERALD.

Invaletudines. Ita membranæ. Id vocabulum memini reddere me L. Apuleio lib. IX. et Ciceronem bis usum observavi ad Atticum lib. VII. epist. 2, et libro eodem epist. 5, etiam apud Tertullianum observabam adversus Valentinianos. STEWECH. — Idem vocabulum legebatur et in Justino lib. XIII, c. 2, ubi expunxit illud Fr. Modius. Equidem restitui Arnobio amanti tales voces rariores peneque obsoletas. Reliqui habent *valetudines.* ORELL.

Cruciamenta. Cruciamentum pro cruciatione vox rarior et in Lexicis fere neglecta, qua tamen usi Plautus aliquoties et Cicero Phil. XI, cap. 4. Vide Bunemann. in Lactant. Inst. IV, cap. 15, pag. 482. ORELL.

Fœdæ vitiligines. Vitiligo proprie *in corpore hominis macula alba*, quam Græci *ἀλφὸν vocant*, interprete Festo h. v. quam fœdam quidem esse, et malo corporis habitu fieri, attamen per se nullum homini afferre periculum, scribit Celsus libro V. extremo, deinde tres ejus species esse dicit, alphos, melas, et leuce. At h. l. *κατ' ἐξοχὴν de lepra;* hæc enim dicitur candens ὡσεὶ χιών Exod., IV. 6, et Numer., XII. 20. Eodem sensu utitur et Justinus, lib. XXXVI, cap. 2, de Mose loquens: *Sed Ægyptii, cum scabiem et vitiliginem paterentur, responso moniti, eum cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt.* Ubi videsis Bongars. et Elmenh. Ind. ad Apuleium. Conf. Turneb., Advers., lib. XV, cap. 21, qui vitiliginem distinguit ab elephantiasi. ORELL.

Commaculatis visceribus. Viscera accipit pro toto corpore. Solinus, cap 22: *Esse illic et Panotiorum gentem, quorum aures adeo in effusam magnitudinem dilatentur, ut viscerum illis reliqua contegant, nec amiculum aliud sit, quam ut membra membranis aurium vestiant;* et cap. XXV: *Regionem partim tenent barbari, quibus per artifices plagarum figuras jam inde a pueris variæ animalium effigies incorporantur, inscriptisque visceribus, hominis incremento pigmenti notæ crescunt.* HERALD.—Et h. l. *viscera* de toto corpore, ut supra cap. 38, et mox *turgentia viscera.* ORELL.

Cujus ex levi tactu. Hic quoque *ex* mutare volunt in *et.* Sed observare debuerant, quod observabamus antea (ad cap. 39), particulam istam sæpe πλεονάζειν. Sic autem apud Jul. Firmicum frequentissime, ut lib. III. Mathes., c. 5. *Et qui ex ferro vulnera accipiant.* Iterum: *Sed ex ferro vulnera frequenter infligit.* HERALD.

Immoderatos cohibebant fluores. Cod. ms. *immoderati fluores*, quod defendit Meursius, *cohibere* acci- C piens significatione passiva pro *cohibere se*, ut *terra movit* et similia. ORELL.

Fluores. Vocem istam frequentare amat Arnobius. Infra lib. V, c. 12. *fluore de sanguinis*, et c. 14. *genitalia desecta cum fluoribus.* Et ap. Solinum passim. HERALD.

Cujus manus, intercutis veternosæ fugiebant undæ. Ita legendum: perperam hodie editum est: *cujus manus intercutes, intercutis*, τοῦ ὕδρωπος. Posset etiam scribi: *cujus manus intercutes veternosi fugiebant undæ*, id est, *intercutes undæ veternosi*, et verius est; nam *aqua intercus* dicebatur, et *veternosus* ὁ ὑδρωπικός. Glossæ: *veternus*, ὕδρωψ. Servius ad I. Georg. *veternus dicitur morbus intercutis hydrops, qui homines efficit pigros.* Ibi et citat hos versus Plauti in Addicto:

> Opus facio nimio, quam dormire mavolo.
> Veterum metuo.

Salmas., ad Tertullian., de Pallio, p. 399 *sq.* Ges- D ner. in Thesaur. Boernavium citat asserentem, *veternum* de leucophlegmatia sive *albo hydrope* dictum fuisse ap. veteres. Ceteræ editiones pleræque habent, *intercutes et veternosæ fugiebant undæ.* Sed *et* abest in cod. ms. ORELL.

Etiam operis res erat. Operis res i. q. opus, nihil amplius. *Res* sæpissime abundat ap. Latinos. Sidon., lib. VII, Epist. 6. *Ordinis res est*, et lib. V. Epist. 20. *Res commodi est.* ubi vid. Savaron. pag. 172. ORELL. — Loquendi modus similis videtur nostro *ein Stuck. Arbeit*, nec multum abludunt Græci, unde vocis χρῆμα infinita exempla peti possunt. Primus latina cum græcis comparavit Muretus Var. Lect., VI, 19. Add. Valckenaer. ad Eurip. Phœniss. pag. 21 sq. Mori Index ad Xenoph. Cyrop. v. χρῆμα. Verheyk. ad Antonin. Liberal., pag. 84. OCHSNER.

Et articuli immobilitates. Vim adversativam particulæ *et* supra attigimus ad cap. XV, init. In proxime sequentibus lege *et jam*, quod est significantius quam *etiam*, quod unus habet editor Lugd. Bat. *Immobili-*

A eos manus, et articuli immobilitates jam ingenitas[a] explicabant: captos membris assurgere, et jam suos referebant lectos alienis paulo ante cervicibus lati: viduatos videre luminibus, et jam cœlum diemque cernebant nullis cum oculis procreati?

XLVI. Unus, inquam, fuit e nobis, qui debilitatibus variis, morbisque vexatos centum, aut hoc amplius semel una intercessione sanabat? cujus vocem ad simplicem furibunda et insana explicabant se maria? procellarum turbines tempestatesque fidebant? qui per altissimos gurgites pedem ferebat inlutum[b]? calcabat ponti terga, undis ipsis stupentibus, in famulatum subeunte natura? qui sequentium se millia quinque, quinque saturavit e panibus, ac, ne esse præstigiæ incredulis illis viderentur et duris, bis senarum sportarum sinus reliquiarum fragminibus aggerebat? Unus fuit e nobis qui redire in corpora jamdudum animas præcipiebat efflatas prodire ab aggeribus conditos, et post diem funeris tertium pollinctorum voluminibus expediri? Unus fuit e nobis qui, quid singuli volverent, quid sub obscuris cogitationibus continerent, tacitorum in cordibus pervidebat? Unus fuit e nobis, qui cum unam emitteret vocem, ab diversis populis, et dissona oratione loquentibus, familiaribus verborum sonis, et suo cuique utens existimabatur eloquio? Unus fuit e nobis, qui cum officia religionis certæ[c] suis sectatoribus traderet, mundum totum repente complebat; quantusque, et qui esset, revelata nominis immensitate, monstrabat? Unus fuit e nobis, qui, deposito corpore, innumeris se hominum prompta in luce detexit? qui sermonem dedit, atque accepit, docuit, castigavit, admonuit? qui ne illi se falsos vanis imaginationibus existimarent[d], semel, iterum, sæpius familiari collocutione monstravit? qui justissimis viris etiamnunc[e]
B impollutis, ac diligentibus sese, non per vana insomnia, sed per puræ speciem simplicitatis apparet? cujus nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, haruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit[f] actiones, non hor-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Incognitas. *Male. Fulv.*
[b] Illotum. *Fulv.*
[c] Certa. *Fulv.*
[d] Imaginibus æstimarent. *Fulv*
[e] Etiam nunc. *Alii:*
[f] Facit. *Fulv.*

COMMENTARIUS.

tates est e correctione Stewechii. Cod. ms. et editio princeps habent *mobilitates*. ORELL.

Ingenitas. Sensu proprio, τυφλὸς, κυλλὸς ἀπὸ γενετῆς, ut sæp. in Novo Testamento. Male itaque interpretatur Stewech. *inveteratas*. ORELL.

C XLVI. — *Unus fuit e nobis. Unus e nobis id est homo communis, vulgaris.* Ita Petron. Sat. cap. 44, § 10; *Et quam benignus? resalutare, nomina omnium reddere tanquam unus de nobis*, ubi vid. Burmann. ORELL.

Centum, aut hoc amplius. Mihi verba *aut hoc amplius* de Glossa suspecta sunt. Nam *centum* sæpissime indefinite de numero rotundo, ut *sexcenti*. ORELL.— Hæc tamen non satis idonea causa sit suspicionis, nec minus usitatum est addere *aut hoc amplius*. OCHSNER.

Cujus vocem ad simplicem furibunda et insana explicabant se maria. Vocem ad simplicem, id est *sub verbo*, ut ap. Lucret., IV, 786, *in verbo* Virgil., Æn. VI, 547, *cum dicto* Minuc. Fel., c. IV, *dicto citius*, etc., de quibus formulis multus est Bunemann., ad Lactant. Inst. IV, c. 15, p. 489 sq. ORELL.

Calcabat ponti terga. Prudent., Præfat., in l. II, contra Symmach.:

Sistitque et docet ingredi
D Tergum per tumidum freti.

Virgil., Georg. I, *quæ suscitat æquore terga*, ubi Servius: *Terga, superficiem, ut Homerus* νῶτα θαλάσσης. ELMENH.—Conf Schœttgen. ad Juvenci Hist. evang., I, v. 637, p. 114, ed. Reusch. ORELL.

E panibus, e παρέλκει. Vid. ad c. 59 init., Meurs. legit: *millia quinque saturavit quinque panibus*. ORELL.

Pollinctorum voluminibus expediri. Volumina hic appellat Arnobius fascias sepulcrales et institas, quia iis corpus mortuum involvebatur. NOURR. — *Voluminibus* e Cod. ms. restituit Lud. Carrio Emend., l. II, c. 13, in Gruteri Lampade Critica, vol. III, p. 164 sq., qui de hoc loco multus est. Antea edebatur *velaminibus*. Respicit autem Arnobius ad locum Joann., XI, v. 44, de Lazaro: Ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις. De *pollinctoribus* vide Kirchmannum de funer. Romanorum, l. I, c. 9, et Munker., ad Fulgent., de Prisco Serm. Mythogr. lat., vol. II, p. 169. *Pollinctorum* erat lavare, ungere, involvere fasciis, coronare mortuos, *vespillonum* sepelire. ORELL.

Quid singuli volverent..... tacitorum in cordibus pervidebat. Joann., II, v. 25: Οὐ χρείαν εἶχεν ἵνα τις μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ ἀνθρώπου· αὐτὸς γὰρ ἐγίνωσκε τί ἦν τῷ ἀνθρώπῳ. ORELL.

Revelata nominis immensitate. Vide supr., ad c. 45, init. Meurs. conj. *numinis*. ORELL.

Prompta in luce. Id et manifesta, aperta clara in luce: opp. recondita et quasi involuta. Ita Lucret. VI, 1265, *loca prompta* dicit, quæ in publico, in propatulo sunt ORELL.

Semel, iterum, sæpius. Ful. Ursin. et Meursius leg. *se semel*, recte. *Se* abesse non potest neque ex præcedenti *se detexit* subintelligi, cum tota periodus, *qui sermonem dedit*, etc., sit interposita. ORELL.

Diligentibus sese. Legendum puto *se* scil. Christum *Diligentibus sese* esset *diligentibus se ipsos*. ORELL. — Equidem *sese* non temere mutaverim. Servius quidem alicubi notavit ex Jul. Cæsare, *se* simplex usurpari, si quid in alium dicitur factum, *sese* autem, quum in se ipsum. Jam vero geminus nostro locus est in Script. Hist. Aug. II, p. 372, *militibus sese imitantibus*, ubi dubiam lectionem vindicat Salmasius monens, *sese* pro *ipsum* positum esse, ut sæpe apud istos auctores, quorum ætati proximus fuit Arnobius. OCHSNER.

Non per vana insomnia. Dodwellus, dissertat. II, Iren., § 57, p. 199, hunc locum illustrat ipsiusmet Arnobii exemplo. Conversum enim, ait, ad Christi fidem somniis, immo compulsum tradit Hieronymus in Append. ad Chron. Euseb. num. Eusebiano 2342. GALLAND.

Cujus nomen auditum imponit silentium vatibus. Elegantissime hæc exornat Prudentius, Apotheos., v. 438, seqq. ELMENH.

Arrogantium magorum. Id est ἀλαζόνων, qui ea promittunt et spondent quæ implere nequeunt Nam quos Græci appellant ἀλαζόνας, eos latini *arrogantes* sæpissime verterunt. HERALD. Exemplum talis arrogantiæ in Simone Mago describit Clemens, Recogn. 2. ELMENH.

Majoris licentia potestatis. Id est *vi*, δυνάμει καὶ ἐξουσίᾳ. Sic enim ἐξουσίαν videntur expressisse,

rore, ut dicitis, nominis, sed majoris licentia potestatis?

XLVII. Et hæc quidem summatim exposita, non ea ratione protulimus, tanquam magnitudo facientis solis in his esset perspicienda virtutibus. Quanta sint enim hæc, vel exilitatis cujus reperientur, et ludi, si traditum fuerit nosci, ex quibus ad nos regnis, cujus numinis [a] ministrator advenerit? Quæ quidem ab eo gesta sunt, et factitata, non ut se vana ostentatione jactaret, sed ut homines duri, atque increduli scirent non esse, quod spondebatur, falsum : et ex operum benignitate, quid esset Deus verus, jam addiscerent suspicari. Simul et illud volumus sciri, cum summatim, ut dictum est, enumeratio facta gestorum est, non ea solum Christum potuisse, quæ fecit, sed constituta etiam exuperasse fatorum. Nam si, ut liquet, et constat, debilitates et corporum passiones, surdi, manci et muti, nervorum contractio et amissio luminis, fatalibus accidunt irrogantarque decretis, et solus hæc Christus correxit, restituit, atque sanavit : sole ipso est clarius, potentiorem illum fuisse, quam fata sunt, cum ea solvit et vicit, quæ perpetuis nexibus, et immobili fuerant necessitate devincta.

XLVIII. Sed frustra, inquit, nescio quis, tantum arrogas Christo, cum sæpe alios sciamus, et scierimus deos, et laborantibus plurimis dedisse medicinas, et multorum hominum morbos valetudinesque A curasse. Non inquiro, non exigo, quis Deus, aut quo tempore, cui fuerit auxiliatus, aut quem fractum restituerit sanitati : illud solum audire desidero, an sine ullius adjunctione materiæ, id est, medicaminis alicujus, ad tactum morbos jusserit ab hominibus revolare : imperaverit, fecerit et emori valetudinum causam, et debilium corpora ad suas remeare naturas. Christus enim scitur, aut admota partibus debilitatis manu, aut vocis simplicis jussione aures aperuisse surdorum, exturbasse ab oculis cæcitates, orationem dedisse mutis, articulorum vincula relaxasse, ambulatum dedisse contractis, vitiligines, querqueras, atque intercutes morbos, omniaque alia valetudinum genera, quæ humana corpora sustinere nescio quæ voluit importuna crudelitas, verbo solitus B imperioque sanare. Quid simile dii omnes, a quibus opem dicitis ægris et periclitantibus latam? Qui si quando, ut fama est, nonnullis aut tribuere medicinam, aut cibum aliquem jusserunt capi, aut qualitatis alicujus ebibi potionem, aut herbarum, et graminum succos superimponi [b] inquietantibus causis, ambulare, cessare, aut re aliqua, quæ officiat, abstinere, quod esse non magnum, nec admirationis alicujus stupore condignum, promptum est, si volueritis attendere : et medici etiam [c] sic curant animal humi natum, nec confisum scientiæ veritate, sed in arte suspicabili

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nominis. *Sab.*
[b] Superponere. *ms.*
[c] Enim. *Ita ms. Fulv.*

COMMENTARIUS.

Paulo post : *Ergo illud humanum fuit, aut ex ore sterC coribus innutrito tale potuit jus dari, talis licentia proficisci* ; et l. II : *Ut enim dii certi certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates ; neque eorum ab aliquo id, quod ejus non sit potestatis ac licentiæ, postulatis.* Jul. Firmic. Mathes, l. II, c. 4. *Sunt autem infinitæ potestatis et licentiæ, et qui fata hominum potestatis auctoritatis designent* ; et l. IV, c. 1 : *Magnos, potentes, suæ terribiles efficacesque faciat, et qui maximas civitates potestatis alicujus licentia subjugent.* Elmenh.

XLVII.— *Quanta sint enim hæc, vel exilitatis cujus reperientur et ludi.* Ita e Cod. ms. emendavit locum Lud. Carrio Emend., l. II, c. 13, in Gruter. Lamp. Crit., vol. III, p. 165. Antea legebatur *reperirentur*. Sensum verborum bene exposuit, Adr. Behot. Apophoret., l. III, c. 8 : *Quanta sint hæc, quamque maxima, quæ proposita sunt, tamen exilitates et ludi, resque non alicujus ponderis aut momenti D putabuntur, si conferantur cum*, etc., *vel* hoc loco augendi, exaggerandi vim habet, ut sæp. *vel cujus exilitatis* pro *cujus quæso exilitatis*. *Ludus* autem eleganter de re facili et quam sine labore ullo peragimus. T. Liv., l. XXVIII. *Næ tibi, P. Corneli, quum ex alto Africam conspexeris, ludus et jocus fuisse Hispaniæ tuæ videbuntur.* Sic παιδιὰν Græci dicunt. Edit. Elmenhorstii Hanoviana habet *exilitates .... cuivis*. Orell. et Herald.

Si traditum fuerit nosci. F. Ursin., *si datum fuerit nosse*. Sed hoc est explicare potius quam emendare. Orell.

Quid esset Deus verus. Malim equidem *quis esset*, vel potius, ex more Arnobii, *qui esset*. Vide infra, ad l. IV, c. 9, notam Heraldi. Orell.

Cum ea solvit et vicit, quæ perpetuis nexibus et immobili fuerant necessitate devincta. Stewechius reponere vult *cum ea solvi, devinxit*, ob sequens *devincta*. Male. *Solvuntur* nexus, *vincitur* necessitas. Orell.

XLVIII. — *Id est medicaminis alicujus.* Hæc glossema videntur Meursio. Orell.

Querqueras. Fest. *febrem frigidam* interpretatur *et cum horrore trementem*. Ad quem locum A. Dacer. *Querquera* adjectiv. suppl. febris. *Querquerus* est a κερχαλέος, quod a κέρχω. Nam κερχαλέον. Hesych. exponit σκληρὸν, ξηρὸν, διψαλέον, *grave*, *aridum*, *siticulosum*, quæ omnia febri mere congruunt, quæ cum siccitate ravim et tussim creat. Quare Plautus in Fragmento Frivolariæ tussim jungit cum querquera :

Is mihi erat bilis, aqua intercus, tussis, febris, querquera.

Multus est de hoc verbo Gesner. in Thesauro, Keuchen. ad Sammonic., v. 907, ed. P. Burmanni et Sam. Petitus in Miscellan., l. I, c. 23, p. 03 seqq., quos vide. Orell.

Quæ humana corpora sustinere nescio quæ voluit importuna crudelitas. Videtur in his Arnobius secutus fuisse sententiam gnosticorum creationem hominis et materiæ cuidam principio inferiori, quem Demiurgum dicebant, attribuentium, qua de re infra dicemus ad l. II. Orell.

Attribuere. Ita Meursius in Append. ex ms. Antea *aut tribuere*. Orell.

Aut cibum aliquem jusserunt capi. Dii, quorum in fanis ægri incubabant, certa remedia per sacerdotes suos præscribebant καὶ συνέταττον. Hæc enim προστάγματα a diis profecta proprie συνταγαί. Hac de re loquitur M. Antoninus imperator et philosophus, l. I. Commentar. : Ὁποῖόν ἐστι τὸ λεγόμενον, ὅτι συνέταξεν ὁ Ἀσκλήπιος τούτῳ ἱππασίαν, ἢ ψυχρολουσίαν, ἢ ἀνυποδησίαν. Herald. — Cf. Reiff. ad Artemidor., vol. II, p. 452, et in primis F. A. Wolf. *Beytrage zur Geschcihte des Somnambulismus aus dem Alterthum* in Miscell. Philolog., ubi p. 424, seqq., plura ejusmodi συνταγμάτων exempla affert. Orell.

Ambulare. Meursius *aut ambulare*. Orell.

In arte suspicabili positum. Ars suspicabilis, id est,

positum, et conjecturarum æstimationibus nutans. Nulla autem virtus est medicaminibus amovere quæ[a] noceant : beneficia ista rerum, non sunt curantium potestates : et, ut sit laudabile scire, qua quos conveniat medicina, aut arte curari, locus hujus laudis non in Deo, sed in homine constitutus est. Hunc enim non est turpe, rebus extrinsecus sumptis, valetudinem hominis fecisse meliorem : indecorum Deo est non ipsum per se posse, sed externarum adminiculis rerum sanitatem incolumitatemque præstare.

XLIX. Et quoniam beneficia salutis datæ aliorum numinum comparatis, et Christi : quot millia vultis a nobis debilium vobis ostendi, quot tabificis affectos morbis, nullam omnino retulisse medicinam, cum per omnia supplices irent templa, cum deorum ante ora prostrati, limina ipsa converrerent osculis : cum B Æsculapium ipsum datorem, ut prædicant, sanitatis, quoad illis superfuit vita, et precibus fatigarent, et invitarent miserrimis votis? Nonne alios scimus malis suis commortuos, cruciatibus alios consenuisse mor- A borum, perniciosius alios sese habere cœpisse, postquam dies noctesque in continuis precibus, et pietatis expectatione triverunt[b]? Quid ergo prodest ostendere unum, aut alterum fortasse curatos, cum tot millibus subvenerit nemo, et plena sint omnia miserorum, infeliciumque delubra? Nisi forte dicatis, opem bonis ab diis ferri, malorum miserias despici. Atqui Christus æqualiter bonis malisque subvenit : nec repulsus ab hoc quisquam est, qui rebus auxilium duris contra impetum postulabat injuriasque fortunæ. Hoc est enim proprium Dei veri, potentiæque regalis, benignitatem suam negare nulli, nec reputare quis mereatur, aut minime : cum naturalis infirmitas peccatorem hominem faciat, non voluntatis, seu judicationis electio. Dicere porro meritis opem laborantibus ab diis ferri, hoc est in medio ponere, et dubitabile, quod asseras, facere : ut et ille, qui sanus est factus, fortuito possit videri esse servatus : et ille, qui non est, non meriti causa, sed infirmitate credatur valetudinem expellere non potuisse divina.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Qua. ms.

[b] Tribuerunt. *Male*. ms.

COMMENTARIUS.

ars suspicionibus tantum et conjecturis, non autem certis et indubitatis veritatibus nixa, *eine Kunst, die auf blossen Vermuthungen, Hypothesen beruht*. Cel. v. *suspicabilis* tanquam ἅπαξ λεγόμενον affert Gesner. in Thesauro. ORELL.—Cicero, de Divin., I, 14. *Artes quæ conjectura continentur, et sunt opinabiles* OCHSNER.

XLIX. — *Deorum ante ora prostrati limina ipsa converrerent osculis*. Infra, l. VI. *Quæque templis in omnibus prostrati et humiles adoratis*. Mos fuit veterum in magna aliqua calamitate vel publica vel privata supplices ire per omnia templa, ut tandem deorum aliquem propitium invenirent, immo procumbebant quandoque humi et hoc schemate ἱκέτευον. Lucret., l. V :

Nec pietas ulla est velatum sæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras :
Nec procumbere humi prostratum et pandere palmas
Ante deum delubra.

Scil. statim cum templa ingrederentur, conspectis deorum simulacris, in ipso limine ad terram sese profundebant, et sic ipsi quandoque limini osculum dabant. Hoc est quod Artemidorus Oneirocrit., l. II, c. 32, dicit σαροῦν τὰ πρὸ τῶν νεῶν. Quod quidem, tamquam abjectius et parum generosum, mulieribus quasi proprie assignatum. Hæ enim prostratæ ante simulacra crinibus passis solum verrebant. Claudianus, in laude Serenæ, v. 224 :

Numinibus votisve vacas, et supplice crine
Verris humum.

(Herald. Cf. Gesner., in Claudian., l. I), Conf. Tibull., l. I, eleg. 2. MEURS.

Miser imis votis. Stewech. mavult : *miserrimi votis*. Sed nil mutandum. *Miserrima vota* sunt voces miserabiles, lamentabiles, quibus deorum opem implorabant, *klagliche Bitten*. ORELL.

Pietatis exspectatione triverunt. Id est pietatem ac misericordiam deorum expectantes. Sic enim *pietas* non solum apud inferioris ævi scriptores, sed etiam apud alios. Hinc Antoninus imperator *Pius* appellatus, quod natura clementissimus esset, inquit Spartianus. Atque hæc appellatio ad alios postea imperatores derivata. Quare Themistius Euphrades, orat. IX, Augustos ait appellatos εὐσεβεῖς, id est, φιλανθρώπους. *Pius* igitur *clemens* et *pietas clementia*, *Gnade*, etiam ap. politos scriptores. Claudian. Panegyr. de quarto consulatu Honorii :

...Mitis precibus, pietatis abundans,
Pœnæ parcus erat.

Et :

Sis pius imprimis : nam cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

(Herald. Cf. Casaub., ad Julii Capitolini, Antoninum Pium, cap. 2, p. 249).

C *Nisi forte dicatis*. Tento legere : *Nisi forte dicetis*. *Nisi* valet *sed*. Infra hoc libro : *Nisi forte dubitabis, an sit iste, de quo loquimur, imperator?* Itidem libro sequenti : *Nisi forte Rex mundi idcirco huc animas misit*. Iterum libro V ; *Nisi homo præsumens, quid dicturus esset Juppiter, circumscripsit*. STEWECH.

Nec reputare quis mereatur aut minime. Nourrius, hoc loco deesse aliquid suspicatur, sed falso, deceptus fortasse verbo *minime* male intellecto. *Minime* est pro *non*, superlativus pro positivo, ut supra cap. XXII, ubi vide notam. ORELL.

In medio ponere. Id est ad discutiendum proponere, tamquam non satis certum et deliberatum. Ita et Græci loquuntur. Herodot., lib. VII. ἵνα δὲ μὴ ἰδιοβουλεύειν ὑμῖν δοκέω, τίθημι τὸ πρῆγμα εἰς μέσον, γνώμην κελεύων ὑμέων τὸν βουλόμενον ἀποφαίνεσθαι. Sic *in medio relinquere* est indefinitum relinquere. B. Augustin., de Civit. Dei, lib. III, cap. 4. *Sed utrum potuerit Venus ex concubitu Anchisæ Æneam parere, vel* D *Mars ex Sylviæ concubitu filiæ Numitoris Romulum gignere, in medio relinquamus*. Capitolinus in Vita Veri sub finem : *Quod nos non in medio relinquimus, sed totum purgatum confutatumque respuimus*. HERALD. Sic Tacitus Germ. extr. *Quod ego ut incompertum in medium relinquam*. Vide Gell., Noct. Att., lib. XVII, cap. 3, ibique Gronov. Corte ad Sallust. Catil., cap. 19, pag. 126, Bunemann. ad Lactant., Inst. VII, cap. I, pag 852. ORELL.

Non meriti causa. Nihil mutandum est. Nam *meritum* ita usurpat Arnobius frequentissime pro eo, quod vulgo dicimus *demeritum*, id est delictum, culpa. Et sane *mereri* medium verbum est. Infra, cap. 64 : *Quodnam, quæso, ob meritum? dicite. Cujus ob peccati culpam? Quid ab eo commissum est*. Et supra : *Si enim nos sumus in causa, et in nostri criminis meritum excogitatæ fuerunt hæ pestes*. Solinus, cap. 1 : *Valerium denique Soranum, quod contra interdictum eloqui id ausus foret, ob meritum profanæ vocis neci datum*. Lactant., lib. VII, cap. 20 : *Nam hominem, quamvis*

L. Quid? quod istas virtutes, quæ sunt a nobis A summatim, non, ut rei poscebat magnitudo, depromptæ, non tantum ipse perfecit vi sua, verum, quod erat sublimius, multos alios experiri, et facere sui nominis cum affectione permisit. Nam cum videret futuros vos esse gestarum ab se rerum divinique operis abrogatores, ne qua subesset suspicio magicis se artibus munera illa beneficiaque largitum, ex immensa illa populi multitudine, quæ suam gratiam sectabatur admirans, piscatores, opifices, rusticanos, atque id genus delegit imperitorum, qui per varias gentes missi, cuncta illa miracula sine ullis fucis atque adminiculis perpetrarent. Verbo ille compescuit verminantium membrorum cruces, et illi B verbo compescuerunt furialium vermina passionum. Imperio ille uno exturbavit a corporibus dæmonas, et exanimatis suos restituit sensus : sub eorum portantes et illi se casibus jussione non alia sanitati et constantiæ reddiderunt. Ille notas albicantium vitiliginum manu admota detersit : liniamenta et hi corporum haud dissimili conciliavere contactu. Uliginosa ille et turgentia viscera siccitatem jussit recuperare [a] nativam : et famuli ejus hoc modo statuerunt errantes aquas, et a pernicie corporum suos labi jussere per tramites. Ille ulcera oris immensi, et recusantia perpeti sanitatem intra unius verbi moram continuato frenavit a pastu : et illi haud aliter contu-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Reciperare. *ms.*

COMMENTARIUS.

ob merita damnatum, in conspectu suo jugulari pro voluptate putat. Male itaque Meursius *non meriti causa*, quod esset sane durissimum. ORELL.

L. — *Sui nominis cum affectione.* Meursius *affictione* vel *affixione.* Lege cum Heraldo *adjectione*, vel potius *affectatione*. ORELL. Nil mutandum. *Affectionem* pro *affectatione*, *afficere* pro *affectare* posterioris ævi scriptoribus, etiam Tertulliano usurpari monuit Salmasius ad Hist. Aug. Scriptt., vol. I, p. 10. Similiter *trahere* pro *tractare*, *tractus* pro *tractatus*, *ostendere* pro *ostentare*, *ostensio* pro *ostentatio* adhibetur, monente eodem Salmasio ad Hist. Aug., vol. I, pp. 101, 412, 446, 453. OCHSNER.

Permisit. Id est potestatem ac facultatem attribuit. C Sic supra hoc verbo usus est, cap. 38 : *Qui profundas ejus ac inenarrabiles altitudines (quantum nostra quivit mediocritas capere) et intelligere permisit, et docuit.* Infra, cap. 52 : *Permittant uni ex populo in officium sermonis dandi ora coarticulare mutorum.* HERALD.

Abrogatores. Ita editio Lugd. Bat. ex emendatione J. Dousæ ap. Meursium. Editio princeps *arrogatores* ex ms. quod sine dubio corruptum fuit ex *arogatores* ab antiquo *aroqo* idem quod *abrogo.* Vide Stewech. Cæteri editores Gelenium secuti, habent *derogatores.* ORELL.

Ne qua subesset suspicio, magicis se artibus munera illa beneficiaque esse largitum. Confer. de Augustin., de Civitate Dei, lib. XVIII, cap. 53. STEWECH.

Sub eorum portantes et illi se casibus jussione non alia sanitati et constantiæ reddiderunt. Dedi lectionem codicis msti., cum dubius plane et incertus sim de vera lectione loci hujus corruptissimi statuenda, et in medio ponam conjecturas virorum doctorum, ut liberum fiat benevolo lectori judicium. Fulvius igitur D Ursinus ita legendum conjicit : *Sub eorum* (apostolorum scil.) *portatos et illi successibus jussione nuda sanitati et constantiæ reddiderunt. Successus* idem quod secessus, habitatio, quo sensu utitur Arnobius aliquoties, lib. VI, cap. 5, ubi *templa Gentilium* vocat *successus quosdam parvos atque genus angustissimarum cavernarum.* Stewechio placet *sudarium portantes et illi casibus jussione non alia*, etc. hoc sensu : Apostoli casibus, hoc est, ulceribus vel cicatricibus vel in gen. morborum sedi apportantes vel imponentes sudaria jussione non alia sanarunt, ut sit allusio ad locum Actuum apostolicorum, cap. XIX, vs. 11 et 12 : Δυνάμεις τε οὐ τὰς τυχούσας ἐποίει ὁ Θεὸς διὰ τῶν χειρῶν Παύλου, ὥστε καὶ ἐπὶ τοὺς ἀσθενοῦντας ἐπιφέρεσθαι ἀπὸ τοῦ χρωτὸς αὐτοῦ σουδάρια ἢ σιμικίνθια, καὶ ἀπαλλάσσεσθαι ἀπ' αὐτῶν τὰς νόσους, τά τε πνεύματα τὰ πονηρὰ ἐκπορεύεσθαι. Quam tamen conjecturam ipse Stewechius mox retrahens adstipulatur Ursino. Heraldus locum sic refingit : *sub eorum* (scil. dæmonum) *rotantes et illi se incursibus*, etc. Adr. Behotius in Apophoret., lib. III, cap. 8, mutat audacissime : *et illi sub eorum* (dæmonum) *potentatu* (vide caput sequens) *positos et illisos casibus jussione non alia* (quam invocato nomine Christi), *sanitati et constantiæ reddiderunt.* Editor tandem Lugd. Bat. *sub eorum tortantes et illi se casibus*, etc. quam conjecturam tanquam levissimam loci corruptissimi medicinam cum amicissimo Ochsnero maxime approbo. *Casus dæmonum* dixit Arnobius pro casibus a dæmonibus immissis, ut *reliquiæ Danaum, vulnus Ulixi* apud Virgilium. ORELL.

Sanitati et constantiæ reddiderunt. Proprie omnino. Nam furiosi et possessi de statu suo dejiciuntur, et diversis incursibus rotantur. *Constantia* igitur, quando in statu nostro permanemus. Glossæ : *constans* — σταθερός, εὐσταθής. Lactant. lib. IV, cap. 27 : *Hominumque mentes motas, et malis incursibus furiatas in sensus pristinos reponebat.* HERALD. — Conf. Burmann. ad Vellei. Paterc., II, cap. 29. OCHSNER.

Liniamenta et hi corporum haud dissimili conciliavere contactu. Behotius in Apophoret., lib. III, cap. 8, legendum censet *laniamenta*, etc., quod vocabulum, quamvis non agnoscant lexicographi, ferri posset, cum Arnobius plura habeat ἅπαξ λεγόμενα. At vero hoc loco non de vulneribus aut cicatricibus quibus corpus laniatur, sed de pustulis et verrucis lepræ, quæ corpus fœdant, ejusque liniamenta deformant, sermo est. *Conciliare* autem est συνάπτειν, concinnare, instaurare. Multo minus placet Fulvii Ursini conjectura *linimenta*, a *lino*, *ere.* ORELL.

Statuerunt errantes aquas. Statuere nove pro sistere dixit. Ita Cyprianus contra Demetrianum : *Si fontem siccitas statuat, aerem pestilens aura corrumpat, homines morbida valetudo consumat.* MEURS., p. 32. — Sic etiam antiquioris latinitatis scriptores, verbi causa Plautus, Bacchid., act. II, scen. 3, vers. 57 :

...Navem extemplo statuimus.

Vide J. Fr. Gronov. qui de hoc verbi usu multus est in Lectt. Plaut., pag. 173 seq. ORELL.

Suos per tramites. Hoc est per tramites ipsis a natura destinatos, *durch ihre gewohnten, naturlichen Kanale.* ORELL.

Recusantia perpeti sanitatem. Id est *desperata*, ἀπεγνωσμένα. Sic enim verbum Græcum exprimere voluit. HERALD.

Continuato frenavit a pastu. Bene explicat Behotius : Compescuit ulcera ab erosione, quæ diu continuaverat : depastos diu cancere rodenti artus curavit, et frenavit mali serpentis luem. At non audiendus idem Behotius legend. conjiciens : *continuato frenavit harpastu*, hoc est, ut ille explicat : coeunte commissura, et juncto ulceris hiatu. Sed *harpastus* nulla

maciam canceris sævi ad subeundam cicatricem circumscriptis evaginationibus compulerunt. Incessum ille claudis dedit, visum luminibus cæcis, interemptos revocavit ad vitam : nec minus et hi quoque contractionem relaxavere nervorum, luce oculos implevere jam perdita, et ab tumulis remeare defunctos exequiarum conversione jusserunt. Neque quicquam est ab illo gestum per admirationem stupentibus cunctis, quod non omne donaverit faciendum parvulis illis et rusticis, et eorum subjecerit potestati.

LI. Quid dicitis, o mentes incredulæ, difficiles, A duræ? alicuine mortalium Jupiter ille Capitolinus hujusmodi potestatem dedit? Curionem, aut Pontificem maximum, quinimmo dialem, quo Dius est, flaminem isto jure donavit? Non dicam, ut mortuos excitaret, non ut cæcis restitueret lucem : non ut membrorum situm enervatis redderet, et dissolutis : sed ut pustulam, reduviam, papulam, aut vocis imperio, aut manus contrectatione comprimeret. Ergo illud humanum fuit, aut ex ore terrenis stercoribus innutrito tale potuit jus dari, talis licentia proficisci, et non divinum, et sacrum? aut, si aliquam superlationem res capit, plusquam divinum, et sa-

COMMENTARIUS.

vox. Scribendum fuisset *frenarit herpestu*, ab ἕρπειν, unde *herpes*, ap. Lucret., VI, 665, et *herpesticus* Lucil. ap. Non. Cæterum apposite Wakefield in Silv. Crit. Part. III. pag. 139, cum nostro loco comparat verba Joannis Chrysostomi, Serm. 17, vol. I, p. 107 (ed. Savill) : Ἀλλ' ἵνα μάθης τοῦ δεσπότου τὴν φιλανθρωπίαν, ὅτι οὐδὲ τὸ τυχὸν ἀνεβάλλετο ἀλλ' εὐθέως οἶδε τὸ γεγονὸς καὶ τοῦ ἕλκους τὸ μέγεθος, καὶ ἐπὶ τὴν ἰατρείαν ἔσπευσεν ἵνα μὴ νομὴν ἐργασάμενον τὸ ἕλκος ἀνίατον τὸ τραῦμα κατασκευάσῃ. Διὰ τοῦτο τοίνυν προκαταλαμβάνων ἐπείγεται. καὶ εὐθέως παρεὶς τὴν νομὴν τοῦ ἕλκους ἵστᾳ τε, καὶ οὐδὲ πρὸς βραχὺ κατέλιπεν ἀπρονόητον, τὴν οἰκείαν ἀγαθότητα μιμούμενος. ORELL. — Quare scribit Artemidorus, morbum videri bestiam, propter hæc morborum genera scil., a quibus humana corpora depascuntur, lib. II. Oneirocrit., cap. 12 : Ὅταν δὲ ἀπειλῇ ἢ ἀγριαίνηται ὁ λέων, φόβον τε ἐπάγει. καὶ νόσον μαντεύεται ἔοικε γὰρ ἡ νόσος θηρίῳ. HERALD. — De vi, v. *pastus* multus est Oudendorp. ad Apulei. Met. V, p. 353. ORELL.

Contumaciam canceris sævi ad subeundam cicatricem circumscriptis evaginationibus compulerunt. Ad subeundam cicatricem compulsus videtur cancer, quatenus latius per membra grassari, prohiberetur et intra spatium cicatricis circumscriptum contineretur, itaque ex ampliori campo quasi in angustiam se recipere cogeretur. OCHSNER. — *Circumscriptis evaginationibus* itaque idem est, quod supra dixerat, *frenato pastu*. Neque mutandum cum Gelenio *evagationibus*. Scripsit scil. Arnobius *evaginationibus* more antiquorum, qui dicebant *vager, vaginor, fruor, fruinor, nato, natino, domo, domino*, pro quo nunc *dominor* deponentaliter efferunt. Vide Meurs. in Append. ORELL.

Interemptos revocavit ad vitam. Non occisos et vi aliena confectos, sed simpliciter e medio sublatos. Nam hoc *interimere*, a rebus humanis aliquem omnino tollere. *Emere* enim olim auferre, et nota vis particulæ *inter* in his compositionibus, pro *funditus omnino*, notata ab accuratissimo grammatico Ælio Donato. *Interempti* igitur, qui sæpius *exempti* simpliciter. Solinus, cap. 16 : *Contraversum læta sunt funera, adeo ut exemptos gaudiis prosequantur.* HERALD.

Et ab tumulis remeare defunctos exsequiarum conversione jusserunt. Zeno Veronensis (imitator Arnobii) sermone de spe, fide et charitate : *Mortuosque sæpe ipsos a sepulchris cum suis sibi exsequiis reverti jusserunt. ut omnes mirarentur fieri lacrymas gaudii, quæ nunc fuerant orbitatis.* HERALD. — *Exsequiarum conversio* est igitur, cum funus secuti revertuntur et a mortuis excitatum domum deducunt. ORELL.

LI. — *Curionem. Curiones* curiarum sacerdotes, qui earum sacra procurabant. Res notissima. ORELL.

Quinimmo dialem, quo Dius est, flaminem. In textum recepi emendationem hanc Petri Colvii prolatam in notis ad Apulei. Met., lib. VI, p. 408, ut mihi videtur, unice veram. Sensus est : Jupiter a dialis, qui ipsi attribuitur, flamine *Dius* esse intelligitur, id est is, *a quo vita dari putabatur hominibus*, ut Festus interpretatur v. *dialis.* Antea legebatur, *quod ejus est*, B quod tolerari possit hoc sensu, *quod ejus est* scil proprium, κατ' ἐξοχήν. Novimus enim, a Numa Pompilio tres institutos flamines, Dialem, Martialem, Quirinalem, postea temporis progressu pluribus additis ad 15 numerum eorum excrevisse, quos omnes cum dignitate longe anteiret flamen Dialis, is κατ' ἐξοχὴν *flamen* dictus est. Canter. leg. censet : *quod majus est*, scil. quam Pontifex Maximus, respiciens sine dubio ad locum Fest. v. *Ordo sacrorum*, ubi hæc leguntur : *Maximus* (sacerdotum) *videtur Rex* (sacrificulus), *deinde Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto Pontifex Maximus. Itaque in conviviis solus Rex supra omnes accubat. Sed Dialis supra Martialem, et Quirinalem, Martialis supra proximum, omnes dein supra Pontificem.* Multo minus audiendus Lud. Carrio. Emendd., lib. II, c. 13, p. 164, vol. III, Lamp. ad. Crit. Gruteri legendum conjiciens : *quo deus est*, quasi Jupiter flamine tantum Diali deus fit, neque in deorum censum relatus, nisi flaminem haberet. At quamvis, ut diximus, et inferiorum etiam C deorum, v. c. Volcani, Furinæ, Carmentæ, Pomonæ, fuerint flamines, tamen multi alii et majorum gentium dii erant, v. c. Neptunus, Apollo, Juno, etc., quorum nullum erat flaminium. Vide Stewech., hoc loco, et, qui hac de re multus est, Rosin., Antiq. rom., lib. III, c. 15—17. ORELL.

Situm enervatis. Verissima hæc emendatio debetur Gelenio. Ms. *situs eruatis* vitiosissime. Orta haud dubie menda ex abbreviata scriptura *eervatis*. MEURS., *in Append.*

Pustulam. Glossæ : *pustula*, Φλύκταινα (Schwiele). ELMENH. — Cf. Turneb., Advers. XXIII, 2, p. 270. ORELL.

Reduviam. Reduvia, teste Festo, *appellatur, cum circa ungues cutis se resolvit.* Eo verbo Plinium, Hist. nat., lib VII, c, 19, et Cic., orat. pro Sexto Rosc. Amerino usos fuisse legimus. Videsis Turneb., Adversar., l. XVII, c. 8. NOURRIUS.—Cf. Gesn., in Thesauro. ORELL.

Papulam. Papulorum duo sunt genera, alterum est, in quo per minutas pustulas cutis exasperatur leviterque D *roditur, alterum, quam ἀγρίαν Græci appellant, in qua similiter quidem, sed magis cutis exasperatur.* Celsus, de Medicin., V, c. 28. § 18. ELMENH.— Cf. Woss. ad Virgil. Georg. III, 566. Cæterum hæ voces misere corruptæ sunt in editione prima, ubi legitur : *sed ut pullulare dubiam papulam.* ORELL.

Tale potuit jus dari, talis licentia proficisci. Jus pro potentia et licentia apud Arnobium. Infra : *Atqui utinam cuncta referri in scripta potuissent, vel quæ ab ipso gesta sunt, vel quæ ab ejus præconibus pari jure et potentia terminata.* Sic apud jurisconsultos. HERALD.— De v. *licentia* vide supra ad cap. 46. ORELL.

Si aliquam superlationem res capit. Superlatio, id est hyperbole. Vox ciceroniana · de Oratore, III, 53 : *Veritatis superlatio atque trajectio*, ubi vide Harles, p. 624, ed. nov., *exsuperantium* vocat auctor ad Herenn., lib. I, cap. 6. Vide ibi Græv., pag. 17, ed. Burmanni et Ch. Th. Ernesti in Lexicotechnob. lat. rhetor.; v. *Superlatio.* ORELL.

crum? Nam si facias ipse, quod possis, et tuis sit viribus potentatuique conveniens, admiratio non habet quod exclamet; id enim quod potueris, feceris, et quod præstare debuerit vis tua, ut operis esset una et ipsius qui operaretur, qualitas. Transcribere posse in hominem jus tuum: quod facere solus possis, fra- A gilissimæ rei donare, participare faciendum, supra omnia sitæ est potestatis, continentisque sub sese est rerum omnium causas, et rationum facultatumque naturas.

LII. Age nunc, veniat quis super igneam zonam, magus interiore ab orbe Zoroastres, Hermippo ut

COMMENTARIUS.

Potentatuique. Potentatus pro potentia, potestate probatum et optimæ latinitatis vocabulum, quo usi sunt Cæsar, Livius et alii. Vide Meurs., p. 33, Ol. Borrich. Cogitat., p. 199; Jo. Vorst., de Latinitate selecta, part. IV. c. 1, p. 241, ed. Gesneri et Cellar. ad Lactant. Inst., lib. VI, cap. 17, pag. 791, ed. Bünem. ORELL.

Id enim quod potueris, feceris, et quod præstare debuerit vis tua, ut operis esset una et ipsius qui operaretur qualitas. Ita Fulv. Ursinus et ed. Lugd. Bat. Cod. ms. et edit. princeps, *ut poteris esset una*, etc., nullo sensu, pro quo edidit Gelenius: *ut potens esset una*. Stewech. *Sed quod præstare debuerit vis tua, ut potens esset una et ipsius qui operaretur qualitas: transcribere posse*, etc., conjungens cum sequentibus. Sed præstat quod edidimus. Sensus est, ut qualitas, hoc est vis, potestas, una eademque (humana scil.) et in opere et in ipso qui operaretur cernatur. ORELL.

Transcribere, id est tradere, transferre. Ita Virgil., Æn. VII, 422:

Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis.

ubi Servius: *transcribi, tradi. Sermo autem hic tractus est de pecunia, nam scribi est dari.* Isidorus in Gloss. *Transcribit*, per scripturam tradit. Vid. Savaro ad Sidon., carm. II, vs. 463, p. 52. ORELL.

LII. — *Age nunc veniat quis super igneam zonam magus interiore ab orbe Zoroastres.* Magna de hoc loco inter eruditos dissensio est. Heraldo verba *super igneam zonam* a sciolo quodam interpretamenti vice adjecta videntur, cum Zoroastrem ex ignea zona, hoc est e Libya interiori vel Æthiopia τῆς κατακεκαυμένης vicina, nullus veterum agnoscat: itaque legendum putat: *Veniat quis Azonaces magus interiore ab orbe*, etc., ut sermo sit de Azonace mago, quem Zoroastris fuisse præceptorem Hermippus tradidit, te te Plinio Hist. nat., lib. XXX, cap. 1. Vulgatam autem defendit Stanley, Historia philosophica, pag. 1112, ed. Lips. putans, Arnobium respexisse hoc loco ad eam historiam, quam refert Dio Chrysostomus in Oratione Borysthenit., ubi Zoroaster Persa (confunditur enim cum altero) dicitur ex igneo monte ad populum venisse: verba itaque *per igneam zonam* non intelligenda de Libyæ aridis, sed aut de monte illo igneo, aut de sede numinum zonis addictorum, quæ est, secundum doctrinam Chaldæorum, supra Empyreum vel corporeum cœlum. Salmasius in editione Arnobii Lugduno Batava legit: *Veniat, quæso, per igneam zonam magus interiore ab orbe Zoroastres*, quam conjecturam defendit in Exercitationibus suis Plinianis ad Solinum, pag. 335, se ostensurum promittens, Zoroastrem etiam Æthiopem habitum fuisse ab antiquis aut ex exteriore Libya; quod, vellem, exsolvisset. Etiam *quis super* male mutatum in *quæso per. Quis* enim et *aliquis* nec non *quidam* per contemptum sæpissime apud nostrum. Sic infra lib. IV, c. 26, *nescio quis Hercules*, ubi vide notam Heraldi. ORELL.

Age nunc veniat quis, per igneam zonam magus interiore ab orbe Zoroastres, etc. De hoc magorum auctore mira tradunt veteres. Persæ quidem, teste Dione Chrysostomo in Borysthen. (tom. III. Reisk., p. 93) eum dicunt sapientiæ ac justitiæ studio in montem nescio quem secessisse, ac deinde eum montem igne cœlitus lapso conflagrasse: cumque is continuo arderet, regem una cum proximis adorandi causa eo accessisse: ac tum Zoroastrem repente ex flammis illæsum apparuisse benigno vultu, jubentem, ut animo fidenti essent, ac certa sacrificia factitarent, eo enim in loco præsentes esse deos. Eadem fere Suidas et Georgius Cedrenus de Zoroastre produnt, cum scilicet, qui a diis immortalibus precatus fuerat, fulmine arsisse, cum Persis prius mandavisset, ut cineres suos colerent ac servarent, tamquam mansuri B apud eos imperii pignus. Paulo aliter Clemens Rom. in Recognitionibus, homilia IX. De Zoroastris antro Porphyrius ex Eubulo in antro nympharum scribit. Quibus accedit Gregorius Turon., lib. I Hist. Francorum, his verbis: *Primogenitus Cham filius Noe fuit Chus: hic ad Persas transiit, quem Persæ vocitavere Zoroastrem, id est, viventem stellam. Ab hoc etiam ignem adorare consueti, ipsum divinitus igne consumptum ut Deum colunt.* Plures autem fuere Zoroastres, ut satis constat; sed omnium antiquissimus fuit Bactrianus, quippe Nini Assyriorum regis æqualis (Vide Arnob., supra, cap. 5). Hunc Semiramis Assyriorum regina bello superavit, ut docet Theon in Progymnasm. Cap. περὶ συγκρίσεως — — Οὐ γὰρ εἰ Τόμυρις κρείσσων ἐστὶ Κύρου, ἢ καὶ μὰ Δία Σεμίραμις Ζωροάστρου τοῦ Βακτρίου, ἤδη συγχωρητέον τὸ θῆλυ τοῦ ἄῤῥενος ἀνδρειότερον εἶναι: alter fuit Pamphylius genere, Armenii filius, quem Hera vocat Plato, lib. X, de Republ., ut scribit Clemens Alexandr., lib. V. Stromat. et noster hoc loco. Fuit et Zoroaster Pro- C connesus paulo anterior Xerxis temporibus, teste Plinio, Hist. nat., lib. XXX, cap. 2. Hunc vero, qui Magiæ Persis auctor fuit, Oromasis filium vocat Plato in Alcibiade I (*Vales. ad Ammian. Marcell., lib.* XXIII, *cap.* 6, § 32). Conf. Marsham Can. Chron., p. 144 seq., et Salmas., ad Solin, p. 335. ORELL.

Zoroastres, Hermippo ut assentiamur auctori. Bactrianus et ille conveniat, cujus Ctesias res gestas historiarum exponit in primo, Armenius Hosthanis nepos, et familiaris Pamphylus Cyri. Hæc verba, prout interpungantur, diversam omnino interpretationem admittunt. Nostram interpunctionem si sequamur, videntur ab Arnobio quatuor memorari Zoroastres, primus Chaldeus, Assyrius etiam Suidæ dictus, qui dicitur fulmine percussus interiisse; secundus Bactrianus, cujus supra cap. V, meminit Arnobius, cujusque res gestas Ctesias historiarum in primo exposuerat: cf. Justin., lib. I, initio; tertius Armenius, nepos Hosthanis; quartus tandem Pamphylius, alio nomine D Er, quem post mortem decem dierum, quibus inter cadavera jacuerat, ad vitam rediisse affirmat Plato de Republica, lib. X, fine, quemque etiam Zoroastrem dictum testatur Clemens Alexandrinus Stromat., lib. V, p. 598, ed Francofurt (Cf., qui de eo multus est, Paul. Leopard. Emendat., l. IX, c. 2, in Gruteri Lampad., tom. III, p. 170). Aliter autem locum nostrum legit et distinguit Meursius et Salmasius, ad Solin., p. 335. *Zoroastres, Hermippo ut assentiamur auctori, Bactrianus. Et ille conveniat, cujus Ctesias res gestas historiarum exponit in primo, Armenius, Hostanis* (in editione Arnobii Lugd. Bat. est *Zostriani*, qua de causa, non video) *nepos; et familiaris Pamphilus Cyri.* Itaque secundum Salmasium tres fuere duntaxat Zoroastres; primus, secundum quosdam, ex interiore Libya, vel Æthiopia τῆς κεκαυμένης vicina, aut, si Hermippo fides habeatur, Bactrianus; alter Armenius, nepos Hostanis, cujus res gestas scripsit Ctesias; tertius Pamphilus nomine, amicus Cyri. Henr. Ursinus in exercitt. de Zoroastro, etc.

assentiamur auctori. Bactrianus et ille conveniat, cujus Ctesias res gestas historiarum exponit in primo, Armenius Hosthanis[a] nepos, et familiaris Pamphylus A Cyri, Apollonius, Damigero, et Dardanus, Velus, Julianus, et Bæbulus, et si quis est alius, qui principatum et nomen fertur in talibus habuisse præsti-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Zostriani. *ms. et Sab.*

COMMENTARIUS.

Norimbergæ, 1661, editis ex eadem Salmasii lectione colligit, ab Arnobio duos tantum memorari, ac manifesto explodi Bactrianum, Hermippi Zoroastrem; Ctesiam autem, dum confutat fabulosam historiam Eudoxi, probare, Zoroastrem vixisse tempore Cyri. Sed verba Arnobii ea mutatione non indigere videntur: nam Zoroaster ille, cujus meminit Ctesias, videtur non alius fuisse quam Bactrianus : sex enim priores ejus libri complectebantur tantum, ut ostendit Photius cod. 72, historiam assyriacam atque B eventus, qui res persicas antecesserunt. Ideo falsa videtur conjectura Salmasii, qui citationem Ctesiæ Arnobianam refert ad Hostanis nepotem, cum Hostanes, auctore Plinio Hist. nat., lib. XXX, c. 1, sub Dario Hystaspide vixerit : et verba, *Armenius Hostanis nepos et familiaris Pamphylius Cyri*, quibus duos memorari Zoroastres volunt, corrupta videntur et ita restituenda : *Armenius Hostanis nepos et familiaris : Pamphylius Erus*, ubi *familiaris* idem est ac γνώριμος discipulus, ita ut verbis illis unus tantum notetur. Cæterum *Hostanes*, sive *Ostanes* ille, cujus Arnobius meminit, is est, quem Plinius, Hist. nat. XXX, 1, dicit *Xerxis in eo bello, quod Græciæ intulerat, comitem, velut semina artis portentosæ sparsisse. obiter infecto, quacumque commeaverat, mundo.* Cf. Minuc. Felic. Octav. c. 26. *Hermippus*, quem noster allegat, teste eodem Plinio l. I, *vicies centum millia versuum a Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum ejus positis, explanavit.* Hæc excerpsimus e Thom. Stanley, Historia philosophica, part. XIII, sect. I, c. 2, p. 1111, C seqq., ed. Lips., qui duorum etiam aliorum Zoroastrorum meminit, Medo-Persæ et Proconnesii, qui autem nihil ad Arnobium. Conf. Marsham., Canon Chronic., pag. 144, seqq., ed. Franquer., et Pastore, in lib. tit. Zoroastre, Confucius et Mahomet, pag. 6 et 7. Orell.

Hermippo ut assentiamur auctori. De Hermippo Smyrnæo videndus Vossius de Hist. Græcis, lib. II pag. 102. seq. Multa scripsit, inter alia βίους (inter quas vitas ultima ac recentissima erat Theophrasti vita, unde æqualem illi fuisse conlicitur) et περὶ Μάγων, teste Plinio. Hist. nat., lib. XXX, cap. 1. *Hermippus, qui de tota arte magica diligentissime scripsit, et vicies centum millia versuum a Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum ejus positis, explanavit*, ex quo libro sua hausisse videtur Arnobius. Nourr., *p.* 543, et Orell.

Armenius Zostriani nepos. Armenius pro Armenii filius, ὁ Ἀρμενίου, accipit Valesius ad Ammiani l. I, D Male. Nam videtur Arnobius vel potius Ctesias, quem exscripsit, de alio Zoroastre Armenio loqui eumque distinguere a Bactriano. Orell.

Et familiaris Pamphilus Cyri. Mihi nomen Cyri suspectum est. Nam cum dicat Arnobius, Ctesiam, lib. I, Hist., hujus magi mentionem fecisse, certum autem sit, Ctesiam libris sex prioribus de Assyriorum ac Medorum rebus scripsisse ac in septimo libro res Persicas aggressum : quomodo in libro I, Cyri meminisse potuit Ctesias non video. Itaque *Nini* fortasse in Arnobio legendum est. (*Vales. ad Ammian., l.* I.) Parum attente Arnobii verba legisse videtur Valesius. Nam quæ ex Ctesia citat Arnobius, respiciunt tantum ad Armenium Zoroastrem. Zostriani vel, ut alii habent, Hostanis nepotem, a quo diversus Pamphilus (nomen proprium hominis, non gentis), alius Magus Cyri æqualis et familiaris, cujus fortassis apud Hermippum facta mentio. Orell.

Apollonius, Damigero et Dardanus. Horum magorum meminit quoque Apuleius in Apologia, pag. 331, ed. Elmenh.; et Tertullian., de Anima, cap. 57. *Apollonius* est Tyaneus ille, philosophus pythagoricus et thaumaturgus, cujus vitam scripsit Philostratus. *Damigero* Joann. Wyerus putat eumdem esse cum Demogorgone. Adrianus Junius autem existimat esse Democriti in magicis appellationem, quem Chaldæos et magos audivisse, ipsumque magicorum libros edidisse, auctor est Diogenes Laertius in ejus vita, et Plinius, Hist. nat., lib. XXX. proœm. Sed aperte distinguit collector Geoponicorum, utriusque, et Democriti et Damogeronis seu Damigeronis, fragmenta operi inserens. Videtur itaque fuisse hujus nominis magicorum aliquis vel physicorum scriptor, de quo nihil constat. Vide P. Needham., Prolegg. ad Geopon., pag. 54, ed. Niclas. *Dardanus* Phœnicius, insignis magus, cujus e sepulchro petitis et diligenter perlectis libris longe doctissimus evasisse Democritus memoratur a Plinio, l. l. Hinc *Dardaniæ artes*, id est magicæ, apud Columell., lib. X, de cultu hortorum, vers. 358, ubi vide intpp. Cf. Jo. Brodæi Miscellan., lib IV, c. 10, in Thesauro Critico Gruteri, vol. II, pag. 515, Jo. Pamel., ad Tertullian., l. I. Savaron. ad Sidon., lib. V, Epist. IX, pag. 342, et imprimis, qui de eo multus est, D. Tiedemann. in disputatione de Magicarum artium origine, etc., pag. 37 et 39. Orell.

Velus, Julianus. Quidam (Jos. Mercerus) legendum existimant *Nilus, Vulcanus* (sed de Juliano Theurgicorum auctore vide Notam sequentem. Or.), quandoquidem Laertius, Proœm., § 1, dixit : Αἰγυπτίου μὲν γὰρ Νεῖλον γενέσθαι παῖδα Ἥφαιστον, ὃν ἄρξαι φιλοσοφίας. Sed ibi philosophiæ nomine magiam intelligendam nulli umquam probaverunt. Alii itaque pro *Velus* emendandum putant *Belus*. Nec jure quidem prorsus immerito. Primæ etenim utriusque nominis litteræ B et V sæpissime a librariis commutantur. Belus vero, ut narrat Diodorus Siculus, lib. I, flamines Ægyptiorum more publicis oneribus et impensis exemptos instituit. Hi autem, quos Babylonii vocant Chaldæos, solebant, quemadmodum sacerdotes, physici atque astrologi, stellas observare. Quam procul dubio ob causam Belus a Plinio et Solino sideralis scientiæ dicitur inventor, atque ab Hieronymo (in Oseam, cap. II) idem, qui ab Hebræis Bel, a Sidoniis et Phœnicibus Baal appellatur, atque a Nino, illius filio, in Deorum ordinem relatus. Nourr., *p.* 534. *seq.*

Julianus. Cognomine Theurgus (florens sub Marco Antonino Philosopho) magnum inter magos nactus nomen. Hunc narrat Anastasius pestilentiam Romæ magicis artibus sanasse. Suidas et alii pluviam, quam alii Arnuphi tribuunt auctori, effecisse eum scribunt. Habebat is, auctore eodem Suida, patrem Julianum Chaldæum, qui de dæmonibus scripsit et χυφι, id est phylacterio, quo a singulis corporis partibus arcere morbos magicis cerimoniis queamus. Julianus filius scripsit theurgica, τελεστικά, λόγια, δι' ἐπῶν, aliaque ad disciplinam hanc arcanam spectantia. Cf. *D. Tiedemann.*, in *Disp. de Magic. artium origg.*, *pag.* 74. Orell.

Bæbulus. De hoc nulla apud veteres mentio, quare Nourrius verosimiliter leg. censet *Babilus*, cujus tamquam illustris Astrologi Suetonius meminit in Nerone, cap. 36, ubi Casaubonus legend. existimat *Babylas*, nam in Græcorum historiis Βαβυλᾶς usitatum nomen, quod valde affine est τῷ *Bæbulus*. Orell. — Cf. Oudendorp. ad Suet., l. l. Ochsner.

giis : permittant uni ex populo in officium sermonis A dandi ora coarticulare mutorum, surdorum auriculas reserare, sine luminibus procreatis oculorum redintegrare naturas, et in frigentia olim membra sensus animasque reducere. Aut, si ardua res ista est, neque aliis permittere talium possunt operum potestates, ipsi faciant, et cum suis ritibus faciant, quidquid malefici graminis nutricant terrarum sinus quidquid virium continet fremor ille verborum, atque adjunctæ carminum necessitates, non invidemus, adjiciant, non interdicimus, colligant. Experiri libet et recognoscere, an cum suis efficere diis possint, quod ab rusticis christianis, jussionibus factitatum est nudis.

LIII. Desistite, o nescii, in maledicta convertere res tantas, nihil ei nocitura qui fecit, periculum B allatura sed vobis : periculum, inquam, non parvulum, sed in rebus eximiis, sed in præcipuis constitutum. Siquidem res anima pretiosa est, nec ipso se homini quidquam potest charius inveniri. Nihil, ut remini, magicum, nihil humanum, præstigiosum, aut subdolum, nihil fraudis delituit in Christo, derideatis licet ex more atque in lasciviam dissolvamini cachinnorum. Deus ille sublimis fuit, Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis, et ab omnium principe Deus sospitator est missus : quem neque sol ipse, neque ulla, si sentiunt, sidera, non rectores, non principes mundi, non denique dii magni, aut, qui fingentes se deos genus omne mortalium territant, unde aut qui fuerit, potuerunt noscere [a] vel suspicari. Et merito. Exutus at corpore, quod in exigua sui circumferebat parte, postquam videri se passus est, cujus esset aut magnitudinis sciri, novitate rerum exterrita universa mundi sunt elementa turbata, tellus mota contremuit, mare funditus refusum est, aer globis involutus est tenebrarum, igneus orbis solis tepefacto ardore deriguit. Quid enim restabat ut fieret, postquam Deus est cognitus is, qui esse jamdudum unus judicabatur e nobis?

LIV. Sed non creditis gesta hæc. Sed qui ea conspicati sunt fieri, et sub oculis suis viderunt agi, testes optimi, certissimique autores, et crediderunt hæc ipsi, et credenda posteris nobis haud exilibus cum approbationibus tradiderunt. Quinam isti sunt, fortasse quæritis? Gentes, populi, nationes, et incredulum illud genus humanum : quod, nisi aperta res esset, et luce ipsa, quemadmodum dicitur, clarior, numquam rebus hujusmodi credulitatis suæ

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nosse. *ms.*

COMMENTARIUS.

In officium sermonis dandi. Sermonem dare dicit C Arnobius locutione rara, sed non impropria. Non opus ergo est rescribere, *in officium sermocinandi.*

Surdorum auriculas reserare. Editor Lugd. Bat. dedit *returare*, id est aperire, recludere. Opp. *obturare*, vide Nonium, hoc verbo. Quod, si modo Codicis fide niteretur, apprime conveniret Arnobio, antiquorum et obsoletorum verborum aucupi. ORELL.

Ipse faciant, et cum suis ritibus faciant, quidquid malefici graminis, etc. Meursius delet posterius *faciant.* N. Heinsius, Adversar., lib. II, c. 9, pag. 272, legend. censet : *et cum suis ritibus acuant, quidquid*, etc., acute quidem; sed nil mutandum. Verba enim *quidquid malefici graminis*, etc., pertinent ad sequens *adjiciant..... colligant*, et quidem ut mihi videtur, ad posterius. Nam *fremorem verborum colligere* dici vix posset. ORELL.

Fremor ille verborum. Fremorem verborum appellat proprie Arnobius, quod *murmur magicum* et *susurrum magicum* alii. *Stridorem magicum* dicit Tibullus, I, 2, vs. 47 :

.Jam ciet infernas magico stridore catervas.

Nempe, quia magica illa carmina brevius et concitatius proferebantur, summisque tantum labris. Inde et Græci ψιθύρους, ψιθυρισμοὺς dicunt. HERALD.—Cf. Savaro ad Sidon., carm. II, vs. 86, pag. 12. ORELL.

Non interdicimus, colligant. Nimis pro imperio *interdicimus* Malim igitur *intercedimus*, id est, prohibemus, quo verbo utitur Arnobius et alibi non semel. Translatum a Tribunorum et aliorum intercessionibus, quorum intercedentium vox erat *Veto* aut *Prohibeo.* HERALD.

Recognoscere. Meursius conj. *e re cognoscere.* ORELL.

LIII. — *Ut remini Remini* restituit Th. Canter Var. Lect., lib. II, c. 17, antea *memini* vitiose. ORELL.

Siquidem res anima pretiosa est, nec ipso se homini, etc. Meursius, p. 34. legendum suspicatur *nec ipsa scilicet homini*, etc. ORELL.

Nihil fraudis delituit in Christo. Ita Herald., ex ms. Antea legebatur *nihil fraudis, nihil delicti in Christo.* ORELL.

Atque in lasciviam dissolvamini cachinnorum. Prudentius περὶ στεφάνων : *Cur tu sacrate per cachinnos solveris.* Petronius : *Stabat inter hæc Giton, et risu dissolvebat ilia sua.* ELMENH. Pro *atque* Meursius mavult *æque* male. ORELL.

Deus radice ab intima. Id est omni parte, intima sua vi ac natura Deus, purus putus Deus, *ganz und durchaus Gott, Gott nach seiner innersten Natur.* In seq. pro *ab incognitis regnis* Stewech. mavult *inconditis* id est æternis. ORELL.

Et merito. Exutus at corpore, etc. Ita felicissime emendavit et distinxit locum editor Lugd. Bat. Antea erat *et merito exutus a corpore*, quod recte offendebat Stewechium, quasi merito pro Christus exutus corpore hoc est mortuus sit. Itaque conjiciebat legendum *at emerito* (hoc est. vita functo) *exutus a corpore.* Sed multo melior videtur Salmasii emendatio. *Et merito* scil. cum præcedentibus jungendum hoc sensu : *Merito* D *illum non noverunt. Mirari non licet, si illum non noverunt. Est ist naturlich, dass sie ihn nicht kannten.* ORELL.

Postquam videri se passus est, cujus esset aut magnitudinis sciri. Locus mendosus, quem duplici conjectura restituere conatur Adr. Behotius in Apophoret., lib. III, c. 8, nimirum : *postquam videri se passus est, quis esset, aut cujus magnitudinis*, verbo *sciri* tamquam inepto glossemate expuncto, aut ita : *postquam videri se passus est, quis esset, aut cujus magnitudinis sciri*, pro *aut sciri, cujus esset magnitudinis.* Equidem priorem præfero. ORELL.

LIV. — *Quinam isti sunt, fortasse quæritis? Gentes*, etc. Secutus sum in his et sequentibus interpunctionem Meursii et in sequentibus lego *commodaret* pro *commodarent.* ORELL.

Numquam rebus ejusmodi credulitatis suæ commodaret assensum. Afri utuntur sæpissime præterito imperfecto pro plusquamperfecto, ut loquuntur grammatici. Extat hæc ἐναλλαγὴ apud Arnobium et

commodaret assensum. At numquid dicemus illius temporis homines usque adeo fuisse vanos, mendaces, stolidos, brutos, ut, quæ numquam viderant, vidisse se fingerent? et quæ facta omnino non erant, falsis proderent testimoniis, aut puerili assertione firmarent? cumque possent vobiscum et unanimiter vivere, et inoffensas ducere conjunctiones, gratuita susciperent odia, et execrabili haberentur in nomine?

LV. Quod si falsa, ut dicitis, historia illa rerum est, unde tam brevi tempore totus mundus ista religione completus est, aut in unam coire qui potuerunt mentem gentes regionibus disjunctæ[a], ventis, cœli convexionibusque dimotæ? Asseverationibus

A illectæ sunt nudis, inductæ in spes cassas, et in pericula capitis immittere se sponte temeraria desperatione voluerunt: cum nihil tale vidissent, quod eas in hos cultus novitatis suæ possit excitare miraculo. Immo quia hæc omnia et ab ipso cernebant geri, et ab ejus præconibus, qui per orbem totum missi, beneficia patris munerandis animis hominibusque portabant[b]: veritatis ipsius vi victæ et dederunt se Deo: nec in magnis posuere dispendiis membra vobis projicere, et viscera sua lanianda præbere.

LVI. Sed conscriptores nostri mendaciter ista prompserunt, extulere in immensum exigua gesta, et angustas res satis ambitioso dilatavere præconio.

B Atqui utinam cuncta referri in scripta potuissent, vel

LECTIONES VARIANTES.

[a] Dissitæ. *ms.*

[b] *Sic ms. Bene. Vir doctus in Miscellæ. Obss. VI. p* 309. *Comparat verba Sallustii Catil. cap.* 52.: qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem ORELL.

COMMENTARIUS.

Tertullianum locis compluribus: quin et apud antiquos scriptores, ut apud Plautum non raro. Hinc igitur Augustini celebre dictum illud: *Non crederem Evangelio, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Id est non credidissem, tum, cum eram Manichæus. Sic hoc loco *commodarent* pro *commodassent*. HERALD. Plura hujus Enallages exempla collegerunt Corte ad Sallust. Jugurth., cap. 50, pag. 681, et Gronov., ad Liv., lib. XXXIV, c. 4. ORELL.

Vanos, mendaces. Hæc eadem copulat Virgilius, Æn. II, vers. 79, seq.:

Nec, si miserum Fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Vani autem quinam proprie dicantur, docet A. Gellius, lib. XVIII, c. 4: *Nos autem postea ex Apollinari didicimus, vanos proprie dici, non, ut vulgus diceret, desipientes et hebetes, aut ineptos; sed, ut veterum doctissimi dixissent, mendaces et infidos, et levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componentes.* Neque satis plane Gellius: *vani* enim potius, qui morbo quodam et *ingenita mentiendi voluptate* (ut ait Tertullian. Apologet., c. 7) *mentiuntur*, quam qui mendacia astute componunt. *Vani* sunt itaque, qui Græcis dicuntur μάταιοι, quia μάτην, id est nullius lucri causa, sed genio suo tantum morem gerentes mentiuntur. HERALD.— Nostri *Aufschneider, Windbeutel.* ORELL.

Aut puerili. Est e correctione Heraldi: antea *ut puerili.* ORELL.

Et execrabili haberentur in nomine. Nonnulli (Ful. Ursinus) legendum existimabant *in omine:* nempe quia infanda habiti Christiani. Sed hæc ipsa de causa vulgata lectio retinenda erat: ut significetur scilicet, ipsum nomen christianorum infaustum fuisse et execrabile. Supra: *Quid ut ominis pessimi, nostri nominis inhorrescitis mentione?* Hoc autem *execrabile nomen* Glossæ · *Execramur*, καταρώμεθα, ἀποτροπιαζόμεθα, βδελυττόμεθα. Item: *Execrat*, ἀπαγορεύει, ἀφελπίζει (pro quo legendum ἀφεριζει). ἀπεύχεται, καταρᾶται. Execrabiles igitur erant, quos arcebant sacris, tamquam impios, pollutos, et magno aliquo scelere impiatos: ἐναγεῖς apud Græcos. (Quos si restituebant, *resecrare* eos dicebantur.) Vid. Cornel. Nep., Alcibiad., cap. 6. HERALD.

LV. — *Cœli convexionibusque dimotæ.* Obert Gifanius legendum censet *cœlique convexionibus*, probante Th. Cantoro. Sed nil mutandum. Amat hoc Arnobius, verbi causa, lib. II, cap. 2: *a quo omnia terrena cunctaque cœlestia animantur motu irrigantur-que vitali.* Sic enim vel optimi scriptores, verbi causa, Cornel. Nepos Timoleonte init. *Siciliam multos annos bello vexatam, a barbarisque oppressam.* Velleius Pat., II, c. 75: *Tiberium Cæsarum, vindicem romani imperii, futurumque ejusdem Cæsaris filium, gestans sinu.* OSCHNER.

Temeraria desperatione. Id est, ἀπονοίᾳ. Vide supra ad cap. XXV. ORELL.

Beneficia patris munerandis animis hominibusque. Hæc lectio vitiosa videbatur interpretibus vario modo illam restituentibus. Gelenius: *Et munera dis hominibus portabant.* Lud. Carrio: *Et munera sanandis animis hominibusque portabant*, sequente editore Lugd. Bat. Alii: *munerandis feminis hominibusque.* Alii: C *Munera piis animis ominibusque.* Alii: *Munera nudis animis ominibusque.* Heraldus: *Munera mundi terminos adusque portabant.* Sed recte, opinor, antiquam lectionem defendit Stewechius. *Homines* enim hoc loco idem quod corpora. Sic infra lib. II, cap. 28: *Animæ foris positæ et nondum hominibus conjugatæ.* Eodem sensu *homines* opponuntur *animis* in notissimo illo Homeri loco Illiad. A. init.:

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν, etc.

Cf. Scholia ad Aristophan. Acharn. vs. 397. *Et munerare* absolute *beglucken, beschenken.* Neque etiam omnia omnino Christi et Apostolorum miracula in sanationibus constabant. ORELL.

LVI. — *Sed conscriptores nostri mendaciter ista prompserunt, extulere in immensum*, etc. Just. Lipsius Epistolic. Quæst., lib. III, Epist. 15. pag. 531, ed. Vesal., legendum existimat: *Sed cum scriptores* D *nostri*, etc. At recte est *conscriptores.* Hæc scil. verba continent novam objectionem gentilium. *Sed*, inquiunt, *conscriptores nostri mendaciter ista prompserunt. Conscriptor* familiare Arnobio. Vide caput sequens. Et *conscriptio* passim. Neque *promiserunt*, quod omnes editores habent ante Salmasium, equidem prorsus rejecerim. Videtur scil. Arnobius verbum hoc propria sua et primaria significatione accepisse pro porro mittere, protendere, ut dicitur *promissa barba, promissa insula:* hinc *rem gestam, historiam promittere* idem quod nimis extollere, dilatare, exaggerare. Nam objectionem adversariorum, gesta Christi omnia omnino falsa esse et mendaciis conficta, jam in præcedenti capite diluerat Arnobius: nunc pergit ad alterum, scilicet eas res ex parte quidem veras esse, sed nimis exaggeratas, elatas a christianis scriptoribus. At cum dictionis *promittere res, historias*, pro extollere, dilatare exempla frustra quæsivissem ap. antiquos, malui cum ed. Lugd. Bat. edere *prompserunt.* ORELL.

quæ ab ipso gesta sunt, vel quæ ab ejus præconibus pari jure et potentia terminata. Magis vos incredulos faceret vis tanta virtutum, aut apprehendere locum fortasse possetis, quo videretur esse simillimum veri, et incrementa rebus opposita; et inditas scriptis et commentariis falsitates. Sed neque omnia conscribi, aut in aures omnium pervenire potuerunt gesta gentibus in ignotis, et usum nescientibus litterarum : aut, si qua sunt litteris, conscriptionibusque mandata, malevolentia dæmonum, quorum cura et studium est hanc intercipere [a] veritatem, et consimilium his hominum interpolata quædam, et addita[b], partim mutata; atque detracta verbis, syllabis, ut et prudentium tardaret fidem, et gestorum corrumperet auctoritatem. Sed numquam fuerit his bene, ut Christus qui fuerit, litterarum testimoniis colligatur : cujus in id solum dimissa[c] sunt causa, ut, si esse constiterit ea vera, quæ dicimus, confessione omnium Deus fuisse monstretur.

LVII. Non creditis scriptis nostris : et nos vestris non credimus scriptis. Falsa de Christo compingimus : et vos de diis vestris inania et falsa jactatis. Neque enim cœlo Deus aliquis lapsus, aut suis res vestras commentatus est manibus, aut ratione consimili nostris rebus, et religionibus derogavit. Ab hominibus hæc scripta : et illa sunt ab hominibus scripta, mortalibus edissertata sermonibus : et quidquid dicere

A de nostris conscriptoribus intenderitis[d], et de vestris hæc dicta paribus sumite atque habetote momentis. Vultis vera esse, quæ in vestris comprehensa sunt scriptis : et quæ in nostris consignata sunt litteris, confiteamini necesse est vera. Falsitatis arguitis res nostras : et nos vestras arguimus falsitatis. Sed antiquiora, inquitis, nostra sunt, ac per hoc fidei et veritatis plenissima. Quasi vero errorum non antiquitas plenissima mater sit, et non ipsa pepererit res eas, quæ turpissimas diis notas ignominiosis concinnaverunt in fabulis. Ante millia enim annorum decem non potuerunt falsa et audiri, et credi? aut non simillimum veri est, fidem vicinis et finitimis, quam spatiorum inesse longinquitate distantibus? Testibus enim hæc, illa opinionibus asseruntur, et proclivius

B multo est, minus esse in recentibus fictionis, quam in antiqua obscuritate submotis.

LVIII. Sed ab indoctis hominibus et rudibus scripta sunt, et idcirco non sunt facili auditione credenda. Vide ne magis hæc fortior causa sit, cur illa sint nullis coinquinata mendaciis, mente simplici prodita, et ignara lenociniis ampliare. Trivialis et sordidus sermo est. Numquam enim veritas sectata est fucum, nec quod exploratum et certum est, circumduci se patitur orationis per ambitum longiorem. Collectiones, enthymemata, definitiones, omniaque illa ornamenta, quibus fides quæritur assertionis,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Intercipi. *ms.*
[b] Interpolata quædam, quædam et addita. *Fulv.*
[c] Est, *probante Meursio. ms.*

C [d] Conscriptionibus *Fulv. Supra :* si quæ sunt litteris conscriptionibusque mandata.

COMMENTARIUS.

Aut apprehendere locum fortasse possetis, quo videretur esse simillimum veri quo videretur pro *quod videretur* ex ms. restituit Stewechius legendum existimans : *aut apprehendere fucum fortasse possetis, quo videretur,* quod perplacet, vixque mihi temperare potui, quin in textum reciperem. ORELL.

Aut consimilium his hominum. Scil. *hæreticorum.* ORELL.

Ut et prudentium tardaret fidem. Fulv. Ursinius : *ut id credentium tardarent.* Sed nil mutandum. *Tardaret* referend. ad *malivolentia.* Pro *prudentium* Meursius *prodentium.* ORELL.

Sed numquam fuerit his bene, ut Christus qui fuerit litterarum testimoniis colligatur. Ita lego et distinguo. *Fuerit* idem quod erit. Futurum exactum sæpissime pro futuro indicativi, etiamsi nullum *si* præcesserit, D præsertim cum de re agitur cujus eventus adhuc incertus est. Ita Cicero, Academ. IV, c. 36 : *Age restitero Peripateticis..... sustinuero Epicureos..... Diodoto quid faciam Stoico? Ita hoc loco numquam fuerit his bene* idem quod *his* (scilicet dæmonibus et iis consimilibus hominibus) *numquam* (spero, credo) *ista res bono, commodo erit, ut Christus,* etc. Vult dicere Arnobius, dæmonas et hæreticos gavisuros fuisse, si Christi res gestæ scriptorum tantum fide niterentur (quia scilicet scripta facillime possunt adulterari vel mutilari). At (pergit) *numquam fuerit his bene,* numquam gaudebunt. (*Es wird ihnen, hoffe, denke ich, nie zu Gute kommen, sie werden nichts dadurch gewinnen*). Nam et aliis momentis compluribus nititur fides christiana. Quis vulgaris interpunctionis : *Sed numquam fuerit his bene Christus qui fuerit, litterarum,* etc.; sensus sit, equidem nescire me fateor cum ignarissimis. ORELL.

LVII. — *Compingimus.* Ex msto restituit Stewech. et sic amat noster. Infra lib. IV : *ignominiosas compingitis fabulas* et lib. VII, *obscœnas compingere cantiones.* Cæteri : *confingitis.* ORELL.

Edissertata. Et hoc debetur Stewechio. Amant frequentativum Afri, Apuleius, Tertullianus et Arnobius, imitatione Plautina. Sic *edissertate et dicite* passim ap. nostrum. Alii : *edisserta.* ORELL.

Turpissimas diis notas. Ita Meursius et Salmasius verissime. Antea *dii.* ORELL.

Aut non simillimum veri est, finem vicinis et finitimis, quam spatiorum inesse longinquitate distantibus. Notandus hic usus superlativi pro comparativo, ubi major aliquis comparationis gradus indicatur. *Aut non simillimum veri est* pro *aut non multo est verosimilius.* ORELL.

LVIII. — *Sed ab indoctis hominibus et rudibus scripta sunt.* Fuit hæc scripturæ criminatio a gentibus passim inculcata, atque eodem modo a christianis scriptoribus repulsa : ut a Clemente Alexandrino in Protreptico, a Lactantio lib. III, cap. 1 et alibi. HERALD.

Numquam enim veritas sectata est fucum. Clemens Alexandr. in Protrept. Γραφαὶ δὲ αἱ θεῖαι, καὶ πολιτεῖαι σώφρονες, σύντομοι σωτηρίας ὁδοί. γυμναὶ κομμωτικῆς, καὶ τῆς ἐντὸς καλλιφωνίας. καὶ στωμυλίας καὶ κολακείας ὑπάρχουσαι. HERALD. —Cæterum *enim,* ut γὰρ apud Græcos, indicat, aliquid supplendum esse ex præcedentibus : ut hoc loco. *Et merito. Recte. Numquam enim,* etc. ORELL.

Collectiones. Id est συλλογισμοί. Vide Quintil., Instit. IX, 2, et J. Ch. Th. Ernesti Lexicon technologiæ lat. rhetor., hoc verbo. ORELL.

Fides quæritur assertionis. Fulv. Ursin. *assertioni,* non male. ORELL.

suspicantes adjuvant, non veritatis liniamenta demonstrant. Cæterum qui scit, quid sit illud quod dicitur, nec definit, nec colligit, neque alia sectatur artificia verborum, quibus capi consueti sunt audientes, et ad consensum rei circumscriptionis necessitate traduci.

LIX. Barbarismis, solæcismis obsitæ sunt, inquit, res vestræ, et vitiorum deformitate pollutæ. Puerilis sane, atque angusti pectoris reprehensio: quam si admitteremus[a], ut vera sit, abjiciamus ex usibus nostris quorumdam fructuum genera, quod cum spinis nascuntur, et purgamentis aliis, quæ nec alere nos possunt, nec tamen impediunt, perfrui nos eo, quod principaliter antecedit, et saluberrimum nobis voluit esse natura. Quid enim officit, o quæso, aut quam præstat intellectui tarditatem, utrumne quid glabre, an hirsuta cum asperitate promatur? inflectatur quod acui, an acuatur quod oportebat inflecti? aut qui minus id, quod dicitur, verum est, si in numero peccatur, aut casu, propositione, participio, conjunctione? Pompa ista sermonis, et oratio missa per regulas concionibus, litibus, foro judiciisque servetur, deturque illis immo, qui voluptatum delinimenta[b] quærentes, omne suum studium verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur ab ostentatione submotis, quid dicatur, spectandum est, non quali cum amœnitate dicatur: nec quid aures A commulceat, sed quas afferat audientibus utilitates: maxime cum sciamus etiam quosdam sapientiæ deditos, non tantum abjecisse sermonis cultum, verum etiam, cum possent ornatius atque uberius eloqui, trivialem studio humilitatem secutos, ne corrumperent scilicet gravitatis rigorem, et sophistica se potius ostentatione jactarent. Enimvero dissoluti est pectoris in rebus seriis quærere voluptatem: et cum tibi sit ratio cum male se habentibus atque ægris, sonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admovere. Quamquam, si verum spectes, nullus sermo natura est integer, vitiosus similiter nullus. Quænam est enim ratio naturalis, aut in mundi constitutionibus lex scripta, ut hic paries dicatur et hæc sella? cum neque sexus habeant fæmininis B generibus masculinisque discretos, neque quisquam docere doctissimus me possit ipsum hic, et hæc, quid sint, aut cur ex his unum, secus virile designet, femininis generibus id quod sequitur, applicetur. Humana ista sunt placita, et ad usum sermonis faciendi non sane omnibus necessaria: nam et hæc paries forsitan, et hic sella dici sine ulla reprehensione potuisset, si ab initio sic dici placuisset, et a sequentibus sæculis communi esset in sermocinatione servatum. Et tamen o isti, qui pollutas res nostras vitiorum criminamini fœditate: stribiligines et vos istas libris illis in maximis atque admirabilibus non

LECTIONES VARIANTES.

[a] Admittimus. *Fulv.*

[b] Deliniamenta. *Fulv.*

COMMENTARIUS.

LIX. — *Angusti pectoris reprehensio.* Angustum C pectus appellat μικρόψυχον et velut μικρολόγον. HERALD.

Quod cum spinis nascuntur et purgamentis aliis. Purgamenta hoc loco inutiles herbæ, lolium, etc. Palladius, de Re Rust., lib. I, tit. 35: *Paleas et purgamenta pluribus locis per hortum disposita simul omnia, cum nebulas videris instare, combures.* ORELL.

Utrumne quid glabre an hirsuta cum asperitate promatur. Hæc est emendatio felicissima Hug. Grotii prolata ab N. Heinsio, in Adversar., lib. IV, c. 8, cod. ms. *grave*, quod autem minime oppositum *hirsutæ asperitati*. Al., *leve*. Fulv. Ursin., *lene*. Sed optimum *glabre*, quod in textum recipere non dubitavi. Sic noster infra, lib. III, dicit *glabritates corporum et calvitia*. ORELL.

Inflectatur quod acui. Inflecti videtur hoc loco positum pro circumflecti. Non enim hoc loco de decla- D matione, quæ, si mala est, omnino intellectum tardat, sed de stylo litterarumque positione sermo est. ORELL.

Deturque illis immo. Stewechio placet; *deturque illis simiis*, hoc est ridiculis optimorum scriptorum, exempli causa, Ciceronis imitatoribus. Vide Plin., lib. I, epist. V; Sidon., lib. I, epist. I. Plura collegit Meursius in Appendice Critici Arnobiani ad lib. III. ORELL.

Voluptatum delinimenta. Alii *delenimenta*. Sed bene defendit vulgatam Oudendorpius ad Apulei. lib. III, *delinimenta voluptatum* optime dicuntur voluptates quasi unguen aliquod homines mollientes, a *delino, ere*, idem quod delibuo. ORELL.

Omne suum studium. Editio princeps: *Omnes unum studium.* ORELL.

Trivialem studio humilitatem secutos. Studio, id est consulto. Solinus, cap. 35: *Hi delphines crocodilos studio eliciunt ad natandum, demersique astu fraudulento tenera ventrium subternatantes secant et interimunt.* HERALD.

Et sophistica se potius ostentatione jactarent. Sophistas appellabant eo ævo eos præcipue, qui litteras humaniores tractabant, et in rhetoricis ac poeticis, denique in sermonis cura et flosculis elegantiæ colligendis studium suum occupabant; quæ erant rhetorum et grammaticorum præcipuæ partes. HERALD.

Cum tibi sit ratio cum male se habentibus atque ægris. Alii: *cum tibi sit oratio*, etc. Sed τὸ *ratio* bene defendit J. Fr. Gronov., Obss., lib. II, cap. 10. *Ratio*, id est negotium, apud Ciceronem aliquoties. ORELL.

Secus virile. Ita restituit Lud. Carrio ex msto. *Secus* antique pro sexu aliquoties ap. Arnobium, verbi causa, lib. V, cap. 13 et 25. Vide interpretes, ad Festum verbo *sexus*. Ita Sallust., Fragment. Historiar., lib. II: *At Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus; magna gloria concurrentium undique. virile et muliebre secus, per vias ac tecta omnium visebatur.* Ubi vide Corte, pag. 960, et, qui omnia antiqui hujus et obsoleti vocabuli loca diligenter collegit, J. Fr. Gronov., ad Liv., lib. XXVI, c. 47; et Lindenbrog., ad Ammian. Marcellin., lib. XVI, cap. 11, § 9. ORELL.

Applicetur. Sic editor Leidensis ex ms. Cæteri *applicet* vitiose, quod tamen, more suo, retinuit Oberthur. *id quod sequitur*, scil. *hæc*. ORELL.

Vitiorum criminamini fœditate. Fœditate e ms. addit Meursius, optime. Lipsius emendabat *vitio verborum criminamini*, Bertius, *vi vitiorum*. ORELL.

Stribiligines. Glossæ: *Stribiligo*, σολοικισμός. Gellius, lib. V, c. 20. *Solæcismus a Sinnio Capitone ejusdemque ætatis aliis imparilitas appellatur, vetustioribus Latinis stribiligo dicebatur, a versura videlicet et pravitate tortuosa orationis, quasi steribiligo quædam.* ELMENH. — Videtur derivatum a στρέφω, vertere, στρεβλὸς, στρόβιλος. Hinc pro *steribiligo*, *strebiligo* vel *strobiligo* legendum ap. Gell. ORELL.

habetis? Nonne alius hæc utria, alius dicitis hos A utres? cœlus, et cœlum? non item filus, et filum? non item crocus, et crocum? non item fretus, et fretum? non item apud vos est positum hoc pane, et hic panis, hic sanguinis, hoc sanguen? candelabrum et jugulum, ratione eadem jugulus et candelaber? Nam si singula nomina non possunt genera plura habere quam singula : neque eadem possunt hujus esse generis, et illius, genus enim transire genus in alterum non potest, tam peccat qui genera masculina femininis pronuntiat legibus, quam ab eo peccatur, qui articulos masculinos femininis generibus anteponit. Atqui vos conspicimus et res masculinas feminine, et femineas masculine, et quas esse dicitis neutras, et illo, et hoc modo sine ulla discretione depromere. Aut igitur nulla est culpa in- B differenter his uti, et frustra nos dicitis solœcismorum obscœnitate deformes : aut si certum est singula quibus debeant rationibus explicari, in similibus vitiis vos quoque versamini : quamvis Epicadios omnes, Cæsellios, Verrios, Scauros teneatis, et Nisos.

LX. Sed si Deus, inquiunt, fuit Christus, cur forma est in hominis visus? et cur more est interemptus humano? An aliter potuit invisibilis illa vis, et habens nullam substantiam corporalem, inferre et commodare se mundo, conciliis interesse mortalium, quam ut aliquod tegmen materiæ solidioris assumeret, quod oculorum susciperet injectum, et ubi se figere inertissimæ posset contemplationis obtutus? Quis est enim [a] mortalium, qui quiret eum videre, quis cernere, si talem voluisset inferre se terris, qualis ei primigenia natura est : et qualem se ipse in sua

LECTIONES VARIANTES.

[a] Etenim. *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Nonne alius hæc utria, alius dicitis hos utres. Ita edidi cum Lugd. Bat. Variant autem editores : Cod. ms. *aliud..... aliud*, quod manifeste vitiosum. Nam hujus lectionis sensus foret : aliud (hoc est significatione diversum) esse utria et utres, cum tamen vocabula ejusdem significationis, at diversæ terminationis et generis hic enumeret Arnobius. Lipsius leg. *aliubi hæc utria, aliubi..... hos utres.* Heraldus in Curis secundis (contra Salmasium) scribit in msto. extitisse *alius*, sed postea alia manu, alioque atramento mutatum esse in *aliud*, et ipse legendum existimat *alias—alias*. Equidem non video, quare *alius ..... alius* mutandum sit. Pro *utria.....utres* Gronov., C ad A. Gell., lib. III, cap 16, legendum censet *utera.... uteros*, qui Gellius, l. l., habeat *uterus*. Sed et hic nil mutandum, novimus enim complures ejusmodi obsoletas antiquioris latinitatis terminationes prorsus interiisse, alias tantummodo servatas in grammaticorum citatis. Et Nonius verbo *utres* aperte dicit etiam neutrum usurpatum ab antiquis, citans locum Lucilii : *Andronius Flaccii eget utria.* ORELL.

Cœlus et cœlum. Vide eumdem Nonium de indiscretis generibus verbo *cœlum*, multa exempla citantem. ORELL.

Filus et filum. Hoc, nescio qua de causa, Fulvius Ursinus mutat in *hilus et hilum.* ORELL.

Crocus et crocum. Vide eumdem Nonium verbo *crocum* neutrum citantem ex Sallust. Hist. II. *Iter vertit ad Corcyram urbem, pastusque nemore, in quo crocum gignitur*; quod fragmentum neglectum a Cortio. Sic etiam Cornelius Fronto, libro I de Oratoribus in operibus novissime repertis et editis ab Angelo Maio, q. 226 : *Tibi sæpenumero curandum crocum in theatro longe atque alte exprimatur.* ORELL.

Fretus et fretum. Hac de re plura proferuntur exempla a Nonio. Sed quod ibi e Lucilio proponitur *cœli nomine et salis fretus*, legerim *cœli lumen et sali fretus.* Ita significabat Lucilius, dici eleganter *cœli lumen* pro *cœlo*, *et sali fretum* pro *salo.* HERALD.

Hoc pane et hic panis. Charis. Inst. gramm., lib. I, p. 69. *Panis masculino genere dicitur, tametsi neutro genere Plautus dixit in Curculione :*

Hæc sunt ventris stabilimenta, pane et assa bubula.

Cf. Nonium. ELMENH.

Hic sanguis et hoc sanguen. Vid. Nonius in *sanguis*, Priscian., lib. VI, p. 708; Lucret., lib. I, vs. 837. ELMENH.

Candelabrum, candelaber. Videsis Nonium verbo *candelabrum.* ELMENH.

Epicadios. Ita legend. ms. et edit. rom. *Epicandeos* vitiose. Sueton. de illustr. Grammat., c. 12 : *Cornelius Epicadus L. Cornelii Sullæ dictatoris libertus calatorque in sacerdotio augurali, filioque ejus Fausto gratissimus fuit; quare numquam non utriusque se libertum edidit. Librum autem, quem Sulla novissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit.* Cf. Lud. Carrio, qui de homine multus est, Lect. antiq., lib. I, cap. 13. ORELL.

Cæsellios. Cæsellius Vindex scripsit commentarios celebratissimos Lectionum antiquarum, teste Gellio, lib. VII, cap. 2 qui illum hominem haud intelligentem laudat. Citatur quoque a Charisio, lib. I et II, et Prisciano, lib. X, sæpius. ELMENH. et ORELL.

Verrios. Intelligendus M. Verrius Flaccus, illustris grammaticus tempore Augusti, de quo pluribus agit Suetonius, de illustr. Grammat., cap. 17, cujusque opus de significatione verborum compendium redegit Festus. ORELL.

Scauros. Terentius Scaurus divi Adriani temporibus grammaticus vel nobilissimus, teste A. Gellio, lib. XI, cap. 24, ubi vid. Gronov. Hujus extat liber de Orthographia, a Putschio editus. ORELL.

Et Nisos. Th. Canterus Var. Lect., I, 23, legendum existimat *Gnifos* (M. Antonius Gnifo memoratur a Suetonio). Sed ipse sententiam retractat, monitus a Carrione, Antiq. Lect., lib. II, cap. 11, qui multus est de Niso grammatico, passim citato a Charisio, Velio Longo, Servio, Prisciano. Inter alia Fastorum libros conscripsisse eum testatur Macrobius Sat., I cap. 12. quæ notitia fugit Carrionem. ORELL.

LX. — *Quod oculorum susciperet injectum.* τὴν ἐπίβλεψιν. Nam vocem græcam exprimere voluit D Arnobius. HERALD.— Elmenhorst. in ed. Han. leg. conj. *sustineret.* ORELL.

Inertissimæ contemplationis. Id est contemplationis obtusæ, hebetis, impeditæ, infirmitate humana nequeuntis aspicere divina ac cœlestia. Græce μύωψ. Alii *ineptissimæ*, inepte. Equidem legendum suspicor *intentissimæ.* ORELL.

Quis est enim mortalium, qui quiret eum videre, quis cernere. Hanc lectionem primus restituit Stewechius Antea legebatur : *Qui quæreret*, etc. quod ortum videtur a librario verba præcedentia *contemplationis inertissimæ* male intelligente. Sed si Stewechium sequamur; in posteriori membro esse debuisset : *qui cernere*, vel *quis est*, *qui cernere*, etc. Itaque magis placet, quod Heraldus proponit in Curis secundis : *Quis enim mortalium quiret eum videre, quis cernere*, deleto *est.* ORELL.

Primigenia natura. Supra *primigenii motus moderamen.* Lib. II : *Habet ergo primigenios ortus.* Mar-

esse voluit[a] vel qualitate vel numine? Assumpsit igitur A hominis formam, et sub nostri generis similitudine potentiam suam clausit, ut videri posset, et conspici : verba faceret, et doceret : atque omnes exequeretur res eas, propter quas in mundum venerat faciendas, summi regis imperio et dispositione servatis[b].

LXI. Quid enim, dicitis, rex summus ea, quæ in mundo facienda esse decreverat, sine homine simulato non quibat efficere? Si oporteret ita fieri, quemadmodum dicitis, ista fortasse fecisset : quia non oportuit, aliter fecit. Quare isto voluit, et illo genere noluit, latent taliter involutæ, et vix ulli comprehensibiles causæ, quas accipere fortasse potuisses, si non esses jamdudum ad non accipiendum paratus : et prius te formares ad non credendi frontem, quam B tibi esset expositum id, quod nosse[c] atque audire conquireres[d].

LXII. Sed more est hominis interemptus. Non ipse : neque enim cadere divinas in res potest mortis occasus : nec interitionis dissolutione dilabi id, quod est unum et simplex, nec ullarum partium congregatione compactum. Quis est ergo visus in patibulo pendere, quis mortuus est? homo, quem induerat, et[e] secum ipse portabat. Incredibile dictu est, et cæcis obscuritatibus involutum, si velis, non cæcum est, et similitudini proxime[f] constitutum. Si quo tempore Sibylla præsaga, oracula illa depromens, fundebat vi, ut dicitis, Apollinis plena, ab impiis esset cæsa atque interempta latronibus : numquid Apollo diceretur in ea esse occisus? Si Bacis, si Helenus, si Martius, aliique similiter vates hariolantes essent vita et luce privati : numquid aliquis diceret, lege eos[g] humanitatis extinctos, qui illorum per ora loquentes, vias rerum postulantibus explicabant? Mors illa, quam dicitis, assumpti hominis fuit, non ipsius : gestaminis, non gestantis : quam nec ipsam perpeti succubuisset[h], tanta si non agenda res esset, et inexplicabilis ratio fati[i] clausis patefacienda mysteriis.

LXIII. Quæ sunt ista, inquies, clausa atque obscura mysteria, quæ nulli nec homines scire, nec ipsi, qui appellantur, dii mundi, parte queunt aliqua suspicionis atque opinationis attingere, nisi quos ipse

LECTIONES VARIANTES.

a Noluit. *Male. Sab.*
b Servatus. *Male. Sab.*
c Quod non esse. *Sab.*
d Conquiris. *Fulv.*
e Sed. *Fulv.*
f Similitudine proximo. ms. *Male.*
g *Fulv.* Deos.
h *Ita Galen. et Fulv. ms.* occubuisset.
i *Ms. et Sab.* satis.

COMMENTARIUS.

tian. Capella, lib. VII de Nupt. philol. : *Tuæ singularis primigeniæque naturæ fontem Jupiter recognosce.* ELMENH.

Vel qualitate vel numine. Qualitas idem est quod C modo dixit Arnobius *propriam primigeniamque naturam numen* id quod barbare dicunt *deitatem*. ORELL.

LXI. — *Latent taliter involutæ.* Sic emendavit Meursius in Append., e ms. cod. qui habet *latentaliter involutæ*. Antea edebatur *latenter involutæ*, pro quo Fulv. Ursinus mavult *latentes, involutæ*. Stewechius : *latent altæ, involutæ*. Simillimus Ciceronis locus lib. I. de Divinat., cap. XVIII. *latet fortasse causa obscuritate involuta naturæ*. ORELL.

Et prius te formares ad non credendi frontem. Ad obstinationem pene impudentem. Dixisset tamen clarius : *et prius tuam formares ad non credendum frontem :* ac potius etiam *firmares*, quam *formares*, ut dicimus *durare frontem*. HERALD.

LXII. — *Sed more est hominis interemptus. Non ipse*, etc. Disputat hæc Arnobius e gnosticorum vel Docetarum doctrina, qui statuebant æonem (ut dicebant) Christum cum Jesu filio Mariæ, dum in terris viveret, conjunctum, sejunxisse se ab illo, antequam cruci affigeretur; adeoque non Christum filium Dei, sed hominem Jesum, filium Mariæ, in cruce necatum. Hoc scil. erat Cerinthi et Ebionitarum dogma. Vide Irenæum adv. Hæres., lib. I, cap. 25, 26, ed. Erasmi. In hoc et aliis locis compluribus gnosticum facile agnoscimus Arnobium, maxime autem libro II, in iis, quæ de origine animarum disputat. ORELL.

Homo, quem induerat. Homo id quod humana natura. Ita Lactantius, Inst., lib. IV, cap. 10, *homini, quem induerat, quem gerebat*, ubi vid. Bunemann, pag 452. Concretum pro abstracto. ORELL

Si quo tempore Sibylla præsaga, oracula, etc. Ita Fulv. Ursinus, quem secuti omnes reliqui editores Arnobii. Cod. ms. et editio romana habent : *Si quo tempore Sibylla præsagia, oracula*, quod tamquam glossema expungit Canterus, defendit Heraldus more nobis plura ejusmodi vocabula idem significantia coacervandi. Vide supra. ORELL.

Si Bacis, si Helenus. Hæc est sagacissima conjectura J. Merceri pro lectione antiqua : *si vates, si Helenus*. Quod si legamus, sequens *aliique vates hariolantes* injucundam sane efficeret repetitionem : neque verosimile est in hac celeberrimorum vatum recensione Bacidem omissum fuisse ab Arnobio, præsertim cum Clemens Alexandrinus, quem noster studiosissime sequitur et sæpius ad verbum exprimit, illius meminerit Strom. I, p. 398. De Bacide, vate Bœotio, locus classicus est ap. Pausaniam in Bœoticis. Duo ejusdem nominis, alterum Bœotium, alterum Arcadem statuit Clemens l. I. Tres fuisse Bacides docet Scholiastes Aristophan. ad Pacem, vers. 1071, et Ælian., Var. Hist., XII, 35, ubi vid. intpp. Cf. Wesseling. ad Herodot. VIII, 20; et Davis., ad Cic., de Divinat., I, 18. *Helenus* cui non notus e pulcherrimo illo Episodio Virgilii Æn. VIII, 294? ubi vide Heyne V. Cl. in Excursu X. ORELL.

Si Martius. Hunc vatem illustrem dicit et duo ejus vaticinia, alterum de Cannensi clade, alterum de ludis Apollini vovendis, citat Livius XXV, 12; Plinius, D Hist. Nat., VII, c. 33. *Divinitas*, ait, *et quædam cælitum societas fuit........ apud Romanos in Martio. Martiorum fratrum* meminit Servius ad Æn. VI, 70, 72. Symmachus, lib. IV, epist. 35, et inprimis Cicero, de Divin. I, 40, ubi vide Davis. ORELL. — Conf. Fest. in *Negumate* et *Ningulus*. Ammian. Marcellin., lib. XIV; Isidor., Origg., lib. VI; Macrob., Saturn., lib. I, cap. XVII et alios plures. MEURS.

Vias rerum postulantibus explicabant : Lycophron :

. . . . Διοίχνει δυσφάτους ἐνιγμάτων
Οἴμους τυλίσσων. HERALD.

Assumpti hominis fuit, non ipsius; gestaminis, non gestantis. Ita Fulv. Ursinus. Cod. ms. *assumptio hominis fuit ipsius gestaminis*, etc., nullo sensu. ORELL.

Quam nec ipsam perpeti succubuisset, tanta si non agenda res esset. Forsitan legendum : *Succubuisset*, suis tanta si non agenda res esset. CANTER.

dignatus est cognitionis tantæ impertire muneribus, et in abditos recessus thesauri interioris inducere. Vides enim[a], si nollet inferri sibi a quoquam manus, summa illi fuisse contentione nitendum, ut hostes ab se suos, vel potestate inversa prohiberet? Qui cæcis restituerat lumina, is efficere si deberet, non poterat cæcos? qui debilibus integritatem, is debiles reddere difficultati habuit, aut labori? qui claudos faciebat incedere, is motus alligare membrorum nervorum duritia nesciebat? qui extrahebat a tumulis mortuos, huic arduum fuerat letum cui vellet indicere? Sed quia fieri ratio ea, quæ fuerant destinata, poscebat: et hic in ipso mundo, nec modo quam gestum est alio, inæstimabilis illa atque incredibilis lenitas injurias in se hominum, puerilibus pro ineptiis ducens, manus in se porrigi ab immanibus passa est, duris- A simisque latronibus, nec reputandum[b] putavit, quid illorum dissignasset audacia, dummodo suis ostenderet, quid ab sese expectare deberent. Cum enim de animarum periculis multa, mala de illarum contra insinuator, magister atque auctor, ad officiorum convenientium fines, suas leges et constituta direxit: non superbiæ factum comminuit? non libidinum extinxit flammas? non hiatum compressit aviditatis? non tela extorsit e manibus, atque omnia seminaria totius vitiositatis abscidit? Ipse denique non lenis, non placidus, non accessu facilis, non familiaris affatu, non humanas miserias indolescens, omnes omnino crucibus et corporalibus affectos malis unica illa benignitate miseratus, reddidit et restituit sanitati? B

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Sab. et ms. Alii*: Qui enim.

[b] *Ita Sab. Alii*: imputandum.

COMMENTARIUS.

LXIII. — *Et in abditos recessus thesauri interioris inducere.* Hesychius: Θησαυρὸς — εἰς ἀγαλμάτων καὶ χρημάτων καὶ ἱερῶν ἀπόθεσιν οἶκος. Recte. Significat igitur Arnobius adytum, ἢ τὸ ἀπόκρυφον μέρος τοῦ ἱεροῦ, *ipsius sacri penetralia*, quæ dicit Apuleius, ubi imago, et cætera, quæ mystis ostendebantur, cum consecrarentur, custodiebantur. Et respicere videtur ad veterum philosophorum λόγους ἐξωτερικοὺς et εἰσωτερικούς. Illi tradebantur τοῖς ἔξω, iis, quibus nondum patebat thesaurus interior; isti committebantur τοῖς μεμυημένος, iis, qui legitime initiati erant et consignati. HERALD.

Vel potestate inversa. Hæc est felicissima emendatio C editoris Lugd. Bat., Cod ms. *vel potestate universa*, quod Stewechius mutavit in: *vel potestates universas*. *Potestates* scilicet pro iis qui potestate præditi sunt, ut in capite sequenti *nobilitates* pro nobilibus. ORELL.

Qui claudos præcipiebat incedere. In romano cod ce legitur: *præciebat*, unde Gelenius fecit: *faciebat*. Ego malo legere *præcipiebat*. Dicit enim Dominus in Evangelio: *Vade et ambula*. TH. CANTER.

Alligare. Cod. ms. *caligare* vitiose. Fulv. Ursinus: *colligare*. ORELL.

Letum, cui vellet, indicere, Id est dicto, verbo, nuda jussione (ut ait Arnobius supra) letum afferre. Diverso nonnihil sensu *indicere* supra cap. 3, ubi vide notas. ORELL.

Durissimisque latronibus. Fulv. Ursin. *dirissimis* OR.

Dissignasset. Amat hoc verbum Arnobius. Sic infra lib. VII, cap. 6: *Habeatque pro vulnere, si quid animal cæcum, atque in nubibus semper ignorationis incedens dissignaverit, dixerit, quo illorum minueretur* D *auctoritas*. Ita *dissignare*, *dissignator* passim ap. nostrum. Gesner. in Thesauro *dissignare* putat idem esse quod *designare*. Equidem crediderim, nonnihil interesse, ut sit *dissignare* idem quod dispescere, distribuere, vel potius varia, diversa designare, ut hoc loco diversos, multiplices cruciatus. Ita *dissignatores* dicebantur apud Romanos, qui loca in theatris spectatoribus di tribuebant. Vide Schol. ad Horat. I, epist. 7, vers. 6, et J. Lips., de Amphitheatro, cap. 15, pag. 1033. Oper., ed Vesal., tom III. ORELL. — Nescio an vana sit in tali quidem scriptore subtilitas distinguendi, omninoque rectius videtur Gesneri judicium. Immo multi recentiores medio etiam ævo librarii affectarunt *diffinire*, *diffinitionem*, *dissignare*, etc pro *definire*, *designare*. Cæterum pro illo discrimine laudari poterant interpretes ad Plauti Pœnul. Prolog., vers. 19. OCHSNER.

Cum enim de animarum periculis multa mala de illarum contra insinuator, magister atque auctor, etc. Locus misere deturpatus et in toto Arnobio facile corruptissimus; de quo autem sanando defectu emendatiorum codicum videtur desperandum esse. Quæ interpretes ad illum contulere, hæc sunt. Fulv. Ursinus legit: *De animarum periculis multa medelarum contra insinuator, magister atque auctor*, etc. Quod quid sibi velit, equidem nescire me fateor cum ignarissimis. Heraldus et Stewechius hiatum orationis suspicati locum ita ediderunt: *Cum enim de animarum periculis multa, multa mala de illarum * * * * * * contra insinuator*, etc. Editio romana recentior de anno 1583, totum locum ita restituit: *Cum enim de animarum periculis multa, multa de illarum natura* (scil. diceret) *insinuator magister atque auctor ad officiorum convenientium fines, vias, leges et constituta direxit, non superbiæ fastum comminuit*. Quæ lectio ferri posset, si modo libris antiquis juvaretur. Magis placet emendatio Oudendorpii ad Apulei. Met., lib. VII, pag. 467: legentis, *Cum enim de animarum periculis multa, multa de medelarum natura insinuaret, magister atque auctor*, etc. *Insinuare* apud illius ævi scriptores sæpius idem quod *indicare*, *docere*. Sic ipse Arnobius, infra lib. II, cap. 19: *Quid enim aliud, se spondent vel insinuare posse vel tradere*, et lib. V, cap. 2. *Pro veris et velut quiddam mirabile insinuare*. Dictys Cretensis, de Bello Trojano, lib. II, cap. 9. *Is namque tum mœsto luctu Agamemnoni insinuans, quæ circa filium ejus evenissent*. Et lib. V, cap. 14, *sua quippe opera insinuantibus id ablatum*. Mihi, si quid tentare liceat, post verbum *insinuator* videtur esse aliquot linearum lacuna, et prius orationis D membrum fortasse ita restituendum: *Cum enim de animarum periculis multa mala dissignaret* (pro *de illarum*) *contra insinuatores * * * * * * magister atque auctor*. Puto scilicet Arnobium hoc loco causas inimicitiæ et odii populi judaici adversus Christum exposuisse, et, si quid video, particula *enim* aperte declarat, hæc esse cum superioribus conjungenda, ubi de immanibus durissimisque latronibus, qui Christo manus injecerant, sermo est. Verba *magister atque auctor*, etc. mihi videntur finem novæ periodi efficere, in qua generatim de Christi doctrina egerat Arnobius, cujus autem initium incuria librariorum excidit. *Mala dissignare* interpretor mala diversa, multiplicia prædicere, minari, vide supra eodem capite. *Insinuatores* explico vel doctores, vel homines malis artibus sese aliis insinuantes, gratiamque popularem captantes, quales apud Judæos erant Pharisæi, in quos vehementissime Christum invectum novimus, verbi causa, Matth., XXIII, toties dicentem: *væ vobis, Pharisæi!* Quid quod huic conjecturæ

LXIV. Quid ergo vos subigit, quid hortatur maledicere, conviciari, inexpiabiles cum eo conserere simultates, quem redarguere, quem tenere, nemo hominum possit ullius facinoris in reatu? Tyrannos ac reges vestros, qui postposito deorum metu donaria spoliant populanturque templorum : qui proscriptionibus, exiliis, cædibus nudant nobilitatibus civitates : qui matronarum pudorem ac virginum vi subruunt atque eripiunt licentiosa, appellatis indigetes, atque divos : et quos odiis acrioribus conveniebat a vobis carpi, pulvinaribus, aris, templis, atque alio mactatis cultu, ludorum et celebritate natalium : nec non et illos omnes, qui conscriptione voluminum A multiformi maledictis mordacibus carpunt publicos mores : qui luxurias, ac vitas vestras secant, urunt, dilacerant : qui sui temporis posteris notas scriptorum perpetuitate prolatant : qui matrimonia persuadent habenda esse communia : qui cum pueris cubitant formosis, lascivientibus, nudis : qui pecudes vos esse, qui fugitivos, qui exules, qui vilissimæ servos notæ, furiosos prædicant et insanos : admirantes, plaudentes ad cœli sustollitis sidera : bibliothecarum repositis in arcanis : quadrigis et statuis numeramini, et quantum est in vobis velut quadam æternitate donatis, immortalium testificatione titulorum : solum Christum convellere, dilacerare, potestis si

COMMENTARIUS.

etiam favere videntur verba sequentia : *non superbiæ fastum comminuit.* At judicent doctiores. ORELL.

LXIV. — *Quem tenere nemo hominum possit ullius facinoris in reatu.* Hoc Christus ipse de se testatur Joh., VIII, vs. 46. Τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; ELMENH.

Donaria spoliant populanturque templorum. Proprie. Hinc *inspoliatum templum* appellat Sallustius inviolatum, ἄσυλον. et *templorum spoliatores* ἱεροσύλους appellat Jul. Firmicus locis infinitis. HERALD.

Qui proscriptionibus, exiliis, cædibus, etc. Ita optime locum restituit Heraldus, in Curis secundis, et Salmasius, in ed. Lugd. Bat. Antea legebatur *et suis cædibus*, pro quo Fulv. Ursinus malebat *et sævis cædibus*. ORELL.

Qui matronarum pudorem ac virginum vi subruunt licentiosa. Socrates, libro I. Historiæ ecclesiasticæ, cap. II, inter tyrannica Maxentii facinora flagitiosam illam licentiam numerat : Μαξέντιος δὲ κακῶς τοὺς Ῥωμαίους ἐπέτριβε, τυραννικῷ μᾶλλον ἢ βασιλικῷ τρόπῳ C χρώμενος κατ᾽ αὐτῶν, μοιχεύων ἀναιδὴν τὰς τῶν ἐλευθέρων γυναῖκας, καὶ πολλοὺς ἀναιρῶν, καὶ ποιῶν τὰ τούτοις ἀκόλουθα. HERALD.

Appellatis indigetes atque divos. ἥρωας. Dio Cass., lib. LI, Julium Cæsarem ab Augusto in censum deorum relatum ait, et ἥρωα Julium appellatum, id est *Divum Julium*. *Deos* autem quandoque dicebant, non *divos*, et Græci *divos* θεοὺς verterunt sæpius. Lucianus in Longævis · Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Περγαμηνεὺς ῥήτωρ θεοῦ Καίσαρος. Στεφανοῦ διδάσκαλος. HERALD.

Pulvinaribus, aris, templis, etc. — Prudentius.

> Hunc morem veterum docili jam ætate secuta
> Posteritas, mensæ atque adytis, et flumine. et aris
> Augustum coluit, vitulo placavit et agno,
> Strata ad pulvinar jacuit.

Hic honos igitur Julio primum impertitus, Augusto deinde, et cæteris deinceps HERALD.

Ludorum et celebritate natalium. Transpositio frequens Arnobio pro *ludorum celebritate et natalium* ORELL. Julii Cæsaris τὰ γενέσια πάντας ἑορτάζειν Triumviri ἠνάγκασαν, qui honos ad cæteros postea propagatus. Dio Cass., lib. XLVII. HERALD. Sic plane Velleius Pat., II, 68 : *Senatus et auctoritate Consulis*, ubi vid. Ruhnken. OCHSNER.

Vitas vestras secant. Fulv. Ursin. conjecit *vitia vestra;* male. Ita Jul. Firmic. Astron., lib. VIII. cap. 7 : *Alienas vitas amari sermonis licentia pulsent.* *Secare* proprium de Satirarum scriptoribus. Persius, sat. I, vs. 115 :

> Secuit Lucilius urbem,
> Te Lupe, te Muti et genuinum fregit in illis.

HERALD. et ELMENH.

Qui sui temporis posteris notas scriptorum perpetuitate prolatant. Ita Fulv. Ursin. et Elmenhorst. Constructio hæc est : *qui sui temporis notas* (id est ignominias, infamias) *posteris prolatant scriptorum perpetuitate.* Cod. ms. et ed. Rom. *qui in temporis* B *posteri notas. . . . . . prolatant.* Sed ita manca est oratio : deest enim accusativus, ad quem referendum sit *prolatant.* Stewech. *qui in tempus posterum notas*, etc. Alii : *perpetuitatem prolatant.* ORELL.

Qui matrimonia suadent habenda esse communia. Platonem taxat, qui in Timæo et de Republica dogma hoc introducit. ELMENH.

Qui cum pueris cubitant formosis. Videtur his Socratem tangere Arnobius, cui recentiores, inprimis patres ecclesiastici, hoc crimen impingebant, gentiles etiam, verbi causa Lucianus in Vitarum auctione, cap. 15. Cf. J. M. Gesner., in libello : *Socrates sanctus pæderasta*, et virum amicissimum H. Bremi ad Cic. de Fato, cap. 5. ORELL.

Qui pecudes vos esse, etc. Perstringit hic quædam stoicorum dogmata. HERALD.

Bibliothecarum repositis in arcanis. Nec libros eorum solum, sed imagines etiam et statuas, quod observabamus ad Martialem. HERALD. Quinque præsertim in locis invenio collocatas fuisse ab antiquis imagines, Atrio, Limine, Cubiculo, Pinacotheca, Bibliotheca. Nec eædem erant in omnibus. In atrio gentilitiæ imagines, et avorum ex cera expressi vultus ordine stabant. Foris vero et in limine eorum imagines ponebantur ex ære, solidave alia materia, qui præ cæteris illustres atque insignes exstiterant. De utrisque Plinius lib. XXXIV, cap. 2. In cubiculis Lares erant ; et in totum quas cubiculares appellabant imagines, ut eorum quos charissimos habebant, in pinacothecis temere, neque ad vivum expressas imagines, aut deorum atque heroum, sive fabulas aliquas atque historias depictas habebant. Vide Plin., lib. XXXV, c. 3, et Petron., cap. 83, init. Superest bibliotheca (græce μουσεῖον) in qua eruditorum hominum, ut philosophorum, oratorum, poetarum, imagines positæ, partim expressæ ad vivum, partim confictæ. Plinius loco citato aliique sexcenti. (*Petav. ad Synes. Encom. Calvit. Commentar.*, p. 26) Meurs., conj. *in* D *arcivis.* ORELL.

Quadrigis et statuis muneramini. Nempe statuis curulibus quæ non solum magnis heroibus et bellica laude florentibus excitatæ, sed inertibus etiam quandoque hominibus et plane ἀσυλπίγκτοις, ut causidicis. HERALD.

Solum Christum convellere, dilacerare, potestis si Deum, vultis. Ita ed. Lugd. Bat. *convellere* est ex emendatione Gelenii. Cod. ms. et editio romana *compellere* vitiose et nullo sensu. Th. Canterus conj. : *compilare*, vel antiquo verbo *concipilare.* Sequentia ita legit Mercerus : *dilacerare potestis* (id est audetis), *si detur, vultis immo solum, si liceat*, etc. Fulv. Ursin. *deum si possitis.* Th. Canterus : *dilacerare potestis*, *si eum vultis*, vel *eum si vultis.* Sed nil mutandum. *Potestis si Deum* dictum est pro : *si potestis* (eum dilacerare) *cum Deus sit.* Supra appellat Arnobius Christum *Deum* et quidem *interiorum potentiarum Deum*, *Deum radice ab intima.* ORELL.

Deum, vultis, immo solum si liceat belluarum agrestium ritu cruentis oribus mandere, comminutis cum ossibus transvorare. Quodnam, quæso, ob meritum dicite, cujus ob peccati culpam? quid ab eo commissum est, quod tenorem inflecteret recti, et in odia vos aspera furialibus stimulis concitaret? Quia animarum vestrarum custodem se missum solo indicavit ab rege: quia vobis immortalitatem ferre, quam vos habere confiditis humanis paucorum assevrationibus suasi? Quod si esset apud vos certum falsa illum dicere, spes etiam vanissimas polliceri, nec sic video fuisse causam, cur eum deberetis odisse, cur hostili animadversione damnare, immo, si animus vobis clemens fuisset, et mitis, vel propter id solum eum deberetis amplecti, quod optabilia vobis sponderet et prospera: quod bonarum esset nuntius rerum: quod ea prædicaret, quæ nullius animum læderent: securioris [a] quinimo expectationis impleret.

LXV. O ingratum [b] et impium sæculum! o in privatam perniciem incredibili pectoris obstinatione paratum! Si aliquis ad vos medicus ex summotis venisset et numquam vobis regionibus cognitis, medicamen pollicens tale, quod a vestris corporibus omnia omnino prohiberet morborum et valetudinum genera: non certatim omnes accurreretis? non blanditiis omnibus atque honoribus fotum familiaria susciperetis in mœnia? non illud medicaminis genus optaretis esse certissimum, non verum, quod immunes vos fore ab tam innumeris vexationibus corporum usque ad ultimos fines sponderet ætatis? et licet ambigua res esset, committeretis. vos tamen, nec potionem incognitam dubitaretis haurire spe salutis proposita, atque amore incolumitatis incensi. Eluxit, atque apparuit Christus rei maximæ nuntiator, auspicium faustum portans, et præconium salutare credentibus. Quænam est ista crudelitas, inhumanitasque tanta, quinimmo, ut verius loquar, fastidiosum supercilium, nuntiatorem muneris et portitorem tanti, non tantum verborum maledictionibus scindere, verum etiam bello gravi atque omnibus persequi telorum effusionibus et ruinis? Non placent ea quæ dicit, et cum offensionibus audiuntur a vobis? pro ludicris ea vaticinationibus computate. Stolidissimas res loquitur, et fatua dona promittit? ridete ut sapientes vos viri, et in suis erroribus fatuitatem relinquite volutari. Quænam est hæc feritas, ut repetamus quæ dicta sunt sæpius, quæ libido tam carnifex, inexpiabile bellum indicere nihil de te merito? Dilacerare si detur, eum velle per viscera, qui non modo nullum intulerit malum nulli, sed æqualiter benignus hostibus dicere, quidnam his salutis Deo portaretur a principe: quid esset facto opus, ut interitum fugerent, et immortalitatem consequerentur ignotam? Cumque novitas rerum, et inaudita pro-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Securiores. ms.

[b] *Hæc cum iis, quæ duabus aliis sequuntur paginis, Canterus transtulit ad initium libri II. Quam transpositionem damnat Sabæi editio et ms., ut Stewechius monet.*

COMMENTARIUS.

Cruentis oribus mandere. Proprium verbum. Lucretius, lib. IV:

Et quasi pantheræ morsu sævique leonis
Mandantur, magnis clamoribus omnia complent,

Ennius:

Vulturis in sylvis miserum mandebat hemonem.
HERALD.

LXV. — *Paratum.* Ita Salmas., in ed. Lugd. Bat., Ms. *privatum.* Fulv Ursin. *pronum.* ORELL.

Committeretis vos tamen. Propria locutio. Infra lib. II. *Ægritudines corporum medicorum committitis manibus.* A. Gellius, lib. I, c. 15. *Itaque auditis, non auscultatis tamquam pharmacopolam. Nam ejus verba audiuntur, verum ei nemo se committit, cum æger est.* HERALD.

Eluxit. Eleganter, instar flammæ subito erumpentis. Vide Barth. Advers., lib. VI, cap. 5, p. 265. Ita et *relucescere.* Gratius Cyneget., vs. 7:

Hinc omne auxilium vitæ, rectus que reluxit
Ordo.

Et Claudian., de consulatu Stilichonis, lib. III, v. 64:

Hic, Stilicho, cunctis inopina reluxit,
Te victore, salus. ORELL.

Inhumanitas quæ tanta. Ita editor Lugd. Bat. ex emendatione Meursii. Alii: *inhumanitasque tanta.* ORELL.

Nuntiatorem muneris et portitorem tanti. Ergo *portitor* jam eo ævo ad hoc exemplum. Sic tabellarios *portitores litterarum* appellat B. Hieronymus, quos alibi *bajulos* dicit. Papias: *Bajulus, portitor, gerulus, nutritor.* HERALD.—Conf. Barth., Adversar., lib LIII, cap. 8, pag. 2492, et, qui ex recentioris latinitatis scriptoribus nubem exemplorum citat, Savaron., ad Sidon., lib. VI, epist. 4, pag. 390, et J. Fr. Gronov., Obss., lib. III, cap. 20. *Munus* autem, de quo hic mentio, est salutis præconium et veritatis prædicatio. ORELL.

Ruinis. Scriverius malebat *runis.* (*Runa, æ,* genus teli, Vide Fest.) nec male, quomodo Ennius dixit:

. Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber.

Sed Cicero similiter locutus, lib. III, de Legibus: *Caius vero Gracchus ruinis et iis ficis, quas ipse se projecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem reipublicæ statum permutavit;* et Seneca, epist. IX: *Quanto hic mirabilior vir, qui per ferrum et ruinas et ignes illæsus et indemnis evaserit.* MEURS., pag. 37.—*Ruinæ* itaque h. l. sunt lapides, ædificiorum dirutorum rudera. ORELL.

Qui non modo nullum intulerit malum nulli. Meursius mavult: *ulli.* At duplicis negationis non affirmantis, sed vehementius negantis more Græcorum plura exempla affert Vechnerus in Hellenolex., c. 35, pag. 381, ed. Heusinger. ORELL.

Sed æqualiter benignus hostibus dicere, etc. Hæc est Cod. ms. lectio temere mutata a Gelenio et F. Ursino: *sed æqualiter benignus omnibus docuerit; æqualiter benignus* scil. fuerit. *Benignus dicere* Græcismo frequentissimo. πραῢς τὸ λέγειν. Itaque non opus est, ut cum editore Lugd. Bat. legamus *diceret.* Si quid autem mutandum, mallem *dixerit,* quia præcessit *intulerit,* vel cum Stewechio ad lib. II, cap. 1, *edixerit.* Glossæ Membr. *edicit — totum dicit vel foras dicit; unde edictum.* Neque *hostibus* mutandum in *omnibus.* Videtur scil. respexisse Arnobius ad verba illa D. Pauli ad Coloss., I. vs. 21: Καὶ ὑμᾶς ποτε ὄντας ἀπηλλοτριω-

missio audientium turbarent mentes, et credulitatem facerent hæsitare : virtutum omnium dominus, atque ipsius mortis extinctor hominem suum permiserit interfici, ut ex rebus consequentibus scirent in tuto A esse spes suas, quas jamdudum acceperant de animarum salute, nec periculum mortis alia se posse ratione vitare.

COMMENTARIUS.

μένους καὶ ἐχθροὺς τῇ διανοίᾳ ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς, νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ διὰ τοῦ θανάτου, παραστῆσαι ὑμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους καὶ ἀνεγκλήτους κατενώπιον αὐτοῦ. Orell.

Hominem suum. Id est hominem, quem induerat, assumpserat. Vide notas ad cap. 62. Orell.

Ex rebus consequentibus. Id est resurrectione sua. Orell.

LIBER SECUNDUS.

INDEX CAPITUM.

garriebat. Deinde statuit auctor noster, animam mediæ cujusdam mortalem inter et divinam naturam esse substantiæ. A *Cap.* 30 — 34.

Instantibus vero ethnicis, quo pacto immortalis fieri possit anima, si mediæ illius qualitatis sit, facit satis Arnobius. *Cap.* 35, 36.

Deinde animam nostram a postrema quadam potestate fuisse quidem creatam, sed neque divinæ prolis neque summi Dei filiam esse demonstrat. Nec patitur auctor sibi objici, mundum sine homine esse imperfectum; adeoque Deum uniuscujusque animam ex se ipso genitam in humanum corpus misisse. *Cap.* 36, 37, 38.

Longa autem inductione conatur ostendere, hominem non ad perfectionem mundi, qui quidem sine illo esse poterat, sed ad privatam ipsiusmet hominis utilitatem esse creatum. B *Atque ex his concludit, divinam non esse animam, quæ postmodum in corpus aliquod a Deo missa fuerit.* *Cap.* 39 — 43.

At sua, inquiunt, voluntate, non Dei jussu venit in mundum. Cui quidem instantiæ occurrit Arnobius. *Cap.* 44 — 46.

Urgebant ethnici, unde igitur anima progenita sit aut prolata inquirentes. Quibus respondet Arnobius, illud primum nobis esse compertum, illam nec divinam nec Dei esse progeniem : nihil enim a Deo summo fieri umquam potuisse, nisi omnibus numeris absolutum. Deinde subdit, illud nos certo cognoscere, homines nihil esse aliud nisi animas corpori alligatas, quæ omni vitiorum genere corrumpuntur. *Cap.* 47, 48. C

Sunt quidem nonnulli optimis moribus : at hi sane paucissimi sunt. Ecquinam vero perfecti sunt homines? Non igitur divina est anima humana. *Cap.* 49, 50.

Neque vero est quod rideant ethnici, si negemus nobis esse compertum, quo modo illa sit creata. Si enim recte a Platone assertum putant, illas non a Deo summo], sed a minoribus quibusdam potestatibus esse creatas : cur nobis non licebit ipsas esse mediæ qualitatis longe certius asserere, quæ tamen a Deo immortalitate donentur? *Cap.* 51, 52, 53.

Neque dixeris, nihil penitus sine Dei voluntate fieri, neque etiam curiosius inquiras, unde mala oriantur et cur ea Deus permittat. Hoc unum pro certo habendum, nihil a vero Deo fieri malum, vitiosum et noxium quodque omnibus non sit salutare atque amoris plenissimum. D *Cap.* 54, 55.

Nemini vero mira videri debet nostra de tot aliis rebus ignoratio. Quis enim nescit tantas esse hominum de re qualibet contentiones, ut nihil a quoquam asseratur, quod ab alio statim destrui non possit? *Cap.* 56, 57.

Quamvis ergo ignorarent Christiani, a quo et unde creata sit anima humana : nihil inde adversus illos efficere poterant ethnici, quibus multo plura sunt incomperta. *Cap.* 58, 59.

Recte itaque Christus, verus Deus, sub hominis forma locutus jubet nos, relictis omnibus quæstionibus, ad rerum universarum Dominum tota mente attolli; qui tametsi comprehendi nequeat, nullus tamen nisi amens illum solum esse Deum ambigit. Ethnicos igitur, qui eum non agnoscunt, manent sævi post mortem cruciatus. *Cap.* 60, 61, 62.

Urgentibus ethnicis, quid ergo actum sit de eorum animabus, qui ante Christi adventum mortui sunt, et cur omnes animæ non sint æquali munificentia donatæ : respondet primum Arnobius, æqualiter in omnes divina benificia fuisse diffusa; deinde, omnes Deum æqualiter vocare omnibusque ad se veniendi potestatem fecisse, sed nulli necessitatem afferre. *Cap.* 63, 64.

Docet, cur Deus non faciat, ut inviti homines ipsius credant promissis; deinde, quod soli Christiani salutem consequantur ope Christi atque auxilio, cui a Deo patre facultas ista concessa. *Cap.* 65.

Transit ad veterem ethnicorum querimoniam, qua novellam esse christianam religionem atque antiquos et patrios ritus in barbaros ac peregrinos non esse mutandos expostulabant. *Cap.* 66, 67, 68.

Tametsi christiana religio recens esset instituta, nonne res omnes humanæ, nonne in primis, vel ipsis fatentibus ethnicis, eorum Dii esse cœperunt? *Cap.* 69, 70.

Si ergo ante quadringentos annos Christiana religio non erat, neque etiam ante duo annorum millia nullos deos suos fuisse negare non poterant. At demum religionis auctoritas non est tempore æstimando, sed numine. *Cap.* 71.

Objectionem illam deinceps infringit Arnobius, qua ethnici obtendebant, eorum religionem multo vetustiorem christiana esse adeoque veriorem. *Cap.* 72, 73.

Respondet postulantibus ipsis ethnicis, cur tam sero Christus a Deo missus fuerit. *Cap.* 74, 75.

Satis iisdem facit inquirentibus, cur Deus, cui Christiani serviebant, patiatur illos omni persecutionum ac pœnarum genere vexari et opprimi. *Cap.* 76, 77, 78.

I. Hoc in loco tribui si ulla facultas posset, vellem cum his omnibus, quibus nomen invisum est Christi, ab instituta principaliter defensione diverticulo paulisper facto, talia verba miscere. Si nullam esse duci-

COMMENTARIUS.

I. — *Si nullam esse ducitis contumeliam respondere aliquid interrogatos.* Neque enim satis honestum videtur superiores et dominos interrogare. Salvianus, epist. III : *Parentes charissimi; Parentes reverendissimi, interrogari vos quæsumus, liceat.* Contra superbi et fastu tumidi cunctanter aut nihil omnino solebant respondere. Cicero ad Trebat., lib. VII, epist. 16 : *Qui isthinc veniunt, superbiam tuam accusant, quod negent, te percunctantibus respondere.* Idem, Tusc., I, c. 8 : M. *Quid? si te rogavero aliquid, nonne respondebis?* — A. *Superbum id quidem esset : sed nisi quid necesse erit, malo ne roges.*

HERALD. et ELMENH.

tis contumeliam respondere aliquid interrogatos, A edissertate nobis, et dicite quid rei, quid causæ est, quod tam gravibus insectamini Christum bellis? vel quas ejus continetis offensas, ut ad ejus nominis mentionem rabidorum pectorum effervescatis ardoribus? Numquid regiam sibi vindicans potestatem terrarum orbem cunctum legionibus infestissimis occupavit, et pacatas ab exordio nationes alias delevit ac sustulit, alias sibi parere cervicibus compulit subjugatis? Numquid ardoribus avaritiæ flagrans universas opes illas, quibus se genus humanum studiose contendit impleri, possessionis [a] suæ mancipio vindicavit? Numquid libidinum cupiditatibus gestiens pudicitiæ repagula vi fregit, aut alienis furtim insidiatus est matrimoniis? Numquid arrogantiæ supercilio tumidus, injurias et contumelias passim sine ullius personæ B discriminibus irrogavit? Qui si dignus non esset, cui auscultare deberetis, et credere: vel hoc ipso fuerat non aspernandus a vobis, quod salutaria vobis ostenderet, quod vias vobis ad cœlum, et vota immortalitatis optaret. Ut non in omnes lumen et prætenderit vitæ, et periculum ignorationis amoverit?

II. At enim odio dignus est, quod ex orbe religiones expulit, quod ad deorum cultum prohibuit accedi? Ergone ille religionis extinctor, et impietatis auctor arguitur, qui veram in orbe religionem induxit? qui hominibus cæcis, et revera in impietate degentibus, pietatis aperuit januas, et cui se submitterent, indicavit? An ulla est religio verior, officiosior, potentior, justior, quam Deum principem nosse, scire Deo principi supplicare, qui bonorum omnium solus caput, et fons est, perpetuarum pariter fundator et conditor rerum, a quo omnia terrena cunctaque cœlestia animantur, motu irriganturque vitali: et qui si non esset, nulla profecto res esset, quæ aliquod nomen, substantiamque portaret? Nisi forte dubitatis an sit iste, de quo loquimur, imperator: et magis esse Apollinem creditis, Dianam, Mercurium, Martem. Da puerum judicem: et hæc omnia circumspiciens, quæ videmus, magis an sint dii cæteri, dubitabit, quam

LECTIONES VARIANTES.

[a] Possessioni, mancipio. *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Edissertate nobis et dicite. Vide supra, ad lib. I, cap. 57. Pro *dicite* Stewech. leg. censet *edicite*, id est, clare, aperte, totum dicite, nihil conticeatis, *sagel's heraus.* Vide ad lib. I, cap. ult. ORELL.

Vel quas ejus continentis offensas. Id est, *meministis, memoria tenetis.* Infra hoc libro: *Quia fornicem Lucilianum et Marsyam Pomponii obsignatum memoria continetis;* et libro VII: *Honorantur, inquit, his dii, et si quas ab hominibus continent offensionum memorias oblatas, abjiciunt.* Sic κατέχειν apud Græcos, Lycophron: δεῖπνον οὐδὲν τοιοῦτο κατέχω δεδειπνηκώς. HERALD.

Arrogantiæ supercilio tumidus. Vide supra, ad lib. I, cap. 38. ORELL.

Injurias et contumelias. Nonius: *Injuria a contumelia hoc distat. Injuria enim levior res est.* Pacuvius. *Patior facile injuriam, si est vacua contumelia.* Vide Theophili Institut. Juris lib. IV, cap. 3, περὶ ὕβρεως. ELMENH. — Contrarium statuunt Stoici, verbi causa, Seneca, epist. 72, et in libro *in sapientem non cadere injuriam*, cap. 4. HERALD.

Spassim sine ullius personæ discriminibus. His postremis verbis exponit, quod dixerat *passim.* Sic *passim sine delectu* conjunctim in corpore juris aliquoties. HERALD. — Quæ sequuntur. Fulv. Ursinus corrigit: *sine ullis personarum discriminibus.* ORELL.

Qui si dignus non esset, cui auscultare deberetis Μακρολογίαν in his verbis observat. Wopkensius ad Dictyn Cret., IV, 15, in Miscell. Obss. nov., tom. II, pag. 79, citans simillimum locum, infra, lib. V, cap. 27, fin: *Et res digna omnino est, propter quam dii funditus genus omne debeant abolere mortalium.* ORELL.

Vota immortalitatis optaret. Obscura hæc sunt, et opinor corrupta. Legendum existimo: *et portus immortalitatis apertaret.* Sic paulo post: *Qui hominibus cæcis et revera in impietate degentibus pietatis aperuit januas.* Sic autem *apertare*, ut *opertare* ap. Festum. HERALD. — Meursius mavult *aptaret.* Sed nil mutandum. *Vota immortalitatis optaret*, i. e. immortalitatem optaret vobis, precibus expeteret a Deo patre. Similiter Plin. Epist. X, 20, *cum patronum me provinciales optassent contra Marium Priscum*, hoc est, a Senatu petiissent. Respicit autem Arnobius, ni fallor, ad verba illa Christi, Joh. XVII, 24. ORELL.

Ut non in cunctos lumen et prætenderit vitæ et periculum ignorationis amoverit. Hæc verba antea loco posita alienissimo, nimirum supra post verba: *sine ullius personæ discriminibus irrogavit*, recte ad finem capitis translocavit Heraldus. Sensus est: etiamsi non in omnes lumen vitæ prætendisset, etc., C tamen ob hoc erat a vobis non aspernandus, quod salutaria consilia vobis monstravit, etc. Non igitur audiendus Fulvius Ursinus conjiciens: *prætenderet.......... amoveret.* Pro *ignorationis* Meursius in Critico pag. 49, legendum suspicatur: *interitionis*, Sic noster lib. VII: *Feris et belluis proximus turbat tempestatibus patientes et ad periculum interitionis adducit.* ORELL.

II. — *Qui veram in orbe religionem inducit.* Edit. Lugd. Bat., *in orbem.* Sed nil mutandum. Vide supra ad lib. I, cap. 42. ORELL.

Religio officiosior. Id est commodis humani generis magis inserviens. Sic infra cap. 8: *Non futura credentes casta* (matrimonia) *et officiosi fœderis in maritos.* ORELL.

Et fons est, perpetuarum pariter fundator et conditor rerum. Perpetuæ res, id est, æternæ, numquam interituræ. Sed fateor, mihi locum hunc esse de mendo suspectum. Non enim omnia, quæ Deus D condidit, sunt æterna et perpetua. Lego itaque: *et fons est perpetuus, cunctarum pariter fundator et conditor rerum.* Nisi forte his verbis expressit Arnobius verba Pauli in Epist. ad Hebr., I, 2, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας (hoc universum) ἐποίησε, male intellecta. ORELL.

Motu irriganturque vitali. Vide supra, ad lib. I, chap. 55. ORELL.

Da puerum judicem. Non dubitavi in textum recipere felicissimam hanc emendationem, quam in Curis secundis protulit Heraldus quæque cum sequenti *dubitabit* optime conspirat. Editiones omnes habent *da verum judicium*, quod in mendo cubare unus vidit Heraldus in editione sua legendum conjiciens vel: *da naturæ judicium*, vel: *da verum animæ judicium*, quasi hoc loco sermo sit de testimonio animæ, de quo singularem librum scriptis Tertullianus. Meursius conj. *Ad verum judicium.* Sed longe præfero *da* (id est pone, cogita tibi) *puerum judicem.* ORELL.

in Deo cunctabitur, quem esse omnes naturaliter scimus : sive cum exclamamus, o Deus, sive cum illum testem constituimus improborum, et quasi nos cernat, faciem sublevamus ad cœlum.

III. Sed minoribus supplicare diis homines vetuit. dii enim minores, qui sint aut ubi sint, scitis? Perstrinxit vos aliquando suspicio eorum aut mentio, ut merito feratis indigne abrogatos his cultus, et honoris impartitione viduatos. Quod si non mentis elatio, et typhus qui appellatur a Græcis, obstaret, atque officeret vobis, jamdudum scire potuissetis, quid aut quare prohibuerit fieri, intra fines quos stare voluerit religionem veram, quantum vobis periculum nasceretur ex eo, quod putaretis obsequio, vel ex quibus malis emergeretis, si insidioso renuntiaretis errori.

IV. Verum hæc omnia illustrius commemorabuntur et planius, cum ulterius prorsus fuerimus evecti. Monstrabimus enim Christum non impietatem docuisse nationes, sed ab latronibus pessimis miserorum hominum imprudentiam vindicasse. Non credimus, inquitis, vera esse quæ dicit. Quid enim, quæ vos negatis vera esse, apud vos liquent, cum imminentia, et nondum cassa, nullis possint rationibus refutari? Sed et ipse quæ pollicetur, non probat. Ita est. Nulla enim, ut dixi, futurorum potest existere comprobatio. Cum ergo hæc sit conditio A futurorum, ut teneri et comprehendi nullius possint anticipationis attactu : nonne purior ratio est, ex duabus incertis et in ambigua expectatione pendentibus, id potius credere, quod aliquas spes ferat, quam omnino quod nullas? In illo enim periculi nihil est, si quod dicitur imminere, cassum fiat et vacuum : in hoc damnum est maximum, id est salutis amissio, si cum tempus advenerit, aperiatur non fuisse mendacium.

V. Quid dicitis, o nescii, etiam fletu et miseratione dignissimi? Ita non extimescitis, ne forte hæc vera sint, quæ sunt despectui vobis, et præbent materiam risus? nec saltem vobiscum sub obscuris cogitationibus volvitis, ne quod hoc die credere obstinata renuitis perversitate, redarguat serum tempus,
B et irrevocabilis pœnitentia castiget? Nonne vel hæc saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod jam per omnes terras in tam brevi tempore et parvo, immensi hujus sacramenta diffusa sunt? quod nulla jam natio est tam barbari moris, et mansuetudinem nesciens quæ non ejus amore versa molliverit asperitatem suam, et in placidos sensus assumpta tranquillitate migraverit? quod tam magnis ingeniis præditi oratores, grammatici, rhetores, consulti juris ac medici, philosophiæ etiam secreta rimantes, magisteria hæc expetunt, spretis quibus paulo ante fidebant? quod ab dominis [a] se servi cruciatibus af-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quod ex dominis. *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Et quasi nos cernat, faciem sublevamus ad cœlum. Tertullian., Apologet., c. XVII : *Denique pronuntians hæc, non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit. Novit enim sedem Dei vivi : ab illo, et inde descendit.* HERALD.

III. — *Quod si non mentis elatio, et typhus, qui appellatur a Græcis, obstaret,* etc. *Typhus.* τύφος — ἀλαζονεία, ἔπαρσις, κενοδοξία, *arrogantia, superbia,* sæpissime ap. Arnobium. Vid. infra cap. 12, 19, 29, 63, hujus libri. Nec minus frequens ap. alios inferioris ætatis scriptores, verbi causa; Augustin. de Civit. Dei, XI, cap. penult., *unum fruentem Deo, alteram tumentem typho.* ORELL.

* *Quid, aut quare prohibuerit fieri.* Observavimus jam antea, apud hos scriptores reperiri sæpissime particulas disjunctivas pro copulativis. HERALD.

IV. — *Cum ulterius prorsus fuerimus evecti.* Setewechius legend. conjicit *ulterius prorsius* a *prorsus, a, um* : hinc *limites prorsi* ap. Festum. *Prorsum,* id est, porro versum, antrorsum : opp. *rursum.* Utrumque conjunxit Terentius, Hecyra (III, 1, 35) :

Trepidari sentio, cursari rursum prorsum.

At licet exempla τοῦ *prorsus* adjective positi reperiantur apud vetustiores, comparativus *prorsior, us* plane inusitatus neque recipiendæ tales formationes nullo exemplo fundatæ. Præterea *prorsus,* adverbium loci, pro *porro versus* (vid. Fest.) jam involvit comparativum. ORELL.

Sed ab latronibus pessimis. Intelligit Arnobius falsos doctores, de quibus Christus Matth., VII, 15 : Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσωθεν δέ εἰσι λύκοι ἅρπαγες. ORELL.

Imminentia et nondum cassa. Hoc est, *nondum vana, irrita,* κενά. Ita sæpissime ap. Tertullianum et alios scriptores ecclesiasticos, verbi causa Minuc. Fel., c. 12 : *Quam vos irritæ pollicitationis cassa vota deci-*
C *piant* (ubi vid. Ouzel., pag. 117, ed. Gronov.). Paulo post : *Si quod dicitur imminere cassum fiat et vacuum.* Infra, cap. 12 : *Aut quis audiret cassa et nuda jactantem.* Cujac. leg. *passa,* interpretans *præterita;* at sine exemplo. HERALD.

Id est, salutis amissio. Hæc verba lunulis inclusa, tamquam glossema, ejicienda censet Meursius, pag. 50. ORELL.

V. — *Nonne vel hæc saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi.* Etsi solet Arnobius plura quandoque copulare rem unam et camdem significantia, mihi tamen persuadere nequeo, hæc esse sincera : *Argumenta credendi.* Et profecto ita est : scripserat aliquis ad oram libri sui : *Argumenta credendi.* Hic enim proponuntur argumenta, quibus fides Christiana affirmari potest. HERALD.

Immensi nominis hujus sacramenta diffusa sunt.
D Paulo inferius eodem capite : *Et salutaris militiæ sacramenta depromere.* Ii scilicet qui Christo se consecrabant, a scriptoribus ecclesiasticis sæpissime comparantur cum militibus patrem, matrem et omnem proximum ejerantibus. Tertullian., de Corona militis, cap. 11 : *Credimusne humanum sacramentum divino superduci licere, et in alium dominum respondere post Christum, et ejerare patrem ac matrem, et omnem proximum, quos et lex honorari et post Deum diligi præcipit?* Idem ad Martyres, cap. 3 : *Vocati sumus ad militiam Dei vivi jam tunc, cum in sacramenti verba spopondimus.* Lactant., lib. V, cap. 11 : *Sacramenti, quod acceperat, proditor factus est.* Cf. Lips., ad Tacit. Annal. XV et Stewech., ad Veget., de Re Milit., II, 5 p. 115 sq. ed. Vesal. HERALD., ELMENH. et ORELL.

Quæ non ejus amore versa. Fulv. Ursin. conj. : *Quæ non ejus ad morem versa.* Non male quidem; sed nil mutandum. ORELL.

Magisteria hæc expetunt. Id est, expetunt religione christiana tamquam magistra uti. De vi verbi *magi-*

fici, quibus statuerint, malunt, solvi conjuges matrimoniis, exhæredari a parentibus liberi, quam fidem rumpere christianam, et salutaris militiæ sacramenta deponere? quod cum genera pœnarum tanta sint a vobis proposita religionis hujus sequentibus leges, augeatur res magis, et contra omnes minas atque interdicta formidinum animosius populus obnitatur, et ad credendi studium prohibitionis ipsius stimulis excitetur? Numquid [a] hæc fieri passim et inaniter creditis, fortuitis incursibus assumi has mentes? Itane istud non divinum et sacrum est, aut sine Deo eorum tantas animorum fieri conversiones, ut cum carnifices unci, aliique innumeri cruciatus, quemadmodum diximus, impendeant [b] credituris, vel uti quadam dulcedine atque omnium virtutum amore correpti cognitas accipiant rationes, atque mundi omnibus rebus præponant [c] amicitias Christi? Nisi forte obtusi et fatui videntur hi vobis, qui per orbem jam totum conspirant et coeunt in istius credulitatis assensum.

VI. Quid ergo? vos soli [d] sapientiæ conditi atque intelligentiæ vi mera, nescio quid aliud videtis, et profundum? soli esse nugas intelligitis hæc omnia, soli verba et pueriles ineptias, ea quæ nobis promittimus principali ab rege ventura? Unde, quæso, est vobis tantum sapientiæ traditum? unde acuminis, et vivacitatis tantum? vel ex quibus scientiæ disciplinis tantum cordis assumere, divinationis tantum potuistis haurire? Quia per casus et tempora declinare verba scitis et nomina, quia voces barbaras, solœcismosque vitare, quia numerosum, et instructum, compositumque sermonem, aut ipsi vos nostis efferre, aut incomptus cum fuerit, scire; quia Fornicem Lucilianum [e], et Marsyam Pomponii obsi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] An numquid *Ms. et ed. Lugd. B.*
[b] Impendant *Fulv.*
[c] Proponant *Sab. Male.*
[d] *Hæc ita Fulv.*: Quid ergo vos soli sapientiæ atque intelligentiæ vi mera nescio quid abditum videtis et conditum. *Audacius quam verius. Vide Not.*
[e] Lucialinum *Sab. mendose.*

COMMENTARIUS.

sterium vid. Casaubon., ad Sueton. August., cap. 2, pag 179. edit. Burmann. Orell.

Quibus statuerint. Th. Canter. *quibusvis statuerint.* Sed nil mutandum, *quibus*, hoc loco pro *quantis, qualibus*, ut sæpe. Vid. Heins., ad Phædr., fab. I, 13. Fulv. Ursinus totum locum ita legit et interpunxit: *Servi cruciatibus affici omnibus statuerint: malunt solvi conjuges matrimoniis.* Orell.

Ad credendi studium prohibitionis ipsius stimulis excitetur. Similiter Tertullian., in Apologet., cap. ult.: *Nec quidquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ: plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum.* Cf. eumd. ad Scapulam, cap. 4; Lactant., lib. V, cap. 13; Minuc. Fel. Octav.; Leo, serm. 1 de SS. Petro et Paulo. Elmenh.

An numquid hæc fieri passim et inaniter creditis. Id est, *temere et fortuito, sine delectu*, εἰκῆ. Lactant., lib. III, cap. 9: *Anaxagoras, quum ab eo quæreretur, cujus rei causa natus esset; respondit: Solis ac cœli videndi. Hanc vocem admirantur omnes, ac philosopho dignam judicant. At ego hunc puto non invenientem, quid responderet, effudisse hoc passim, ne taceret.* Herald.— Cf. Bünemann, ad Lactantii, lib. I, et Burmann., ad Phædr., Fab. lib. V, 1, vers. 3, pag. 238. Ita Quintilian., Declam. IV, 13: *Ista credis passim fortuitoque disposita* Orell.

Carnifices unci. Alii: *Carnificis unci.* Sed verbum *carnifex* adjective usurpat Arnobius, supra, lib. I, cap. ult.: *Quæ libido tam carnifex?* et sic optimi scriptores. Horat., Od. I, 15: *Adulteri crines.* Tibull. I, 11, 46: *Aratores boves.* Silius, XIII, 375: *Bellator ensis.* Vid. Oudendorp. ad Apulei. Met., lib. II, p. 110. Intelligendi autem unci, seu potius ungulæ illæ bisulcæ et ferreæ, quibus igne candentibus reos eculeo impositos torquebant et laniabant veteres. Prudent., περὶ Στεφάνων, hymno in Vincentium martyrem, vers. 173 et seq.:

Hæc fatur, et stridentibus
Laniatur uncis denuo.

Vide, qui de tortura Romanorum vet. multus est, Matern., de Cilano *Romische Alterthümer*, et Jo. Durant. Caselii Variar., lib. I, cap. 15, in Gruter. Lamp. Crit., vol. III, part. II, p. 211. Orell.

Veluti quadam dulcedine atque omnium virtutum amore, etc. Gelenius ita: *Veluti quadam dulcedine atque nectare ebrii cuncta contemnant*, etc., quæ postrema verba cum neque in cod. ms., neque in editione principe romana legantur, illum de suo addidisse putat Canterus. Et omnino ingratissima esset triplex repetitio τοῦ *atque*. Orell.

Cognitas rationes. Idem quod supra dixerat *argumenta credendi.* Fulvius mavult *incognitas.* Orell.

Credulitatis assensum. Credulitas, hoc loco et infra, cap. 12, in bonam partem pro fide, ut sæpius apud hos scriptores. Orell.

VI. — *Quid ergo? vos soli sapientiæ conditi atque intelligentiæ vi mera. nescio quid aliud videtis et profundum.* Probo conjecturam Stewechii: *Quid? Ergo vos soli sapientiæ conditi atque intelligentiæ vi mera, nescio quid altius videtis et profundius?* Vide intpp. ad Fest. verbo *altum et profundum.* Pro *conditi* lego cum Oudendorp. ad Apulei., lib. I, pag. 8: *Conditæ*, id est, reconditæ, litteris scil. Vix enim latine dici potest *vino conditus* de ebrio. Pro *mera* Meursius in Append., mavult: *In ea re.* Orell.

Unde acuminis et vivacitatis tantum. Vivacitas hoc loco ingenii vigor et celeritas, nostrum *Witz.* Orell.

Aut incomptus, cum fuerit, scire. Legi malim: *Aut inconditus, cum fuerit.* Nam *incondita* proprie opponuntur *numerosis.* Cicero, lib. III, de Oratore: *Idque princeps Isocrates instituisse fertur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem, delectationis atque aurium causa, numeris adstringeret.* Herald. — Nil mutandum. Nam *incomptum* sermonem opponit Arnobius non *numeroso*, sed *composito*, id est artificiosæ concinnæque structuræ collocationique verborum. Opp. *incomptus, horridus.* Vid. Cic., de Orator. I, 11: Quintil., Instit. X, c. 1, § 44, et, qui de hoc verbo multus est, I Ch. Th. Ernesti in Lexico Technologiæ lat. rhetor., verbis *Compositio, Compositus.* Orell.

Fornicem Lucilianum. Fornix videtur fuisse titulus incerti satirarum Lucilianarum libri, obscœni, ut videtur, argumenti. Nam *fornix*, id quod lupanar. Isidorus Origg., lib. X, pag. 1075, Auct. ling. lat., ed. Godofredi: *Fornicarius et Fornicatrix est, cujus corpus publicum et vulgare est. Hæc sub arcuatis prosternebantur, quæ loca fornices dicuntur.* Inde nata recentioris latinitatis vocabula *fornicare* et *fornicatio.* Vide Voss. Etymol. Rom., verbo *fornix* et Oudendorp., in Apul., pag. 465. Ita Horat. I, serm. II, 30: *Olente in fornice stantem.* Pro *Lucilianum* Meursius leg. censet *Cæcilianum.* Sed nulla, quod scio, hujus nominis Cæcilii comœdia citatur ab antiquis. Scriverius, apud eumdem Meurs., pag. 51, conj. *Licinianum.* Orell.

Marsyam Pomponii. Pomponii poetæ duo celebran-

gnatum memoria continetis; quia quæ sint in litibus constitutiones, quot causarum genera, quot dictionum, quid sit genus, quid species, oppositum a contrario quibus rationibus distinguatur: idcirco vos arbitramini scire quid sit falsum, quid verum, quid fieri possit aut non possit: quæ imorum, summorumque natura sit? Numquamne illud vulgatum perstrinxit aures vestras, sapientiam hominis stultitiam esse apud Deum? Primum et ipsi, penitus perspicitis vos ipsos, si quando de rebus disceptatis obscuris, et naturalia pergitis reserare secreta, et ipsa quæ dicitis, quæ asseveratis, quæ capitali plerumque contentione defenditis, nescire vos, et unumquemque suspiciones suas pro probatis et comprehensis pertinaci obluctatione tutari?

VII. Quid enim, si verum perspiciamus, etiam si B omnia sæcula in rerum investigatione ponantur, scire per nos possumus, quos ita cæcos, et superbos nescio quæ res protulit, et concinnavit invidia, ut, cum nihil sciamus omnino, fallamus nos tamen, et in opinionem scientiæ subinflati pectoris tumore tollamur? Ut enim divina præteream, et naturali obscuritate res mersas, potest quisquam explicare mortalium id, quod Socrates ille comprehendere nequit in Phædone? homo quid sit, aut unde sit, anceps, varius, mobilis, pellax, multiplex, multiformis? in quos usus prolatus sit? cujus sit excogitatus ingenio, quid in mundo faciat, cur malorum tanta experiatur examina? utrumne [a] illum tellus uliginis alicujus conversa putrore, tamquam vermes animaverit, tamquam mures? an fictoris alicujus, et fabricatoris manu lineamenta hæc corporis, atque oris acceperint formam? Potest, in-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Ms.*

COMMENTARIUS.

tur, unus *L. Pomponius Bononiensis*, Atellanarum auctor antiquissimus, *sensibus celebris, rudis verbis, et novitate inventi a se operis commendabilis*, ait Velleius Paterculus; alter *L. Pomponius Secundus*, tragicus vates civisque clarissimus, temporibus Caii et Claudii Imperatorum, de quo crebra mentio Senecæ, Plinio et Tacito. Ab utroque diversum puto illum Epigrammatarium, quem Varro nominat (de Ling. lat., lib. VI, pag. 86, ed. Bipont.), ad quem forte referendum poema *Marsyas*, quod ut impudicum notat Arnobius. Videtur autem tractasse de nocturnis stupris et variis generibus libidinum, quibus infamis fuit statua Marsyæ dei in celeberrima fori parte, ubi causæ agebantur. Seneca, de Beneficiis, lib. VI, cap. 32, de C Julia Augusti filia: *Pererratam nocturnis comessationibus urbem, forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in stupra placuisse; quotidianum ad Marsyam concursum, cum ex adultera in quæstuariam versa, jus omnis licentiæ sub ignoto adultero peteret.* (*Popma, ad Varronis l. laud., p.* 190, *ed. Bipont.*). Equidem non video, cur Marsyas ille abjudicandus sit Pomponio Atellanarum scriptori. Nam Varro *Papinii* epigramma citat, non *Pomponii*, quod est e conjectura Scaligeri, et fabulas illas Atellanas obscœni maxime argumenti fuisse et dramati Græcorum satyrico respondisse, conjicio e Ciceron., epist. IX, 16. Quid quod ipse titulus *Marsyas* majus aliquod poema indicare videtur. Floruit autem Pomponius ille, quem cum contemporaneo ejus Lucilio conjungere videtur Arnobius, temporibus Sullæ anno urbis conditæ 666. Vid. Vell. Paterc., II, 9, et Euseb. Chron., ad Olymp, 173, 1. Orell.

Quæ sint in litibus constitutiones. Variant rhetores in constitutionum definitione. Ciceró, de Invent., I, 8, *constitutionem* vocat in genere *quæstionem, ex qua causa nascitur*, in Topicis autem, c. 25, *refutatio accusationis*, ait, *in qua est depulsio criminis, quæ græce στάσις dicitur, latine appellatur status; in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio.* Quem locum allegans Quintilian., inst. III, c. 6, §13. *addit: Quod nos statum, id quidam constitutionem vocant, alii quæstionem, alii quod ex quæstione appareat.* Vide imprimis J. Th. Ernesti Lexicon Technologiæ lat. rhetoricæ, hoc verbo. Orell.

Quid sit genus, quid species. Posterius *quid*, quod in codice manuscripto et antiquis editionibus deest, addidit Heraldus. Orell.

Sapientiam hominis stultitiam esse apud Deum. Verba sunt D. Pauli I Cor., III, v: 19. Ἡ γὰρ σοφία τοῦ κόσμου τούτου μωρία παρὰ τῷ Θεῷ ἐστι. Quæ autem vix videntur perstrinxisse gentilium aures, christianorum libros sacros nec legentium, nec auscultantium. Orell.

Et naturalia pergitis reserare secreta. Phrasis Lucretiana:

Religionum animos vinclis exsolvere pergo. Herald.

Suspiciones suas pro probatis, etc. *Pro* quod non agnoscunt cod. ms. et editiones veteres; est e correctione Stewechii. *Suspiciones* autem hoc loco *opiniones, conjecturæ, Hypothèsen, Vermuthungen*, nihil amplius. Orell.

VII. — *Quid enim si verum perspiciamus..... scire per nos possumus. Si perspiciamus*, id est an, utrumne perspiciamus, ut bene expl. Stewech.: *Konnen wir aus uns selbst wissen, ob wir die Wahrheit erkennen.* Edit. princeps habet *si verum perspiciam*, uncis inclusum, ut auctor de se ipso loquatur. Male. Orell.

Nescio quæ res protulit, et concinnavit invidia. Intelligit Arnobius naturas illas malas Deoque adversarias, quibus animarum creationem tribuebant gnostici, quos sequebatur in hac doctrina. Pro *invidia*, ms. habet *invida*, scil. *res*, non male. Orell.

Subinflati pectoris. Ita lego cum Meursio. Cæteri disjungunt *sub inflati pectoris.* Quod Herald, defendit more Arnobii præpositionibus *in*, *sub*, *ex*, etc., abundanter utentis. Sed *subinflatus*, id est aliquantum inflatus, habet etiam Cœlius Aurelian., de Morbis acutis, I, 2; videatur Gesner., in Thesauro. Orell.

Quod Socrates ille comprehendere nequit in Phædone, etc. Arnobii lapsus memoriæ est; non enim in Phædone, sed Alcibiade, p. 129 (58, vol. V, ed. Bip.) locus hic legitur: ΣΩ. Τί ποτ' οὖν ὁ ἄνθρωπος; ΑΛ. Οὐκ ἔχω λέγειν. Elmenh. — Ms. habet *in Fedro*, D unde Nourrius suspicatur, Arnobium παραφραστικῶς exposuisse locum in Phædro Platonis ed. H. Stephen., t. III, p 230 (Bipont. vol. X, p. 280). ubi ipse Socrates: Ὅθεν δὴ χαίρειν ἐάσας ταῦτα, πειθόμενος δὲ τῷ νομιζομένῳ περὶ αὐτῶν, ὃ νῦν δὴ ἔλεγον, σκοπῶ οὐ ταῦτα, ἀλλὰ ἐμαυτὸν, εἴτε τι θηρίον ὢν τυγχάνω Τυφῶνος πολυπλοκώτερον, καὶ μᾶλλον ἐπιτεθυμένον, εἴτε ἡμερώτερον καὶ ἁπλούστερον ζῶον, θείας τινὸς καὶ ἀτύφου μοίρας φύσει μετέχον. Quod multo est verosimilius. Orell.

Pellax. Papias: *Pellax.... deceptor, dolosus, fallax.* Arnobius, infra, l. V: *Quid subjiciemus pro aureis imbribus, in quos idem se pellax fraude induit perfida.* Elmenh. — Cf. Serv. ad Virgil., Æn., II, 90. Orell.

Utrumne illum tellus uliginis alicujus conversa putore. Plato (in Timæo): Ἂρ' ἐπειδὰν τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν σηπεδόνα τινὰ λάβῃ, ὥς τινες ἔλεγον, τότε δὴ τὰ ζῶα συντρέφεται. Herald. — Dogma haustum ab Ægyptiis. Vide Diodor. Sic., I, c. 7 et 10; ibique intpp. Orell.

Atque oris acceperint formam. Proba lectio. Est

quam, scire in medio hæc posita, atque in sensibus constituta communibus, quibus causis mergamur in somnos, quibus evigilemus, quibus modis fiant insomnia, quibus visa? immo, quod ambigit in Theæteto Plato, vigilemus aliquando, an ipsum vigilare, quod dicitur, somni sit perpetui portio? et quid [a] agere videamur, insomnium cum videre nos dicimus? radiorum et luminis intentione videamus, an rerum imagines advolent, et nostris in pupulis sidant? utrum sapor in rebus sit, an palati contagionibus fiat? quibus ex causis pili nigrorem ingenitum ponant, neque omnes pariter, sed paulatim adjiciendo canescant? quid sit quod humo- A res universi unum corpus efficiant mixtione, solum oleum respuat immersionem in se pati, sed in suam naturam impenetrabilem semper perspicue colligatur? Ipse denique animus, qui immortalis a vobis et Deus esse narratur, cur in ægris æger sit, in infantibus stolidus, in senectute defessus, delira et fatua et insana? Quorum infirmitas et inscientia miserabilis hoc magis est, quod cum fieri possit ut veri aliquid aliquando dicamus, et hoc ipsum nobis incertum sit, an veri aliquid dixerimus.

VIII. Et quoniam ridere nostram fidem consuestis, atque ipsam credulitatem facetiis jocularibus lanci-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ecquid *Stewech.*

COMMENTARIUS.

enim hæc numeri enallage antiquis scriptoribus græcis et latinis usitatissima. Vide Priscian., l. XVII; Terentius (Andr., IV, sc. 1, v. 2):

> Hoccine credibile est, aut memorabile,
> Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
> Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
> Alterius sua ut comparent commoda?

Sed Arnobii ævo frequentatæ eædem ἐναλλαγαί. Jul. Firmicus, l. III, c. 15: *Faciet eum, qui sic lunam habuerit, in templis sordide manere; et qui aliquid velint, quasi a diis dictum hominibus nuntiare*; et sæpius. HERALD. — Salmas., in ed. Lugd. Bat., leg. *acceperit*. ORELL.

Quod ambigit in Theæteto Plato. Locus Platonis, ad quem respicit Arnobius, legitur in Theætet., p. 158, t. I, ed. Henr. Steph. (p. 82, vol. II, ed. Bip.). ORELL.

Radiorum et luminis intentione videamus, etc. Variabant enimvero ea de re philosophorum sententiæ, quas A. Gellius (Noct. Att., l. V, c. 16) perspicue his verbis explicat: *Stoici causas videndi has esse dicunt, radiorum ex oculis in ea, quæ videri queunt, emissionem, aerisque simul intentionem. Epicurus autem affluere semper ex omnibus corporibus simulacra quædam corporum ipsorum, eaque se in oculos inferre, atque ita fieri sensum putat. Plato existimat, genus quoddam ignis lucisque de oculis exire; idque conjunctum continuatumque cum luce solis, vel cum alterius ignis lumine sua vi et externa nixum efficere, ut quæcumque offenderit illustraveritque cernamus.* Conf. Plutarch., de Placit. philos., l. IV, c. 13; Laert., l. I, § 157 et VIII, 28; Lucret., l. IV, v. 46 seqq.; Macrob., Sat., l. VII, c. 14. NOURR., p. 527, seq.

Utrum sapor in rebus sit, etc. Conf. Plutarch., de Placit. philos., IV, cap. 18; Lucret., lib. IV, vers. 626, et II, 398. NOURR.

Et nostris in pupulis sidant. Lucretius, III, vers. 409, seq.:

> Ut lacerato oculo circum, si pupula mansit
> Incolumis, stat cernendi vivata potestas. HERALD.

Lexicon Græcolat. vetus: *Pupula*, ὀφθαλμοῦ κόρη. Papias: *Pupula.... pupilla, principale.* Cic., de Nat. deor. II, c. 57: *Acies ipsa, qua cernimus, quæ pupula vocatur, ita parva est, ut ea, quæ nocere possent, facile vitet.* Ubi vide intpp. ELMENH. — Conf. Oudend., ad Apulei., Met. III, p. 215. ORELL.

Quibus ex causis pili nigrorem ingenitum ponant, etc. Hanc quæstionem solvere conatur Alexander Aphrodisiensis, Problem. 1, 2 et 3. ORELL.

Solum oleum respuat, etc. Vide Plutarch., lib. VII, Sympos., quæst. 10, et lib. VII, quæst. 3. NOURR. p. 528.

Sed in suam naturam impenetrabilem semper perspicue colligatur. Legendum puto: *Sed in sua natura impenetrabile semper perspicuum colligatur*; id est: B *sua natura*. Nam *in* sæpissime πλεονάζει apud hunc scriptorem. HERALD. — Non video, cur aliquid mutandum sit. Sensus est: oleum quoties commiscetur cum aliis liquoribus, *colligitur*, i. e. colligit se in summo scilicet vasculo, *in suam naturam impenetrabilem* aliis liquoribus. *Perspicue*, i. e. ita, ut nec coloratum nec turbidum, sed pellucidum maneat. ORELL.

Ipse denique animus, qui immortalis a vobis et Deus esse narratur. Cic. Tusc. I, c. 26: *Ergo animus, qui, ut ego dico, divinus est, ut Euripides audet dicere, Deus.* (ubi vid. Davis.) Idem ap. Macrob. in Somn. Scip., lib. II, c. 12: *Mens cujusque is est quisque..... Deum te igitur scito esse, siquidem est Deus, qui viget, qui sentit, qui meminit*; et Dionysius Cato in notissimo illo disticho:

> Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
> Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

Quod male intellexerunt interpretes *animus* tamquam C prædicatum ad verbum *Deus* referentes. Quin contra est subjectum, et construendum: *Si animus est Deus.* Vide Gisb. Cuper., qui de hoc dogmate multus est in Obss, lib. II, cap. 17, pag 249, ed. Lips. ORELL.

Cur in ægris æger sit, in infantibus stolidus, in senectute defessus. Vide Lucret., III, vers. 446—470. HERALD.

In senectute defessus delira et fatua et insana. Existimant aliquid hic deesse. Et sane perturbata atque interrupta videtur oratio. Pendet tamen a superioribus, *quos ita cæcos et superbos nescio quæ res protulit et concinnavit invidia, ut, cum nihil sciamus omnino, fallamus nos tamen et in opinionem scientiæ subinflati pectoris tumore tollamur.* Recte deinde sequitur: *Delira et fatua et insana quorum infirmitas*, etc. Sed paulo longius hyperbaton intercessit ad præcedentium probationem. HERALD. — Atqui minime mutanda interpunctio, neque, ut Meursius putat, deest aliquid: D *delira, fatua, insana* sunt ablativi et pendent a *senectute*. Si quid tamen mutandum, malim equidem sequi emendationem N. Heinsii in Adversariis, lib III, cap. 16, pag. 530: *Delirет et fatue et insane.* ORELL.

VIII. — *Et quoniam ridere nostram fidem consuestis.* Ethnici ridebant christianos ut nimium credulos in Deum, accusabantque illos, quasi rationem fidei vel reddere vel accipere nollent, sed simpliciter saltem credere. Julianus Imperat. apud Gregor. Nazianz.: Στηλιτευτικῷ, et pag. 296: Ἡμέτεροι, φησὶν, οἱ λόγοι καὶ τὸ ἑλληνίζειν, ὧν καὶ τὸ σέβειν θεούς. ὑμῶν δὲ ἡ ἀλογία, καὶ ἡ ἀγροικία, καὶ οὐδὲν ὑπὲρ τὸ, Πίστευσον, τῆς ὑμετέρας ἐστὶ σοφίας. Demoliuntur hanc invidiam calumniosam, et procul eam a christianis esse ostendunt rationibus firmissimis Origenes contra Celsum, lib. I, pag. 9 et 10; Theodoret., serm. 1, de fide, contra Græcos, pag. 12 et 13; Augustin., tom. VI, ad Honoratum, de utilitate credendi; Euseb., Præparat. evangel., lib. I. ELMENH.

nare, dicite, o festivi, et meraco sapientiæ tincti et saturi potu, estne operis in vita negotiosum aliquod atque actuosum genus, quod non fide præeunte suscipiant, sumant, atque aggrediantur actores? Peregrinamini, navigatis : non domum vos credentes peractis negotiationibus remeaturos? terram ferro scinditis, atque oppletis seminum varietate : non credentes vos frugem percepturos esse vicibus temporariis? conjugalia copulatis consortia : non futura esse credentes casta, et officiosi fœderis in maritos? liberorum suscipitis prolem : non incolumen credentes fore, et per gradus ætatis venturam senectutis ad metas? ægritudines corporum medicorum committitis manibus : non credentes morbos posse mitigata asperitate leniri? bella cum hostibus geritis : non victoriam vos credentes præliorum successionibus relaturos? veneramini deos, et colitis : non credentes illos esse, et propitias aures vestris supplicationibus accommodare?

IX. Quid illa de rebus ab humana cognitione sepositis, quæ conscribitis ipsi, quæ lectitatis, oculata vidistis inspectione, et manibus tractata tenuistis? Nonne vestrum quicumque est, huic, vel illi credit auctori [a]? non quod sibi persuaserit quis verum dici ab altero, velut quadam fidei astipulatione tutatur? Qui cunctorum originem esse dicit ignem aut aquam, non Thaleti aut Heraclito credit? qui causam in numeris ponit, non Pythagoræ Samio, non Archytæ? qui animam dividit, et incorporales constituit formas, non Platoni Socratico? qui quintum elementum principalibus applicat causis, non Aristoteli Peripateticorum patri? qui ignem minatur mundo [b], et venerit cum tempus, arsurum, non Panætio, Chrysippo, Zenoni? qui individuis corporibus mundos semper fabricatur et destruit, non Epicuro, Democrito, Metrodoro? qui nihil ab homine comprehendi, atque omnia cæcis obscuritatibus involuta, non Archesilao, Carneadi? non alicui denique Academiæ veteris, recentiorisque [c] cultori?

X. Ipsi denique principes, et prædictarum patres sectarum [d], nonne ipsa ea quæ dicunt, suis credita suspicionibus dicunt? Vidit enim Heraclitus res

LECTIONES VARIANTES.

[a] Autoribus *Ms.*
[b] Igne minatur mundum *Fulv.*
[c] Recentiorisve *Stewech.*
[d] Sententiarum *Sab.*

COMMENTARIUS.

Lancinare. Supra, lib. I, c. 36 : *Isis furva mœrens perditum filium, et membratim conjugem lancinatum.* Vide de hoc verbo (quo usi etiam Catullus et Sallustius) Stewech., in Apulei. Metam. IV, pag. 298, ed. Oudendorp. Orell.

Meraco sapientiæ tincti. Meracum scilicet vinum. Sic Horat. II, epist. II, vers. 137 :

Expulit elleboro morbum, bilemque meraco.

Nourr., p. 528.— *Meracus, a, um,* antique pro *merus, purus.* Vide Lauremberg., Antiquar., hoc verbo. Orell.

Suscipiant, sumant atque aggrediantur actores? Peregrinamini. Ita Meursius et editor Lugd. Bat. cod. ms. *aggrediantur: An terris peregrinamini.* Sciverius, ap. Meurs., in Append. *a choris peregrinamini.* Herald. suspicatur legendum : *An temere peregrinamini* ex simillimo loco Eusebii Præparat. evangel., lib. I : Καὶ πλεῖ τις αὖθις εἰς ἄδηλον, οὐδ᾽ ἄλλην προβεβλημένος τῆς σωτηρίας ἄγκυραν, ἢ μόνην τὴν πίστιν, καὶ τὴν ἀγαθὴν ἐλπίδα. Fulv. Ursin. legit ......*suspiciamus, sumamus atque aggrediamur? An terris,* etc. Sed præfero omnibus illis conjecturis emendationem Salmasii. An pro *actores* legendum sit *auctores*, dubitare se affirmat Wasse ad Sallust., Cat., III, p. 34, ed Haverc. Orell.

Conjugalia consortia. Eleganter. *Nuptiæ enim* (ut Modestinus ait Leg. I Digest. de ritu nuptiarum) *conjunctio maris et fœminæ, et consortium omnis vitæ, divini et humani juris communicatio.* Dionys. Halic., lib. II, Antiq. Rom., p. 95 : Γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ, κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν. Elmenh.

IX. — *Qui cunctorum originem esse dicit ignem, aut aquam, non Thaleti,* etc. De his diversis philosophorum opinationibus videndi Sext. Empiric. adversus Mathematicos, p. 304 et 305 (ed. H. Steph.). Chalcidius, in Platonis Timæum; Diog. Laert., lib. I, Tertullian. adversus Marcion.; Lactant., Inst., lib. I, cap. 5; Minucius Felix Octav., cap. 19; Plutarch., de Placit. philosophorum, lib. I; Cic., lib. IV. Academ. Quæst., lib. II, cap. 37, et ibi Davis. Eusebius, de Præparatione evangelica, lib. I, cap. 5, lib. V, cap. 13. Hermias in irrisione philosophorum gentilium; Justin. Martyr, in cohortatione ad Græcos, p. 3 et 5. Theodoret. contra Græcos, serm. IV, de materia et mundo. Nemesius περὶ φύσεως ἀνθρώπου, cap. 5. Elmenh.

Qui causam in numeris ponit, non Pythagoræ Samio, non Archytæ. Cic. Academ., II, 37 : *Pythagorei ex numeris et mathematicorum initiis* (id est, punctis et lineis) *proficisci volunt omnia.* Ubi vide quos laudat Davis. Orell.

Qui animam dividit. Scilicet in rationalem et irrationalem. Theodoretus (Serm. v, de Nat. hom., tom. IV, p.546) : Πλάτων καὶ Πυθαγόρας τὸ μὲν λογικὸν αὐτῆς ἄφθαρτον εἶναι, φθαρτὸν δὲ τὸ ἄλογον. Nourr., p. 530. —Nimirum in duas partes, *alteram rationis participem, alteram rationis expertem.* Vide Cic. Tusc., disp. II, cap. 20, et ibi Davis. Alii Platonici diviserunt in tres partes, *rationabilitatem, irascentiam et cupidinem.* Vid. Apul., de Habit. doctrinæ Platon., lib. II, p. 14, ed. Elmenh., et quos laudat Davis., ad Cic. Tusc., I, 10. Orell.

Qui quintum elementum principalibus applicat causis, non Aristoteli, etc. Ἐντελεχείαν, scilicet *quasi quamdam continuatam motionem et perennem*, ut expl. Cic., Tusc. I, 10, ubi vid. Camerar. et Davis. Cf. Ernest. Clav., Cic. et Tertullian. de Anima, cap. 30. Orell.

Qui ignem minatur mundo..... non Panætio, Chrysippo Zenoni. Vide Cic., de Nat. deor., II, 49; Theodoret., contra Græcos, sermo v, de Natura hominis; Justin. Martyr, Apolog. II, pro Christianis. Orell.

Archesilao. Ed. Lugd. Bat., *Archesilæ.* Conf. Grot. ad Marcian. Capell., lib. II, p. 46. Hic est ille quem ignorantiæ magistrum vocat Lactantius et quem Cicero omnem funditus philosophiam ait sustulisse ἀκαταληψίᾳ sua. Orell.

X. — *Ipsi denique principes.* Cod. ms. *Ipsi demus*, unde Herald. in Curis secundis contra Salmas. leg. conj. *Ipsi demum* Orell.

Nonne ipsa ea. Ita Gelenius. Editio Rom. *Nonne apud ea*, etc.; unde Meursius fecit *Nonne aut ea*, etc. Orell.

ignium conversionibus fieri? concretione aquarum A Thales? Pythagoras numero exire? incorporales formas Plato? individuorum Democritus concursiones? aut illi, qui autumant nihil posse omnino comprehendi, an sit verum quod dicunt, sciunt: aut ipsum, quod definiunt, veritatis esse intelligunt pronuntiatum? Cum igitur comperti nihil habeatis et cogniti, omniaque illa, quæ scribitis, et librorum comprehenditis millibus, credulitate asseveratis duce: quænam hæc est judicatio tam injusta, ut nostram derideatis fidem, quam vos habere conspicitis nostra in credulitate communem? Sed sapientibus vos viris omnibus instructis disciplinarum generibus creditis? nempe illis, qui nihil sciscunt, nec pronuntiant unum; qui pro suis sententiis bella cum adversantibus conserunt, et pervicacia semper digladiantur hostili; qui B cum alter alterius labefactant, destruunt, convelluntque decreta, cuncta incerta fecerunt, nec posse aliquid sciri ex ipsa dissensione monstrarunt.

XI. Sed officiant hæc nihil, nihilque impediant; plurimum quo minus eis credere atque auscultare debeatis. Et quid est, quod in hac parte, aut vos plurimum habeatis, aut nos minus? Vos Platoni, vos Cronio, vos Numenio, vel cui libuerit creditis: nos credimus, et acquiescimus Christo. Iniquitas hæc quanta est, ut cum utrique auctoribus stemus, sitque nobis et vobis unum et socium credere: vobis velitis dari, quod ita ab illis dicatur, accipere; vos ea, quæ proferuntur a Christo, audire et spectare nolitis? Atqui si causas causis, partes partibus voluerimus æquare: magis nos valemus ostendere quid in Christo fuerimus secuti, quam in philosophis quid vos. Ac nos quidem in illo secuti hæc sumus: opera illa magnifica, potentissimasque virtutes, quas variis edidit exhibuitque miraculis, quibus quivis posset ad necessitatem credulitatis adduci, et judicare fideliter, non esse quæ fierent hominis, sed divinæ alicujus atque incognitæ potestatis. Vos in philosophis virtutes secuti quas estis, ut magis vos illis quam nos Christo oportuerit credere? Quisnamne illorum aliquando verbo uno potuit, aut unius imperii jussione: non dicam maris insanias, aut tempestatum furores prohibere, compescere: non cæcis restituere lumina aut sine luminibus natis dare: non ad vitam revocare defunctos: non annosas dissolvere passiones: sed quod levissimum multo est, fervunculum, scabiem, aut inhærentem spinulam callo una interdictione sanare? Non quo illos negemus, aut morum integritate laudabiles, aut non omni genere studiorum et disciplinarum peritos: nam et verbis eos luculentissimis scimus loqui et compositionibus fluere levigatis; concludere acutissime syllogismos; ordi-

COMMENTARIUS.

Pythagoras numero exire. Recepi in textum emendationem palmariam J. Fr. Gronovii prolatam in Epistola ad Salmas., 289, in Sylloge Epist. Burmann., tom. II, p. 529. Antea legebatur: *Pythagoras numeros scivit?* quod falsissimum; omnino enim numeros sciebat Pythagoras, sed non *numeris exire mundum.* Herald.: *numeros coire.* Meursius: *numeros scitne?* Ed. Lugd. Bat.: *numeros ire.* Sed unice verum *numero exire* scil. *res.* Orell.

Nostra in credulitate communem. Stewech. leg. censet; *nostra cum credulitate.* Sed valde placet conjectura Heraldi in Curis secundis legentis *vestra in credulitate*, id est cum omnia illa credatis, habetis fidem communem nobiscum. Orell.

XI. — *Sed officiant hæc nihil nihilque impediant.* Hæc est emendatio verissima Jo. Meursii merito ab editore Lugd. Bat. in textum recepta. Codex ms. habet: *Sed efficiant hæc nihilque impediant*, vitiose et sine sensu. Gelenius edidit: *Sed facessant hæc nihilque impediant.* Heraldus conj.: *Sed efficiant hæc nihil, nihilque impediant: nihil efficiant* explicans frustra sint, effectu careant (Vide C. Barth., Adversar., lib. XXVIII. cap. 9, et Ruhnken., ad Rutil. Lup., lib. II p. 120). Quam tamen conjecturam ipse Heraldus retractat in Curis secundis. Orell.

Vos Platoni, vos Cronio, vos Numenio. Sic edidi cum editore Lugduno-Batavo ex emendatione Fulv. Ursini. Codex ms. habet *Crotonio*, cujus apud veteres nulla mentio. Defendit tamen Hug. Grotius ad Marcian. Capell., lib. VI, p. 209, putans esse Κροτώνειος gentile a Κρότων, teste Stephano, et innui ab Arnobio Pythagoram. *Cronius* autem Philosophus Platonicus, familiaris Numenii, memoratur ab Eusebio, Hist. eccles., lib. VI, cap. 19. Gelenius (quem secuti plerique editores) ita mutavit: *vos Platoni, vos Plotino, vos Numenio*, et hos tres conjungit etiam Theodoretus, serm. II. de Principiis, p. 53: Αὐτίκα τοίνυν τὴν Πλάτωνος διάνοιαν ἀναπτύσσοντες καὶ ὁ Πλωτῖνος καὶ Νουμήνιος. Plotinus princeps Neoplatonicorum, notissimus e vita a Porphyrio discipulo scripta. Th. Can- C terus leg. censet *Protomo* sive *Prothomo*, cujus meminit Apuleius, de Deo Socratis. Meursius, p. 53, legendum censet *Stratoni* citans Augustinum de Civ. Dei, lib. VI, cap. 10; Scriverius, apud eumdem Meursium *Cratoni. Numenius* Apameensis Syrus, philosophus platonicus et pythagoricus, variis scriptis nobilitatus, ex quibus plura fragmenta exstant apud Eusebium de Præparatione evangelica, lib. XI et XIII. Cf. Suidas, et Hesych. Miles. in ejus vita. Orell.

Ut cum utrique auctoribus stemus. Hæc est sagacissima emendatio Gelenii. Cod. ms. et ed. rom.: *ut cum utrisque auctoribus tempus*, inepte et nullo sensu. Orell.

Vobis velitis dari, quod ita ab illis dicitur, accipere, vos ea, quæ proferuntur a Christo, audire et spectare nolitis. Stewech conj.: vobis velitis dari, quidquid ab illis dicatur, arripere nos ea; quæ proferuntur a Christo audire et spectare nolitis. Equidem propius ad verba Arnobii legendum censeo: *Vobis velitis dari, quod ab illis dicatur, accipere nos; ea quæ proferuntur* D *a Christo, audire et spectare nolitis*, Certe v. *ita* importunum hoc loco et plane delendum. Orell.

Et judicare fideliter. Nove *fideliter* dixit pro eo, quod est *fidenter* et *audacter*. Prudentius quoque *fidelis* pro credibili et fide digno usurpavit περὶ Στεφάνων, hymno 10:

> Hæc si quis amens fabulosa existimat,
> Vel ipse tute si parum fidelia
> Rebare pridem, vera cognoscas licet.

Meurs., *p.* 54.

Fervunculum. Ita editor Ludg. Bat., ut videtur, ex ms. cod. *fervunculus* a fervore. vid. Fl. Caper de Verbis dubiis pag. 2248, in Collectione Putschii. Alii legunt *furunculum*, quod idem est. *Furunculus est tuberculum acutum cum inflatione et dolore.* Cels., lib. V, cap. ult. (Nostrum *Aisse.*) Orell.

Compositionibus fluere levigatis. Levigare..... lævem et æquum facere, glatt machen, verebnen, glatten. Vide Oudendorp., in Apuleii. Met. lib. II, pag. 236. Orell.

nare sequaciter inductiones suas; reddere definitionibus formulas, partiri, dividere: multa dicere de numerorum generibus: multa de musicis: geometricas res etiam suis scitis et præceptionibus explicare. Sed quid istud ad causam? Numquid enthymemata, syllogismi, resque aliæ similes scire illos veritatem spondent; aut ea re digni sunt, quibus necessario debeat rebus de obscurissimis credi? Personarum contentio non est eloquentiæ viribus, sed gestorum operum virtute pendenda. Ille non est dicendus auctor bonus, qui sermonem candidule prompsit: sed qui, quod pollicetur, divinorum operum prosequitur sponsione.

XII. Argumenta vos nobis, et suspicionum argutias profertis: quibus ipse si Christus, cum pace hoc ejus, et cum venia dixerim, populorum in conventu uteretur: quis acquiesceret, quis audiret, quis eum promitteret aperte aliquid judicare? aut quis cassa et nuda jactantem, quamvis esset imprudens, et faci-

A litatis stolidæ, sequeretur? Virtutes sub oculis positæ, et inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipso fiebat palam, vel ab ejus præconibus celebrabatur in orbe toto: eas subdidit appetitionum flammas, et ad unius credulitatis assensum mente una concurrere gentes et populos fecit, et moribus dissimillimas nationes. Enumerari enim possunt, atque in usum computationis venire ea, quæ in India gesta sunt, apud Seras, Persas, et Medos; in Arabia, Ægypto; in Asia, Syria; apud Galatas, Parthos, Phrygas; in Achaia, Macedonia, Epizo; in insulis et provinciis omnibus, quas sol oriens, atque occidens lustrat; ipsam denique apud dominam Romam, in qua cum homines sint Numæ regis artibus, atque antiquis superstitionibus occupati, non distulerunt tamen res B patrias relinquere, et veritati coalescere christianæ. Viderant enim currum Simonis magi, et quadrigas igneas Petri ore difflatas, et nominato Christo evanuisse. Viderant, inquam, fidentem diis falsis, et

COMMENTARIUS.

Quibus necessario debeat rebus de obscurissimis credi. Debeat id est oporteat. Supra, lib. I, c. 63: *Qui cæcis restituerat lumina, is efficere, si deberet, non poterat cæcos?* ubi male rescribi volebant *liberet*. HERALD.— Ita Petron., Satir., cap. 33, extr., *Hic nescio quid boni debet esse*, id est, necesse est ut sit, oportet. Ubi vid. Sciopp. et Burmann. ORELL.

Ordinare sequaciter inductiones suas. Id est, ita ordinare, ut alia inductio ex alia sequatur, ut nos dicimus *consequent*. Vid. Savaro ad Sidon., lib. VII, epist. 17 pag. 477. ORELL.

C *Qui sermonem candidule prompsit.* Annon legendum *callidule* cum Heraldo in Curis secundis? Nam in proxime antecedentibus de syllogismis, enthymematibus, etc., sermo est, quibus callide utebantur veteres philosophi ad fucum faciendum auditoribus eorumque assensum extorquendum contra veritatem. Ita noster infra cap. 68, ejusdem libri dicit *fraus callidula.* ORELL.

Sponsione. Meursius conj. *responsione.* Male. ORELL.

XII. — *Quis eum promitteret, etc.* Alii *permitteret*, male. *Promittere idem quod spondere.* Paulo ante: *Syllogismi resque aliæ similes scire illos veritatem spondent.* Juvenalis:

Promittunt atrocem animum.
Duræ per pectora setæ HERALD.

Quis eum promitteret aperte aliquid judicare. Legend. *indicare*, ut conjecit Meursius astipulante J. Davisio ad Cæsar. de B. G. VI, 42, p. 339, ed. Oudend. ORELL.

D *Facilitatis stolidæ.* Ita Gelenius correxit, quem secuti cæteri editores omnes. Antea legebatur *solidæ*, quod defendit Priorius neque prorsus videtur rejiciendum. *Facilitas solida* scil. est plena credulitas, et quæ tanta est, ut ei adjici possit nihil. Nostrum *stock-dumm*, *stock-einfaltig*, *facilitas stolida* idem quod stulta credulitas. ORELL.

Ea subdidit. Gelen. *eas*, male. *Ea* scil. *vis rerum*, etc. ORELL.

Quæ in India gesta sunt. Ubi doctrina Evangelii propagata dicitur per Pantænum, anno post Christum circiter 196 Vide Euseb., Hist. eccl., lib. V, c. 10, et Hieronymi Catalog. Scriptor. ecclesiast., cap. 36. India autem hoc loco est Æthiopia supra Ægyptum. ORELL.

In Arabia. Vide Euseb., Hist. eccles., lib. VI, c. 19. ORELL.

In insulis et provinciis omnibus. Conferend. cum nostro Tertullian., lib. I, adv. Judæos, c. 7: *Christi regnum ubique porrigitur, ab omnibus gentibus supra enumeratis* (numeraverat autem Babylonios, Parthos, Indiam, Æthiopiam, Asiam, Germaniam, Britanniam, Mauros, Getulos, Romanos) *colitur, ubique regna, ubique adoratur.* Idem Apologet., c. 37: *Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa.* Ubi vid. Havercamp, pag. 311. Cf. Irenæus, I, 3. ORELL.

In qua cum homines sint. Stewechius pro *sint* mavult *essent* et putat, *sint* ortum esse e compendio C scripturæ *hominESsent* male intellecto. Sed bene habet tempus præsens: nam eo ipso tempore, quo hæc scripsit Arnobius, Roma plena erat deorum cultoribus. ORELL.

Numæ regis artibus. Stewech. legendum conj. *ritibus* probante Heraldo. ORELL.

Res patrias. Herald. legend. putat *ritus patrios.* Sed intelligendi non tantum ritus et sacra publica, verum et multa alia, imprimis negotia fori, quibus valedicebant religionem christianam amplectentes. ORELL.

Viderant enim currum Simonis Magi, etc. Scimus quidem, hoc miraculum ab aliquibus aut vocari in dubium, aut penitus negari. Etenim hæc historia a Pseudepigraphis, ut aiunt, libris, hoc est procul dubio, Constitutionibus apostolicis (lib. VI, c. 9), desumpta, varie a variis scriptoribus narratur. Deinde vero Romæ valde incerta fuit fama illius miraculi, ac de illo Justinus martyr. Irenæus aliique antiquissimi scriptores penitus siluerunt. Litteris autem D consignaverunt hoc factum Cyrillus Hierosolym. (Catech. 6, pag. 54); Ambrosius (lib. IV Hexæm., cap. 8, § 33); Augustinus (de Hæres., cap. 6); Isidorus Pelusiota (lib. I, Epist. 13); Theodoretus (lib. I Hæret. fabul., cap. 13), et Maximus Taurinensis (homil. V in Natal. SS. Petri et Pauli). NOURR. p. 299. — Item Augustinus, de SS. Petro et Paulo, serm. III, tom. X, fol. 268; Hegesippus, lib. III, cap. 2; Epiphanius, lib. I, adv. hæreses, p. 31; Abdias, de vitis Apostolorum, lib. I. ELMENH.—Add. Sulpic. Sever., Hist. sacr., lib. II, cap. 42. ORELL.

Et quadrigas igneas Petri ore difflatas, et nominato Christo evanuisse. Joan. Schefferus, in opere suo de Re vehiculari veterum, lib. II, cap. 34, legendum concipit: *sed nominato Christo*, etc.; sed accipiens pro *et quidem*, vel *quin potius* (auctoris se corrigentis). De quo eleganti hujus particulæ usu adeundi P. Burmann. ad Petron., cap. 128, et Schwabe ad Phædri, lib. IV, fab. 17, vers. 19, pag. 265. Sic noster infra, lib. VI, cap. 12: *Cum pileo Vulcanus*

ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus jacuisse perfractis; post deinde perlatum Brundam, cruciatibus, et pudore defessum, ex altissimis culminis se rursum præcipitasse fastigio. Quæ omnia vos gesta neque scitis, neque scire voluistis, neque umquam vobis necessaria judicastis; ac dum vestris fiditis cordibus, et quod typhus est sapientiam vocatis, dedistis circumscriptoribus locum, illis inquam noxiis, quorum nomen interest obsolefieri Christianum, superfundendi caligines, atque obscurandi res tantas, eripiendæ vobis fidei, subjiciendique contemptus: ut quia sibi præsentiunt finem pro meritis imminere, vobis quoque immitterent causam, per quam periculum adire possetis, et viduari benignitate divina.

XIII. Interea tamen, o isti, qui admiramini, qui stupetis doctorum et philosophiæ scita: ita non injustissimum ducitis inequitare, illudere tamquam stulta nobis et bruta dicentibus: cum vel ea, vel talia reperiamini et vos dicere, quæ nobis dici pronuntiarique ridetis? Nec mihi cum his sermo est, qui per varia sectarum diverticula dissipati, has atA que illas partes opinionum diversitate fecerunt. Vos, vos appello, qui Mercurium, qui Platonem, Pythagoramque sectamini: vosque cæteros, qui estis unius mentis, et per easdem vias placitorum inceditis unitate. Audetis ridere nos, qui patrem rerum ac Deum veneramur et colimus; quodque illi dedamus et permittamus spes nostras? Quid Plato vester in Theæteto, ut eum potissimum nominem, nonne animo fugere suadet e terris: et circa illum semper, quantum fieri potis est, cogitatione ac mente versari? Audetis ridere nos, quod mortuorum dicamus resurrectionem futuram? quam quidem nos dicere confitemur: sed a vobis aliter, quam sentiamus, audiri. Quid in Politico idem Plato? nonne cum mundus occœperit[a] B ab occiduis partibus exoriri, et in cardinem vergere qui orientis est solis, rursus erupturos homines telluris e gremio scribit, senes, canos, decrepitos, et cum anni cœperint accedere longiores, per eosdem gradus, quibus hodie crescitur, ad incunabula infantiæ desituros? Audetis ridere nos, quod animarum nostrarum provideamus saluti, id est ipsi nobis? Quid enim sumus homines, nisi animæ corporibus

LECTIONES VARIANTES.

[a] Acceperit *Ms. male.*

COMMENTARIUS.

et malleo, manu liber, sed dextera, si lectio sana est, et ibid., cap. 11: *Dinoysius ille sed junior.* Orell.

Post deinde perlatum Brundam. Brunda vel potius *Brenda* nomen poeticum Brundisii. Vide Fest. verbo *Brundisium* ibique intpp. Egesippus loco laudato Simonem Magum Ariciæ decessisse scribit. At vero et hic diversam traditionem sequitur Arnobius. Meursius corrigit: *Brendam.* Orell.

Superfundendi caligines. Constructio est: *Dedistis locum superfundendi caligines.* Orell.

XIII. — *Inequitare.* Hoc verbo haud semel utitur Arnobius pro *insectari* et *persequi.* Nourrius. Sequens *illudere* delent alii male. Orell.

Fecerunt. Ms. *secerunt*, quod defendit Stewech. tamquam præteritum verbi antiqui seco, ere, idem quod secare, unde *secus*, pro *sexu*, *seculum*, *secius*, etc., derivanda videntur. Vid. Jo. Melleri Palmerii Spicilegia in Plaut., Milit.Glor. in Lamp.Crit. Gruteri, vol. iv, p. 676. Sed nihil mutandum. *Partes facere*, idem quod *partes sectas constituere.* Orell.

Qui Mercurium ..... sectamini. Mercurius est Hermes ille Trismegistus, sub cujus nomine varia scripta, verbi causa, Poemander et Asclepius (ab Apuleio versus), jam Arnobii ætate legebantur. Orell.

Quid Plato vester in Theæteto.... nonne animo fugere suadet e terris. Locus Platonis legitur in Theæteto, D pag. 173, ed. H. Steph. (pag. 116, vol. ii, ed. Bipontin.): Ἀλλὰ τῷ ὄντι τὸ σῶμα μόνον ἐν τῇ πόλει κεῖται αὐτοῦ (σοφοῦ) καὶ ἐπιδημεῖ. ἡ δὲ διάνοια ταῦτα πάντα ἡγησαμένη σμικρὰ καὶ οὐδὲν ἀτιμάσασα, πανταχῇ φέρεται, κατὰ Πίνδαρον, τά τε γᾶς ὑπένερθε καὶ τὰ ἐφύπερθεν γεωμετροῦσα, οὐρανοῦ τε ὕπερ ἀστρονομοῦσα, καὶ πᾶσαν πάντη φύσιν ἐρευνωμένη τῶν ὄντων ἑκάστου ὅλου, εἰς τε τῶν ἐγγὺς οὐδὲν αὐτὴν συγκαθιεῖσα. Similiter Macrobius, in somn. Scip., lib. i, c. 8: *Secundæ* (virtutes), *quas purgatorias vocant, hominis sunt, qui divini capax est; solumque animum ejus expediunt, qui decrevit se a corporis contagione purgare, et quadam humanorum fuga solis se inserere divinis.* Ubi vid. Is. Pontan. Orell.

Audetis ridere nos, quod mortuorum dicamus resurrectionem futuram. Solemne philosophis et gentilibus facetiis jocularibus christianos lancinare, quod carnis resurrectionem assererent. Cæcilius apud Minucium: *Ne hac furiosa opinione contenti, aniles fabulas adstruunt et annectunt, renasci se ferunt post mortem, et cineres et favillas, et nescio qua fiducia mendaciis suis invicem credunt: putes jam eos revixisse.* Origen., contra Celsum, lib. i, p. 7: Καὶ μὲν νοηθὲν C τὸ περὶ τῆς ἀναστάσεως μυστήριον, θρυλλεῖται γελώμενον ὑπὸ τῶν ἀπίστων. Herald.

Quam quidem nos dicere confitemur, sed a vobis aliter quam sentiamus, audiri. Hoc idcirco dicere videtur, quod existimavit, non eadem corpora resurgere, quæ fuit aliorum nonnullorum sententia, ut Origenis, quam ipse explicat libro contra Celsum, v. Et hic Arnobius ita agit de resurrectione, ut de animorum immortalitate tantum disputare videatur, atque ad Marcionis sententiam resurrectionem corporum negantis aliquo modo accedere videtur, vel certe nihil certi nec constituti de doctrina ista adhuc habere; quod non eo dicimus, quasi Arnobium Marcionis sectatorem fuisse existimemus, sed ut observet lector, Arnobii errores esse errores hominis in fide christiana nondum satis instituti, et naturali ratione potius, quam πνευματικῇ doctrina subnixi. Varias autem veterum de resurrectione opiniones vide apud Athenagoram, Tertullianum, et alios. Herald. — *Audiri*, hoc loco idem quod *intelligi*, ut sæpius. Orell.

Quid in Politico idem Plato? etc. Locus Platonis legitur in Politico, p. 270, ed. H. Stephani (pag. 31 seq. vol. vi, ed. Bip.). Orell.

Rursus erupturos homines. Stewech. legendum conjicit: *rursus se erupturos*, more antiquorum, Plauti, Terentii, etc., et eorum qui imitabantur antiquos, Apuleii, et Arnobii etiam. Orell.

Ad incunabula infantiæ desituros. Proba lectio et non tentanda, *desinere* eleganter et δεικτικῶς de iis, quæ sensim sensimque decrescunt, quæ e magnis minora minimaque facta tandem prorsus evanescunt. Stewech. *defituros;* ed. Lugd. Bat., *exituros.* Male. Orell.

Quid enim sunt homines, nisi animæ, etc. Marcion, Basilides, Origenes, quos hic sequitur Arnobius, distinguebant hominem in exteriorem et interiorem, atque interiorem, id est, animam, verum hominem

clausæ? Vos enim non omnes pro illarum geritis incolumitatibus curas, non quod vitiis omnibus, et cupiditatibus abstineatis [a] : metus ille vos habet, ne velut trabalibus clavis affixi, corporibus hæreatis. Quid illi sibi volunt secretarum artium ritus, quibus affamini nescio quas potestates, ut sint vobis placidæ, neque ad sedes remeantibus patrias obstacula impeditionis opponant?

XIV. Audetis ridere nos, cum gehennas dicimus, et inextinguibiles quosdam ignes, in quos animas dejici ab earum hostibus, inimicisque cognovimus? Quid? Plato idem vester in eo volumine, quod de animæ immortalitate composuit, non Acherontem, non Stygem, non Cocytum fluvios, et Pyriphlegethontem nominat, in quibus animas asseverat volvi, mergi, exuri? Et homo prudentiæ non pravæ, et examinis judiciique perpensi rem inenodabilem suscipit: ut cum animas dicat immortales, perpetuas, et corporali soliditate privatas, puniri eas dicat tamen, et doloribus afficiat sensuum. Quis autem hominum non videt quod sit immortale, quod simplex, nullum A posse dolorem admittere? quod autem sentiat dolorem, immortalitatem habere non posse? Nec tamen ejus auctoritas plurimum a veritate declinat. Quamvis enim vir lenis, et benevolæ voluntatis inhumanum esse crediderit, capitali animas sententia condemnari : non est tamen absone suspicatus jaci eas in flumina torrentia flammarum globis, et cœnosis voraginibus tetra. Jaciuntur enim, et ad nihilum redactæ, interitionis perpetuæ frustratione vanescunt. Sunt enim mediæ qualitatis, sicut Christo auctore compertum est, et interire quæ possint, Deum si ignoraverint, vitæ et ab exitio liberari, si ad ejus se minas, atque indulgentias applicarint. Et ut quod ignotum est pateat, hæc est hominis mors vera, hæc nihil residuum faciens. Nam illa, quæ sub oculis cerB nitur, animarum est a corporibus dijugatio, non finis abolitionis extremus. Hæc, inquam, est hominis mors vera, cum animæ nescientes Deum per longissimi temporis cruciatum consumuntur igni ferro [b], in quem illas jacient quidam crudeliter sævi, et ante Christum incogniti, et ab solo sciente detecti.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Abstinetis *Fulv.*

[b] Ignifero, *una voce Sab. male.*

COMMENTARIUS.

proprie esse dicebant, contra quos disputat Tertullianus, libro de Resurrectione carnis, c. 40. Herald.

Trabalibus clavis affixi. Clavi trabales, scil. quibus trabes ædium compingebantur, graves adeo et portentosæ magnitudinis: hinc per Metaphoram de iis, quæ immutabilia sunt, quæ adeo evitare non licet. Horat., in notissimo illo loco, I, Od. 35, vers. 15, seqq. :

> Te semper anteit sæva Necessitas
> Clavos trabales et cuneos manu
> Gestans ahena.

Ubi vid. Cruq. et Mitscherlich. Petron., c. 75: *Nosti, quod semel destinavi, clavo trabali fixum est*, ubi vid. intpp. Orell.

Neque ad sedes remeantibus patrias obstacula impeditionis opponant. Existimabant enim, dæmonas sive genios singulis hominibus in hanc lucem prodeuntibus quasi custodes et totius vitæ moderatores dari; eosdemque custodias suas, quando hinc abeant, in judicium rapere; atque eorum testimonio ferri a judice sententiam. Hæc erat Platonis sententia, quam in Phædone proponit, et quam explicat Apuleius, libro de Deo Socratis. Cf. Augustin., lib. X, de Civit. Dei, cap. 9; Servius ad verba Virgilii, *Quisque suos patimur manes* (Æn. VI, 743). *Quum nascimur*, inquit, *duos genios sortimur. Unus est, qui hortatur ad bona; alter, qui depravat ad mala. Quibus assistentibus post mortem aut asserimur in meliorem vitam; aut condemnamur in deteriorem : per quos aut vacationem meremur, aut reditum in corpora. Ergo manes genios dicit. quos cum vita sortimur.* Herald.

XIV. — *Quid Plato idem vester in eo volumine, quod de animæ immortalitate composuit, non Acherontem* etc. Vide Platon. Phædon., p. 112—114, ed. H. Stephan. (p. 251—258, vol. I, ed. Bip.), et Euseb., in Præparat. evangel., l. XIII, c. 7. Elmenh. — Conf. Grot., ad Mart. Capell., p. 57. Orell.

Rem inenodabilem suscipit, etc. Animas igitur existimat, si sint materiæ expertes, passione et doloribus corporalibus affici non posse, quæ est ipsius quoque Tertulliani (Apologet., c. 48) et aliorum sententiæ. Quare corporales animas (sed corporis tenuioris et spiritualis, πνευματικοῦ) existimavit cum Tertulliano Arnobius, qui eas arbitratus est pati. Herald.

Et doloribus afficiat sensuum. Ita Sabæus. cod. ms. *doloris affici sensu*, scil. *dicat*, quod nescio qua causa mutavit editor Lugd. Bat. *doloris afficiat sensu* Elmenh. *sensus* acc. plur. Orell.

Condemnare. Ms. Alii *condemnari.* Orell.

Jaciuntur enim, etc. In eamdem sententiam Æneas C Gazaens in Theophrasto, p. 52 (edit. Barth.) : Οἱ δὲ κακοὶ εἰς Τάρταρον ἐμπεσόντες, ὅθεν οὔποτε ἐκβήσονται, αὐτοὶ μὲν οὐκέτι ὀνίνανται, παράδειγμα δὲ τῆς δίκης γενόμενοι, εἰς ἀεὶ κείσονται. ταῦτα γὰρ ἐν Φαίδωνι καὶ Γοργίᾳ Σωκράτης διϊσχυρίζετο. Orell.

Vanescunt. Stewech. leg. *evanescunt.* Orell.

Sunt enim mediæ qualitatis, sicut Christo auctore compertum est, et interire quæ possint. Hæc valentinianismum olent, ut etiam alii adverterunt. Tertul., adv. Valent., c. 32: *Et anima mortalis apud illos, nisi quæ salutem fide invenerit.* Quos itaque secutus Arnobius existimavit, impiorum animas mori, nec autem statim extingui, sed longissimi temporis cruciatibus et doloribus consumi. Elmenh. et Herald.

Si ad ejus se minas atque indulgentias applicarint. Cod. ms. *si ad ejus semina*, nullo sensu : pro quo Gelenius *se minas*, alii *se misericordiam*, Herald. *se munia.* Sed optime habet *minus*, *applicare se ad minas Dei*, id est minas Dei, exitium, quod Deus minatur D improbis, vereri. Bene itaque *minæ* opponuntur *indulgentiis.* Orell.

Animæ nescientes Deum. Id est Deum ejusque clementiam scire vel experiri nolentes. Vide supra, ad lib. I, c. 17, verba : *Hoc ergo dii magni norunt.* Orell.

Igni fero. Ignem ferum dicit Arnobius, quemadmodum vetus Latinus Bibliorum interpres *feros fluctus*, græce ἄγρια κύματα. Arnobius supra : *Inextinguibiles ignes.* Lib. IV, *inextinguibiles gehennæ flammas.* Cypr. ad Demetrian., fol. 258 : *ardentem gehennam et vivaces flammas.* Tertullian. Apologet., c. 48 : *jugem ignem* Lactant., lib. VII, c. 21 : *ignem sempiternum*, etc. Elmenh.

In quem jacient illos quidam crudeliter sævi et ante Christum incogniti, etc. Atqui jamdudum ante Christi tempora viguit in Judæorum gente opinio de dæmonibus corpora humana infestantibus malorumque in inferno tortoribus. Conf. imprimis Westen. ad Nov. Test., tom I, p. 279 et seqq. Similem Judaicorum

XV. Quare nihil est quod nos fallat, quod nobis polliceatur spes cassas, quod a novis quibusdam dicitur viris, et immoderata sui [a] opinione sublatis, animas immortales esse, Deo rerum, ac principi gradu proximas dignitatis, genitore illo ac patre prolatas, divinas, sapientes, doctas, neque ulla corporis attrectatione contiguas: quod quia verum et certum est, et a perfecto sumus inemendabili perfectione prolati, inculpabiles, et ideo irreprehensibiles vivimus, boni, justi, et recti, vitiositatis nullius rei, nulla cupiditas nos vincit nulla libido dehonestat, virtutum omnium servamus atque integramus tenorem. Et quia uno ex fonte omnium nostrum defluunt animæ, idcirco unum conveniensque sentimus: non moribus, non opinionibus discrepamus: Deum omnes novimus, nec quot in orbe sunt homines, sunt sententiæ [b] totidem, neque infinita varietate discretæ.

XVI. At dum ad corpora labimur et properamus humana, ex mundanis circulis sequuntur nos causæ, quibus mali simus, et pessimi, cupiditatibus atque iracundia ferveamus, exerceamus in flagitiis vitam,

A et in libidinem [c] publicam venalium corporum prostitutione damnemur. Et quemadmodum se possunt incorporalibus corpora conjungere: [d] aut a Deo principe res factæ, ab infirmioribus causis ad vitiorum dehonestamenta traduci? Vultis homines institutum, superciliumque deponere? qui Deum vobis adsciscitis patrem, et cum eo contenditis immortalitatem habere vos unam? vultis quærere, pervestigare, rimari, quid sitis vos ipsi, cujus sitis, censeamini quo patre, quid in mundo faciatis, quanam ratione nascamini, quo pacto prosiliatis ad vitam? vultis favore deposito cogitationibus tacitis pervidere animantia nos esse, aut consimilia cæteris, aut non plurima differitate distantia? Quid est enim, quod nos ab eo-
B rum indicet similitudine discrepare? vel quæ in nobis eminentia tanta est, ut animantium numero dedignemur adscribi? Ex ossibus illis fundata sunt corpora, et nervorum colligatione devincta: et nobis comparili ratione ex ossibus fundata sunt corpora, et nervorum colligatione devincta. Auras accipiunt naribus, et per anhelitum reciprocatas reddunt: et

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sibi *Sab. male.*

[b] Non sunt sententiæ *ms.*

[c] *Ita Sab. Alii,* sed in libidinem.

[d] Jungere *Fulv.*

COMMENTARIUS.

placitorum inscitiam apud nostrum deprehendimus. infra, l. III, c. 12, init., ubi vide notas. ORELL.

XV. — *Quod a novis quibusdam dicitur viris.* Hæc est emendatio Gelenii, quam secuti cæteri editores omnes, excepto Salmasio legente: *Quod nobis a quibusdam*, etc., quod Gallandus etiam in textum recepit. At multo magis placet Fulv. Ursini conjectura legentis: *A bonis quibusdam*, etc., *bonis* scil. ironice, ut ap. Cic., de Off., II, 25: *Optimi viri ad medium Janum sedentes*, et Orat. pro Rosc. Amer., c. 8, *optimus vir* de T. Roscio, homine pessimo. ORELL.

Neque ulla corporis attrectatione contiguas. Contiguas, id est, *quæ attrectari possunt, tangibiles*, significatione prorsus insolita. Vid. Barth., ad Gratii Falisc. Cyneget., vers. 8. Lexica non agnoscunt hanc significationem. Eodem sensu *incontiguus* infra, lib. VII, c. 3: *Omnique est incontiguus tactu.* ORELL.

Inculpabiles, et ideo irreprehensibiles vivimus, boni, justi, etc. Ironice hæc intelligenda. ORELL.

XVI. — *At dum ad corpora labimur.* Vide supra, ad lib. I, c. 29. ORELL.

Quibus mali simus et pessimi, cupiditatibus atque iracundia ferveamus. Ita e Cod. ms. ed. Th. Canterus. Antea legebatur: *et pessimis cupiditatibus*, etc. Editor. Lugd. Bat. *quibus mali simus*, non male, si esset *fiamus*, nam sequens *ferveamus* conjunctivum flagitat. ORELL.

In libidinem... damnemur. Id est obligemur, destinemur fatalibus causis, *damnari* sæpissime i. q. ad malum, infortunium aliquod destinari: Virgil., Æn. IV, vers. 699:

.... Stygioque caput damnaverat Orco;

et Petron. satir., c. III: *Quid proderit hoc tibi..... si antequam fata poscant, indemnatum spiritum* (id est nondum morti destinatum) *effuderis.* Ubi vid. Burmann. ORELL.

Ab infirmioribus causis. Fulv. Ursinus leg. conj. *infimioribus*, cujus comparativi e superlat. *Infimus* facti unum exemplum e latino barbaro interprete Irenæi, lib. II, cap. 14. Adducit Gesner., in Thesauro. ORELL.

Dehonestamenta. Glossæ: *dehonestamentum*, αἰσχύνη. Gellius, lib. II, c. 27: *Quo ille dehonestamento corporis maxime lætabatur.* ELMENH.

Vultis homines institutum superciliumque deponere. Locus hic variis rationibus interpolatur. Mutandum
C tamen nihil. *Institutum* enim appellat Arnobius αὐθάδειαν, sive obstinationem σεμνοπρεπῆ. Sic Jul. Firmic., Mathes., lib. VIII, c. 6: *Hoc sidere quicumque nati fuerint, aliud ex fronte pollicentur: aliud latenter in moribus celant. Sunt autem austera facie, prolixa barba, obstinata fronte, ita ut Catonis prorsus institutum imitari videantur.* HERALD.— Fulv. Ursinus legendum conjicit *fasti typhum superciliumque.* Ed. Lugd. Bat. habet: *istum typhum.* Meursius: *vultus homines isti* (id est ὦ οὗτοι) *typhum superciliumque deponere.* Equidem nihil definio, cum nesciam, quomodo habeat codex ms. ORELL.

Qui Deum vobis adsciscitis patrem. Legendum conjeceram *parem.* Sed retracto sententiam. Sensus est: *qui a Deo creatos vos gloriamini*, quam opinionem in sequentibus destruere conatur Arnobius, animas hominum non a Deo, sed ab inferioribus quibusdam potestatibus creatas asserens. ORELL.

Vultis favore deposito. Ita editio princeps: alii *fastu deposito.* Ed. Lugd. Bat. *tumore.* Sed nil mutandum.
D *favore* scil. illo, quo vestram opinionem amplectimini, quod barbare dicunt *partialitatem.* ORELL.

Consimilia cæteris. Ita editores plerique. Ed. princeps *consimilia cætera.* quod frustra defendit Heraldus explicans *consimilia nobis cætera animantia.* ORELL.

Aut non plurima differitate distantia. Differitas vox Lucretiana; de Rer. Nat., IV, vers. 640: *Tantaque in his rebus distantia differitasque est.* Noster infra lib IV, c. 36: *Nec inest in re signum, quo differitas judicari ambiguorum possit simpliciterque dictorum.* Vide Nonium hoc verbo, et, qui de hoc vocabulo multus est, Lud. Carrio, Emendd., lib. II, cap. 17, pag. 177; vol. III, part. II. Lampad. Crit Gruteri. ORELL.

Ossibus illis fundata sunt corpora. Phrasis Lucretiana. Lib. V, 925:

Et majoribus, et solidis magis ossibus intus
Fundatum, scilicet genus humanum.

HERALD.

Per anhelitum reciprocatas. Fulv. Ursin. *reciprocas*

nos spiritum consimiliter ducimus [a], et respiramus commeatibus crebris. Femininis generibus, masculinisque distincta sunt : in totidem et nos sexus nostro sumus ab auctore formati. Edunt per uteros fœtus, et corporalibus conciliis procreant : et nos corporum conjugationibus nascimur, et ex alvis fundimur, atque emittimur matrum. Cibo sustentantur et potu, et superfluas fœditates inferioribus egerunt abjiciuntque posticis : et nos cibo sustentamur et potu, et quod natura jam respuit, per eosdem effundimus tramites. Cura illis est omnibus famem prohibere mortiferam, et necessario invigilare pro victu : quid aliud nos tantis agimus in occupationibus vitæ, nisi ut ea quæramus, quibus famis periculum devitetur, et infelix sollicitudo ponatur? Morbos illa et inedias sentiunt, et ad ultimum senectute solvuntur : quid enim nos immunes malis ab his sumus, et non eadem ratione morborum incommoditatibus frangimur, senectutis destruimur tabe? Quod si et illud verum est, quod in mysteriis secretioribus dicitur, in pecudes atque alias belluas ire animas improborum, postquam sunt humanis corporibus exutæ : manifestius comprobatur, vicinos nos esse, neque intervallis longioribus disparatos. Siquidem res eadem nobis et illis est una, per quam esse animantia dicimur, et motum agitare vitalem.

XVII. Sed rationales nos sumus, et intelligentia vincimus genus omne mutorum. Crederem istud verissime dici, si cum ratione et consilio cuncti homines viverent, servarent officiorum tenorem, abstinerent ab illicitis, et si negotia turpia non adirent; neque quisquam pravitate consilii, atque ignorantiæ cæcitate contraria sibimet atque inimica deposceret. Vellem tamen scire, quænam sit hæc ratio, per quam sumus potiores animalium generibus cunctis : quia nobis domicilia fecimus, quibus possimus hyemalia frigora, et æstatis flagrantias evitare? Quid? Animantia cætera hujus rei providentiam non habent? Nonne alia cernimus opportunissimis sedibus nidulorum sibi construere mansiones? alia saxis et rupibus tegere et communire suspensis? excavare alia telluris sola, et in fossilibus [b] foveis tutamina sibimet et cubilia præparare? Quod si ministras manus illis etiam donare parens natura voluisset, dubitabile non foret, quin et ipsa construerent mœnium alta fastigia, et artificiosa excuderent novitate. Tamen in his ipsis, quæ rostris atque unguibus faciunt, multa inesse conspicimus rationis et sapientiæ simulacra quæ homines imitari nulla meditatione possumus [c] : quamvis sint nobis opifices manus, atque omni genere perfectionis artifices.

XVIII. Vestem illa non norunt, sellas, naves atque aratra compingere, nec denique suppellectilem cæteram quam familiaris usus exposcit. Non sunt ista scientiæ munera, sed pauperrimæ necessitatis inventa. Neque cum animis artes cœli ex penetralibus

LECTIONES VARIANTES.

[a] Similiter *Fulv.*
[b] Fossibilibus *alii.*
[c] Possimus *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Vide supra ad lib. I, cap. 8, notam Heraldi. Orell.

In totidem et nos sexus. Stewech. et hic restituit antiquum *secus*. Vide supra ad lib. I, c. 59, verba : *secus virile*. Orell.

Corporalibus conciliis procreant. Concilium de *congressu, concubitu* frequens apud Lucret., v. c. lib. II, vers. 934 :

Non fieri partum, nisi concilio ante coacto.

et lib. I, vers 184, *concilio genitali*. Ubi vid. Creech. Orell.

Ex alvis fundimur atque emittimur matrum. Cibo sustentantur et potu. Ita lego et interpungo cum Meursio. Alii pessime ita legunt : *ex alvis fundimur atque emittimur, matrum cibo sustentamur et potu.* Nam paulo post sequitur : *et nos cibo sustentamur et potu.* Orell.

Cura illis est omnibus famem prohibere mortiferam. Conferendus cum nostro Ciceronis locus de Offic., I, c. 4, init. Orell.

In pecudes atque alias belluas ire animas improborum. Hanc sententiam proponit Plato cum alibi, tum in Phædone; ibique eam pluribus explicat. De eadem Tertullian. libro de anima 31, 32, et sequentibus capitibus. Herald.

Exutæ. Ita Gelenius. Cod. ms. *sumptæ*, quod defendunt Th. Canterus et Stewech. loco Arnobii e lib. V : *Qui potestis res certas rebus a dubiis sumere*, ubi *sumere* idem quod *secernere* : neque hoc plane rejiciendum videtur. Salmas., in ed. Lugd. Bat., *exemptæ*. Meursius, *summotæ*. Orell.

XVII. — *Rationales.* Cf. Cic., de Off., cap. 4. Elmenh.

Mutorum. Cic., de Nat. Deor. I, § 133 : *Bestiæ mutæ et nihil intelligentes.* Itaque non legendum *brutorum*, quod prius mihi in mentem venerat. Orell.

Negotia turpia non adirent. Ita editio princeps ex ms. Alii *obirent*. Orell.

Pravitate consilii. Ed. rom., *parvitate*. Orell.

Vellem tamen scire. Meursius conj. *vellem tam scire* ἐλλειπτικῶς. Orell.

Communire. Vide supra, ad lib. I, cap. III. Orell.

Saxis et rupibus, Alii : *saxis se et rupibus* male. Orell.

Ministras manus. Ita Seneca ad Martiam, cap. 25. Conf. Bunemann. ad Lactant., de Opif. Dei, cap. 16, pag. 1201. Orell.

Artificiosa excuderent novitate. Fulv. Ursin. legendum conjecit *navitate*. Sed non opus hac correctione. *Artificiosa novitas* exquisite et eleganter dicitur ars nova semper et invisitata excogitans. Pro *excuderent* Stewech. mavult *excluderent*, allegans locum Apuleii Florid. I : *Edixit* (Alexander) *universo orbi suo, ne quis effigiem regis temere assimilaret ære, colore, cælamine, quin solus eam Polycletus ære duceret, solus Apelles coloribus delinearet, solus Pyrgoteles calamine excluderet :* Ubi autem Elmenhorstii editio p. 344, habet *excluderet*. Idem Stewech. mavult : *artificiosas novitates*, id est res novas, antea nulli visas. Orell.

Tamen. Fulv. Ursinus : *et tamen*, quod magis placet, *et* facillime absorberi poterat a præcedenti *novitate*. Orell.

XVIII. — *Non sunt ista scientiæ munera, sed pauperrimæ necessitatis inventa.* Theocrit., Idyll. XXI, 1 :

Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει.
Αὐτὰ τοῦ μόχθοιο διδάσκαλος.

Virgil., Georg. I, vers 145 :

Tunc variæ venere artes : labor omnia vicit
Improbus, et duris urgens in rebus egestas. Orell.

ceciderunt : sed exquisitæ et natæ sunt in terris hic A omnes, et cum processu temporum paulatim meditatione conflatæ. Quod si haberent scientias animæ, quas genus et habere divinum atque immortale condignum est : ab initio homines cuncti omnia scirent, nec sæculum esset ullum, quod artis esset ignarum alicujus, aut rerum experientia non paratum. Nunc vero inops vita, et multarum indigens rerum, fortuita conspiciens quædam commodule provenire, dum imitatur, experitur, et tentat, dum labitur, reformat, immutat, ex assidua reprehensione paravit sibi et concinnavit scientiolas artium, et ad unum exitum temporibus plurimis cœmendata perduxit.

XIX. Quod si homines penitus aut ipsos se nossent, aut intellectum Dei suspicionis alicujus acciperent aura, numquam sibi adsciscerent divinam immortalemque naturam : nec existimarent quiddam magnificum se esse, quia sibi craticulas, trulleos craterasque fecerunt, quia subuculas, suppara, lænas, lacernulas, trabeas, cultros, loricas et gladios, quia rastra, securiculas, vomerem. Numquam, inquam, crederent typho et arrogantia sublevati, prima esse

COMMENTARIUS.

Aut rerum experientia non paratum. Ita editio princeps romana. Optime *seculum paratum* est sæculum omnibus rebus abundans. Ita *provincia parata*, ἡτοιμασμένη. Alii *partum*, nullo sensu. Fulv. Ursin. *peritum*. B Orell.

Paravit et concinnavit scientiolas artium. Ita edidi ex emendatione felicissima Oudendorpii ad Apuleii lib. VII, p. 466. Cæteri : *Parvas et concinnavit scientiolas*. Orell.

Cœmendata. Ita editor Lugd. Bat. e ms. ut referatur ad præcedens *fortuita quædam*. Sed potius legendum *cœmendatas*, scilicet *scientiolas*. Cod ms., *commendatas*. Stewech., *commodatas*. Fulv. Ursinus *commentatas*, quod defendit Meursius et explicat significatione passiva, ut plura verba deponentia apud nostrum, verbi causa supra *imminentia et nondum passa*, ubi autem, ut vidimus, dubia est lectio. Postea eodem libro *ingredi* : *Quod enim rebus ingressis priorum repententiam detrahit*. *Metiri* simili modo : *Orbe sit sol amplior et pedis unius latitudine metiatur*. Sed ipse Meursius conjecturam hanc retractat in Appendice et præfert *cœmendata*, quod habet codex ms. Cæterum Arnobius talia composita valde amat. Ita *conscriptores* C lib. I; *condignum* cap. præcedenti; *condiscere* lib. VI, c. 4; *confieri* lib. V, c. 39; *cohonestare* aliquoties; quod semel monuisse sufficiat. Orell.

XIX. — *Quod si homines penitus aut ipsos se nossent*. Placet Stewechii conjectura legentis *penitius* a *penite*, quod legimus apud Catullum Epithal. Juliæ et Manlii, vers. 176 :

> Illi non minus, ac tibi
> Pectore uritur intimo
> Flamma, sed penite magis.

Superlativum certe *penitissime* habet Plautus aliquoties et Sidonius, lib. IV, epist. 9 : *Et actiones ejus cotidianas penitissime inspexi*. Conf. Laurenberg., Antiquar, hoc verbo, Orell.

Quiddam magnificum se esse. Ita Cod. ms. Gelen. *nosse*, sequentibus cæteris editoribus, excepto Lugd. Bat., non male. Orell.

Craticulas. Deminutivo, hoc loco, ut in seq., *lacernulas*, *securiculas*, utitur Arnobius per contemptum. D Orell.

Trulleos. Ita cod. ms. Alii *trullas*. Sed distinguit Varro de Ling. lat., lib. IV, pag. 34, ed. Bipont.: *Trulleum simile figura trullæ, nisi quod latius concipit aquam, et quod manubrium cavum non est, nisi vinaria trulla accessit*. Ubi vid. Turneb. not., pag. 86, et Gesner., in Thesauro. Nonius de Gen. vasorum vel poculorum pag. 547, ed Mercer. : *Trulleum, quo manus perluuntur* (*bassin*). *Ejus urceolum aquæmanalem vocamus, quod eo aqua in trulleum effundatur* (*aiguière*) Masculinum *trulleus* habet Plin., Hist. nat. XXXIV, 2. Orell.

Craterasque. *Crateræ*, si Nonio Marcello (cap. 19) credideris, vasa sunt vini; crateres vero vasa olearia, ac utrumque Virgilii auctoritate probare nititur Nourr., p. 554.— Atqui *crateras* hoc loco est græcus accusativus verbi *crater*, κρατήρ. Cæterum ita emendavit Fulv. Ursinus; optime : nam sequentia *subuculas*, etc. et hic substantivum flagitant. Editio princeps et Gelenius : *cæteraque fecerunt*. Orell.

Subuculas. Glossæ : *Subucula*, ὑποδυτής, ὑποχιτών. Tunica interior, quæ ἀμέσως, corpori insidebat : dicebatur et *interula*. *Tunica* lanea erat, *interula* sive *subucula* linea. Horat. Epist. I, 1, vers. 4 : *Subucula pexæ Trita subest tunicæ*. Nonius v. *subucula* e Varrone, de Vita pop. rom., lib. I : *Posteaquam binas tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare subuculam vel indusium*. Cf., qui de hoc verbo multus est, Salmas., ad Tertullian., de Pallio, pag. 378, sq.; Bœttiger V. Cl., in l. tit. *Sabina oder Morgenscenen im Putzzimmer einer reichen Römerin*, pag. 375; *interulæ* sive interioris tunicæ duas species distinguit : *subuculam* virorum, *interulam* fœminarum. Cf. Ferrar., de Re vestiaria, III, 1, pag. 175; Rosin., Antiq. rom., lib. V, c. 35, et G. J. Voss., Etymolog. rom., hoc verbo. Orell.

Suppara. Festus : *Supparus dicebatur puellare vestimentum lineum, quod et subucula appellatur*. Ubi vide intpp. Varro tamen aperte distinguit de Ling. lat., lib. IV, pag. 37. ed. Bipont. : *Alterum quod subtus, a quo subucula; alterum quod supra, a quo suppara, nisi quod id dicunt Osce*. Vide in primis Gisb. Cuper. Observatt., lib. IV, cap. 17, omnia veterum loca de supparis diligentissime conferentem et demonstrantem, *suppara* fuisse genus tunicæ et quidem exterioris parvis admodum manicis instructæ, quæ nonnisi humeros tegebant, vel in primis humeris hærebant, atque fibula constringebantur. Cf. Salmas., ad Tertullian., de Pallio, p. 209, et Voss., Etymol. rom. Orell.

Lænas. Festus : *Læna vestimenti genus habitus duplicis. Quidam appellatam existimant Tusce, quidam Græce, quam χλαίνην dicunt*. Elmenh. — Læna itaque toga erat crassior supra cætera vestimenta, unde Varro a lana multa dictam putat, *duarum enim togarum instar*, de Ling. lat., lib. IV, pag. 37; sed male. Nam est a Græco χλαίνη. Videns Popm., ad Varron., not., pag. 94. Orell.

Lacernulas. *Lacerna* vestis militaris pænulæ similis stricta, corpus ambiens et velut pressim includens, pulli coloris. Vide Fest., hoc verbo et in primis Just. Lips., de Pronuntiat. ling. lat. cap. 3, pag. 15, et Elect., lib. I, c. 13, pag. 683, vol. I ed. Vesal. Erat vestimentum vilis popelli, immo servorum etiam. Orell.

Trabeas. *Trabea vestis senatorum* Papias. Elmenh. Immo equitum potius. (Immo ipsorum consulum, tempore Arnobii. Vide quos citat Ph. Pareus in Elect. Symmach., pag. 64). Vide Lips., ad Tacit. Annal., III, 2. Rubenium, de Lato clavo, I, 5. Ferrar., de Re vestiaria, part. I, lib. II, 6. *Trabea* erat vestis trabibus purpureis intextis ad discriminandum in coloniis equitem a plebe. Orell.

Typho et arrogantia sublevati. Jul. Firmicus, lib. III, Mathes., cap. 3 : *faciet quoque inflatos, ac superbiæ spiritu sublevatos*, et lib. VI, cap. 17 : *Ipsi quoque erecto superbiæ spiritu sublevantur*. Herald.

se numina, et æqualia principis summitati : quia grammaticam, musicam, oratoriam pepererant [a], et geometricas formulas. In quibus artificiis quidnam insit admirabile, non videmus : ut ex eorum inventione credatur esse animas potiores et sole et sideribus cunctis, hunc totum, cujus membra sunt hæc, mundum et dignitate et substantia præterire. Quid enim aliud se spondent vel insinuare posse, vel tradere, quam ut regulas nominum, differentiasque noscamus? ut intervalla in vocum sonis? ut loquamur suadenter in litibus, ut terrarum continentias metiamur? Quæ si secum animæ divinis ex regionibus attulissent, et esset necessarium scire, omnes ea jamdudum in omni orbe tractarent : neque ullum hominum reperiretur genus, quod non esset his omnibus æqualiter atque uniformiter eruditum. Nunc vero in mundo quotus quisque est musicus, dialecticus, et geometres, quotus orator, poeta, grammaticus? ex quo apparet, ut sæpius dictum est, inventa hæc esse locorum necessitate, ac temporum : neque divinas eruditas advolavisse huc animas : quod neque A omnes doctæ sint, neque discere omnes possint, et sint in his plurimæ acuminis obtusioris, et bardi, et ad discendi [b] studium plagarum coercitione cogantur. Quod si ea [c], quæ discimus, reminiscentias esse constaret, ut antiquis opinionibus scitum est, conveniebat nos omnes ab una veritate venientes unum nosse, unumque reminisci, non habere diversas, non plurimas, dissidentesque sententias. Nunc vero cum singuli aliud atque aliud asseramus, manifestum et promptum est, nihil nos attulisse de cœlo, sed hic nata addiscere, et suspicionibus coalita vindicare.

XX. Et ut vobis clarius manifestiusque monstremus, cujus sit pretii homo, quem simillimum creditis potentiæ superioris existere, concipite animis B hanc imaginem vestris, et quod fieri si aggrediamur potest, tamquam si simus aggressi, similitudinis assumptione teneamus. Sit igitur nobis tellure in effossa locus habitabilis formam cubilis efficiens, tecto et parietibus clausus; non algidus frigore, non fervoris nimius in calore, sed ita temperatus, et medius,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Repererant *Fulv.*
[b] Ediscendit *Fulv. Vide Not.*
[c] Quod et si ea *Ms.*

COMMENTARIUS.

Quia grammaticam, musicam, oratoriam pepererunt. Meursius, pag. 57, legendum conjicit : *Quia grammaticam, musicam, oratoriam repererunt*, quia statim subjungit Arnobius : *ut ex earum inventione credatur animas esse potiores.* ORELL.

Dignitate et substantia præterire. Substantia idem C *quod natura sua spirituali*, vel etiam *constantia*, *perpetuitate :* quo sensu, quamquam significationis hujus exempla desidero, verbo *substantia* ab inferioris latinitatis scriptoribus usurpatam fuisse nullus dubito, cum verbum *subsistere* pro *constare* sæpius occurrat. *Præterire* idem quod vincere, ut sæp. Martial, lib. XII, 36 :

Nulla gloria est præterire asellos.

Quid enim aliud se spondent vel insinuare posse vel tradere. Vide supra ad lib. I, c. 63. ORELL.

Ut terrarum continentias metiamur. Continentiam dicit hic Arnobius περιοχὴν ut interpretantur Glossæ Philoxeni : quomodo *retinentiam* dicit Lucretius κατοχήν. Lib. III, vers. 675 : *Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum.* HERALD. — *Continentia* apud illius ævi scriptores sæpissime *id quod continetur.* Ita Fulgentii liber inscriptus *de Virgiliana continentia*, ubi vid. Munker., Mythogr. lat., pag. 137, vol. II, et apposite ad nostrum Æthicus Cosmograph. procem : *Ac sic omnis orbis terræ intra annos 32 a dimensoribus peragratus est, et de omni ejus continentia perlatum est ad senatum.* ORELL.

Neque divinas, eruditas. Ita cod. ms. et editio princeps. Fulv. Ursin. *divinitus eruditas.* Non male quidem. Sed *divinas* stare potest, si explicemus vel a Deo profectas, vel immortales, ut infra cap. 62, *divinas animas fieri, et ab legibus mortalitatis educi.* Et amare Arnobium talia adjectiva sine copula *et* conjungere supra observavimus. Th. Canterus conj. *divine eruditas.* ORELL.

Neque discere omnes possint, et sint. Ita Gelenius, sequentibus cæteris, excepto Heraldo, qui defendit veterem lectionem :..... *possunt, ut sint*, vel legendum conjicit *cur sint*, explicans *cur* per *quia*, ut Sidon., I, epist. 1 : *Propter quod illum cæteri quique Frontinianorum, utpote consectaneum æmulati, cur veternosum dicendi genus imitarentur, oratorum simiam nuncupaverunt.* Sed bene Gelenius, nam *ut* et *et* sæpissime permutantur a librariis. ORELL.

Bardi. Ita e ms. optime restituit Meursius et editor Lugd. Bat. Vulgo *tardi. Bardus stultus a tarditate ingenii appellatur..... trahitur autem a Græco, quod illi βάρδεις dicunt.* Festus. Cf. Nonium. Ita Cic de Fato, cap. 5 : *Zopyrus physiognomon..... stupidum esse Socratem dixit et bardum.* Ubi videsis Turneb. ORELL.

Ad discendi studium. Nescio, quid in mentem venerit editori Lugduno-Batavo, non solum adstruenti in Variarum Lectionum libello, sed etiam in textum intrudenti *discedendi.* ORELL.

Quod si ea, quæ discimus, reminiscentias esse constaret. Hoc Platonis dogma fuit, qui vixisse animas hominum, antequam corpus induissent, asserebat : dicebatque, cum in nova corpora rursum irent, non novi aliquid addiscere, sed illa, quæ jam antea didicerant, saltem recognoscere. Vide illum in Menone et Phædone, pag. 73 (ed. H. Steph.); Cic. I Tuscul. Quæst.; Tertullian., de Anima, cap. 23. Refutant illum Augustin., de Trinitate, lib. X, c. 15; Teophilus, lib. III, ad Autolycum. ELMENH.

D *Sed hic nata addiscere.* Fulv. Ursin. *natos discere.* Sed nil mutandum. Sequitur enim *et suspicionibus coalita* id est corroborata, confirmata. Ita Tacit., Annal. XIII, cap. 26 : *irreverentia coalita libertate*; et XIV, 1 : *coalita vetustate imperii audacia*; ubi Ernesti observat sumptam metaphoram ab arboribus et plantis, quæ *coalescere* dicuntur, cum radicibus adhæserunt terræ, nec convelli possunt. ORELL.

XX. — *Non ferveris nimius in calore.* Ita correxit Th. Cantherus. Cod. ms : *Non ferveris nimium in calore.* Meursius legendum conjicit aut *incalore* una voce, ut *injuventus* lib. I, pro *juventus*, sed ibi, suspecta lectio; aut *non fervens nimium in calore*, ut τὸ ἐν παρέλκον sit, quemadmodum apud Apuleium non semel, verbi causa *gravis in annis, vini cadrum in ætate pretiosi.* Fulv. Ursin. *non fervens nimio calore.* ORELL.

ut nec frigoris sensum [a], nec ardorem validum perpetiatur æstatis. In hunc sonus omnino nullius incidat vocis, non avis, non bestiæ, non tempestatis, non hominis, non denique fragoris alicujus, aut concrepantis terribiliter cœli. Excogitemus deinde quemadmodum lumen accipiat, non ex illato igni, neque ex sole conspecto, sed nothum aliquid fiat, quod imaginem luminis caligine interposita mentiatur : janua non una sit, nec sit introitus rectus, adeatur inflexibus flexuosis : nec recludatur aliquando, nisi cum necessaria ratio postularit.

XXI. Nunc quoniam imagini præparavimus sedem, accipiamus deinceps mox aliquem natum, in loci illius hospitium, quod habeat rem nullam, et sit inane ac vacuum : Platonica licet aut Pythagorea progenie, aut horum alicujus, qui acuminis perhibentur fuisse divini : aut ex Deum responsis sapientissimi nuncupati. Quod cum actum fuerit, nutriri ut debeat sequitur, et alimoniis convenientibus educari. Adhibeamus igitur et nutricem, quæ semper ad eum nuda, A semper silens accedat, verbum nullum faciens, nec in sermones aliquos ora et labra diducat : sed cum mammas dederit, et consequentia suppleril officia, datum quieti linquat, et ante fores clausas dies noctesque continuet. Poscit enim plerumque res, nutricias adesse curas, et observare temporarios motus. At vero cum cœperit solidioribus cibis infans debere fulciri, nutrice inferantur ab eadem, veste, ut diximus, posita, et tenore reticentiæ servato. Ipse autem, qui infertur cibus sit unus atque idem semper : nihil materia differens, nec per varios redintegratus sapores : sed aut fitilla de milio, aut sit panis ex farre, aut, ut æscula imitemur antiqua, ex cinere caldo glandes, aut ex ramis agrestibus bacculæ. Potio autem vini sit prorsus incognita, nec sedandæ B aliud admoveatur siti, quam liquor purus e fontibus caldore ignis intactus : et, si fieri potis est, manibus subministratus cavis. Fiet enim familiaris e more consuetudo in naturam versa : nec appetitio porrigetur ulterius, esse amplius nesciens quod petatur.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Addit *Fulv.* hyemalis.

COMMENTARIUS.

Sed nothum aliquid fiat. Sensus est : lumen perspicue non excipiatur, sed aliunde per rimulas irrepat, adeo ut verum lumen dici non possit, sed suppositivum et νοθεῖον. Sic Lucretius de Luna, lib. v, vs. 575 :

> Lunaque, sive notho fertur loca lumine lustrans,
> Sive suam proprio jactat de corpore lucem,
> Quidquid id est, nihilo fertur majore figura.

et Catull. carm. 34, vs. 15 :

> Tu potens Trivia, et notho es
> Dicta lumine Luna.

Prior. Alii legunt *novum*. Cod. ms. *notum*. *Nothum* est ex emendatione Scaligeri. Orell.

Inflexibus. Ita Stewech. sequente editore Lugd. Bat Est autem ab *inflexus, us*, pro *inflexio*, ut *commutatus* pro *commutatio*. Lucret. I, vers. 803, *opinatus* pro *opinio;* id., IV, 466; *Conjectus* pro *conjectio*, liv. v, vers. 417, *Declinatus* pro *declinatio* ap. Varron. de ling. lat., aliquoties. *Fissus* pro *fissio*, ap. Manil., lib. I. Vide, qui plura exempla congessit, Tennull. ad Frontin. Strategem. lib. I, præfat. pag. 3, ed. Oudendorp. Alii *inflexionibus*. Arntzenius ad Nazarii Paneg. in Constantin. C. V, § 6. Legend. conj. *anfractibus flexuosis*. Orell.

XXI. — *Nunc quoniam imagini præparavimus sedem, accipiamus deinceps mox aliquem natum in loci illius hospitium, quod habeat rem nullam et sit inane et vacuum, Platonica licet aut Pythagorea progenie, aut horum alicujus, qui acuminis perhibentur fuisse divini, aut ex Deum responsis sapientissimi nuncupati.* Locus non solum egregie luxatus, verum et mutilus. Restituo et suppleo : *Nunc quoniam imagini præparavimus sedem, accipiamus deinceps mox aliquem natum Platonica licet aut Pythagorea progenie, aut horum alicujus, qui acuminis perhibentur fuisse divini, aut ex Deum responsis sapientissimi nuncupati, et in loci illius hospitium, quod sit inane et vacuum, concludamus.* Ultimam vocem, sententia flagitante, addidi. Meurs. *p.* 58.—At omnia sana erant, modo pro *licet* legamus *scilicet*. Orell.

Imagini Id est homini imaginatione concepto, ficto. *Ideal* Orell.

Nec in sermones aliquos ora et labra diducat. Ita Fulv. Ursinus, sequente ed. Lugd. Bat.; quæ correctio proxime accedit ad lectionem cod. ms. *in sermone alicujus*, quod stare non potest, quia nemini, præter unam nutricem, ad infantem accedere licebat. Gelen. *in sermonem aliquem.* Herald. *nec in sermocinationem ora .... diducat.* Orell.

C *Inferantur.* Ita Meursius et Salmasius. Alii : *inferatur :* Orell.

Sed aut fitilla de milio. Ita restituit ed. Lugd. Bat. optime. Antea legebatur *sit illa*, quod male convenit cum sequentibus : *aut sit panis ex farre*, nam *panis* non materia cibi, sed far, farina. Et omnino sequentia substantiva *panis, glandes, ... baculæ* etiam in priori membro substantivum aliquod flagitare videntur. Legendum itaque *fitilla*, id est, pultis genus, quo utebantur in sacris. Noster infra, lib. VII, cap. 24. *Quid fitilla? quid frumen?* etc. Plin., Hist. nat., lib. XVIII, cap. 8 *Et hodie sacra prisca atque natalium pulte fitilla conficiuntur.* Cf. Muret., Var. Lectt., lib. XII, cap. I, et, qui de hac voce et ejus etymo multus est, Gesner., in Thesauro. Orell.

Ex cinere caldo glandes. Id est, cinere caldo tostæ. Ad formam Græcorum. Homerus, Odyss., XIX, vers. 536 :

D
> Χῆνές μοι κατὰ οἶκον ἐείκοσι πυρὸν ἔδουσιν
> ἐξ ὕδατος. Herald.

Caldore ignis intactus. Calidam potionibus misceri solitam, confirmatur loco illo notissimo Horatii, lib. III, od. 19 :

> Quo Chium pretio cadum
> Mercemur? Quis aquam temperet ignibus?

ad quæ vetus interpres Acron : *Nam tepefactis aquis solebant Græci vina temperare.* Sed et pauperiores, qui aquam bibebant, illam ipsam quoque soliti calefacere. Meurs., p 59.

Nec appetitio porrigetur ulterius, esse amplius nesciens, quod petatur Ita Fulv., Ursinus et Meursius : cod. ms. et editio princeps *corrigetur*. *Nesciens*, scil. appetitio, sed melius, puto, esset *nescienti*, scil. puero illi. Orell.

XXII. Quorsum igitur hæc spectant? Ut, quoniam creditum est animas divinas atque adeo [a] immortales esse, et ad hominum corpora disciplinis cum omnibus advolare, experiamur ex isto, quem hoc genere voluimus educari, capiatne res fidem, an sit leviter credita, et frustrabili expectatione præsumpta. Procedat igitur nobis solitudine in operta nutritus, quot vultis annos agens, vultis vicenarius? vultis tricenarius? immo cum annos fuerit quadraginta permensus, mortalium conciliis inferatur : et si verum est illum principalis esse substantiæ portionem tam lætam et ex fontibus vitæ derivatum hic agere, antequam notitiam rei sumat alicujus, aut sermone imbuatur humano, det responsum rogatus, quisnam sit ipse, aut quo patre, quibus sit in regionibus editus, quo pacto, aut quanam ratione nutritus, quid operis aut negotii celebrans antecacti temporis decurrerit ævitatem. Ita ille non omni pecore, ligno, saxo obtusior, atque hebetior stabit? non missus in res novas, et numquam sibi ante cognitas, ipsum sese est [b] ante omnia nesciturus? Poteritne, si quæras, sol quid sit ostendere, terra, maria, sidera, nubes, nebula, pluviæ, tonitrua, nix, grando? Poterit arbores scire quid sint, herbæ, aut gramina, taurus, equus, aut aries, camelus, elephantus, aut mulus?

XXIII. Esurienti si dederis uvam, mustacium, cæpe, carduum, cucumerem, ficum, sciet posse sedari omnibus ex his famem? aut quo genere singula esse debeant esui? Et sibi [c] ignem si plurimum feceris, aut venenatas circumposueris bestias, nonne ibit per medias flammas, viperas, solifugas, esse

LECTIONES VARIANTES.

[a] Atque a Deo *Sab. probante ed. Lugd. B.*

[b] *Sic ms. Sab.* Esse.

[c] Sui *ms. male.*

COMMENTARIUS.

Frustrabili expectatione præsumpta. Frustrabilis, idem quod fallax, frustrandi vim habens, active. Vox Arnobiana. Sic infra, lib. VI, cap. 22 : *Resque alias agere libidinis vacua imaginatione frustrabiles.* ORELL.

XXII. — *Et si verum est illum principalis esse substantiæ portionem tam lætam, ex fontibus vitæ derivatum hic agere.* Codicis ms. lectio erat : *portione jam læta*, vitiose. Gelenius et illum sequentes plerique editores legunt : *substantiæ portionem et ex fontibus* etc. verbis *jam læta* prorsus deletis, quæ primus textui restituit editor Lugd. Bat. legens *tam lætam*. Maxime autem mihi placet conjectura Stewechii legentis *portionem tam lectam*, id est, ut ait Horatius, *divinæ particulam auræ. Principalis* id est divinæ, a summo principe profectæ, ut aliquoties ap. Arnobium : neque offendere debet lectorem defectus particulæ *et* ab hoc scriptore sæpius omissæ. *Agere* hoc loco idem quod degere. ORELL.

Ævitatem, Nonius *verbo ævum : ævum generis neutri : ævitas fœminini. Varro Tithono* περὶ γήρως : *Qua voluntatem ævitatis extima attigit metam ævitas.* Noster infra, *lib.* V, *c.* 8 : *Cui dicto si constat fides, Mater quoque dicenda est magna intra hujus numeri fines ævitatem suam habere conclusam.* ORELL.

Ligno, saxo obtusior. Plautus in Milite :

Herus meus elephanti corio contectus est, non suo :
Neque habet plus sapientiæ, quam lapis.

Lapis igitur convicium est græcis et latinis commune, quo stupidos et obtusi ingenii homines feriunt. Aristophanes in Nubibus : λίθοι, ἀριθμοί, πρόβατα. HERALD.

Elephantus aut mulus. Ita editor Lugd. Bat. e correctione Stewechii verosimillima. Nam hic tantum quadrupeda nominantur, ut infra in simillimo loco, cap. 52 : *Unde sunt elephanti, tauri, cervi, muli, asini?* Alii : *elephantus aut milvus.* ORELL.

XXIII. — *Mustacium. Mustacium* seu *mustaceum* docet Cato. de Re rust., cap. 125, fieri farina siliginea, musto conspersa, aniso, cumino, adipe, caseo et virgæ lauri ramentis. Canit autem Juvenalis, sat. VII, 201 :

Non est quare cœnam et mustacea perdas.

Quem in versum Scholiastes hæc annotavit : *Cibaria dulcia, musto conspersa, quæ sub finem convivii dari in nuptialibus cœnis solita.* Videsis Erasmi Chiliad. IV, cent. 9, adag. 87, NOURR., p. 559. — *Mustacius* sive potius *mustaceus* libum seu genus placentæ e musto, cujus conficiendi rationem docet Cato, de Re rust., c. 121 : *Mustaceos sic facito, Farinæ siligineæ modium unum musto conspergito. Anisum, cuminum, adipis P.* II. *casei librum, et de virga lauri deradito, eodem addito. Et ubi definxeris, lauri folia subtus addito, cum coques.* Cf. Pallad. Octobr. c. XXI, qui diversa nonnihil a Catone tradit, ibique Schneider. Harduin., ad Plin. Hist. nat., lib. XV, c. 30, observat, mustacea fuisse levia cibaria, iis præberi solita, qui stomachi imbecillioris essent. Vide et G. J. Voss. in Etymologico Rom. ORELL.

Carduum. Intelligendus *carduus sativus* sive *cinara* (*Artischoke*), de qua est multus Schneider. V. C. ad Columell., lib. X, de Cultu hortorum, vers. 235, pag. 529, seqq. ORELL.

Quo genere singula esse debeant esui. Ita feliciter emendavit ed. Lugd. Bat. Sensus est : quo genere esse debeant singula, ut edi possint. Cæteri : *Quo genere singula esse debeant. Et sibi.* ORELL.

Ignem si plurimum feceris.... nonne ibit per medias flammas. Cf. acutissimum Kantium in Anthropol., p. 317, cum Arnobio maxime consentientem. ORELL.

Solifugas. Ita editiones omnes; sed potius legendum cum Stewechio *solipugas*, quorum meminit Plinius, Hist. nat., lib. XXIX, c. 4 (29 ed. Harduin.) : *Est et formicarum genus venenatum non fere in Italia. Solipugas Cicero appellat, salpugas Bætica;* ubi nonnulli codices etiam habent *solifugas?* Idem, lib. XXII, cap. ult. *et leguminibus innascuntur bestiolæ venenatæ, quæ manus pungunt, et periculum vitæ afferunt, solipugarum generis.* Vide Harduin., ad Plin. VIII, n. 88, pag. 491; Lucan., Phars. IX, 837.

Quis calcare tuas metuit salpuga latebras?

Fest. *Solipunga genus bestiolæ maleficæ, quod acrius concitatiusque sit fervore solis.* Solinus autem Polyhistor., cap. 4 : *Sardinia est quidem absque serpentibus, sed quod aliis locis serpens, hoc solifuga sardis agris. Animal perexiguum, qua aranæi forma, solifuga dicta, quod solem fugiat.* Ubi Salmasius, qui hoc de animalculo multus est in Exercit. Plin., pag. 70, 71, putat Tarentulam (*Tarantel*) significari Apuliæ peculiarem, quæ ex terræ cavernis obrepens per improvisum in summo æstu messoribus perniciem creat. Vossius de Idololatr., l. IV, cap. 96, putat *solifugam* et *solipugnam* idem plane significare, scil. antiqua scribendi ratione mutato in *f*. Ita πύγελα, a πυγή, latine *Fugela*, πείθω fido, a πόρος *forare*, *fungus* a σπόγγος, *figo* a πήγω, *fere* a περί aliaque. Mihi videntur plura diversa animalcula venenata hoc nomine significari a scriptoribus antiquis. *Solifugam* Arnobii, Solini, Plinii, ut et salpugam Bæticæ, intelligo de araneorum genere venenato, cujus species est Tarentula. Illas autem solipugas sive φαλάγγια, quæ, teste eodem Plinio, Hist. nat., lib. VIII, c. 29; Ælian. de Nat. anim., lib. XVII, c. 40; Diodor. Sic., Bibl., lib. III, c. 29, citra Cyno-

noxias nesciens, et timere ipsum quid sit ignorans? Jam vero si vestem, si supellectilem ponas in medio tam urbanam, quam rusticam, eritne idem ut possit discriminare cui [a] negotio res quæque conveniat?

A cujus muneris accommodata sint usui? Indicet in quos habitus vestis stragula facta sit, mitra, strophium, fascia, pulvinus, muccinium, læna, calantica, mantele, mastruca, soccus, solea, calceus? Quid si adji.

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Auget ms*. Discriminare discernere cui bene. Meurs.

COMMENTARIUS.

molgas Æthiopiæ totam gentem sustulerunt, accipio vel eum Schneidero V. Cl. ad Æliani locum laud. de phalangio illo araneoide, quod accuratissime descriptum a Cel. Pallas in Spicileg. Zoolog., pascic. IX, pag. 37, chelis oris cancriformibus gaudet, quibus venenum præsentissimum vulneribus instillat, vel potius de animalculo illo e formicarum genere, quod dicitur Linnæo *Termes fatale*, *utriusque Indiæ calamitas, die weisse Ameise*, cujus luculentam descriptionem vide in E. A. W. Zimmermanni Almanach der B Reisen., part. I, pag. 163-182. Orell.

Eritne idem ut possit, etc. Annon legendum: *Eritne idoneus*, *ut possit*, etc. Orell.

Cujus muneris accommodata sint usui? Indicet in quos habitus. Sic interpunxit Salmasius rectissime. Nam *indicet* referendum ad sequentia. Alii: *cujus muneris accommodata sint usui*, *indicet*? Meursius: *judicet*? Orell.

Vestis stragula. Liv., lib. XXXIX, 7. *Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu asiatico invecta in urbem est: ii primum lectos æratos*, *vestem stragulam pretiosam*, *plagulas*, *et alia textilia*, *et quæ tum magnificæ supellectilis habebantur*, *monopodia et abacos Romam advexerunt*. Ubi Marcellus Donatus in ed. Gronovii, pag. 513, vol. III: *Straguli nomine absolute positi venire credo non modo stragula lectorum, sed etiam tapetia aliaque hujusmodi telarum seu pannorum genera animalium* C *herbarumque variis figuris et coloribus contexta*, *ob id belluata dicta a Plauto et picta a Tibullo* I, 2, *vers.* 77. *Si vero cum additione vestis stragulam protulerimus*, *procul dubio intelligendum indumentum*, *seu vestimentum*, *ejusdem tamen generis*. Orell.

Mitra. Fascia, qua coma religabatur, cujus autem usus barbaris frequentior quam Græcis. Apud Romanos vetularum et meretricum ornamentum, marium etiam nonnumquam, sed effeminatorum, hinc Bacchi insigne. Vide J. G. Grævii, Lectt. Hesiod., c. 23; Turneb., Advers., lib. IV, c, 14; Salmas., Plin. Exercitt., in Solin., pag. 392; Dempster., Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom., lib. V, cap. 35; Ernest. Clav. Cic., hoc verbo Dœring., ad Catull., carm. LXIV, vers. 63. Orell.

Strophium. Fasciola, qua papillas feminæ coercebant, vel potius zona sive cestus acu pictus, quo mulieres pectora succingebant, quibusque epistolas sæpe aliasque res leviusculas conservabant. Vide Nonium, hoc verbo, Ernest. Clav. Cic.; Dœring., ad Catull., carm. LXIV, vers. 65, et inprimis Bœttiger. V. Cl., qui de hoc verbo pluribus agit, in Sabina, pag. 73, 162, 172, 376. Orell.

Fascia. *Fasciæ* sive *fasciolæ* ornamenta brachiorum, pedum, articulorum, quarum apud Romanos usus primus fuit in ægrotis et imbecillibus, a quibus sumpserunt postea homines delicati et molles. Horat., II, Serm. III, vers. 254:

> Ponas insignia morbi
> Fasciolas, cubital, focalia.

Vide, qui de iis multus est, Casaubon., ad Sueton. August., cap. 82, et Dempster. Paralip., ad Rosin. de Ant. Rom., lib. V, cap. 35, pag. 927 seq., ed. Schotti. Videtur hoc loco κατ' ἐξοχὴν intelligenda *fascia pedalis* seu *cruralis*, quæ apud Romanos vicem gerebat nostrorum tibialium (*Strumpfe*). Orell.

Muccinium. Emunctorium. Id est linteum, quo nasi muccum excipiebant. Vide Turneb., Advers., lib. XIII, cap. 14; Barth., Adversar., lib. XIV, cap. 9, pag. 2004 (*mouchoir*.) Orell.

Læna. Vide supra ad cap. 19. Orell.

Calantica. Ita ms. Tegmen capitis, quo mulieres utebantur. Noctu tantum in lecto gestatam et e boum vesica confectam docet Bœttiger. in Sabina, pag. 123, afferens Martialis locum lib. VIII, Epigr. 23:

> Fortior et tortos servat vesica capillos.

Cf. Salmas., ad Solin., pag. 392. Hadr. Junius interpretatur tegmen capitis muliebris in humeros usque demissum, Gallis *chaperon* dictum. Gelenius: *tunica*. Alii: *caletica*. Meursius: *calautica*. Conf. Voss., Etymol. rom., verbo *Calantica*. De *calantica*, Græcorum κεκρυφάλῳ, multus est Bœttiger. in l. tit.: *Die Aldrobandinische Hochzeit* pag. 79 et 150.—At scribendum esse *calautica*, non calantica, liquet ex fragmentis ciceronianis orationis in P. Clodium et Curionem nuperrime repertis et editis ab Angelo Maio, Mediolani, 1815, ubi pag. 21 ad verba: *cum calautica capiti accommodaretur*, Scholiastes antiquus (ipse Ascanius, ut opinatur Maius) hæc observat: *Calautica ... operimenti genus*, *quo feminæ capita velabant*, *hoc nomine ferebatur*. *Et Afranius meminit in Consobrinis ita dicens: cum mithris calauticis*. Conf. ibi doctissimi Maii notam. Orell.

Mantele. Virg. Georg. IV. 376:

> Manibus liquidos dant ordine fontes
> Germanæ, tonsisque ferunt mantelia villis.

ubi vid. Heyne, et qui de iis multus est, Voss., pag. 854, seqq. Mantelia itaque (χειρόμακτρα) fuerunt mappæ non laneæ (ut Heyne), sed linteæ, at villosæ (*roh*, *zottig. gewalkt*), ita tamen, ut lanugo in texti superficie tonderetur, adeoque læves et molles ad detergendas manus. Cf. Bœttiger., in Sabina, pag. 364. Orell.

Mastruca. Isidor. Origin., lib XIX, cap. 23: *Mastruga*, inquit, *vestis est germanica ex pellulis ferarum*, *de qua Cicero pro Scauro: Quem purpura regalis non commovit, eum Sardonum mastruga mutavit*, etc. Idem Cicero de Provinciis consularibus cap. 7: *Res in Sardinia cum mastrucatis latrunculis a proprætore una cohorte auxiliaria gesta*. Ubi vid. Abramum omnia loca D diligentissime conferentem. Conf. J. Lips. ad Tacit. Germ., cap. 17, pag. 546, ed. Oberlin. Turnebus, Advers., lib. XX, cap. 9, et Ernesti Clav. Cic. *mastrucam* exponunt vestem e musmonum vel musimonum (*Mufflons*) pellibus consutam, de quo animali peculiari Sardiniæ vid. Ælian., Hist. Anim., XVI, 34, ibique Schneider. V. Cl. Orell.

Soccus, *solea*, *calceus*. Discrimen optime exponit Salmasius ad Tertullian., de Pallio, pag. 353 357 et 382, seqq.; *calcei* scil. tegebant totum pedem et infime et superne; *soleæ* plantam pedis tantummodo vestiebant, superiore parte nuda; *soccus* genus calceorum humilius et laxius, quod gestabatur a feminis, viris etiam, sed mollioribus, inprimis autem comœdis, unde proverbium: *a socco ad cothurnum*. Cf. Balduin., de Calceo, cap. 16; Bœttiger, in Sabina, pag. 372, seqq., et inprimis Rost et Wichmann Die Alterthümer Griechenlands und Roms in Bildern. Fascicul. I, pag. 13 seqq. Orell.

cias rota [a] quid sit, aut tribula, vannus, dolium, cupa, trapetum, vomis, aut cribrum, mola, buris, aut sarculum? Quid arquata si sellula, acus, strigilis, polubrum [b], siliquastrum, trulla, lancicula [c], candela- A brum, batiaca, scopæ [d], scyphus, saccus? Quid si cithara, tibia, argentum, æs, codex, radius, liber? Quid instrumenta si cætera, quibus vita succingitur et continetur humana? Ita, ut diximus, ille non bovis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Adjicias quærere, rota *ms.*
[b] Colubrum *Ms. mendose.*
[c] Lenticula *Fulv male.*
[d] Copæ *alii.*

COMMENTARIUS.

Rota quid sit. Ita ed. princeps, sequente ed. Lugd. Bat. Alii: *traha* e correctione Lud. la Cerda ad Virgil. Georg., I, 160, quæ lectio minime videtur contemnenda. Conjungit enim Virg. Georg. I, vers. 164. *Tribulaque, traheæque et iniquo pondere rastri.* Ubi Servius: *Traha tabula est, ut quidam dicunt, quæ trahentibus bubus solet areæ induci, ad pabulum colligendum.* Cf. Varro, de Re rust., cap. 25; Columella, B lib. II, c. 21. Elmenh. et Orell.

Tribula. Servius ad Virgil., l. l.: *Tribula genus vehiculi omni parte dentatum, unde feruntur (lege teruntur) frumenta, qua maxime in Africa utebantur.* Optime autem Vossius, pag. 95. *Tribulum oder plostellum pœnicum, das Dreschgestell, war ein Fuhrwerk aus Brettern, dessen niedrige Rader nach Hieronymus ad Esai.* XVIII, 27. *sugenartig mit Eisen gezackt waren. Trahea, die Schleife, eine mit Stein oder Eisen gezackte Bohle ohne Rader. Beide vom Fuhrmann oder einem Gewichte beschwert, Varro* I, 52, *wurden von Lastthieren uber die Aehren gezogen, um sie zu zermalmen. So drischt man noch in Italien oder in den Morgenlandern.* Cæterum *tribula* et *tribulum* promiscue ap. Latinos femininum habet cum nostro Columella l. l. Neutrum in plurali Virgilius et alii. Conf. Gataker. in Opp. Crit., tom. I, pag. 270, qui de hoc verbo multus est. Orell.

Cupa. Cupæ erant vasa lignea, transportando vino, C rotunda. (Nostr. *Tanse, Kufe.*) Hæc vasa cum essent majora, recta statuebantur et operculis tegebantur, quorum meminit Nonius ex Varrone. Nec vinum solum ibi servabant sed etiam triticum simi liaque, ut jurisconsulti docent. Minora doliis, similia, utrinque clausa, apta deferendo huc illuc vino. Ita Casaubon., ad Julii Capitol. Maximinos Script. Hist. August., vol. II, pag. 52. Cf. Salmas., ad eosdem Voss., Etymol. rom.; Schneider. V. Cl., Obss. ad Pallad., de Re rust., lib. I, tit. XVIII, pag. 25, et Gesner, in Thesauro. Orell.

Trapetum. Mola olearis sive machina calcandis vel exprimendis olivis. Cujus luculentam descriptionem et delineationem vide in Schneider. V. Cl. Excurs. ad Caton., de Re rust., vol. I, part. II, pag. 610, seqq. Conf. Voss., Etymol. rom. Orell.

Buris. Pars aratri posterior decurvata. Vid. Servius et Voss. ad Virgil. Georg., I. 370. Orell.

Arquata sellula. Id est in arcus similitudinem formata, quales sunt sellæ semirotundæ. *Arquus* scribebant pro *arcus.* Unde libro I, *Arquitenentes Diana et Apollo.* Quippe hæ litteræ crebro commutabantur. Sic contra *licet* pro *liquet* apud Plautum et Tertullianum. *Locuntur* apud hunc eumdem Afrum. Sic *animæcus* pro *animæquus.* Glossæ: *animecum,* ἰσόψυχον. *Oblicum* pro *obliquum.* Herald.—Conf. Lambin., ad Cic. de Nat. Deor., III, cap. 20. Orell.

Strigilis. Ita ms. recte. Nominativus antiquus, sicut *vulturis, sanguinis* et similia. Inde accusativus *strigilim* apud Lucilium, citante Charisio, lib. I, qui ob oculos habuit eum versum:

> Præfractum strigilim, soleam improbu' dimidiatam.

Meurs., *in Append.*— *Strigil, strigilis* instrumentum ad fricandum in balneis, cujus descriptionem et figuram vide ap. Hieronym. Mercurial., de Arte gymnast. Cf. Gonsal. ad Petron., c. 91. Hoc instrumentum, non autem strigilem ad radendos equos, hoc loco esse intelligendum, docet sequens *polubrum.* Orell.

Polubrum. Glossæ: *polubrum* — ποδόνιπτρον. Festus: *polubrum peluvium vas, quod nos pelvim dicimus.* Ita Livius Andronicus, in versione Odysseæ, I, vers. 137:

> Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
> B Καλῇ χρυσείῃ ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος
> Νίψασθαι.

verba προχόῳ χρυσείῃ dedit *aureo gutto,* ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος, *argenteo polubro.* Cf. Gesner., in Thesauro. Orell.

Siliquastrum. Festus: *Seliquastra sedilia antiqui generis appellantur, D littera in L conversa, ut etiam in sella factum est, et subsellio et solio, quæ non minus a sedendo dicta sunt:* Cf. Varron., de Ling. lat., lib. IV. Nourrius. — Utitur voce Hyginus aliquoties, verbi causa Poet. Astronom., lib. II, c. 10. *Cassiepeia..... inter sidera sedens in siliquastro constituta est.* Ubi vid. Munker. Eratosth Catastet. c. 16. de eadem: ἐσχημάτισται δὲ ἐπὶ δίφρου καθεζομένη. Casaubon, ad Sueton. Othon., cap. VI, p. 228, vol. IV, ed. Wolfii interpretatur sellam muliebrem non adopertam, cujus domi usus, non foris. Cf. Vossii Etymol. rom., et Gesner., in Thesauro. Alii non intelligentes hoc verbo legi voluerunt *qualus, rastrum.* Orell.

C *Trulla.* Vas aquarium ad lavandas manus minus trulleo. Vide supra ad cap. 19. Orell.

Batiaca. Græce βατιάκη vel Βατιάκιον ap. Athenæum Dipnos., lib. XI, pag. 484, ed. Casaub., poculi erat genus, Latinis dictum *batiola.* vide Nonium., Plaut. Stich., act. V, scen. IV:

> Quibus divitiæ domi sunt, scaphio et cantharis
> Batiolis bibunt; nos nostro Samiolo poterio.

ubi Turneb., Adversar. lib. XVI, cap. 11, legend. putat *batiocis.* Vide Taubmann., ad loc. Plaut.; Voss., Etymol. rom., verbo *batiola.* Bekmann., ad Aristotel., de Mirab. Auscult., c. 50, pag. 100, et inprimis, qui de hoc verbo multus est, Creutzer. V. Cl., in Commentatione Academ., I, de Caussis rerum Bacchicarum, pag. 59. Orell.

Codex.... liber. Codex a *libro* sive volumine in hoc diversus, quod est massa vel corpus tabularum plurium sibi invicem impositarum, quales ligneæ cæteroquin vel eboreæ, vel membranaceæ vel papyraceæ D esse possunt, estque adeo codicis forma quæ hodiernorum librorum, cum volumen (sive *liber,* ut hoc loco vocat Arnobius) habeat chartas chartis attextas in longitudinem, qui deinde in unum rotulum sive cylindrum volvuntur. (*Gesner., in Thesauro.*) Cf. Rost et Wichmann Die Alterthümer Griechenlands unde Roms in Bildern. Fascic. I, pag. 10, seqq. Orell.

Radius. Virgil., Eclog. III, 40:

> In medio dua signa Conon, et quis fuit alter?
> Descripsit radio totum qui gentibus orbem.

ubi Servius: *Radius est virga philosophorum, qua geometræ lineas indicant.* Peculiare mathematicis demonstrationibus instrumentum. Vide Barth., Adversar. lib. XLIX, cap. 3, pag. 2282, seq. Nourrius de stylo accipit, quo antiqui scribebant, sed nullo exemplo. Orell.

Non bovis ritu, aut asini, porci. Ita Meursius et Salmasius. Alii: *non vobis ritu,* etc. Orell.

ritu, aut asini, porci, aut si ullum est animal tardius, conspiciet hæc quidem, formaturas varias respectans, sed quæ sint singula nesciens, et quam in causam possideantur, ignorans? Nonne vocem, si fuerit necessitate aliqua coactus emittere, ut solemne est mutis, inarticulatum nescio quid ore hiante clamabit?

XXIV. Quid in Menone, o Plato, quædam rationibus numeri admota ex puerculo sciscitaris, et ex ejus niteris responsionibus comprobare, quæ discamus non discere, sed in eorum memoriam, quæ antiquitus noveramus, redire? Qui si tibi vere respondet, non enim nos convenit fidem rebus abjudicare [a] quas dicis, non rerum scientia, sed intelligentia ducitur: et ex eo, quod aliquos numeros quotidianis habet ex usibus notos, fit ut sequatur rogatus, et ipsa illum semper multiplicationis adducat accessio. Quod si vere confidis immortales huc animas, et plenas scientiæ pervolare, adolescentulum istum rogare definito, quem esse conspicis ignarum rerum, et humanitatis in finibus constitutum. Quadragenarium istum ad te voca, et ex eo percontare, non abstrusum aliquid, non involutum, non de triangulis, non de quadratis, quid sit Cubus, aut Dynamis [b] sesquioctavus, aut sesquitertius ultimo: sed quod in medio situm est, bis bina, bis terna, quam efficiant summulam, quærito. Volumus videre, volumus scire, quid rogatus respondeat, an inquisitam expediat quæstionem. Ita ille sensurus est, quamvis ei pateant aures, an aliquid dicas, an aliquid quæras, an ab se [c] responderi aliquid postules: et non stipes ut aliquis, aut Marpesia, ut dictum est, rupes stabit elinguis et mutus, hoc ipsum

LECTIONES VARIANTES.

[a] Adjudicare *Sab.*
[b] *Ita Meursius. Alii*: Dynamus.
[c] An tibi ab sese *ms.*

COMMENTARIUS.

Aut si ullum est animal tardius. Νωθέστερον. Sic enim Græci hanc vocem usurpant de hominibus ingenii tardioris, ab animantibus istis epitheto translato. Nam hoc est asini epitheton quasi proprium, ὡς ἐστερημένου τοῦ θέειν. Homerus:

ὡς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβιήσατο παῖδας
Νωθής, ᾧ δὴ πολλὰ περὶ ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγη.

Ad homines transtulit Æschylus in Prometheo:

. . . . ἵνα
Μάθῃ σοφιστὴς ὢν Διὸς νωθέστερος. HERALD.

Conspiciet hæc quidem formaturas varias respectans. Ita Fulv. Ursin. probante Heraldo in Curis secundis. Cod. ms., *formaturas varias, res spectans.* Editor Lugd. Bat., *formatura varia res spectans*, id est, res vario modo formatas. *Formatura* vocabulum Lucretianum, verbi causa, lib. IV, vers. 560:

Servat enim formaturam servatque figuram. ORELL.

Sed quæ sint singula nesciens. Ita ed. Lugd. Bat. optime, ut respondeat præcedenti *quidem*. Cæteri: *et quæ sint*, etc. ORELL.

XXIV. — *Quid in Menone, o Plato, quædam rationibus numeri admota ex puerculo sciscitaris* Vide Platon. Menon., pag. 82-84, ed. H. Steph. (Bipont., vol. IV, pag. 353-357.) Cf. Cic. Tusc. I, 24. Sed valde placet conjectura Meursii, pag. 60: *Amota ex puerculo.* ORELL.

Humanitatis in finibus. Alii: *Humanitatis esse in finibus.* Sed verbum male repetitum delent Meursius et Salmasius, rectissime. ORELL.

Involutum. Hoc loco sensu insolito, idem quod *involutum*, αἰνιγματῶδες. ORELL.

Quid sit cubus aut dynamis, sesquioctavus aut sesquitertius ultimo. Ita lego cum Fulv. Ursino, Th. Cantero, Salmasio in edit. Lugd. Bat., et in Exercitt. in Solinum, pag. 297 et 492; ubi locum hunc difficillimum egregie illustrat: « Bene conjungitur ab Arnobio *cubus* et *dynamis*. Vetus auctor græcus de Numeris: Τετραγωνισμὸς καλεῖται οἱ ἀριθμοὶ οὗτοι ἅπαντες Τρὶς τρεῖς θ' δύναμις: τρὶς θ' κζ κῦβος: τρὶς κζ πά δυναμοδύναμις: τρὶς πά σμγ' δυναμόκυβος: τρὶς σμγ' ψκθ' κυβόκυβος. Cubus et dynamis itaque nomina numerorum græcis pariter latinisque usitata. Sic apud Geometras, quod in recto mensuram accipit, vocatur *numerus*, quod in plano, *dynamis*, quod in solido, *cubus*. In numeris dyas lineæ respondet, quæ longitudinem habet tantum. Hæc principium parium numerorum, unde et ἀρχὴ et γένεσις dicitur. Bis duo primus quadratus, qui præter longitudinem etiam latitudinem accipit, et respondet embado sive areæ, et δύναμις vocatur (*Potentiam* nominat Martianus Capella, ubi vid. Grot., ad pag. 23). Bis quatuor primus cubus, qui numerus στερεῷ ac solido æquiparat. Sic trias principium numerorum imparium. Ter tria *dynamis*, ter novem *cubus*. Desinant etiam quærere viri docti, quid sit *sesquitertius ultimus*, nam legendum: *aut sesquitertius ultimo*, id est: *postremo quid sit sesquioctavus aut sesquitertius.* » Hæc ex Salmasio. Pro *cubus* cæteri editores habent *dibus*, quod defendit Meursius accipiens de binione et allegans locum Agathiæ Epigrammate 72 (Analect. Brunk., vol. III, pag. 60). in τάβλαν, id est, tabulam vel alveum lusorium Zenonis, ubi vers. 10, seq. hæc leguntur:

ὃς δὲ πέλει μετὰ σοῦμμον, ἔχεν δύο. μουνάδα δ' ἄλλην
Ψῆφον τὴν πυμάτην ἀμφιέπεσκε δίβος.

Ubi autem δίβος seu *dibus* non est, ut Meursius putat, *binio*, sed, ut docent Jacobs V. Cl., in Obss. ad Analect., vol. III, part. I, pag. 122, et Salmasius, qui Epigramma hoc pluribus illustrat in Obss. ad Julii Vopisci Proculum, Hist. August., vol. II, pag. 753, est nomen Latinum factum ex *divus*, ut et σοῦμμος ex *summus*, et significat locum sive lineam in uno latere alvei lusorii calculorum sive tesserarum, qu dicebatur *divus*, δίβος, quasi regis vel imperatoris Romani sedes: nam nemo nescit imperatores Romanorum *Divos* post mortem appellatos: cui in altero latere oppositus erat et contrarius *Antigonus*, quod est nomen Macedonum regis, quos semper Romanis adversos et contrarios fuisse notum est. Talis enim tabulæ ludus ad imaginem belli plane compositus erat: inde tabulæ certamen dicebatur: in eo calculi nigri vel russei cum albis certabant. Sed hoc nihil ad locum nostrum, ubi non de calculis lusoriis, sed de numeris sermo est. Itaque legendum *cubus.* ORELL.

An inquisitam expediat quæstionem. Stewech. leg. conj. *anquisitamne expediat quæstionem*, adducens Festi auctoritatem: *anquirere, circumquærere.* Sed nil mutandum. *Inquisitam* pro simplici *quæsitam*. ORELL.

Sensurus. Th. Canterus conj. *hæsurus*, id est *dubitaturus.* Sed nil mutandum. ORELL.

Marpesia rupes. Sumpsit ex Virgilio, Æn. VI, vers. 471 sq.:

Nec magis incepto vultum sermone movetur,
Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

ignorans et nesciens, secum potius an cum altero colloquaris, cum altero sermocineris, an secum: oratio sit ista, quam promis, an sonitus vocis, nihil rerum significans, sed inani continuatione pertractus?

XXV. Quid dicitis, o viri, plusquam satis est vobis ex aliena generositate tribuentes? Hæc est anima docta illa quam dicitis, immortalis, perfecta, divina, post Deum principem rerum, et post mentes geminas locum obtinens quartum, et affluens ex crateribus vivis? Hic est ille pretiosus, et rationibus homo augustissimis præditus, mundus minor qui dicitur, et totius in speciem similitudinis [a] fabricatus, atque formatus: nullo melior, ut apparuit, pecore, obtusior ligno, saxo, qui nesciat homines, et in mutis semper solitudinibus degat, demoretur iners, valeat in aere, quam- A vis annis vivat innumeris, et numquam nodis corporeis eximatur. Sed cum scholas attigerit, et magistrorum fuerit institutionibus eruditus, efficitur prudens, doctus, et quam nuper habuerat, imperitiam ponit. Et asellus, et bos æque, usu atque assiduitate cogente [b], discit arare ac molere: equus jugum subire, et agnoscere in curriculo flexiones: camelus sese submittere, sive cum sumit onera, sive cum ponit: columba manumissa revolare ad dominicas sedes: canis cum invenerit prædam, cohibere et continere latratum: verba psittacus et integrare, et nomina corvus expromere.

XXVI. Sed ego cum audio nescio quid præstans animam dici, Deo vicinum et proximum, scientem [c] B huc omnia superioribus adventare de sæculis: nolo

LECTIONES VARIANTES.

[a] Similitudinemque *Fulv.*
[b] Cogendi *ms.*
[c] Sciensque *Fulv.*

COMMENTARIUS.

ubi Servius: *Cautem Marpesiam Parium lapidem dicit. Marpesus enim est mons Pariæ insulæ.* ELMENH.

Cum altero sermocineris, an secum. Prorsus assentior Meursio hæc verba expungenti tamquam glossema et otiosam repetitionem eorum, quæ modo præcesserant. ORELL.

XXV. — *Anima... post Deum principem rerum et post mentes geminas locum obtinens quartum.* Illustranda hæc verba e platonicorum doctrina, qui locum in rerum natura summum ac principem attribuebant θεῷ πρώτῳ, Διὶ μεγάλῳ, δημιουργῷ, secundum θεοῖς γεννητοῖς, diis a summo Deo creatis ipsique sub- C jectis, tertium δαίμοσι, quartum tandem animis hominum ab eodem Deo summo creatis (corpora enim ex elementis formasse deos minores statuebant. Vid. Alcinoum Introduct. in philosophiam Platonis, cap. 17). Plato, in Phædro, pag. 247, ed. II. Steph. (Bipont. p. 321): Ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος· τῷ δ' ἕπεται στρατιὰ θεῶν τε καὶ δαιμόνων κατὰ ἕνδεκα μέρη κεκοσμημένη. Alcinous, l. I, c. 15, p. 105, ed. Fischeri, in quarto. Dial. Plat.: Ὁ μὲν γὰρ Θεὸς τοῦ τε παντὸς ὑπάρχει ποιητὴς αὐτὸς καὶ των δαιμόνων. *Mentes* itaque *geminas*, id est *similes*, *pares* (vid. Serv., ad Æneid. I, vers. 165), dicit Arnobius θεοὺς καὶ δαίμονας, quorum in loco Judæorum ac christianorum doctores platonizantes substituebant ἀγγέλους καὶ δυνάμεις. Vid. Wetsten., in Matth., cap. 24, vers. 29 Nov. Test., tom. I, p. 503. ORELL.

Ex crateribus vivis. Id est ποταμὸς ὕδατος τῆς ζωῆς. Vid. Apocal. XXII, vers. 1. ORELL.

Mundus minor qui dicitur. Macrob., in Somn. Scip., lib. II, cap. 12: *Physici mundum magnum hominem, et hominem brevem mundum esse dixerunt.* Chalcidius in Platon. Timæum, p. 126. *Est in corporibus nostris aquæ portio et item aeris, nec non ignis et terræ, unde, opinor, hominem mundum brevem a veteribus appellatum*, κόσμου συντομή. Cf. Nemes., de Natura Hom., c. 1. ELMENH. et ORELL.

Demoretur iners, valeat in aere, quamvis annis vivat innumeris. Ita edidi ex emendatione levissima et felicissima C. Barthii in Advers., lib. XLIV, cap. 1, p. 1987. Sensus scil. loci est: Pone hominem in solitudinem, fac sanum ut libet, fac immortalem esse, da illi omnium votorum in hac vita summam, ut scil. *in aere valeat*, i. e. pecuniis, divitiis affluat. Cod. ms. et ed. 1 habet *valeat in aere*, nullo sensu. Fulv. Ursin. et Gelenius: *demoretur iners veluti puer, quamvis*, etc. audacter. Stewech. proponit legendum aut: *iners vagiat amare*, sive propius ad scripturam codicis, tralata voce ab ovibus: *iners balet amare*, pessime utrumque: nam homo ille tricenarius, quem fingit Arnobius e carcere tenebricoso, quo inclusus erat, inter homines prodeuntem, neque vagiet amplius, ut infans, neque, cum ovem hactenus nullam viderit, nihil præter nutricem suam conspiciens, ut ovis balabit. Jo. Meursius censet legendum: *demoretur iners valde et ignarus, quamvis*, etc. Herald. in Curis secundis: *velut in aere*, i. e. tamquam volucris in aere degens, ut nos dicimus: *Er lebt, est ist ihm wohl, wie dem Vogel in der Luft.* Editor Leidensis: *idem erit iners, valeat manere quamvis annis vivus innu-* C *meris*, audacius et a scriptura codicis remotius. Minime autem spernenda est altera conjectura ejusdem C. Barthii l. l. *valeat, in arce quamvis*, etc., i. e. in loco tutissimo, extra omnem aleam, omne periculum humanitatis positus, ut sæpissime ap. antiquos. Priorem tamen prætuli. *demoretur* est pro *demorabitur* more Arnobii præsens conjunctivi sæpissime ponentis pro futuro indicativi. ORELL.

Nodis corporeis, *Nodi corporei* i. q. *vincula corporis* de vita animam in eo detinente. Vid. C. Barth. Adversar., lib. XII, cap. 15, p. 694. ORELL.

Usu atque assiduitate cogente. Forte *assiduitate docente*. MEURS., p. 63.

Agnoscere in curriculo flexiones. Noscere, scire et ejus composita apud Arnobium sæpissime de iis, quæ quis usu et experientia discit. Vide supra ad lib. I, cap. 23. ORELL.

Revolare ad dominicas sedes. Ita Gelenius. Ms. *revocare*. Scripserat fortasse Arnobius *revolgare*, ἀρ- D χαίως pro volare. Lucretius II, vers. 163.

Tempore, quo Solis pervolgant fulgura cœlum.

Pacuvius: *Halcyonis ritu littus pervolgans feror.* HERALD. — Pro *sedes* Ursin. *ædes*. ORELL.

Nomina corvus expromere. Ms. reg. habet *corsus*, quod interpretantur nonnulli ὡς ἀπὸ τῆς καρδίας, *expromere* ad *psittacum* referentes, sed cuilibet potest persuaderi, genuinam esse lectionem *corvus*. Apuleius, lib. II, Florid. *Verum enim vero*, inquit, *et corvus et psittacus nihil aliud, quam quod didicerunt, pronuntiant.* Quo libro is scriptor multa abdita de natura et indiciis psittacorum tradidit. De corvis porro salutatoribus, quos imperator Augustus coemit, adeundus Macrobius libro II Saturnal., cap. 10. HERALD. et STEWECH. — Pro *expromere* Fulv. Ursin. legit *exprimere*. Male. Virgil. Æn. II. vs. 280, *Mœstas expromere voces*. ORELL.

XXVI. — *Superioribus adventare de sæculis.* Fulv. Ursinus conj. *de sedibus*, sed nil mutandum.

illam discere, sed docere : nec ex docta, ut dicitur, elementariam fieri : sed retinentem res suas corporibus semel circumligare terrenis. Nisi enim sese habuerit res ita, discerni quis poterit, utrumne illud, quod audit, reminiscatur, an discat? cum multo facilius sit credere, discere illam quod nesciat, quam oblitam, quod paulo ante sciebat, et opposit corporis amitti repetentiam priorum. Et ubi est illud quod dicitur incorporalis anima substantiam non habere? Quod enim nullius est corporis, oppositione alterius non impeditur, nec potest aliquid suaderi perdere id, quod non potest tactum rei oppositæ sustinere. Ut enim numerus in corporibus constitutus, quamvis mille corporibus obruatur, intactus et inviolabilis constat, ita necesse est animas, si sunt, ut perhibetur, incorporeæ, oblivionem priorum nullam pati : quamvis eas solidissimæ corporum circumligaverint junctiones. Quid? quod eadem ratio non tantum incorporeas indicat eas non esse, verum etiam privat immortalitate has omni, et ad fines applicat, quibus vita consueta est terminari. Quidquid enim causa ingruente nonnulla ita mutatur, et vertitur, ut integritatem suam retinere non possit : id necesse est ju- A dicari natura esse passivum. Quod autem est promptum atque expositum passioni, corruptibile esse, ipsa passibilitate interveniente, denuntiatur.

XXVII. Ergo, si et animæ perdunt omne quod noverant, corporalibus vinculis occupatæ, patiantur necesse est aliquid, quod eas efficiat oblivionis inducere [a] cæcitatem. Neque enim nihil omnino perpessæ, aut integritatem conservantes suam, possunt rerum scientiam ponere, aut in alios habitus sine sui mutabilitate transire. Atqui nos arbitramur, quod est unum, quod immortale, quod simplex, quacumque in re fuerit, necessario semper suam retinere naturam : nec debere aut posse aliquid perpeti, si modo esse perpetuum cogitat, et in finibus propriæ immortalitatis hærere. Omnis enim passio lethi atque in- B teritus janua est, ad mortem ducens via, et inevitabilem rebus afferens functionem : quam si sentiunt animæ, et tactui ejus atque incursionibus cedunt, usu et illis est vita non mancipio tradita, quamvis aliter quidam inferant, et rei tantæ fidem suis in argumentationibus ponant.

XXVIII. Ac ne tamen instructi non plenius abeamus, audiamus[b] a vobis, quemadmodum dicitis, ani-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Inducere *alii*.

[b] Audire avemus *Fulv*.

COMMENTARIUS.

Utitur Arnobius hoc verbo pro genere, sobole et multitudine, more Lucretiano. Adi indicem Giphanii. ELMENH. — Vide supr. ad lib. I, c. 25, et infra ad lib. VII, c. 24. ORELL.

Elementariam fieri. Id est, primis elementis imbuendam. Seneca, epist. XXXVI. *Turpis et ridicula res est elementarius senex*. ELMENH. et NOURR. — *Eine ABC-Schulerin*. ORELL.

Repetentiam priorum. Glossæ : *Repetentia*. — ἐπανάληψις. Infra cap. 28. *Quod enim rebus ingressis priorum repetentiam detrahit*, id est ἀνάμνησιν. Lucretius, lib. III, vers. 863, seq. :

Interrupta semel cum sit repetentia nostra.
Et nunc nil ad nos de nobis attinet, ante
Qui fuimus.

Sic *retinentia* quoque apud Lucretium, qua rerum præteritarum fugientem memoriam retinemus scil. et retrahimus, lib. III, vers. 674, seq. :

Nam si tantopere 'st animi mutata potestas,
Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum.

HERALD. et ELMENH.

Incorporales animas substantias non habere. Ita ed. Lugd. Bat., e correctione Stewechii. Antea legebatur *incorporalis anima*, sed *incorporalis* in cod. ms. est accusativus pluralis pro *incorporales*. Alii : *incorporalem animas substantiam*. ORELL.

Suaderi. Fulv. Ursinus leg. censet *videri*. Sed nihil mutandum. *Suaderi, perdere*, id est *affici, ut perdat*. Ita *suadere, imperare* sæpissime etiam de rebus inanimatis pro impellere, sollicitare. Lucret., lib I, vers. 175 :

Frumenta calore
Viteis autumno fundi suadente videmus.

ubi tamen alii legunt : *sudante*. Vide Lambin., p. 55. ORELL.

In corporibus. Fulv. Ursinus : *incorporeus*. Male. ORELL.

Corporum....... junctiones. Alii : *vinctiones*, male. Arnobius infra eodem libro : *Quis auctor junctionis?* Lib. III : *Multitudinis junctionis differentia conservata*. Lib. VI : *Simulacrorum coalescere junctioni*. ELMENH.

Passibilitate interveniente. *Passibilitas* vox cadentis Latinitatis. Vid. Voss., de Vitiis serm. et Ol. Borrich. Cogitat., p. 189. Sic *passibilis* infra libro VII : C *Quicquid enim vexatur rei alicujus e motu, passibile esse constat et fragile*. ORELL.

XXVII. — *Si modo esse perpetuum cogitat*. Sine dubio legendum : *esse se perpetuum cogitat*. ORELL.

Omnis enim passio lethi atque interitus janua est. Infra : *Rursus vero si animæ lethi adeunt januas*. Imitatur Lucretium v. 374 :

Haud igitur lethi præclusa est janua cœlo. HERALD.

Inevitabilem rebus afferens functionem. *Functio* pro morte, ut *fungi* pro mori, locutio familiaris Arnobio. Sic infra cap. 57. *Hic retur* (animas) *esse perpetuas, et superesse mortalium junctioni*. Ita *morte functus* lib. I, cap. 41. Vide Vorst. ad Sulpic. Sever., I, cap. VII, et Bunemann., ad Lactant., Instit. VII, cap. 10, pag. 911. ORELL.

Usu et illis est vita, non mancipio tradita. Id est data est illis vita ad usum, non ut perpetuam ac D æternam eam habeant. Lucretius III, 984 :

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu.

Seneca Epist. LXXII : *Nihil dat fortuna mancipio*. ELMENH.

Quamvis aliter quidem inferant. Id est *argumententur, concludant*. Locutio apud Tertullianum et Apuleium haud infrequens; sed etiam probatioribus scriptoribus, verbi causa Quintiliano Inst. V, cap. 14, et lib. VIII, cap. 4, usurpata. Cujus plura exempla collegit Bunemann, ad Lactantii Inst. VII, cap. 13, pag. 927, seq. ORELL.

XXVIII. — *Ac ne tamen instructi non plenius abeamus, audiamus a vobis, quemadmodum dicitis, animas, cum terrenis fuerint corporibus involutæ, priorum reminiscentiam non habere*. Ita editiones omnes, excepta prima et Lugd. Bat. e correctione Gelenii. ms. et editio princeps habet, *abeamus ne videamur a vobis*: unde Heraldus in Curis secundis legendum suspicatur

mas, cum terrenis fuerint corporibus involutæ, priorum reminiscentiam non habere; cum in ipsis corporibus positæ, et prope insensibiles eorum commixtione perfectæ, pertinaciter et fideliter teneant ea quæ ante annos plures, si velis dicere vel octoginta, vel hoc amplius, vel fecerunt, vel passæ sunt, vel locutæ sunt, vel audierunt. Si enim obstaculo perficitur corporis, ne meminerint eorum, quæ jamdudum, et ante hominem sciebant, magis est ut ea debeant oblivisci quæ conclusæ in corporibus factitarunt, quam quæ foris positæ, nondum hominibus conjugatæ. Quod enim rebus ingressis priorum repetentiam detrahit, et intra se gesta irrecordabili debet obliteratione deperdere. Una enim causa res duas [a] efficere ac sibi contrarias non potest, ut aliorum memorias sopiat, alia patiatur actoris in recordationem venire. Quod si animæ, quas vocatis, membrorum impediuntur obstaculo, quominus artes suas antiquas reminiscantur; in corporibus ipsis quemadmodum constituta meminerunt et sciunt animas se esse, et corporalem substantiam non habere, immortalitatis conditione mactatas? quem teneant in rebus gradum, quo sint ordine a Deo patre discretæ? ad infima hæc mundi quanam ratione pervenerint? quas ex quibus circulis qualitates, dum in hæc loca labuntur, attraxerint? Quemadmodum, inquam, sciunt doctissimas se fuisse, et obstructione corporum amisisse quæ noverant! Et hoc ipsum enim nescire debuerant, si aliquid eis labis corporalis invexisset adjunctio; nam scire quid fueris, et quid hodie non sis, non est signum memoriæ perditæ, sed comprobatio indiciumque servatæ.

XXIX. Quæ cum ita se habeant, desinite, quæso, desinite res parvas, atque exigui mominis immanibus pretiis æstimare: desinite hominem, proletarius cum sit, classibus, et capite cum censeatur, adscribere ordinibus primis: cum sit inops, pauper lare, et tugurli pauperis, nec patriciæ claritatis umquam meritus nuncupari. Cum enim vos oporteret viros recti atque integritatis auctores, typhum et arrogantiam frangere, quorum malis cuncti extollimur, et inanium distendimur vanitate: non tantum accidere mala ista

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic ms.* Res contrarias *Sab. Alii*: res diversas.

COMMENTARIUS.

Ac ne tamen instructi non plenius habeamur nec videamur a vobis (scil. non plenius instructi), *quemadmodum dicitis animas, cum terrenis fuerint corporibus involutæ, priorum reminiscentiam habere*, deleto *non*. Quod falsissimum. Nam refutat Arnobius eos, qui statuebant: hominum animas esse divinas et æternas, adeoque priorum reminiscentiam habituras, nisi corporis vinculis impedirentur, quibus ostendere vult: si esset animis vita humanæ huic anteacta, corpus illis non fore obstaculo reminiscentiæ eorum, quæ factitarint foris positæ et nondum hominibus conjugatæ, et præparat ita suam demonstrationem, animas hominum non esse æternas nec a Deo profectas, sed a naturis longe inferioribus. Editor Lugd. Bat. legit: *abeamus, scire avemus*, quod eodem redit, quo *audiamus* Gelenii. Meursius pag. 63, conj. *abeamus: ne rideamur a vobis, quemadmodum dicitis....... non habere.* ORELL.

Et prope insensibiles eorum permixtione perfectæ. Proba lectio: nam qui corrigere volunt *effectæ* (ut Fulv. Ursinus), falluntur. Sic *perficere* usurpabant. Jul. Firmic., lib. VII. Mathes., cap. 16. *Mulieres virgines, sterilesque perficient*, et sæpius. ORELL.

Quominus artes suas antiquas reminiscantur. Codex ms. *quominus artes suas antiquas atque reminiscantur*, unde Meursius conj. *æque reminiscantur.* Alii: *artes suas atque antiqua.* ORELL.

Immortalitatis conditione mactatas. Vide supra ad lib. I, cap. 41. ORELL.

Non est signum memoriæ perditæ, sed comprobatio indiciumque servatæ. Joannes Schefferus Argentoratensis in Adversariorum libro, cap. 20, infert Miscel. Obss. crit., vol. IX, pag. 163. *Indicium* a glossatore adjectum putat, male. Amat enim Arnobius nomina conjungere idem significantia. ORELL.

XXIX. — *Exigui mominis.* Etsi vulgata lectio *nominis* tolerari potest, malim tamen cum aliis (Meursio) *exigui mominis.* Sic noster infra cap. 35: *Nullius apud principem mominis*, id est momenti, et lib. VI, cap. 20. *Sub ipso furti atque operis momine.* Lucretium, ut sæpe alibi. affectatus, lib. III, vers. 189.

Momine uti parvo possint impulsa moveri.

HERALD. et GALLAND.

Desinite hominem, proletarius cum sit, classicis, et capite cum censeatur, adscribere ordinibus primis. Ms. *proletarium cum sit, classicus*, inepte; nam proletarii erant infra classes. Bene itaque emendavit Gelenius. MEURS., *in Append.*—Varias in classes distributos fuisse cives romanos, tradunt Levius, lib. II, cap. 43, et Dionysius Halicarn., lib. IV, pag. 221. Singulari tamen significatu, teste A. Gellio, Noct. Att., lib. VII, cap. 13, *classici* vocabantur primæ tantum classis homines, qui centum et viginti quinque millia ampliusve censi erant. Quo quidem sensu *classici hic* dicti ab Arnobio *proletariis* oppositi, qui, tenuissimi cum essent, *prolem* tantummodo reipublicæ sufficiebant. *Capite* vero *censi*, ut eos appellat auctor, ii dicebantur, qui nullo aut parvo ære censebantur, ac parvum aut nullum vectigal pendebant, ex A. Gellio, l. XVI, c. 10. NOURRIUS. — Cf. Is. Pontan. ad Macrob. Saturn. I, 15, et I. N. Funccium, ad XII Tabb., p. 77, sq. ORELL.

Nec patriciæ claritatis umquam meritus nuncupari. Claritas propria Senatorum et Patriciorum, qui sub Imperatoribus *viri clarissimi* dicebantur, cum florente republica, viri tantum summæ dignitatis isthoc nomine insignirentur, quod etiam laudem boni civis involvebat. Hinc Cicero ad Attic., lib. XIV, epist. 11, stomachatur hoc nomen Cæsari post mortem tributum ab Antonio pro concione, et in orationibus coram senatu habitis semper *Patres Conscriptos* alloquitur, numquam *Patres* seu *viros clarissimos.* Universus senatus dicebatur quidem *ordo clarissimus*, singuli non item, sed demum sub imperatoribus. Vide Schwartz., ad Plinii Panagyr., cap. 90 et seriore ætate etiam senatorum conjuges appellabantur *feminæ clarissimæ*, vide Salmas., ad Ælii Lamprid. Heliogabal., Script. Hist. Aug., vol. I p. 797. Arnobius, itaque hoc loco audaciori metaphora hominem a Deo profectum et conditum dicit *patriciæ claritatis.* Non igitur opus habemus correctione editoris Lugd. Bat. *nec patris clari, tantis cum meritis nuncupare.* Ed. princeps *patriæ*, etc. ORELL.

Quorum malis cuncti extollimur. Ita editio princeps romana et cæteræ omnes. Sed ingeniosa conjectura est Fulvii Ursini: *Quorum alis cuncti extollimur*, ut et in sequentibus: *non tantum accidere (beschneiden) alas istis noluistis*, pro vulgato; *non tantum accidere mala ista censetis.* ORELL.

Inanium distendimur vanitate. Fulv. Ursinus leg.

censetis, verum, quod gravius multo est, addidistis A causas, quibus et vitia crescerent, et inemendabilis nequitia permaneret. Quis est enim hominum, quamvis ille sit indolis infamiam [a] semper atque ignominiosa fugientis, qui, cum dici exaudiat viris ab sapientibus maxime immortales animas esse, nec fatorum esse obnoxias legibus, non in omnia flagitia præceps se ruat, non intrepidus [b] res obeat atque aggrediatur illicitas? non denique omnia suis cupiditatibus largiatur, quæ libido impotens jusserit, impunitatis præterea etiam libertate munita? Quid enim prohibebit, quominus hæc faciat? metus supernæ potestatis, judiciumque divinum? Et quis poterit territari formidinis alicujus horrore, cui fuerit persuasum, tam se esse immortalem, quam ipsum Deum primum, nec ab eo judicari quidquam de se posse : cum sit una B immortalitas in utroque, nec in alterius altera conditionis possit æqualitate vexari?

XXX. Sed memoratæ apud inferos pœnæ, et suppliciorum generibus multiformes? Ecquis erit tam brutus, et rerum consequentias nesciens, qui animis incorruptibilibus credat, aut tenebras tartareas posse aliquid nocere, aut igneos fluvios, aut cœnosis gurgitibus paludes, aut rotarum volubilium circumactus? Quod enim contiguum non est, et ab legibus dissolutionis amotum est, licet omnibus ambiatur flammis torrentium fluminum, volvatur in cœno, saxorum imminentium casibus, et immanium montium operiatur ruinis, illibatum necesse est permaneat et intactum, neque ullum sensum mortiferæ passionis assumere. Quid? quod ista persuasio non tantum est incitatrix ad vitia libertate ex ipsa peccandi, verum etiam philosophiæ ipsius causam tollit, et inaniter eam suscipi supervacanei [c] operis difficultate declarat. Nam si verum est, animas nullius esse participes finis, et cum omnibus sæculis ævorum perpetuitate procedere : quid periculi res habet contemptis prætermissisque virtutibus, quibus est contractior atque horridior vita, voluptatibus se dare, ac per omnia libidinum genera effrenatum spargere immensæ cupiditatis ardorem? Ne deliciis marceat, et corrumpatur mollitudine vitiorum? Et qua poterit ratione corrumpi id, quod immortale, quod semper est, et nulli obnoxium passioni? ne sordescat, et polluatur actionum turpium fœditate? Et qui poterit pollui, corporalem quod substantiam non habet, aut ubi sedem contaminatio ponere, ubi spatium nullum est, in quo nota se possit ipsius contaminationis affigere [d]? Rursus vero si animæ lethi adeunt januas, Epicuri ut sententia definitur, nec sic causa est competens, cur expeti

LECTIONES VARIANTES.

[a] Infamiæ *Fulv.* infamia *Lugd. B. quod recipiendum.*
[b] Securus *ms. Utrumque addit Lugd. B.*
[c] *Ita Fulv.* supervacua *ms. et Sab.*
[d] Affingere *Fulv.*

COMMENTARIUS.

censet *inani*, *etc.* male. *Inanium vanitas* est vana opinio, æstimatio rerum inanium. Orell.

Quamvis ille sit indolis infamia semper atque ignominiosa fugientis, etc. Philosophiæ. Nam abstinent a peccatoris nonnulli pœnarum formidine; alii vitia ipsa exsecrantur et detestantur; alii denique infamiam metuunt et sinistros de se rumores, atque idcirco rebus flagitiosis abstinent. Hi sunt teneræ frontis homines, ἐπιεικεῖς atque αἰδήμονες, quos improbi δειλοὺς atque inertes arbitrantur, quemadmodum contra τοὺς ἀναισχύντους constantes et ἀνδρείους. His igitur verbis describit Arnobius hominem αἰδήμονα. Est enim αἰδήμων, qui metuit τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα φέρειν, ut definit Aristoteles, id est *qui infamia atque ignominiosa fugit*, ut loquitur Arnobius. Herald.

Non in omnia flagitia præceps se ruat. Hæc est lectio vetus, quam non debuerat mutare Gelenius. Usurpatur enim hoc verbum sæpissime ἐνεργητικῶς. Herald. Sic *irruere* active, lib. I, (cap. 34) dixit. Sic *penetrare*, *emergere*, alia, Plautus, Apuleius, alii. Meurs., *in Append.*

Supernæ. Ita Salmasius ex emendatione Meursii. Alii : *superbæ*. Alii : *superæ*. Orell.

XXX. — *Sed memoratæ apud inferos pœnæ et suppliciorum generibus multiformes*? Scilicet poterunt eum territare? Quod repetendum ex verbis præcedentibus : *Et qui poterit territari formidinis alicujus horrore?* Orell.

Aut rotarum volubilium circumactus. Jam igitur temporibus illis, quibus fabulas istas fingebant, rota pœnalis in usu erat. Supplicia enim inferorum ad supplicia communia accommodabant. Rota pœnalis, de qua videndus Cujacius Obss., lib. III, fuerat olim pœna servorum propria; sed postea ad eruenda crimina in quæstionibus adhibita. Alligabantur autem rotæ et distendebantur : atque ea contorta flagris cædebantur. Unde στρεβλοῦσθαι proprie est *torqueri*. Scholiast. Aristoph. ad Pac. Οἱ δοῦλοι σφαλλόμενοι, C ἐπὶ τοῦ τροχοῦ δεσμούμενοι καὶ συρόμενοι ἐτύπτοντο ἀνακλώμενοι ἐν αὐτῷ. Herald.

Ambiatur flammis. Annon legendum *amburatur*? Quod verbum proprium de iis, qui cruciantur igni, non plane necantur, quod est *comburere*. Orell.

Illibatum necesse est permaneat et intactum, neque ullum sensum mortiferæ passionis assumere. Proba lectio. Nam qui scribendum existimant *assumat*, plane falluntur. His modorum mutationibus delectantur Afri scriptores. Infra : *Itaque cum nobis intendatis aversionem ex religione priorum, causam conveni ut inspiciatis, non factum, nec quid relinqueremus, opponere; sed secuti quid simus, potissimum contueri*. Herald. — Ms. pro *illibatum*, quod est e correctione Gelenii, *illæsum tamen*. Orell. — Conf. Intpp. ad Livii XXI, 49. Ochsner.

Verum etiam Philosophiæ ipsius causam tollit. Hæc explicantur capite sequenti, his verbis : *Medietas* D *ergo quædam, et animarum anceps ambiguaque natura locum philosophiæ peperit, et causam, cur appeteretur, invenit*. Herald.

Ac per omnia libidinum genera effrenatum spargere immensæ cupiditatis ardorem. Ex affinitate litterarum verbum periisse autumo, quod non parum possit ad exornandum tropum : eoque rescribo : *effrenatum spatiari immensæ cupiditatis ardore*. Geminus apud auctorem hunc locus lib. IV, ideoque attexendus : *Deum adamasse* (Jovem puto Maximum) *et per omnes libidinum formas incestarum cupiditatum circumegisse pellaciam*. *Spatiatorem* pro erratore collocavit M. Cato, testantibus Pompeio Festo et Macrobio lib. VII. Apud Petronium quoque id vocabuli repertum *Vidi*, ait, *quosdam conspatiantes*. Stewech. — Non opus hac conjectura. Metaphora ducta a navibus, quæ ventis sparguntur per æquora. Orell.

Si animæ lethi adeunt januas, Epicuri ut sententia definitur. Epicurus scil. statuebat, animum una cum

philosophia debeat: etiamsi verum est purgari hac animas, atque ab omni puras vitiositate præstari. Nam si communiter obeunt, et in ipsis corporibus sensus eis deperit extinguiturque vitalis: non tantum est erroris maximi, verum stolidæ cæcitatis, frenare ingenitos appetitus, cohibere in angustiis vitam, nihil indulgere naturæ, non quod cupidines jusserint atque instigaverint facere, cum nulla te præmia tanti laboris expectent, cum dies mortis advenerit, et corporalibus fueris vinculis exsolutus.

XXXI. Medietas ergo quædam, et animarum anceps ambiguaque natura, locum philosophiæ peperit, et causam cur appeteretur, invenit: dum periculum scilicet ex malis iste formidat admissis: alter concipit spes bonas, si nihil sceleris faciat, et cum officio vitam justitiaque traducat. Inde est quod inter doctos viros, et ingeniorum excellentia præditos, de animarum qualitate certamen est: et eas alii dicunt mortali esse natura, nec divinam posse substantiam A sustinere: alii vero perpetuas, nec in natura posse degenerare mortali. Quod istud [a] ut fiat, medietatis efficitur lege: quod et illis argumenta sunt præsto, quibus eas passivas atque interibiles invenitur: et his contra non desunt, quibus esse divinas immortalesque monstratur.

XXXII. Hæc cum ita se habeant, et cum ab summo traditum teneamus auctore, non esse animas longe ab hiatibus mortis et faucibus constitutas: posse tamen longævas summi principis munere ac beneficio fieri: si modo illum tentent ac meditentur agnoscere: ejus enim cognitio fermentum quoddam est vitæ, ac rei dissociabilis glutinum: tum deinde feritate atque inhumanitate depositis, resumant ingenia mitiora: ut at illud, quod dabitur, esse possint paratæ. Quid B est quod a vobis tamquam bruti et stolidi judicemur, si propter hos metus liberatori dedidimus [b] et mancipavimus nos Deo? Adversus ictus noxios, et venenatos colubrarum morsus, remedia sæpe conquiri-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quid istud *Sab.*

[b] *Ita Sab.* dedimus *alii.*

COMMENTARIUS.

corpore gigni, crescere, senescere et interire. Vide Lucret., lib. III, vers. 418 — 840. ORELL.

Purgari hac animas. Ita legendum (ex emendatione Meursii), non *has animas.* Philosophiam existimabant esse ζωῆς ἀνθρωπίνης κάθαρσιν καὶ τελειότητα. Vide Platonem in Phædone, et Hieroclem in aurea Pythagoreorum carmina. HERALD.

In ipsis corporibus sensus eis deperit extinguiturque vitalis. Legi volunt: *cum ipsis corporibus.* Falso. Tangit enim Arnobius argumenta, quibus mortalem esse animam efficere conabantur. Atque inter alia inculcabant præcipue, in ipso corpore animam minui, corrumpi, et tandem cum eo exstingui. Eam enim in ægris ægram; in ætate fessis fessam; ac cum interit corpus, simul cum ipsis partibus, quæ primo consopiuntur, exstingui, etc. quæ omnia tractantur a Lucretio lib III, et diluuntur a Lactantio lib. VII, cap. 12. HERALD.

XXXI. — *Medietas ergo quædam et animarum anceps ambiguaque natura locum philosophiæ peperit.* Hæc enim fuit Stoicorum doctrina: quare quæ hic scripsit Arnobius de medietate animarum, ea partim e Stoicorum schola, partim e scriptura perperam intellecta hauserat. Conf. Lactant., lib. VII, cap. 20. HERALD.

Nec in natura posse degenerare mortali. Editor Lugd. Bat. *in naturam........ mortalem* ex emendatione Meursii in Append. Male. Vide observata ad lib. I, cap. 42, et lib. II, cap. 2, verba: *Veram in orbe religionem induxit.* ORELL.

XXXII. — *Ejus enim cognitio fermentum quoddam est vitæ.* Respicit Arnobius ad verba Divi Soteris Joann. XVII, vers. 3. Αὐτὴ δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωή, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν, καὶ ὃν ἀπέστειλας, Ἰησοῦν Χριστόν. ORELL.

Tum deinde feritate atque inhumanitate depositis, resumant ingenia mitiora, ut ad illud quod dabitur esse possint paratæ. His verbis cum regenerationem per baptismum, tum Eucharistiam significat Arnobius, sed ita, ut verba Gentilium ad Christianorum sacra accommodet. Existimabant enim Gentiles, mysteria fuisse inventa, ut homines ex agresti immanique vita ad humanitatem excolerentur et traducerentur: unde initia appellata. Vid. Cic. de Legg. II, cap. 14. Hæc est Nationum παλιγγενεσία. At baptismus appellatur, λοῦτρον ἀναγεννήσεως, *lavacrum regenerationis*, ab Apostolo ad Tit., III, 5. Hoc autem loco perstringit breviter et obscure Arnobius ea quæ observabantur πρὸ τοῦ βαπτίσματος. Dicit in præcedentibus: *Si modo illum tentent ac meditentur agnoscere.* Sic Catechumenorum ordinem subindicat. Catechumeni enim, priusquam baptizarentur, κατηχοῦντο et in doctrinæ christianæ principiis instituebantur, ac Christum cognoscere C docebantur, deinde fidem suam profitebantur, postea precibus ac jejuniis operam dabant ac pœnitentiam agebant, feritatem atque inhumanitatem deponentes, *ut ad illud quod dabitur esse possint paratæ*, id est ad communionem corporis Christi, quia statim, cum essent baptizati, in conventum deducebantur, atque ibi Eucharistiam participabant. Antea enim, cum sacramentum istud celebraretur, catechumeni ne aderant quidem, quod usitatum etiam in profanis mysteriis, a quibus arcebantur, qui initiati et sacrati non erant. Unde formulæ: Ἑκὰς ἑκὰς ἔστε βέβηλοι. *Procul, procul este profani.* Etiam verba *illud quod dabitur*, etc. translata videntur a Gentium mysteriis, in quibus dabantur quædam symbola et memoracula. Arnobius igitur, quia audierat, dari fidelibus panem et vinum, nec mysterii hujus rationem satis cognitam habebat, idcirco hac de re loquitur paulo obscurius et verbis non satis propriis, ita ut confuse tantum vidisse eum aliquid appareat, D nihil adhuc distincte. HERALD. — Heraldum refutat Nourrius putans, Arnobium generaliter h. l. de felici animæ nostræ immortalitate disputare; quam, nisi agnito vero Deo et morum inhumanitate deposita, consequi non possimus. Sed verba *illud quod dabitur* mihi singulare quoddam et μυστηριῶδες indicare videntur, quod autem non rei ignorantia, ut Heraldus putat, sed consulto et prudenter reticuisse videtur Arnobius, ne scil. Gentium talia non intelligentium animos offenderet. Quare, hoc uno excepto, Heraldo assentior.

At vero iterata horum verborum lectione meliora edoctus, totus jam accedo ad doctissimi Nourrii sententiam. *Illud quod dabitur* est vita æterna, ad quam animæ esse debent *paratæ*, id est præparatæ, dignæ redditæ quæ accipiant virtute scilicet et bonis operibus. ORELL.

Dedidimus et mancipavimus. Fulv. Ursin. *mancipamus*, male. ORELL.

mus, et protegimus nos laminis, Psyllis, Marsis vendentibus, aliisque institoribus atque planis: ac ne nobis frigora solesque incommodent rapidi, munimenta domorum ac vestium sollicitæ præparamus diligentia cautionis.

XXXIII. Mortis nobis cum proponatur metus, id est, animarum interitus: quid non ex communi facimus sensu, quo amamus nos omnes, quod eum qui nobis spondet tali a periculo liberaturum retinemus, amplectimur animisque ipsis nostris, si modo justa est vicissitudo, præponimus. Vos vestrarum animarum salutem in ipsis vobis reponitis, fierique vos deos vestro fiditis intestinoque conatu: at vero nos nobis nihil de nostra infirmitate promittimus, naturam intuentes nostram virium esse nullarum, et ab suis affectibus in omni rerum contentione superari. Vos cum primum soluti membrorum abieritis e nodis, alas vobis affuturas putatis, quibus ad cœlum pergere, atque ad sidera volare possitis: nos tantam reformidamus audaciam, nec in nostra ducimus esse positum potestate sedes superas petere: cum et hoc ipsum habeamus incertum, an vitam accipere mereamur, et ab lege mortalitatis abduci. Vos in aulam dominicam tamquam in propriam sedem remeaturos vos sponte, nullo prohibente, præsumitis: at vero nos istud, rerum sine domino fieri neque speramus posse, neque ulli hominum tantum potestatis attribui licentiæque censemus.

COMMENTARIUS.

Protegimus nos laminis, Psyllis Marsis vendentibus. Sic habet ed. Lugd. Bat. In Codice regio est *lamminis phyllis.* Theodorus autem Canterus hunc locum sic corrigendum opinatur: *Protegimus nos labiis Psyllis, Marsisve dentibus;* optimo quidem sensu, si *Psyllorum* et *Marsorum* legeretur. Salmasius autem (ad Tertullian., de Pallio, p.239, et ad Solin., p.246. O.) hæc ita vult emendari: *Psyllis labinis, Marsisve dentibus.* Eodem sane sensu. (At formationem *labinum, i,* pro labium frustra quæsivi. O.) Quibus enim serpentes male infuderant mordendo venenum, hos Psylli et Marsi sugendo sanabant. Nullus autem dubitandi locus videtur, quin Arnobius loquatur de hisce Psyllis Africæ, et Marsis Italiæ populis, qui re ipsa venenatis serpentium morsibus medebantur, quorumque meminerunt Plinius, Hist. Nat., VII, 2; XXI, 13; XXV, 2; XXVIII, 3; Ælianus, de Nat. Animal., lib. I, cap. 57; Plutarch., in Caton. min.; Strabo, lib. XVII, pag. 814; Casaub., Sueton. in Augusto, cap. 17; Solinus, cap. 27; Hieronymus, Præfat. in Joel.; De Psyllis elegantissime Lucanus cecinit Pharsal., IX, vers. 891, seqq.:

> Gens unica terras
> Incolit, a sævo serpentum innoxia morsu.
> Marmaridæ Psylli, par lingua potentibus herbis,
> Ipse cruor tutus, nullumque admittere virus,
> Vel cantu cessante potest: natura locorum
> Jussit, ut immunes misti serpentibus essent.

De Marsis denique hos Lucilii versus citant ex lib. X Satir.:

> Jam disrumpatur medius, jam ut Marsus colubras
> Disrumpit cantu, venas cum extenderet omnes.

(Conf. A. Gell., lib. XVI, c. 11; Firmic. Astron. lib. VIII, c. 6, etc.; et Cornelius Fronto de Bello parthico opp., pag. 322, edit. Angeli Maii: *Si Marso quis patre natus viperas, lacertas et natrices timeret, nonne degenerare videretur*). ORELL.—Et hæc quidem manifeste satis ostendunt, Arnobium de his, uti diximus, Psyllis et Marsis fecisse sermonem. Utrum vero voces *laminis* et *vendentibus* genuinæ sint, aut quid pro iis reponendum, sine aliquo codice integro et incorrupto quis adserere audeat? NOURR., p. 562, seq.—Equidem nihil prorsus mutandum censeo. Quid enim nos impedit, quominus credamus, *laminas magicas* (amuleta) venditas fuisse ab hujuscemodi præstigiatoribus. Quid quod sequentia verba: *aliisque institoribus atque planis*, requirere videntur participium *vendentibus*, et constructio sane durissima esset: *Protegimus nos labiis Psyllis Marsisve dentibus aliisque institoribus*, etc. — Et gaudeo jam, in explicatione loci adstruendaque lectione Codicis consentire mecum Joannem Schefferum Argentorat., in libro Adversariorum inserto Misc. Obss. Crit., tom. IX, pag. 163, de laminis his magicis citantem Apuleium, Met., lib. III: *Instruxit* (Pamphile) *feralem officinam omne genus aromatis et ignorabiliter laminis litteratis.* Intelligendæ autem laminæ æreæ inscriptæ certis notis vel nominibus magicis (verbi causa ΑΒΡΑΞΑΣ ΜΙΘΡΑΣ) contra venenata, quarum icones videre licet in Montefalconii Antiquitt. tab. 80 et 81. Compend. Schatz. Conf., qui de iis multus est, Jo. Selden, de Diis Syr., lib. I, c. 2. ORELL.

Institoribus. Cod. reg. *institutoribus* male. *Institores* (hoc loco *Hausierer*) sunt qui merces vel suas vel aliorum distrahunt, qui merces vel etiam officia sua venalia habent. Sic infra cap. 38, hoc vocabulo coquos, etiam lenones, muliones, meretrices, etc., quos ante dixerat, comprehendit Arnobius. Ovidius, de Art. am., lib. I, vers. 425:

> Institor ad dominam veniet discinctus emacem,
> Expediet merces teque sedente suas.

NOURR. et ORELL.

XXXIII. — *Quid non ex communi facimus sensu. Communem sensum* pro sapientia posuit et judicio Arnob. infra lib. IV. *Nisi communem tollitis nobis atque eripitis sensum.... ille communis qui est in omnibus mortalibus sensus.* Horat., Satyr., lib. I, serm. 3. *Communi sensu plane caret.* Phædrus, lib. I, fab. VII:

> Hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam
> Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

ELMENH. — Cf. Scheffer., ad Phædri, lib. I, editio Rom. *ex commodi sensu*, malo. Veram lectionem Meursius restituit, ut et in seq. *præponimus* loco *proponimus*. ORELL.

Si modo justa est vicissitudo. Meursius legend. conjicit: *si modo ista est necessitudo*, male. Sensus est: si res tam exigui pretii, ut anima humana est, comparationem aliquam et vicissitudinem cum Christo patitur. ORELL.

Intestinoque conatu. Vide supra ad l. I, c. 20. ORELL.

Vos cum primum soluti membrorum abieritis e nodis, alas vobis affuturas putatis, etc. Ita Gelenius. Editio prima: *abieritis senodes*, nullo sensu. Ad hanc autem sententiam accommodate Cicero in Consolatione, ap. Lactantium., l. III, c. 19: *Nec enim omnibus iidem illi sapientes arbitrati sunt eumdem cursum in cœlum patere: nam vitiis et sceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno jacere docuerunt: castos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atque artibus expolitos, levi quodam et facili lapsu ad deos, id est ad naturam sui similem pervolare.* Cf. Euripid. Supplic., v. 532-536. HERALD.

Ad sidera volare. Stewech. mavult *avolare*. ORELL.

Sedes superas petere. Ita editio Lugd. Bat. et Oberthur., e conjectura Stewechii: alii *res superas*. ORELL.

Mereamur. Vide supra, ad l. I, c. 3. ORELL.

XXXIV. Cum igitur hæc ita sint, quænam injustitia tanta est, ut fatui vobis credulitate in ista videamur; cum vos et similia credere, et in eadem videamus expectatione versari? Si irrisione existimamur digni, quod spem nobis hujusmodi pollicemur, et vos eadem expectat irrisio, qui spem vobis immortalitatis adsciscitis. Si tenetis aliquam sequiminique rationem, et nobis aliquam portionem ex ista ratione concedite. Si nobis hæc gaudia, hoc est viam fugiendæ mortis, Plato in Phædone [a] promisisset, aliusve ex hoc choro, possetque eam præstare, atque ad finem [b] pollicitationis adducere, consentaneum fuerat ejus suscipere nos cultus, a quo tantum doni expectaremus et muneris. Nunc cum eam Christus non tantum promiserit, verum etiam virtutibus tantis manifestaverit posse compleri: quid alienum facimus, aut stultitiæ crimen quibus rationibus sustinemus, si ejus nomini majestatique substernimur, a quo speramus utrumque, et mortem cruciabilem fugere, et vitæ æternitate [c] donari?

XXXV. Sed si animæ, inquiunt, mortales et [d] qualitatis sunt mediæ, immortales quemadmodum fieri mediis ex qualitatibus possunt? Si nos istud nescire dicamus, ac tantummodo auditum ex potentiore credidisse, ubi nostra videbitur credulitas lapsa, si omnipotenti credidimus regi nihil esse difficile, nihil arduum? Si quod impossibile nobis est factu, illi possibile, atque admodum executioni [e] paratum? Est enim quod obstare ejus voluntatibus possit, aut quod esse voluerit, non necessario sequatur ut fiat? An numquid nostris ex divisionibus colligemus, quid aut fieri possit, aut non possit: nec rationes considerabimus nostras tam esse mortales, quam sumus nos ipsi, et nullius apud principem mominis? Et tamen o isti, qui mediæ qualitatis animas esse non creditis, et in medio limite vitæ atque interitus contineri, nonne omnes omnino, quos esse opinatio suspicatur, dii, angeli, dæmones, aut nomine quocumque sunt alio, qualitatis et ipsi sunt mediæ, et in ambiguæ sortis conditione mutabiles? Nam si omnes concedimus, unum esse rerum patrem, immortalem atque ingenitum solum, nihilque omnino ante illum, quod alicujus vocaminis fuerit, invenitur: sequitur ut hi omnes quos opinatio credidit deos esse mortalium, aut ab eo sint geniti, aut eo jubente prolati? Si sunt prolati et geniti, et ordinis sunt posterioris et temporis: si ordinis posterioris et temporis, ortus necesse est habeant, et exordia nativitatis, et vitæ: quod autem habet introitum, et vitæ incipientis exordium, necessario sequitur ut habere debeat et occasum.

XXXVI. Sed immortales perhibentur dii esse. Non ergo natura, sed voluntate Dei patris, ac munere. Quo igitur pacto immortalitatis largitio [f] est

LECTIONES VARIANTES.

[a] *MS. etiam heic in Phædro.*
[b] Ad in finem *ms.*
[c] Æviternitate *Stewech.*
[d] *Omittit hæc Fulv.*
[e] Obsecutioni *ms.*
[f] Largiter ms, male.

COMMENTARIUS.

XXXIV. — *Posse compleri*. Fulv. Ursinus mavult *posse conferre*. Sed nil mutandum contra codicis fidem. Orell.

Si ejus nomini..... substernimur. Meursius et Stewech. conj. *numini*, perperam. *Nomen Christi*, idem quod ipse Christus, ut *nomen Dei* pro Deo. Vide supra, ad l. I, c. 20. Orell.

Vitæ æternitate donari. Ita Salmasius. Alii : *vitam æternitate donari*. Meursius conj. *vita in æternitate donari*. Fortassis Arnobius Lucretium suum imitatus scripsit *vitai æternitate*. Qui est genitivus antiquus. Orell.

XXXV. — *Si nos ista nescire dicamus*, etc., etc. Constructio est : *Ubi nostra videbitur crudelitas lapsa, si nos ista nescire dicamus..... si omnipotenti regi nihil esse difficile atque arduum*. Credulitas, hoc loco bono sensu, idem quod *fides*. Vid. Gasp. Barth. in Ind., ad Claudian. Mamert., de statu animæ h.v. et C. Rittershus. ad Salvian., contra Avarit., l. III, § 518, p. 160, ed. Bremens. Orell.

Et nullius apud principem mominis. Ita Meursius, editor Lugd. Bat. et Oberthur. Alii : *nominis*, quod h. l. etiam defendi posset. Orell.

Nam si omnes concedimus, unum esse rerum patrem, etc. Hæc enim fuit veterum sophorum sententia, unum esse Deum, principem ac patrem omnium rerum, ipsorumque adeo deorum, quæ fuit sententia Hermæ ter maximi, ut etiam docet B. Augustinus, l. VIII, de Civit. Dei ; c. 23 : *Ille autem Ægyptius alios deos dicit esse a summo Deo factos; alios ab hominibus*, etc. Hanc sententiam Pythagorei postea frequentes secuti sunt Vide Hieroclem. Cf. Lactant., l. I, c. 6. Hinc igitur Valerius Soranus :

Jupiter omnipotens Regum Rex ipse, Deusque;
Progenitor, genitrixque Deum; Deus unus et omnis.

Herald.— Confer ea de re peculiarem Meinersii V. Cl. librum : *Historia doctrinæ de vero Deo*, Lemgoviæ, 1780, in II vol. Orell.

Mutabiles. Editio rom. *nutabiles*, quod Stewechius defendit, perperam. Orell.

Nihilque omnino ante illum, quod alicujus vocaminis fuerit, invenitur. Id est nihil quod possit vocari, nulla rerum existentium, *kein einziges von allen nennbaren Dingen*. *Vocamen* est vox Lucretiana, l. II, v. 656 :

Et Bacchi nomine abuti
Mavult, quam laticis proprium proferre vocamen.

Utitur Solinus et Arnobius passim, verbi causa, l. I, c. 3 ; *gens nostra felicitate donari hujus vocaminis meruit*, et sæpius. Herald. et Orell.

Prolati. Si sunt prolati et geniti, etc. Ita ed. Lugd. Bat. Ante : *prolati sint*. *Prolati et geniti*. Meursius : *prolati ; si sint prolati et geniti*. Orell.

XXXVI. — *Quo igitur pacto immortalitatis largitio est donum Dei, certe prolatis*, etc. Ita ex emendatione Gelenii editores omnes usque ad ed. Lugd. Bat., cod. ms. et ed. princeps habet : *Immortalitatem largitus est donum Dei certam prolatis* sine sensu. Unde Heraldus suspicatur, verba *donum Dei* esse Glossema, quod e margine, ubi scriptum erat : *Immortalitas donum Dei*, in textum irrepsit, et legendum : *Quo igitur pacto immortalitatem largitus est* (scil. Deus) *certam prolatis*. Male. Hoc enim aperte negat Arnobius, *Deum* prolatis largitum esse immortalitatem, sed tantum dicit, *posse largiri*; animas perinde ac corpora esse natura sua caducas et mortales, quæ si immortalitatem adipiscantur, Deo id acceptum referendum. Itaque nil mutandum censeo. Ed. Lugd. Bat. refingit : *Quo igitur pacto*

donum Dei [a], certe prolatis, et animas hoc pacto dignabitur immortalitate donare, quamvis eas mors sæva posse videatur extinguere, et ad nihilum redactas irremeabili abolitione delere. Plato ille divinus multa de Deo digna, nec communia sentiens multitudini, in eo sermone ac libro, cui nomen Timæus inscribitur, Deos dicit et mundum corruptibili [b] esse natura, neque esse omnino dissolutionis expertes : sed voluntate Dei regis ac principis vinctione in perpetua contineri. Quod enim recte sit vinctum, et nodis perfectissimis colligatum, Dei bonitate servari : neque ullo ab alio, nisi ab eo qui vinxit et dissolvi, si res poscat, et salutari vinctione donari. Ergo si res est ita, nec aliud convenit vel existimare vel credere, quid animas admiramini mediæ dici qualitatis a nobis : cum numinibus ipsis dicat Plato medias esse naturas, sed continuam et A inocciduam vitam principali benevolentia surrogari? Si enim forte nescitis, et anteą vobis incognitum propter rei novitatem fuit, accipite sero, et discite ab eo, qui novit, et protulit in medium Christo, non esse animas regis maximi filias, nec ab eo, quemadmodum dicitur, generatas cœpisse se nosse, atque in sui nominis essentia prædicuri, sed alterum quempiam genitorem his esse, dignitatis et potentiæ gradibus satis plurimis ab Imperatore disjunctum : ejus tamen ex aula et eminentium nobilem sublimitate natalium.

XXXVII. Quod si essent, ut fama est, dominicæ prolis, et potestatis animæ generatio principalis, nihil eis ad perfectionem defuisset virtute perfectissima procreatis : unum omnes intellectum habuis- B sent, unumque consensum, aulam semper incolerent regiam, nec prætermissis beatitudinis sedibus,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Deis *Fulv.*

[b] *Bene* corruptibiles *ms.*

COMMENTARIUS.

immortalitas largitoris est donum Dei circa prolatos et animas, etc. ad sensum quidem optime, sed audacius. ORELL.

Plato..... in eo sermone ac libro, qui Timæus inscribitur, etc. Locus exstat in Timæo Platonis, p. 41, ed. H. Steph., vol. III (ed. Bipont., vol. IX, p. 325), quem Cicero de Universo sic interpretatur : *Tum ad deos is Deus, qui omnia genuit, fatur : hæc vos, qui deorum satu orti estis, attendite : quorum operum ego parens, effectorque sum, non sunt dissoluta me invito, quamquam omne colligatum solvi potest. Sed haudquaquam boni est, ratione vinctum velle dissolvere : sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse et indissolubiles non potestis; neutiquam tamen dissolvemini, nec vos ulla mortis fata periment, nec fraus valentior, quam consilium meum, quod majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa, quibus estis tum, cum gignebamini, colligati.* ELMENH.

Neque ullo ab alio nisi ab eo qui vinxit et dissolvi. Ita Fulv. Ursinus, probante Meursio, et ed. Lugd. Bat., cod. ms. et editio princeps rom. *neque ab ullo abolitionis ab eo qui vinxit*, nullo sensu, unde Gelenius fecerat : *nexusque abolitione ab eo qui vinxit.* Stewechius : *neque ab ullo, nisi ab eo qui vinxit.* At, ut ipse fatetur Stewechius, Fulvii emendatio propius accedit ad lectionem codicis msti. ORELL.

Et salutari vinctione donari. Sic edidi cum ed. Lugd. Bat. Cæteri : *missione.* Sed hoc loco non de dimissione animarum e corporeis vinculis, nam hoc esset *missio*, sermo est, sed *de vinculo illo ad perpetuitatem*, ut ait Cicero in loco supra allato e Platonis Timæo, sive de vinctione, qua animæ natura sua mortales continentur a Deo, ne dissolvantur. Ed. Rom. *jussione*, quod probat Th. Canterus : *jussione* scil., ut salvæ æternaque maneant. ORELL.

Non esse animas Regis maximi filias, etc. Hausit ista Arnobius e Neoplatonicorum, sive potius Gnosticorum, Simonis, Basilidis, Saturnini, Carpocratis, etc., doctrina, qui statuebant, mundum non a Deo, sed ab angelis esse conditum, hominem quoque ab iisdem formatum. Irenæus, lib. I, cap. 24, p. 32, ed. Erasmi Paris. : *Saturninus similiter ut Menander unum patrem incognitum nobis ostendit, qui fecit angelos, archangelos, virtutes, potestates. A septem autem quibusdam angelis mundum factum, et omnia quæ in eo. Hominem autem angelorum esse facturam, desursum a summa potestate lucida imagine apparente, quam cum continere non potuissent, inquit, eo statu qui statim recurrerit sursum, adhortati sunt semetipsos, dicentes : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram : qui cum factus esset et non potuisset erigi plasma, per imbecillitatem angelorum, sed quasi vermiculus scarizaret* (id est reptaret), *miserantem ejus de super virtutem, quoniam in similitudinem ejus esset factus, emisisse scintillam vitæ, quæ erexit hominem et articulavit, et vivere fecit. Hanc igitur scintillam vitæ post defunctionem recurrere ad ea, quæ sunt ejusdem generis. dicit. Et reliqua, ex quibus facta sunt illa, resolvi*, etc. Idem, cap. 24, de Carpocrate : *Carpocrates autem et qui ab eo, mundum quidem et ea, quæ in eo sunt, ab angelis multo inferioribus ingenito patre factum esse dicunt.* C Cf. Tertullian., de Præscriptionibus, cap. 46 et 48; idem, de Anima, cap. 23. Epiphanius, adv. Hæreses, lib. I, pag. 32 : Philastrius, de Hæres., cap 29, 31, et 36, 38. Cæterum de iis omnibus tecte tantummodo et obscure loquitur Arnobius, consulto, ut mihi quidem videtur, et prudenter, ne scil. si distinctius de iis disseruisset nominassetque mundi creatores Gnosticorum, Demiurgum, Logon, Pronœsin, Sophian, Dynamim cæterosque, quos dicebant, æones, ipse a Gentilibus Polytheismi, quem refutare et destruere cupiebat, argueretur. ORELL.

Atque in sui nominis essentia prædicari. Meursius Codicis lectionem *in sui nominis sententia* defendit loco gemino Arnobii, lib. I : *Dedimus nos Deo, cujus nutu et arbitrio omne quod est constat, et in sententiæ suæ perpetuitate defixum est*, et eodem libro : *priore detracto in aliorum habitum sententiamque traducere*, ut sit *sententia* h. l. i. q. αἴσθησις, sensus. Quo sensu D si absolute dicere potuit Arnobius, novum tamen et sine exemplo *nominis sententia.* ORELL.

Satis plurimis. Pro *satis multis.* Superlativus loco positivi, ut sæpius in Arnobio. Vide supra, ad lib. I, c. 22. (*Satis multus* autem dictum est pro nimio multus. Vide Barth., Adversar., lib. XXIX, c. 13, page 1380.) Ita *satis pulcherrimus* apud Pomponium, de Origine Juris : *Exstat ejus* (Ciceronis) *oratio satis pulcherrima, quæ inscribitur pro Q. Ligario.* STEWECH. *et* ORELL.

XXXVII. — *Habuissent.* Fulv. Ursin. *hausissent.* ORELL. *et saccati obscœnissimas serias.* Sumptum e Lucretii, lib. IV, vers. 1020 :

Pusi sæpe lacum propter, se, ac dolia curta
Somno devincti credunt extollere vestem
Totius humorem saccatum ut corpori, fundant.

HERALD.

Quod sacco vinum eliquabant veteres, quod et sac-

in quibus augustissimas noverant, retinebantque doctrinas, imprudenter appeterent terrena hæc loca, tenebrosis corporibus involutæ inter pituitas et sanguinem degerent: inter stercoris hos utres, et saccati obscœnissimas serias. Sed habitari oportuit et has partes, et idcirco huc animas tamquam in colonias aliquas Deus omnipotens misit. Et quid homines prosunt mundo, aut ob rei cujus sunt necessarii causam, ut non frustra debuisse credantur parte in hac agere, et terreni esse corporis inquilini? Ad consummandam molis hujus integritatem, partem aliquam conferunt: et nisi fuerint additi, imperfecta et clauda est universitatis hæc summa. Quid ergo? si homines non sint, ab officiis suis cessabit mundus? Vicissitudines suas non peragent sidera? æstates, atque hyemes non erunt? ventorum flamina conticescent? nec ex coactis et pendentibus nubilis ad terram decident imbres ariditatibus temperamenta laturi? Atqui necesse est cuncta suos ire per cursus, nec ab ordinis nati continuatione discedere, etiamsi

A nomen in mundo nullum hominis audiatur, orbisque iste terrarum solitudinis vacuæ silentio [a] conticescat. Quemadmodum ergo jactatur habitatorem debuisse regionibus his addi, cum ab homine liqueat nihil ad mundi perfectionem redire, omniaque ejus studia commoditatem semper spectare privatam, nec a finibus propriæ utilitatis abscedere?

XXXVIII. Quid enim prodest mundo, ut ab rebus incipiam seriis, maximos reges hic esse? Quid tyrannos, quid dominos, quid innumeras alias atque amplissimas potestates? Quid rei militaris experientissimos duces capiendarum urbium peritos, in equestribus prœliis aut in pedestri pugna immobiles atque B invictissimos milites? Quid oratores, grammaticos, poetas? quid scriptores, dialecticos, musicos? quid pantomimos, quid mimulos, histriones, cantores, tuba, tibia, calamoque flatantes? Quid cursores, quid pugiles, quadrigarios, desultores, grallatores, funiambulos, præstigiatores? Quid cybiarios [a], sali-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Pigarios ms. male. unde fecerunt alii bigarios. Vide Not.*

COMMENTARIUS.

care dicebant, hinc per similitudinem non inamœnam, in re tamen parum honesta, factum est, ut, cum vesica coli vinarii vel sacci speciem habeat, urina liquoris transmissi lotium saccatum diceretur. TURNEB., *Adversar.*, *lib.* XXIII, *cap.* 14, et ELMENH. Similiter Sammonic., de Medicin., vers. 77:

Ergo lutum prodest membris adhibere fricatis,
Quod facit ex asino saccatus corporis humor.

ubi vid. Keuchen et Ackerman, nec non Morgagni Epist. I, in Celsi editione Vulpiana, vol. II, pag. 283. ORELL.

Et quid homines prosunt mundo. Mundum non esse creatum hominum causa, Epicureorum fuit opinio. Lactant., lib. VII, cap. 5. *Quæ utilitas Deo in homine, inquit Epicurus, ut eum propter se faceret? Quid ergo Deo cultus hominis confert, beato et nulla re indigenti?* quam sententiam hoc loco sequitur Arnobius, alias, quando philosophatur, Stoicus, ut demonstret animas hominum non posse esse a Deo profectas. Refutat Lactant., lib. VII, c. 4, et in Epitome, cap. 7. Origenes, lib. IV, contra Celsum; Clemens, Recogn., lib. I, pag. 13, et lib. VI, pag. 101. ELMENH. et HERALD.

Imperfecta et clauda est universitatis hæc summa. Claudus, hoc loco idem quod mancus, mutilus, κυλλός, non χωλός. Ita Livius, lib. XXXVII, cap. 24, *clauda et mutila navigia* dicit. ORELL.

Ventorum flamina conticescent. Ita supra, lib. I, cap. 2: *Numquid suas animas exspiravere venti*, etc. Eodem sensu *ventorum spiritus* dicit Lactantius, Inst. lib. VII, cap. 6, ubi vid. Buneman., pag. 893. ORELL.

Ex coactis nubilis. Vide ad lib. I, cap. 2. ORELL.

Ad mundi perfectionem. Fulv. Ursin. legi mavult: *Ad mundum perfectionis.* Nescio quare. ORELL.

XXXVIII. — *Quid pantomimos, quid mimulos*, etc. Mimi et pantomimi in hoc differunt, quod pantomimi puero accinente et responsante tibicine ipsi muti ac taciti cantica desultarent: *mimi* autem etiam canebant et loquebantur in scena. Vide, qui de iis multus est, Salmas., ad Flav. Vopisc., Carin., cap. 19; Script. Hist. Aug., vol. II, pag. 828, seqq. et Rigalt., ad Artemidor., lib. I, cap. 78, pag. 75, ed. Reiff. ORELL.

Tuba, tibia calamoque flatantes. Festus: *flator*, *tibicen*. Glossæ Philoxeni: *Flat*, φυσᾷ. *Flator*, αὐλητής. HERALD.— Stewech. mavult frequentativum *flatitantes*, male. *flo*, *flato* dicitur, ut *no*, *nato*. ORELL.

Desultores. Desultores dicebantur, qui duos equos absque ephippiis agitantes ex altero in alterum subinde mira pernicitate desiliebant. Cf. Gesner. in Thesaur. et Scaliger., ad Manil. v, vers. 85. Munker., ad Hygin., fab. LXXX, pag. 133. ORELL.

C *Grallatores.* Interprete Festo *erant pantomimi, qui ut in saltatione imitarentur ægipanas, adjectis perticis furculas habentibus, atque in his superstantes ad similitudinem crurum ejus generis gradiebantur, utique propter difficultatem consistendi.* ubi vid. intpp. et ad Varron., de Ling. lat., VI, pag. 94. Not. pag. 225. ed. Bipont.; Muret., Var. Lectt., lib. XIII, cap. 19. *Grallatores* autem dicebantur a *grallis*, quibus insilientes ambulabant. *Grallæ* autem contract. e *gradulæ*, idem quod colobathra. gall., *des échasses*, germ., *Stelzen*. græce isti homines dicebantur γύπωνες, de quibus Pollux Onomast., lib. IV, cap. 14, Segm. 104. γύπωνες, ξυλίνων κώλων ἐπιβαίνοντες, ὠρχοῦντο διαφανῆ ταραντινίδια (pellucidis vestibus Tarentinis) ἀμπεχόμενοι. Ubi vid. Jungermann., pag. 410, tom. I, ed. Hemsterh. Cf. Voss., Etymol. rom., v. *grallæ* et Bulenger. de Theatris, I, 32. Verte igitur *Stelzenlaufer*. J. Fr. Gronovius, qui de hominibus hisce multus D est in Lectt. Plautin., pag. 284 et seq. hæc observat: « Videntur exercitio crebro adsecuti hi homines, ut etiam grallis saltare et subsilire possent: secus atque hodie grallis incedentes videmus, qui grandes potius passus, quam citos faciunt. » Sic etiam provinciæ Francogallicæ Hispaniæ conterminæ incolas circa Bayonnam (département des Landes) propter solum arenosum currere, itinera facere, immo onera bajulare grallis insistentes legisse memini in Itinerario quodam, cujus titulus mihi excidit. ORELL.

Funiambulos. De veterum funambulorum artibus multus est Barth., Adversar. lib. V, cap. 19, pag. 248. ORELL.

Quid cybiarios. Ita egregie correxit Salmasius in ed. Lugd. Bat., et ad Solinum, pag. 174. In ms. erat *quibiarii*, quod est idem quod *cybiarii*. Ita in membranis *Quinegion*, *Quizicus* pro *Cynegion*, *Cyzicus*, et in antiquo codice Epistolarum Paulini *Paulinus Ausonio triquinon*, id est, τρίχυνον, trina salutatio. Ex *quibiarii*

natores, bolonas, unguentarios, aurifices, aucupes, A gritatem sui, nisi ei contentio animalis miseri et vannorum sirpiarumque vitores? Quid fullones, lanarios, phrygiones, coquos, panchristarios, muliones, lenones, lanios, meretrices? Quid institorum alia genera? Quid professorum, et artium, quibus enumerandis omnis ætas angusta est, rationibus conferunt, et constitutionibus mundi, ut sine hominibus condi non potuisse credatur, nec obtenturus integritatem sui, nisi ei contentio animalis miseri et supervacui jungeretur?

XXXIX. Nisi forte rex mundi, quod temeritatis est maximæ humano ex ore depromere, idcirco ex se genitas huc animas misit, ut quæ fuerant apud se deæ, corporei tactus, et terrenæ circumscriptionis expertes, humana immergerentur in semina, femi-

COMMENTARIUS.

alii vim vocis non intelligentes fecerunt *bigarii*, quod loco esset prorsus alieno, nam supra quadrigarios cum cursoribus et pugilibus conjunxit Arnobius. Contra *cybiarii*, id est, qui cybia vendunt, bene junguntur salinatoribus et bolonis. *Cybium* salsamenti sive tarichi genus quadratum, a Græco κύβος, quod geometris figuram quadratam notat. Fiebat autem cybium e pelamyde sive minori thunno, qui et κύβεια dicitur Oppiano, Halieut., I, vers. 183. Cf. Plin., Hist. Nat., lib. XXXII, c. 11, ibique Harduin., in not. maj., p. B 599, et intpp., ad Fest., hoc verbo. Itaque *cybiarii*, qui cybia, id est τεμάχη θύννων, sale condiunt venduntque. Nourrius, pag. 551, mavult *cibarios*, hoc est qui cibos conficiunt et ministrant, *Traiteurs*, citans Varronis verba, ap. Nonium, cap. 2 ; *Tuus ipse frater cibarius fuit Aristoxenis*. Orell.

Salinatores. Id est *salitores*. Glossæ Philoxeni : *salitor*, ταριχευτής. Herald. Papias : *Salinator, qui salem facit*. Vetus inscriptio pag. MCXIV. Gruter. :

LEPIDO L. F. PROCVLO. SALINATORES.
CIVITATIS. MENAPIORVM. OB.
MERITVM. EIVS. SEPTIMINA.
P. REPONEND. CVRAVIT.

Elmenh. — *Conf. Nourr., pag. 564 seq. Salzbereiter*. Orell.

Bolonas. Ita edit. Lugd. Bat., ex emendatione A. C Turnebi, Adversar. lib. XIII, cap. 14, pag. 11, vol. II. Cod. ms. *bolones*, unde alii fecerunt *volones*, quomodo bello punico dicebantur voluntarii milites e servis. Sed ad hunc locum nihil ista notio pertinet. An potius sunt, qui ultro ad gladium ferrumque se locabant? Putarem, nisi salinatores antecederent. Legendum itaque *bolones*, sive græca terminatione *bolonas*, a bolis piscium. Nam sic tabernæ cetariorum dicebantur. Vid. Donat., ad Terent. Eunuch., act. II, scena II, vers. 26. Reperi et in antiquo Lexico e bibliotheca P. Danielis *bolonas* diserte explicari μεταπράτας καὶ παλιγκαπήλους, id est propolas. Igitur sic et cetarii vocabantur, qui bolos venditabant. βόλον ὠνεῖσθαι, jactum emere a piscatoribus, tritum proverbium ap. veteres. Hæc Turnebus, lib. I, Gesner., in Thesauro, et Voss., in Etymol. rom. Orell.

Vannorum sirpiarumque vitores. Ita legendum esse, pluribus ostendit Salmasius ad Solinum. *Vitores*, οἱ πλέκται, qui vinciunt, ab antiquo verbo vio, vieo; græci μίω. Æoles dicebant βίω, id est, ligo, plico. Fest. *viere, alligare, unde vimina et vasa viminea*. Ubi vide intpp., et Columin. ad Ennii Fragmenta, p. 293 (184. ed. Hesselii). Hinc vitor, vietor, ap. Plaut., Rudent., act. IV, scen. III. vers. 50, et Plin., Hist., Nat., lib. XXXV, cap. 11, de Pausia pictore : *Amavit in juventa Glyceram vitricem corollarum*, nam ita legendum pro *inventricem* e conjectura Salmasii. Male itaque Nourrius legendum censet *venditores*. Cæterum *sirpiæ* vel *sirpeæ*, *scirpeæ*, erant cophini ex viminibus texti in plaustris. Vide Græv., ad Justin., XLIII, cap. 4, pag. 716, ed. Abr. Gronovii, et, qui de hoc verbo multus est, Junium, ad Cic., II, ad Att. Epist. IV, pag. 199, ed. Grævii. Alii explicant crates stercorarias. Sed Varro, de Re rust., I, c. 23, aperte distinguit a cratibus. Vide Schneider. V. Cl., in Lexico, ad Script. Rei rust., hoc verbo. Cf. Voss.; in Etymol. rom., verbo *sirpare*. Orell.

Quid fullones, lanarios. Eosdem conjungit Plautus, Aulul., act. III, scen. V, vers. 34 :

Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius.

quem locum fortassis ante oculos habuit noster. *Lanarii* sunt ἐριουργοί, qui lanam sordibus purgant, et præparant ad nendum et texendum, *Wollkammer*. Jul. Firmic. Astron. Lib. III, cap. 9. *Eorum artes sunt sordidæ et squalidæ aut gravis odoris, quales sunt confectores coriorum, fullones, lanarii, pictores, coqui. Fullo* est (ut ait Ovidius) *qui maculas læsis de vestibus aufert*. Elmenh. et Orell.

Phrygiones. Qui vestes acu pingunt, intexunt. Phryges enim primi invenere talem texturam. Vide Plin., Hist. Nat. lib. VIII, cap. 48. Cf. Servius, ad Æn. III, vers. 484; Nonius, cap. I, n. 10; Isidorus, Origin., lib. XIX, cap. 22. Phrygionum sæpe meminit Plautus, verbi causa Aulul., loco modo citato; Menæch., act. I, scen. III, et act. III, scen. II. Nourrius. Conf. Voss., Etymol. rom., hoc verbo. Confer etiam G. Fr. Gronov. in Lectt. Plaut., pag. 214 et seqq. Orell.

Panchristarios. Varie explicatur hoc verbo Turnebus, Adversar. lib. XIII, cap. 14, legendum putat vel *panchrestarios* ab unguento panchresto, cujus meminit Cicero, Orat. in Verr. III, c. 65, ut sint medicamentarii et pharmacopolæ, qui medicamenta et remedia omnibus valetudinum generibus conficiunt, vel *panifices crustarios*, id est crustarum sive crustularum confectores. Jo. Wower. ad Minuc. Fel. Octav., cap. 14, pag. 132, ed. Jac. Gronovii legendum conj. *panarios*, *crustarios*. (Glossae : *panarius*, ἀρτοπώλης.) Sed nil mutandum. *Panchristarii* sive *panchrestarii* sunt confectores liborum et panchrestorum, i. e. dulcium, dulciaminum, crustularum, græce γλυκασμάτων, quæ χρηστά, πάγχρηστα μελιττώματα Græcis, Latinis dicebantur panchrista, e melle scil. et papavere confecta. Vide Salmas., ad Æl. Lamprid. Heliogabal., cap. 32, Script. Hist. August., vol. I, pag. 873. Salvian., de Providentia, lib. VI : *Infantes quoque omnes fere parvulas contumaces, quos morigeros minæ ac ferulæ non efficiunt, interdum* πάγχρηστα, *atque blanditiæ, ad obedientiam trahunt*. Orell. et Herald.

Conferunt. Ita Herald. et ed. Lugd. Bat., cod. ms. *conferre*, vitiose. Meurs. *confert*. Orell.

D *Nisi ei contentio animalis miseri......... jungeretur*. Ita ms. ed. Lugd. Bat., *conditio*. Alii *completio*. Sed antiquam lectionem bene defendit Heraldus. *Contentio* idem est quod *continentia* supra eodem libro cap. 19, ubi vide notas. *Contentio* itaque hoc loco passive quod continetur. Sensus est : *Nisi ei jungeretur quod contineatur in illo animal miserum et supervacuum*. Orell.

XXXIX. — *Corporei tactus et terrenæ circumscriptionis expertes*. Ita Gelenius. Cod. ms. et editio princeps rom. habent *temerariæ circumscriptionis*, quod quid sit, non est facile divinare. Heraldus legendum conjicit : *corporei tactus, elementariæ circumscriptionis expertes*, more Arnobii copulas omittere amantis. Ed Lugd. Bat. *materiæ circumscriptionis expertes*. Equidem propius ad codicis ms. lectionem legendum suspicor *terrariæ*, id est *terrenæ*, qua de voce vide eumdem Salmasium ad Tertullian. de Pallio pag. 413 seq. Ita *aves terrariæ* dicebantur

narum ex genitalibus prosilirent, ineptissimos ederent continuarentque vagitus : exugerent fellitantes mammas, proluvie linerent et madidarent se sua : et ut [a] ad silentium pavidæ nutricis motibus et crepitaculis adducerentur auditis. Idcirco animas misit, ut quæ fuerant simplices, et bonitatis nuper innoxiæ, simulare in hominibus discerent, dissimulare, mentiri, circumscribere, fallere, adulatoria humilitate captare, mente aliud volvere, aliud in facie polliceri : illaqueare, decipere dolis atque insi- A diis nescios, per innumeras artes malitiarum venena conquirere, et ad usum temporis pellaci mobilitate formare. Idcirco animas misit, ut in pacata et placida tranquillitate degentes, assumerent ex corporibus causas, quibus feræ fierent, et immanes, simultates, atque inimicitias gererent, consererent inter se bella, expugnarent atque everterent civitates : servitutis opprimerent, et manciparent se jugo, et ad ultimum fierent alterius altera potestatis natalium conditione mutata? Idcirco animas misit, ut imme-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et tunc *ms., quod non mutandum.* Meurs.

COMMENTARIUS.

Romanis, qui in ornithonibus alebantur, ad distinctionem aeriorum, qui libero scil. aere fruuntur, vel in genere quæ terra tantum contentæ sunt, ut turdi, pavones et turtures, neque aquam etiam re- B quirunt, ut anseres, anates, querquedulæ. ORELL.

Prosilirent. Eodem sensu Græci dicunt προτορεῖν, ἐκπροθορεῖν, ἐκθορεῖν, Vide Hemsterh., ad Lucian. Prometh., § 4, p. 212, vol. I, ed. Bipont. ORELL.

Ineptissimos vagitus. Ineptissimos, hoc est minime aptos iis quæ deæ censentur, divinis animis indignissimos, vel potius in gen. ἀνοήτους, *verstandloses Gewimmer*, ut infra in simillimo loco lib. VII. *Parvuli pusiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exterrentur auditis.* ORELL.

Exugerent fellitantes mammas. Glossæ Isidori : *Fellitat..... sugit.* Ita Solin., Polyhist., cap. 45 : *Nequaquam mater pullo ubera præbet fellitanda* de equabus, quibus præreptum fuerat hippomanes. θηλᾶν id est mammam sugere, Æolice φηλᾶν : inde Latinum *felare.* Ita Varro : *Lac humanum felare*. et alibi : *Lupam alumni felarunt olim.* et frequentativum *felitare, fellitare.* SALMAS., *ad Solin. l.* I *Exercitt. Plinian., p.* 662.— Plura exempla collegit Meursius, pag. 66, seqq. ORELL.

Ut ad silentium pavidæ nutricis motibus et crepitaculis adducerentur auditis. Legi volunt nonnulli (Meursius) *vocibus.* Sed vulgata lectio defendi potest. Ait igitur *nutricis motibus*, nempe quæ cunas agitat, ut pueros ad silentium traducat, *motus* igitur hoc loco *das Wiegen, Schaukeln.* Pro *pavidæ*, ms. habet *pavidi*, scil. *infantes*, id est pavore plorantes, quod magis placet. *Crepitacula* instrumenta parva in modum sistri formata, infantium ludicra, quorum inventor perhibetur Archytas, *Kinderklupper.* Martial., Epigr., lib. XIV, 54, in crepitacillum :

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.

Cæterum et hic Arnobius imitatur Lucretium suum, lib. V, 228 et seqq. :

At variæ crescunt pecudes, armenta feræque,
Nec crepitacula eis opu' sunt, nec cuiquam adhibenda 'st
Almæ nutricis blanda atque infracta loquela.

HERALD., ELMENH. et ORELL. — Græci illa crepitacula πλαταγώνια vocant. Julius Pollux Onomast., lib. IX, Segm. 127 Τὸ δὲ πλαταγώνιον οἱ ἐρῶντες ἢ ἐρῶσαι ἔπαιζον· καλεῖται μὲν γὰρ οὕτω καὶ τὸ κρόταλον, καὶ τὸ σεῖστρον, ὃ καταβαυκαλῶσιν αἱ τίτθαι, ψυχαγωγοῦσαι τὰ δυσυπνοῦντα τῶν παιδίων. Meurs., p. 68. Cf. Hug. Grot. ad Marcian. Capell., lib. I, p. 4. ORELL.

Quæ fuerant simplices. Simplices, id est *bonitatis innoxiæ*, ut in sequentibus verbis optime interpretatur ipse Arnobius. Simplices igitur et boni dicuntur homines aperti, in quibus nihil fallaciæ, nec malitiæ quidquam est. Ita M. Tullius, I de Off., cap. 30 : *Sunt his alii multum dispares, simplices et aperti, qui nihil ex occulto, nihil ex insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici.* Græce εὐηθεῖς, ἁπλοῖ, ἁπλοϊκοί, vel etiam ἀκέραιοι, ut illos appellat D. Soter Matth., X, 16 ; ubi vid. Grot. HERALD. et ORELL.

Simulare..... dissimulare. Ita Sallust. Catil., cap. 5, quem in toto hoc loco imitatus videtur Arnobius. Catilinam appellat *cujus rei libet simulatorem ac dissimulatorem*, ubi vid. Cort. p. 32 glossæ Guelferbyt. *Simulo, quod facere nolo.—Dissimulo, quod facere volo.* Aurel. Victor., Epit., cap. 14, de Hadriano : *Ingenium invidum, triste, lascivum et ad ostentationem sui insolens callide tegebat, clementiam simulans contraque dissimulans ardorem gloriæ, quo flagrabat.* ORELL.

Adulatoria humilitate captare. Dicit Arnobius *captare* significanter, quia finis adulatoris est κερδαίνειν. Alias enim molliori nomine censetur et appellatur ἄρεσκος, quem *blandum* latine dicere possumus. Aristoteles, lib. IV, Nicomach., cap. 14 : Ὁ μὲν τοῦ ἡδὺς εἶναι στοχαζόμενος, μὴ διά τι ἄλλο ἄρεσκος. Ὁ δ' ὅπως ὠφέλειά τις αὐτῷ γίγνηται εἰς χρήματα, καὶ ὅσα διὰ χρημάτων, κόλαξ. Themistius quoque Euphrades, Orat. III, finem adulatoris ait κερδαίνειν, ἢ γαστρίζεσθαι ἐκ τοῦ ἔργου, et Lucianus Dissertatione pro imaginibus ait : τὸν κόλακα ἐπαινεῖν τῆς χρείας ἕνεκα τῆς ἑαυτοῦ. HERALD.

C *Mente aliud volvere, aliud in facie polliceri.* Similiter Sallust., Catil., cap. 10 : *Aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere.* Hos homines *bilingues* appellabant Latini, verbis causa Virgil. Æn., I, *Tyriosque bilingues* et *duplices*, ut Horatius *duplicem Ulyssem*, I Od., VI, vers. 7. Sic etiam apud Græcos διπλοῦς opponitur τῷ ἀληθευτικῷ. HERALD. — Cf. quæ observavimus ad Jac. Balde, carmen. select., III, Lyric., Od. VI, vers. 21. ORELL.

Malitiarum venena conquirere. Ita distinguit editor Leidensis. Heraldus autem totum locum sic interpunxit : *Decipere dolis atque insidiis nescios per innumeras artes malitiarum : venena conquirere.* Sed præfero prius, quia infra cap. 42 legimus : *Idcirco animas misit, ut venenatas conficerent potiones?* quod, si Heraldum sequamur, esset otiosa nostri loci repetitio. Et omnino bene dicuntur *malitiarum venena* de versutiis, fallaciis venenorum instar in obscuro serpenti- D bus. Ita Rufum, hominem perfidum et fallacem appellat Catullus, carm. LXXVII : *Venenum et pestem amicitiæ.* ORELL.

Pellaci mobilitate. Ita Fulv. Ursinus. Editio princeps Sabæi : *Pellaciæ mobilitate.* De verbo *pellax* vide supra ad cap. 7. ORELL.

Servitutis opprimerent et manciparent se jugo. Sic ostendit incunabula, immo ipsos servitutis natales. Capti bello victoribus mancipabantur. Sic servitus postea propagata. De causis servitutis vide Basilium libro de Spiritu Sancto, c. 20. HERALD.

Et ad ultimum fierent alterius altera potestatis. Meursius mavult : *Alterius alteræ potestatis*, haud male, ut infra cap. 41, *Alias aliæ raperent.* ORELL.

Natalium conditione mutata. Quia omnes nascuntur liberi. Quare cum libertas naturalis sit, servitus est contra naturam, et est constitutio Juris gentium. Lib. IV, Digest. de Stat. hom., etc. HERALD.

mores veritatis effectæ, et quidnam esset Deus obliti, simulacris inertibus supplicarent, ligna, æra, et lapides, divina alloquerentur ut numina, auxilia poscerent [a] cæsorum animantium cruore, nullam sui facerent mentionem : quinimmo ex his aliæ ut dubitarent se esse, aut ullum esse penitus abnegarent? Idcirco animas misit, ut quæ in sedibus propriis mente fuerant una, intellectu et scientia paribus, postquam formas induere mortales, opinionum discriminibus dissiderent, aliud aliis justum, aliud utile videretur, et rectum : de appetendis rebus, fugiendisque certarent, malorum ac bonorum alios aliæ constituerent fines : veritatem cupientibus noscere [b] rerum opponeretur obscuritas, et velut oculorum luminibus viduæ, nihil certum viderent, et per ancipites semitas suspicionum inducerentur errore?

XL. Idcirco animas misit, ut cum animantia cætera sponte natis [c] alerentur, et nulla satione prolatis [d], neque domorum, aut vestium tutamina sibi, aut velamenta conquirerent, miserabilis istis necessitas adderetur : ut cum impendiis maximis, perpetuisque

A sudoribus domos sibi construerent [e], membrorum conficerent tegmina, supellectilem variam diurnorum contraherent egestati, imbecillitatis auxilia animalibus mutuarentur a mutis, vim facerent terris, ut non sua sufficerent gramina, sed imperatas extollerent fruges, et cum sanguinem totum in subigenda tellure fudissent, robigine, grandine, siccitate, spem laboris amitterent : et ad ultimum vi famis humanis cadaveribus incubarent, et ab hominum formis tabifica macie dissociarentur abjunctæ? Idcirco animas misit, ut quæ secum commorantes possessionis alicujus nullum umquam habuissent amorem : avarissimæ hic fierent, et in habendi studium inexaturabili pectoris ardescerent appetitu : effoderent altos
B montes, et viscera ignota terrarum in materias verterent alieni nominis, atque usus; penetrarent abditas discrimine cum capitis nationes, et translatis mercibus charitatem semper, vilitatemque captarent, exercerent avidum atque injustissimum fœnus, et miserorum e sanguine supputandi se angerent insomnia; millibus possessionum semper producerent

LECTIONES VARIANTES.

[a] Poscerentur *Sab.*
[b] Nosse *Fulv.*
[c] Mala *alii.*
[d] Prolata *alii.*
[e] Constituerent *ali*

COMMENTARIUS.

Veritatis effectæ. Id est perfectæ, consummatissimæ veritatis, quæ nullam amplius dubitationem admittat. Nostri ad verbum : *Ausgemachte Wahrheit.* ORELL.

Auxilia poscerent eos. Poscere sæpissime apud Latinos cum duobus accusativis, more Græcorum *αἰτεῖν τινά τι.* Ita Virgil., Æn., IV, vers. 50 :

Tu modo posce Deos veniam.

Plura exempla vide in Gesneri Thesaur. *eos* omittunt alii. ORELL.

Aut ullum esse penitus abnegarent. Ullum esse, id est, omnem rerum existentiam. Alludit autem Arnobius ad Aphasiam Pyrrhoniorum. ORELL.

Et velut oculorum luminibus viduæ. Meursius : *ut velut*, etc. ORELL.

XL. — *Vestium tutamina sibi aut velamenta conquirerent.* Stewechius mavult *velamina*, more Arnobii antiquos, imprimis Lucretium, imitantis. ORELL.

Suppellectilem variam diurnorum conficerent egestati. Idem Stewechius legendum conjicit *diurna rerum conficerent egestate.* Id est rerum necessariarum inopia quotidiana. Sed nihil mutandum. *Diurna* in plurali dixit Arnobius sensu rariore pro rebus ad quotidianum victum necessariis :

Queis humana sibi doleat natura negatis.

die taglichen Bedurfnisse. Hujus tamen significationis apud alios scriptores exempla frustra quæsivi. ORELL.

Rubigine. Virgil. Georg., I, vers. 150 :

. . . . . Ut mala culmos
Esset robigo.

Ubi Servius : *Rubigo est genus vitii, quo culmi pereunt, quod a rusticanis calamitas dicitur. Hoc autem genus vitii ex nebula nasci solet, cum nigrescunt et consumuntur frumenta, inde et Rubigus Deus, et sacra ejus decimo Kal. Maias Rubiginalia appellantur.* ELMENHORST. Docente Vossio V. Cl. ad Virgilii l. l. duo diversa plantarum vitia eo nomine veteres significabant, alterum *album*, quod Germani appellant *Mehlthau*, alterum *rufum*, *den Rost im Getreide.* Alias dicitur *ærugo*, Cypriano *comestura*, Græcis *βρῶσις*. Vide Davis., ad Lactant. Epit., cap. 65, p. 1333, ed. Bunemann. ORELL.

Et in habendi studium inexaturabili pectoris ardescerent appetitu. Ita *habere* absolute apud optimos scriptores. Juvenalis ex Ennio :

Unde habeas, nemo quærit, sed oportet habere.

Et *habentia*, *πλοῦτος*. Quadrigarius apud Nonium :
C *Animos eorum habentia inflarat.* Sic *ἔχειν* Græci. Sophocles in Ajace : *πρὸς γὰρ τὸν ἔχονθ' ὁ φθόνος ἕρπει.* Sic in Evangelio : *τῷ ἔχοντι δοθήσεται.* HERALD. — Adde Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 78. OCHSNER.

Penetrarent abditas discrimine cum capitis nationes. Mira erat fidelium tunc temporis abstinentia. Avaritiam et nimiam habendi cupiditatem ita damnabant, ut periculosas mercaturas hoc etiam nomine damnarent. Vide Lactant., lib. V, cap. 18. Tertullian., de Idololatria, cap. 11. HERALD.

Et translatis mercibus charitatem semper vilitatemque captarent. Zeno Veronensis Sermone I, de Avaritia : *Alius inde rerum omnium captat annonam, aucupatur distrahendi tempus; minor in mensura, major in pretio : negat se habere, quod distrahat ut rogetur, ut jugulet; atque utinam incorrupta species venderetur. Ingemiscit præterea, si annus est sterilis; multo magis, si fertilis fuerit : illic, quia parum distrahit : hic, quia*
D *non solus. Vultis scire, quantis scit tenebris obvolutus? Irascitur Deo, si non semper fiat publicis luctibus dives.* HERALD. Male itaque Meursius legendum conjicit : *utilitatemque captarent.* ORELL.

Exercerent avidum atque injustissimum fœnus. Ita enim existimabant ævo illo Christiani, quorum charitas ferventior erat, fœnus omne esse *ἀθέμιτον*, et ab ipsa humanitate alienum. Hinc Miltiades, apud Euseb., lib. V Hist. Eccles., cap. 19, ubi montanistarum prophetas exagitat : *Προφήτης, εἰπέ μοι, βάπτεται; προφήτης στιβίζεται; προφήτης φιλοκοσμεῖ; προφήτης τάβλαις καὶ κύβοις παίζει; προφήτης δανείζει;* HERALD. — Ita et ethnici, verbi causa Cato, qui fœnerari idem esse dicebat, quod hominem occidere. ELMENH.

Et miserorum e sanguine supputandi se angerent insomnia. Millibus possessionum, etc. Ita edidi ex emendatione Heraldi. Cod. habet *supputandis augerent insomnia*, unde Gelenius et cæteri cum secuti : *supputandi se angerent insania.* Stewechius : *suppu-*

fines : et quamvis provincias totas rus facerent, unum, pro arbore una, pro sulco, forum litibus tererent; cum amicis, et fratribus inexpiabiles susciperent simultates?

XLI. Idcirco animas misit, ut quæ dudum fuerant mites et feritatis affectibus nesciæ commoveri, macella sibi, et amphitheatra constituerent, loca sanguinis, et publicæ impietatis; ex quibus in altero mandi homines cernerent, et bestiarum laniatibus dissipari; interficere se alios nullius ob meriti causam, sed in gratiam voluptatemque sessorum, ipsos- A que illos dies, quibus tantum committeretur nefas, in gaudiis communibus ducerent, et festa hilaritate sacrarent; in altero vero animalium miserorum discerperent viscera, alias aliæ raperent, ut canibus mos est et vulturibus, portiones, subigerent dentibus, et crudelissimo ventri darent, et in tam sævis atque horridis moribus [a] sortem suam flerent, quas ab talibus mensis paupertatis angustiæ vindicarent : pro beatis ac felicibus viverent, quarum ora et faciem [b] tam crudeles polluerent apparatus? Idcirco animas misit, ut divini ponderis et gravitatis oblitæ, gem-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Oribus *alii*.

[b] Fauces *Fulv*.

COMMENTARIUS.

tandis summis augerent insomnia. Potius *insomniam*: nam hic non de insomniis sermo, sed de vigilantia avari. Salmasius, in editione Lugd. Bat.: *Et miserorum e sanguine supputandis se angerent insomnia nominibus. Possessionum*, etc. Mihi copula *et* videtur alieno loco posita et verba *miserorum e sanguine* conjungenda cum antecedentibus *exercerent avidum* B *atque injustissimum fœnus*. Locum itaque sic constituendum censeo : *exercerent avidum atque injustissimum fœnus miserorum e sanguine, et supputandi se angerent insomnia. Millibus possessionum*, etc. ORELL. —*Miserorum e sanguine*. Nam facultates habentur quasi sanguis hominis αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς. Sic Plautus in Bacchid., act. III, scen. I, vers. 5, de meretricibus :

Apage istas a me sorores, quæ hominum sorbent sanguinem.

Confer. Rigalt., ad Artemidor. Oneirocrit., lib. I, cap. 35, p. 23, ed Reiff., et, qui rem pluribus exemplis illustrat, J. Fr. Gronov. Obss., lib. IV, cap. 24, p. 796, edit. Platneri. Similiter *viscera, nervos, vires* patrimonium appellant veteres. Nam, ut canit Hesiodus :

Χρήματα μὲν ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

ORELL.

C —*Supputandi se angerent insomnia*. Graphice his verbis depingit Arnobius fœneratores vigilantes et pecuniam sibi debitam supputantes. Lucianus in Gallo ; Ὁρᾷς ἐπαγρυπνοῦντα καὶ τοῦτον ἐπὶ φροντίδων, ἀναλογιζόμενον τοὺς τόκους, δακτύλους κατεσκληκότα, ὃν δεήσει μετ' ὀλίγον πάντα ταῦτα λιπόντα σίλφην ἢ ἐμπίδα ἢ μυῖαν γενέσθαι. Hinc et Prudentius in Avaritiæ et Miserationis pugna :

..... Velox nam dextra rapinas
Abradit, spoliisque ungues exercet ahenos.
Cura, fames, metus, anxietas, perjuria, pallor,
Corruptela, dolus, commenta, insomnia, sordes,
Eumenides Furiæ, monstri comitatus aguntur.

HERALD.

—*Millibus possessionum semper producerent fides*. Ed. Lugd. Bat., pro *millibus* dedit *nominibus* et conjungit cum præcedentibus *supputandis se angerent insomnia nominibus. Possessionum*, etc. *Supputandis nominibus*, D id est, debitis sibi pecuniis (*das Berechnen ihrer Capitale*). Sed nil mutandum. *Millibus possessionum fines producere* est idem quod *millibus passuum*, *milliariis producere possessionum fines*, *ganze Meilen weit ausbreiten*. *Millia* sæpius absolute pro *milliariis*, *millibus passuum*. Cf. A. Gell., Noct. Att., I, cap. 16; et Gesner., in Thesaur. Ita Aurel. Victor Epitom., cap 40: *Funus ejus* (Severi) *Gallieni sepulcro infertur, quod ex Urbe abest per Appiam millibus novem*. ORELL.

XLI. — *Macella*. De amphitheatris intelligit Savaro ad Sidon., lib. I, epist. V, p. 39. Sed proprio sensu accipienda esse, sequentia docent. ORELL.

Et amphitheatra constituerent. Nescio quid isset iis in mentem, qui lectionem istam mutari voluerunt, et legi *construerent*. Nam occurrit hæc latinitas aliquoties apud hunc scriptorem. Infra hoc libro : *cumque illis ædes constitutatis sacras*, et alibi. Virgilius, Æn. XII, vers. 194:

Mihi mœnia Teucri Constituent.

Solinus : *Deinde constitutæ ob Ascanio longa Alba, Fidenæ*. Lactantius : *Siquidem Jovis temporibus fuit, quibus primum templa constitui, et novi Deorum cultus esse cœperunt*. Et passim apud optimos latinitatis auctores. HERALD.

In gratiam voluptatemque sessorum. Ita egregie correxit Jac. Cujacius lectionem ms. codicis vitiosissimam : *In gratam voluptatemque sensorum*. E qua Gelenius fecerat : *In gratam voluptatem consessorum*. Sed prætero emendationem Cujacianam, quam et editor Lugd. Bat., in textum recepit. ORELL. Huc autem pertinet, quod scribit Jul. Firmicus, lib. VIII, Mathes., cap. 12 : *Tales qui se ob alienæ gratiæ voluntatem* (leg. *voluptatem*) *nundinati sanguinis jactura ad mortis spectaculum vendant*. HERALD.

Alias aliæ. Ita Gelenius. Cod. ms. *alias alia*. HERALD.

Pro beatis ac felicibus viverent. Corrigunt *ducerent*. Sed nihil fortasse mutandum. Si quid autem mutari oporteret legere mallem *veherent* pro *evehèrent*. HERALD.

Idcirco animas misit, ut divini ponderis et gravitatis oblitæ, gemmas, lapillos, margaritas castitatis dispendio compararent, innecterent his colla, laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes limbis, conficiendis quærerent corporibus fucos, fuligine oculos obumbrarent. Ita hæc verba optime disposuit Heraldus in Curis secundis, cum quo consentit editor Lugduno-Batavus, nisi quod cum Meursio *imminuerent frontes limbis* post verba *quærerent corporibus fucos* collocavit. In cod. ms. et editionibus omnibus præter Salmasianam locus est luxatus, et verba *conspiciendis quærerent corporibus fucos* loco prorsus alieno; nimirum post verba *castitatis dispendio compararent* leguntur, quod pessime retinuit etiam novissimus editor, Oberthurius. Sed jam singula videbimus. Prava codicis ms. lectio varias peperit interpretum conjecturas. Imprimis verba *innecterent his colla*, male posita post *quærerent corporibus fucos*, merito suspecta fuere viris doctis. Quare Fulv. Ursinus legendum conjecerat : *Innecterent catenis colla*. Stewech. *innecterent tæniis colla*. Sagacissime autem Heraldus in editione sua : *innecterent linis colla*. *Lina* scil. vel *lineæ* dicebantur Romanis fila, quibus margaritæ insertæ erant : unde Tertullianus de habitu muliebri scribit : *Uno lino decies sestertium inseritur*, et Hieronymus in Vita Pauli Eremitæ : *Uno filo villarum insunt pretia*; et, qui locus est classicus, Cornel. Fronto, in oratione de hæreditate Mathidiæ Opp., p. 285, ed Maii : *Lineam istam famosam atque celebratam, cæteraque tantæ pecuniæ ornamenta quis emet? Tua uxor si emerit, prædam invasisse, et minimo aere eripuisse dicetur, eoque minus ad eos, quibus legatum erat, pervenisse. Annon emet ista ornamenta Faustina? Quis igitur emet margarita, quæ filiabus tuis legata sunt? His margaritis collos

mas, lapillos, margaritas, castitatis dispendio compararent, innecterent his colla, laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes limbis, conficiendis quærerent corporibus fucos, fuligine oculos obumbrarent, nec in formis erubescerent masculorum calamistris vibrare cæsariem, cutem corporis levigare, incedere poplitibus nudis, omnique alio cultu vigorem virilitatis, et exponere, et in habitum feminarum deliciasque mollire?

XLII. Idcirco animas misit, ut viarum aliæ infestarent meatus, aliæ circumscriberent nescios, testamenta supponerent falsa, venenatas conficerent potiones, domos ut effringerent noctibus sollicitarent, abigerent, prævaricarentur, et proderent, saporum

COMMENTARIUS.

filiarum tuarum despoliabis, ut cujus tandem ingluvies turgida ornetur? Erant illa modo simplicia, modo duplicia et triplicia, unde *monolinum, dilinum, trilinum.* Vide Casaubon. et Salmas., ad Script. Hist. August., tom. II, p. 63, et Boettiger V. Cl., in Sabina, p. 405. Sed non opus habemus istis conjecturis, si verba illa eo ordine, quo edidimus, leguntur: *Innecterent his colla*, scil. *gemmis, lapillis, margaritis*, quæ filis illis vel linis ita inserta erant, ut singulas margaritas gemma exciperet. Hinc Tertullianus de Habitu mulierum, cap. 11, tales gemmas appellat *lumina lapillorum, quibus monilia variantur.* Vide Scheffer., de Torquibus, cap. 10, p. 47. Boettiger, in Sabina, p. 405. Illas gemmas, lapillos, margaritas dicit Arnobius feminas *sibi comparare castitatis dispendio*, ex sententia Christianorum illius ævi. Hieronymus, in Epistola ad Lætam: *Cave ne aures ejus perfores, ne cerusso et purpurissa consecrata Christo ora depingas; nec collum auro et margaritis premas: nec caput gemmis ornes, nec capillum irrufes, nec ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris.* Cf. Tertullian. lib. laud. et Cyprianum de bono pudicitiæ. Pergit noster: *Laminas pertunderunt aurium.* Glossæ: *Lamna*, λοβὸς ὠτίου, ima pars auriculæ. Sidonius, lib. I, epist. II, vocat *aurium ligulas* sive *legulas*, ubi vid. Sirmond., p. 13. Cf. Voss., Etymol. voc. v. *Lamina*, *Ligula*. Pro *imminuerent frontem limbis* Heraldus mavult legi *imminuerent frontem nimbis*. *Nimbus* secundum Isidor., Orig., lib. XIX, cap. 31, in Collectione Gothofredi, p. 1307, *est fasciola transversa ex auro assuta en linteo, quod est in fronte feminarum. Plautus: Quo magis illam adspicio tanto magis nimbata est.* Sed bene habet vulgatum. Nam ipsum linteum, in quo assutus erat ille *nimbus*, dicebatur *limbus*. Statius, Achilleid., lib. II: HANICQ.

> Gemmatis aut nectunt tempora limbis.

Et Prudentius Psycomant.:

> A cervice fluens tenui velamine limbus.

Quæ loca citavit Elmenhorst. Recte etiam dicitur *imminuere frontem limbis.* Veteres enim tenuem frontem, minimam castigatam, collectam in deliciis habuisse, docent nos Herald., ad hunc locum, et J. Fr. Gronov., Diatrib. ad Statii Silv., lib. II. 1, cap. 17, pag. 94. Sequentia verba. ut leguntur in edit. Lugd. Bat. *conficiendis quærerent corporibus fucos*, defendi quidem possunt, ut fit *conficiendis* vel idem quod *perficiendis*, *exornandis*, vel malo sensu pro *consumendis, enecandis corporibus*, quorum sanitati fuci sunt maxime pestiferi. Sed mirifice placet emendatio Oudendorpii prolata a P. Brumanno ad Anthologiam lat., lib. III, epigr. 132, p. 587, vol. I, *conspuendis corporibus* (scil. ob turpitudinem, deformitatem, ut scil. tegant fucis vitia naturæ), præsertim cum cod. ms. habeat *conspiendis*. ex quo Gelenius fecit *conspiciendis*. Stewechius *compingendis*. Heinsius: *conliniendis*. *Fuligo*, ut bene explicat Elmenhorst, est niger, pulvis, quo oculorum exordia producuntur. Juvenal., sat. II, vers 93, seq.:

> Ille supercilium madida fuligine tactum
> Obliqua producit acu, pingitque trementes
> Attolens oculos.

Græcis pulvis ille dicebatur στίμμις unde στιμμίζειν et ὑποστιβίζειν apud Nicolaum Damascenum, ubi vide Valesium, p. 175 seq. editionis nostræ. Latinis *stibium*. Cf. Grotium in Annott. in Vet. Test. ad II Reg. CXI, 30. et Boettiger V. C., in Sabina, p. 49. ORELL.

Nec in formis erubescerent masculorum calamistris vibrare cæsariem: Nescio quid in mentem venerit doctissimo Scaligero in notis ad Priapeia, carm. XLII, mutare locum sanissimum. Is scilicet legendum censet: *Nec ii formis erubescerent calamistris musculorum vibrare cæsariem*, ut sit *formis calamistris* idem quod *ferventi ferro*, nam veteribus *formus* idem quod *calidus*. Stewech. autem *informis calamistris*, id est valde calidis, ab *in* intensivo et *formus*. Sed *in formis* conjungenda cum *masculorum*, ut sensus sit, cum masculorum formas sive corpora induerint animæ. Carpit nimirum Arnobius viros muliebria passos et feminarum ad instar capillos calamistris crispantes. Etiam *in* male a Scaligero mutatum in *ii*, cum præcesserint non *homines* sive *viri*, sed *animæ*. *Calamistrum*, ut explicat Servius ad Virgil. Æn., XII, vers. 100, *est acus major, quæ calefacta et adhibita torquet capillos*, græce κάλαμις. Vide Boettiger., in Sabina, p. 124. *Vibrare*, idem quod *crispare, krauseln*. Cf. Virgilii, l. I. ORELL.

Cutem temporis levigare. Quod ab effeminatis et virilitatem exuentibus factum, ut ad Martialem observabamus. Jul. Firmicus, lib. VIII, Mathes., cap. 7. *Hi etiam, demptis pilis, corpus suum in feminei corporis imaginem transferent; quorum vestes quoque ad muliebris cultus similitudinem excolentur. Hi molliter ambulantes vestigia sua cum delicata quadam moderatione suspendunt.* Et Sardanapali mollitiem depingens Athenæus, lib. XII, eum ait ἐψιμμυθιωμένον, γυναικείαν στολὴν ἔχοντα, καὶ κατεξυρημένον τὸν πώγωνα, καὶ καταχεχισσαρισμένον, *pumice levigatum.* HERALD.

Incedere poplitibus nudis. Varro Meleagris: *Non modo suris apertis, sed pæne naribus apertis ambulans.* HERALD.

Vigorem virilitatis et exponere. Fulv. Ursin. *et deponere.* Stewech. *et seponere*, quod magis placet. In seq. pro *mollire* ed. Lugd. Bat. *molliri.* Sed nil mutandum. ORELL.

XLII. — *Testamenta supponerent falsa.* Quod temporibus illis quasi solemne. Lactantius, lib. V, cap. 9: *Et ut, quæ levia sunt atque usitata, dicamus, qui hæreditates captent, testamenta supponant, justos hæredes vel auferant, vel excludant.* HERALD.

Domos ut effringerent noctibus. Glossæ Philoxeni: *Effractores*, θυρεπανοῖκται. *Effractarius*, θυρεπανοίκτης. Molliori nomine *apertularius.* Probe autem et emendate *noctibus.* Eo enim tempore proprie grassantur ejusmodi homines. Falsum igitur, quod substitui volunt (Meursius et Scriverius scil.) *vectibus.* Jul. Firmicus, lib. VI Mathes., cap. 31: *In solidis autem signis positi famosos domorum effractores reddent; sed qui armati gladio, quiescentibus hominibus, et patrimonii jacturam, et vitæ discrimen infligant.* Cf. Savaron., ad Sidon., lib. IX, epist. VII. p. 575. ORELL.

Sollicitarent. Proba lectio. Nam qui existimant, aliquid deesse, falluntur. *Sollicitare* hoc loco est alienos servos allectare, plagiatorum grande crimen. Hinc in Glossis Philoxeni: *Sollicitare*, πλαγιάζειν. Papias: *Plagiarius, qui seducit pueros, et sollicitat servos alienos.* Hesychius: ψυχαγωγὸς... ὁ ἀνδραποδιστὴς, καὶ ὁ ἀπατεὼν, καὶ ὁ κατάγων τὰς ψυχὰς εἰς ᾅδου. Nempe ψυχαγωγοί, qui blandis et mellitis verbis servos alienos sollicitant et ad se alliciunt. HERALD.

Abigerent. Innuit Arnobius abactores pecorum vel

philosophia debeat : etiamsi verum est purgari hac animas, atque ab omni puras vitiositate præstari. Nam si communiter obeunt, et in ipsis corporibus sensus eis deperit extinguiturque vitalis : non tantum est erroris maximi, verum stolidæ cæcitatis, frenare ingenitos appetitus, cohibere in angustiis vitam, nihil indulgere naturæ, non quod cupidines jusserint atque instigaverint facere, cum nulla te præmia tanti laboris expectent, cum dies mortis advenerit, et corporalibus fueris vinculis exsolutus.

XXXI. Medietas ergo quædam, et animarum anceps ambiguaque natura, locum philosophiæ peperit, et causam cur appeteretur, invehit : dum periculum scilicet ex malis iste formidat admissis : alter concipit spes bonas, si nihil sceleris faciat, et cum officio vitam justitiaque traducat. Inde est quod inter doctos viros, et ingeniorum excellentia præditos, de animarum qualitate certamen est : et eas alii dicunt mortali esse natura, nec divinam posse substantiam sustinere : alii vero perpetuas, nec in natura posse degenerare mortali. Quod istud [a] ut fiat, medietatis efficitur lege : quod et illis argumenta sunt præsto, quibus eas passivas atque interibiles invenitur : et his contra non desunt, quibus esse divinas immortalesque monstratur.

XXXII. Hæc cum ita se habeant, et cum ab summo traditum teneamus auctore, non esse animas longe ab hiatibus mortis et faucibus constitutas : posse tamen longævas summi principis munere ac beneficio fieri : si modo illum tentent ac meditentur agnoscere : ejus enim cognitio fermentum quoddam est vitæ, ac rei dissociabilis glutinum : tum deinde feritate atque inhumanitate depositis, resumant ingenia mitiora : ut at illud, quod dabitur, esse possint paratæ. Quid est quod a vobis tamquam bruti et stolidi judicemur, si propter hos metus liberatori dedidimus [b] et mancipavimus nos Deo? Adversus ictus noxios, et venenatos colubrarum morsus, remedia sæpe conquiri-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quid istud *Sab.*

[b] *Ita Sab.* dedimus *alii.*

COMMENTARIUS.

corpore gigni, crescere, senescere et interire. Vide Lucret., lib. III, vers. 418 — 840. ORELL.

Purgari hac animas. Ita legendum (ex emendatione Meursii), non *has animas*. Philosophiam existimabant esse ζωῆς ἀνθρωπίνης κάθαρσιν καὶ τελειότητα. Vide Platonem in Phædone, et Hieroclem in aurea Pythagoreorum carmina. HERALD.

In ipsis corporibus sensus eis deperit extinguiturque vitalis. Legi volunt : *cum ipsis corporibus*. Falso. Tangit enim Arnobius argumenta, quibus mortalem esse animam efficere conabantur. Atque inter alia inculcabant præcipue, In ipso corpore animam minui, corrumpi, et tandem cum eo exstingui. Eam enim in ægris ægram; in ætate fessis fessam; ac cum interit corpus, simul cum ipsis partibus, quæ primo consopiuntur, exstingui, etc. quæ omnia tractantur a Lucretio lib III, et diluuntur a Lactantio lib. VII, cap. 12. HERALD.

XXXI. — *Medietas ergo quædam et animarum anceps ambiguaque natura locum philosophiæ peperit.* Hæc enim fuit Stoicorum doctrina : quare quæ hic scripsit Arnobius de medietate animarum, ea partim e Stoicorum schola, partim e scriptura perperam intellecta hauserat. Conf. Lactant., lib. VII, cap. 20. HERALD.

Nec in natura posse degenerare mortali. Editor Lugd. Bat. *in naturam........ mortalem* ex emendatione Meursii in Append. Male. Vide observata ad lib. I, cap. 42, et lib. II, cap. 2, verba : *Veram in orbe religionem induxit.* ORELL.

XXXII. — *Ejus enim cognitio fermentum quoddam est vitæ.* Respicit Arnobius ad verba Divi Soteris Joann. XVII, vers. 3. Αὐτὴ δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας, Ἰησοῦν Χριστόν. ORELL.

Tum deinde feritate atque inhumanitate depositis, resumant ingenia mitiora, ut ad illud quod dabitur esse possint paratæ. His verbis cum regenerationem per baptismum, tum Eucharistiam significat Arnobius, sed ita, ut verba Gentilium ad Christianorum sacra accommodet. Existimabant enim Gentiles, mysteria fuisse inventa, ut homines ex agresti immanique vita ad humanitatem excolerentur et traducerentur : unde initia appellata. Vid. Cic. de Legg. II, cap. 14. Hæc est Nationum παλιγγενεσία. At baptismus appellatur, λοῦτρον ἀναγεννήσεως, *lavacrum regenerationis*, ab Apostolo ad Tit., III, 5. Hoc autem loco perstringit breviter et obscure Arnobius ea quæ observabantur πρὸ τοῦ βαπτίσματος. Dicit in præcedentibus : *Si modo illum tentent ac meditentur agnoscere.* Sic Catechumenorum ordinem subindicat. Catechumeni enim, priusquam baptizarentur, κατηχοῦντο et in doctrinæ christianæ principiis instituebantur, ac Christum cognoscere docebantur, deinde fidem suam profitebantur, postea precibus ac jejuniis operam dabant ac pœnitentiam agebant, feritatem atque inhumanitatem deponentes, *ut ad illud quod dabitur esse possint paratæ*, id est ad communionem corporis Christi, quia statim, cum essent baptizati, in conventum deducebantur, atque ibi Eucharistiam participabant. Antea enim, cum sacramentum istud celebraretur, catechumeni ne aderant quidem, quod usitatum etiam in profanis mysteriis, a quibus arcebantur, qui initiati et sacrati non erant. Unde formulæ : Ἑκὰς ἑκὰς ἔστε βέβηλοι. *Procul, procul este profani.* Etiam verba *illud quod dabitur*, etc. translata videntur a Gentium mysteriis, in quibus dabantur quædam symbola et memoracula. Arnobius igitur, quia audierat, dari fidelibus panem et vinum, nec mysterii hujus rationem satis cognitam habebat, idcirco hac de re loquitur paulo obscurius et verbis non satis propriis, ita ut confuse tantum vidisse eum aliquid appareat, nihil adhuc distincte. HERALD. — Heraldum refutat Nourrius putans, Arnobium generaliter h. l. de felici animæ nostræ immortalitate disputare; quam, nisi agnito vero Deo et morum inhumanitate deposita, consequi non possimus. Sed verba *illud quod dabitur* mihi singulare quoddam et μυστηριῶδες indicare videntur, quod autem non rei ignorantia, ut Heraldus putat, sed consulto et prudenter reticuisse videtur Arnobius, ne scil. Gentium talia non intelligentium animos offenderet. Quare, hoc uno excepto, Heraldo assentior.

At vero iterata horum verborum lectione meliora edoctus, totus jam accedo ad doctissimi Nourrii sententiam. *Illud quod dabitur* est vita æterna, ad quam animæ esse debent *paratæ*, id est præparatæ, dignæ redditæ quæ accipiant virtute scilicet et bonis operibus. ORELL.

Dedidimus et mancipavimus. Fulv. Ursin. *mancipamus*, male. ORELL.

mus, et protegimus nos laminis, Psyllis, Marsis vendentibus, aliisque institoribus atque planis : ac ne nobis frigora solesque incommodent rapidi, munimenta domorum ac vestium sollicitæ præparamus diligentia cautionis.

XXXIII. Mortis nobis cum proponatur metus, id est, animarum interitus : quid non ex communi facimus sensu, quo amamus nos omnes, quod eum qui nobis spondet tali a periculo liberaturum retinemus, amplectimur animisque ipsis nostris, si modo justa est vicissitudo, præponimus. Vos vestrarum animarum salutem in ipsis vobis reponitis, fierique vos deos vestro fiditis intestinoque conatu : at vero nos nobis nihil de nostra infirmitate promittimus, natu- A ram intuentes nostram virium esse nullarum, et ab suis affectibus in omni rerum contentione superari. Vos cum primum soluti membrorum abieritis e nodis, alas vobis affuturas putatis, quibus ad cœlum pergere, atque ad sidera volare possitis : nos tantam reformidamus audaciam, nec in nostra ducimus esse positum potestate sedes superas petere : cum et hoc ipsum habeamus incertum, an vitam accipere mereamur, et ab lege mortalitatis abduci. Vos in aulam dominicam tamquam in propriam sedem remeaturos vos sponte, nullo prohibente, præsumitis : at vero nos istud, rerum sine domino fieri neque speramus posse, neque ulli hominum tantum potestatis attribui licentiæque censemus.

COMMENTARIUS.

Protegimus nos laminis, Psyllis Marsis vendentibus. Sic habet ed. Lugd. Bat. In Codice regio est *lamminis phyllis.* Theodorus autem Canterus hunc locum sic corrigendum opinatur : *Protegimus nos labiis Psyllis, Marsisve dentibus ;* optimo quidem sensu, si *Psyllorum* et *Marsorum* legeretur. Salmasius autem (ad Tertullian., de Pallio, p.239, et ad Solin., p.246. O.) hæc ita vult emendari : *Psyllis labinis, Marsisve dentibus.* Eodem sane sensu. (At formationem *labinum, i,* pro labium frustra quæsivi. O.) Quibus enim serpentes male infuderant mordendo venenum, hos Psylli et Marsi sugendo sanabant. Nullus autem dubitandi locus videtur, quin Arnobius loquatur de hisce Psyllis Africæ, et Marsis Italiæ populis, qui re ipsa venenatis serpentium morsibus medebantur, quorumque meminerunt Plinius, Hist. Nat., VII, 2; XXI, 13; XXV, 2; XXVIII, 3; Ælianus, de Nat. Animal., lib. I, cap. 57; Plutarch., in Caton. min.; Strabo, lib. XVII, pag. 814 ; Casaub., Sueton. in Augusto, cap. 17; Solinus, cap. 27; Hieronymus, Præfat. in Joel.; De Psyllis elegantissime Lucanus cecinit Pharsal., IX, vers. 891, seqq. :

> Gens unica terras
> Incolit, a sævo serpentum innoxia morsu.
> Marmaridææ Psylli, par lingua potentibus herbis,
> Ipse cruor tutus, nullumque admittere virus,
> Vel cantu cessante potest : natura locorum
> Jussit, ut immunes misti serpentibus essent.

De Marsis denique hos Lucilii versus citant ex lib. X Satir. :

> Jam disrumpatur medius, jam ut Marsus colubras
> Disrumpit cantu, venas cum extenderet omnes.

(Conf. A. Gell., lib. XVI, c. 11; Firmic. Astron. lib. VIII, c. 6, etc.; et Cornelius Fronto de Bello parthico opp., pag. 322, edit. Angeli Maii : *Si Marso quis patre natus viperas, lacertas et natrices timeret, nonne degenerare videretur*). ORELL.— Et hæc quidem manifeste satis ostendunt, Arnobium de his, uti diximus, Psyllis et Marsis fecisse sermonem. Utrum vero voces *laminis* et *vendentibus* genuinæ sint, aut quid pro iis reponendum, sine aliquo codice integro et incorrupto quis adserere audeat? NOURR., p. 562, seq.—Equidem nihil prorsus mutandum censeo. Quid enim nos impedit, quominus credamus, *laminas magicas* (amuleta) venditas fuisse ab hujuscemodi præstigiatoribus. Quid quod sequentia verba : *aliisque institoribus atque planis*, requirere videntur participium *vendentibus*, et constructio sane durissima esset : *Protegimus nos labiis Psyllis Marsisve dentibus aliisque institoribus*, etc. — Et gaudeo jam, in explicatione loci adstruendaque lectione Codicis consentire mecum Joannem Schefferum Argentorat., in libro Adversariorum inserto Misc. Obss. Crit., tom. IX, pag. 163, de laminis his magicis citantem Apuleium, Met., lib. III : *Instruxit* (Pamphile) *feralem officinam omne* B *genus aromatis et ignorabiliter laminis litteratis.* Intelligendæ autem laminæ æreæ inscriptæ certis notis vel nominibus magicis (verbi causa ΑΒΡΑΞΑΣ ΜΙΘΡΑΣ) contra venenata, quarum icones videre licet in Montefalconii Antiquitt. tab. 80 et 81. Compend. Schatz. Conf., qui de iis multus est, Jo. Selden, de Diis Syr., lib. I, c. 2. ORELL.

Institoribus. Cod. reg. *institutoribus* male. *Institores* (hoc loco *Hausierer*) sunt qui merces vel suas vel aliorum distrahunt, qui merces vel etiam officia sua venalia habent. Sic infra cap. 38, hoc vocabulo coquos, etiam lenones, mulliones, meretrices, etc., quos ante dixerat, comprehendit Arnobius. Ovidius, de Art. am., lib. I, vers. 425 :

> Institor ad dominam veniet discinctus emacem,
> Expediet merces teque sedente suas.

NOURR. et ORELL.

C XXXIII. — *Quid non ex communi facimus sensu. Communem sensum* pro sapientia posuit et judicio Arnob. infra lib. IV. *Nisi communem tollitis nobis atque eripitis sensum.... ille communis qui est in omnibus mortalibus sensus.* Horat., Satyr., lib. I, serm. 3. *Communi sensu plane caret.* Phædrus, lib. I, fab. VII :

> Hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam
> Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

ELMENH. — Cf. Scheffer., ad Phædri, lib. I, editio Rom. *ex commodi sensu*, malo. Veram lectionem Meursius restituit, ut et in seq. *præponimus* loco *proponimus.* ORELL.

Si modo justa est vicissitudo. Meursius legend. conjicit : *si modo ista est necessitudo*, male. Sensus est : si res tam exigui pretii, ut anima humana est, comparationem aliquam et vicissitudinem cum Christo D patitur. ORELL.

Intestinoque conatu. Vide supra ad l. I, c. 20. ORELL.

Vos cum primum soluti membrorum abieritis e nodis, alas vobis affuturas putatis, etc. Ita Gelenius. Editio prima : *abieritis senodes*, nullo sensu. Ad hanc autem sententiam accommodate Cicero in Consolatione, ap. Lactantium., l. III, c. 19 : *Nec enim omnibus iidem illi sapientes arbitrati sunt eumdem cursum in cœlum patere : nam vitiis et sceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno jacere docuerunt : castos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atque artibus expolitos, levi quodam et facili lapsu ad deos, id est ad naturam sui similem pervolare.* Cf. Euripid. Supplic., v. 532-536. HERALD.

Ad sidera volare. Stewech. mavult *avolare.* ORELL.

Sedes superas petere. Ita editio Lugd. Bat. et Oberthur., e conjectura Stewechii : alii *res superas.* ORELL.

Mereamur. Vide supra, ad l. I, c. 3. ORELL.

XXXIV. Cum igitur hæc ita sint, quænam injustitia tanta est, ut fatui vobis credulitate in ista videamur; cum vos et similia credere, et in eadem videamus expectatione versari? Si irrisione existimamur digni, quod spem nobis hujusmodi pollicemur, et vos eadem expectat irrisio, qui spem vobis immortalitatis adsciscitis. Si tenetis aliquam sequiminique rationem, et nobis aliquam portionem ex ista ratione concedite. Si nobis hæc gaudia, hoc est viam fugiendæ mortis, Plato in Phædone [a] promisisset, aliusve ex hoc choro, posset que eam præstare, atque ad finem [b] pollicitationis adducere, consentaneum fuerat ejus suscipere nos cultus, a quo tantum doni expectaremus et muneris. Nunc cum eam Christus non tantum promiserit, verum etiam virtutibus tantis manifestaverit posse compleri: quid alienum facimus, aut stultitiæ crimen quibus rationibus sustinemus, si ejus nomini majestatique substernimur, a quo speramus utrumque, et mortem cruciabilem fugere, et vitæ æternitate [c] donari?

XXXV. Sed si animæ, inquiunt, mortales et [d] qualitatis sunt mediæ, immortales quemadmodum fieri mediis ex qualitatibus possunt? Si nos istud nescire dicamus, ac tantummodo auditum ex potentiore credidisse, ubi nostra videbitur credulitas lapsa, si omnipotenti credidimus regi nihil esse difficile, nihil arduum? Si quod impossibile nobis est facta, illi possibile, atque admodum executioni [e] paratum? Est enim quod obstare ejus voluntatibus possit, aut quod esse voluerit, non necessario sequatur ut fiat? An numquid nostris ex divisionibus colligemus, quid aut fieri possit, aut non possit: nec rationes considerabimus nostras tam esse mortales, quam sumus nos ipsi, et nullius apud principem mominis? Et tamen o isti, qui mediæ qualitatis animas esse non creditis, et in medio limite vitæ atque interitus contineri, nonne omnes omnino, quos esse opinatio suspicatur, dii, angeli, dæmones, aut nomine quocumque sunt alio, qualitatis et ipsi sunt mediæ, et in ambiguæ sortis conditione mutabiles? Nam si omnes concedimus, unum esse rerum patrem, immortalem atque ingenitum solum, nihilque omnino ante illum, quod alicujus vocaminis fuerit, invenitur: sequitur ut hi omnes quos opinatio credidit deos esse mortalium, aut ab eo sint geniti, aut eo jubente prolati? Si sunt prolati et geniti, et ordinis sunt posterioris et temporis: si ordinis posterioris et temporis, ortus necesse est habeant, et exordia nativitatis, et vitæ: quod autem habet introitum, et vitæ incipientis exordium, necessario sequitur ut habere debeat et occasum.

XXXVI. Sed immortales perhibentur dii esse. Non ergo natura, sed voluntate Dei patris, ac munere. Quo igitur pacto immortalitatis largitio [f] est

LECTIONES VARIANTES.

a *MS. etiam heic in Phædro.*
b Ad in finem *ms.*
c Æviternitate *Stewech.*
d *Omittit hæc Fulv.*
e Obsecutioni *ms.*
f Largiter ms, male.

COMMENTARIUS.

XXXIV. — *Posse compleri.* Fulv. Ursinus mavult *posse conferre.* Sed nil mutandum contra codicis fidem. ORELL.

Si ejus nomini..... substernimur. Meursius et Stewech. conj. *numini*, perperam. *Nomen Christi*, idem quod ipse Christus, ut *nomen Dei* pro Deo. Vide supra, ad l. I, c. 20. ORELL.

Vitæ æternitate donari. Ita Salmasius. Alii: *vitam æternitate donari.* Meursius conj. *vita in æternitate donari.* Fortassis Arnobius Lucretium suum imitatus scripsit *vitai æternitate.* Qui est genitivus antiquus. ORELL.

XXXV. — *Si nos ista nescire dicamus*, etc., etc. Constructio est: *Ubi nostra videbitur crudelitas lapsa, si nos ista nescire dicamus..... si omnipotenti regi nihil esse difficile atque arduum.* Credulitas, hoc loco bono sensu, idem quod *fides.* Vid. Gasp. Barth. in Ind., ad Claudian. Mamert., de statu animæ h.v. et C. Rittershus. ad Salvian., contra Avarit., l. III, § 518, p. 160, ed. Bremens. ORELL.

Et nullius apud principem mominis. Ita Meursius, editor Lugd. Bat. et Oberthur. Alii: *nominis*, quod h. l. etiam defendi posset. ORELL.

Nam si omnes concedimus, unum esse rerum patrem, etc. Hæc enim fuit veterum sophorum sententia, unum esse Deum, principem ac patrem omnium rerum, ipsorumque adeo deorum, quæ fuit sententia Hermæ ter maximi, ut etiam docet B. Augustinus, l. VIII, de Civit. Dei; c. 23: *Ille autem Ægyptius alios deos dicit esse a summo Deo factos; alios ab hominibus*, etc. Hanc sententiam Pythagorei postea frequentes secuti sunt Vide Hieroclem. Cf. Lactant., l. I, c. 6. Hinc igitur Valerius Soranus:

Jupiter omnipotens Regum Rex ipse, Deusque;
Progenitor, genitrixque Deum; Deus unus et omnis.

HERALD.— Confer ea de re peculiarem Meinersii V. Cl. librum: *Historia doctrinæ de vero Deo*, Lemgoviæ, 1780, in II vol. ORELL.

Mutabiles. Editio rom. *nutabiles*, quod Stewechius defendit, perperam. ORELL.

Nihilque omnino ante illum, quod alicujus vocaminis fuerit, invenitur. Id est nihil quod possit vocari, nulla rerum existentium, *kein einziges von allen nennbaren Dingen. Vocamen* est vox Lucretiana, l. II, v. 656:

Et Bacchi nomine abuti
Mavult, quam laticis proprium proferre vocamen.

Utitur Solinus et Arnobius passim, verbi causa, l. I, c. 3; *gens nostra felicitate donari hujus vocaminis meruit*, et sæpius. HERALD. et ORELL.

Prolati. Si sunt prolati et geniti, etc. Ita ed. Lugd. Bat. Ante: *prolati sint. Prolati et geniti.* Meursius: *prolati; si sint prolati et geniti.* ORELL.

XXXVI. — *Quo igitur pacto immortalitatis largitio est donum Dei, certe prolatis*, etc. Ita ex emendatione Gelenii editores omnes usque ad ed. Lugd. Bat., cod. ms. et ed. princeps habet: *Immortalitatem largitus est donum Dei certam prolatis* sine sensu. Unde Heraldus suspicatur, verba *donum Dei* esse Glossema, quod e margine, ubi scriptum erat: *Immortalitas donum Dei*, in textum irrepsit, et legendum: *Quo igitur pacto immortalitatem largitus est* (scil. Deus) *certam prolatis.* Male. Hoc enim aperte negat Arnobius, *Deum* prolatis largitum esse immortalitatem, sed tantum dicit, *posse largiri;* animas per inde ac corpora esse natura sua caducas et mortales, quæ si immortalitatem adipiscantur, Deo id acceptum referendum. Itaque nil mutandum censeo. Ed. Lugd. Bat. refingit: *Quo igitur pacto*

donum Dei [a], certe prolatis, et animas hoc pacto dignabitur immortalitate donare, quamvis eas mors sæva posse videatur extinguere, et ad nihilum redactas irremeabili abolitione delere. Plato ille divinus multa de Deo digna, nec communia sentiens multitudini, in eo sermone ac libro, cui nomen Timæus inscribitur, Deos dicit et mundum corruptibili [b] esse natura, neque esse omnino dissolutionis expertes : sed voluntate Dei regis ac principis vinctione in perpetua contineri. Quod enim recte sit vinctum, et nodis perfectissimis colligatum, Dei bonitate servari : neque ullo ab alio, nisi ab eo qui vinxit et dissolvi, si res poscat, et salutari vinctione donari. Ergo si res est ita, nec aliud convenit vel existimare vel credere, quid animas admiramini mediæ dici qualitatis a nobis : cum numinibus ipsis dicat Plato medias esse naturas, sed continuam et inocciduam vitam principali benevolentia surrogari? Si enim forte nescitis, et anteą vobis incognitum propter rei novitatem fuit, accipite sero, et discite ab eo, qui novit, et protulit in medium Christo, non esse animas regis maximi filias, nec ab eo, quemadmodum dicitur, generatas cœpisse se nosse, atque in sui nominis essentia prædicari, sed alterum quempiam genitorem his esse, dignitatis et potentiæ gradibus satis plurimis ab Imperatore disjunctum : ejus tamen ex aula et eminentium nobilem sublimitate natalium.

XXXVII. Quod si essent, ut fama est, dominicæ prolis, et potestatis animæ generatio principalis, nihil eis ad perfectionem defuisset virtute perfectissima procreatis : unum omnes intellectum habuissent, unumque consensum, aulam semper incolerent regiam, nec prætermissis beatitudinis sedibus,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Deis *Fulv.*

[b] *Bene* corruptibiles *ms.*

COMMENTARIUS.

immortalitas largitoris est donum Dei circa prolatos et animas, etc. ad sensum quidem optime, sed audacius. Orell.

Plato..... in eo sermone ac libro, qui Timæus inscribitur, etc. Locus exstat in Timæo Platonis, p. 41, ed. H. Steph., vol. III (ed. Bipont., vol. IX, p. 325), quem Cicero de Universo sic interpretatur : *Tum ad deos is Deus, qui omnia genuit, fatur : hæc vos, qui deorum satu orti estis, attendite : quorum operum ego parens, effectorque sum, non sunt dissoluta me invito, quamquam omne colligatum solvi potest. Sed haudquaquam boni est, ratione vinctum velle dissolvere : sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse et indissolubiles non potestis ; neutiquam tamen dissolvemini, nec vos ulla mortis fata periment, nec fraus valentior, quam consilium meum, quod majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa, quibus estis tum, cum gignebamini, colligati.* Elmenh.

Neque ullo ab alio nisi ab eo qui vinxit et dissolvi. Ita Fulv. Ursinus, probante Meursio, et ed. Lugd. Bat., cod. ms. et editio princeps rom. *neque ab ullo abolitionis ab eo qui vinxit*, nullo sensu, unde Gelenius fecerat : *nexusque abolitione ab eo qui vinxit.* Stewechius : *neque ab ullo, nisi ab eo qui vinxit.* At, ut ipse fatetur Stewechius, Fulvii emendatio propius accedit ad lectionem codicis msti. Orell.

Et salutari vinctione donari. Sic edidi cum ed. Lugd. Bat. Cæteri : *missione.* Sed hoc loco non de dimissione animarum e corporeis vinculis, nam hoc esset *missio*, sermo est, sed *de vinculo illo ad perpetuitatem*, ut ait Cicero in loco supra allato e Platonis Timæo, sive de vinctione, qua animæ natura sua mortales continentur a Deo, ne dissolvantur. Ed. Rom. *jussione*, quod probat Th. Canterus : *jussione* scil., ut salvæ æternæque maneant. Orell.

Non esse animas Regis maximi filias, etc. Hausit ista Arnobius e Neoplatonicorum, sive potius Gnosticorum, Simonis, Basilidis, Saturnini, Carpocratis, etc., doctrina, qui statuebant, mundum non a Deo, sed ab angelis esse conditum, hominem quoque ab iisdem formatum. Irenæus, lib. I, cap. 21, p. 32, ed. Erasmi Paris. : *Saturninus similiter ut Menander unum patrem incognitum nobis ostendit, qui fecit angelos, archangelos, virtutes, potestates. A septem autem quibusdam angelis mundum factum, et omnia quæ in eo. Hominem autem angelorum esse facturam, desursum a summa potestate lucida imagine apparente, quam cum continere non potuissent, inquit, eo statu qui statim recurrerit sursum, adhortati sunt semetipsos, dicentes : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram : qui cum factus esset et non potuisset erigi plasma, per imbecillitatem angelorum, sed quasi vermiculus scarizaret* (id est reptaret), *miserantem ejus de super virtutem, quoniam in similitudinem ejus esset factus, emisisse scintillam vitæ, quæ erexit hominem et articulavit, et vivere fecit. Hanc igitur scintillam vitæ post defunctionem recurrere ad ea, quæ sunt ejusdem generis. dicit. Et reliqua, ex quibus facta sunt illa, resolvi*, etc. Idem, cap. 24, de Carpocrate : *Carpocrates autem et qui ab eo, mundum quidem et ea, quæ in eo sunt, ab angelis multo inferioribus ingenito patre factum esse dicunt.* Cf. Tertullian., de Præscriptionibus, cap. 46 et 48; idem, de Anima, cap. 23. Epiphanius, adv. Hæreses, lib. I, pag. 32 : Philastrius, de Hæres., cap 29, 31, et 36, 38. Cæterum de iis omnibus tecte tantummodo et obscure loquitur Arnobius, consulto, ut mihi quidem videtur, et prudenter, ne scil. si distinctius de iis disseruisset nominassetque mundi creatores Gnosticorum, Demiurgum, Logon, Phronesin, Sophian, Dynamim cæterosque, quos dicebant, æones, ipse a Gentilibus Polytheismi, quem refutare et destruere cupiebat, argueretur. Orell.

Atque in sui nominis essentia prædicari. Meursius Codicis lectionem *in sui nominis sententia* defendit loco gemino Arnobii, lib. I : *Dedimus nos Deo, cujus nutu et arbitrio omne quod est constat, et in sententiæ suæ perpetuitate defixum est*, et eodem libro : *priore detracto in aliorum habitum sententiamque traducere*, ut sit *sententia* h. l. i. q. αἴσθησις, sensus. Quo sensu si absolute dicere potuit Arnobius, novum tamen et sine exemplo *nominis sententia.* Orell.

Satis plurimis. Pro *satis multis.* Superlativus loco positivi, ut sæpius in Arnobio. Vide supra, ad lib. I, c. 22. (*Satis multus* autem dictum est pro nimio multus. Vide Barth., Adversar., lib. XXIX, c. 13, page 1380.) Ita *satis pulcherrimus* apud Pomponium, de Origine Juris : *Exstat ejus* (Ciceronis) *oratio satis pulcherrima, quæ inscribitur pro Q. Ligario.* Stewech. et Orell.

XXXVII. — *Habuissent.* Fulv. Ursin. *hausissent.* Orell. *et saccati obscœnissimas serias.* Sumptum e Lucretii, lib. IV, vers. 1020 :

Pusi sæpe lacum propter, se, ac dolia curta
Somno devincti credunt extollere vestem
Totius humorem saccatum ut corpori, fundant.

Herald.

Quod sacco vinum eliquabant veteres, quod et sac-

in quibus augustissimas noverant, retinebantque doctrinas, imprudenter appeterent terrena hæc loca, tenebrosis corporibus involutæ inter pituitas et sanguinem degerent: inter stercoris hos utres, et saccati obscœnissimas serias. Sed habitari oportuit et has partes, et idcirco huc animas tamquam in colonias aliquas Deus omnipotens misit. Et quid homines prosunt mundo, aut ob rei cujus sunt necessarii causam, ut non frustra debuisse credantur parte in hac agere, et terreni esse corporis inquilini? Ad consummandam molis hujus integritatem, partem aliquam conferunt: et nisi fuerint additi, imperfecta et clauda est universitatis hæc summa. Quid ergo? si homines non sint, ab officiis suis cessabit mundus? Vicissitudines suas non peragent sidera? æstates, atque hyemes non erunt? ventorum flamina conticescent? nec ex coactis et pendentibus nubilis ad terram decident imbres ariditatibus temperamenta laturi? Atqui necesse est cuncta suos ire per cursus, nec ab ordinis nati continuatione discedere, etiamsi A nomen in mundo nullum hominis audiatur, orbisque iste terrarum solitudinis vasuæ silentio [a] conticescat. Quemadmodum ergo jactatur habitatorem debuisse regionibus his addi, cum ab homine liqueat nihil ad mundi perfectionem redire, omniaque ejus studia commoditatem semper spectare privatam, nec a finibus propriæ utilitatis abscedere?

XXXVIII. Quid enim prodest mundo, ut ab rebus incipiam seriis, maximos reges hic esse? Quid tyrannos, quid dominos, quid innumeras alias atque amplissimas potestates? Quid rei militaris experientissimos duces capiendarum urbium peritos, in equestribus prœliis aut in pedestri pugna immobiles atque invictissimos milites? B Quid oratores, grammaticos, poetas? quid scriptores, dialecticos, musicos? quid pantomimos, quid mimulos, histriones, cantores, tuba, tibia, calamoque flatantes? Quid cursores, quid pugiles, quadrigarios, desultores, grallatores, funiambulos, præstigiatores? Quid cybiarios [a], sali-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Pigerios ms. male. unde fecerunt alii bigarios. Vide Not.

COMMENTARIUS.

care dicebant, hinc per similitudinem non inamœnam, in re tamen parum honesta, factum est, ut, cum vesica coli vinarii vel sacci speciem habeat, urina liquoris transmissi lotium saccatum diceretur. TURNEB., *Adversar.*, *lib.* XXIII, *cap.* 14, et ELMENH. Similiter Sammonic., de Medicin., vers. 77:

> Ergo lutum prodest membris adhibere fricatis,
> Quod facit ex asino saccatus corporis humor.

ubi vid. Keuchen et Ackerman, nec non Morgagni Epist. I, in Celsi editione Vulpiana, vol. II, pag. 285. ORELL.

Et quid homines prosunt mundo. Mundum non esse creatum hominum causa, Epicureorum fuit opinio. Lactant., lib. VII, cap. 5. *Quæ utilitas Deo in homine, inquit Epicurus, ut eum propter se faceret? Quid ergo Deo cultus hominis confert, beato et nulla re indigenti?* quam sententiam hoc loco sequitur Arnobius, alias, quando philosophatur, Stoicus, ut demonstret animas hominum non posse esse a Deo profectas. Refutat Lactant., lib. VII, c. 4, et in Epitome, cap. 7. Origenes, lib. IV, contra Celsum; Clemens, Recogn., lib. I, pag. 13, et lib. VI, pag. 101. ELMENH. et HERALD.

Imperfecta et clauda est universitatis hæc summa. Claudus, hoc loco idem quod mancus, mutilus, κυλλός, non χωλός. Ita Livius, lib. XXXVII, cap. 24, *clauda et mutila navigia* dicit. ORELL.

Ventorum flamina conticescent. Ita supra, lib. I, cap. 2: *Numquid suas animas exspiravere venti*, etc. Eodem sensu *ventorum spiritus* dicit Lactantius, Inst. lib. VII, cap. 6, ubi vid. Buneman., pag. 893. ORELL.

Ex coactis nubilis. Vide ad lib. I, cap. 2. ORELL.

Ad mundi perfectionem. Fulv. Ursin. legi mavult: *Ad mundum perfectionis*. Nescio quare. ORELL.

XXXVIII. — *Quid pantomimos, quid mimulos*, etc. Mimi et pantomimi in hoc differunt, quod pantomimi puero accinente et responsante tibicine ipsi muti ac taciti cantica desultarent: *mimi* autem etiam canebant et loquebantur in scena. Vide, qui de iis multus est, Salmas., ad Flav. Vopisc., Carin., cap. 19; Script. Hist. Aug., vol. II, pag. 828, seqq. et Rigalt., ad Artemidor., lib. I, cap. 78, pag. 75, ed. Reiff. ORELL.

Tuba, tibia calamoque flatantes. Festus: *flator*, *tibicen*. Glossæ Philoxeni: *Flat*, φυσᾷ. *Flator*, αὐλητής. HERALD.— Stewech. mavult frequentativum *flutitantes*, male. *flo*, *flato* dicitur, ut *no*, *nato*. ORELL.

Desultores. Desultores dicebantur, qui duos equos absque ephippiis agitantes ex altero in alterum subinde mira pernicitate desiliebant. Cf. Gesner. in Thesaur. et Scaliger., ad Manil. V, vers. 85. Munker., ad Hygin., fab. LXXX, pag. 133. ORELL.

C *Grallatores.* Interprete Festo *erant pantomimi, qui ut in saltatione imitarentur œgipanas, adjectis perticis furculas habentibus, atque in his superstantes ad similitudinem crurum ejus generis gradiebantur, utique propter difficultatem consistendi.* ubi vid. intpp. et ad Varron., de Ling. lat., VI, pag. 94. Not. pag. 225. ed. Bipont.; Muret., Var. Lectt., lib. XIII, cap. 19. *Grallatores* autem dicebantur a *grallis*, quibus insilientes ambulabant. *Grallæ* autem contract. e *gradulæ*, idem quod colobathra. gall., *des échasses*, germ., *Stelzen*. græce isti homines dicebantur γύπωνες, de quibus Pollux Onomast., lib. IV, cap. 14, Segm. 104. γύπωνες, ξυλίνων κώλων ἐπιβαίνοντες, ὠρχοῦντο διαφανῆ ταραντινίδια (pellucidis vestibus Tarentinis) ἀμπεχόμενοι. Ubi vid. Jungermann., pag. 410, tom. I, ed. Hemsterh. Cf. Voss., Etymol. rom., v. *grallæ* et Bulenger. de Theatris, I, 32. Verte igitur *Stelzenlaufer*. J. Fr. Gronovius, qui de hominibus hisce multus est in Lectt. Plautin., pag. 284 et seq. hæc observat: D « Videntur exercitio crebro adsecuti hi homines, ut etiam grallis saltare et subsilire possent: secus atque hodie grallis incedentes videmus, qui grandes potius passus, quam citos faciunt. » Sic etiam provinciæ Francogallicæ Hispanicæ conterminæ incolas circa Bayonnam (département des Landes) propter solum arenosum currere, itinera facere, immo onera bajulare grallis insistentes legisse memini in Itinerario quodam, cujus titulus mihi excidit. ORELL.

Funiambulos. De veterum funambulorum artibus multus est Barth., Adversar. lib. V, cap. 19, pag. 248. ORELL.

Quid cybiarios. Ita egregie correxit Salmasius in ed. Lugd. Bat., et ad Solinum, pag. 174. in ms. erat *quibiarii*, quod est idem quod *cybiarii*. Ita in membranis *Quinegion*, *Quizicus* pro *Cynegion*, *Cyzicus*, et in antiquo codice Epistolarum Paulini *Paulinus Ausonio triquinon*, id est, τρίκυνον, trina salutatio. Ex *quibiarii*

natores, bolonas, unguentarios, aurifices, aucupes, vannorum sirpiarumque vitores? Quid fullones, lanarios, phrygiones, coquos, panchristarios, muliones, lenones, lanios, meretrices? Quid institorum alia genera? Quid professorum, et artium, quibus enumerandis omnis ætas angusta est, rationibus conferunt, et constitutionibus mundi, ut sine hominibus condi non potuisse credatur, nec obtenturus inte- A gritatem sui, nisi ei contentio animalis miseri et supervacui jungeretur?

XXXIX. Nisi forte rex mundi, quod temeritatis est maximæ humano ex ore depromere, idcirco ex se genitas huc animas misit, ut quæ fuerant apud se deæ, corporei tactus, et terrenæ circumscriptionis expertes, humana immergerentur in semina, femi-

COMMENTARIUS.

alii vim vocis non intelligentes fecerunt *bigarii*, quod loco esset prorsus alieno, nam supra quadrigarios cum cursoribus et pugilibus conjunxit Arnobius. Contra *cybiarii*, id est, qui cybia vendunt, bene junguntur salinatoribus et bolonis. *Cybium* salsamenti sive tarichi genus quadratum, a Græco κύβος, quod geometris figuram quadratam notat. Fiebat autem cybium e pelamyde sive minori thunno, qui et κύβεια dicitur Oppiano, Halieut., I, vers. 183. Cf. Plin., Hist. Nat., lib. XXXII, c. 11, ibique Harduin., in not. maj., p. 599, et intpp., ad Fest., hoc verbo. Itaque *cybiarii*, qui cybia, id est τεμάχη θύννων, sale condiunt venduntque. Nourrius, pag. 551, mavult *cibarios*, hoc est qui cibos conficiunt et ministrant, *Traiteurs*, citans Varronis verba, ap. Nonium, cap. 2 ; *Tuus ipse frater cibarius fuit Aristoxenis*. ORELL.

Salinatores. Id est *salitores*. Glossæ Philoxeni : *salitor*, ταριχευτής. HERALD. Papias : *Salinator, qui salem facit*. Vetus inscriptio pag. MCXIV. Gruter. :

LEPIDO L. F. PROCVLO. SALINATORES.
CIVITATIS. MENAPIORVM. OB.
MERITVM. EIVS. SEPTIMINA.
P. REPONEND. CVRAVIT.

ELMENH. — *Conf. Nourr., pag. 564 seq. Salzbereiter*. ORELL.

Bolonas. Ita edit. Lugd. Bat., ex emendatione A. Turnebi, Adversar. lib. XIII, cap. 14, pag. 11, vol. II. Cod. ms. *bolones*, unde alii fecerunt *volones*, quomodo bello punico dicebantur voluntarii milites e servis. Sed ad hunc locum nihil ista notio pertinet. An potius sunt, qui ultro ad gladium ferrumque se locabant? Putarem, nisi salinatores antecederent. Legendum itaque *bolones*, sive græca terminatione *bolonas*, a bolis piscium. Nam sic tabernæ cetariorum dicebantur. Vid. Donat., ad Terent. Eunuch., act. II, scena II, vers. 26. Reperi et in antiquo Lexico e bibliotheca P. Danielis *bolonas* diserte explicari μεταπράτας καὶ παλιγκαπήλους, id est propolas. Igitur sic et cetarii vocabantur, qui bolos venditabant. βόλον ὠνεῖσθαι, jactum emere a piscatoribus, tritum proverbium ap. veteres. Hæc Turnebus, lib. I, Gesner., in Thesauro, et Voss., in Etymol. rom. ORELL.

Vannorum sirpiarumque vitores. Ita legendum esse, pluribus ostendit Salmasius ad Solinum. *Vitores*, οἱ πλέκται, qui vinciunt, ab antiquo verbo vio, vieo; græci μίω. Æoles dicebant βίω, id est, ligo, plico. Fest. *viere, alligare, unde vimina et vasa viminea*. Ubi vide intpp., et Columm. ad Ennii Fragmenta, p. 293 (184. ed. Hesselii). Hinc vitor, vietor, ap. Plaut., Rudent., act. IV, scen. III. vers. 50, et Plin., Hist., Nat., lib. XXXV, cap. 11, de Pausia pictore : *Amavit in juventa Glyceram vitricem corollarum*, nam ita legendum pro *inventricem* e conjectura Salmasii. Male itaque Nourrius legendum censet *venditores*. Cæterum *sirpiæ* vel *sirpeæ*, *scirpeæ*, erant cophini ex viminibus texti in plaustris. Vide Græv., ad Justin., XLIII, cap. 4, pag. 716, ed. Abr. Gronovii, et, qui de hoc verbo multus est, Junium, ad Cic., II, ad Att. Epist. IV, pag. 199, ed. Grævii. Alii explicant crates stercorarias. Sed Varro, de Re rust., I, c. 23, aperte distinguit a cratibus. Vide Schneider. V. Cl., in Lexico, ad Script. Rei rust., hoc verbo. Cf. Voss.; in Etymol. rom., verbo *sirpare*. ORELL.

Quid fullones, lanarios. Eosdem conjungit Plautus, Aulul., act. III, scen. V, vers. 34 :

Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius.

quem locum fortassis ante oculos habuit noster. *Lanarii* sunt ἐριουργοί, qui lanam sordibus purgant, et præparant ad nendum et texendum, *Wollkammer*. Jul. Firmic. Astron. Lib. III, cap. 9. *Eorum artes sunt sordidæ et squalidæ aut gravis odoris, quales* B *sunt confectores coriorum, fullones, lanarii, pictores, coqui. Fullo* est (ut ait Ovidius) *qui maculas læsis de vestibus aufert*. ELMENH. et ORELL.

Phrygiones. Qui vestes acu pingunt, intexunt. Phryges enim primi invenere talem texturam. Vide Plin., Hist. Nat. lib. VIII, cap. 48. Cf. Servius, ad Æn. III, vers. 484; Nonius, cap. I, n. 10; Isidorus, Origin., lib. XIX, cap. 22. Phrygionum sæpe meminit Plautus, verbi causa Aulul., loco modo citato; Menæch., act. I, scen. III, et act. III, scen. II. NOURRIUS. Conf. Voss., Etymol. rom., hoc verbo. Confer etiam G. Fr. Gronov. in Lectt. Plaut., pag. 214 et seqq. ORELL.

Panchristarios. Varie explicatur hoc verbo Turnebus, Adversar. lib. XIII, cap. 14, legendum putat vel *panchrestarios* ab unguento panchresto, cujus meminit Cicero, Orat. in Verr. III, c. 65, ut sint medicamentarii et pharmacopolæ, qui medicamenta et C remedia omnibus valetudinum generibus conficiunt, vel *panifices crustarios*, id est crustarum sive crustularum confectores. Jo. Wower. ad Minuc. Fel. Octav., cap. 14, pag. 132, ed. Jac. Gronovii legendum conj. *panarios, crustarios*. (Glossae : *panarius*, ἀρτοπώλης.) Sed nil mutandum, *Panchristarii* sive *panchrestarii* sunt confectores liborum et panchrestorum, i. e. dulcium, dulciaminum, crustularum, græce γλυκυσμάτων, quæ χρηστά, πάγχρηστα μελιττώματα Græcis, Latinis dicebantur panchrista, e melle scil. et papavere confecta. Vide Salmas., ad Æl. Lamprid. Heliogabal., cap. 32, Script. Hist. August., vol. I, pag. 873. Salvian., de Providentia, lib. VI : *Infantes quoque omnes fere parvulas contumaces, quos morigeros minæ ac ferulæ non efficiunt, interdum πάγχρηστα, atque blanditiæ, ad obedientiam trahunt*. ORELL. et HERALD.

Conferunt. Ita Herald. et ed. Lugd. Bat., cod. ms. *conferre*, vitiose. Meurs. *confert*. ORELL.

D *Nisi ei contentio animalis miseri......... jungeretur*. Ita ms. ed. Lugd. Bat., *conditio*. Alii *completio*. Sed antiquam lectionem bene defendit Heraldus. *Contentio* idem est quod *continentia* supra eodem libro cap. 19, ubi vide notas. *Contentio* itaque hoc loco passive quod continetur. Sensus est : *Nisi ei jungeretur quod continetur in illo animal miserum et supervacuum*. ORELL.

XXXIX. — *Corporei tactus et terrenæ circumscriptionis expertes*. Ita Gelenius. Cod. ms. et editio princeps rom. habent *temerariæ circumscriptionis*, quod quid sit, non est facile divinare. Heraldus legendum conjicit : *corporei tactus, elementariæ circumscriptionis expertes*, more Arnobii copulas omittere amantis. Ed Lugd. Bat. *materiæ circumscriptionis expertes*. Equidem propius ad codicis ms. lectionem legendum suspicer *terrariæ*, id est *terrenæ*, qua de voce vide eundem Salmasium ad Tertullian. de Pallio pag. 415 seq. Ita *aves terrariæ* dicebantur

narum ex genitalibus prosilirent, ineptissimos ederent continuarentque vagitus : exugerent fellitantes mammas, proluvie linerent et madidarent se sua : et ut [a] ad silentium pavidæ nutricis motibus et crepitaculis adducerentur auditis. Idcirco animas misit, ut quæ fuerant simplices, et bonitatis nuper innoxiæ, simulare in hominibus discerent, dissimulare, mentiri, circumscribere, fallere, adulatoria humilitate captare, mente aliud volvere, aliud in facie polliceri : illaqueare, decipere dolis atque insidiis nescios, per innumeras artes malitiarum venena conquirere, et ad usum temporis pellaci mobilitate formare. Idcirco animas misit, ut in pacata et placida tranquillitate degentes, assumerent ex corporibus causas, quibus feræ fierent, et immanes, simultates, atque inimicitias gererent, consererent inter se bella, expugnarent atque everterent civitates : servitutis opprimerent, et manciparent se jugo, et ad ultimum fierent alterius altera potestatis natalium conditione mutata? Idcirco animas misit, ut imme-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et tunc *ms.*, *quod non mutandum.* Meurs.

COMMENTARIUS.

Romanis, qui in ornithonibus alebantur, ad distinctionem acriorum, qui libero scil. aere fruuntur, vel in genere quæ terra tantum contentæ sunt, ut turdi, pavones et turtures, neque aquam etiam requirunt, ut anseres, anates, querquedulæ. Orell.

Prosilirent. Eodem sensu Græci dicunt προτορεῖν, ἐκπροθορεῖν, ἐκθορεῖν, Vide Hemsterh., ad Lucian. Prometh., § 4, p. 212, vol. I, ed. Bipont. Orell.

Ineptissimos vagitus. Ineptissimos, hoc est minime aptos iis quæ deæ censentur, divinis animis indignissimos, vel potius in gen. ἀνοήτους, *verstandloses Gewimmer*, ut infra in simillimo loco lib. VII. *Parvuli pusiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exterrentur auditis.* Orell.

Exugerent fellitantes mammas. Glossæ Isidori : *Fellitat..... sugit.* Ita Solin., Polyhist., cap. 45 : *Nequaquam mater pullo ubera præbet fellitanda* de equabus, quibus præreptum fuerat hippomanes. θηλᾶν id est mammam sugere, Æolice φηλᾶν : inde Latinum *felare.* Ita Varro : *Lac humanum felare.* et alibi : *Lupam alumni felarunt olim.* et frequentativum *felitare, fellitare.* Salmas., *ad Solin. l.* I *Exercitt. Plinian.*, *p.* 662.— Plura exempla collegit Meursius, pag. 66, seqq. Orell.

Ut ad silentium pavidæ nutricis motibus et crepitaculis adducerentur auditis. Legi volunt nonnulli (Meursius) *vocibus.* Sed vulgata lectio defendi potest. Ait igitur *nutricis motibus*, nempe quæ cunas agitat, ut pueros ad silentium traducat, *motus* igitur hoc loco *das Wiegen, Schaukeln.* Pro *pavidæ*, ms. habet *pavidi*, scil. *infantes*, id est pavore plorantes, quod magis placet. *Crepitacula* instrumenta parva in modum sistri formata, infantium ludicra, quorum inventor perhibetur Archytas, *Kinderklapper.* Martial., Epigr., lib. XIV, 54, in crepitacillum :

> Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
> Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.

Cæterum et hic Arnobius imitatur Lucretium suum, lib. v, 228 et seqq. :

> At variæ crescunt pecudes, armenta feræque,
> Nec crepitacula eis opu' sunt, nec cuiquam adhibenda 'st
> Almæ nutricis blanda atque infracta loquela.

Herald., Elmenh. et Orell. — Græci illa crepitacula πλαταγώνια vocant. Julius Pollux Onomast., lib. IX, Segm. 127 Τὸ δὲ πλαταγώνιον οἱ ἐρῶντες ἢ ἐρῶσαι ἔπαιζον· καλεῖται μὲν γὰρ οὕτω καὶ τὸ κρόταλον, καὶ τὸ σεῖστρον, ὃ καταβαυκαλῶσιν αἱ τίτθαι, ψυχαγωγοῦσαι τὰ δυσυπνοῦντα τῶν παιδίων. Meurs., p 68. Cf. Hug. Grot ad Marcian. Capell., lib. I, p. 4. Orell.

Quæ fuerant simplices. Simplices, id est *bonitatis innoxiæ*, ut in sequentibus verbis optime interpretatur ipse Arnobius. Simplices igitur et boni dicuntur homines aperti, in quibus nihil fallaciæ, nec malitiæ quidquam est. Ita M. Tullius, I de Off., cap. 30 : *Sunt his alii multum dispares, simplices et aperti, qui nihil ex occulto, nihil ex insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici.* Græce εὐηθεῖς, ἁπλοῖ, ἁπλοϊκοί, vel etiam ἀκέραιοι, ut illos appellat D. Soter Matth., X, 16; ubi vid. Grot. Herald. et Orell.

Simulare..... dissimulare. Ita Sallust. Catil., cap. 5, quem in toto hoc loco imitatus videtur Arnobius. Catilinam appellat *cujus rei libet simulatorem ac dissimulatorem*, ubi vid. Cort. p. 32 glossæ Guelferbyt. *Simulo, quod facere nolo.—Dissimulo, quod facere volo.* Aurel. Victor., Epit., cap. 14, de Hadriano : *Ingenium invidum, triste, lascivum et ad ostentationem sui insolens callide tegebat, clementiam simulans contraque dissimulans ardorem gloriæ, quo flagrabat.* Orell.

Adulatoria humilitate captare. Dicit Arnobius *captare* significanter, quia finis adulatoris est κερδαίνειν. Alias enim molliori nomine censetur et appellatur ἄρεσκος, quem *blandum* latine dicere possumus. Aristoteles, lib. IV, Nicomach., cap. 14 : Ὁ μὲν τοῦ ἡδὺς εἶναι στοχαζόμενος, μὴ διά τι ἄλλο ἄρεσκος. Ὁ δ' ὅπως ὠφέλειά τις αὐτῷ γίγνηται εἰς χρήματα, καὶ ὅσα διὰ χρημάτων, κόλαξ. Themistius quoque Euphrades, Orat. III, finem adulatoris ait κερδαίνειν, ἢ γαστρίζεσθαι ἐκ τοῦ ἔργου, et Lucianus Dissertatione pro imaginibus ait : τὸν κόλακα ἐπαινεῖν τῆς χρείας ἕνεκα τῆς ἑαυτοῦ. Herald.

Mente aliud volvere, aliud in facie polliceri. Similiter Sallust., Catil., cap. 10 : *Aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere.* Hos homines *bilingues* appellabant Latini, verbis causa Virgil. Æn., I, *Tyriosque bilingues* et *duplices*, ut Horatius *duplicem Ulyssem*, I Od., VI, vers. 7. Sic etiam apud Græcos διπλοῦς opponitur τῷ ἀληθευτικῷ. Herald. — Cf. quæ observavimus ad Jac. Balde, carmen. select., III, Lyric., Od. VI, vers. 21. Orell.

Malitiarum venena conquirere. Ita distinguit editor Leidensis. Heraldus autem totum locum sic interpunxit : *Decipere dolis atque insidiis nescios per innumeras artes malitiarum : venena conquirere.* Sed præfero prius, quia infra cap. 42 legimus : *Idcirco animas misit, ut venenatas conficerent potiones?* quod, si Heraldum sequamur, esset otiosa nostri loci repetitio. Et omnino bene dicuntur *malitiarum venena* de versutiis, fallaciis venenorum instar in obscuro serpentibus. Ita Rufum, hominem perfidum et fallacem appellat Catullus, carm. LXXVII : *Venenum et pestem amicitiæ.* Orell.

Pellaci mobilitate. Ita Fulv. Ursinus. Editio princeps Sabæi : *Pellaciæ mobilitate.* De verbo *pellax* vide supra ad cap. 7. Orell.

Servitutis opprimerent et manciparent se jugo. Sic ostendit incunabula, immo ipsos servitutis natales. Capti bello victoribus mancipabantur. Sic servitus postea propagata. De causis servitutis vide Basilium libro de Spiritu Sancto, c. 20. Herald.

Et ad ultimum fierent alterius altera potestatis. Meursius mavult : *Alterius alteræ potestatis*, haud male, ut infra cap. 41, *Alias aliæ raperent.* Orell.

Natalium conditione mutata. Quia omnes nascuntur liberi. Quare cum libertas naturalis sit, servitus est contra naturam, et est constitutio Juris gentium. Lib. IV, Digest. de Stat. hom., etc. Herald.

mores veritatis effectæ, et quidnam esset Deus oblitæ, simulacris inertibus supplicarent, ligna, æra, et lapides, divina alloquerentur ut numina, auxilia poscerent [a] cæsorum animantium cruore, nullam sui facerent mentionem : quinimmo ex his aliæ ut dubitarent se esse, aut ullum esse penitus abnegarent? Idcirco animas misit, ut quæ in sedibus propriis mente fuerant una, intellectu et scientia paribus, postquam formas induere mortales, opinionum discriminibus dissiderent, aliud aliis justum, aliud utile videretur, et rectum : de appetendis rebus, fugiendisque certarent, malorum ac bonorum alios aliæ constituerent fines : veritatem cupientibus noscere [b] rerum opponeretur obscuritas, et velut oculorum luminibus viduæ, nihil certum viderent, et per ancipites semitas suspicionum inducerentur errore?

XL. Idcirco animas misit, ut cum animantia cætera sponte natis [c] alerentur, et nulla satione prolatis [d], neque domorum, aut vestium tutamina sibi, aut velamenta conquirerent, miserabilis istis necessitas adderetur : ut cum impendiis maximis, perpetuisque

A sudoribus domos sibi construerent [e], membrorum conficerent tegmina, supellectilem variam diurnorum contraherent egestati, imbecillitatis auxilia animalibus mutuarentur a mutis, vim facerent terris, ut non sua sufficerent gramina, sed imperatas extollerent fruges, et cum sanguinem totum in subigenda tellure fudissent, robigine, grandine, siccitate, spem laboris amitterent : et ad ultimum vi famis humanis cadaveribus incubarent, et ab hominum formis tabifica macie dissociarentur abjunctæ? Idcirco animas misit, ut quæ secum commorantes possessionis alicujus nullum umquam habuissent amorem : avarissimæ hic fierent, et in habendi studium inexaturabili pectoris ardescerent appetitu : effoderent altos

B montes, et viscera ignota terrarum in materias verterent alieni nominis, atque usus; penetrarent abditas discrimine cum capitis nationes, et translatis mercibus charitatem semper, vilitatemque captarent, exercerent avidum atque injustissimum fœnus, et miserorum e sanguine supputandi se angerent insomnia; millibus possessionum semper producerent

LECTIONES VARIANTES.

[a] Poscerentur *Sab.*
[b] Nosse *Fulv.*
[c] Mata *alii.*
[d] Prolata *alii.*
[e] Constituerent *ali*

COMMENTARIUS.

Veritatis effectæ. Id est perfectæ, consummatissimæ veritatis, quæ nullam amplius dubitationem admittat. Nostri ad verbum : *Ausgemachte Wahrheit.* ORELL.

Auxilia poscerent eos. Poscere sæpissime apud Latinos cum duobus accusativis, more Græcorum *αἰτεῖν τινά τι*. Ita Virgil., Æn., IV, vers. 50 :

Tu modo posce Deos veniam.

Plura exempla vide in Gesneri Thesaur. *eos* omittunt alii. ORELL.

Aut ullum esse penitus abnegarent. Ullum esse, id est, omnem rerum existentiam. Alludit autem Arnobius ad Aphasiam Pyrrhoniorum. ORELL.

Et velut oculorum luminibus viduæ. Meursius : *ut velut*, etc. ORELL.

XL. — *Vestium tutamina sibi aut velamenta conquirerent.* Stewechius mavult *velamina*, more Arnobii antiquos, imprimis Lucretium, imitantis. ORELL.

Suppellectilem variam diurnorum conficerent egestati. Idem Stewechius legendum conjicit *diurna rerum conficerent egestate.* Id est rerum necessariarum inopia quotidiana. Sed nihil mutandum. *Diurna* in plurali dixit Arnobius sensu rariore pro rebus ad quotidianum victum necessariis :

Queis humana sibi doleat natura negatis.

die taglichen Bedurfnisse. Hujus tamen significationis apud alios scriptores exempla frustra quæsivi. ORELL.

Rubigine. Virgil. Georg., I, vers. 150 :

. . . . . Ut mala culmos
Esset robigo.

Ubi Servius : *Rubigo est genus vitii, quo culmi pereunt, quod a rusticanis calamitas dicitur. Hoc autem genus vitii ex nebula nasci solet, cum nigrescunt et consumuntur frumenta, inde et Rubigus Deus, et sacra ejus decimo Kal. Maias Rubiginalia appellantur.* ELMENHORST. Docente Vossio V. Cl. ad Virgilii l. l. duo diversa plantarum vitia eo nomine veteres significabant, alterum *album*, quod Germani appellant *Mehlthau*, alterum *rufum*, *den Rost im Getreide.* Alias dicitur *ærugo*, Cypriano *comestura*, Græcis *βρῶσις*. Vide Davis., ad Lactant. Epit., cap. 65, p. 1333, ed. Bunemann. ORELL.

Et in habendi studium inexaturabili pectoris ardescerent appetitu. Ita *habere* absolute apud optimos scriptores. Juvenalis ex Ennio :

Unde habeas, nemo quærit, sed oportet habere.

Et *habentia*, *πλοῦτος*. Quadrigarius apud Nonium :
C *Animos eorum habentia inflarat.* Sic *ἔχειν* Græcis. Sophocles in Ajace : *πρὸς γὰρ τὸν ἔχονθ' ὁ φθόνος ἕρπει.* Sic in Evangelio : *τῷ ἔχοντι δοθήσεται.* HERALD. — Adde Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 78. OCHSNER.

Penetrarent abditas discrimine cum capitis nationes. Mira erat fidelium tunc temporis abstinentia. Avaritiam et nimiam habendi cupiditatem ita damnabant, ut periculosas mercaturas hoc etiam nomine damnarent. Vide Lactant., lib. V, cap. 18. Tertullian., de Idololatria, cap. 11. HERALD.

Et translatis mercibus charitatem semper vilitatemque captarent. Zeno Veronensis Sermone I, de Avaritia : *Alius inde rerum omnium captat annonam, aucupatur distrahendi tempus; minor in mensura, major in pretio : negat se habere, quod distrahat ut rogetur, ut jugulet; atque utinam incorrupta species venderetur. Ingemiscit præterea, si annus est sterilis; multo magis, si fertilis fuerit : illic, quia parum distrahit : hic, quia non solus. Vultis scire, quantis scit tenebris obvolutus?*
D *Irascitur Deo, si non semper fiat publicis luctibus dives.* HERALD. Male itaque Meursius legendum conjicit : *utilitatemque captarent.* ORELL.

Exercerent avidum atque injustissimum fœnus. Ita enim existimabant ævo illo Christiani, quorum charitas ferventior erat, fœnus omne esse *ἀθέμιτον*, et ab ipsa humanitate alienum. Hinc Miltiades, apud Euseb., lib. V Hist. Eccles., cap. 19, ubi montanistarum prophetas exagitat : *Προφήτης, εἰπέ μοι, βάπτεται; προφήτης στιβίζεται; προφήτης φιλοκοσμεῖ; προφήτης τάβλαις καὶ κύβοις παίζει; προφήτης δανείζει;* HERALD. — Ita et ethnici, verbi causa Cato, qui fœnerari idem esse dicebat, quod hominem occidere. ELMENH.

Et miserorum e sanguine supputandi se angerent insomnia. Millibus possessionum, etc. Ita edidi ex emendatione Heraldi. Cod. habet *supputandis augerent insomnia*, unde Gelenius et cæteri cum secuti : *supputandi se angerent insania.* Stewechius : *suppu-*

fines : et quamvis provincias totas rus facerent unum, pro arbore una, pro sulco, forum litibus tererent; cum amicis, et fratribus inexpiabiles susciperent simultates?

XLI. Idcirco animas misit, ut quæ dudum fuerant mites et feritatis affectibus nesciæ commoveri, macella sibi, et amphitheatra constituerent, loca sanguinis, et publicæ impietatis; ex quibus in altero mandi homines cernerent, et bestiarum laniatibus dissipari; interficere se alios nullius ob meriti causam, sed in gratiam voluptatemque sessorum, ipsosque illos dies, quibus tantum committeretur nefas, in gaudiis communibus ducerent, et festa hilaritate sacrarent; in altero vero animalium miserorum discerperent viscera, alias aliæ raperent, ut canibus mos est et vulturibus, portiones, subigerent dentibus, et crudelissimo ventri darent, et in tam sævis atque horridis moribus [a] sortem suam flerent, quas ab talibus mensis paupertatis angustiæ vindicarent : pro beatis ac felicibus viverent, quarum ora et faciem [b] tam crudeles polluerent apparatus? Idcirco animas misit, ut divini ponderis et gravitatis oblitæ, gem-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Oribus *alii*.

[b] Fauces *Fulv*.

COMMENTARIUS.

tandis summis augerent insomnia. Potius *insomniam* : nam hic non de insomniis sermo, sed de vigilantia avari. Salmasius, in editione Lugd. Bat.: *Et miserorum e sanguine suppulandis se angerent insomnia nominibus. Possessionum*, etc. Mihi copula *et* videtur alieno loco posita et verba *miserorum e sanguine* conjungenda cum antecedentibus *exercerent avidum atque injustissimum fœnus*. Locum itaque sic constituendum censeo : *exercerent avidum atque injustissimum fœnus miserorum e sanguine, et supputandi se angerent insomnia. Millibus possessionum*, etc. ORELL.

—*Miserorum e sanguine*. Nam facultates habentur quasi sanguis hominis αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς. Sic Plautus in Bacchid., act. III, scen. I, vers. 5, de meretricibus :

Apage istas a me sorores, quæ hominum sorbent sanguinem.

Confer. Rigalt., ad Artemidor. Oneirocrit., lib. I, cap. 35, p. 23, ed Reiff., et, qui rem pluribus exemplis illustrat, J. Fr. Gronov. Obss., lib. IV, cap. 24, p. 796, edit. Platneri. Similiter *viscera*, *nervos*, *vires* patrimonium appellant veteres. Nam, ut canit Hesiodus :

Χρήματα μὲν ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

ORELL.

—*Supputandi se angerent insomnia*. Graphice his verbis depingit Arnobius fœneratores vigilantes et pecuniam sibi debitam supputantes. Lucianus in Gallo ; Ὁρᾷς ἐπαγρυπνοῦντα καὶ τοῦτον ἐπὶ φροντίδων, ἀναλογιζόμενον τοὺς τόκους, δακτύλους κατεσκληκότα, ὃν δεήσει μετ' ὀλίγον πάντα ταῦτα λιπόντα σίλφην ἢ ἐμπίδα ἢ μυῖαν γενέσθαι. Hinc et Prudentius in Avaritiæ et Miserationis pugna :

..... Velox nam dextra rapinas
Abradit, spoliisque ungues exercet ahenos.
Cura, fames, metus, anxietas, perjuria, pallor,
Corruptela, dolus, commenta, insomnia, sordes,
Eumenides Furiæ, monstri comitatus aguntur.

HERALD.

—*Millibus possessionum semper producerent fides*. Ed. Lugd. Bat., pro *millibus* dedit *nominibus* et conjungit cum præcedentibus *supputandis se angerent insomnia nominibus. Possessionum*, etc. *Supputandis nominibus*, id est, debitis sibi pecuniis (*das Berechnen ihrer Capitale*). Sed nil mutandum. *Millibus possessionum fines producere* est idem quod *millibus passuum*, *milliariis producere possessionum fines*, *ganze Meilen weit ausbreiten*. *Millia* sæpius absolute pro *milliariis*, *millibus passuum*. Cf. A. Gell., Noct. Att., I, cap. 16; et Gesner., in Thesaur. Ita Aurel. Victor Epitom., cap. 40 : *Funus ejus* (Severi) *Gallieni sepulcro infertur, quod ex Urbe abest per Appiam millibus novem*. ORELL.

XLI. — *Macella*. De amphitheatris intelligit Savaro ad Sidon., lib. I, epist. V, p. 39. Sed proprio sensu accipienda esse, sequentia docent. ORELL.

Et amphitheatra constituerent. Nescio quid isset iis in mentem, qui lectionem istam mutari voluerunt, et legi *construerent*. Nam occurrit hæc latinitas aliquoties apud hunc scriptorem. Infra hoc libro : *cumque illis ædes constituatis sacras*, et alibi. Virgilius, Æn. XII, vers. 194 :

Mihi mœnia Teucri Constituent.

Solinus : *Deinde constitutæ ob Ascanio longa Alba*, *Fidenæ*. Lactantius : *Siquidem Jovis temporibus fuit*, *quibus primum templa constitui, et novi Deorum cultus esse cœperunt*. Et passim apud optimos latinitatis auctores. HERALD.

In gratiam voluptatemque sessorum. Ita egregie correxit Jac. Cujacius lectionem ms. codicis vitiosissimam : *In gratam voluptatemque sensorum*. E qua Gelenius fecerat : *In gratam voluptatem consessorum*. Sed præfero emendationem Cujacianam, quam et editor Lugd. Bat., in textum recepit. ORELL. Huc autem pertinet, quod scribit Jul. Firmicus, lib. VIII, Mathes., cap. 12 : *Tales qui se ob alienæ gratiæ voluntatem* (leg. *voluptatem*) *nundinali sanguinis jactura ad mortis spectaculum vendant*. HERALD.

Alias aliæ. Ita Gelenius. Cod. ms. *alias alia*.

HERALD.

Pro beatis ac felicibus viverent. Corrigunt *ducerent*. Sed nihil fortasse mutandum. Si quid autem mutari oporteret legere mallem *veherent* pro *evcherent*.

HERALD.

Idcirco animas misit, ut divini ponderis et gravitatis oblitæ, gemmas, lapillos, margaritas castitatis dispendio compararent, innecterent his colla, laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes limbis, conficiendis quærerent corporibus fucos, fuligine oculos obumbrarent. Ita hæc verba optime disposuit Heraldus in Curis secundis, cum quo consentit editor Lugduno-Batavus, nisi quod cum Meursio *imminuerent frontes limbis* post verba *quærerent corporibus fucos* collocavit. In cod. ms. et editionibus omnibus præter Salmasianam locus est luxatus, et verba *conspiciendis quærerent corporibus fucos* loco prorsus alieno; nimirum post verba *castitatis dispendio compararent* leguntur, quod pessime retinuit etiam novissimus editor, Oberthurius. Sed jam singula videbimus. Prava codicis ms. lectio varias peperit interpretum conjecturas. Imprimis verba *innecterent his colla*, male posita post *quærerent corporibus fucos*, merito suspecta fuere viris doctis. Quare Fulv. Ursinus legendum conjecerat : *Innecterent catenis colla*. Stewech. *innecterent tæniis colla*. Sagacissime autem Heraldus in editione sua : *innecterent linis colla*. *Lina* scil. vel *lineæ* dicebantur Romanis fila, quibus margaritæ insertæ erant : unde Tertullianus de habitu muliebri scribit : *Uno lino decies sestertium inseritur*, et Hieronymus in Vita Pauli Eremitæ : *Uno filo villarum insunt pretia*; et, qui locus est classicus, Cornel. Fronto, in oratione de hæreditate Mathidiæ Opp., p. 285, ed Maii : *Lineam istam famosam atque celebratam, cæteraque tantæ pecuniæ ornamenta quis emet? Tua uxor si emerit, prædam invasisse, et minimo aere eripuisse dicetur, eoque minus ad eos, quibus legatum erat, pervenisse. Annon emet ista ornamenta Faustina? Quis igitur emet margarita, quæ filiabus tuis legata sunt? His margaritis collos

mas, lapillos, margaritas, castitatis dispendio compararent, innecterent his colla, laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes limbis, conficiendis quærerent corporibus fucos, fuligine oculos obumbrarent, nec in formis erubescerent masculorum calamistris vibrare cæsariem, cutem corporis levigare, incedere poplitibus nudis, omnique alio cultu vigorem virilitatis, et exponere, et in habitum feminarum deliciasque mollire?

XLII. Idcirco animas misit, ut viarum aliæ infestarent meatus, aliæ circumscriberent nescios, testamenta supponerent falsa, venenatas conficerent potiones, domos ut effringerent noctibus sollicitarent, abigerent, prævaricarentur, et proderent, saporum

COMMENTARIUS.

filiarum tuarum despoliabis, ut cujus tandem ingluvies turgida ornetur? Erant illa modo simplicia, modo duplicia et triplicia, unde *monolinum, dilinum, trilinum.* Vide Casaubon. et Salmas., ad Script. Hist. August., tom. II, p. 63, et Boettiger V. Cl., in Sabina, p. 405. Sed non opus habemus istis conjecturis, si verba illa eo ordine, quo edidimus, leguntur: *Innecterent his colla,* scil. *gemmis, lapillis, margaritis,* quæ filis illis vel linis ita inserta erant, ut singulas margaritas gemma exciperet. Hinc Tertullianus de Habitu mulierum, cap. 11, tales gemmas appellat *lumina lapillorum, quibus monilia variantur.* Vide Scheffer., de Torquibus, cap. 10, p. 47. Boettiger, in Sabina, p. 405. Illas gemmas, lapillos, margaritas dicit Arnobius feminas *sibi comparare castitatis dispendio,* ex sententia Christianorum illius ævi. Hieronymus, in Epistola ad Lætam: *Cave ne aures ejus perfores, ne cerusso et purpurissa consecrata Christo ora depingas; nec collum auro et margaritis premas: nec caput gemmis ornes, nec capillum irrufes, nec ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris.* Cf. Tertullian. lib. laud. et Cyprianum de bono pudicitiæ. Pergit noster: *Laminas pertunderunt aurium.* Glossæ: *Lamna,* λοβὸς ὠτίου, ima pars auriculæ. Sidonius, lib. I, epist. II, vocat *aurium lignulas* sive *legulas,* ubi vid. Sirmond., p. 13. Cf. Voss., Etymol. rom. v. *Lamina, Ligula.* Pro *imminuerent frontem limbis* Heraldus mavult legi *imminuerent frontem nimbis.* *Nimbus* secundum Isidor., Orig., lib. XIX, cap. 31, in Collectione Gothofredi, p. 1307, *est fasciola transversa ex auro assuta en linteo, quod est in fronte feminarum. Plautus: Quo magis illam adspicio tanto magis nimbata est.* Sed bene habet vulgatum. Nam ipsum linteum, in quo assutus erat ille *nimbus,* dicebatur *limbus.* Statius, Achilleid., lib. II: Hanicq.

Gemmatis aut nectunt tempora limbis.

Et Prudentius Psycomant.:

A cervice fluens tenui velamine limbus.

Quæ loca citavit Elmenhorst. Recte etiam dicitur *imminuere frontem limbis.* Veteres enim tenuem frontem, minimam castigatam, collectam in deliciis habuisse, docent nos Herald., ad hunc locum, et J. Fr. Gronov., Diatrib. ad Statii Silv., lib. II. 1, cap. 17, pag. 94. Sequentia verba, ut leguntur in edit. Lugd. Bat. *conficiendis quærerent corporibus fucos,* defendi quidem possunt, ut fit *conficiendis* vel idem quod *perficiendis, exornandis,* vel malo sensu pro *consumendis, enecandis corporibus,* quorum sanitati fuci sunt maxime pestiferi. Sed mirifice placet emendatio Oudendorpii prolata a P. Brunmanno ad Anthologiam lat., lib. III, epigr. 132, p. 587, vol. I, *conspuendis corporibus* (scil. ob turpitudinem, deformitatem, ut scil. tegant fucis vitia naturæ), præsertim cum cod. ms. habeat *conspiendis,* ex quo Gelenius fecit *conspiciendis.* Stewechius *compingendis.* Heinsius: *conliniendis. Fuligo,* ut bene explicat Elmenhorst, est niger, pulvis, quo oculorum exordia producuntur. Juvenal., sat. II, vers 93, seq.:

Ille supercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attolens oculos.

Græcis pulvis ille dicebatur στίμμις unde στιμμίζειν et ὑποστιβίζειν apud Nicolaum Damascenum, ubi vide Valesium, p. 175 seq. editionis nostræ. Latinis *stibium.* Cf. Grotium in Annott. in Vet. Test. ad II Reg. CXI, 30. et Boettiger V. C., in Sabina, p. 49. Orell.

Nec in formis erubescerent masculorum calamistris vibrare cæsariem: Nescio quid in mentem venerit doctissimo Scaligero in notis ad Priapeia, carm. XLII, mutare locum sanissimum. Is scilicet legendum censet: *Nec ii formis erubescerent calamistris masculorum vibrare cæsariem,* ut sit *formis calamistris* idem quod *ferventi ferro,* nam veteribus *formus* idem quod *calidus.* Stewech. autem *informis calamistris,* id est valde calidis, ab *in* intensivo et *formus.* Sed *in formis* conjungenda cum *masculorum,* ut sensus sit, cum masculorum formas sive corpora induerint animæ. Carpit nimirum Arnobius viros muliebria passos et feminarum ad instar capillos calamistris crispantes. Etiam *in* male a Scaligero mutatum in *ii,* cum præcesserint non *homines* sive *viri,* sed *animæ. Calamistrum,* ut explicat Servius ad Virgil. Æn., XII, vers. 100, *est acus major, quæ calefacta et adhibita torquet capillos,* græce κάλαμις. Vide Boettiger., in Sabina, p. 124. *Vibrare,* idem quod *crispare, krauseln.* Cf. Virgilii, l. I. Orell.

Cutem temporis levigare. Quod ab effeminatis et virilitatem exuentibus factum, ut ad Martialem observabamus. Jul. Firmicus, lib. VIII, Mathes., cap. 7. *Hi etiam, demptis pilis, corpus suum in feminei corporis imaginem transferent; quorum vestes quoque ad muliebris cultus similitudinem excolentur. Hi molliter ambulantes vestigia sua cum delicata quadam moderatione suspendunt.* Et Sardanapali mollitiem depingens Athenæus, lib. XII, eum ait ἐψιμμυθιωμένον, γυναικείαν στολὴν ἔχοντα, καὶ κατεξυρημένον τὸν πώγωνα, καὶ καταχεχισσαρισμένον, *pumice levigatum.* Herald.

Incedere poplitibus nudis. Varro Meleagris: *Non modo suris apertis, sed pæne naribus apertis ambulans.* Herald.

Vigorem virilitatis et exponere. Fulv. Ursin. *et deponere.* Stewech. *et seponere,* quod magis placet. In seq. pro *mollire* ed. Lugd. Bat. *molliri.* Sed nil mutandum. Orell.

XLII. — *Testamenta supponerent falsa.* Quod temporibus illis quasi solemne. Lactantius, lib. V, cap. 9: *Et ut, quæ levia sunt atque usitata, dicamus, qui hæreditates captent, testamenta supponant, justos hæredes vel auferant, vel excludant.* Herald.

Domos ut effringerent noctibus. Glossæ Philoxeni: *Effractores,* θυρεπανοῖκται. *Effractarius,* θυρεπανοίκτης. Molliori nomine *apertularius.* Probe autem et emendate *noctibus.* Eo enim tempore proprie grassantur ejusmodi homines. Falsum igitur, quod substitui volunt (Meursius et Scriverius scil.) *vectibus.* Jul. Firmicus, lib. VI Mathes., cap. 31: *In solidis autem signis positi famosos domorum effractores reddent; sed qui armati gladio, quiescentibus hominibus, et patrimonii jacturam, et vitæ discrimen infligant.* Cf. Savaron., ad Sidon., lib. IX, epist. VII. p. 575. Orell.

Sollicitarent. Proba lectio. Nam qui existimant, aliquid deesse, falluntur. *Sollicitare* hoc loco est alienos servos allectare, plagiatorum grande crimen. Hinc in Glossis Philoxeni: *Sollicitare,* πλαγιάζειν. Papias: *Plagiarius, qui seducit pueros, et sollicitat servos alienos.* Hesychius: ψυχαγωγὸς... ὁ ἀνδραποδιστὴς, καὶ ὁ ἀπατεὼν, καὶ ὁ κατάγων τὰς ψυχὰς εἰς ᾅδου. Nempe ψυχαγωγοὶ, qui blandis et mellitis verbis servos alienos sollicitant et ad se alliciunt. Herald.

Abigerent. Innuit Arnobius abactores pecorum vel

fastidia ut excuterent palato, ut in coquendis alitibus pinguitudinem nossent retinere labentem, ut spi- A rulas, et botulos facerent, isicia, catillamenta, lucanica, suminatam cum his carnem, et glaciali condi-

COMMENTARIUS.

etiam servorum (nostr. *Seelenverkaufer*). Falluntur ergo, qui scribi volunt: *ambirent*, HERALD. et ORELL.

Prævaricarentur. Prævaricatores dicuntur Latinis causidici, qui diversam partem adjuvant prodita causa sua. Vide Catanæum ad Plin., lib. I, Epist. 20, p. 71, ed. Longol. Confer, qui nubem exemplorum attulit, C. A. Duker., in libro de Latinitate veterum jurisconsultorum, pag. 167 et seqq. ORELL.

Alitibus. Fulv. Ursin. *altilibus*. ORELL.

Ut spirulas et botulos facerent. *Spirula* deminutivum nominis *spira*, quod placentæ genus quomodo faciendum sit, docet Cato, de Re rust., cap. 77, ubi Schneider. V. Cl. comparat *spiras* cum Græcorum στρεπτοῖς apud Demosthenem et Pollucem VI, 77. Festus: *Spira dicitur..... et genus operis pistorii et funis nauticus in orbem involutus*. *Botulus* autem, teste eodem Festo, *genus farciminis est propter connexionem a bolis sic appellatum*, vel potius lucanica carnis suillæ bolis farta. Tertullian., Apologet., cap. IX: *Denique inter tentamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admovetis*. Jamque Homeri tempore hoc genus edulii notum fuit, ut patet ex luculenta descriptione ejus Odyss. E. vs. 44 seq.:

Γαστέρες αἵδ' αἰγῶν κέατ' ἐν πυρὶ· τὰςδ' ἐπὶ δόρπῳ
Κατθέμεθα, κνίσσης τε καὶ αἵματος ἐμπλήσαντες.

Nostr. *Blutwürste*. Cod. ms. et editiones vetustiores habent *boletos* vitiosissime; nam hoc fungorum genus non paratur arte, sed nascitur in silvis. Unde N. Heinsius in Adversar., p. 621, legendum suspicatur *botellos*, *botellus* deminutivum τοῦ *botulus*. Ita Sidon. Apollinar., lib. epist. XI:

Qua serpylliferis olet catenis
Baccas per geminas ruber botellus, *etc.*

Ubi vid. Savaro, p. 533, et Voss., Etymol. rom., verbo *botulus*. ORELL.

Isicia. *Isicium* sive *insicium* ab insectione derivari docent Varro, de Ling. lat., lib. IV, p. 28, et Macrobius, Saturn, lib. VII, c. 8. Locus autem classicus est Apicii de Arte coquinar., lib. II, c. 1 et 2, ubi formulæ isiciorum plurimæ e genere piscium, carnium, omento, spongiolis, etc. Ubique concisum, tunsum, tritum, aromatis conditum, involutum nonnumquam foliis, siccatum, denuo perfusum liquamine, cibarium deprehendes. NOURRIUS et GESNER., *in Thesauro*. — Conf. Voss., Etymol. rom., hoc verbo, et Lindenbrog., Obss. ad Donati Comment. in Terent. Eunuch., act. II, scen. M, v. 26, p. 522, vol. II, ed. Zeunii et in primis Salmat. ad Script. Hist. August., t. I, p. 831. Respondere videtur isicium edulio, quod *Pudding* vocant Angli. ORELL.

Catillamenta lucanica. Ita edidit Salmasius in ed. Lugd. Bat., et Exercitt. Plinian., ad Solin., p. 90. Cæteri *castellamenta*, quod Heraldus interpretatur quædam farcimiuum genera, quæ græcis πυραμίδες dicta a propria forma, allegans locum Clementis Alexandrini in Protreptico (p. 19, ed. Potter.): οὐ σησάμαι ταῦτα καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι, καὶ πόπανα πολυόμφαλα, χόνδροι τε ἁλῶν, καὶ δράκων, ὄργιον Διονύσου Βασσάρου. Heraldo adstipulatur Jo. Wower., ad Minuc. Fel. Octav., c. XIV, p. 133, ed. Gronovii legendum censens: *castellamenta*, *lucanicas*. At vero in allato Clementis loco non de farciminum, sed de librorum generibus sermo est. Et omnino videtur legendum cum Salmasio *catillamenta*, quod defendit etiam N. Heinsius in Adversar., l. IV, c. 9, p. 621. Eamque correctionem confirmare videtur locus Arnobii nostro simillimus infra, l. VII, c. 24: *In exiguas arvina est miculas catillaminum insecta de more*. *Catillamenta* et *catillamina*, ut explicant Salmasius et Heinsius libris laudatis, sunt itaque cupedia et deliciosa mattea. Sed proprie ita videntur vocasse farcimina, aut botulos minutis carnibus inculcatos, quod avide a catillonibus expeterentur. *Catillamentum* a *catillare*, idem quod ligurrire, quod derivatur a *catillus*, deminutivo τοῦ *catinus*. Hinc *catillones* dicebantur gulones a lingendis catillis (*Tellerlecker*). — *Lucanica*. Glossæ: *lucanica*, ἀλλάντια. Genus farciminis porcinis carnibus infarctum et a Lucanis populis primo inventum. Vide Apic., de Arte coquin., lib. IV, c. 2; et P. Manut., ad Cicero., Epist. ad Fam., IX, ep. 17. Charisius: *Lucanicum intelligitur pulmentum et intestinum Lucanicus subauditur botulus*, *aut apparatus: et hæc Lucanica feminino genere*, *intelligitur hira*, *hoc est intestinum*. Conf.
B Meurs. qui de hac voce multus est, p. 70, 71. ORELL.

Suminatam cum his carnem. *Suminata caro est caro suis suminatæ*, id est lactantis. *Suminatus* a *sumen*, *inis*, quod est fœtæ suis mamma lacte plena, quod cibi genus erat in Romanorum deliciis. Vide Casaubon., et Salmas., ad Ælii Lampridii Alexandrum Sever., c. 22, Script. Hist. Aug., vol. I, p. 914, seq. Cæterum admodum placet sagacissima N. Heinsii conjectura in Adversar., p. 621: *suminatam cum hiris carnem*. *Hira* proprie intestinum quod dicitur jejunum, græce νῆστις, *der Leerdarm*. Macrobius in Somn. Scip., I, 6, enarrans intestina tria principalia: *Tertium*, inquit, *quod veteres hiram vocarunt*, *habeturque præcipuum intestinorum omnium*, *et cibi retrimenta deducit*. Cf. Fest. hoc verbo. Pro aliis tamen etiam intestinis sumi docet Nonius verbo. *Hilæ* deminut. τοῦ *Hiræ*: *Hillas intestina veteres esse dixerunt*, *unde Bohilla oppidum in Italia*, *quod eo bos intestina vulnere trahens advenerit*. Cf. Voss. Ety-
C molog. Rom. v. *Hillæ*. Hinc Plautus Curcul., act. I, scen. I, vers. 21, seq.:

.... Lien necat, renes dolent,
Pulmones distrahuntur, cruciatur jecur,
Radices cordis pereunt, hiræ omnes dolent.

Erat autem vox *hira* maxime usurpata in sacris. Noster infra, lib. VII, cap. 24, ubi multa farciminum genera recenset, quibus usus in sacris: *Non similiter fendicas*, *quæ et ipsæ sunt iræ*, *quos plebis oratio ilisolet*, *cum eloquitur*, *nuncupare*. ORELL.

Glaciali conditione tucceta. Glossæ: *Tucetum*, ζωμὸς παχύς. Gloss. Isidor. *Tucetum bubula condita apud Gallos cisalpinos*. *Escas regias tuceta* vocat Nonius et Fulgentius de prisco sermone citans fragmentum Gallimorphi et Pisæis..... *Ambrosio redolent tuceta sapore*. *Edulium sapidissimum* appellat Apuleius Mett., lib. II: ubi vide notas Oudendorp., pag 104. Scho-
D liastes ad Pers. Sat. II, vers. 42, verba: *Grandes patinæ tucetaque crassa*, *Tuceta*, inquit, *apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur*, *condimentis quibusdam crassis oblita*, *ac macerata*; *et ideo toto anno durat*. *Solet etiam porcina eodem genere condita servari*, *aut ad saturarum jura*. Conf. Voss., Etymol. rom., hoc verbo: equidem e verbis Arnobii *glaciali conditione*, id est *conditura*, conjecerim, tucetum fuisse jus carnium bubularum vel porcinarum nive aut glacie condensatum, immixtis earumdem carnium miculis vel illis minutim insectis, simile nostris *gelatis*, *gelatinis*, *Sulzen*, *Gallerten*. Certe nivem et glaciem cibis et potionibus luxuriosorum immistam fuisse sæpissime, discimus ex Seneca Epist. LXXVII, et Nat. Quæst., lib. IV, cap. ultimo. Conf. Mart. Lister., in Apicium de Arte culin., libr. IV, cap. I, p. 107. Sed obstant verba scholiastæ ad Persium: *et ideo toto anno durat*, quæ collata cum nostro loco indicare videntur farciminis genus tum condimentis quibusdam, tum nive

tione luceta? Idcirco animas misit, ut res sancti atque augustissimi nominis symphoniacas agerent et fistulatorias hic artes, ut inflandis bucculas distenderent tibiis, cantionibus ut præirent obscœnis numerositer, et scabillorum concrepationibus sonoris, quibus animarum alia lasciviens multitudo incompositos corporum dissolveretur in motus, saltitaret, A et cantaret, orbes saltatorios verteret, et ad ultimum clunibus et coxendicibus sublevatis lumborum crispitudine fluctuaret? Idcirco animas misit, ut in maribus exoleti, in feminis fierent meretrices, sambucistriæ, psaltriæ [a], venalia ut prosternerent corpora, vilitatem sui populo publicarent, in lupanaribus

LECTIONES VARIANTES.

[a] Psalteriæ *Male ms.*

COMMENTARIUS.

et glacie in caveis subterraneis a putredine conservatum. Meursius in Appendice legendum suspicatur *gracilia* aut *glacialia conditione luceta*, explicans luceta, quorum sumen induratum in modum glaciei. Orell.

Ut inflandis bucculas distenderent tibiis. Quod videtur fœdius et deformius. Quare rejectæ ab Alcibiade hoc nomine tibiæ, quod buccas distenderent, et totum os corrumperent, ὡς τοὺς συνήθεις ἂν πάνυ μόλις διαγνῶναι τὸ πρόσωπον, inquit in Alcibiade Plutarchus. Christiani autem temporibus illis omnia luxuriæ et voluptatum instrumenta animose aspernabantur; maxime si quæ species idololatriæ immista videbatur; quo etiam nomine tibiarum usum damnabant, quod in sacris gentilium tibiæ canerent. Clemens Alexandr., lib. II, Pædagog., c. 4 : Σύριγξ μὲν οὖν ποιμέσιν ἀπονενεμήσθω· αὐλὸς δὲ ἀνθρώποις δεισιδαίμοσι εἰς εἰδωλολατρείας σπεύδουσιν. Καὶ γὰρ ὡς ἀληθῶς ἀποπεμπτέα τὰ ὄργανα ταῦτα νηφαλίου συμποσίου, θηρίοις μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις κατάλληλα, καὶ ἀνθρώπων τοῖς ἀλογωτέροις, et quæ sequuntur p. 192, seqq., ed. Proter. Herald et Orell.

Cantionibus ut præirent obscœnis numerositer, et scabillorum concrepationibus sonoris. Eleganti quidem, sed minime necessaria, mutatione locum hunc editor Lugd. Bat. ita dedit : *Cantionibus ut præirent obscœnis, numerosos iterarent scabillorum concrepationibus, sonores.* Idem quod sonos, ut ap. Virgilium et Tacitum aliquoties, verbi causa Annal. IV, c. 48 : *Sed ut clamore, telis, suo quisque periculo intentus sonorem alterius prœlii non acciperet.* Orell.

Scabillorum concrepationibus. Scabilla, peculiaria instrumenta minorum, erant crepitacula ex ferro (Lucian., de Saltat., § 85, σιδηροῦν ὑπόδημα) aut ex ligno (Pollux, VII, 22 et 28, ξύλινον ὑπόδημα), quæ pedibus, quibus adstringebantur, concuti solebant, et strepitum faciebant, uti docet antiqua statua, in qua occurrit scabillum, confirmatque Rubenius, de Re vest. II, 17, Hæc Ernest. In Clav. Cic., hoc verbo Conf. Salmas. ad Vopisci Carin., c. 19, pag. 838, tom. II (qui refutat Casaubonum ad Sueton. Calig., c. 54, scabillum vocem putantem exoticam, cum latinissima sit, derivanda a verbo *scamnum*, unde deminutiva *scamellum* et *scamillum*, *scabellum* et *scabillum*). Conf. Voss., Etymol. rom., verbo *Scamna*, Gesner., in Thesaur., et in primis *Explication de divers monuments singuliers*, p. 47, seq., ubi monumentum vetus illustratur, in quo scabilla spectantur. Orell.

Saltitaret. Saltare et choreas ducere christianis interdictum. Paulus ad Rom., XIII, vers. 13 : Ὡς ἐν ἡμέρᾳ εὐσχημόνως περιπατήσωμεν, μὴ κώμοις καὶ μέθαις, et ad Galat. V, 21. I Petr. IV, 3, ubi Glossæ Cyrilli et aliud vetus Lexicon ms. κῶμος — ὄρχησις μετὰ ᾠδῆς καὶ μέθης, neque secius Suidas. Idem itaque sancitum in Canonibus apostolorum et Concilio laodicensis, cap. 53, pag. 23 : Οὐ δεῖ χριστιανοὺς εἰς γάμους ἀπερχομένους βαλλίζειν ἢ ὀρχεῖσθαι. Vetus interpres : *Non oportet christianos ad nuptias euntes vel ballare, vel saltare, sed caste cœnare vel prandere, sicut competit christianis.* Vid. Brev. Canon. Ferrandi Episcopi et Cresconii, item corpus canonum antiquum et Capitulare Caroli Magni multis locis; Ambros. de Jeju., cap. 18, et lib. III de Virginibus, Augustin., tom. X de nomine christiano, sermo I, p. 234, Fr. Lindembrog. *ap. Elemenh.*

Orbes saltatorios verteret. Cicero in Pisonem, c. X. *Ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat.* Elmenh.

Lumborum crispitudine fluctuaret. Infra lib. VII, *et* B *clunibus fluctuare crispatis.* Graphice. Nam fluctus leniter impulsi proprie crispi torosique. Minutius Felix Octav., cap. 3. *Et ut semper mare etiam positis flatibus inquietum est, etsi non canis spumosisque fluctibus exibat ad terram, tamen crispis torosisque.* Sic autem *fluctuatim incedere* dictum de iis, qui incedendo clunes leviter crispant. Afranius apud Nonium : *Magnifice volo fluctuatim ire ad illum.* Gloss. *Crispat*, κραδαίνει, σείει. Herald.—Similiter Apuleius, Met. II : *Ipsa membra sua leniter illubricans, lumbis sensim vibrantibus, spinam mobilem quatiens placide, decenter undabat.* Ubi *undabat idem quod fluctuabat.* Vid. Notam Oudendorp., pag. 105, Conf. Alciphron., lib. I. epist. XXXIX; Juvenal., sat. XI, vers. 164: Martial., lib. V, epigr. 80; Barth., Adversar., lib. XXXIII, c. 20, p. 1540; Sciopp., ad Priapei., carm. XVIII. Orell.

Exoleti. Glossæ : Exoletus, ὑπέρακμος, τριβακός. C Elmenh. *Exoletos* scil. dicebant Romani viros impudicos et muliebris patientiæ, adultiores certe, et opportunam injuriæ illi puerorum ætatem egressos. Vide Gesner., in Thesaur. Orell.

Sambucistriæ, psaltriæ. Sambucistriæ a *sambuca*, quod est instrumentum musicum triangulum, quod ex inæqualibus longitudine, sicut et crassitudine, nervis efficitur, ut describit Porphyrius ad Ptolemæi Harmonica. Cf. Isidor. Origg., III, 20; Fest., hoc verbo, et intpp. Barth. Advers., LV, c. 9; Gesner., in Thesauro. Cæterum tales feminas non solum arte, sed et corpore quæstum fecisse, e Comicis satis notum est, neque opus habemus cum Stewechio locum hunc de ludis scenicis accipere, omni turpitudine pollutis, cum etiam de feminis ad privatorum mensas canentibus ejusmodi flagitia sint notissima. Orell.

Venalia ut prosternerent corpora. Proba lectio, nec audiendi, qui corrigere volunt *prostituerent.* Diocletianus et Maximianus ad leg. Jul., de Adult. et stup. : D *fœdissimam earum nequitiam, quæ pudorem suum alienis libidinibus prosternunt.* Herald.

Vilitatem sui populo publicarent. Rescribunt nonnulli *virilitatem*, alii (Meursius) *utilitatem*, id est *usum.* Ita Zeno Veronensis sermone de Pudicitia : *Libidinum commutatione varia gaudet semper, et pœnitet : ad satietatem numquam lubrica utilitate perveniens*, id est lubrico usu. Et hæc est propria et prisca notio. Ita Varro, lib. I, de Vita populi romani : *Itaque ea sibi modo ponere ac suspendere, quæ utilitas postularet, trulleum, matellionem, pelvim, nasiternam.* Postea, quia, quicquid usum sui præstat, commodum et emolumentum sui afferat, factum, ut pro iis *utilitas* acciperetur. *Publicare* id est prostituere. Hinc *publicæ libidinis victimæ* appellantur Tertulliano et eum secuto Hieronymo *publicanæ mulieres.* Zenoni Veronensi et nostro supra lib. I, cap. 36. Venus dicitur *intestini decoris publicatrix.* Græci quoque κοινὰς γυναῖκας appellant. Herald. — Ludos scenicos et

promptæ, in fornicibus obvinctæ, nihil pati renuentes, ad oris stuprum paratæ?

XLIII. Quid dicitis, o soboles, ac primi progenies numinis? Ergone sapientes illæ, atque ex causis principalibus proditæ genera hæc animæ turpitudinum, criminum, malitiarumque noverunt, atque ut exercerent, ut gererent, ut percelebrarent hæc mala, habitare jussæ sunt has partes, et humani corporis circumjectione vestiri? Et mortalium quisquam est rationis alicujus accipiens sensum, qui ordinatum existimet mundum per has esse, ac non potius sedem ac domicilium constitutum, in quo omne quotidie perpetraretur nefas, maleficia cuncta confierent, insidiæ, fraudes, doli, avaritia, rapinæ, vis, scelus, audacia, obscœnitas, turpitudo, flagitium, mala omnia cætera, quæ in orbe homines toto mente noxia pariunt, et labem machinantur in mutuam?

XLIV. Sed sua, inquitis, voluntate, non regis jussione venerunt. At ubi pater omnipotens fuit, ubi regiæ sublimitatis auctoritas, ut eas prohiberet abscedere, nec in præcipites labi permitteret voluptates? Si enim degeneres futuras locorum immutationibus sciebat (scire autem debuerat causarum ut omnium constitutor), aut extrinsecus aliquid accessurum his esse, quod eas faceret oblivisci suæ dignitatis et decoris: millies, ut ignoscat, oraverim: universorum non alius quam ipse est causa: siquidem perpessus est evagandi eas habere jus liberum, quas retenturas non esse integritatis suæ habitum prævidebat[a], atque ita perficitur, ut nihil intersit omnino voluntarie venerint, an illius obtemperaverint jussioni: cum non prohibendo quod oportuerat prohiberi, cessatione crimen fecerit proprium, et retentionis dissimulatione permiserit prius.

XLV. Sed procul hæc abeat sceleratæ opinionis immanitas, ut Deus credatur omnipotens, magnarum et invisibilium rerum sator, et conditor, procreator, tam mobiles animas genuisse gravitatis ac ponderis constantiæque nullius; in vitia labiles, in peccatorum genera universa declives; cumque eas

LECTIONES VARIANTES.

[a] Providebat *ms.*

COMMENTARIUS.

scenicas mulieres insectatur, in quibus ludis magnus furor et turpitudo prolixior; cum publice vel exponerent, vel (ut auctor est Minutius Felix) monstrarent etiam adulteria. De scortis Romæ in scena prosterni publice solitis post ludos finitos consule Justi Lipsii Elect. lib. I, cap. 2, et ad vilitatis nomen ecce alia in promptu loca Arnobii lib. IV: *Amans saltatur Venus, et per affectus omnes meretriciæ vilitatis impudica exprimitur imitatione bacchari*, et lib. V. *in obscœnam prorumpere vilitatem.* STEWECH. — Meursius mavult *utilitatem*, i. q. χρῆσιν. male. Cf. Bunemann. ad Lactant. Inst. I. c. 20, p. 121. ORELL.

In fornicibus obvinctæ, Ita cod. ms quod Fulv. Ursinus et ed. Lugd. Bat. mutarunt in *obviæ*, Scaliger ap. Meursium in *oblitæ*; male, opinor. *Obvinctæ* scil. vel lenonibus, vel impudicis, qui eis abutuntur. De vi verbi *fornix*, vide supr. ad c. 6 hujus libri, et Sciopp. ad Priapeia, carm. XIII. ORELL.

Ad oris stuprum paratæ. Ita Gelenius et Fulv. Ursinus. cod. ms. habet *ad oris sacri comparatæ*, nullo sensu: unde Canterus effecit *ad oris sacrificium paratæ*. Stewech. *ad oris sacri comparatæ comparationes*, eodem sensu, quo Gelenii lectio. Nam *componere, committere, comparare*, dicebant legiones inter se vel gladiatores. Salmasius autem in edit. Lugd. Bat. *ad oris sacri* (id est abominandi, diris devovendi, ut *auri sacra fames*) *comparatæ stuprationem.* Sed Gelenii emendationem bene defendit Lindenbrog. ad Priapeia carm. XII. Tangit scil. Arnobius immane illud et monstrosissimum flagitium, quod λεσβιάζειν, λεσβιασμὸν (a Lesbiis, quibus in usu fuerat hæc turpitudo) Græci dixerunt. Latini autem ejusmodi homines appellarunt Opicos, ut docet Meursius. Vid. A. Gell., lib. I, cap. 21; lib. XI, cap. 16, et Plin., Hist. Nat., lib. XXXIX. Videsis exemplorum struem, quam ad hunc locum congesserunt Elmenhorstius et Lindenbrog., l. l. Nam equidem obscœna non exscribo. ORELL.

XLIII. — *Ergone sapientes illæ.* Hæc verba nescio qua de causa ed. Lugd. Bat. mutavit in: *Ergone sapientiæ illæ*, etc. ORELL.

Ut gererent. Is. Pontanus ad Macrobii librum de Differentiis Græci Latinique verbi not. p. 693, legendum existimat *generent*, ab antiquo verbo geno, ere, idem quod gignere, generare. Sed nihil mutandum; *gerere* hoc loco idem est, quod portare secum, quod faciunt nuntii et portitores, ideoque bene conjungitur cum *percelebrare.* Eodem sensu Arnobius, supra, lib. I, cap. ult., Christum appellat *portitorem muneris tanti.* ORELL.

XLIV. — *Jussione.* Cod. ms. et Fulv. Ursin. *missione*, quod nescio quare mutatum ab omnibus editoribus. ORELL.

Abscedere. Ms. *abscondere*, vitiose, *abscedere* est declinare a via salutis. ORELL.

Aut extrinsecus aliquid accessurum his esse. Hæc referenda ad præcedentia verba: *Si enim degeneres futuras locorum immutationibus sciebat, aut extrinsecus*, etc. Quare verba: *scire autem..... constitutor*, tamquam parenthesin uncinis inclusi. ORELL.

Universorum. Scil. vitiorum, scelerum, quod autem Arnobius reverentia in Deum effari non audet. Vertetim: *von allem., was begegnet* ORELL.

Cessatione crimen fecerit proprium. In cujus enim manu est, ut prohibeat, jubet agi, si non prohibet admitti, ait Salvianus, libro VII. Hinc Arnobius infra lib. III, cessationem istam *inimicam* appellat. *Et cur sæva contagia et pestilentes morbos ab æstivis avertere cessatione inimica non curant?* HERALD.

Et retentionis dissimulatione permiserit prius. Id est cessatione, quod retinere noluerit. Sic enim vocem istam ab his scriptoribus quandoque usurpari observatum nobis est. Vegetius, de Re milit., lib. I, cap. 8; *Signatis itaque tironibus per quotidiana exercitia armorum est demonstranda doctrina. Sed hujus rei usum dissimulatio securitatis abolevit.* Hinc et apud Tertullian., lib. V, adversus Marcion., cap. 5. *Nec enim gratia fit, nisi offensæ; nec pax, nisi belli. Et populus autem per disciplinæ transgressionem. et omne humanum genus per naturæ dissimulationem, et deliquerat et rebellaverat adversus creatorem.* Ubi *naturæ dissimulatio* est naturæ quasi cessatio, qua homines cognitionem natura sibi insitam in injustitia detinent. HERALD.

XLV. — *Tam mobiles animas genuisse gravitatis ac ponderis constantiæque nullius.* Stewech. leg. conj. *tam nobiles animas*, non male quidem. Sed et vulgata lectio defendi potest, ut sensus sit: *animas genuisse tam mobiles quæque nullius sint gravitatis, constantiæ*, etc. ORELL.

tales, atque hujusmodi sciret, in corpora ire jussisse, quorum indutæ carceribus sub procellis agerent [a] tempestatibusque quotidie fortunæ, et modo turpia facerent, modo paterentur obscœna : naufragiis, ruinis, incendiorum conflagrationibus ut perirent. Pauperies alias, alias ut mendicitas premeret, ut ferarum paterentur aliæ laniatus, musculorum aliæ ut interirent veneno, claudæ ut incederent aliæ, ut aliæ lumen amitterent; ut articulis sederent aliæ colligatis, morbis denique objectarentur ut cunctis, quos infelix et miseranda mortalitas diversarum sustinet dilaceratione pœnarum; tum deinde oblitæ unius esse se fontis, unius genitoris, et capitis, germanitatis convellerent atque abrumperent jura; urbes suas

A evererent, popularentur hostiliter terras, servos de liberis facerent, insultarent virginibus; et matrimoniis alienis, odissent invicem sese, aliorum gaudiis et felicitatibus inviderent; tum deinde se omnes maledicerent, carperent, et sævorum dentium mordacitate laniarent.

XLVI. Sed procul hæc abeat; ut eadem rursus frequentiusque dicamus, tam immanis, et scelerata persuasio, ut ille salus rerum Deus omnium, virtutum caput, benignitatis et columen, atque ut eum laudibus extollamus humanis, sapientissimus, justus, perfecta omnia faciens, et integritatis suæ conservantia mansiones, aut aliquid fecerit claudum, et quod eminus esset a recto, aut ulli rei fuerit miseriarum aut di-

LECTIONES VARIANTES.

[a] **Procellis agerentur.** *Fulv.*

COMMENTARIUS.

In corpora ire jussisse. Ita Genelius. cod. ms. *jussisset*, quod frustra defendere conatur Heraldus tamquam modi et temporis enallagen pro *jusserit.* Nam totus locus, si ita legamus, obscurus fit et intricatus. Orell.

Quorum indutæ carceribus. Stewech. *inclusæ* : ed. Lugd. Bat., *inductas.* Sed nil mutandum : *indutæ* scil. referendum ad *corpora*, quod subintelligendum in *carceribus*, ut sensus sit : *quibus indutæ, tamquam in carceribus..... agerent.* Orell.

Modo paterentur obscœna. Meursius mavult : *modo paterentur obscœnæ.* Orell.

Ut ferarum paterentur aliæ laniatus, musculorum aliæ ut interirent veneno. Ita edidi cum editore Leidensi. cod. ms. habet : *infernarum paterentur aliæ laniatus musculorum*, vitiose et nullo sensu. Nam quid sunt *infernæ musculæ?* Fulv. Ursinus legit ; *internorum paterentur alii laniatus musculorum*, non male : *interni musculi* scil. corporis (*die innersten Muskeln*). Stewechius corrigens : *informorum paterentur aliæ laniatus musculorum*, putat, hoc loco tangi illud genus cruciatus, quo mures aut glires nudo torquendorum pectori imponuntur ac postea pelvi teguntur, inde ignem superimpositum non ferentes, pectus lancinare incipiunt, *informos mures* itaque interpretatur *valde calidos* ab *in* intensivo et *formus*, quod antique pro *calidus* usurpatum fuisse testantur Festus et vetera glossaria. Vide supra ad cap. 41. Sed minime verosimile est, Arnobium hoc loco non cruciatuum vel torturarum, sed calamitatum et mortium genera maxime communia et ubivis obvia recensentem, rarioris hujus et insolentioris cruciatus meminisse. Alii legunt : *infernorum paterentur aliæ laniatus, musculorum aliæ ut interirent veneno.* At hoc loco prorsus aliena *infernorum* sive gehennæ mentio et *musculorum venenum* nil aliud significare posset nisi venenum muribus necandis aptum, paratum, *Mausegift*, et intelligendum esset *aconitum, quod* (ut Plinius affirmat lib. XXVII, cap. 3) *procul et e longinquo odore mures necat*, cujusque in veneficiis apud antiquos usus notissimus. Cf. Plin. l. l., et Ovid., Met., I, vers. 147 : *Lurida terribiles miscent aconita novercæ.* Nam arsenici usus ignotus antiquis. Sed num *musculorum venenum* hoc sensu latine dici possit, equidem maxime dubito : et omnino usus mures veneno necandi apud antiquos et magnam partem medii ævi fuisse videtur prorsus incognitus; quod conjicio ex versibus Manuelis Philæ in Poemate, de Natura animalium, c. 89, de Muribus, vers. 8, sq. :

Οὓς καὶ γαλῆ τρίζουσα, καὶ πλὰξ, καὶ βρόχος,
Καὶ παγὶς ἐξέτριψε, καὶ βραχὺ στέαρ.

B ubi veneni nulla mentio. Restat itaque, ut emendationem Salmasii sequamur, ut, puto, unice veram ; *ferarum paterentur aliæ laniatus, musculorum aliæ ut interirent veneno. Venenum musculorum*, deminut. τοῦ *musca, æ*, est venenum cantharidum, quas *vermiculos alatos*, id est *muscas*, appellat Plinius, Hist. Nat., lib. XI, c. 35 (41. ed. Harduin). Eas autem non tantum ad vesicatoria, sed etiam ad veneficia adhibitas fuisse a veteribus, testes idem Plinius, lib. XXVIII, cap. 9 (33 ed. Harduin); Cic., ad Fam., IX, Epist. 21, ibique Manut. Ovid. in Ibin, vers. 308 :

Cantharidum fuccos, dante parente, bibas.

Valer. Max., lib. VI, cap. 2. Extern. n. 3 : *Is enim* (Theodorus Cyrenæus) *Lysimacho regi mortem sibi C minitanti. Enimvero, inquit, magnifica res tibi contigit, quia cantharidis vim assecutus es.* Conf., qui de his aliisque insectis venenatis multus est, G. J. Vossius, de Idololatr., lib. IV, cap. 96, pag. 599. Orell.

Infelix et miseranda mortalitas. Mortalitas idem quod mortales. Vide supra ad lib. I, cap. 7. Orell.

Et sævorum dentium mordacitate laniarent. Hoc eorum est, qui ἄδην καὶ ἀδιαλείπτως maledicunt et calumniantur. Sic dicit Persius, Lucilium, Satiricum acerrimum et mordacissimum, genuinum fregisse in iis, quos lacerabat, quibus quidem verbis maledicendi rabiem significare volebat :

..... Secuit Lucilius urbem,
Te lupe, te muti, et genuinum fregit in illis. Herald.

XLVI. — *Ut ille salus rerum, Deus. Salus rerum*, id est rerum omnium conservator. Falluntur D ergo, qui reponi volunt (Meursius) : *Ut ille sator rerum Deus.* Orell.

Omnium virtutum caput, benignitatis et columen. Vide supra ad lib. I, cap. 10. Orell.

Integritatis suæ conservantia mansiones. Ita ed. Lugd. Bat. Alii *mensiones*, quod defendi potest, ut sit pro mensura, justa portione integritatis illis attributa. Th. Canterus mavult *conservans mentiones*, sive dimensiones, ut lib. III. *At vero vos Deos parum est formarum quod amplectamini mensione.* Hic hæreo. Orell.

Aliquid fecerit claudum. Vide supra ad hujus libri cap. 37. Orell.

Quod eminus esset a recto Ita editores omnes, excepto Lugd. Bat., qui Cod. ms. lectionem : *quod minus esset a recto*, in textum revocavit, nescio qua causa. *Minus a recto* esset idem quod *minus rectum* Sed *eminus* longe præfero. Orell.

scriminum causa, aut ipsos actus quibus vita transigitur et celebratur humana, ordinaverit, jusserit, et a [a] sua fluere constitutione præceperit. Minora hæc illo sunt, et magnitudinis ejus destruentia potestatem : tantumque est longe ut istarum auctor rerum esse credatur, ut in sacrilegæ crimen impietatis incurrat quisquis ab eo conceperit hominem esse prognatum, rem infelicem et miseram, qui esse se doleat : qui conditionem suam detestetur et lugeat : qui nulla alia de causa sese intelligat procreatum, quam ne materiam non haberent per quam diffunderent se mala, et essent miseri semper, quorum cruciatibus pasceretur nescio quæ vis latens et humanitati adversa crudelitas.

XLVII. Sed si parens, etiam [b] genitor animarum, inquitis, Deus non est, quo auctore progenitæ, et qua sunt ratione prolatæ? Si infucata vultis audire, nec ab aliqua vocis ostentatione deducta : item confitemur nos istud ignorare, nescire, scientiamque tantæ rei non tantum nostram ducimus infirmitatem fragilitatemque transire, verum etiam potestatum, quæ in mundo sunt, omnium : et quæ numina se esse opinionibus usurpavere mortalium. Sed quas Dei negamus, cujus sint, debemus ostendere? Nihil istud A necessario sequitur, non enim si negemus muscas, scarabeos, et cimices, nitedulas, curculiones, et tineas omnipotentis esse opus regis : sequaciter postulandum a nobis est ut quis ea fecerit, instituerit que dicamus, possimus enim nulla cum reprehensione nescire, quis et illis originem dederit, et obtinere non esse a Deo superiore prolata tam supervacua, tam vana, tam ad nullas pertinentia rationes, quinimmo aliquando et noxia; et necessarias importantia læsiones.

XLVIII. Consimiliter hic quoque cum animas renuamus Dei esse principis prolem, non continuo sequitur, ut explicare debeamus quonam parente sint editæ, et causis cujusmodi procreatæ. Quis enim nos B prohibet, aut unde enatæ sint, prodierintque nescire, aut eas non esse Dei progeniem, scire? Quanam, inquitis, ratione, qua via? Quia omni vero verissimum est, certoque certissimum, nihil rerum a principe, sicut sæpius dictum est, agi, fieri, statui, nisi quod oporteat, et conveniat fieri : nisi quod sit plenum, et integrum, et in suæ integritatis perfectione finitum. Porro autem conspicimus homines, id est animas ipsas [c], quid enim sunt homines nisi animæ corporibus

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ab *ms.*

[b] Et *ms.*, *melius*. Meurs. jam *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Rem infelicem et miseram. Hæc inter eorum argumenta, qui hominem a Deo conditum negabant. Vide Lactantium libro de Opificio Dei. HERALD.

Quorum cruciatibus pasceretur nescio quæ vis latens et humanitati adversa crudelitas. Ita optime locum restituit Fr. Modius, probante Stewechio et Salmasio. ms. habet : *Nescio quamvis latens.* Vitiose. His autem verbis Arnobius procul dubio describit diabolum, quem *crudeliter sævum* dixerat supra. ORELL.

XLVII. — *Item confitemur nos istud ignorare.* Puto legendum : *iterum confitemur.* ORELL.

Et quæ numina se esse, opinionibus usurpavere mortalium. Usurpare hoc loco contra jus fasque, nullo merito sibi vindicare, Græce σφετερίζεσθαι, nostr. *usurpieren.* Ita Sueton. Claud., cap. 25 : *Civitatem romanam usurpantes securi percussit.* Ubi vid. Casaubon. ORELL.

Sed quas Dei negamus. Ita Stewech. et editor Lugd. Bat. ex ms. Cæteri : *Sed quia Dei negamus. Idem.*

Non enim si negamus muscas, scarabæos, cimices, etc. Deum non creasse minutas bestiolas, delirium fuit Marcionis, Valentini et Apellis, ut ex Hieronymo, tom. IX, pag. 211, in proœmio ad Philemonem novimus. Hos confutat Augustinus, de Civitate Dei, lib. XI, cap. 15; lib. XII, cap. 25. ELMENH.

Nitedulas. Servius ad Georg. I, vers. 181. *Nitedulam* sive *nitelam* interpretatur *murem agrestem rubeum.* Papias : *Nitedula animal fulgens instar ignis, exiguus mus. quod Græce lamparis dicitur.* Cicero pro Sextio, cap. 33. *ut illa ex vepreculis extracta nitedula rempublicam conaretur arrodere.* ELMENH. — Cf. Plinius, Hist. Nat., VIII, cap. 57, ibique Harduin. R. Bentley ad Horat. I, Epist. VII, vers. 29. Ubi pro *vulpecula* restituit *nitedula.* Salmas., ad Solin., p. 223, seq., ubi de hoc animalculo multus est; e glossa Philoxeni, quia *nitela* exponitur δενδροβάτης, conjicit, idem esse cum sciuro (*das Eichhorn*). Sed verba Servii et Papiæ melius convenire videntur animalculo, quod Galli *mulot* appellant, *die Feldmaus,* vel potius muri avellanarum majori, sive muri quercino, C dorso rubeo, arbores sæpissime ascendenti et per hiemem dormienti, *die grosse Haselmaus.* Nourrius, pag. 560, putat, murem silvestrem significari, quem Galli *le mulot* vocant. Cf. et Ernesti, Clav. Cic., hoc verbo. ORELL.

Et obtinere non esse a Deo superiore prolata. Quem hic *superiorem,* supra appellat *Deum primum :* is melior Deus est Marcioni et Christi pater. Vide Tertullianum, de Præscript., adv. Hæret., cap. 7. Irenæum, Epiphanium, alios. ELMENH. et HERALD.

XLVIII. — *Cum animas renuamus Dei esse principis prolem.* Similiter *renutare* pro *negare* apud Lucret., lib. III, vers. 351 :

Quod superest, si quis corpus sentire renutat, *etc.*

HERALD et ORELL.

Vero verissimum est certoque certissimum. Hellenismus est. Seneca, Nat. Quæst., lib. II, cap. 36 : *Vero verius nihil est.* Martial., Epigr. VI, 30, ad Pætum :

D Vis dicam tibi veriora veris?
Sex sestercia, Pæte, perdidisti.

ELMENH. Etiam superlat. pro comparativo more Græcorum. Ita Euripid. (Andromach.) vers. 6 :

Νῦν δ' οὔτις ἄλλη δυστυχεστάτη γυνὴ
Ἐμοῦ πέφυκεν, ἢ γενήσεταί ποτε.

Homer., Odyss. XI, vers. 481.

.... σεῖο δ', Ἀχιλλεῦ,
Οὔτις ἀνὴρ προπάροιθε μακάρτατος, οὔτ' ἄρ' ὀπίσσω.

Ubi vid. Clarke et Hermann. V. Cl. ad Viger., de Idiotism. græc., pag. 715. Conf. et Gataker., de stylo Nov. Test., cap. 25. Cæterum hanc loquendi rationem usuvenire tantummodo in comparationibus, absolute numquam, rectissime observat Bremius V. D. in Supplemento nostro ad Nicolaum Damascenum, p. 51, seq. ORELL.

illigatæ? scævitate [a] innumerabili vitiorum ipsos se indicare non esse patricii generis, sed ex mediocribus familiis procreatos. Namque alios videmus immites, facinorosos, audaces, temerarios, præcipites, cæcos, fictos, dissimulatores, mendaces, superbos, arrogantes, avaros, cupidos, libidinosos, inconstantes, invalidos, et sua ipsos decreta conservare nequeuntes : quod utique non essent, si generositas eos assereret principalis, et ab rerum capite descendentium ducerent honestamenta natalium.

XLIX. Sed et boni, dicetis, sunt in rebus humanis viri, sapientes, justi, inculpatis atque emendatissimis moribus. Nullam referimus quæstionem, an ulli aliquando fuerint tales, in quibus omnino nihil ista ipsa, quæ dicitur, desideraret integritas. Sint licet perhonesti, fuerintque laudabiles, tenuerint apicem perfectionis summum, nec in aliquo lapsu eorum aliquando claudicaverit vita : sed audire deposcimus quot sint, aut fuerint numero, ut ex multitudinis magnitudine metiamur, an oppositio justa sit facta, an [b] æqualitatis compensatione librata. Unus, duo, tres, quatuor, decem, viginti, centum, certe numero definiti, et no- A minum forsitan comprehensionibus terminati. At genus humanum non ex bonis pauculis, sed ex cæteris omnibus æstimari convenit, et ponderari. In toto enim pars est, non totum in parte : et universitas debet attrahere portiones, non portionibus universitas applicari. Quid enim si hominem dicas captum membris omnibus, et ejulantem ex cruciatibus asperis, idcirco esse sanum, quod unius unguiculi nullum perpetiatur dolorem? aut esse auream terram, quod in verrucula collis unius insint exiguæ miculæ, quibus nascitur colliquefactis aurum, et admiratio congregatione conquiritur? Qualitatem materiæ [c] universitas elementi probat, non pulvisculi stabiles : nec mare continuo dulce est, si mitioris aquæ guttas B alicujus adjeceris atque immiseris numeri, consumitur enim minuties ista immenso [d] : nec modo non parvi, sed esse nullius existimandum est nominis, quod per omnia diffusum perit, et in magni corporis intercipitur vastitate.

L. Vos humano in genere bonos esse dicitis viros, qui ut esse credantur, comparatio forsitan efficiat pessimorum. Quinam isti sunt? dicite. Philosophi,

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Fulv.* Servitute *ms.* Savitate *male alii.*
[b] Et an *ms.*
[c] Terræ *Fulv.*
[d] In immenso *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Scævitate innumerabili vitiorum. Ita Fulv. Ursin. rectissime. Glossæ : *Scævitas.... iniquitas.* Apulei., Met. IX, pag. 221, ed. Elmenh : *En, inquiunt, indignam rei scævitatem.* Inde *scæva, sinistra, perversa, contraria.* Vid. supra ad lib. I. ORELL.

Invalidos. Ita videtur Arnobius appellare eos, quos ἀκρατεῖς Græci vocant. HERALD.

Honestamenta natalium. Plus est quam *honesti natales*, qui proprie sunt ingenui et liberales, quemadmodum *honeste geniti*, ingenui ac libertinæ conditionis. Ita Tit. Liv., lib. XXVI *Cn. Fulvium Quiritium exercitum, honeste genitos, liberaliter educatos, servilibus vitiis imbuisse.* Hic autem significatur tanta quanta significari potest generositas, εὐγένεια ἡ πάνυ, nobilitas animarum divina, i. q. modo dixerat *generositas principalis*, id est profecta a Deo, rerum omnium fonte ac principe. HERALD.

XLIX. — *Emendatissimis moribus.* Id est perfectissimis, integerrimis, nullo scelere pollutis. Dictionem pluribus illustrant Juretus ad Simmach., lib. I, epist. 26, p. 40, ed. Lectii, Jo. Wower., ad Petron., p. 143, ed. Lotich., J. Fr. Gronow., ad D Senec., de Ira, lib. I, cap. 5, et Corte, ad Plin., lib. III, epist. III, p. 187. ORELL.

Boni..... in rebus humanis viri, sapientes. Alii delent comma post *viri*, ut sensus sit : *sapientes in rebus humanis.* Sed male, *in rebus humanis* est in universo hominum genere, *in der Menschheit.* ORELL.

In quibus nihil ista ipsa ..... desideraret integritas. Ita e cod. ms. restituit ed. Lugd. Bat., optime, ut sensus sit : in quibus ipsa integritas (virtus personificata) nihil desideraret, *an denen die Tugend selbst nichts auszusetzen hatte.* Cet. *nihil*, i. e. nulla in re, *desideraretur integritas.* ORELL.

Numero definiti. Apposite ad nostrum Juvenal., sat. XIII, vers. 28, seq. :

> Rari quippe boni, numerus vix est totidem, quot
> Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

ELMENH. — Ms. *diffiniti.* ORELL.

Ponderari. Ita ms. Fulv. Ursin. *penderi*, nescio qua causa. ORELL.

C *In verrucula collis unius.* Geminus locus lib. V : *Etiamne credemus, deum numinis tanti tractum esse ad terras, et in verrucula collis unius cum homunculo stantem altercabilem conseruisse sermonem?* Expressit autem de isto Catonis in libris Originum : *Censeo, si rem servare vis, faciendum, ut quadragintos aliquos milites ad verrucam illam ire jubeas, eamque uti occupent imperes.* Vide Agellium, lib. III, cap. 7, et Nonium verbo *verruca.* MEURS. — Eadem verba occurrunt infra lib. V, cap. 3. Cato, teste A. Gellio, Noct. Att., lib. III, cap. 7, *verruculam* locum editum et asperum appellat. Sed auctor noster diminutivum nomen pro more suo adhibet. NOURRIUS.

Exiguæ miculæ. Miculas dicit imitatione Lucretii, I, vers. 839 seq.

> Ex aurique patet micis consistere posse
> Aurum, et de terris terram concrescere parvis.

HERALD.

Admiratio congregatione conquiritur. Hæc verba diversis modis interpolant. (Fulv. Ursin. *annotatione, congregatione.* Stewech. *annumeratio*, etc.) Sed vulgata lectio probari potest. *Admirationem* igitur *auri* dicit, quia præstinguit oculos auri fulgor et in sui contemplationem atque admirationem rapit. HERALD. Verterim igitur : *Erst durch Zusammenhaufung der kleinen Goldstaubchen wird es zum metal, das die Welt bewundert.* ORELL.

Consumitur enim minuties ista immenso. Id est : exiguum illud aquæ fluviatilis statim in salsuginem maris transit, neque pro parvitate sua mare potest commutare. PRIOR. Fulv. Ursin. legit *in immenso.* ORELL.

Nullius existimandum est mominis. Ita et hic legendum pro *nominis.* HERALD.

credo, qui se esse solos sapientissimos autumant, et vi hujus nominis supercilium sustulerunt : nempe illi, qui cum suis quotidie cupiditatibus pugnant, et affectus ex animis insitos proturbare, pellere, pertinaci [a] moliuntur obluctatione virtutum, qui ne in vitia proritari facultatis possint alicujus instinctu, patrimonia et divitias fugiunt, ut causas sibi auferant lapsus : quod cum faciunt et curant, apertissime animas esse indicant labiles, et infirmitate ad vitia proclives. Nostra autem sententia, quod bonum natura est, neque emendari, neque corripi se poscit : immo ipsum debet quid sit malum nescire, si generis forma cujusque in sua cogitat integritate perstare : neque enim contrarium insitum esse contrario potest [b], aut in impari paritas, aut dulcedo in amaritudine contineri. Qui ergo luctatur animorum ingenitas corrigere pravitates, is apertissime monstrat imperfectum se esse : quamvis omni conatu et pervicacia contendat.

LI. Sed risui vobis est nostra responsio quod cum regias soboles esse animas abnegemus, non referamus contra, ex quibus sint causis atque originibus procreatæ. Quod est enim criminis genus, aut rei esse alicujus ignarum, aut ipsum, quod nescias, sine aliqua profiteri dissimulatione nescire? aut uter magis videtur irrisione esse dignissimus vobis, qui sibi scientiam nullam tenebrosæ rei alicujus assumit, an ille qui retur sese apertissime scire id, quod humanam transiliat notionem, et quod sit cæcis obscuritatibus involutum? Si penitus spectetur rei cujusque natura, in simili vos estis, quam in nobis reprehenditis, causa. Non enim, quia dicitis ab ipso animas rege descendere, ac succedere in hominum formas, exploratum aliquid dicitis, et in luce positum manifestissimæ veritatis. Conjicitis enim, non scitis : suspicamini, non tenetis. Nam si scire est illud, quod ipse tu videris, aut cognoveris animo continere, nihil eorum quæ asseritis, potestis vos dicere aliquando vidisse : id est animas sede ab supera et regione descendere. Suspicione ergo utimini, non cognitionis expressæ fide. Quid est autem suspicio, nisi opinatio rerum incerta, et in nil expositum jaculatio mentis illata? Ergo qui suspicatur, non tenet, nec in lumine positus cognitionis incedit. Quod si verum et fixum est apud rectos et sapientissimos judices : et ista vestra, qua fiditis, pro ignoratione est habenda suspicio.

LII. Ac ne tamen vobis tantummodo censeatis conjecturis uti ac suspicionibus licere, et nos idem possumus : quoniam commune est, quod interrogatis exprOMere. Unde, inquitis, homines, et ipsorum hominum quid, aut unde sunt animæ? Unde sunt elephanti, tauri, cervi, muli, asini, Unde leones, equi, canes, lupi, pantheræ, eorumque quæ vivunt, quid aut unde sunt animæ? neque enim fidem

LECTIONES VARIANTES.

[a] Pertinacium *ms.*

[b] Potis est *ms.*

COMMENTARIUS.

L. — *Et vi hujus nominis supercilium sustulerunt.* Ita Heraldus et ed Lugd. Bat. pro : *in hujus nominis*, etc. Jan. Dousa, ad Catull., carm. LXVII, vers. 45, p. 549, ed. Græv., suspicatur, aliquid excidisse post verbum *nominis*. Meursius, pag. 74 supplet. *Et in hujus nominis felicitate supercilium sustulerunt.* Sed omnia plana erunt, si legamus : *vi ..... nominis.* ORELL.

Proturbare, pellere. Proturbare., id est dejicere de vel ex loco, expellere. Vid. Oudendorp., in Apulei., Met. lib. IX, p. 608. ORELL.

Ut causas sibi auferant lapsus. Ita ms. quod alii, ignorantes, antiquitus scribi consuesse *aferre*, *afore*, pro *auferre*, *abfore*, et cum præcedenti *ne in vitia proritari possint*, etc. jungentes, mutarunt *et causas sibi afferant lapsus.* STEW.

Neque emendari, neque corrigi se poscit. Ita ed. Lugd. Bat., more Arnobii, plura hujuscemodi verba idem significantia conjungentis, ms. *corripi*, quod defendit Heraldus, observans *corripere* pro *corrigere* usurpari apud illius ævi scriptores, sed exemplum nullum afferens. ORELL.

Si generis forma cujusque in sua cogitat integritate perstare. Cogitat, idem quod *vult*, nam generis forma intelligentiam non habet. Ita *cogitare* etiam de rebus intelligentia privatis, verbi causa apud Virgil. Georg., I, 462 :

> . . . . Quid cogitet humidus auster,
> Sol tibi signa dabit.

ORELL.

Qui ergo luctatur animorum ingenitas corrigere pravitates, is apertissime monstrat imperfectum se esse, quamvis omni conatu et pervicacia contendat. Ita editores omnes, excepto Lugduno-Batavo. Pro *imperfectum*, cod. ms. habet *improbabilem*, quod minime mutandum fuisse bene demonstrat Stewechius. Tractum scil. nomen a probatoribus operum publicorum, de quibus inscriptiones veteres et scripta Romanorum millies meminere. Vid. Jan. Guilielm. Verosimil., I. II, c. 8; Francisc. Modius Novantiq., epist. 39; Lud. Carrio, lib. II. Emendd., cap. 5. At sic quoque oratio manca est et hiulca, nam sequens *contendat* non habet ad quod referatur. Quare editor Lugd. Bat. vestigia codicis ms. secutus locum ita dedit : *Is apertissime monstrat imperfectum, probabilem se esse quamvis omni conatu et pervicacia contendat.* Equidem legendum suspicor : *Is apertissime monstrat improbabilem se esse, quamvis omni conatu et pervicacia contendat contrarium*, quod vel excidit vel absorptum a præcedenti *contendat.* Pro *animorum* Meursius mavult *animarum*, cum hæc sit constans Arnobii scriptura. ORELL.

LI. — *In nil expositum jaculatio mentis illata. Nil expositum* scil. cogitatione, id est res nihili, quam vobis tamen cogitatis, repræsentatis tamquam vere existentem, *ein Non-ens*, *etivas. das nicht wirklich existirt, das blos Ideal ist.* Similis proverbialis locutio apud Germanos : *gegen einen Strohmann fechten.* ORELL.

Id est animas sede ab supera et regione descendere. Valde velim verba hæc ejicere, ut glossema, nisi propugnaret stylus Arnobianum nescio quid redolens. MEURS.

LII. — *Eorumque quæ vivunt quid aut unde sunt animæ?* Ita Fulv. Ursinus. Cod. ms. *qui vivunt*, quod stare non potest; nam præcedunt *pantheræ.* Ea quæ vivunt sunt itaque animalia in genere. ORELL.

res habet, ut Platonico ex illo cratere, quem conficit miscetque Timæus, aut horum animæ venerint, aut locusta, mus, sorex, blatta, rana, centipeda, animata esse credantur, et vivere, quia ex elementis ipsis causa est illis, atque origo nascendi: si ad animalia gignenda, quæ in singulis his degunt, insunt abditæ atque obscurissimæ rationes. (Nam et videmus alios ex sapientibus dicere, tellurem esse hominum matrem, aquam cum ea alios, aerium spiritum his alios jungere, solem vero nonnullos esse horum opificem, et ex ignibus animatos ejus vitali agitatione motari.) Quid si et hæc non sunt, et est aliqua res A alia, alia causa, alia ratio, potestas alia denique inaudita nobis atque incogniti nominis genus quæ hominum finxerit, et rerum constitutionibus applicarit, nonne fieri potis est, [a] ut exorti homines ita sint, nec ad Deum primum nativitatis eorum referatur auctoritas? Quid enim putamus habuisse rationis Platonem illum magnum, pie sancteque sapientem, cum hominis fictionem Deo removit a maximo, et ad minores nescio quos transtulit: cumque ejusdem noluit sinceritatis esse mixturæ humani animas generis, cujus animam fecerat universitatis istius: quam quod hominis fabricam indignam esse rebatur Deo, nec rei

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita ms.* Pote est *alii.*

COMMENTARIUS.

Ut Platonico ex illo cratere, quem conficit miscetque Timæus. Plato Timæo, p. 41 (tom. III, ed. H. Steph., B p. 326, vol. IX, ed. Bipont.). Ταῦτ' εἶπε. καὶ πάλιν ἐπὶ τὸν πρότερον κρατῆρα, ἐν ᾧ τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν κεραννὺς ἔμισγε, τὰ τῶν πρόσθεν ὑπόλοιπα κατεχεῖτο μίσγων, τρόπον μέν τινα, τὸν αὐτὸν, ἀκήρατα δ' οὐκέτι κατὰ ταῦτα ὡσαύτως, ἀλλὰ δεύτερα καὶ τρίτα. Chalcidius: *Rursus cratera proponit, et mixturam concretionemque earum potentiarum, ex quibus mundi anima concreverat, exque reliquis earum nostras machinatur, videlicet ex illa duplici natura. Ejusdem et item diversæ dividuæque substantiæ: quæ non, ut antea, sinceras puritatis erant, neque enim anima, quæ ex sincerissimis excuderetur, in tantæ silvæ vitia possit incidere, nec congruere cum mortalis corporis fragilitate. Miscebat autem, inquit, eodem propemodum genere, nec tamen eadem exoriebatur puritas, serenitasque proventuum.* ELMENH. — Eleganter autem *conficit miscetque Timæus* pro *confici, et misceri ait.* Sic apud Aristotelem οἱ γεννῶντες τὸν οὐρανὸν pro οἱ τὸν οὐρανὸν γεννητὸν εἶναι λέγοντες. HERALD. — C Ita Minucius Felix, c. 22. *Sauciavit* (Homerus) *Venerem, Martem vinxit, vulneravit, fugavit,* etc.; ubi vid. Gronov., p. 226, et J. Fr. Gronov., Diatrib. in Stat. Silv., c. 22. ORELL.

Sorex. Animalculum parvum ex murium genere, minus tamen, et clarius stridens, ut inquit Donat. ad Terent. Eunuch., act. V, vers. 23. Alii murem silvestrem interpretantur vel potius illam speciem, quæ Linnæo dicitur *sorex araneus,* nobis *die Spitzmaus.* Cum mure domestico confundit Plinius, Hist. Nat., XI, 37, et alii, unde Francogallorum *la souris* pro mure communi. Distinguit tamen cum nostro Columella, lib. XII, 13: *Si serpens aut mus sorexque in mustum ceciderit,* et alibi. ORELL.

Centipeda. Describit Plinius, Hist. Nat., lib. XXIX, c. 6: *Millepeda, ab aliis centipeda aut multipeda dicta, animal est e vermiculis terræ, pilosum, multis pedibus arcuatim repens, tactuque contrahens se. Oniscon Græci vocant, alii tylon. Efficacem narrant ad aurium dolores.* Ubi vid. Harduin., vol. II, p. 516. ORELL.

Et vivere, quia eadem ex elementis ipsis causa est illis, atque origo nascendi. Si ad animalia gignendi. Ita correxit ed. Lugd. Bat., vitiosam priorum editionum lectionem: *Et vivere quidem ex elementis ipsis causa est illis atque origo nascendi: si ad animalia gignenda,* etc., quod Heraldus mutare voluit: *Etsi vere quidem ex elementis ipsis causa est illis atque origo nascendi, si ad animalia gignenda,* etc. Sed longe præfero emendationem editoris Leidensis. Scil. hæc verba cum antecedentibus sunt conjungenda, ut sensus sit: *Neque enim res fidem habet ex eodem illo cratere Platonico. . . . . omnia hæc animalia cum homine vitam animasque duxisse, propterea quod omnibus ex ipsis illis quibus vivunt elementis eadem nascendi causa et origo est,* id est, *quia simili modo composita sunt, ex elementis ipsis, terra, aqua, aere.* Tum nova periodus incipit verbis: *Si ad animalia gignenda,* etc. B Cæterum v. animalia hoc loco accipiendum sensu proprio et primario, *die belebten Wesen,* quæ habitant scilicet in soricum, centipedum, etc., formis vel corporibus. ORELL.

Nam et videmus alios ex sapientibus dicere, tellurem esse hominum matrem, aquam cum ea alios, aerium spiritum alios his jungere. Et hic secutus sum emendationem editoris Lugduno-Batavi. In editione principe verba hæc corruptissime leguntur ita: *Nam et videmus ex sapientibus alios dicere, tellurem esse hominem, matrem aquam: tum alios aerem, spiritum his alios jungere.* Unde Stewechius fecerat: *Tum alios aerem spiritum his adjungere,* citans Pacuvii verba e Chryse: *Mater est terra, ea parit corpus, animam æther adjungat.* Sed in cod. ms. pro *aerem* legitur *aerium,* unde Heraldus suspicatur legendum: *Tellurem esse hominum matrem, aquam tum alios; aerium spiritum his alios jungere.* Quem secuti cæteri editores, C excepto Leidensi, *aquam tum alios* mutante in *aquam cum ea alios,* etc. Scilicet hoc loco Arnobius diversas veterum philosophorum de causis rerum sententias, de quibus supra cap. 9, pluribus egerat, brevius repetit: quare totum hunc locum: *nam et videmus,* etc. usque ad verba ... *vitali agitatione motari,* tamquam parenthesin uncinis inclusi. ORELL.

Tellurem esse hominum matrem. Orpheus:

ΓΑΙΑ Θεὰ μήτηρ μακάρων θνητῶν τ' ἀνθρώπων.

Lactantius, lib. II, cap. 10. *Errantes quidam philosophi aiunt, homines cæteraque animalia sine ullo artifice orta esse de terra; unde illud Virgilianum est:*

Terrea progenies duris caput extulit arvis.

ELMENH.

Aquam cum ea alios. Supra, cap. 10; *Vidit enim res fieri concretione aquarum Thales?* Censorin., de die nat. D cap. IV. *Anaximander Milesius videri sibi ex aqua terraque calefactis exortos esse sive pisces, sive piscibus similia animalia; in his homines concrevisse, fætusque ad pubertatem intus retentos: tum demum ruptis illis, viros mulieresque, qui se jam alere possent, processisse.* ubi vid. Lindenbrog., pag. 19, ed. Havercamp. ORELL.

Solem vero nonnullos esse horum opificem, et ex ignibus animatos ejus vitali agitatione motari. Confer eumdem Censorin., cap. 8, pag. 36, qui hoc dogma Chaldæis attribuit, et Diodor. Sic., Biblioth., lib. I, cap. 7. ORELL.

Cumque ejusdem noluit sinceritatis esse mixturæ humani animas generis. Ita lectionem priorum editionum depravatissimam: *cumque ejusdem voluit sinceritatis esse mixturas humani animas generis,* egregie emendavit Heraldus in Curis secundis. Gelenius autem, Elmenhorst. et editor Lugd. Bat. locum ita dederunt: *Cumque ejusdem noluit sinceritatis esse mixturas humani animarum generis.* ORELL.

flaccidæ fictionem magnitudini ejus et eminentiæ convenire?

LIII. Ergo cum hæc ita sint, non absone neque inaniter credimus, mediæ qualitatis esse animas hominum, utpote ab rebus non principalibus editas, juri subjectas mortis, parvarum et labilium virium: perpetuitate donari, si spem muneris tanti Deum ad principem conferant, cui soli potestas est talia corruptione exclusa largiri. Sed stulte istud credimus? Quid ad vos? Ineptissime, fatue. Ubi vobis nocemus, vel quam vobis facimus aut irrogamus injuriam, si omnipotentem confidimus Deum habiturum esse rationem nostri, cum abire a corporibus cœperimus, et ab orci faucibus, quemadmodum dicitur, vindicari?

LIV. Ergone, inquiet aliquis, sine Dei voluntate quidquam potis est [a] fieri? Considerandum est nobis sollicite, et cura inspiciendum non parva, ne, dum honorare nos Dominum tali interrogatione censemus, in contrarium labamur nefas, majestatis ejus eminentiam destruentes. Qua ratione, qua causa? Quoniam si cuncta ejus voluntate conficiuntur, nec
A citra ejus nutum quidquam potest in rebus vel provenire, vel cadere, necessario sequitur, ut mala etiam cuncta voluntate ejus intelligantur enasci. Sin autem dicere voluerimus contra, pessimorum ab eo rejicientes causas, mali esse conscium, generatoremque nullius; incipient videri, aut eo invito res pessimæ fieri, aut, quod sit immane dixisse, nesciente, ignaro, ac nescio. Rursus autem si dicere nulla esse voluerimus mala, sicut esse nonnullis opinatum et placitum reperimus; reclamabunt cunctæ gentes, universæque nationes, cruciatus nobis ostentantes suos, et discriminum species multiformes, quibus puncta per singula genus uritur et laceratur humanum. Tum deinde a nobis exquirent, cur mala si nulla sunt, ab
B operibus vos certis, et facinoribus abstinetis? Cur non omnia facitis, quæ impatiens jusserit atque imperaverit libido? Cur in noxios denique terribilibus pœnas constituitis legibus? Nam stoliditas inveniri quæ inanior potest, quam mala esse nulla contendere, et tamquam malos perdere et condemnare peccantes.

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic ms.*

COMMENTARIUS.

LIII. — ***Parvarum et labilium virium: perpetuitate donari, si spem muneris tanti Deum ad principem conferant.*** Ita edidit et distinxit locum editor Lugd. Bat. In prioribus editionibus deest *si*. Cum Lugd. Bat., consentit etiam Heraldus in Curis secundis, nisi quod interpunctionem post *virium* tollit, ut sensus sit: ***animas hominum perpetuitate donari parvarum et labilium virium.*** Sed melius hæc verba conjunguntur cum antecedentibus: ***mediæ qualitatis esse animas hominum, utpote ab rebus non principalibus editas, juri subjectas mortis, parvarum et labilium virium, perpetuitate*** (autem) ***donari, si spem muneris tanti Deum ad principem conferant.*** In editione sua idem Heraldus legendum conjecerat: ***ut spem***, etc. Pro ***conferant*** editio Elmenh. Hanov. habet ***conferimus***. ORELL.

Sed stulte istud credimus. Quid ad vos? Ineptissime, fatue. Ubi vobis nocemus? Ita legendum arbitror pro vitiosa scriptura. ***Quid ad vos? ineptissimæ fatuæ? ubi vobis nocemus***, etc. Hic igitur ait: Quid ad vos attinet, stulte istud credamus nec ne? immo ineptissime et fatue si credamus. Quam inde accipitis injuriam? HERALD. — Fulv. Ursinus legit ***ineptissimi, fatui***. Meursius: ***ineptissime fatui***, ut Plautus ait Mostellaria: ***Interdum inepte stultus est***, et Lactantius, lib. I, cap. 18. ***Quis tam stolide ineptus, est*** etc. Sed correctionem Heraldi equidem longe præfero. ORELL.

Et ab Orci faucibus, quemadmodum dicitur, vindicari. Nota ***quemadmodum dicitur***. Hoc enim proverbialiter efferebatur, et eum dicebant Orci faucibus ereptum, qui præsenti et capitali aliquo periculo liberatus erat. Græci quoque habent suas in ista re phrases παροιμιώδεις Sic dicunt aliquem extrahere καὶ ἐπαναγαγεῖν εἰς τὸν ἥλιον ἐκ τῶν πυλῶν τοῦ Ἀχέροντος, et similia. Tit. Livius, lib. IX, cap. 6, de Romanis, qui Furculis Caudinis circumsepti fuerunt, et tandem ignominia accepta dimissi: ***Per hostium oculos***, inquit, ***cum ex saltu evasissent, etsi velut ab inferis extracti tum primum lucem adspicere visi sunt, tamen ipsa lux ita deforme intuentibus agmen omni morte tristior fuit.*** Loquendi ratio Latinis et Græcis usitata. Artemidorus, lib. II, cap. 60: Φαμὲν ἐν τῇ συνηθείᾳ τὸν παρὰ προσδοκίαν σωθέντα ἐξ ᾅδου ἀναβεβηκέναι. Florus, lib. II, cap. 6. ***Interim respirare Romanus, et quasi ex inferis emergere.*** HERALD. — Conf. Reiff. ad Artemidor., lib. I, pag. 398; et Welsten., ad Epist. ad Ephes., IV, 9. ORELL.

LIV. — ***Et cura inspiciendum non parva.*** Οὐχ ὀλιγώρως. HERALD.

C ***Ut mala cuncta, etiam ejus voluntate intelligantur enasci.*** Augustin., de Civit. Dei, l. XX, c. 1. ***Nullus hominum agit recte, nisi divino adjuvante auxilio; nullus dæmonum aut hominum agit inique, nisi divino, eodemque justissimo Dei judicio permittatur.*** Cf. Ambros. Hexæmeron, l. I, c. 8. Augustin., in Joann., tract. XLII, c. 8. ELMENH.

Mali esse conscium generatoremque nullius. Sextus in Sententiis: ***Mali nullius auctor est Deus.*** Prudentius Hamartigen.

Inventor vitii non est Deus, angelus illud
Degener infami conceptum mente creavit.

Hæret Arnobius in disputatione de natura mali; nec se extricare difficili in quæstione satis liquide potest. Dupliciter appellatur malum in SS. Litteris: nimirum: ***malum culpæ et malum pœnæ.*** Prioris, secundum Patres ecclesiasticos, auctor est diabolus,
D alterius Deus. Vid. Augustin., contra Adamantium Manichæum, t. VI, c. 46, et de libero Arbitrio, l. I, c. 10; Chrysolog., serm. 9; Lactant., l. IV, c. 6; Gennadius, de Ecclesiast. dogm., c. 57. ELMENH.

Puncta per singula. Temporis scilicet. Sic ed. Lugd. Bat., cod., ms. habet ***cuncta per singala***, unde Gelinius cæterique fecerunt ***cuncta per sæcula***. ORELL.

Et facinoribus. Ita correxit Gelenius. Antea legebatur ***et favoribus***. HERALD.

Nam stoliditas inveniri quæ inanior potest. Ita editio princeps et cæteræ eam secutæ, excepta Lugd. Bat. quæ ex conjectura Salmasii habet: ***inveniri quæ major potest.*** Cod. ms habet ***immanior***, quod de sævitia, crudelitate similibusque vitiis, vel saltem de stultitia, stoliditate, conjuncta cum crudelitate, dici potest; de simplici stoliditate non item. Vide supra, ad l. I, c. 5, verba ***immanis ille Xerxes*** annotationem Heraldi. ORELL.

LV. Quæ cum esse consenserimus victi, et universa his scatere nominaliter annuerimus humana consequotur ut rogitent, cur ergo hæc mala Deus omnipotens non aufert, sed esse perpetitur, et cum omnibus sæculis pertinaci continuatione procedere? Si intellectus nobis affuerit Dei regis, ac principis, nec per impias vagari suspicionum voluerimus insanias, respondeamus necesse est, nescire nos ista: nec quæ nullis possent facultatibus comprehendi, expetisse aliquando aut studuisse cognoscere, meliusque ducentes, quinimmo potius magis in inscientiæ finibus atque ignorantiæ permanere, quam sine Deo dicere nihil fieri (per voluntatem), ut simul intelligatur, et malis eum causas dare, et miseriarum esse innumerabilium conditorem. Mala ergo, dicetis, unde sunt hæc omnia? Ex elementis, inquiunt, et ex eorum inæquabilitate, sapientes; quod fieri qui possit, ut quæ sensum et judicium non habent, maliciosa esse perhibeantur et noxia: aut non ille sit potius malitiosus et noxius, qui res pessimas futuras in alicujus operis assumpsit effectum, eorum est, qui asserunt, pervidere. Quid ergo nos, unde? Responsionis necessitas nulla est, sive enim possumus dicere, sive minus valemus, nec possumus, utrumque apud nos parvum est; nec in magnis ponderibus ducimus vel ignorare istud, vel scire, unum solum posuisse contenti; nihil a Deo principe quod sit nocens atque exitiale, proficisci. Hoc tenemus, hoc novimus, in hac una consistimus cognitionis et scientiæ veritate; nihil ab eo fieri, nisi quod sit omnibus salutare, quod A dulce, quod amoris et gaudii lætitiæque plenissimum; quod infinitas habeat atque incorruptibiles voluptates, quod sibi quisque contingere votis omnibus expetat, forisque ab his esse exitiabile ac mortiferum ducat.

LVI. Cætera quæcumque sunt alia, quæ in quæstionibus assoleut controversiisque versari, quibus genitoribus orta sint, vel quibus actoribus fiant, neque nosce contendimus, neque inquirere aut vestigare curamus; suis omnia relinquimus causis, nec ad id quod expetimus, esse nobis adjuncta atque applicata judicamus. Quid est enim quod humana ingenia labefactare, dissolvere studio contradictionis non audeant, quamvis illud, quod infirmare moliuntur, sit purum, et liquidum, et veritatis obsignatione mu- B nitum? Aut quid rursus asserere verisimilibus argumentis non queunt, quamvis sit apertissime falsum, quamvis evidens manifestumque mendacium? Cum enim sibi persuaserit quis esse aliquid, aut non esse, amat quod opinatur asserere, et acumine alios anteire, maxime si agatur res summota, et abdita[a], et caligine involuta naturæ. Mundum quidam ex sapientibus existimant neque esse natum[b], neque nullo esse in tempore periturum; immortalem nonnulli, quamvis eum conscribant esse natum et genitum. Tertiis vero collibitum dicere est, et esse natum, et genitum, et ordinaria necessitate periturum. Et cum ex istis opinionibus trinis unam esse necesse sit veram, cunctis tamen argumenta non desunt, quibus et sua decreta C confirment, et aliorum subrumpant et labefaciant

LECTIONES VARIANTES.

[a] Abditæ *ms male*.

[b] Siccatum *ms male*.

COMMENTARIUS.

LV. — *Nominaliter*. Sic auctor pro *nominatim*, qui et infra, l. VII, *nominitamus* dixit pro *nominamus*. NOURRIUS.

Quinimmo potius magis. De duplicis hujus comparativi abundantia vide infra, ad l. VII, c. 18. ORELL.

Quam sine Deo dicere nihil fieri (per voluntatem). Id est sine Dei voluntate. Cum ait igitur *per voluntatem*, explicat quod dixerat: *sine Deo*. Quare nihil mutandum existimo. HERALD. — Editio Lugd. Bat. habet: *Quam sine Dei dicere nihil fieri voluntate*. Mihi verba *per voluntatem* glossema videntur scioli cujusdam librarii in margine explicare volentis, quid sit *sine Deo*: quare uncis inclusi. ORELL.

Nec in magnis ponderibus ducimus. Sic emendavit Meursius. Antea *duximus*. Est autem *in magnis ponderibus ducere* idem quod *in magno (negotio) habere*, ἐν μεγάλῳ τίθεσθαι, ποιεῖσθαι περὶ πολλοῦ ap. Græcos. Vid. Casaubon. ad Sueton. Cæsar., c. 23, p. 130, vol. III, ed. Wolf. ORELL.

LVI. — *Mundum quidam ex sapientibus æstimant neque esse natum, neque ullo in tempore periturum*. Heraclitus Ephesius ap. Clementem Alex., l. VI, Stromat., p. 255 (711, ed. Potter., ubi vid. ejusd. notam); Aristoteles apud Lactant., l. II, c. 10; Cic., Tusc., l. I, 29. et Plinius, Hist. nat., l. I, c. 1, Conf. Jun. Philargyr., ad II; Georg. Virgil., v. 6; Plutarch., de Placit. Philos., l. II, c. 4; Ambros., l. I, Hexameron, c. III et V. ELMENH. Conf. de toto hoc loco Ant. Delrio ad Syntagm. Tragœd. lat., P. III, p. 532 seq. ORELL.

Immortalem nonnulli quamvis eum conscribant esse natum et genitum. Platonis dogma. Ὅτι (scribit ille in Timæo) αὐτὸς μὲν φθαρτός ἐστιν, ᾗ γέγονεν, οὐ λυθήσεται δὲ οὐδὲ τεύξεται θανάτου μοίρας διὰ τὴν βούλησιν τοῦ θεοῦ. Consentit et Hermes Trismegist., in Poemandr., c. 8. Ὁ πατὴρ αὐτὸς ἑαυτοῦ ἀΐδιος· ὁ δὲ κόσμος ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἀείζωος καὶ ἀθάνατος γέγονε. Conf. Apulei., de Dogm. Plat., et inprimis, J. Lips. Physiolog. Stoic. l. II, Dissert. XX, p. 951, sq. Op., t. IV, ed. Vesal. ORELL.

D *Et esse natum et genitum et ordinaria necessitate periturum*. Stoicorum sententia. Senec. Consol. ad Polyb., c. 20. *Ita est: nihil perpetuum, pauca diuturna sunt: aliud alio modo fragile est, rerum exitus variantur. Cæterum quidquid cœpit, et desinit. Mundo quidam minantur interitum, et hoc universum, quod omnia divina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit, et in confusionem veterem tenebrasque demerget*. Cf. ejusd. Quæst. Nat., l. III, c. 29, et J. Lips. Physiolog. Stoic., Dissert. XXI et XXII, p. 952 seqq., qui omnia loca diligenter collegit. ORELL.

Aliorum subrumpant et labefaciant scita. Ms. *subrupiant*, quod tuetur Meursius in Append. sed vellem nobis hujus verbi explicationem dedisset. Fulv. Ursinus et Modius *subruant*. Pro *scita* libri omnes *secreta*, quod ortum videtur a librario male legente v. *scita* et pro abreviatione τοῦ *secreta* habente. Vid. J. Fr. Gronov., ad Macrob., in Somn. Scip., c. 17, l. II, p. 185. ORELL.

A scita. Eumdem hunc alii elementis ex quatuor tradunt, et pronuntiant stare, ex geminis alii, ex singulis tertii; sunt qui ex his nullis, et individua corpora ejus esse materiem et primam originem dicant. Cumque ex his vera sit [a] una sententia, aut nulla ex his certa, similiter hic quoque argumenta omnibus præsto sunt, quibus et ea quæ dicunt, vera esse constituant et redarguant positas in aliorum sententiis falsitates. Sic et deos nonnulli esse abnegant; prorsus dubitare se alii an sint uspiam, dicunt; alii vero existere, neque humana curare; immo, alii perhibent, et rebus interesse mortalium, et terrenas administrare rationes.

LVII. Cum ergo hæc ita sint, neque aliter fiat, quin sit unum ex omnibus verum, pugnant tamen argumentis omnes, neque singulis deest id, quod probabiliter dicant, sive cum suas res asserunt, sive B cum alienis opinionibus contradicunt. Non alia, neque absimili ratione de animarum ab his conditione disseritur. Hic enim eas retur et esse perpetuas, et superesse mortalium functioni: superesse ille non credit, sed cum ipsis corporibus interire. Alterius vero sententia est, nihil eas continuo perpeti, sed post hominem positum aliquid eis ad vitam dari: mortalitatis deinde in jura succedere. Et cum omnia nequeant veri esse consortia, ita tamen fortibus et validissimis probationibus omnes agunt, ut reperire non possis, quidnam tibi videatur falsum: quamvis ex omni parte diversa dici aspicias, et rerum contrarietatibus dissona. Quod utique non fieret, si certum aliquid tenere curiositas posset humana, vel quod videretur inventum, aliorum omnium comprobaretur assensu. Inanissima igitur res est, et supervacuit operis, tamquam scias aliquid promere: aut velle scire contendere: quod etsi sit verum, posse videas destrui: aut acceptare pro vero id quod forsitan non sit, et ex more hallucinantium proferatur. Et merito res ita est. Non enim divina divinis, sed rationibus

LECTIONES VARIANTES.

[a] Versa sunt *ms.*

COMMENTARIUS.

Eumdem hunc alii elementis ex quatuor tradunt et pronuntiant stare, ex geminis alii, ex singulis tertii. Vid. Lips., de Physiolog. Stoic., l. II, Dissert. XI, p. 922, seq., t. IV, ed Vesal. Ubi autem de philosophis plus minusve quatuor elementis statuentibus ne γρῦ quidem legimus, excepto uno depravato loco Senecæ, ubi tria statuuntur, aqua, terra, spiritus. Videtur itaque Arnobius hoc loco partes, quibus mundum constare definiebant veteres philosophi, male C cum elementis confudisse, et de illis, qui dividebant mundum in *cœlum* et *terram*, dixisse, eos duo; de aliis, qui dicebant, mundum esse materiam, affirmasse, istos unum elementum statuere. *Stare* autem pro *constare*, ut sæp. Lactant., de Opificio Dei, c. IV, § 22. *Vides igitur, omnem hominis rationem in eo vel maxime stare, quod nudus fragilisque nascitur, quod morbis afficitur, quod immatura morte mulctatur.* Ubi vid. Bunemann. *Singula* autem hoc loco non *unum post alterum*, sed *unum, unicum*, absolute, cujus vero significationis exempla apud alios scriptores frustra quæsivi. Dubito itaque annon legendum sit: *Ex singulo tertii.* Singularis numerus verbo *singuli* usitatus apud antiquiores (vid. Gesner. in Thesaur.), quorum studiosissimus imitator est Arnobius. Id.

Ex geminis alii. Vulgi sermone bina elementa appellabantur terra et aqua, vel terra et mare. Sic Ammianus Marcellinus, lib. XVII, cap. 13, § 19: D *Ita per elementum utrumque Sarmatas Vincentium ira virtusque delevit* (Ubi vid. Wagner, pag. 294), et Chariton, lib. VII, cap. 5, § 10, init.: ἐν ἀμφοτέροις γὰρ τοῖς στοιχείοις ὁ πόλεμος ἀκμάζει, ubi ex recentioris latinitatis et græcitatis scriptoribus nubem exemplorum citat d'Orville, pag. 579, ed. Lips. Arnobius autem loquens hoc loco de philosophorum placitis, videtur illos intelligere, qui duo rerum principia statuerunt, *siccum et humidum*, priori terram et ignem, alteri accensentes aquam et aerem. ORELL.

Individua corpora. Atomi Epicureorum. ORELL. Cic. de Nat. deor., II, 37. OCHSNER.

Sic et deos nonnulli esse abnegant. Verbi causa, Diagoras Melius, Theodorus Cirenaicus. ORELL.

Aut nulla ex his certa. Meursius, *ut nulla*, etc. Male. ORELL.

Prorsus dubitare se alii, an sint uspiam, dicunt. Protagoras ap. Laertium, IX, segm. 51: Περὶ θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὔθ' ὡς εἰσίν, οὔθ' ὡς οὐκ εἰσίν, πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥ τε ἀδηλότης, καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου. Ubi vid. quos laudat Menagius, pag. 420, vol. II, ed. Meibon. Conf. Cic., de Nat. deor., lib. I, c. 23, ibique Davis. HERALD. et ORELL.

Alii vero existere, neque humana curare. Epicurei. ORELL.

Immo alii perhibent et rebus interesse mortalium, etc. Plato et Stoici. ORELL.

LVII. — *Superesse ille non credit, sed cum ipsis corporibus interire.* Epicureorum sententia et Dicæarchi peripatetici. Vid. Cic., Tusc. I, cap. 21. ORELL.

Sed post hominem positum aliquid eis ad vitam dari, mortalitatis deinde in jura succedere. Hæc erat Stoicorum sententia. M. Tullius, Tusc. Quæst. I, cap. 31: *Stoici autem usuram nobis largiuntur tamquam cornicibus; diu mansuros aiunt animos; semper negant.* Sic autem dicit *hominem ponere*, ut alii *hominem* (id est corpus) *exuere*. HERALD. — Possis etiam explicare *post hominem positum*, id est, *humatum, compositum sepulchro*. Ita Lucret., lib. III, 883, seq.

Proinde ubi se videns hominem miserarier ipsum,
Post mortem fore, ut aut putrescat corpore posto.

Ubi vid. Lambin. Cæterum de hac Stoicorum sententia, vid. Just. Lips., Physiol. Stoic., lib. III, cap. 11. Th. Gataker., ad Antonin., IV, 21, et Davis., ad Ciceronis, l. l. ORELL.

Dissona. Alii *dissonare*. ORELL.

Aut velle scire contendere. Clarius: *aut scire velle contendere* (*behaupten wollen, dass man es wisse*). Sed trajectiones istas amat Arnobius. HERALD. Itaque non opus habemus duplici conjectura Meursii: *aliquid promere velle et scire contendere*, aut *velle scire contendere*. ORELL.

Posse videas destrui. Ita cod. ms. quam lectionem verissimam male mutavit Gelenius in *posse id adstruere*. Neque video quid difficultatis in his verbis repererit Meursius. Atque *destrui* nihil aliud est quam *negari, contendi, quod non sit*. ORELL.

Hallucinantium. Fulgentius *hallucinari* interpretatur *vana somniare*, *tractum ab allucitis*, *quos κώνωπας dicimus*. Nonio autem denotat *aberrare*, *non consistere*. STEWENH. Ab ἀλύειν derivat A. Gellius, lib. XVI, c. 12, ubi vid. Gronov. et Voss., Etymol. rom. ORELL.

Sed rationibus pendimus et connetamur humanis.

pendimus et commetamur humanis; atque ut fieri meruisse quid remur, ita esse oportere contendimus.

LVIII. Quid ergo nos soli ignoramus, nescimus, quisnam sit animarum conditor, quisnam constitutor? quæ causa [a] hominem finxerit? mala unde proruperint? vel cur ea rex summus et esse patiatur, et confici, neque a rebus propellat humanis? Vos enim horum quidquam exploratum habetis, et cognitum? Si suspicionum exponere volueritis audaciam, potestis explicare, ac promere, mundus iste, qui nos habet, utrum non sit genitus, an tempore in aliquo constitutus? Si constitutus, et factus est, quonam operis genere, aut rei cujus ob causam? Potestis inducere, atque expedire rationem, cur non fixus, atque immobilis maneat, sed orbico semper circumferatur in motu? sua ipse se sponte, et voluntate circumagat; an virtutis alicujus impulsionibus torqueatur? locus ipse, ac spatium in quo situs est, ac volutatur, quid sit? infinitus [b], finitus? inanis, an solidus? axis eum sustineat extremis cardinibus nitens; an ipse se potius vi propria sufferat, et spiritu interiore suspendat? Potestis interrogati planum facere, scientissimeque [c] monstrare, quid nivem in plumeas subaperiat crustulas? quidnam fuerit rationis, et causæ, ut non ab occiduis partibus dies primus exurgeret, et lucem in oriente finiret? quemadmodum sol ipso uno, eodemque contactu tam varias res efficiat, quinimmo contrarias? quid sit luna, quid stellæ? cur una specie, aut illa non maneat, aut per omne mundi corpus frustilla hæc ignea convenerit, atque oportuerit, figi? cur alia ex his parva, ampliora et majora sint alia, obtusi hæc luminis, acutioris illa et fulgidæ claritatis?

LIX. Si præsto est quod libuerit scire, et in aperto rerum est scientia constituta, edissertate, et dicite [d], quibus modis fiant et rationibus pluviæ? ut in superis partibus, atque in aeris hoc medio suspensa aqua teneatur, natura res labilis, et ad fluorem semper decursionemque tam prona? Edissertate, inquam, et dicite quid sit quod grandinem torqueat? quod guttatim faciat pluviam labi? quod imbres, ac nives plumeas, et fulgora dilatarit? ventus unde oriatur et quid sit? cur temporum vicissitudines institutæ, cum

LECTIONES VARIANTES.

[a] Qua causa *alii*.
[b] Infinitus an finitus *Fulv*.
[c] Inscientissimeque *ms male*.
[d] Et nobis edicite *ms bene*. Meurs.

COMMENTARIUS.

Hæc est lectio vetus, pro qua Gelenius: *commetamur*. Nolim quidquam temere mutare. Nam *commetari* fortasse dicit Arnobius ἀρχαίως pro *commetiri*. *Metari* autem olim pro *metiri*. Unde *castra metari*, quod interpretantur Græci: διαμετρεῖν χώρας τῷ στρατοπέδῳ, et στρατοπέδοις ἐπιτήδεια χωρία ἀναμετρεῖν καὶ διαγράφειν. HERALD.—Ed. Lugd. Bat. dedit *conjectamus*. Stewech. *commetimur*. ORELL.

LVIII. — *Mundus iste qui nos habet*. Fulv. Ursinus: leg. *qui nos ambit*. Sed nihil mutandum. ORELL.

Utrum non sit genitus, an tempore in aliquo constitutus. Sic editio Lugd. Bat., cod. ms.: *Utrumne sit genitus an tempore*, etc., quod Meursius correxit *utrumne sit genitus aut tempore in aliquo constitutus*. Sed *utrumne* requirere videtur *an* in sequenti membro. ORELL.

An tempore in aliquo constitutus. Meursius corrigit *aut tempore*, vel *ac tempore*, etc., cum in antecedentibus legisset *utrumne sit genitus*. ORELL.

Orbico ..... motu. Nonius: *orbicum* (ubi Merceri editio habet *orbitum*) *dictum per orbem. Varro γνῶθι σεαυτόν. Ut sidera cœli divum circum terram atque axem quæ volvuntur motu orbico*. Alii legunt *orbe toto*, male. ORELL.

Sua ipse se sponte et voluntate circumagat. Ita ed. Lugd. Bat. ex ms. In aliis deest *se*, quod defendere conatur Heraldus tamquam παθητικῶς dictum, ut *vertere*, *avertere*, *movere*, *terra movit*, et similia. Alii: *circumagatur*. ORELL.

Planum facere. Lucretius, II, vers 933:

> Huic satis illud erit planum facere atque probare.

ELMENH.

Quid nivem in plumeas subaperiat crustulas. Eleganter quidem dictum, et postea: *Quod imbres ac nives plumeas...... dilatarit*. Sed Martialis quoque de nivibus agens lib. IV, Epigr. 3:

> Aspice, quam densum tacitarum vellus aquarum
> Decidit in pectus Cæsaris inque sinus.

Nota *vellus aquarum*. Græci enim veteres nivem periphrastice appellabant ἐριῶδες ὕδωρ. Eustath. ad Dionys. Perieg. (vers. 678, pag 91, ed. H. Steph.) τὴν χιόνα ἐριῶδες ὕδωρ ἀστείως οἱ παλαιοί φασι, τοῦ σοφοῦ βασιλέως Δαβὶδ ἀφορμὴν ἐνδόντος αὐτοῖς, ὅτε εἴπῃ· διδόντος χιόνα αὐτοῦ ὡσεὶ ἔριον. Psalm. CXLVII. MEURS.—Similia de Scythis nivem, cum depluit, plumis avium assimilantibus refert Herodotus, lib. IV, cap. 31, ubi Wesselingius, pag. 294, apposite citat nostrum locum. Sic etiam intelligenda *regio Pterophoros*, memorata Plinio, Hist. nat., lib. IV, cap. 12. Pro *subaperiat* Stewechius legendum censet *suboperiat*, ut sit idem quod *condenset*, adducens locum Apuleii de mundo; *Nives autem colligi jactatione densarum nubium constat*. Sed nil mutandum. *Sub* in compositione verborum significat sæpissime causam aliquam obscuram et abditam. *Quid nivem in plumeas subaperiat crustulas* dictum itaque pro *quæ causa obscura, nobis incognita, nivem aperiat in plumeas crustulas*, hoc est in plumearum crustularum forma nobis ostendat, manifestet. ORELL.

Frustilla hæc ignea. Sic ab Arnobio stellæ vocantur, id est frusta parvula ignea. A diminuto enim nomine *frustum* factum est *frustillum*. Vide Plaut. Curcul., act. IV, scen. IV. NOURRIUS.

Convenerit atque oportuerit figi. Ita correxit Fulv. Ursinus, probante Heraldo. Cod. ms. et editio princeps *oportuerit figura*, nullo sensu: unde editor Lugd. Bat. fecit *figurari*. ORELL.

LIX. — *Quod nives plumeas et fulgora dilatarit*. Sic edidi cum Salmasio in editione Lugd. Bat., et ad Solinum, pag. 137. Cod. ms. habet: *et foliora dilatarit*, quod non intelligens Gelenius mutavit in *Æoli ora dilatarit*, inepte. Quis enim umquam dixerit, Æolum ore suo ventos emittere? Immo, ut ait

statui unum posset, et una esse species cœli, nihil ut rerum desideraret integritas? Quæ est causa, quæ ratio, ut maria salsa [a] sint, aut terrarum hæ dulces, aliæ sint amaræ, vel frigidæ? Quo ex materiæ genere humanorum corporum concreta [b] et stabilita sunt viscera, unde ossa solidata? quid intestina, quid venas fistulatas, et commeabiles fecerit? Cur cum esset utilius oculis nos illuminare compluribus ad periculum cæcitatis, duorum sumus angustis applicati? A **Belluarum, et anguium tam infinita atque innumerabilia genera, cujus rei sunt causa vel informata, vel prodita? quid in mundo faciunt bubones, immussuli, buteones? quid alites et volucres cæteræ? quid formicarum et vermium genera, in varias labes perniciesque nascentia? quid pulices? quid impudentes muscæ, araneæ, sorices, mures, sanguisugæ, tippulæ? quid spinæ, quid sentes, quid avenæ, quid lolium? quid herbarum, aut fruticum, aut adolentia [c]**

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sola *ms.*
[b] Concreata *ms male.*
[c] *Ita Sab.* redolentia *alii.*

COMMENTARIUS.

Virgilius, Æn. I, vers. 56 seq. :

..... Vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit ac vinclis et carcere frænat.

Quid quod sequentia verba, *ventus unde oriatur*, mera essent repetitio τοῦ *quid Æoli ora dilatarit.* Stewech. legendum suspicatur : *Quod imbres ac nives in plumulas et foliola* (*Blüttchen, Flöckchen*) *dilatarit.* Nic. Heinsius, in P. Burmanni Anthol. lat., lib. v, epigr. 93, pag. 378, vol. II, corrigit : *Quod imbres geni* (pro *gigni*) *nives, pruinas, e poli rore dilatarit.* Sed unice vera videtur Salmasii emendatio. *Fulgora* enim in antiquis membranis sæpius scriptum repetitur *foliora*, ut *toja* pro *toga*, *Ilycias* pro *Glycias*, *nives plumeas* eodem sensu dicit Arnobius, quo Æschylus πτεραὶν χιών, et Solinus, cap. 15 : *Ultra hos* (*Arimaspos*) *et Rhiphæum jugum regio est assiduis obsessa nivibus : Pterophoron dicunt, quippe casus continuantium pruinarum quiddam ibi exprimit simile pinnarum.* Ubi vid. Salmas. lib. I.—Jam vero maximopere dubito de veritate lectionis. Arnobius enim hoc loco loquitur de phenomenis non igneis sed aquosis. Quid quod et *dilatare fulgura* dici posse vix crediderim. Quare legendum censeo : *Quod nives in plumas* (vel cum Stewechio *in plumulas*) et foliola dilatarit. ORELL.

Aut terrarum. Fulvius Ursinus nescio qua causa mutat *cæterarum aquarum. Terrarum* scil. *aquæ*, quod cogitatione subintelligendum ex præcedenti *maria*, quasi dixerit Arnobius *aquæ maris.* At lenissima videtur, immo unice vera et in textum recipienda emendatio doctissimi Wakefield., in Silv. Crit., tom. III, sect. 145, pag. 132 : *Aut terræ aquarum hæc dulces*, etc. ORELL.

Quid venas fistulatas et commeabiles fecerit. Fecerit puto errorem fuisse ipsius Arnobii properanter scribentis et a directa interrogatione transilientis in indirectam : quare nihil mutandum censeo. Contextus flagitaret *fecit.* Meursius etiam in præcedentibus verbis *solidata sunt* conjunctivum *sint* reponit, et sequentia ita legit : *Quid in mundo faciant bubones*, etc. ORELL.

Immussuli. Festus : *Immustulus ales ex genere aquilarum est, sed minorum virium, quam aquilæ : quæ volucris raro et non fere, præterquam vere, apparet, quia æstum algoremque metuit ; appellatur autem ita, quod subito et inexspectata se immitat.* Idem : *Immusculus... avis genus, quam alii regulum, alii ossifragam dicunt.* Ubi interpretes demonstrant, *immusculum et immustulum* Festi et *immusulum* vel *immussulum* Arnobii et Glossariorum veterum esse unum idemque, nempe aquilæ genus. Plinius, Hist. Nat., lib. x, cap. 7 : *Immussulum augures Romani magnæ quæstionis habent. Aliqui vulturis pullum arbitrantur, Massurius autem pullum aquilæ, priusquam albicet cauda.* Etymon vocis diligenter excutit G. I. Vossius, in Etymol. rom., hoc verbo. ORELL.

Buteones. Buteo avis auguralis de genere accipitrum. Plinius, Hist. Nat., lib. x, cap. 8 : *Accipitrum* B *genera sedecim invenimus...... Triorchem a numero testium, cui principatum in auguriis Phemonoë dedit : buteonem hunc appellant Romani. familia etiam* (e gente scil. Fabiorum) *ex eo cognominata, cum prospero auspicio in ducis navi sedisset.* Ubi Harduinus eumdem esse putat, quem Gallorum aucupia *Milan* appellant, non confundendum cum *milvo*, ἰκτίνῳ Græcorum, cui fulvus color, buteoni niger est. Aristoteles, Hist. Anim., lib. IX, cap. 36 : Τριόρχης κράτιστος τῶν ἱεράκων, ubi vid. Scaliger. Festus : *Alites volatu auspicia facientes istæ putabantur : buteo, sanqualis, immusculus, aquila, vulturius.* Conf. eumd. verbo *Buteo* et, qui hac de avi multus est, G. I. Voss., in Etymol. rom., Germanis dicitur *Bushard.* Inventius in Elegia de Philomela, vers. 42 :

Inque paludiferis butio butit aquis.

C per buteonem intelligere videtur avem aliquam palustrem, fortassis ardeam stellarem, *die Rohrdommel.* ORELL.

Quid alites et volucres cæteræ. Alites Romanis dicebantur aves, quæ alis et volatu, *oscines*, quæ ore canentes faciebant auspicium. Vide Fest., verbo *lates* et *oscines.* Cic., de Nat. deor., II, 64, et ad Fam., lib. VI, epist. VI, ibique Manut. qui de iis multus est, et Vossi., Etymol. rom., verbo *ales.* Hic itaque distinguere videtur Arnobius *alites*, aves augurales a cæteris volucribus, quorum nullus usus erat in auspiciis. ORELL.

Quid impudentes muscæ. Infra, lib. VI : *Quibus volatus innectare stridularum possint imprudentiumque muscarum.* HERALD.

Sorices. Vide supra ad cap. 52. ORELL.

D *Tippulæ.* Festus : *Tippula bestiolæ genus sex pedes habentis, sed tantæ levitatis, ut super aquam currens non desidat.* Plaut., (Pers., act. II, scen. II :)

Neque tippulæ levius pondus est, quam fides lenonia.

ubi vid. intpp. Germ. *die Schnake.* ORELL.

Quid avenæ, quid lolium? Conjungit etiam Virgilius Georg., I. vers. 153 :

Infelix lolium et steriles dominantur avenæ.

ubi vid. Voll. Servius., ad Eclog. Virgilii, vers. 37 : *Steriles autem avenas secundum situm Italiæ dixit, nam in Thracia frugiferæ sunt.* Ex quo loco conjicit et pluribus demonstrat Salmasius ad Solinum, pag. 153, seq., Romanos nullam aliam avenam novisse præter hanc sterilem et sponte provenientem, inter frumenti vitia annumerandam : nihil itaque de ejus satione legi apud antiquos scriptores, de Agricultura.

naribus, aut tristia in odoribus semina? Immo, si A aliquid sciri, comprehendi aut aliquid posse censetis, quid sit triticum, dicite: far, hordeum, milium, cicer, faba, lenticula, melonula, cuminum [a], porrina, ulpicum, cepe? Non enim si fructui vobis sunt, et ciborum mediis in generibus constituta, expeditum, aut promptum est, quid sint singula, scire: cur talibus figurata sint formis? fuerit necessitas aliqua, ut non alios sapores, alios odores, alios colores, quam quos habent singulæ res, habere debuerint, an et alios potuerint sumere? Ipsa deinde hæc quid sint, sapor dico, ut est sapor, et cætera qualitatum [b] distantias quibus ex rationibus ducant? Ex elementis, inquitis, et ex principalibus originibus rerum. Amara sunt enim elementa, vel dulcia, odoris sunt alicujus, vel oloris, ut ex eorum concretione credamus partitas B esse in nascentibus qualitates, quibus aut suavitas nascitur, aut sensibus offensio comparatur?

LX. Cum igitur et vos ipsos tantarum ac tot rerum fugiant origines, fugiant causæ, fugiant rationes, neque explanare possitis quid sit factum, aut quare, aut cur oportuerit non esse, verecundiam convellitis et dilaceratis nostram: qui quæ nequeunt sciri, nescire nos confitemur, neque ea conquirere aut investigare curamus, quæ comprehendi liquidissimum est non posse, quamvis mille per corda suspicio se porrigat atque intendat humana. Et ideo Christus licet C vobis invitis Deus, Deus inquam Christus, hoc enim sæpe dicendum est, ut infidelium dissiliat et dirumpatur auditus, Dei principis jussione loquens sub hominis forma, cum mortalium sciret cæcam esse naturam, neque ullam posse comprehendere veritatem, positarum nec ante oculos rerum, pro comperto habere, et cognito, quidquid sibi esse suasisset, et prorsus [c] suspicionibus hæsitare, litigiosas serere atque intendere quæstiones: omnia ista nos linquere et posthabere præcepit: neque in res eas, quæ sint a nostra procul cognitione dimotæ, infructuosas immittere cogitationes. Sed quantum fieri potis est, ad dominum rerum tota mente atque animo proficisci, sustolli ab his locis, atque in eum traducere suspensas pectoris conversiones, memoriam ejus habere perpe-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Corrige:* melo, inula, cuminum. *Ms. vitiose:* melo, cuminum.

[b] *Ita Fulv.*

[c] Nec prorsus *ms.*

COMMENTARIUS.

Avena itaque hoc loco Græcorum αἰγίλωψ, *wilder, tauber Hafer*, bene distinguenda a βρόμῳ, avena frugifera et sativa, quam a Thracibus Servius l. l., a Germaniæ populis seri, nec alia pulte eos vivere, Plinius memorat Hist. Nat., lib. XVIII, cap. 17. ORELL.

Aut tristia in odoribus semina. Stewech. legend. conj. *tristia nidoribus semina*, male: *nidor* enim solummodo significat odorem rerum incensarum, adustarum, nunquam odorem florum aut herbarum. Guil. Canter., Var. Lectt., II, 22, pag. 584, putat, una voce legendum *inodoribus*, id est nullis vel malis odoribus, quemadmodum Lucretius dixerit *intactus* pro *nullus tactus*. Sed fateor me frustra quæsivisse in Lucretio substantivum *intactus*, et nihil mutandum, nam præpositiones *in*, *ex*, *sub* apud Arnobium sæpissime παρέλκειν supra observavimus. Cæterum in præcedentibus verbis pro *redolentia* Salmasius edidit *suaveolentia*. Sed nil mutandum. Nam *redolere* absolute positum semper fere lenem aliquem suavemque odorem significat. Ita apud Ovidium, Met., VIII, vers. 675: *Et in patulis redolentia mala canistris.* Frustra tentarunt alii legentes, *halantia*, alii *ridentia*. ORELL.

Melo. Ita ms. Legunt alii *inula*. Vocamus nunc enulam a græco forte ἑλένιον. Inula vero (*Alant*) proritat stomachum, et excitat appetitum · duplicis est generis; D acidæ sunt aliæ, aliæ amaræ. Vid. Plin., lib. XIX, cap. 5; Horat., II, sat. II:

> Atque acidas mavult inulas.

et eodem libro sat. VIII:

> . . . . Inulas ego primus amaras
> Monstravi incoquere.

PRIOR.

Porrina. In fœm. genere pro *porro* usurpavit etiam Cato de Re rust. cap. 47. ut *cepina* pro *cepa* apud Columell., XI, cap. 3, § 56, ed. Schneider. ORELL.

Ulpicum. Genus allii grandius, quod Græci, ut refert Columella (de Re rust., lib. XI, cap. 3) ἀφροσκόροδον, quidam allium Punicum vel Cyprium sicuti docet Plinius (Hist. Nat., lib. XIX, cap. 6), alii *antiscorodon* appellant. De illo Plautus cecinit (in Pœnuli, act. V, Scena. 5.):

> . . . . Tum autem plenior
> Allii ulpicique, quam sunt Romani remiges.

Videsis adhuc Palladium de Re rust., lib. XII, cap. 6. NOURR., p. 570.

Sapor dico, ut est sapor, et cætera. Ita correxit Meursius et ed. Lugd. Bat. *ut est sapor*, scil. in singulis rebus, quod subintelligendum ex antecedentibus. Cod. ms. *id est sapor*, nullo sensu. Equidem autem Heraldo verba hæc de Glossemate suspecta habenti legentique *sapor dico et cætera* prorsus assentior. Celerstin Arnobius hoc loco expressit versum Lucretii, lib. III, vers. 268.

> Est odor, et quidam calor et sapor, et tamen ex his
> Omnibus est unum perfectum corporis augmen.

ORELL.

Odoris sunt alicujus vel oloris. Lectionem hanc probaverunt viri doctissimi, Meursius in Append. C. Barthius, Advers., lib. XXXVII, cap. 6, pag. 1684; Colvius et Oudendorp., ad Apulei., Met., lib. I, pag. 57. Opponit nimirum Arnobius, ut *dulcia amaris*, ita et *odorem olori*, id est bonum, suavem odorem malo et tetro. *Olor* scil. est malus odor, fœtor. Gloss. Isidor. *Olacitas..... fœtulentia, olor.* Apulei. l. l. *At ille olore alioqui spurcissimi humoris percussus, quo me Lamiæ illæ infecerant, vehementer aspernatur.* Ita apud Virgil, Georg., IV, 49. aliquot membranæ habent: *Aut ubi olor cœni gravis*, etc. pro *odor*. Editor Lugd. Bat. ex ms. dedit: *Odoris sunt alicujus vel coloris*, quod quidem defendi posset, ut sensus sit: *Odoris sunt alicujus vel coloris aut suavis aut injucundi*, quod subintelligendum e proxime sequentibus verbis: et ista lectio præcedentibus etiam, *fuerit necessitas aliqua, ut non alios sapores, alios odores, alios colores..... habere debuerint*, apprime congrua, ita ut dubitem, utra hoc loco præferenda sit. ORELL.

LX. — *Dissiliat et dirumpatur auditus.* Cicero pro domo sua ad Pontifices: *Disrumpatur licet ista furia, atque audiat hæc ex me.* ELMENH. Virgil., Eclog. VII, 26....

> Invidia rumpantur ut illa Codro.

ORELL.—Hemsterh. ad Lucian. Timon., § 40. OCHSNER.

tuam : et licet nulla possit imaginatione formari, auras tamen nescio quas sibi contemplationis affingere. Rebus enim ex omnibus, quas augustæ continet divinitatis obscuritas ; solum esse indubitabilem, solum verum, et de quo nullus ambigere, nisi amens possit, et desperationis insanæ, quem satis sit scire, ut nihil aliud noveris : sisque verum, et maximam scientiam consecutus, in Deo[a] rerum capite et cognitione defixus.

LXI. Quid est, inquit, vobis investigare, conquirere, quisnam hominem fecerit? animarum origo quæ sit? quis malorum excogitaverit causas? orbe sit sol amplior, an pedis unius latitudine metiatur? alieno ex lumine, an propriis luceat fulgoribus luna? quæ neque scire compendium, neque ignorare detrimentum est ullum. Remittite hæc Deo, atque ipsum scire concedite, quid; quare, aut unde sit; debuerit esse, aut non esse; semper natum sit aliquid, an ortus primigenios habeat : aboleri conveniat, an reservari;

A exuri, dissolvi, an repetita integritate renovari. Vestris non est rationibus liberum implicare vos talibus, et tam remotas inutiliter[b] curare res. Res vestra in ancipiti sita est, salus dico animarum vestrarum, et nisi vos applicatis Dei Principis notioni, a corporalibus vinculis exsolutos expectat mors sæva, non repentinam afferens extinctionem, sed per tractum temporis cruciabilis pœnæ acerbitate consumens.

LXII. Neque illud obrepat, aut spe vobis aeria blandiatur, quod a sciolis[c] nonnullis, et plurimum sibi arrogantibus dicitur; Deo esse se gnatos, nec fati obnoxios legibus; si vitam restrictius egerint, aulam sibi ejus patere, ac post hominis functionem prohibente se nullo tamquam in sedem referri patritam; neque quod Magi spondent, commendatitias habere

B se preces, quibus emollitæ nescio quæ potestates vias faciles præbeant ad cœlum contendentibus subvolare; neque quod Etruria libris in Acheronticis

LECTIONES VARIANTES.

[a] In Dei. *ms. male.*

[b] Remota inutilitate *ms. Lego :* remotas inutilitate curare res vestra. In ancipiti, *etc.* Meurs.

[c] Ab sciolis *ms.*

COMMENTARIUS.

Auras tamen nescio quas ejus sibi contemplationis affingere. Auras hoc loco dixit Arnobius pro, leves quasdam umbras, exiles imagines sibi affingere. Ita Lactant., Inst., lib. III, cap. 17 : *Quod si vel exiguam veritatis auram colligere potuisset* (Lucretius), *nunquam diceret, ædes illum suas disturbare*, ubi vide Bünemann., et Hieronymus, Epist. ad Marcellam, 141. *Græcarum litterarum quamdam aurulam acceperat.* Eodem sensu αὖρα συνέσεως apud Epiphanium. Ita veteres appellant auram et afflatum vim omnem, quæ ab alio in alium transit, ut, cum exempli C causa consuetudine sapientium sapientes simus, doctorum docti. Vide Is. Casaubon., ad Persii Sat. I, vers. 123, pag. 157. Sed hoc loco insolentius dictum *contemplationis auras sibi affingere ;* et nescio, annon rectius legi possit : *auras tamen* (scil. *memoriæ ejus*) *nescio quas ejus sibi contemplatione affingere.* Orell.

Solum esse indubitabilem. Meursius, locum credens mutilum, legendum suspicatur : *solum esse indubitabilem, indubitabile est.* Male verba hæc pendent a præcedentibus *Christus præcepit*, etc.......... Pergit deinde : *Rebus enim ex omnibus*, etc. scil. dixit Christus : quod subintelligendum per syllepsin, figuram notissimam. Orell.

In Deo rerum capite et cognitione defixus. Aut excidit aliquid ante verbum *cognitione*, fortassis *mente et cognitione*, aut quod magis placet, legendum : *in Deo rerum capite et columine defixus*, quod familiare Arnobio. Vide supra ad lib. I, cap. 8. Orell.

D LXI. — *Orbe sit sol amplior, an pedis unius latitudine metiatur.* Vide Ciceron., Acad. Quæst., lib. II, cap. 26, ibique Davis. *Metiatur* passive. Sic Curtius, lib. V, cap. 1, fin. : *Ducenis pedestrium stipendium mensum est*, et Lactantius, de Mortibus persecut., cap. 23 : *Agri glebatim metiebantur*, ubi vid. Baldri, pag. 169. Orell.

An propriis luceat fulgoribus luna. Au reddidit Arnobio Meursius. Antea *ac propriis.* Orell.

Semper natum sit aliquid. Ita legendum cum Fulvio Ursino et Lugd. Batavo, neque audiendus Heraldus, veterem lectionem *supernatum*, vitiosam et e male intellecto scripturæ compendio *spernatum* ortam, logicis subtilitatibus defendere cupiens. Orell.

Res vestra in ancipiti sita est, salus dico animarum vestrarum. Ita ed. Lugd. Bat. Alii legunt ; *Vestra in ancipiti sita est salus animarum vestrarum.* Meursius, Fulv. Ursinus et Stewechius verba *animarum vestrarum* delent tamquam glossema. Forsitan scripsit Arnobius : *Vestra in ancipiti sita sunt, salus animarum vestrarum.* Orell.

LXII. — *Spe aeria.* Id est *cassa, inani*, ut explicat Meursius. Conf. Gesner., in Thesaur. Orell.

Quod a sciolis nonnulis et plurimum sibi arrogantibus dicitur. Ita correxit Gelenius, probante ed. Lugd. Bat. Cod. ms. *a scholis nonnullis*, id est a quibusdam philosophorum familiis, quam lectionem tuetur Heraldus : sed præfero *a sciolis.* Orell.

Si vitam restrictius egerint. Nazarius in Panegyr. Constant., c. 15 : *Illi veteres laudati vitæ moderatores, qui refrenandis cupiditatibus restricte contenteque vixerunt*, id est *parce contenteque*, ut ait Pacatus, in Panegyr. Theodos., cap. 18. Lactantius, de Ira Dei, cap. 20 : *Cur ergo, inquiet aliquis, et qui peccant, sæpe felices sunt, et qui pie vivunt, sæpe miseri? Quia fugitivi et abdicati libere vivunt ; et qui sub disciplina patris aut domini sunt, strictius ac frugalius.* Ubi vide Bünemann, pag. 1004. Orell.

Ac post hominis functionem. Functionem pro morte dicere amat noster. Vide supra caput 27 et 57 ejusdem libri : et bene observat Gesnerus in Thesauro, esse εὐφημίαν in hoc nomine, quo indicatur necessitas illa moriendi et fungendi illo ultimo officio. Orell.

Patritam. Ita ms. bene. Veteres enim *patritus*, quomodo *avitus*, dicebant. Varro Manio : *Funere familiari commoto, avito ac patrito more precabamur.* Idem Reip., lib. XX, *secundum leges habitasset patritas* Cicero, Tusc. I, cap. 19. *Patritam illam atque avitam, ut ait Theophrastus, philosophiam.* Meurs., *in Append.* Alii *patriam* quomodo et in Ciceronis loco citato edidit Davisius. Orell.

Libris in Acheronticis. Libros Acheronticos de sacris Acherontiis et ceremoniis scripsisse credebatur Tages. Servius ad Virgil., Æn., VIII, 399 : *Sciendum, secundum aruspicinæ libros et sacra Acherontia, quæ Tages composuisse dicitur, fata decem annis quadam ratione differri ; quod nunc dicit Vulcanus potuisse fieri*, etc. Herald. *Libros fatales* appellat Censorinus, de Die nat., cap. 14, ubi vid. Lindenbrog., pag. 66, ed. Haverc. Intelliguntur scil. libri cerimonias continentes ad Manes ex Acheronte eliciendos. Alii legend. censent *libris in Arunticis*, intelligentes sine dubio eos libros, quos Tarquinium a Sibylla magno pretio coemisse narrant Dionysius

pollicetur, certorum animalium sanguine numinibus certis dato, divinas animas fieri, et ab legibus mortalitatis educi. Blandimenta hæc cassa sunt, et inanium fomenta votorum. Servare animas alius, nisi Deus omnipotens non potest; nec præterea quisquam est, qui longævas facere, perpetuitatis possit et spiritum subrogare, nisi qui immortalis et perpetuus solus est, et nullius temporis circumscriptione finitus. Cum enim dii omnes, vel quicumque sunt veri, vel qui esse rumore atque opinione dicuntur, immortales et perpetui voluntate ejus sint, et beneficii munere; qui fieri potis est, ut alii præstare, id quod ipsi sunt valeant, cum alienum id habeant [a], et majoris potentiæ commodatum? Cædat licet hostias quantaslibet Etruria; humana sibi omnia sapientes negent; Magi cunctas emolliant et commulceant potestates; nisi a Domino rerum datum fuerit animis id, quod ratio postulat, idque per mandatum, multum postea pœnitebit fuisse irrisui [b], cum ad sensum [c] cœperit interitionis accedi.

LXIII. Sed si, inquiunt, Christus in hoc missus a Deo est, ut infelices animas ab interitionis exitio liberaret, quid sæcula commeruerunt priora, quæ ante ipsius adventum mortalitatis conditione consumpta sunt? Potestis enim scire, quid sit cum eis animis actum priscorum veterrimorumque mortalium? subventum et his an sit ratione aliqua, consultum atque provisum? Potestis, inquam, scire id, quod Christo potuit docente agnosci; infinita, an finita sæcula sint, ex quo in terris esse genus hominum cœpit? quando primum animæ corporibus illigatæ? quis auctor vinctionis istius, quinimmo ipsius quisnam hominis fabricator? quo priorum abscesserint animæ, quibus in

A mundi partibus, aut regionibus fuerint, corruptibiles, an contra? potuerintne accedere ad periculum moriendi, nisi tempore necessario conservator occurrisset Christus? Deponite has curas, et incognitas vobis relinquite quæstiones, miseratio et illis impertita est regia, et æqualiter per omnes divina beneficia cucurrerunt, conservatæ sunt, liberatæ sunt, et mortalitatis sortem conditionemque posuerunt. Quo genere, quæ, quando? Si arrogantia, si typhus, si elatio abesset a vobis, jamdudum eo scire potuistis auctore.

LXIV. Sed si generis Christus humani, inquitis, conservator advenit, cur omnino non omnes æquali munificentia liberat? Non æqualiter liberat qui æqualiter omnes vocat? aut ab indulgentia principali

B quemquam repellit, aut respuit [d], qui sublimibus, infimis servis, fœminis, pueris, uniformiter potestatem veniendi ad se facit? Patet, inquit, omnibus fons vitæ, neque ab jure potandi quisquam prohibetur, aut pellitur. Si tibi fastidium tantum est, ut oblati respuas beneficium muneris, quinimmo si tantum sapientia prævales, ut ea, quæ offeruntur a Christo, ludum atque ineptias nomines: quid invitans in te peccat [e], cujus solæ sunt hæ partes, ut sub tui juris arbitrio fructum suæ benignitatis exponat? Sortem vitæ eligendi [f] nulli est, inquit Plato, Deus causa, neque alterius voluntas adscribi potest cuiquam recte, cum voluntatis libertas in ipsius sit posita potestate, qui voluit. An numquid orandus es, ut beneficium salu-

C tis ab Deo digneris accipere, et tibi aspernanti, fugientique longissime, infundenda in gremium est divinæ benevolentiæ gratia? Vis sumere quod offertur, atque in tuos usus convertere? consulueris tu tibi.

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic ms.* Vel habeant *alii.*
[b] Me risui *ms. Lego*: derisui. Meurs.
[c] *Ita Gelen.* Absens cum *ms.*
[d] Desputt *ms.*
[e] Exspectat *ms. mendose.*
[f] Eligenti *ms.*

COMMENTARIUS.

Halicarn., Gellius, Lactantius, alii. At vero istorum librorum emptor nulli dicitur Aruns Tarquinius; sed aliis Tarquinius Priscus, aliis L. Tarquinius Superbus. Vid. Bünemann., ad Lactant. Inst., I, c. 6, pag. 41. Neo etiam *libri Arunlici* dici possunt libri ad averruncanda mala, procuranda infausta omina. Nam contractum ab *Averruncus* est *Arruncus*, *Arrungus*, *Arruncicus*, non *Aruntícus*. Itaque unice verum *Acheronticis*. ORELL.

Divinas animas fieri. Id est *immortales*. Vide infra ad cap. LXIV. ORELL.

Qui longævas facere, perpetuitatis possit et spiritum subrogare. Ita ex ms. edidit et interpunxit Salmasius, rectissime. Variant autem hoc loco editores. Fulv. Ursinus et Gelenius legit *longævæ eas facere perpetuitatis possit, et spiritum subrogare*, probante Stewechio. Canterus et Heraldus in Curis secundis *longevæ facere perpetuitatis possit*, etc. Sed verbo *perpetuitatis* referend. ad sequens *spiritum*, neque video, quid sibi velit *spiritum subrogare* absolute dictum. ORELL.

Humana sibi omnia sapientes negent. Fulv. Ursin. mavult *arrogent*, male. Respiciunt hæc ad jejunia et abstinentias, quibus magi veteres deorum apparitionem auxiliumque sibi conciliare arbitrabantur. ORELL.

Datum fuerit animis id. Animis apud Arnobium constanter pro *animabus*, quod semel monuisse sufficiat. Vide Bünemann. ad Lactant., Inst. VII, cap. 2, pag. 860. ORELL.

Cum ad sensum cœperit interitionis accedi. Ita Gelenius, acute. Ms. *cum absens cum*, etc., nullo sensu. MEURS., *in Append.*

LXIII. — *Quinimmo ipsius.* Ms. *Quinimmo potiuse. Vinctionis* in præc. debetur Meursio. Alii *Junctionis.* ORELL.

Deponite has curas. Ed. Lugd. Bat., *exponite* ex ms. ORELL.

Si elatio abesset a vobis, jamdudum eo scire potuistis auctore. Meursius et Fulv. Ursinus legendum censet

D *potuissetis.* Sed Latinos hoc modo, ut oratio sit eo certior, loqui docet Corte ad Sallust. Jugurth., cap. 85, § 48, et Fragm. Hist., lib. III, pag. 967. Ita Liv., lib. II, cap. 10. *Pons sublicius iter pene hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles.* Virgil., Æn., XI, 112.

Nec veni, nisi facta locum sedemque dedissent.

Et apposite ad nostrum locum Curtius, lib. IV, c. 12. *Quod si perculsis Mazacus supervenisset, ingens clades accipi potuit.* ORELL.

LXIV. — *Patet, inquit, omnibus fons vitæ*, etc. Respicere videtur Arnobius ad verba Christi, Job, VI, 35 et 37: Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρπος τῆς ζωῆς. Ὁ ἐρχόμενος πρὸς μέου μὴ πεινάσῃ· καὶ ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε..... Πᾶν ὃ δίδωσί μοι ὁ Πατὴρ πρὸς ἐμὲ ἥξει· καὶ τὸν ἐρχόμενον πρὸς μὲ οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω. ORELL.

Sortem vitæ eligendi nulli est, inquit Plato, Deus causa. Plato, de Republ., lib. X, pag. 617, ed. H.

Aspernaris, contemnis, et despicis? tu te muneris commoditate privaveris. Nulli Deus infert necessitatem, imperiosa formidine nullum terret. Neque enim necessaria nostra illi salus est, ut compendii aliquid dispendiive patiatur: si aut Deos nos fecerit, aut ad nihilum redigi corruptionis dissolutione permiserit.

LXV. Immo, inquit, si Deus est potens, misericors, conservator, convertat nobis mentes, et invitos faciat suis pollicitationibus credere. Vis ergo est ista, non gratia, nec Dei liberalitas principis, sed ad vincendi studium puerilis, atque inanis contentio. Quid est enim tam injustum, quam repugnantibus, quam invitis extorquere in contrarium voluntates, inculcare quod nolint, et quod refugiant animis? prius nocere, quam prosis, et priore detracto, in alienum habitum sententiamque traducere? Tu qui te verti, et vim desideras perpeti, ut id quod nolis efficias, atque arripias coactus: cur respuis assumere voluntate id, quod versus desideras atque immutatus efficere? Nolo, inquit, et voluntatem non habeo. Quid ergo criminaris Deum, tamquam tibi desit? opem desideras tibi ferre, cujus dona, et munera non tantum asperneris et fugias, verum in alia [a] verba cognomines, et jocularibus facetiis prosequaris. Christianus ergo ni

A fuero, spem salutis habere non potero? Ita est, ut ipse proponis. Partes enim salutis dandæ, conferendique animis quod tribui convenit necessariumque est applicari, solus a [b] Deo patre injunctum habet et traditum, ita se habentibus semotis atque interioribus causis. Ut enim dii certi certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates, neque eorum ab aliquo id quod ejus non sit potestatis ac licentiæ, postulatis: ita unius pontificium Christi est dare animis salutem, et spiritum perpetuitatis apponere. Si enim patrem creditis Liberum dare posse vindemiam, medicinam non posse: si Cererem fruges, si Æsculapium sanitatem, si Neptunum aliud, aliud posse Junonem, Fortunam, Mercurium, Vulcanum, rerum esse singulos certarum ac singularum datores: et hoc necesse
B a nobis est ut debeatis accipere, a nullo animas posse vim vitæ atque incolumitatis accipere, nisi ab eo, quem rex summus huic muneri officioque præfecit. Hanc omnipotens Imperator esse voluit salutis viam, hanc vitæ, ut ita dixerim, januam; per hunc solum est ingressus ad lucem, neque alia datum est, vel irrepere, vel invadere, cæteris omnibus clausis atque inexpugnabili arce munitis.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Inania *Fulv*.

[b] Ab *ms*.

COMMENTARIUS.

Steph., (ed. Bipont. vol. vii, pag. 330.) Ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον. ἣν τιμῶν καὶ ἀτιμάζων, πλέον καὶ ἔλαττον αὐτῆς ἕκαστος ἕξει· αἰτία ἑλομένου· θεὸς ἀναίτιος. Idem, de Rep. ii, pag. 379; Theodoret., de Provident., serm. vi, contra Græcos, pag. 95; Tertullian., de Exhort. Castit., cap. 2 Justin. Martyr, Apolog. ii, pro christianis, pag. 36. ELMENH.

Tu te muneris commoditate privaveris. Ita editio Lugd. Bat. e correctione Fulvii Ursini. Cod. ms. *tibi muneris commoditatem probaveris*, quod Heraldus in editione sua defendere conatur, explicans: vide an sit tibi commodum nec ne, munus istud accipere. Sed ipse in Curis secundis sententiam suam retractans probat emendationem Ursini. ORELL.

Si aut deos nos fecerit. Ita emendavit Gelenius pro eo quod antea legebatur: *si aut Deus nos fecerit.* Vere. *Deos* igitur dicit immortales. Gentiles defunctos *deos* appellabant. M. Tullius, libro de Legibus, ii: *Deorum manium jura sancta sunt. Hos letho datos deivos habento.* Vid. Plin., Hist. nat., lib. vii, cap. 55: Hinc *Dii manes*, δαίμονες passim in inscriptionibus monumentorum. Unde probat Prudentius, defunctos haberi a gentibus deos, libro contra Symmachum priore:

> Ecce deos manes cur inficiaris haberi?
> Ipsa patrum monumenta probant: Diis manibus illis
> Marmora secta lego; quacumque Latina vetustas
> Custodit cineres, densisque Salaria bustis.

Dii manes igitur δαίμονες etiam unius defuncti. Livius, lib. iii: *Pace parta instare tum tribuni patribus, ut P. Valerii fidem exsolverent; instare Claudio, ut collegæ deos manes fraude liberaret: agi de lege sineret.* Dicit *collegæ deos manes* τοὺς τοῦ συνάρχοντος δαίμονας. HERALD.

LXV. — *Nolo, inquit, et voluntatem non habeo.* Ita legendum cum Fulvio Ursino et ed. Lugd. Bat. *Nolo, inquit*, scil. efficere, *neque habeo voluntatem*, nempe assumendi bona, quod subintelligendum ex præcedentibus. Antiquam lectionem, *Volo, inquit, et voluntatem non habeo*, nonnulli ita defendunt: Ipse mecum litigo, mox volo, mox non volo.
C Sed hoc verba illa significare non possunt. Fortasse commodius legi non possit: *Nolo, inquit, et voluntatem non aveo. Aveo* et *habeo* sæpissime permutantur in ms. ORELL.

Verum in alia verba cognomine. In alia verba, id est in contraria, dona scilicet Dei vituperans et criminans. Sic *in alia omnia abire*, quod tironibus notum. ORELL.

Licentias et potestates. Vide supra ad lib i, cap. 46. ORELL.

Unius pontificium Christi est. Verissimam hanc emendationem e cod. ms. erutam debemus Ludovico Carrioni in Emendd., lib. i. cap. 9. (In Thesauro Critico Gruteri vol. iii, pag. 108.) Antea legebatur: *Unius pontificis Christi est*, etc. *Pontificium* igitur appellat Arnobius licentiam, potestatem et officium, significatione notissima apud hos scriptores. Ita Gell., Noct Att., lib. i, cap. 13: *Ab eo, cujus negotium pon-*
D *tificiumque esset.* Symmachus, lib. iii, epist. 17: *Pontificio iterati honoris auctus, nullum mihi indicium communis gaudii dedisti.* Arnobius junior in Psalm. lviii: *Hi accipiunt pontificium judicandi*, et in psalm. cxiii: *Dabit pontificium dominandi sacerdotibus templorum.* STEWECH et HERALD.—Conf. Meurs. in Append. et Juret. in Symmach., lib. vii, epist 27. pag. 195, ed. Lectii, qui de hoc verbo multus est. ORELL.

Per hunc solum est ingressus in lucem. Meursius mavult *per hanc*, scil. januam. At nil mutandum. *Per hunc*, scil. Christum. Respicit scilicet Arnobius ad verba Soteris, apud Joann. x, 7: Ἐγώ εἰμι ἡ θύρα τῶν προβάτων. Sed si *hunc* legamus, in sequentibb. scribendum erit *alias*, non *alia*. ORELL.

Neque alia datum est vel irrepere vel invadere. Ita edidi ex verissima emendatione Fr. Oudendorpii ad Frontin. Strat., lib. ii, cap. 5, pag. 271, ed. novæ. *Alia*, scil. *via* aut *janua*. Omnes editiones habent: *neque alias datum est*, etc. ORELL.

LXVI. Licet ergo tu purus, et ab omni fueris vitiorum contaminatione purgatus, conciliaveris illas atque inflexeris potestates, ad cœlum redeunti ne vias cludant atque obsepiant transitum, ad immortalitatis accedere nullis poteris contentionibus præmium, nisi, quod ipsam immortalitatem facit, Christo attribuente perceperis, et veram fueris admissus ad vitam. Nam quod nobis objectare consuestis, novellam esse religionem nostram, et ante dies natam propemodum paucos, neque vos potuisse antiquam et patriam linquere, et in barbaros ritus peregrinosque traduci, ratione istud intenditur nulla. Quid enim si hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis atque antiquissimis sæculis, quod inventis frugibus glandes spreverint et repudiaverint arbuta [a]? quod corticibus contegi et amiciri desierint pellibus, postquam vestis excogitata est textilis, usu et commoditate succinctior? aut quod structis domibus, A et lautioribus successibus institutis, non antiquas adamaverint casulas, nec sub rupibus et cavernis præoptaverint ut belluæ permanere? Commune est omnibus, et ab ipsis pene incunabulis traditum, bona malis anteferre, inutilibus utilia præponere, et quod esse constiterit pretiosius, lætius, id consectari et petere : in eoque defigere spem salutis, et salutarium commodorum.

LXVII. Itaque cum nobis intenditis aversionem ex religione priorum, causam convenit ut inspiciatis, non factum : nec quid reliquerimus, opponere, sed secuti quid simus, potissimum contueri. Nam si mutare sententiam culpa est ulla, vel crimen, et a veteribus institutis in alias res novas voluntatesque migrare; criminatio ista et vos spectat, qui toties vitam consuetudinemque mutastis : qui in mores alios, atque alios ritus priorum condemnatione transistis.
B Numquid enim quinque in classes habetis populum

LECTIONES VARIANTES.

[a] Arbusta *ms. male.*

COMMENTARIUS.

LXVI. — *Ad cœlum ne redeunti vias cludant.* *Ne*, quod deest in cod. ms. et editionibus prioribus, sensu flagitante revocavit Heraldus. *Cludant* verbum antiquum pro *claudant*, quod legebatur, e cod. ms. restituit Th. Canterus. Sic infra, lib. VII. *Non si mille tu pondera masculi thuris incendas, cœlumque hoc totum redundantium vaporum nebulositate cludatur* ; et Tertullianus : Apologet. cap 11, *properavit, opinor, et cœlum semel clusit :* ubi ed. Havercamp., pag. 122. Plura exempla collegit Meursius, ORELL.

Ne vias cludant. Ita legendum ex romana editione, non *claudant*, quod Gelenius interpolavit. Antiqui enim pro *claudere* dicebant *cludere*. Vide Meurs., ad hunc locum imprimis Jo. Rhodium, qui nubem exemplorum citat in Lexico Scriboniano. Sic ipse Arnobius infra, lib. VII : *Non si mille tu pondera masculi thuris incendas cœlumque hoc totum redundantium vaporum nebulositate condatur.* ORELL.

Neque vos posse antiquam et patriam linquere, et in barbaros ritus peregrinosque traduci. Nationes religionem sibi traditam a majoribus pertinacissime tuebantur et defendebant ; nec ullis rationibus poterant eo deduci, ut inveteratam patriamque linquerent, et novos cultus amplecterentur. Cotta, ap. Cic. de Nat. deor., II : *Non me ex ea opinione, quam a majoribus accepi de cultu deorum immortalium, ullius unquam oratio aut docti aut indocti movebit.* D. Clemens Recogn., lib. V : *Impium est si non colamus, quæ nobis tradita sunt a patribus nostris, et religionem prævaricemur a*
D *majoribus datam.* Vid. Porphyr. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων; lib. II; Lactant., lib. II, cap. 6; lib. V, cap. 19; Tertullian., Apologet., cap. 6; Isocrat., Orat. ad Nicoclem, περὶ βασιλείας; Euseb. Præparat. evangel., lib. I, cap. 1; nostras notas ad Minutium. ELMENH.

Quod inventis frugibus glandes spreverint et repudiaverint arbuta. Habet hæc a Lucretio. Sic enim ille lib. V, vers. 937 sqq. ubi primorum hominum vitæ rationem describit :

Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque, et quæ nunc hiberno tempore cernis
Arbuta puniceo fieri matura colore :
Plurima tum tellus etiam majora ferebat.

HERALD.

Inventis frugibus glande vesci, proverbium esse videtur apud Ciceronem in Oratore c. 9. OCHSNER.

Quod corticibus contegi, et amiciri desierint pellibus, postquam vestis excogitata est textilis. Prima enim primorum hominum tegumenta e corticibus fuisse tradebant, proxima e pellibus : his successisse vestem textilem. Lucretius V, 951, seqq. :

Necdum res igni scibant tractare, nec uti
Pellibus et spoliis corpus vestire ferarum :
Sed nemora, atque cavos montes, silvasque colebant,
Et frutices inter condebant squalida membra,
Verbera ventorum vitare, imbresque coacti.

HERALD.

Successibus. Id est domibus, domiciliis. Vide supra
C ad lib. I, cap. 50, et Meurs., in Crit. pag. 80. ORELL.

Nec sub rupibus et cavernis præoptaverint ut belluæ permanere. Juvenal, sat. VI, 2 seqq.

. . . . Quum frigida parvas
Præberet spelunca domos, ignemque, laremque
Et pecus, et dominos communi clauderet umbra.

ELMENH.

Constiterit. Ita Fulv. Ursin. Alii *constituerint.* ORELL.

LXVII. — *Qui in mores alios atque alios ritus priorum condemnatione transistis.* Prudentius contra Symmach., lib. II, vers. 303, seq.

Roma antiqua sibi non constat versa per ævum
Et mutata sacris, ornatu, legibus, armis :
Multa colit, quæ non coluit sub rege Quirino.
Instituit quædam melius, nonnulla refugit.
Et morem variare suum non destitit, et quæ
Pridem condiderat jura, in contraria vertit.
Quid mihi tu ritus solitos, Romane senator,
Objectas? quum scita patrum, populique frequentes
Instabilis placiti sententia flexa novarit?
Nunc etiam quoties solitis decedere prodest
Præteritosque habitus cultu damnare recenti.

HELMENH.

Numquid enim quinque in classes habetis populum distributum. Quare quinque tantum classes numeret Arnobius, cum sex fuisse constet ex Livio, lib. I, et A. Gellio, lib. X, cap. 28, causa est quod sexta vel infima classis, in quam cives pauperrimi, proletarii et capite censi detrudebantur, pro nulla habebatur ; quare *quinque* tantum classes memorant Livius, l. I, et Charisius, quod bene monet Meursius in Critico, lib. II, cap. 16, p. 81, contra Justum Lipsium corrigere volentem *in sex classes.* Cæterum locum hunc egregie illustravit Henr. Valesius, ad Ammiani Marcellini Hist., lib. XIV, p. 11, verba : *Et olim licet otiosæ sint tribus pacatæque centuriæ;* cujus integra verba hic exscribere liceat. *Otiosas centurias dicit Marcellinus, quia scilicet tum nullæ erant tribus, nullæ centuriæ. Nam centuriæ quidem diu ante Marcellini ætatem desierunt, ut testis est Arnobius* (*nostro loco*),

distributum, vestri olim ut habuere majores? Numquid magistratus per populum creatis? Militaria, urbana, communia quæ sint, comitia, scitis? Servatis de cœlo, aut otiosas facitis obnuntiationibus actiones? Cum paratis bella, signum monstratis ex arce? A aut fecialia jura tractatis? per clarigationem repetitis res raptas? aut Martium discrimen obeuntes spem prælii sumitis, et ex acuminibus auspicatis? In potestatibus obeundis leges conservatis Annarias? in

COMMENTARIUS.

Tribus quoque paulatim sub imperio Cæsarum collapsæ. tandem penitus desierunt paulo post tempora Antonini Caracellæ, ut opinor, cum is omnibus in orbe Romano degentibus civitatem dedisset. Sane post ea, quæ dixi, tempora rara ac prope nulla tribuum mentio fit in vetustis inscriptionibus, cum antea passim ante cognomen tribum adscribi videamus. Nec me movet, quod Julianus Aug. in Oratione III *ad Eusebiam Augustam* τῶν φυλῶν ἐπιστάτας *Romæ commemorat. Non enim tribuum præfectos, sed curatores regionum intelligit, ut et Libanium loqui sæpissime deprehendi.* Hæc Valesius. ORELL.

Numquid magistratus per populum creatis? Vide I. Lipsium in tractatu de Magistratibus vet. Rom., cap. 3. ELMENH.

Militaria, urbana, communia quæ sint comitia scitis. Optime hunc locum exponit Turnebus, adversar., lib. XIII, cap. 14; vol. II, p. 11, et ex eo Gesnerus, in Thesauro, verbo *comitium*. Tria scil. comitiorum genera fuisse apud Romanos, centuriata, curiata, tributa, jam tironibus notum. Ad hanc itaque comitiorum diversitatem respiciens, Arnobius appellat comitia centuriata *militaria* : quod populus more militari centuriatus sit : *urbana* curiata, curiæ enim erant urbani populi : *communia* tributa, quod ex totius populi tribubus fiebant, erantque non propria tantum urbani populi, sed etiam rustici et suburbani. Fallitur itaque Elmenhorstius *communia comitia* ex Livii lib. IV, de Communibus comitiis patrum ac plebis interpretans. Nam Livii locus nihil ad nostrum. ORELL.

Servatis de cœlo, aut otiosas facitis obnuntiationibus actiones. Servare est aliquid ex observato cœlo nuntiare : *obnuntiare* vero quid sit, disces ex hisce Donati in Terentium verbis (Adelph., act. IV, scen. 4) : *Qui malam rem nuntiat, obnuntiat, qui bonam, annuntiat. Nam proprie obnuntiare dicuntur augures, qui aliquid mali ominis sævumque viderint. Ergo obnuntio malum imminens, quasi omen nuntio. Inde enim* ἐτυμολογία *hujusce verbi est.* Utroque verbo, ac sæpius primo, utitur Cicero, atque inprimis ubi ad Atticum (lib. IV, epist. III) scribit in hæc verba : *Proscripsit se per omnes dies comitiales de cœlo servaturum. Hæc tamen summa : Nisi Miloni C. Appius obnuntiasset, comitia futura*, et lib. II, de Divin., cap. 35 : *Jam vero de cœlo servare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur : nunc imperant pullario, ille renuntiat.* At de prorsus neglecto vel jam antiquato illo priori more his Lucanus versibus ante Arnobium nostrum conquerebatur, Phars., lib. VI, vers. 426 et seqq.:

Non quæsisse libet, primus quid frugibus altrix
Ore Jovis Dodona sonet, quis noscere fibra
Fata queat, quis prodat aves, quis fulgura cœli
Servet, et Assyria scrutetur sidera cura.

NOURR., p. 312.

Cum paratis bella, signum monstratis ex arce? aut fetialia jura tractatis? per clarigationem repetitis res raptas? Tria heic Arnobius ad bellum indicendum memorat. 1° *Signum* seu vexillum ex arce monstratum, de quo Macrobius I Saturnal., cap. 16 : *Præliales (dies) a justis non segregaverim. Siquidem justi sunt continui triginta dies, quibus exercitu imperato vexillum russei coloris in arce* (id est in Capitolio) *positum est. Præliales autem omnes, quibus fas est res repetere et hostem lacessere.* Conf. Servius ad Virgil., Æn., lib. VIII, vers. 2; Stewech., ad Veget., de Re milit., lib. I, cap. 6, et imprimis J. Lips., de Militia rom., lib. I, dial. III, Op. tom. III, p. 26, seq., ed. Vesal. 2° *Fetialia jura*, quia fetiales bellum nomine populi romani indicebant, ut ex Livio I, cap. 32; Gellio, lib. XVI, cap. 4, aliisque discimus (De fetialibus singularis disputatio est Jo. Jeusii in Forculo litterario, Lugd. Bat., 1717, in-8°). 3° *Clarigationem nominat*, de qua Servius ad Æneid., lib. IX, vers. 53 seq. *Cum enim volebant bellum indicere, Pater Patratus, hoc est princeps fetialium proficiscebatur ad hostium fines et præfatus quædam solemnia clara voce dicebat : se bellum indicere propter certas causas, aut quia socios læserant, aut quia nec abrepta animalia, nec obnoxios redderent. Et hæc clarigatio dicebatur a claritate vocis. Postquam clarigationem hasta in eorum fines missa indicabatur pugnæ principium.* Idem tamen Servius ad Æneid., lib. X, v. 14, *clarigationem* B derivat ἀπὸ τῆς κλήρου, *hoc est sorte ; nam per bellicam sortem agros hostium invadebant.* Plura de clarigatione et fecialibus Brissonius, de Formulis, lib. III, p. 383. HERALD., ELMENH. et NOURRIUS. Conf. Abram., ad Cic., Orat. pro P. Sextio, cap. 26. ORELL.

Spem præsumitis. Similiter Virgil., Æn. X, v. 18.

Arma parate animis et spe præsumite bellum.

Alii, verbi causa edit. Lugd. Bat., legunt : *Spem præliorum sumitis.* In præcedentibus pro *obeuntes* Stewech. mavult *subeuntes*. ORELL.

Ex acuminibus auspicatis. Quid sint auspicia *ex acuminibus*, non constat : Gesnerus, in Thesauro, probat Cerdæ opinionem ad Virgil. Æn. VI, 199, de rostrorum acuminibus intelligentis, quæ observabantur ex tripudio solistimo. Alii putant, acumina fuisse montium caeumina, quæ ad captanda auguria conscendere mos erat. Verum utraque opinio repugnare C videtur Ciceronis verbis, de Divin., II, 36. Quibus auspicium ex acuminibus *totum militare* fuisse asseverat. Vide ibi Hottingerum V. Cl., p. 252. Alii intelligenda suspicantur acumina spiculorum, ensium et pilorum vel magis vel minus solito splendentium, de quibus Nourrius apposite citat locum Dionysii Halicarn., lib. V, Antiq. rom., pag. 312, Sylburg. : Ἐκ τῶν καταπεπηγμένων παρὰ ταῖς σκηναῖς ὑσσῶν (ἔστι δὲ ταῦτα βέλη Ῥωμαίων, ἃ συνιόντες εἰς χεῖρας ἐξακοντίζουσι)…. ἐκ τούτων δὲ τῶν ὑσσῶν περὶ τοῖς ἄκροις τῶν ὀβελίσκων φλόγες ἀνήπτοντο, καὶ δι' ὅλου τοῦ στρατοπέδου σέλας ἦν ὥσπερ ἀπὸ λαμπάδων, καὶ κατέσχε τῆς νυκτὸς ἐπὶ πολύ· ἐκ τούτου κατέλαβον τοῦ φάσματος, ὥσπερ οἱ τερατοσκόποι ἀπέφαινον, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις συμβάλλειν οὐ χαλεπὸν ἦν, ὅτι νίκην αὐτοῖς ταχεῖαν καὶ λαμπρὰν σημαίνει τὸ δαιμόνιον, ἐπειδήπερ ἅπαν εἴκει πυρί, καὶ οὐδὲν ὅ τι οὐχ ὑπὸ τοῦ πυρὸς διαφθείρεται. Ipse tandem Nourrius in eorum opinionem inclinat, qui intelligunt signorum militarium acumina, quæ longioribus con- D tis insita, ferratum in cuspidem desinebant. Nam illa si, castris loco motis, signifer ex hostili humo facile evellebat, inde faustum omen certaque victoria; sin vero ægre extrahebat, sinistra præsagitio imminensque clades præmonstrabatur. Cæterum *auspicare* antiquum pro *auspicari*. Vid. Nonium de contrariis generibus verborum, pag. 468, ed. Mercer., multa exempla citantem, it. Festum verbo *prohibere*, et Stewech., hoc loco. Ita Nævius, belli Pœnici, lib. IV: *Virum prætor advenit, auspicat auspicium prosperum.* Plaut., Rud., III, 4, 12 : *Non hodie isti auspicavi rei, ut cum furcifero fabuler.* ORELL.

In potestatibus obeundis leges conservatis annarias. Annariis sive annalibus legibus constitutum erat, quo anno cuique magistratus petere liceret, quo si quis creatus erat, verbi causa consul, anno suo consul factus esse dicebatur. Eas leges attulit ambitio, ut gradus essent petitionis. Tulit primus accuratius Villius, tribunus plebis, A. Posthumio Albino et

donis, in muneribus Cincias? in cohibendis Censo- A rias sumptibus? In penetralibus coliginis perpetuos

COMMENTARIUS.

Q. Fulvio Flacco, secundum alios C. Calpurnio Pisone, Coss. anno urbis conditæ 571, qui inde *Annalis* dictus est, quod nomen familiæ hæsit. Liv., Hist. XL, cap. 44. Hac lege constituti sunt anni quæsturæ 31, ædilitati 37, præturæ 40, consulatui 43. Aliam tulisse M. Pinarium Ruscam, tribunum plebis, auctor est Cicero, de Orat., II. 65, ex qua autem nihil restat, nec ætas ejus satis certa est. Istas autem leges abolitas testatur Arnobius hoc loco. Invenimus enim sub imperatoribus XX annis minores consules factos. Quid quod et pueros consules appellatos esse videmus Gratianum, Valentinianum et Honorium. Vid. Anton. Augustin., de Legibus et senatusconsultis, tit. *Villia Annalis*, pag. 152 seq. Manut., de Legg. cap. VI, et J. A. Ernest. Clav., Cic. in Ind. Legum, tit. ANNALES. ORELL.

B *In donis, in muneribus Cincias?* Cincia lex a M. Cincio Alimento trib. pleb. anno urbis conditæ 549, Cornelio et Sempronio Coss. lata, suasa autem a Q. Maximo. Cic., de Senect., c. 4: *Fuit de donis et muneribus, ne quis ea ob causam orandam caperet*, quæ sunt Taciti verba, Annal. XI, 5, unde a Plauto *Muneralis* dicta. Retulit iterum Augustus evanescentem vetustate, et firmavit novo senatusconsulto. Claudius ad sestertia dena moderatus est. Ulpianus centum aureos nummos permitti lib. VIII, *de omnibus tribunalibus* scribit. Quæ omnia etsi aliquando tenuerint, usu abrogata sunt. Vid. Anton. Augustin., de Legg., pag. 47; Lips., ad Tacit., liv. I; Ernesti, in Clav. Cic. ORELL.

In cohibendis censorias sumptibus? Legibus censoriis, quæ et sumptuariæ et cibariæ vocabantur, majores cœnarum et conviviorum apparatus coercebantur. Vide (qui locus de iis classicus) A. Gell., lib. II, cap. 24; Plin., Hist. nat., lib. VIII, cap. 15; Macrob., sat. II, cap. 13. Pertinebant autem huc multæ leges, verbi causa. Fannia, Licinia, Cornelia, quam Sulla tulit, Æmilia, Antia, item edictum Capitonis Attei, postremo lex Julia, latore Augusto imperatore. Vid. Stewech., hoc loco, et de singulis Antonii Augustini librum laud. ORELL

Numquid in penetralibus et colignis perpetuos fovetis focos. In quibusdam editis legitur *in penetralibus Vestæ*. In ed. Lugd. Bat. sublata est particula *et*. Sed qua auctoritate hæc facta sint, nemo nobis indicavit. Lipsius (Syntagm. de Vest. et Vestal., c. 10.) a Rosweido admonitus observat in quodam codice scriptum *in pene impenetralibus et colignis*. Certe in manuscripto regio simpliciter habetur: *Impenetralibus et colignis*. Non mirum itaque, si corruptus ille locus doctos homines haud parum torserit. Duobus autem modis idem Lipsius eum explicari posse arbitratur. Primo quidem hæc Arnobii verba non ad Vestam referenda, sed ad privatum quemdam ritum, quo ignis in interiore domorum parte et culina antiquitus servabatur et fovebatur. In hujus vero conjecturæ confirmationem ille profert hæc Varronis verba: *Culina dicta, quod ibi colebant ignem.* Deinde vero ait, hæc intelligi adhuc posse de Vesta publica, atque ibi scribendum *in culignis*, ita ut Arnobii sensus sit: *Ignem olim in culignis et vasis fictilibus repositum*, uti etiam nunc foveri sub cineribus solet. Sed primæ explicationi id adversatur, quod Varro de communi et promiscuo ignis usu loquatur, Arnobius autem de sacro, aut eo saltem, quem gentiles aboleverant. Secundæ vero illud repugnat, quod, ut ipse fatetur, nomen *culigna* apud eumdem Varronem, Festum et Livium potius significat vas potorium, quo vinum in sacrificiis offerebatur. Deinde vero quid ibi Vestæ faceret commemoratio, cujus nullum in Arnobii textu vestigium? Tota porro tenebricosi hujus Arnobiani dicti difficultas in sola potissimum voce *coliginis* posita est. Penetrales enimvero focos fuisse discimus ex Catulli (Epigr. ad Marcell.), ubi de Troja, versibus:

> Ad quam tu properas, fertur simul undique pubes
> Græca penetrales deseruisse focos.

Servius quoque ad Æn. VI, vs. 71, animadvertit penetralia a Virgilio dici secreta templorum, hoc scil. versu:

> Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.

In iis autem perpetuos fuisse focos, quis sibi facile non persuadebit?

Solum igitur statuendum superest, si quid in vocis *coliginis* locum restitui debeat. At, inquies, quidni legatur *in culinis?* A Vossio siquidem post Scaligerum ex veteri inscriptione ostenditur, in Herculis ædiculis fuisse culinas, ubi peregre profecturi sacrificabant. Non male forsitan, si ibi perpetuos focos olim asservatos esse probaveris. Nonne tamen in hujus conjecturæ confirmationem adjicere liceat, ab ethnicis geniorum focos pro diis habitos fuisse, atque idcirco in eorum cultum et honorem in culinis et focis, sicut citatus Varro annotavit, ignem olim servatum, sed a posteris neglectum hunc morem, qui illis molestior et importunior factus est?

Non desunt porro (verbi causa Salmasius in Exercitatt. Plinian., p. 370, 587 et 914), qui retinere velint vocem coliginis, quam a verbo *colo*, id est inhabito, derivatam arbitrantur. Eam igitur vocem *coligo* idem ac domum, domicilium et habitationem apud auctorem nostrum significare his visum est. Sed in textu Arnobii demenda erit particula *et*, atque aliquo saltem exemplo probandum, a quibus nomen *coligo* eo sensu adhibitum fuerit. Vide ergo C utrum nomen *culinis* ad Arnobii propositum magis accedere videatur. Nihil enim nos sine correctioris alicujus codicis auxilio certi aliquid de ea re statuere audemus. NOURR., p. 315, seq.

In penetralibus coliginis perpetuos fovetis focos. Locus hic admodum torsit viros eruditos. Cod. reg. habet: *In penetralibus et colignis perpetuos fovetis focos.* Ms. Limpurgense citatum a Rosweydo in Syllog. Epist. Burmann. vol. II, p. 141 (Apographum, ut videtur, Codicis regii) *in pene impenetralibus et colignis* etc., quæ omnia manifesto sunt corrupta. Gelenius edidit: *In penetralibus Vestæ ignis perpetuos fovetis focos*, quem secuti cæteri editores, excepto Salmasio in ed. Lugd. Bat. Nourrio et Gallando nisi quod Fulv. Ursinus τὸ *ignis* delendum censet. Sed ita si legamus, ut bene observat Lipsius, in Syntagm. de Vesta et Vestalibus, cap. XIV, Op. tom. III, p. 1109, Arnobius hac interrogatione ipse sibi contradiceret: nam infra lib. IV, cap. 35, ubi Vestæ D ignem et virgines Vestales adhuc in summo honore fuisse affirmat, apertissimis verbis dicit: *sedent* (*in spectaculis*) *castæ virgines, perpetui nutrices et conservatrices ignis.* Legit itaque Lipsius cum Meursio et Scaligero: *In penetralibus et colinis* (idem quod culinis) *perpetuos fovetis focos*, intelligens de privato in ædibus ritu, ubi antiquitus ignem asservabant et fovebant in parte interiore et culina, quod factum, Larium aut Vestæ privatim honore. Sed quis credat, morem hunc immutatum et ignem ex commodissimo ædium loco in alium translatum fuisse? Herib. Rosweyd., epist. 823, ad J. Lips., in Sylloge Burmanniana, vol. II, pag. 141, existimat Arnobium non velle absolute Vestæ ignes sublatos, sed variatum tantum in modo ignem illum servandi, vel a loco, ubi ante fuit, translatum. Duplicem itaque conjecturam proponit: unam: *in penetralibus et culignis perpetuos fovetis focos*, unica tantum littera mutata, ita ut sensus sit: ignem Vestæ antea nuda ara servari solitum, post in vase fictili servatum. Nam *culi-*

fovetis focos? Sacras facitis mensas salinorum appositu, et simulacris deorum? Cum in matrimonia convenitis, toga sternitis lectulos, et maritorum genios A advocatis? Nubentium crinem cælibari hasta mulcetis? puellarum togulas fortunam defertis ad virginalem? Matres familias vestræ in atriis operantur do-

COMMENTARIUS.

gna Festo et Glossario *vasculi genus*. Altera conjectura est, Arnobium tantum velle, ignem hunc non servari amplius in Lavinii penetralibus et Albæ, atque ita a priscis ritibus Romanos descivisse : legendum itaque proxime ad scripturam manuscripti Limeburgensis : *in Penenii penetralibus et colligimus perpetuos fovetis focos. Colligina* forte capienda de collibus Albæ, et *Penenii penetralia* de Lavinio. Sed vellem harum significationum nobis exempla dedisset. N. Heinsius, epist. 115, ad Græviun in eadem Sylloge Burmanniana, vol. IV, p. 155, legendum suspicatur : *in penetralibus Trojugenis*, id est Trojanis; nam Trojanum numen Vesta. Lucanus :

Ignem Trojanum et Vestam colit Alba minorem.

Isaac Vossius in Notis ad Catullum, p. 377 duplicem conjecturam proponit : aut legendum *in penetralibus cœligenis perpetuos fovetis focos :* cœligeni scilicet Lares, qui coilo potentes dicuntur in inscriptione antiqua apud Tertullianum mox sequente : aut, quod præfert, scribendum esse : *in peno, in penetralibus et colinis perpetuos fovetis focos. Penus* scil. est locus intimus cum in Vestæ templo, tum in ædibus privatis. Hinc Penates iidem qui Lares, quorum signa canina pelle contecta custodiæ gratia collocabantur in peno, in culinis circa focum, et denique in cavædiis et penetralibus, qua fumus exiret (*Rauchgange*), aut ubicumque eorum tutela prodesse credebatur. Quod edidimus *in penetralibus coliginis*, est e correctione Salmasii in ed. Lugd. Bat., et ad Solin., p. 641, seq. *Colo, ere*, absolute antiqui dixerunt pro habitare : inde *colium, ii*, idem quod habitatio, domus. Tertullian., de Spectacul., c. 5 : *Et nunc ara Conso illi in circo defossa est, cum inscriptione hujusmodi :* CONSUS CONSILIO MARS DUELLO. LARES COLIO POTENTES. Ita enim legunt veteres libri pro COMITIO. Lares igitur colio potentes idem quod θεοὶ οἰκίδιοι, πατοικίδιοι Græcorum, quos Solinus græca voce appellat Icidios. Alia tamen formatione dixit Arnobius hoc loco *coligo, inis*, pro habitatione, domo, et *coliginis focos* penatium focos. Conf. eumdem Salmasium ad Tertullian., de Pallio, p. 430. Quam lectionem comprobat etiam Gesnerus in Thesauro verbo *Coligo*. Heinsius autem hujus significationis exempla desiderans in Adversar. l. IV, c. 12, p. 629, ed. Burmanni refingit : *In penetralibus caligineis*, id est fumosis, ut *cinerosa atria* ap. Ovid., in Fastis. Sed plura hujuscemodi ἅπαξ λεγόμενα invenimus in Arnobio, et fateor, ex omnibus illis, quas protulimus, conjecturis maxime mihi arridere Salmasianam. Dicit itaque Arnobius, neglectum esse pium veterum morem ignem perpetuum in penetralibus ædium adolendi, quibus ex opinione antiquorum sacræ fiebant domus, ut mensæ salinis. ORELL.

Sacras facitis mensas salinorum appositu. Salinum vasculum erat, in quo sal ad mensæ sacrificiique usum reponi consueverat. Porphyrion, ad Horat., l. II, Od. 16 : *Proprie*, inquit, *salinum est patella, in qua diis primitiæ cum sale offerebantur.* Quam sacrum autem carumque id antiquis fuerit, liquet ex hisce Livii verbis, l. XXVI, c. 36 : *Quibus uxor filiæve sint, singulas uncias auri pondo relinquant; argenti, qui curuli sella sederunt : equi ornamenta et libras pondo; ut salinum patellamque deorum causa habere possint.* Valerius vero Maximus, l. IV, c. 4, § 3, in C. Fabricii et Q. Æmilii papi domibus argentum fuisse inde colligit, quia uterque patellam deorum et salinum habuit. Inde porro illa Persii ironia, sat. III, vers. 25 :

Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum,

Quid metuas? cultrixque foci secura patella.

Plura de salino, J. Lipsius, l. I, Saturnal., c. 2. NOURR., p. 316.

Cum in matrimonia convenitis, toga sternitis lectulos et maritorum genios advocatis? Intelligitur lectus genialis, γαμήλιος, qualem describit Lucanus, II, v. 356, seq. :

. . . . . Gradibusque acclivis eburnis
Stat torus et picto vectes discriminat auro.

Hunc lectum, *genialem* dictum, vel quia Genio et Junoni sacer, vel ominis causa, a genendo, ipsæ
B novæ nuptæ sternebant magnifico apparatu, et in sternendo maritorum genios advocabant, adesse vellent et prolem fœcundare. Vid. imprimis, qui ea de re multus est, J. Lips. Elect., l. I, c. 17, p. 695, vol. I, ed. Vesal. ELMENH. et HERALD.

Nubentium crinem cœlibari hasta mulcetis? Cœlibaris ad cælibem pertinens. Nimirum antiquitus apud Romanos in more positum erat, ut maritus hastæ cuspide (quæ, ut narrat Festus, verbo *celibaris*, in corpore gladiatoris stetisset abjecti occisique) sponsæ comam discriminaret, cujus moris varias affert rationes Festus, l. I, et Plutarchus in Quæst. Rom., c. 87, ed. Hutten., vol. VIII, p. 362, vocans αἰχμὴν δορατίου. Meminit hujus hastæ et Ovidius Fast. II, v. 558, seq. :

Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri.
Comat virgineas hasta recurva comas.

Conf. B. Brissonium de ritu nuptiarum, p. 218.
C NOURRIUS et ORELL.

Puellarum togulas fortunam defertis ad virginalem. Nam nuptiarum tempus virginibus idem erat, ac pueris tirocinii dies : eo enim tempore fœminæ prætextam deponebant ad Fortunam Virginem seu virginalem, quæ colebatur quasi dea pudicitiæ, cujusque ædes fuit extra portam Capenam, quam Servius Tullius exstruxit, teste Plutarcho in Problem. Rom. Hanc *Deam Virginensem* appellat Augustinus, de Civit. Dei, l. IV, c. 11 : *Cui virgines solvebant zonam.* Festus autem *Junonem Cinxiam a solutione cinguli, quo nova nupta erat cincta.* Vid. Auson. Popm. ad Varron. Fragm., p. 308, ed. Bipont., et Scaliger., ad Fest., verbo *Cinxia*. Comas etiam suas deæ virgini, cujus in tutela antea fuerant, libabant. Statius II. Theb. :

. . . . Innuptam limine adibant
Pallada, Munichiis cui non Argiva per urbes
Posthabita est Larissa jugis. Heic more parentum
D Insides, thalamis ubi casta adolesceret ætas,
Virgineas libare comas, primosque solebant
Excusare toros.

Nourrius, p. 317, intelligit templum Fortunæ Virginis a Servio Tullio conditum, cujus meminit Plutarchus, in Quæst. rom., cap. 74 (pag. 354. Tom. VIII. ed. Hutten.) HERALD. et ORELL.

Matres familias vestræ in atriis operantur domorum, industrias testificantes suas? Mulieres Romanæ ad diligentiam probandam olim in primore ædium parte, id est atrio, omne opus muliebre perficiebant. Cornel. Nep., in præfat. : *Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? aut cujus mater familias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur?* ubi vid. intpp. Conf. Liv., I, 57. Cic. pro Milon., c. 5, ibique Asconium, Fest., verbo *Andron.*; Stewech., ad Veget., de Re milit., lib. I, cap. 7 et inprimis J. Lips., Elect., lib I, cap. 17. Op. tom. I, pag. 696 seq., ed. Vesal. ELMENH. et ORELL.

morum, industrias testificantes suas? potionibus abstinent vini? affinibus et propinquis osculari eas jus est, ut sobrias comprobent atque abstemias se esse?

LXVIII. In Albano antiquitus monte nullos alios licebat, quam nivei tauros immolare candoris : nonne istum morem religionemque mutastis, atque ut rufulos liceret dari, Senatus constitutum sanctione? Cum Romulo, Pompilioque regnantibus, percocta plane, ac madida concremarentur diis exta : nonne rege sub Tullio [a] semicruda cœpistis, et leviter animata porricere, prisca observatione contempta? Ante adventum in Italiam Herculis, cum ex Apollinis monitu patri Diti ac Saturno humanis capitibus supplicaretur : et hunc similiter morem, non fraude callidula, et nominum ambiguitate mutastis? Cum igitur et vos ipsi modo illos mores, modo alias leges fueritis secuti, multaque vel erroribus cognitis, vel animadversione meliorum sint a vobis repudiata, contempta : A quid est a nobis factum contra sensum, judiciumque commune, si majora, et certiora delegimus, nec sumus nos passi falsorum religionibus attineri?

LXIX. Sed novellum nomen est nostrum, et ante dies paucos religio est nata, quam sequimur. Ut interim concedam, id quod nobis objicitur intentionis esse non falsæ : quid est enim in negotiis hominum, quod vel opere corporis [b] et manibus fiat, vel solius animi disciplina et cognitione teneatur, quod non ex aliquo cœperit tempore, et in usum exierit experientiamque mortalium? Etenim philosophia, musica, cæteræque omnes artes, quibus vita est exculta et expolita communis, cum hominibus natæ sunt, et non potius nuper, quinimmo pene paulo ante, agitari, intelligi, celebrarique cœperunt? B Antequam Tages Thuscus oras [c] contingeret luminis, quisquam hominum sciebat, aut esse noscendum, condiscendumque curabat in fulminum casibus, aut extorum quid signi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Tullo *ms.*

[b] Corporis *delet Fulv.*

[c] Ore *ms. male.*

COMMENTARIUS.

Potionibus abstinent vini? Vini usus olim Romanis fœminis interdictus, immo capitalis. Plinius, lib. XIV, cap. 13; Dionys. Halic., lib. II, p. 96; Gellius, lib. X, cap. 23; Tertullian., Apologet., cap. 6; Valer. Max., lib. II, cap. 1; Servius ad I. Æn., vers 738. ELMENH. et STEWECH Cf. Auson. Popm., ad Varron. Fragm., pag. 306 seq., ed. Bipont. ORELL.

Affinibus et propinquis osculari eas jus est, etc. Vide Tertullian., Apologet. cap. 6; Plinius, Hist. nat., lib. XIV, cap. 13; Juvenal., VI, vers. 1; Gellius, lib. X, cap 23; Plaut. Stich., act. I, scen. II. ELMENH. — Conf. Plutarch. quæst. rom., cap. 6. ORELL.

LXVIII. — *Nonne sub rege Tullio semicruda cœpistis et leviter animata porricere?* Giraldus ap. Th. Canterum legit : *Leviter cremata.* Is. Casaubonus, ad Sueton. August., cap. 1, pag. 233, vol. III, ed. Wolsii : *Leviter exanimata.* Sed nihil mutandum. *Animare*, ut bene explicat Elmenhorstius, est idem quod accendere, cremare, igni mollire. Sic infra lib. VII, cap. 24 : *Quæ in verubus assa sunt, animata prius et torrefacta carbonibus;* et Cludian. de Rapt. Proserp., III, 386, seq. :

Qualis pestiferas animare ad crimina taxos
Torva Megæra ruit.

Ubi vid. Heins. et Gesner. Male itaque Heraldus interpretatur *de extis leviter trepidantibus, palpitantibus*, quæ, erepta scil. utero adhuc viventium victimarum, faustum erant in sacrificiis signum. Vid. Virgil., Æn. IV, 64. et Senec., Œd., 353, seq. Non enim hic de extispicina sermo, sed *exta* latiore sensu accipienda de omnibus, quæ cute teguntur, carne etiam. *Porricere*, idem quod *diis porrigere*, verbum proprium de sacrificiis. Vid Macrob., sat. III, cap. 2; Varro, de R. R., II, 29 *Exta diis cum dabant, porricere dicebant.* Virgil., Æn., V, vers. 237 :

. . . . . Extaque salsos
Porriciam in fluctus.

Ubi vid. Serv. et Heyne V. Cl., nec non Brisson., de Formulis, lib., I, p. 27, et, qui nubem exemplorum citat, J. Fr. Gronov. in Lectt. Plaut, pag. 254 et seq. Pro *Tullio*, editio princeps habet *Tullo*. Male. Intelligendus scilicet *Servius Tullius*, non *Tullus Hostilius*. ORELL.

Et hunc similiter morem non fraude callidula et nominum ambiguitate mutastis? Prisci Latini diu humanis capitibus Ditem et virorum victimis Saturnum placarunt. Vid. Dionys. Halic., lib. I, pag. 30; Minuc. Fel. Octav., cap. 30. Tandem Hercules persuasit illis, ut infausta sacrificia faustis mutarent, et pro humanis capitibus oscilla, in similitudinem hominis effigiata, obferrent. Macrob., I, Saturn., cap. 7; Lactant., lib. I, cap. 21; Dionys. Hal., l. I. ELMENH. Conf., lib. V, init. ORELL.

Contra sensum judiciumque commune, id est, contra sensum communem judiciumque commune. ORELL.

C LXIX. — *Etenim Philosophia, Musica cæteræque omnes artes, quibus vita est exculta et expolita communis*, etc. *Etenim*, quod est in cod. ms., cum aliis editoribus expungere non ausim. Videtur enim Arnobius hanc particulam posuisse pro *Exempli causa*. Ed. Lugd. Bat. habet : *Ede an Philosophia*, etc. Pro *exculta*, quod est e correctione Fulv. Ursini, cod. ms. habet *exstructa*, quod defendere conatur Stewechius. Sed exempla, quæ affert, ad nostrum locum nil faciunt. Nam dici quidem potest *hominem fabricari, liberos struere, prolem concinnare, compingere :* sed locutionis, *vitam exstruere artibus*, exempla frustra me quæsivisse fateor. ORELL.

Tages, Tuscus. Censorinus, de Die nat., cap. 4 : *Nec non in agro Tarquiniensi puer dicitur divinitus exaratus* (*hervorgepflight*) *nomine Tages, qui disciplinam cecinerit extispicii, quam Lucumones tum Etruriæ potentes exscripserunt.* Ubi vide quos citat Lindenbrogius, pag. 24, ed. Haverc. De eodem Ovidius, Met. D XV, 553 seqq. :

Haud aliter stupuit, quam cum Tyrrhenus arator
Fatalem glebem mediis aspexit in arvis
Sponte sua primum nulloque agitante, moveri,
Sumere mox hominis, terræque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis.
Indigenæ dixere Tagen, qui primus Etruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

Conf. Davis., ad Cic., de Divin., II, cap. 23 et 38, et inprimis Dempster., Etrur. Regal., III, 1. ORELL.

Oras contingeret luminis. Phrasis Lucretiana, verbi causa lib. I, vers 23 seq. :

Nec sine te quicquam dias in luminis oras
Exoritur, neque fit lætum, neque amabile quicquam.

et sæpissime. ORELL.

In fulminum casibus, etc. Fulmen si quid afflaverat, erat ostentum non leve, et ad iram deorum lenien-

ficaretur in venis? Quando siderum motus, aut ratio cœpta est genethliaca sciri? non post Theutin Ægyptium, aut post Atlantem, ut quidam ferunt, gestatorem, bajulum, tibicinem illum ac destinam cœli?

LXX. Sed quid ego hæc parva? Ipsi dii immortales, quorum modo aditis templa, et numina suppliciter adoratis, sicut vestris litteris atque opinionibus traditur, non esse, non sciri, ab temporibus cœperunt certis, et impositis nominum appellationibus nuncupari? Nam si verum est ex Saturno atque ejus uxore Jovem suis cum fratribus procreatum, ante nuptias et partus Opis nusquam fuerat Jupiter, tam supremus, quam Stygius: nusquam sali dominus, nusquam Juno, quinimmo alius nullus, genitoribus duobus exceptis, cœli habitabat in sedibus, sed ex eorum concubitu concepti, et nati sunt, et spiritum hausere vitalem. Certo ergo a tempore Deus esse Jupiter cœpit, certo cultus et sacrificia commereri: certo fratribus in po- A testatibus anteponi. Rursus vero si Liber, Venus, Diana, Mercurius, Apollo, Hercules, Musæ, Tyndaridæ Castores, ignipotensque Vulcanus, Jove patre sunt proditi, et genitore Saturnio procreati, antequam Memoria, (quam) Alcmena, Maia, Juno, Latona, Leda, Dione, tum et Semele Diespitris factæ sunt compressionibus fœtæ[a], nusquam et hi gentium, nec in aliqua parte rerum fuere[b] naturæ, sed ex conventu Jovis inseminati, et nati sunt, et aliquem sensum sui habere cœperunt. Ergo et hi quoque tempore esse cœperunt certo, et in numero numinum sacrorum ad cæremonias invocari. Quod ipsum similiter dicere translatum in Minerva licebit. Si enim Jovis, ut asseveratis, ex cerebro sine ullius seminis emicuit jactu: antequam est Diespiter genitus, et in utero matris B corporeæ[c] formam circumscriptionis accepit, certum est utique Minervam non fuisse, neque rerum in numero, aut ulla esse in substantia computatam: sed ex

LECTIONES VARIANTES.

[a] Fetiæ *ms. Inepte.*
[b] Fuisse *ms. male.*
[c] *Ita ms. et Fulv.* Corpore *Sab.*

COMMENTARIUS.

dam bidental ibi consecrabatur, ubi fulmen exarserat. Ibi ergo condebant fulmen, et locum consecrabant, ac hostias admovebant, quod eleganter describit Lucanus, lib. I, vers. 608 seqq. (ubi vid. Bürmann.). Quare nec ea loca adire volebant, ut observat Artemidorus, lib. II, cap. 8, quippe horrore divino obsignata. Ammian. Marcellin., lib. XXIII: *Et hoc modo contacta loca nec intueri, nec calcari debere, fulgurales pronuntiant libri.* HERALD.

Ratio genethliaca. Ratio, id est computatio. Vid. supr. ad lib. I, cap. 59. ORELL.

Theutin Ægyptium. Theutis, Thot, aliis dictus Hermes Trismegistus, de quo Plato in Phædro, pag. 274, ed. H. Steph., vol. III (Bipont. vol. X, pag. 379): Ἤκουσα τοίνυν περὶ Ναύκρατιν τῆς Αἰγύπτου γενέσθαι τῶν ἐκεῖ παλαιῶν τινα θεῶν, οὗ καὶ τὸ ὄρνεον τὸ ἱερὸν, ὃ δὴ καλοῦσιν Ἶβιν· αὐτῷ δὲ ὄνομα τῷ δαίμονι εἶναι Θεῦθ. τοῦτον δὲ πρῶτον ἀριθμόν τε καὶ λογισμὸν εὑρεῖν, καὶ γεωμετρίαν καὶ ἀστρονομίαν· ἔτι δὲ πεττείας τε καὶ κυβείας, καὶ δὴ καὶ γράμματα, etc. Confer Euseb., Præp. evangel., I, 9, et qui locus de eo classicus, Lactant., lib. I, cap. 6, ibique intpp. Pro *Theutin* editio princeps rom. habet *Theutatem*, quod erat nomen Mercurii apud Gallos, teste Lucano, lib. I, vers. 444, et Lactantio, Inst., lib. I, cap. 21, ubi vide Bunemann., pag. 135, et Gronov., ad Minuc. Felic. Octav., cap. VI, pag. 53 seqq. ORELL.

Destinam cœli. Id est *cœliferum Atlantem*, ut Statius ait Thebaid., lib. V. *Destina* vocabulum rarius, id quod *fulcrum*, *sustentaculum*. Corippus Afer, Panegyr. de Laudib. Justin. min., lib. I, vers. 18 seq.:

Et Thomas, Lybycæ nutantis destina terræ,
Qui lapsam statuit, vitæ spem reddidit Afris.

(ubi vid. Ruitz., et Rittershus., in Panegyr. Lat., ed. Jæger., pag. 481, vol. II); Isidor. Sent., lib. II, cap. 40: *Ruina adulterii excipitur destina matrimonii.* Braulion in vita Isidori: *Quem Deus post tot defectus, Hispaniæ novissimis temporibus suscitat, credo ad restauranda antiquorum monumenta, ne usquequacumque rusticitate veterascamus, quasi quamdam apposuit destinam.* ELMENH et MEURSIUS. — Idem vocabulum ex ms. Vitruvio lib. V, cap. 12, restituit P. Wesselingius, Obss., lib. II, cap. 15, pag. 198, quem vide. Conf. Cujac., Obss. lib. XXI, cap. 28. ORELL.

LXX. — *Jupiter tam supremus quam Stygius Jupiter Stygius* pro Plutone. Ita Virgil., Æn., IV, vers. 38:

Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravi,
Perficere est animus,

Nigrum Jovem appellat Silius VIII, 116. *Tartareum Jovem* idem II, 674, et Valerius Flaccus, Argonaut. I, 730: Ζεὺς χθόνιος, καταχθόνιος dicitur Orpheo, Hymn. LXX (ed. Hermann.), Homero Il. I, 457, Sophocli Œd. Col., vers. 1606. Similiter *Juno infera, Averna, Stygia* appellata Proserpina, apud Virg. Æn., VI, 137, et Ovid., Met., XIV, 114. Quæ appellationes videntur fluxisse a vetustissimorum philosophorum doctrina C duo hemisphæria statuentium, superius et inferius, et unicuique proprios deos assignantium, teste Lactantio vel Lutatio ad Stat., Theb., IV, pag. 192 ed. Crucæi: nusquam enim Neptunus dicitur Jupiter marium. Conf. C. Barth., Adversar., lib. XXII, cap. 10, pag. 1091, et ad Statii Theb., II, 49, vol. II, pag. 278, ubi hac de re multus est. ORELL. — Sed Neptuno Jovis nomen, quamquam rarius, additum esse comprobat Pausanias, teste Æschylo; quem locum attulit Hemsterhusius, ad Lucian., II, pag. 520, Bipont. OCHSNER.

Sali dominus. Alii *soli dominus*, ut exprimatur Ἐνοσίχθων, Ἐννοσίγαιος. Quod autem ab nostro loco prorsus alienum est. ORELL.

Genitore Saturnio. Ita bene legitur in membranis. *Genitorem Saturnium* eumdem accipio cum Jove, utpote patre Saturno satum, neque aliud hoc loco copula *et* notat, quam *id est*. Ita Virgil., Æn., IV:

D Oceani finem juxta solemque cadentem.
STEWECH.

— Alii *genito Saturno*, male. ORELL.

Antequam Memoria, quam Alcmena, etc. *Quam* ante *Alcmena* plane supervacuum est et sensum impedit, quare delendum censeo, et uncinis inclusi tamquam glossema. Pro *Alcemna* Fulv. Ursin. mavult *Camena*, male. ORELL.

Ex conventu Jovis. Conventus hoc loco idem quod noster supra cap. 16, dixit *corporalia concilia*. OR.

Diespiter. Varro, de Ling. lat., lib. IV (pag. 20, ed. Bipont.): *Hoc idem magis ostendit antiquum Jovis nomen. Nam olim Diovis et Diespiter dictus, hoc est aer et dies pater, a quo Dei dicti, qui inde; et dies, et dius, et divus.* ELMENH. — Diespiter nomen Jovis bene distinguendum a Dispiter vel Dis Pater, nomine Plutonis. Vide Cellar. et Bünemann., ad Lactant., Inst. I, cap. 14, pag. 90. ORELL.

quo capite Jovis enata est, et esse res cœpit nonnulla in essentia constituta. Habet ergo primigenios ortus, et a certo cœpta est tempore dea dici, sacris in ædibus statui, et inviolabili religione sanciri. Quod cum ita se habeat, cum de novitate loquimini religionum nostrarum, vestræ vobis in mentem non veniunt, nec curatis inspicere quando sint exorti Dii vestri, quas origines habeant, quas causas, vel ex quibus proruperint emicuerintque radicibus? Cujus est autem puderis, quinimmo inverecundiæ cujus, quod agere te videas, in eo alterum reprehendere, maledicti et criminis loco dare ea, quæ in te possint reciprocata vicissitudine retorqueri?

LXXI. Sed quod agimus nos, novum est, quod autem vos, priscum est, et nimiæ vetustatis: et quid istud aut vos juvat, aut nostram causam rationemque contristat? Nova res est quam gerimus: quandoque et ipsa vetus fiet. Vetus quam vos agitis: sed temporibus quibus cœpit, nova fuit ac repentina. Religionis autem auctoritas non est tempore æstimanda, sed numine: nec colere qua die, sed quid cœperis, conconvenit intueri. Ante quadringentos annos religio, inquitis, vestra non fuit. Et dii vestri non fuerunt ante millia annorum duo. Quibus istud rationibus colligi, aut quibus supputationibus potest? Non difficilibus, non obscuris, sed quas possit videre qui volet, et contrectare, quemadmodum dicitur, manibus. Quis Jovem cum fratribus genuit? genitalibus Opis adjunctus [a] Saturnus, ut vos fertis, Cœlo atque Hecata procreatus. Quis Picum Fauni patrem, atque avum Latini? Saturnus, ut iidem vos vestris scriptis atque auctoribus traditis. Ergo si hæc ita sunt, sequitur ut Picus et Jupiter germanitatis sibi sociati sint jure: utpote uno ex sanguine, unoque ex semine procreati. Consentaneum est ita esse quod dicitur. Ab Jove, et Pico, quot sunt generis usque ad

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ms.* Genialibus Opis adjunctis.

COMMENTARIUS.

In essentia constituta. In essentiam, quod habet codex ms., legendum censet Stewechius, more solito Arnobii accusativum ponendi pro ablativo et vice versa. Vide supra. Orell.

Inviolabili religione sanciri. Proprie. Nam *sancire* est rem sanctam atque inviolabilem efficere *fuso sanguine hostiæ*, ait Servius ad Virgil. Quare Lucanus, lib. VII:

Romanas sancire volent hoc sanguine leges.

Et Livius, lib. XXIII: *Jam ego, inquit, sanguine Annibalis sanciam Romanum fœdus.* Ergo ita sancitæ religiones et ipsa numina ita consecrata, quæ violare nefas idcirco erat, et quæ si quis violaverat, piaculum capite luebat. Sic leges *sanciri* dictæ, et *sanctiones*: quia, si quis in eas commiserat, capite puniebatur, ut observat Ulpianus, lib. IX de Rerum div. et qual. Quare *sanctæ* appellatæ sunt res ab hominum injuria defensæ ac munitæ, lib. VIII. Digest. eod. Sic legati sancti et inviolati; et tribuni plebis *sancti*, sive potius sacrosancti, ἱεροὶ καὶ ἄσυλοι, ut interpretatur Dionysius Halic., lib. VI Antiq. rom. Sacrosancti autem, quia sancitum erat, ut, qui eos violasset, caput ejus Jovi sacrum esset. Tit. Livius, lib. III. *Sanciendo, ut, qui tribunis plebis, ædilibus, judicibus, decemviris nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset; familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum eat.* Qui ita sacrati et devoti erant, eos quilibet poterat ἄνευ κρίσεως atque impune occidere. Sacrabantur autem diis inferis præcipue, θεοῖς καταχθονίοις. Hinc *dii sancti*, *sancta deorum templa*, sanguine et hostiis cæsis consecrata; sed et quorum majestatem si quis violasset et imminuisset, sanguine suo satisfaciebat et facinus expiabat. Proprie igitur Arnobius *inviolabili religione sanciri* ait, quia numen ita sancitum erat sanctum et inviolatum; et ejus majestas si violata erat, capite τοῦ ἀσεβήσαντος expiabatur. Herald.

LXXI. — *Nec colere qua die, sed quis cœperis intueri. Quid* est e correctione Gelenii: antea legebatur *qui cœperis*, quam lectionem defendere conatur Heraldus, *qui* accipiens pro *quomodo*, ut sensus sit; non esse considerandam religionis ætatem, sed rationem. Sed præfero *quid*, ut respondeat antecedenti *numine.* Orell.

Ante quadringentos annos religio, inquit, vestra non fuit. Locum vitiosum esse, non attinet dicere. Nam ex eo quod Arnobius, lib. I, cap. 13 scripsit: *Annos esse trecentos plus minus, ex quo christiani esse cœperint, et in orbe terrarum censeri*: facile videre est, in objectione illa pagani, cum inquit *quadringentos*, in numerorum notis valde aberratum esse. In considerationem quoque venire debet, quod scriptor hic mox subdit, annum urbis conditæ circiter 1050 esse, cum hæc scriberet; ac duo illa annorum millia (de quibus supra) inibi repetit ac recenset. Dum fastos Romanorum inspicio, ac præter ea, quæ calculo huic subjicienda sunt, Diocletiani imperium expendo (sub quo Arnobium vixisse, B. Hieronymus, alii mihi testes), comperio annum urbis Romæ conditæ 1050, hoc est consulatum Anicii Fausti et Galli incidere demum in annum Christi 298, quare restituamus apud Arnobium: *ante CCC annos religio, inquit, vestra non fuit.* Allusum enim ad ironicam concessionem illam præcedentem; *sed novellum est nomen nostrum, et ante dies paucos religio est nata, quam sequimur.* Stewech. Nil mutandum; nam auctorem nostrum in annorum computatione non satis sibi constare ab aliis jam, verbi causa, Baronio ad Annal. 302, § 17; Dodwello, Dissert. Iren., II, § 56; Pagio, ad Annal. 302, § 15, observatum est. Nimirum ex verbis ejus supra a Stewechio allatis, lib. I, cap. 13, et ex iis quæ in nostro capite infra leguntur: *Annos ducit* (Urbs Roma) *quinquaginta et mille, aut non multum ab his minus*, recte effecerunt, Arnobium hæc scripsisse circa annum Christi 297, juxta Varronianam vel annum 298, juxta Capitolinam annorum Urbis conditæ putationem. At vero huic computo obstare videntur verba, quæ infra legimus, lib. IV, cap. 36. *Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari, cur immuniter conventicula dirui*, quæ, ut monuit Baronius l. l., non videntur scripta esse ante annum post Christum natum 303, quo Diocletiana persecutio sævire cœpit. Quid, quod neque de tempore, quo scripserit libros suos, neque de anno quo obierit Arnobius, accuratiorem notitiam habemus, nisi quod ex verbis Hieronymi, de Viris illustribus, cap. 79, concludunt eruditi, illum ad annum 326, post Christum natum vitam produxisse. Quod si igitur uno anno post trecentesimum scripserat hæc auctor, adversarius ille paganus, quem inducit hoc loco, numero rotundo dicere poterat: *Ante quadringentos annos religio vestra non fuit.* Conf. Schœnemanni notitiam litterariam, § 1. Orell.

Quis Picum Fauni patrem, atque avum Latini? Sa

Latinum gradus, trini: ut indicat series. Vultis Faunus, Latinus, et Picus, annis vixerint vicenis atque centenis? ultra enim negatur posse hominis vita produci. Æstimatio justa et liquida est. Trecenti ergo sunt pleni et sexaginta post hos anni: res ita est ut indicat supputatio. Cujus socer Latinus fuit? Æneæ. Genitor is cujus? Albani oppidi conditoris. Quot apud Albam regnatum est annis? quadringentis, et prope bis denis. Ætatis urbs Roma cujus esse in annalibus indicitur? annos ducit quinquaginta et mille, aut non multum ab his minus. Ergo ab Jove, qui frater est Pici, quique pater est minorum, et reliquorum deorum, anni ad hæc tempora prope millia duo sunt, aut pleni, ut largiamur ætati. Quod cum redargui non possit, non tantum recens nata religio ostenditur, quam obitis: sed infantes et parvulos esse ipsos adhuc deos, quibus tauros atque alias hostias cum periculo corruptionis suggeritis[a] quos oportebat adhuc mammis atque stillato lacte nutriri.

LXXII. At religiones vestræ multis annis præcedunt nostram, et eo sunt veriores, quod vetustatis auctoritate munitæ sunt. Et quid eas prodest annis quamplurimis anteire, cum a certo cœperint tempore? aut spatii cujus sunt millia annorum duo, sæculorum tantis comparata cum millibus? Ac tamen ne causam tam longa prodere dissimulatione videamur, nisi molestum est, dicite, omnipotens, et primus Deus novella vobis videtur res esse, et qui eum venerantes colunt, inauditas, incognitas, repentinas agitare atque inducere religiones? Estne illo antiquius quidquam, aut quod eum præcedat re, tempore, nomine, potest aliquid inveniri? Nonne solus ingenitus, immortalis et perpetuus solus est? Quis caput, aut fons rerum est? non ipse? cui debet æternitas hoc ipsum, quod nuncupatur æternitas? non ipsi? infinita ut prodeant sæcula, non ex ejus perpetuitate perficitur? Indubitabile istud et verum: non ergo quod sequimur novum est, sed nos sero addidicimus, quidnam sequi oporteat et colere: aut ubinam conveniat, et spem salutis affigere, et salutaria subsidia collocare. Nondum enim affulserat, qui viam monstraret errantibus, et caligine in altissima constitutis cognitionis lumen immitteret, et ignorationis discuteret cæcitatem.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Oggeritis *Fulv.*

COMMENTARIUS.

turmis, etc. De Saturni regno profugi adventu in Italiam, Pico, Fauno, etc., vide inprimis Aurelium Victorem, de Origine Gentis romanæ, cap. III et IV, ibique interpretes. ORELL.

Vultis Faunus Latinus et Picus annis vixerint vicenis atque centenis? ultra enim negatur posse hominis vita produci. Nota historia magni Panis mortui et aliorum geniorum interitus apud Plutarchum, de defectu Oraculorum. Manifesto Statius Theb., VI, 96, deteriorem Nymphis Faunorum conditionem facit, cum *eorum greges interiisse* dicat *durante hac silva.* Servius ad Æn., I, 372: *Nymphæ non omnia sciunt; nam et moriuntur secundum Aristotelem, ut Fauni Panesque.* Claudian., de Rapt. Proserp. III, 379.

> . . . . Pariter traxere ruinam,
> Et pariter posuere comam, campoque recumbunt
> Faunorum Dryadumque dolor.
> BARTH., *ad Stat., vol.* III, *pag.* 382.

Æneæ. Genitor is cujus? Albani oppidi conditoris. Ita edidi ex emendatione Freinshemii in Indice ad Florum verbo *Iulus.* Cod. ms. et editiones eum secutæ habent: *Æneæ, genitoris latini: cujus? Albani oppidi conditoris,* vitiosissime, et contra omnem fidem historicam. Ob. Gifanius legit: *Æneæ genitoris? cuius.* etc, probante Th. Cantero. Fulv. Ursinus: *Æneæ genitoris Ascanii, Albani oppidi conditoris.* Salmasius, in ed Lugd. Bat., edidit et interpunxit: *Æneæ. Genitor is Ascanii. Cujus? Albani oppidi conditoris:* ita ut Ascanius Albæ conditor distinguatur ab aliis Ascaniis, verbi causa ductore Phrygum in bello Trojano, cujus meminit Homerus. Il., II, 862, et XIII, 792. Sed quotusquisque erat lectorum Arnobii, qui alium Ascanium cogitasset, quam Æneæ filium, conditorem Albæ? Meursius tandem sic refingit: *Æneæ. Generis Latini.* ORELL.

Annos ducit quinquaginta et mille. Ducit, id est computat, numerat, ut bene interpretatur J. Fr. Gronovius, Obss., lib., II, cap. 10, pag. 130. seq., et refutat virum eruditum, nescio quem, explicantem: *Durat. Ducere* verbum arithmetices et ratiocinii proprium, non tantum de additione, ut vult Ernesti, in clavi Cic., hoc verbo, sed de omni computo. Ita Gell., lib. I, cap. 20: *In numeris etiam similiter κύβος dicitur cum omne latus ejusdem numeri æqualiter in sese solvitur, sicut fit, cum ter dena ducuntur.* ORELL.

Aut pleni. Ita legendum esse cum Fulvio Ursino, docent sequentia verba *ut largiamur ætati.* Cod. ms. *haud pleni.* ORELL.

Religio.... quam obitis. Id est quam colitis. Sic infra lib. III, cap. 5: *Reliquorum deorum officia non obitis,* pro: *Non præstatis reliquis diis officia.* ORELL.

Cum periculo corruptionis suggeritis. Corruptio sæpissime de morbo, quod corpus invadit. Sic *ater corrupti corporis humor* ap. Lucret., III, 502. Pro *suggeritis,* Fulv. Ursin. mavult *oggeritis,* quod antiquius. Sed nil mutandum. *Cibos suggerere alicui* dicit etiam Statius, Theb., IX, 740. ORELL.

LXXII. — *Ac tamen ne causam tam longa procedere dissimulatione videamur.* Ita edidi ex emendatione Th. Canteri, quam probat editor Lugd. Bat. et Freinshemius in Indice ad Florum verbo *veteres.* Cod. ms. et ed. princeps Rom. habent: *Ac tamen ne causam tam longam,* etc., quod defendere conatur Heraldus putans excusare se Arnobium, quod in hac disputatione diutius immoretur, dicere itaque, hoc se consulto fecisse, ne brevius agendo, et ea quæ ad rem pertinebant reticendo, videretur causam, quam defendendam susceperat, prodere voluisse. Sed ea, quæ antea in hoc libro disputaverat Arnobius, verbi causa, de ortu animarum, ad causam illam minime pertinent, et ab operis consilio prorsus sunt aliena: dicit itaque plane contrarium, nimirum, se jam ad operis propositum reflectere, ne videatur rebus minus necessariis diutius immorando causam suam prodere voluisse: hactenus enim distulerat veri argumenti robur promere. Legendum itaque: *Tam longa.... dissimulatione. Dissimulatio, dissimulare,* de iis qui consulto reticent veritatem, omittunt ea quæ ad causam pertinent. Vide supra ad cap. 44. Gelenius edidit: *Ne causam tam bonam prodere dissimulatione videamur.* Male. ORELL.

Quod nuncupatur æternitas. Ita Meursius et editor Lugd. Bat. Alii: *Quo nuncupatur æternitas.* ORELL.

Ubinam conveniat, etc. Ita Fulv. Ursinus. Cod. ms.

LXXIII. Sed causa in hujusmodi vertimur soli. Quid? vos Ægyptiaca numina, quibus Serapis atque Isis est nomen, non post Pisonem et Gabinium consules in numerum vestrorum retulistis deorum? Quid Phrygiam matrem, cujus esse conditor indicatur vel Midas vel Dardanus, non, cum Annibal pœnus res italicas [a] raperet, et terrarum exposceret principatum, et nosse, et scire cœpistis, et memorabili religione sancire? Sacra Cereris matris non quod vobis incognita essent, ascita paulo ante, obtentum est ut Græca dicantur, novitatem ipsam testificante cognomine? Non doctorum in litteris continetur, Apollinis nomen Pompiliana indigitamenta nescire? Ex quo apparet, et liquidum est, et hunc vobis fuisse incognitum, post autem aliquando cœpisse esse et notum. Si quis igitur vos interroget, cur eorum numinum, quorum modo fecimus mentionem tam sero susceperitis cultum, responsuros vos certum est, aut quia illos nuper deorum esse in numero nesciebamus, aut quia nunc sumus a vatibus moniti, aut quia in rebus asperrimis beneficiis eorum sumus auxiliisque servati. Quod si hoc a vobis recte existimabitis dici, et ex nostris partibus ratione consimili existimatote esse responsum. Religio nostra nunc nata est: nunc enim missus advenit, qui eam nobis ostenderet, qui in ejus induceret verita-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Sab.* Italas *alii.*

COMMENTARIUS.

ubinam convenire. Quod in textum revocavit editor Lugduno-Batavus, ut sensus sit: *Ubinam convenire oporteat homines*, quod supplendum ex præcedentibus. Meursius mavult: *Ubinam conveniret.* ORELL.

LXXIII. — *Sed causa in hujusmodi vertimur soli?* Ita, sensu flagitante, optime emendavit editor Lugd. Bat. Cod. ms. et editio Elmenhorstii: *Sed causa in hujusmodi vertitur sola?* vitiosissime et nullo sensu, unde Fulv. Ursin. conjicit: *In hujusmodi vertitur solo?* Sed unice vera editoris Leidensis emendatio, ut sequentia docent. ORELL.

Quid? vos Ægyptiaca numina, quibus Serapis atque Isis est nomen, non post Pisonem et Gabinium Consules in numerum vestrorum retulistis deorum? Tertullian., Apologet., cap. VI: *Serapidem, et Isidem, et Harpocratem cum suo Cynocephalo. Capitolio prohibitos inferri, id est curia deorum pulsos, Piso et Gabinius Consules, non utique Christiani, eversis etiam aris eorum abdicaverunt, turpium et otiosarum superstitionum vitia cohibentes. His vos restitutis summam majestatem contulistis.* HERALD. et ELMENH. – Conf. eumdem Tertull., adv. Nation., I, c. 10. Annus Consulatus A. Gabinii et L. Calpurnii Pisonis est annus urbis conditæ 696, ante Christum natum 58. Vid. Almeloveen., Fast. Consular., pag. 99. Hoc anno et plus semel Senatus eorum divorum fana, quæ privatim nonnulli exstruxerant, demoliri jussit, quod ea numina non magnopere æstimabat. Sed mox vincente populari factione cultus eorum restitutus, ac primo quidem templa eorum extra pomœria posita, teste Dione Cass., lib. XLII, cap. 47, ubi vid. Reimar., tom. I, pag. 252, donec, Hirtio et Pansa Coss. anno urbis conditæ 711, a Triumviris Cæsare Octaviano, Antonio et Lepido novum templum iisdem numinibus decretum fuit, ut memorat idem Dio, lib. XLVII, c. 15, pag. 501, ed. Reimar. Conf. Augustin., de Civit. Dei, XI, 14; Lucan., Phars., VII, 83; Bœttiger. V. Cl. in Sabina, pag. 199, seqq., et qui totam istorum sacrorum historiam fuse docteque explicat. Gisb. Cuper., in Harpocrat., pag. 149, seqq. ORELL.

Quid? Phrygiam matrem, cujus esse conditor indicatur vel Midas, vel Dardanus. Sequitur hoc loco Arnobius Clementem Alexandr., apud quem in Protrept. ad Gent., cap. 5, pag. 12, ed. Potter., hæc leguntur: Ὄλοιτο οὖν ὁ τῆσδε ἄρξας ἀπάτης ἀνθρώποις· εἴτε ὁ Δάρδανος, ὁ μητρὸς θεῶν καταδείξας τὰ μυστήρια· εἴτε Ἠετίων, ὁ τὰ Σαμοθρακῶν ὄργια καὶ τελετὰς ὑποστησάμενος· εἴτε ὁ Φρὺξ ἐκεῖνος ὁ Μίδας, ὁ παρὰ τοῦ Ὀδρύσου μαθὼν, ἔπειτα διαδοὺς τοῖς ὑποτεταγμένοις ἔντεχνον ἀπάτην. Cf. Diodor., III, 58 (ibique Wesseling.); Dionys. Halic., Antiq. rom., I, pag. 53. ELMENH.— Add. Justin., XI, 7: *Post hunc* (Gordium) *filius Mida regnavit, qui ab Orpheo sacrorum solemnibus initiatus, Phrygiam religionibus implevit: quibus tutior omni vita quam armis fuit.* Conf. Perizon., ad Ælian., V. H., III, 18. De *Dardano* vide supra ad lib. I, cap. 52. Pro *indicatur* ed. Lugd. Bat. habet *judicatur.* ORELL.

Cum Annibal pœnus res italas raperet....... et nosse et scire cœpistis. Cic., de Arusp. Resp., cap. 13 (pag. 344, ed. Fr. A. Wolf.): *Hac igitur* (Sibylla) *vate suadente quondam, defessa Italia punico bello atque ab Annibale vexata, sacra ista majores nostri adscita ex Phrygia Romæ collocaverunt: quæ vir is accepit, qui est optimus populi Romani judicatus, P. Scipio; femina autem, quæ matronarum castissima putabatur, Q. Claudia.* ELMENH. — *Res rapere* propria locutio. Virgil., Æn., X, 14.

Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.

Quem in locum Servius: *Veteres lædere, res rapere dicebant, etiamsi rapinæ nullum crimen existeret, similiterque satisfacere res reddere dicebant.* Sic *res repetere*, τὰ δίκαια αἰτεῖν. et τὰς δίκας αἰτεῖν, ut vertit Dionysius Halicarn. HERALD. — *Res rapere* respondet Græcorum ἄγειν καὶ φέρειν. ORELL.

Sacra Cereris matris. . . . . obtentum est, ut Græca dicantur, etc. Cicero pro Balbo, cap. 24: *Sacra Cereris summa majores nostri religione confici cæremoniaque voluerunt: quæ quum essent assumpta de Græcis, et per Græcas semper sunt curata sacerdotes, et Græca omnia appellata.* Cf. Valer. Max., lib. I, cap. 1, et Fest. v. *Græca sacra*, ibique Dacer. ORELL.

Apollinis nomen Pompiliana indigitamenta nescire. Servius ad Virgil. Georg., I, 21.

Dique Deæ omnes, studium quibus arva tueri.

Nomina hæc, inquit, numinum in indigitamentis inveniuntur, id est, in libris Pontificalibus, qui et nomina deorum, et rationem ipsorum numinum continent. Glossæ Philoxeni: *indigitamenta*, ἱερατικὰ βιβλία. HERALD.— Meurs., pag. 85 seq.; Ol. Borrich. cogitat., pag. 129. Cf. G. J. Vossii Etymol. rom., et Jos. Scaliger. ad Hymn. Orphei in ejusdem Poematibus pag. 186. Idem quod Arnobius de Apolline, de Venere scribit Macrobius, Saturn. I, cap. 12. *Cincio etiam Varro consentit, affirmans nomen Veneris ne sub regibus quidem apud Romanos vel Latinum vel Græcum fuisse, et ideo non potuisse mensem a Venere nominari. Neque in carminibus Saliorum Veneris ulla, ut cæterorum cœlestium, laus celebratur.* Conf. intpp. ad Varron., pag. 136, ed. Bip. ORELL.

Post autem aliquando. Editio princeps Sabæi: *post autem aliquanto.* Sed nil mutandum. Sensus flagitat *aliquando*, id est, aliquo incerto tempore. Nam cultus illorum numinum instituebantur alii breviori, longiori temporis intervallo. ORELL.

tem, qui Deus monstraret quid sit, qui ad ejus nos cultum [a] ab rebus opinabilibus avocaret.

LXXIV. Et quid, inquit, est visum Deo regi atque principi, ut ante horas, quemadmodum dicitur, paucul as sospitator, ad vos Christus cœli ex arcibus mitteretur? Interrogamus et vos [b] contra: quæ causa, quæ ratio est, ut non suis aliquando reddantur mensibus tempora, sed serius hyems [c], serius æstas, atque autumnitas fiant? Cur post messes arefactas, atque extincta frumenta, nonnumquam decidant pluviæ, quas rebus oportuit incolumibus labi, atque temporis opportunitatibus ministrari? Immo illud exquirimus potius, cur, si Herculem oportuit nasci, si Æsculapium, Mercurium, Liberum, aliosque nonnullos, qui et conciliis adjungerentur deorum, et mortalibus aliquid utilitatis afferrent, tam sero a Jove sint proditi, ut sola illos posteritas sciret, superiorum vero ignoraret antiquitas? Rationem aliquam fuisse dicetis. Ratio ergo et hic fuit, cur non nuper, sed hodie sospitator nostri generis adveniret. Quænam igitur ratio? Non imus inficias nescire nos. Neque enim promptum est cuiquam Dei mentem videre, aut quibus modis ordinaverit res suas. Homo animal cæcum, et ipsum se nesciens nullis potest rationibus consequi. Quid oporteat fieri, quando, vel quo genere: ipse rerum cunctarum pater, moderator, et Dominus scit solus. Nec si ego nequivero causas vobis expromere, cur aliquid fiat illo vel hoc modo, A continuo sequitur ut infecta fiant quæ facta sunt, et amittat res fidem, quæ generibus virtutum tantis et potestatum indubitabilis esse monstrata est.

LXXV. Tu opponas et referas, cur tam sero emissus est sospitator? In infinitis perpetuis sæculis nihil omnino dicendum est serum. Ubi enim finis, et initium nullum est, nihil tardum. Tempus enim a finibus et extremitatibus noscitur, quæ habere non potest series et immoderata continuatio sæculorum. Quid enim si res ipsæ, quibus opem conveniebat ferri, opportunitatem istam temporis exigebant? Quid si alterius conditionis antiqua, alterius fuere sequentia? Quid si priscis aliter subveniri, aliter debuit posterioribus consuli? Nonne litteras auditis B commemorantes vestras, fuisse homines olim semideos, heroas, cum immanibus corporibus atque vastis? Non infantes sub uberibus matrum stentoreos legitis edidisse vagitus, quorum ossa variis in regionibus eruta, vix repertoribus fecerunt fidem, humanorum reliquias esse membrorum? Potest ergo fieri, ut tum demum emiserit Christum Deus omnipotens, Deus solus, postquam genus hominum fractior et infirmior cœpit nostra esse natura. Si quod hodie factum est, ante millia fieri potuisset [d] annorum, fecisset istud rex summus: aut si post totidem millia, id quod hodie factum est, debuisset impleri, nihil Deum cogebat necessarias temporum non expe- C ctare mensuras. Rationibus fixis peraguntur res ejus,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Verum cultum *Fulv.*
[b] Nos *Sab.*
[c] Hyemes *ms. male.*
[d] *Ita Sab.* Oportuisset *alii.*

COMMENTARIUS.

Qui ad ejus nos cultum ab rebus opinabilibus avocaret. Res opinabiles, id est vanæ, in opinione tantum hominum fundatæ. *Verum cultum* mavult F. Ursin. ORELL.

LXXIV. — *Sospitator*. Amat hanc Christi appellationem Arnobius. Vide caput sequens et lib. I, cap. 53. *Deus ab incognitis regnis et ab omnium principe Deus sospitator est missus*. Conf. Lactant., lib. IV, cap. 26. ELMENH.

Autumnitas. Vide supra ad lib. I, cap. 21. ORELL.

Nullis potest. Ita Fulv. Ursinus. Cod. ms. *nullis potens*, quod defendere conatur Stewechius. Sed tum hiat oratio et verbum finitum desideratur. ORELL.

Consequi. Quid oporteat fieri, quando, vel quo genere; ipse rerum cunctarum pater moderator, et dominus scit solus. Ita editores omnes, excepto Lugd. Batavo, qui ita legit et distinguit: *Consequi quid oporteat fieri, quando, vel quo genere. Ipse rerum cunctarum pater moderator, et dominus scit id solus*. Equidem mutandi causam nullam video. ORELL.

Quæ generibus virtutum tantis et potestatum indubitabilis esse monstrata est. Membranis placet: quæ generibus virtutum tantis et potestatibus, potestatis indubitabilis esse monstrata est. Mihi arridebat magis: quæ generibus virtutum tantis, tantis et potestatibus, potestatis indubitabilis, etc., an potius: *Quæ generibus virtutum tantis et potestatum potestatibus indubitabilis esse monstrata est*. STEWECH.

LXXV. — *In infinitis perpetuis seculis nihilomnino dicendum est serum*. Hæc est egregia emendatio Th. Canteri, merito a sequentibus editoribus in textum recepta. Cod. ms. *nihilominus dicendum est verum*, vitiosissime. Cæterum rationem, cur tam sero missus sit sospitator, pulchre reddunt Theodoretus contra Græc. Orat., VI; Eusebius, Demonstr. evangel., lib. VI, cap. 10; Gregor. Nyssen., Cath. Orat., cap. 59; Leo, serm. III, de Nativ. Domini; Chrysologus, serm. XVIII, pag. 75. ELMENH. et ORELL.

Immoderata continuatio sæculorum. Vox Lucretiana, qua sæpius utitur. Lucretius, lib. I, vers. 1012:

Aut etiam, alterutrum nisi terminet alterum eorum
Simplice natura, et pateat tantum immoderatum, etc.

Sic Cicero, de Nat. deor., lib. II, cap. 25. Euripidis versum ex incerta Tragœdia sic interpretatur:

Vides sublime fusum immoderatum æthera.

immoderatum æthera, id est immensum, τὸν ἄπειρον αἰθέρα. HERALD. et NOURRIUS.

Fuisse homines olim semideos, Heroas, cum immaD nibus corporibus atque vastis. Vide quæ congessit Hieron. Magius, lib. II. Miscell., cap. 4. ORELL.

Stentoreos legitis edidisse vagitus. Adagium tractum a Stentore, Græcorum vocalissimo, cujus mentio ap. Homerum l. V, 785, seqq. et natum ab eodem proverbium: *Stentore clamosior*. Juvenal., sat. XIII, vers. 112.

Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis.

Cf. Dionis Chrysost., Orat. Tarsic. I. Cod. ms. habet: *Centenarios*, unde Meursius fecit: *certe varios edidisse vagitus*. ELMENHORST.

Quorum ossa variis in regionibus eruta, etc. Vide Herodot., lib. I, cap. 68. A. Gellius, lib. III, cap. 10; Solin., cap. 15; Phlegont. Trallian., in Mirabil.; Servium, ad IX Æneid., p. 578; Juvenal., sat. XV; Glycam, pag. 370. ELMENH. et STEWECH.

Fecerunt fidem. Fulv. Ursin. conjicit *fecerint*, non male. ORELL.

et quod semel decretum est fieri, nulla potest novitate mutari.

LXXVI. Cum ergo, inquitis, omnipotenti serviatis Deo, et eum habere confidatis salutis atque incolumitatis vestræ curam, cur persecutiones patitur perpeti vos tantas, atque omnia genera pœnarum et suppliciorum subire? Perquiramus et nos contra, cur et vos cum tantos et tam innumeros colatis deos, cumque illis ædes constituatis sacras, simulacra effingatis ex auro, animantium mactetis greges, acerras omnes thuris plenis conficiatis altaribus, cur non immunes agitis tot discriminibus, et procellis, quibus quotidie A vos agunt exitiabiles multiplicesque fortunæ? Cur, inquam, dii vestri cessant a vobis avertere tot morborum et valetudinum genera, naufragia, ruinas, incendia, pestilentias, sterilitatem, amissionem pignorum, et proscriptionem bonorum, discordias, bella, simultates, captivitates urbium, et, sublatis ingenuitatibus, servitutes? Sed et nobis in hujusmodi casibus minime auxiliatur Deus. Prompta et manifesta causa est. Nihil enim est nobis promissum ad hanc vitam, nec in carunculæ hujus folliculo constitutis, opis aliquid sponsum est, auxiliique decretum: quinimmo edocti sumus minas omnes, quæcumque sunt, parvi ducere, atque æstimare fortunæ. Ac si

COMMENTARIUS.

LXXVI. — *Cum ergo, inquitis, omnipotenti serviatis Deo, cur persecutiones patitur perpeti vos tantas?* Hoc argumento plurimum utebantur gentes, ut constat ex scriptoribus ecclesiasticis, qui ei abunde satisfecerunt. Eusebius, Hist. eccl., lib. v, cap. 2: Οἱ δὲ ἐπιεικέστεροι (τῶν ἐθνῶν) καὶ κατὰ ποσὸν συμπαθεῖν δοκοῦντες ὠνείδιζον πολὺ λέγοντες· Ποῦ ὁ θεὸς αὐτῶν, καὶ τί αὐτοὺς ὤνησεν ἡ θρησκεία, ἣν καὶ πρὸ τῆς ἑαυτῶν εἵλοντο ψυχῆς; Cf. Minuc. Fel. Octav., cap. XII; Justin. Martyr., Apolog. I, pro christianis, p. 34; Clemens Alexandr., lib. XI. Stromat., pag. 216, 217; Gaudentius, in Præfat. ad Benevol., p. 46 et 47. Euseb., Demonstr. evangel., lib. X, cap. 8; Lactantius, lib. V, cap. 12. HERALD et ELMENH.

Cumque illis sedes constituatis sacras. Ita ms. et editio Lugd. Bat. Alii e conjectura Fulvii Ursini: *ædes........ sacras*. ORELL.

Acerras omnes thuris plenis conficiatis altaribus. Pro *conficiatis* scribendum existimo *conjiciatis*, id est acerras ipsas thuris in aras infundatis, nec tantum eminulis digitis injiciatis. Nam qui deos religiosius venerari volebant, thus ingerebant aris, neque acerra tantum, sed plena lance effundebant, et quæcumque alii in cultu Deorum mediocriter faciebant, ea omnia ὑπερβολικῶς isti et luxuriose præstabant. Hecatombas igitur mactabant, altaria thure cumulabant, vinum largissime effundebant. Vel possit etiam legi *acervos omnes thuris*, quam loquendi rationem usurpat infra, lib. VII; Tibullus, IV, El. VI, 1.

Natalis Juno, sanctos cape thuris acervos
Quos tibi dat tenera docta puella manu,

Martialis:

Consumpsi salsasque molas, et thuris acervos
Grex mihi decrevit, dum cadit agna frequens.
HERALD.

Emendationem in textum recepit editor Lugd. Bat. D At idem Heraldus in Curis secundis legendum censet: *Acerras omnes thuris plenas*, etc. Dissentiunt grammatici veteres non minus quam recentiores eruditi in constituenda significatione vocis *acerra*. Festus: *Acerra, ara, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur: alii dicunt, arculam esse thurariam, scilicet, ubi thus reponebant*. Cum Festo consentit etiam G. Jo. Vossius in Etymologico rom. *acerram* interpretans arulam, sive vasculum æneum, in quo odores incendebantur, et hoc sensu *acerram* pro ipso thuribulo dictam legi apud Martian. Capellam de Nuptiis Philolog. lib. II, pag. 46, ed. Bernens.: *Acerra autem multo aromate gravidata eademque candenti manus virginis onerantur*. Nota *candentem* (scil. igne) *acerram*. Sic etiam in duodecim Tabulis, tab. X, lege 12: *Nei loncai coronai, neive acerai preferuntor* intelligendæ sine dubio non arcæ thurariæ, sed ipsa thuribula sive foculi ardentes ac fumantes, in funeribus præferri soliti. Vid. not. Funccii, pag. 453. Quæ B interpretatio, si vera est, *conficiatis* mihi videtur sanissimum esse. Nimirum *conficere* id quod consumere, scil. adolendo vel suffiendo, *ganze Rauchfasser ausbrenuen*. Ita Cicero, de Divin., II, 57. *Quæ vetustas est, quæ vim divinam conficere possit*. At vero Jani et Mitscherlich., ad Horat. III, Od. VIII, 2 seq., et nuperus editor Konig. ad Persii Sat. II, 5, *acerram* interpretantur arculam thurariam quadratam, ac de ære plerumque eleganter factam, unde thus promebatur et in ignem injiciebatur (*das Weyhrauchkastchen*), probe distinguendam a thuribulo, in quo thus incendebatur. Quam si sequamur explicationem, in loco nostro omnino legendum erit: *conjiciatis*. ORELL.

Quibus quotidie vos agunt, etc. Cum præcesserit *agimus*, Stewechius ad evitandam ingratam τοῦ *agere* repetitionem legendum putat *vos subigunt* vel, quod antiquius, *subagunt*; quid si legamus *vos angunt?* Nil mutandum: *agunt*, id est, agitant, inquietant. Ita C Græci ἄγειν καὶ φέρειν. ORELL.

Amissionem pignorum. *Pignora* non de liberis tantum, sed etiam de parentibus. Ita Tertullian., de Idololatr., cap. 12: *Jam tunc demonstratum est nobis, et pignora et artificia, et negotia propter Dominum derelinquenda, cum Jacobus et Joannes, vocati a Domino, et patrem navemque reliquerint*. Sermo nimirum de eo, qui patrem sepeliendi tempus neglexit, ut ad Christum accederet. PRIOR. — Quintilian. Inst. VI, cap. 1, § 24. *Affert in his momentum et ætas, et sexus, et pignora; liberi dico et parentes et propinqui*. ORELL.

In carunculæ hujus folliculo constitutis. Nonius: *Folliculum Lucilius posuit pro corpore* (lib. XXVI). *Ego si quis sum, et quo folliculo sum indutus, non queo*. Arnob., in Psalm. 149: *In extensione follis nostri corporei*. Tertullian., Apolog., cap. ult.: *Tunde, tunde Anaxarchi follem*. ELMENH.—Stoicorum familiari locutio. Vide Gataker ad Antonin. Comment., VIII, § 37, p. 309 sq., ed. Lond. et Bottiger. V. Cl., in Sabina, p. 318. ORELL. Sic Græci θύλακον usurpant. Theodoretus, de Martyrib., lib. VIII: οὐδέ γε Ἀνάξαρχος ἐκεῖνος, ὃς ὑπέροις πτισσόμενος σιδηροῖς ἔλεγεν, ὥς φασιν, Πτίσσε Ἀναξάρχου θύλακον· Ἀνάξαρχον γὰρ οὐ πτίσσεις. quod ex Diogene Laertio sumpsit, lib. IX, in Anaxarcho, ubi ita legitur: Πτύσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον γὰρ οὐ πλήττεις. Ad verbum expressit Tertullianus, Apologetico, cap. ult.: *Anaxarchus, cum in exitium ptissanæ pilo contunderetur: Tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis*. Atque ut hi *follem* dixere, sic Varro *corticem* in Tithono περὶ γήρως. *Sic invita matura anima corporeum corticem facile reliquit*. SCALIGER, *ad Catalect. Virg.*, p. 301. Conf. Petav. ad Themist., orat. XVII, p. 724. Conf. inprimis C. A. Dukerus de latinitate Ictorum, p. 233, et C. Rittershus. ad Salvian., lib. III, contra Avarit., § 497, p. 153. ORELL.

Quinimmo edocti sumus minas omnes, quæcumque sunt, parvi ducere, atque æstimare Fortunæ. Locus sanissimus, quem frustra interpolare voluerunt. Nam

quando ingruerit vis quæpiam gravior, quam finem A necesse sit consequi, eam non timere, nec fugere quo facilius exui corporalibus possimus e vinculis, et tenebrosam evadere cæcitatem.

LXXVII. Itaque ista, quam dicitis, persecutionis asperitas liberatio nostra est, non persecutio; nec pœnam vexatio inferet, sed ad lucem libertatis educet : ut si aliquis brutus ac stolidus in carcerem hominem datum, quæstionum numquam afficere se gravibus atque inmanibus existimet pœnis, nisi in ipsum sæviat carcerem, materiam ejus comminuat, atque urat tectum, parietem, januas, partesque alias operis renudet, dejiciat, affligat, nesciens hoc facto ei, cui videatur officere, dari ab se lucem et sceleratam eripi cæcitatem; itidem et vos flammis, exi- B liis, cruciatibus, belluis, quibus corpora lancinatis [a] et divexatis nostra, non vitam eripitis nobis, sed pelliculis relevatis et cutibus nos; nescii quod quantum [b] instatis et pergitis in effigies has nostras speciesque sævire, tantum [c] arctis et gravibus relevatis nos vinculis, et ad lumen efficitis circumcisis nexibus evolare.

LXXVIII. Quare homines abstinete quæstionibus vacuis impedire spes vestras; nec, si aliter quam vos putatis, aliquid se habet, vestris potius opinionibus credere, quam rei debetis augustæ. Urgent tempora periculis plena, et exitiabiles imminent pœnæ, confugiamus ad salutarem Deum, nec rationem muneris exigamus oblati. Cum de animarum agatur [d] salute, ac de respectu nostri, aliquid et sine ratione faciendum est, ut Epictetum dixisse approbat Arrianus. Dubitamus, ambigimus, nec esse quod dicitur plenum fidei suspicamur; committamus nos Deo, nec plus apud nos valeat incredulitas nostra, quam illius nominis et potentiæ magnitudo; ne dum ipsis nobis argumenta conquirimus, quibus esse videatur falsum id, quod esse nolimus atque adnitimur verum, obrepat dies extremus et inimicæ mortis reperiamur in faucibus.

LECTIONES VARIANTES.

a Laniatis *Fulv.*
b Tanto *ms.*
c Tanto *ms.*
d Agitur *alii.*

COMMENTARIUS.

hoc ait Arnobius : Quinimmo edocti sumus minas omnes Fortunæ, quæcumque tandem illæ minæ sint, parvi ducere et æstimare. Hujus igitur loci obscuritatem peperit dictionis trajectio, *Fortunæ* scil., unde sequentium verborum depravatio secuta est. Herald.—Meursius sic distinguit : *parvi ducere atque æstimare. Fortunæ ac si quando.* Male. Orell.

Ac si quando ingruerit vis quæpiam gravior, quam finem necesse sit consequi eam nec timere nec fugere, quo facilius, etc. Ita locum optime disposuit Heraldus, C qui in editionibus prioribus vitiosissime ita legitur : ..... *Consequi adscribere infortunio; voluptatem nec timere nec fugere;* Ubi verba *adscribere infortunio* dubio procul orta sunt a librario verba præcedentia *æstimare fortunæ* in margine male interpretante, et in tertio casu accipiente, cum sit secundus, ad sequentia dein verba, *nec pœnam vexatio inferet*, adscribente in eodem margine : *sed voluptatem.* Editor Lugd. Bat. refingit : *Qua finem necesse sit consequi vitæ, eam nec timere*, etc. Sed *finis* absolute idem quod mors, ut sæpissime. Sensus itaque est : *Si quando ingruerit vis quæpiam gravior, quam finem (id est mortem) sequi vel excipere necesse sit.* Orell.

LXXVII. — *In carcerem hominem datum quæstionum*, etc. Ita correxit Fulv. Ursinus, optime. Cod. ms. : *in carcerem hominem natum*, *ingressum quæstionum*, etc. corrupte; nam *ingressum* manifestum glossema est. Herald. Alii, verbi causa, Elmenhorst. in ed. Hanov., *in carcere hominem damnatum.* Ut Arnobius *carcerem*, ita corporis hanc, qua animam detinet, mansionem *antrum* dicit Empedocles, ap. Aeneam Gaz. in Theophrasto : *vincula*, δεσμά, Arrianus in Epict., lib. i, cap. 9 : *tunicam* aut *indumentum*, Nemesius, de Nat. hom., cap. iii, etc. Vid. C. Barth., Adversar., lib. xlii, cap. 12, p. 1873, sq. Orell.

Sceleratam cæcitatem. Ita Virgil., Georg. ii, 256. *Sceleratum exquirere frigus*, id est noxium, molestissimum. et Rutil. Itin., i, 53 :

Obruerint citius scelerata oblivia solem.

ubi vid. intpp. Conf. C. Barth., Advers., lib. xxv, cap. xv, p. 1246. Orell.

Lancinatis et divexatis. Glossæ : *Lancino*, θυννάζω. Papias : *Lancinare, trucidare, lacerare.* Prudent. περὶ Στεφάνων :

Hoc omne quod lancinamur non dolet.

Elmenh.

Vid. supr., ad cap. 8, et ad lib. i, cap. xli. Pro *divexatis*, ed. Lugd. Bat., dedit *diu vexatis* ex msto. Orell.

Quantum instatis ..... tantum artis et gravibus relevatis nos vinculis. Stewech. leg. censet. : *quanto instatis ..... tanto artis*, id est *tanto magis arctis. Magis, plus, melius*, etc. sæpius omittitur ap. Latinos ad consuetudinem Græcorum. Ita lib. i, cap. lvii : *fidem vicinis et finitimis, quam spatiorum inesse longinquitate distantibus.* Idem Stewechius pro *vinculis* legisse videtur *telis.* Quod si e cod. ms. fluxit, non plane rejiciendum arbitror, nimirum a *tela, æ.* Cæterum cum nostro loco bene comparat Elmenhorst., Cic. Tusc. i : *Nos vero, si quid tale acciderit, ut a Deo denuntiatum videatur, ut exeamus a vita læti, et agentes gratias pareamus, emittique nos e custodia, et levari vinculis arbitremur.* Orell.

LXXVIII. — *Aliquid et sine ratione faciendum est.* Nempe, ubi ratio deficit, ibi sola fiducia in Deum reposita, et obsequio voluntati ejus ab ipso declaratæ unice subjecto agendum est. Conf. Enchir, xxxii, 3, ubi Epictetus præcipit, de iis rebus Deum esse consulendum, ubi agendum nobis est, nec tamen, quid consilii capiamus, ulla ratione aut arte humana assequi valemus; ubi οὔτε ἐκ λόγου, οὔτε ἐκ τέχνης τινὸς ἄλλης, ἀφορμαὶ δίδονται πρὸς τὸ συνιδεῖν τὸ προκείμενον. Schweighauser, *ad Epictet. Fragm.*, n. 181.

Ut Epictetum dixisse approbat Arrianus. Videtur D respexisse Arnobius ad Commentariorum Arriani lib. i, c. 12, ubi Epictetus docet : Oportere hominem in omnibus Deum sequi, illiusque voluntati se submittere, etiamsi consilia ejus et utilitatem eorum, quæ Deus præceperit, non penitus perspecta habeat. Orell.

Nominis. Fulv. Ursinus *numinis*, male. Orell.

Esse nolimus atque adnitimur verum. Ed. Lugd. Bat. : *Esse nolimus atque abnuemus verum.* Sed nil mutandum. *Adnitimur*, scil. *non esse*, quod ex præcedente *esse nolimus* subintelligendum. Talis anacoluthiæ exempla apud nostrum supra jam observata. Sed præstat legere *obnitimur* cum Gesnero in Thesauro, qui hoc Arnobii exemplum tanquam ἅπαξ λεγόμενον citat. Orell.

Inimicæ mortis reperiamur in faucibus. Vid. supra ad hujus libri, c. 53, in fine et C. Barth. ad Stat. Achilleid. ii, vers. 176, vol. iii, pag. 1729. Orell.

LIBER TERTIUS.

INDEX CAPITUM.

I. Jamdudum quidem criminibus his omnibus, maledictionibus potius, ut vera dicamus ab excellentibus parte in hac viris, et veritatem istam commeritis nosse, satis plene accurateque responsum est; neque apex ullus ullius prætermissus est quæstionis, qui non sit modis mille et rationibus validissimis refutatus. Non est igitur necessarium parte in hac causæ diutius immorari. Neque enim stare sine assertoribus non potest religio christiana? aut eo esse comprobabitur vera, si adstipulatores habuerit plurimos, et auctoritatem ab hominibus sumpserit? Suis illa contenta est viribus, et veritatis propriæ fundaminibus nititur: nec spoliatur vi sua, etiamsi nullum habeat vindicem; immo si linguæ omnes con-

COMMENTARIUS.

I. — *Neque enim stare sine assertoribus non potest religio christiana. Stare* hoc loco significat permanere et perdurare, ut ap. Virgil., Æn. IV, 539:

> Et bene apud memores veteris stat gratia facti.

Sueton. in Oth., c. 5: *Neque enim dissimulabat, nisi principem se stare non posse nihilque referre, ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet.* Vet. interpres Libri Ecclesiast. (Jesu Siracidæ), c. XL.: *Fides in sæculum stabit.* ELMENH.—Cod. ms. habet: *Neque enim restare, etc.*, quod defendere conatur Meursius in Append., et Salmas., in Exercitt. Plin., ad Solin., p. 21. *Restare* verbum antiquum pro *stare, permanere*, adstruens exemplo Propertii III, el. VIII, 31:

> Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector.

Idem tamen retractasse videtur hanc sententiam; nam in editione Lugd. Bat. locum ita dedit: *Neque enim res stare sine assertoribus non potest, et religio christiana*, ubi *et* esset idem quod id est. Vide ad lib. II,

trafaciant, contraque nitantur, et ad fidem illius abrogandam consensionis unitæ animositate conspirent.

II. Nunc ad ordinem revertamur, a quo sumus necessario paulo ante digressi : ne diutius interrupta defensio palmam criminis comprobati calumniatoribus concessisse dicatur. Subjiciunt enim hæc : Si vobis divina res cordi est, cur alios nobiscum neque deos colitis, neque adoratis, nec cum vestris gentibus communia sacra miscetis, et religionum conjungitis ritus? Possumus interim dicere, ad cultum divinitatis obeundum satis est nobis Deus primus ; Deus, inquam, primus, Pater rerum ac Dominus, constitutor moderatorque cunctorum ; in hoc omne quod colendum est, colimus; quod adorari convenit, adoramus; quod obsequium venerationis exposcit, venerationibus promeremur. Cum enim divinitatis B ipsius teneamus caput, a quo ipsa divinitas divinorum omnium, quæcumque sunt, ducitur, supervacuum putamus personaliter ire per singulos; cum et ipsi qui sint et quæ habeant nomina nesciamus; et cujus sint præterea numeri, neque liquidum, neque comprehensum, neque exploratum habere possumus.

III. Atque ut in terrestribus regnis necessitate nulla compellimur, regalibus in familiis constitutos A nominatim in principibus adorare, sed in regum ipsorum cultu, quidquid illis annexum est, tacita et se sentit [a] honorificentia comprehendi : non alia ratione quicumque hi dii sunt, quos esse nobis proponitis : si sint progenies regia et principali oriuntur e capite, etiam si nullos accipiant nominatim a nobis cultus intelligunt se tamen honorari communiter cum suo rege, atque in illius venerationibus contineri. Et hoc quidem a nobis fuerit ita propalatum, si modo liquet et constat præter ipsum regem et principem esse alienum capita, quæ digesta et separata per numerum, velut quemdam populum plebeiæ multitudinis faciant. Neque nobis in ædibus sacris effigies pro diis et illa simulacra velitis ostendere : quæ intelligitis vos quoque, et recusatis et renuitis confiteri, vilissimi esse formas luti, et fabrorum figmenta puerilia. Et cum de re loquimur divina vobiscum, hoc ut ostendatis exposcimus, esse deos alios natura, vi, nomine ; non in simulacris propositos quos videmus, sed in ea substantia, in qua conveniat æstimari tanti esse nominis oportere virtutem. Sed consilium non est parte in hac causæ diutius immorari, ne lites maximas concitare, ac tumultuosa conserere videamur velle certamina.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Tacita vi se sentit *Sab.*

COMMENTARIUS.

c. 70, notam Stewechii. Et omnino nihil probat C locus ille Propertii. Nam ibi *restat Hector* est idem quod resistit, obnititur, repugnat. Quæ Heraldus ad hunc locum profert, meræ argutiæ sunt. Alii interpungunt : *Neque enim. . . . religio christiana?* male. Nam *neque enim* nunquam potest stare in exordio interrogationis. ORELL.

Ad fidem illius abrogandam. Cod. ms. : *ad finem illius adrogandam*. Pessime. MEURS. *In Append.*

II. — *Possumus interim dicere : Interim* id quod Græcorum *τέως*. *für jetzt, für einmal*. Ita Tacit., Annal., I, cap. 5. : *Duobusque insuper adolescentibus, qui rempublicam interim premant, quandoque distrahant*. Ubi vid. Oberlin. ORELL.

Deus primus. Nourrius putat, Arnobium Deum patrem *primum* appellasse respectu Dei filii, id est Christi. Sed *Deus primus* nihil aliud est quam Deus omnium rerum principium, fons, origo. ORELL.

III. — *Nominatim cum principibus adorare. Cum principibus*, id est *juxta*, *prope principes*, *pari cum illis honore*. Ita Stat. Achill., I. 13 :

. . . . Meque inter prisca parentum
Nomina, cumque suo memorant Amphione Thebæ.

ubi vid. C. Barth., vol. III, pag. 1590, sq., et vol. I, pag. 20. ORELL.

Adoratio regibus etiam attributa : unde *sacram purpuram adorare* passim. HERALD. — Conf. Elmenhorst., ad hunc locum et Arntzen., ad Mamertini Genethliac. Maximin. cap. XI, in Panegyr. Vet., vol. I, pag. 142. *Nominatim*. Id est singulorum nomina compellante. Cæterum de adoratione sacræ purpuræ videndus imprimis Valesius ad Ammian. Marcell., lib. XVI, cap. 5, § 18, p. 152, seq., ed Wagner. ORELL.

Et hoc quidem a nobis fuerit ita prolatum, si modo liquet et constat præter ipsum regem et principem esse alia etiamnum capita. Secutus sum emendationem editoris Lugd. Bat. Codex ms. habet : *esse alia non ca-* D *pita*, quod merito suspectum viris doctis. Gelenius ed. *non esse alia capita*. Meursius, pag. 87 : *esse nonnulla capita*. Alii : *Esse alia nova capita*. Tuetur autem Heraldus, putans, *alia non capita* dici ab Arnobio plebem deorum præter caput et principem. Mihi *non* profectum videtur a librario vocem *capita* male intelligente. Nimirum *capita* hoc loco minime sunt principes, primores deorum, sed contra dii minorum gentium, plebs deorum, ut in sequentibus dicit, quasi proletarii et capite censi. Ita sæpissime apud Romanos *caput* dicitur cum quodam contemptu et irrisione, verbi causa, *turpe caput*, *lepidum caput*. Ita *gregis capita* non arietes, sed quæ totum gregem efficiunt. Vide Gesner., in Thesauro. Facessat itaque C. Barthius, Adversar., lib. XLIII., cap. 6, p. 1935 sq. legens *monoptota*, quasi Arnobius alluserit ad monoptota grammaticorum, id est *nomina, quibus unus tantum casus est, ut sponte*, quod ab hoc loco alienissimum. ORELL.

Illa et simulacra velitis ostendere. Constructio vere Arnobiana. Miscet enim et trajicit sæpe particulas istas. HERALDUS. — Ed. Lugd. Bat. *et illa simulacra*, etc. ORELL.

Quæ intelligitis vos quoque, sed recusatis et renuitis confiteri. Sic edidi cum Heraldo in Curis secundis, qui ita correxit ex ms. ubi legitur *ses* pro *sed recusatis*. Alii : *et renuitis*, omisso *recusatis*, quod Arnobio e Cod. Reg. primus restituit Stewechius : Heraldus autem in editione sua de glossa suspectum habet : male, opinor, nam Arnobium talia verba idem significantia conjungere sæpissime ipse observavit. Idem in editione sua legendum censet : *nec renuitis*, quia, inquit, ipsi gentiles neutiquam diffitebantur, simulacra illa a fabris esse composita ex ære, luto, argento. Sed ipse, ut vidimus, retractavit hanc sententiam in Curis secundis. Salmasius edidit : *at recusatis* et *renuitis*, etc.; quod recipiendum, cum e msto. fluxerit, teste Stewechio et Meursio. ORELL.

Nominis. Meursius conj. *numinis*. ORELL.

IV. Sit ista, ut prædicatis, plebs numinum, sint deorum innumeræ gentilitates; adstipulamur, acquiescimus, connivemus, nec in aliqua quæstione dubitabile istud ambiguumque configimus. Illud tamen a vobis audire exposcimus et rogamus, unde vobis compertum est, vel quibus rationibus comprehensum, hinc desint in cœlo, quos esse existimatis et colitis; an nescio qui alii, opinionis et nominis inauditi? Potest enim fieri, ut et hi sint quos esse non remini; et quos esse confiditis, in nulla inveniantur parte naturæ. Neque enim cœli aliquando subvolastis ad sidera, singulorum facies atque ora vidistis: et quos esse memineritis illic deos, eosdem hic colere, tamquam notos instituistis ac visos. Sed et illud rursus desideramus audire a vobis, ne imposita habeant hæc nomina quibus eos vocatis, an ipsi hæc sibi diebus imposuerint lustricis? Si divina hæc sunt et cœlestia nomina, quis detulit ad vos ea? Sin autem a vobis apposita appellationes has habent, quemadmodum potuistis vocabula his dare, quos neque videbatis aliquando, neque quales aut qui essent, in ulla [a] cognatione noratis?

V. Sed ut vultis et creditis, atque ut vobis persuasum est, hi dii sint [b]: nominibus appellentur his etiam, quibus eos populares [c] censeri popularis vulgaritas ducit: unde tamen vobis scire, quot nominis hujus censum compleant, etsi sint aliqui vobis in cognitionem, in usum aliquando notitiamque perlati?

LECTIONES VARIANTES.

[a] In nulla *Sab.*
[b] Sunt *Sab.* Desint *ms.*
[c] *Hanc vocem Fulv. inducit.* Popularem *ms.*

COMMENTARIUS.

IV. — *Adstipulamur, acquiescimus, connivemus. Connivemus* addiderunt e msto. Heraldus et Stewechius. Orell.

Dubitabile istud ambiguumque configimus. Meursius mavult *conficimus*. Sed significantius est *configimus* quasi telis. Orell.

An hæc ipsa sibi diebus imposuerint lustricis. Ita Meursius et Heraldus, probante editore Lugd. Bat. Recte. *Dies* enim *lustricus is est, quo infantes lustrantur et nomen accipiunt; is erat apud Romanos maribus nonus, feminis octavus*, teste Macrobio, sat. I, cap. 16, Festo, Plutarcho. Apud Græcos autem decimus, ut liquet ex Harpocratione, Suida, Hesychio, Auctore Proverbiorum, Aristophanis Scholiaste et aliis, nonnumquam et septimus. Vide Meurs., pag. 87. Cod. ms. *diebus.....ludibriis*, quod unus tuetur Stewechius accipiens pro *diebus ludicris*; ut *dies autumnos* pro autumnales. Vid. supra, ad lib. I, cap. 21. Gelenius leg. *diebus ludicris*, quod defendit C. Barth., Adversar., lib. XLIII, cap. 6, *ludicros dies* intelligens de diebus, quibus ludi sacraque Deo cuilibet fiebant. Fulv. Ursinus: *De rebus..... ludicris*. Sed unice vera Meursii emendatio. Orell.

Videbatis. Meursius et Heraldus legendum censent *videratis*, quia sequitur *noratis*. Sed tales temporum ἐναλλαγαὶ frequentes apud Arnobium. Orell.

V. — *Nominibus appellentur his etiam, quibus eos populares censeri popularis vulgaritas ducit.* Ejiciunt nonnulli vocem, quam existimant superfluam et inutilem, *populares*. Sed hanc lectionem asserit etiam ms. reg. ubi scriptum perperam *popularem*. Atque hæc luculenter explicant ea quæ præcesserunt: *esse alia (non) capita, quæ digesta et separata per numerum, velut quemdam populum plebeiæ multitudinis faciant.* Hinc igitur eos appellat *populares*, quasi plebeios et non illo primo loco. Lactantius, lib. I, cap. 5: *Antisthenes multos quidem esse populares Deos, unum tamen naturalem, id est, summæ totius artificem.* Herald. — C. Barthius in Adversariis, lib. XLIII, cap. 6, pag. 1957, legendum censet: *Nominibus appellentur his etiam, quibus eos populatim censeri popularis vulgaritas ducit.* Non male. Orell.

Unde tamen vobis, quæ nominibus his censum complent. Ita e Cod. Reg. edidit Heraldus, nisi quod *sensum*, quod erat in membranis, mutavit in *censum*. Sed, ut recte observat C. Barthius, in Advers., l. I., illud *quæ* non habet ad quod referatur, nisi dicamus, Arnobium properanter scribentem in animo habuisse *numina*, cum tamen in antecedentibus scripserit *dii*. Melius itaque Fulv. Ursinus: *qui nominis hujus censum complent*, id est, qui digni sunt, ut in censum nominis hujus, scil. deorum, referantur. Alludit nimirum Arnobius ad censum Romanorum. Ita *censum patrum, equitum complere* dicitur de eo, qui satis habet pecuniæ, ut in album patriciorum vel equitum possit inscribi: quam loquendi rationem non intelligentes Sabæus et Gelenius ediderunt: *quæ nominis hujus sensum complent.* C. Barthius in Advers., l. I., putat legendum; *Unde tamen quæso nominibus his censum complent?* Meursius: *unde tamen vobis quæso nominis hujus censum complent.* Stewechius legit: *Unde tamen vobis cognominis hujus censum complent?* Editor Lugd.. Bat. locum sic refingit; *Unde tamen vobis scire* (scil. *est*), *quot nominis hujus sensum compleant.* Mihi *vobis* videtur cum sequentibus verbis, *an sunt aliqui vobis*, etc., ingratam efficere repetitionem, et, si quid tentare liceat, locum ita mutarem: *unde tamen nostis, qui* vel *quot nominibus suis censum compleant. Censum* intelligo album, cui deorum nomina inferuntur, *das Gotterregister.* Verterein itaque: *Woher wisst, kennt ihr alle diejenigen, die mit, ihren Nahmen das Gotterregister anfüllen?* Vel etiam stare potest *his*, scil. nominibus plebeiis, minorum gentium, de quibus in antecedentibus egerat Arnobius. Orell.

Populositas summa sit. Populositas pro frequentia, ut *populosus*, declinantis latinæ linguæ vocabula, usurpata Apuleio, Solino, Vegetio. Ammiano Marcellino, Vid. Voss. de Vitiis serm. et Ol. Borrich. Cogitt. p. 197. Constructio est: *An populositas* (eorum) *sine ulla summa sit*, hoc est numeris exprimi nequeat, quod in sequentibus dicit: *Potest deorum summa esse nulla, nec numerabili circumscriptione finita.* Orell.

An sunt aliqui vobis incogniti nomine in usum aliquando notitiamque perlati? Recepi in textum emendationem hanc sagacissimam, et, ut mihi quidem videtur, verissimam C. Barthii, in Adversar., lib. XLIII, cap. 6, pag. 1937: « Interrogat scil. Arnobius suos adversarios; unde sciant, omnia se deorum nomina scire? unde ipsis constet, plures deos non esse, quam ipsi colant, et an umquam aliquibus, incognitis nomine, numerus ille ab ipsis institutus fuerit auctus. Non poterant hinc elabi quomodocumque balathrones illi. Nam, singulis gentibus devictis, nova numina a Romanis erant consecrata. Et possibile non erat ipsis docere certum numerum, vel deorum eorum, quos adorabant, nedum omnium, quorum numerus per ipsos infinitus esse poterat. Hæc sententia clare a sequentibus confirmatur, *in cognitione* fuit in scripto libro: unde nos *incogniti nomine* fecimus. *One* enim *nomine* est abreviatione vetusta. Et de nominibus deorum hic est omnis quæstio, ut et de numero. » Hæc Barthius. Recte, *Dei incogniti nomine* sunt itaque illi, quorum notitia aliqua ad homines pervenit, sed de quorum nomine, numero, potestate, etc. ambigitur, ut dii Novensiles, Penates, Consentes, Lares, etc. de quibus infra, cap. 41. seq. Talis

Neque enim sciri est facile, definita et certa sit eorum numeri multitudo: an sine ulla populositas summa sit, nec computationis alicujus rationibus terminata. Fingamus enim vos deos mille percolere, vel millia potius quinque: at in rerum natura potest forsitan fieri, ut deorum millia centum sint; potest ut hoc amplius, immo, quod diximus paulo ante, potest deorum summa esse nulla, nec numerabili circumscriptione finita. Aut igitur et vos impii, qui præter deos paucos reliquorum officia non obitis: aut si vobis veniam cæterorum ignorantiæ postulatis, eamdem et nobis conciliabitis veniam: si pro parte consimili eorum religionibus abstinemus, quos esse omnino nescimus.

VI. Et tamen, ne nos quisquam pervicaciter arbitretur sacramenta nolle suscipere cæterorum, quæcumque sunt, numinum: devotas etenim mentes et manus protendimus supplices, neque adspernamur, quocumque invitaveritis accedere: si modo discamus quinam isti sunt divi, quos nobis ingeritis, et quos par sit adjungi summi regis ac principis venerationi. Saturnus, inquit, et Janus est, Minerva, Juno, Apollo, Venus, Triptolemus, Hercules, Æsculapius, atque alii cæteri, quibus magnificas ædes cunctis pene in urbibus religiosa consecravit antiquitas. Invitare nos forsitan ad istorum numinum potuissetis cultum, si non ipsi vos primi opinionum turpium fœditate talia de illis confingeretis, quæ non

COMMENTARIUS.

erat etiam θεὸς ille ἄγνωστος Atheniensium, cujus aram D. Paulus inspexit. Vid. Act. Apost., xvii, 23. *In cognitione*, quod in ms. legitur, multo melius est, quam *in cognitionem*, quod substituere voluerunt Meursius et editor Lugd. Bat.; nam *in cognitione* penderet a præcedenti *sunt*. *Sunt in cognitione vobis* idem itaque est quod *sunt vobis cogniti*. At *in cognitionem* et *in notitiam perferri* plane unum idemque est. Novimus quidem, Arnobium sæpissime talia verba idem significantia conjungere. Sed hoc loco, si quid video, verba *in usum aliquando notitiamque perlati* manifeste disjungit a præcedentibus *in cognitione*. Stewechius legendum suspicatur: *an sunt aliqui vobis in cognitionem quam in usum notitiamque perlati*, suppressa scil. particula *prius*, quam sæpius omitti ab Arnobio, ipse Stewechius docet supra ad lib. ii, cap. 77, ita ut *cognitio*, hoc est plena et perfecta deorum scientia, distinguatur ab obscura tantum eorum *notitia*. Pro *in usum* Meursius et Heraldus in Curis secundis malunt *in visum*, male. *Usus* est idem quod *cultus*. ORELL.

Fingamus enim vos deos mille percolere. Orpheus ap. Theophilum, lib. iii, ad Autolycum, deos CCCLX confitetur. Varro, ap. Tertullian., Apologet, cap. xiv, trecentos Joves sive Jupiteres. ELMENHORST.

Potest ut hoc amplius. Hoc amplius scil. numero. Supra lib. ii, cap. 28. *ante annos plures, si velis dicere, vel octoginta, vel hoc amplius*, ubi suppl. tempore. Vide de hoc Ellipsi Sanct. Minerv., lib. iv, cap. 4, et Bunemann., ad Lactant. Inst., lib. vii, cap. 14, pag. 931. ORELL.

Pro parte consimili. Id est pro uno vero Deo, quem colimus. ORELL.

VI. — *Sacramenta nolle suscipere cæterorum*, etc. Apte utitur verbo militiæ. Vegetius, lib. ii, c. 3, *Festinant militiæ sacramenta suscipere*. Glossæ: *Sacramentum* — ὅρκος στρατιωτικός. ELMENH. — Heraldus putat, Arnobium hoc loco alludere ad morem, cute pungendi milites, ut hoc pacto militiæ consecratos et devotos se discerent, quæ notæ quasi memoracula quædam erant sacramenti militaris, ut in mysteriis etiam notaculis quibusdam signabantur οἱ μεμυημένοι, quod *sphragitidas accipere* dicit Prudentius, in Martyrio Romani. Sed vide supra, ad lib. ii, cap. 5. ORELL.

Devotas etenim mentes. Proprie. Nam devovebant se milites, seque totos reipublicæ aut Cæsari consecrabant. Vegetius: *Jurant autem per Deum et per Christum et per Spiritum Sanctum, et per majestatem imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est, et colenda. Nam imperatori quum Augusti nomen accepit tamquam præsenti et corporali Deo fidelis est præstanda devotio, et impendendus pervigil famulatus*. Quare illi apud Dionem lib. LIII. σοὶ καθοσιώμεθα. Nam *devovere* est καθοσιοῦν, ut recte interpretantur veteres glossæ. HERALD. — Conf. Lips., ad Tacit. Ann., l. xv, c. 67, pag. 1005. ed. Oberlin.

Devotas mentes, idem quod pias, religiosas. Ita Lactantius, lib. vii: *Hunc sequamur omnes, hunc audiamus, huic devotissime pareamus*, et Juvencus, Hist. Evang., lib. i, vers. 407:

Ut justus cœli Dominum devotus adoret.

Ubi Kœnig., pag. 80, ed. Reusch., nostrum locum citans observat, *devotus* pro pius vocem esse latinitatis ecclesiasticæ. ORELL.

Et manus protendimus supplices. Profecto existimo, hic esse glossema. Quorsum enim *supplices?* Hanc vocem adjecit aliquis, quum, unde hæc essent translata, non intelligeret. Milites igitur quum citati paratos se sacramento dicere vellent ostendere, manus tendebant. Hinc igitur legendum existimo: *Et manus protendimus*. HERALD.

Neque aspernamur, quocumque invitaveritis, accedere. Et hoc a militia petitum. Jurabant enim milites, secuturos se duces, quocumque ducturi essent. Dionysius Halicarn., lib. xi: Ὁ στρατιωτικὸς ὅρκος, ὃν ἁπάντων μάλιστα ἐμπεδῶσι Ῥωμαῖοι, τοῖς στρατηγοῖς ἀκολουθεῖν κελεύει, ὅποι ποτ' ἂν ἄγωσιν. Huc alludebat Horatius, ii Od. xvii, vers. 9 et seqq.:

. . . . . . Non ego perfidum
Dixi sacramentum ibimus, ibimus,
Utcumque præcedes, supremum
Carpere iter comites parati.

HERALD.

Saturnus; inquit, et Janus. Inquit, scil. adversarius, quem sibi causam gentilium agere fingebat Arnobius. Vide supra ad lib. i, cap. 3 et 34, quibus hoc loco addere liceat, quæ mecum communicavit vir amicissimus Jac. Ochsnerus: Heraldi observationem, *inquit* pro *inquiunt*, præter Ernest. Clav. Cic. illustrant hæc Benteleii ad Horat., i, serm. iv, 79: *Inquit* perpetua forma est, ubi aliquid ex adverso nobis objici et opponi fingimus, sive id ab uno, seu pluribus, sive ab absente, seu præsente fiat. Similiter *ait* (ut græc. φησί) indefinite posuit idem Horatius i, Epist. xix, 43). » Frustra itaque sollicitarunt hunc locum Fulv. Ursinus et Jo. Schefferus Argentoratensis in Adversariorum libro inserto Obss. Miscell. Crit., vol. ix, pag. 163, legi volentes *inquiunt*. ORELL.

Æsculapius atque alii cæteri. Ita scribendum pro *alii et cæteri* (ex emendatione Meursii). *Alii cæteri* est Arnobiana phrasis. Infra lib. vi, cap. 11: *Suffragines, talos, membraque alia cætera et lignum, lapides atque ossa, resque alias cæteras, quibus signa consueta sunt, et numinum simulacra constare*. HERALD. — Conf. Oudendorp., ad Apulei., Met. vii, pag. 489. Editio Lugd. Bat. habet: *Æsculapius et cæteri*. ORELL.

Confingeretis, pro *confinxissetis*. De hac Enallage scriptoribus istis usitata antea dicebamus. HERALD. — Vide supra ad lib. i, cap. 54. ORELL.

Quæ non modo illorum pollluerent dignitatem, sed minime illos esse qualitatibus comprobarent adjunctis.

modo illorum polluerent dignitatem, sed minime illos esse qualitatibus comprobarent adjunctis. Adduci enim primum hoc ut credamus non possumus: immortalem illam præstantissimamque naturam divisam esse per sexus, et esse partem unam mares, partem esse alteram feminas. Quem quidem locum plene jamdudum homines pectoris vivi, tam romanis litteris explicavere, quam græcis: et ante omnes Tullius romani disertissimus generis, nullam veritus impietatis invidiam, ingenue, constanter, et libere, quid super tali opinatione sentiret, pietate cum majore monstravit, a quo si res sumere judicii veritate conscriptas, non verborum luculentias pergeretis, perorata esset hæc causa: nec secundas, ut dicitur, actiones nobis ab infantibus postularet.

VII. Sed quid aucupia verborum, splendoremque sermonis peti ab hoc dicam, cum sciam esse non paucos, qui aversentur et fugiant libros de hoc ejus, nec in aurem velint admittere lectionem opinionum suarum præsumpta vincentem? cumque alios audiam mussitare indignanter, et dicere: oportere statui per senatum, aboleantur ut hæc scripta, quibus christiana religio comprobetur, et vetustatis opprimatur auctoritas? Quinimmo si fiditis exploratum vos dicere quidquam de diis vestris, erroris convincite Ciceronem, temeraria et impia dicta re refellitote, redarguite, reprobate. Nam intercipere scripta, et publicatam velle submergere lectionem, non est deos defendere, sed veritatis testificationem timere.

VIII. Ac ne tamen et nobis inconsideratus aliquis calumniam moveat, tamquam Deum, quem colimus, marem esse credamus: ea scilicet causa, quod cum, cum loquimur, pronuntiamus genere masculino: intelligat non sexum, sed usu, et familiaritate sermonis appellationem ejus, et significantiam [a] promi. Non enim deus mas est, sed nomen ejus generis masculini est: quod idem vos dicere religione in vestra non quitis. Nam consuestis in precibus, sive tu deus es, sive dea, dicere: quæ dubitationis exceptio dare vos diis sexum disjunctione ex ipsa declarat. Adduci ergo non possumus, ut corpora credamus deum. Nam [b] necesse est corpora, si sunt mares ac fe-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Significationem *ms.*

[b] At *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Ita edidi ex emendatione Heraldi. Alii *comprobaretis.* ORELL.

Esse partem unam mares, partem esse alteram feminas. Prudentius περὶ Στεφάνων:

Jubes, relictis patris et Christi sacris,
Ut tecum adorem feminas mille ac mares,
Deos deasque, deque sexu duplici
Natos, nepotes, abnepotes, editos
Ac tot stuprorum sordidam prosapiam, *etc.*

Conf. Lactant., lib. I, cap. 16. ELMENH.

Homines pectoris vivi. Id est, homines ingenii perspicacis et judicii liberi. Ita Plin., Paneg., cap. 44, § 6: *Amas constantiam civium, rectos et vividos animos,* ubi vid. Arntzen. Idem, lib. VIII, epist. VI, extr.: *Scio, quam sit tibi vivus et ingenuus animus*, ubi tamen nuperus editor Gierig. edidit *verus*. Plura exempla collegit J. Fr. Gronovius, Obss., lib. III, cap. 4. ORELL.

Tullius romani disertissimus generis, etc. Catullus, Carmen XLIX, 1:

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli.

ELMENH.

Cæterum hoc citatum e capite deperdito tertii libri Ciceronis de Natura deorum, ad calcem editionis suæ, pag. 325, rejecit Davisius. ORELL.

Verborum luculentias. Id est, *verborum lumina*, *nitores*, *splendores*, ut explicat Gesnerus in Thesauro, qui nostrum locum adducens hanc vocem citat tamquam ἅπαξ λεγόμενον. ORELL.

Perorata esset hæc causa. Alii: *Perorota esset et hæc causa.* Sed sequor Davisium delentem copulam *et*, quam verbi præcedentis *esset* repetitus finis procreavit. OR.

Nec secundas, ut dicitur, actiones nobis ab infantibus postularet. Τὴν δευτερολογίαν, qua, si quid a primo actore, ὑπὸ τοῦ πρωταγωνιστήσαντος, omissum erat, addebat ὁ δευτεραγωνιστῶν ἤγουν δευτερολογῶν. HERALD.—*Nobis ab infantibus*, scil. si comparemur cum Cicerone Romanorum eloquentissimo. ORELL.

Sic infantia. Proprio sensu legimus etiam apud Cornel. Frontonem, lib. I de Orationibus opp., pag. 223, edit. Angeli Maii: *Tum si eligendum sit longe longeque eloquentiam infantiæ præfero.* ORELL.

VII. — *De hoc.* Id est, propter hoc, ut sæpe. Vid. Tursellin., de Particulis Ling. lat. ORELL.

Oportere statui per senatum, aboleantur, ut hæc scripta, etc. Hoc enim fiebat ex auctoritate senatus, Vid. Valer. Max., lib. I, cap. 4, § 12; Lactant., Inst I, cap. 22; S. Augustin., de Civ. Dei, lib. VII. cap. 34, ibique L. Vives et Elmenhorst. ad hunc locum. ORELL. — Ergo fieri potest, ut superstitiosis his ethnicis debeatur, quod mutilus sit tertius de Nat. deorum liber. Fortasse tamen meticulosi quidam Christiani hac culpa non fuerunt immunes. Non alii certe, quam hi multos ms. a lib. II, cap. 6, ad cap. 33, mancos reddidere. DAVIS., *ad Cic. de Nat. D.*, *p. l.*

Erroris convincite Ciceronem, temeraria et impia dictave refellitote, redarguite, reprobate. Ita Editor Leid. e cod. ms. nisi quod membranæ pro *refellitote* habent *refellite*, quod Gelenius ita mutavit: *Temeraria et impia dicta refellitote, redarguite, reprobate.* Stewechius autem locum luxatum credens, ita disposuit: *Erroris convincite Ciceronem, refellitote, redarguite, temeraria et impia dictitare comprobate*, quod valde placet, et vix mihi temperare potui, quin in textum reciperem. ORELL.

VIII. — *Nam consuestis in precibus, sive tu Deus es, sive Dea, dicere.* Ita emendavit L. Carrio, Emendd., lib. I, c. 3 in Lampad. Crit. Gruteri, vol. III, pag. 110. Hac scil. formula, SI DEUS, SI DEA, utebantur Romani in precationibus, quando sive terra movisset, sive aliud quid accidisset, de quo ambigebatur, qua causa, cujusque Dei vi ac numine effectum sit. Vid. A. Gell., Noct. Att., lib. II, cap. 28, ibique Gronov. Solemnis etiam formula, qua dii tutelares urbium evocitabantur e civitatibus oppugnatione cinctis, ambiguo nomine SI DEUS, SI DEA, ne videlicet alium pro alio nominando, aut sexum confundendo, falsa religione populum alligarent. Vid. Macrob. Saturn., lib. III, cap. 9, et Brisson., de formulis et solemn. Pop. Rom. verbis. Cæterum de confuso sæpissime apud antiquos deorum sexu (verbi causa Venere mare et femina, *Luno* et *Luna*) vide Casaubon. et Salmas. ad Ælii Spartiani Caracall., cap. 7. Hist. Aug., vol. I, pag. 720 seqq., et, qui eos refutat. Seldenum, de Diis Syris, Syntagm. II, cap. 2, pag. 149 seqq.: Cod. ms. *sive tu Deus es, sive tu Dea*, male. ORELL.

Nam necesse est corpora, si sunt mares ac feminæ,

minæ, insignita esse generis distinctione. Quis enim vel exigui sensus nescit terrenorum ab illo animantium conditore non alia de causa generis diversi sexus institutos esse, atque formatos, nisi ut per coitus, et connubia corporum, res caduca et labilis successionis perpetuæ innovatione duraret?

IX. Quid ergo dicemus? deos procreare? deos nasci? et idcirco additas genitalium membrorum partes, ut sufficere prolem possent, et nova quaque suboriente fœtura, quidquid prior ætas abstulisset, recidiva [a] substitutio subrogaret? Ergo si hæc ita sunt, id est, si dii procreant superi, et si per has leges experiuntur se sexus, suntque immortales, nec frigoribus fiunt senectutis effœti, sequitur ut debeant plena esse diis omnia: neque innumeros cœlos eorum capere multitudinem posse: siquidem et ipsi perpetuo B generant, et per soboles sobolum multiplicata semper

A innumerabilitas ampliatur; aut si obscœnitas coeundi, ita ut decet, ab diis abest, quæ causa ratioque monstrabitur, cur insigniti sint his locis, quibus sexus se solent libidinum propriarum admonitionibus recognoscere? Neque enim veri est simile haberi hæc frustra, aut improvidam in illis suave ludere [b] voluisse naturam, ut eos his partibus aggeraret quibus utendum non est. Sic ut enim ad usus certos, manus, pedes, oculi, cæteraque constructio membrorum sua quæque in officia constituta est, ita convenit credere in sui muneris functionem comparatas esse has partes: aut confitendum est in deorum corporibus esse aliquid vacuum, quod sit frustra atque inaniter fabricatum.

X. Quid dicitis, o sancti atque impolluti antistites religionum? Habent ergo dii sexus, et genitalium membrorum circumferunt fœditates, quas etiam ex

LECTIONES VARIANTES.

[a] Rediviva *Fulv. male.*

[b] Lucere *alii.*

COMMENTARIUS.

insignita esse generis distinctione. Hæc est Cod. ms. lectio a Fulvio Ursino defensa, quam nescio qua de causa mutaverunt alii. Gelenius et cæteri usque ad Salmasium: *si sunt mares ac feminæ vi significata ex generum distinctione*, quam lectionem tuetur Heraldus, putans, Arnobium hoc dicere voluisse: Nam necesse est, si sunt dii mares et feminæ, deorum esse corpora, hinc significata et demonstrata, quia constituuntur diversa deorum genera, sive diversi sexus. Stewech. conjecit: *Nam esse necesse est corpora, si sunt mares ac feminæ, insignita generum* C *disjunctione.* Meursius: *Nam necesse est, corpora, si sunt mares ac feminæ dii, significata*, etc. quam tamen conjecturam ipse retractat in Appendice legens *sint significata.* Editor tandem Lugd. Bat.: *in significatu esse generis distinctione.* Equidem Cod. ms. lectionem tamquam simplicissimam et optimam omnibus præfero: *insignita esse generis disctintione*, id est partibus illis, quibus genus distinguitur. ORELL.

IX. — *Ut sufficere prolem possint.* Virgilius Georg. III, 64 seq.:

> Solve mares, mitte in Venerem pecuaria primus
> Atque aliam ex alia generando suffice prolem.

Lucretius, lib. III, vers. 704:

> . . . . . Aliam naturam sufficit ex se.

Apuleius Floridis, pag. 79. *Homines vissicim sufficienda prole mutabiles.* ELMENH.

Et nova quaque suboriente fœtura. Ita optime Elmenhorstius, et ed. Lugd. Bat. Alii: *nova quoque.* ORELL.

Recidiva substitutio. Papias: *Recidiva . . . iterum nascentia.* Servius, ad IV. Æneid., 337, et lib. X Æneid, vers. 54, verba: *Recidivaque Pergama quærunt. Recidivum est, quod excisum denuo nascitur et repullulat.* Prudentius, lib. II, contra Symach.:

> Gignit, alit, reparat recidivaque semina servat.

Auctor Carminis de Sodoma apud Cyprianum:

> Sed recidiva hominum pariter cum gente secunda
> Impietas, iterumque mali nova pullulat ætas.

Sic *recidivum annum* appellat Tertullianus παλίνδρομον, quem ἐνιαυτὸν Græci ideo dicunt. ELMENH. et HERALDUS. — Hinc nomen *recidivatus* formavit Tertullianus de Resurrectione carnis cap. I: *Certe recidivatum animæ corporalem prænuntiaverunt*, et cap. XXX: *Recidivatus Judaici status de recorporatione et redintegratione ossium figuratur.* Vid. Lindenbrog. ad Moret. in Catalect. Virgil., pag. 303. ORELL.

Si per has leges experiuntur se sexus. *Sexus* est casus secundus et conjungend. cum *leges.* Sed magis placet emendatio Heraldi in Curis secundis: *Et super hoc leges experiuntur sexus.* ORELL.

Siquidem et ipsi perpetuo generant. Ita Meursius, sequentibus cæteris. Antea legebatur: *Siquidem et ipsi si perpetuo generant.* Sed *si* sensum turbat. ORELL.

Cur insigniti sint his locis. Quod hic *locos*, infra *partes* appellat. Intelligit autem res, eas quas honeste nominare non possumus, Plin., Hist. nat., lib. X, cap. 37: *Quod in homine locos appellant, hoc in reliquis animalibus vulvam.* Vide sis et alia exempla, quæ in re parum honesta congesserunt Heraldus et Elmenhorstius. ORELL.

Aut improvidam in illis suave ludere voluisse naturam. Ita edidi ex emendatione editoris Lugd. Bat. Cod. ms.: *Aut improvidentiam in illis suam ludere voluisse naturam.* Sed *ludere*, id est, *decipere suam imprudentiam*, hoc loco locum non habet, quare Gelenius correxerat: *Aut improvidentiam in illis suam lucere voluisse naturam.* Meursius. *Aut providentiam in illis suam ludere voluisse naturam.* ORELL.

Quibus utendum non est. Fulv. Ursinus: *non esset.* Non male. ORELL.

Sicut enim, etc. Ita Stewechius. Antea legebatur vitiose: *Sed ut enim*, etc. quod fortasse fluxit e Codi- D cis Regii scriptione, *seicut*, quod antiquum pro *sicut*, ut docet idem Stewechius in Quæstionibus Apuleianis, lib. II. Salmasius edidit: *Ut enim.* ORELL.

X. — *Antistites religionum*, Id est sacerdotes. Vid. supra ad lib. I, cap. 17. Locis ibi citatis adde Cornel. Nep., Lysandr., cap. III, § 3: *Hac spe quum profectus esset, multum eum antistites Jovis fefellerunt.* ORELL.

Quas etiam ex oribus verecundis infame est suis appellationibus promere. Solebant enim veteres, quas res pudor nominare vetaret, vel aliis vocabulis honestis, verbi causa, *loca*, *partes*, *res*, vel venusta quadam circumlocutione significare. Ita partes illas vocaverunt Græci τὰ ἀναγκαῖα. (Vide Artemidor. Oneirocrit., lib. I, cap. 47). Latini *necessaria.* Jul. Firmicus, lib. IV, Mathes., cap. 12: *vitia facit circa naturalia et necessaria*; et cap. 18: *At ex necessariis et muliebribus locis grave valetudinis discrimen indicit.* Vide infra, lib. V, cap. 27. Et, qui hac de re multus est, Ruhnken. V. Cl. ad Rutil. Lup. de Figuris. Sentent.,

oribus verecundis infame est suis appellationibus promere? Quid ergo jam superest, nisi ut eos credamus immundorum quadrupedum ritu, in libidinum furias gestire, cupiditatibus rabidis ire in mutuas complexiones, et postremum fractis dissolutisque corporibus voluptatis enervatione languescere? Et quoniam quædam sunt feminarum generis propria, sequitur et eas quoque credamus circumactis persolvere suas mensibus leges: fastidiosos ducere atque A habere conceptus: aboriri [a], perferre, et præpropero partu septimanas edere aliquando fœturas. O pura, o sancta, atque ab omni turpitudinis labe disparata atque abjuncta divinitas! Avet animus, atque ardet in Chalcidicis illis magnis, atque in palatiis cœli deos deasque conspicere intectis corporibus atque nudis, ab Iaccho Cererem, musa ut prædicat Lucretii [b], mammosam, Hellespontiacum Priapum inter deas virgines atque matres circumferentem res illas, præ-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Abortiri *Fulv. male.*

[b] Lucretina *alii.* Lucretia *ms.*

COMMENTARIUS.

lib. I, cap. 18, pag. 61. Ubi nostrum etiam locum citat. Orell.

Cupiditatibus rabidis ire in mutuas complexiones, etc., etc. Apposite Ruhnkenius in Epist. Crit. I, pag. 156, ed. Hymn. Homerici in Cerer. noviss. cum his verbis comparat simillimum locum Apuleii Met. II, p. 26: *Usque dum lassis animis et marcidis artubus defatigati simul ambo corruimus, inter mutuos amplexus animas anhelantes.* Orell.

Et ad postremum fractis dissolutisque corporibus, voluptatis enervatione languescere. Ita Salmasius. Alii: *ut ad postremum* etc. quod tolerari possit: *ut* scil. *credamus*, quod subintelligendum ex præcedentibus. Cæterum in eamdem sententiam eleganter Tertullianus de Anima, cap. 27: *In illo ipso ultimo voluptatis æstu, quo genitale virus expellitur, nonne aliquid de anima quoque sentimus exire, atque adeo marcescimus, atque devigescimus cum lucis detrimento?* Elmenh. et Orell.

Aboriri. Id est abortum facere, active. Orell.

Perferre. Id est: ad justam maturitatem ferre, *austragen.* Ita Nemesian., eclog. III, 23, de Baccho:

Hunc pater omnipotens, venturi providus ævi.
Pertulit et justo produxit tempore partus.

ubi tamen in plerisque editionibus legitur *protulit.* Plinius, Hist. nat., lib. VII, cap. 11: *Sed ubi paululum temporis inter duo conceptus intercessit, utrumque perfertur, ut in Hercule et Iphicle, fratre ejus, apparuit.* ubi vid. Harduin. Adde Salmas. ad Solinum pag. 21, et, qui multus est de hoc verbo, Oudendorp. in Apulei. Met., lib. VI, pag. 398. Orell.

Avet animus atque ardet, etc. Ita rectissime emendavit Gelenius lectionem codicis mstii.: *Habet etiamnum atque ardet*, quod frustra conantur defendere Th. Canterus et Heraldus, dicentes antiquitus scriptum *habere* pro *avere.* Sed ista verbi significatio Arnobii ætate prorsus erat obsoleta, et *habere*, id est *possidere* vel *habitare*, ab *avere*, id est *cupere*, longissime disjunctum: etiam, si ita legamus, nullum habemus subjectum, ad quod referatur τὸ *habet.* C. D Barthius, in Adversar., lib. XLIV, cap. 24, pag. 2036 sq. vim ironiæ haud intelligens legendum suspicatur: *Habet etiam Numa atque ardet*, quasi de Numæ cum diis consortio sermo sit; quod ab hoc loco alienissimum: et *avet animus* infra quoque legitur lib. V. *Avere* et *habere* in codicibus mstis. sæpissime confundi, docet etiam Davisius ad Cic., de Nat. deorum, lib. II, cap. 1, pag. 102 editionis primæ, Orell.

In chalcidicis illis magnis. Gelenius edidit *chalcœcis*, male. Nam infra lib. IV, cap. 35: *Describuntur dii vestri in tricliniis cœlestibus atque in chalcidicis aureis cœnitare*, etc. *Chalcidicum*, quod *ab urbe Chalcidica* (lege *Chalcide*) dictum tradit Festus, quod genus ædificii sit, parum novimus. Ausonius in Periocha Odysseæ lib. I: *Penelope degressa Chalcidico*, et lib. XXIII:

Chalcidicum gressu nutrix superabat anili.

sine dubio expressit Homericum vocabulum ὑπερῷον, B conclave in superiore ædium parte, ubi feminæ solebant commorari. Romani autem eam ædium partem appellarunt cœnaculum, quia ibi cœnitabant. Vide interpretes ad Auson., l. l., pag. 755, ed Tollii. Eodem sensu *Chalcidicum* usurpat etiam Hyginus, Fab. 185, ubi vid. Munker. et noster hoc loco. Alio autem sensu occurrit in monumento Ancyrano: CURIAM ET CONTINENS ET CHALCIDICUM TEMPLUMQUE APOLLINIS IN PALATIO. et ap. Dion. Cass., lib. LI, cap. 22. Ibi videtur significare peribolum vel deambulatorium exterius ædificium ambiens. Vid. Reimar., pag. 655, tom. I, et Scaliger., ad Euseb. Chronic., pag. 203; Turneb., Adversar., lib. XVIII, cap. 34, et Voss. in Etymol. Rom. Orell.

Ab Iaccho Cererem, Musa ut prædicat Lucretii, mammosam. Ita rectissime emendavit Lud. Carrio, Emendd. lib. II, cap. 17, pag. 179, in Lampad. Crit. Gruter., vol. 3, e cod. ms. pro *apud Iacchum*, quod antea legebatur. Alludit autem Arnobius, ad locum Lucretii, lib. IV, vers. 1162:

C At gemina et mammosa Ceres est ipsa ab Iáccho.

Ceres ab Iaccho est Ceres ἡ τοῦ Ἰάκχου, Ceres amica Iacchi, quam Iacchus amavit, ut explicant Lambinus et Th. Creech, vel, ut rectius interpretatur Salmasius ad Solin., pag. 528, quæ mammosa tunc erat, cum lacte suo puerum Iacchum educaret. *Mammosa*, id est *mammis cum grandibus*, ut Cererem infra appellat Arnobius, lib. VII, cap. 25. Conf. Gisp. Cuper, in Apotheosi Homeri, pag 255. Orell.

Hellespontiacum Priapum. Hellespontiacus Priapus dictus a Lampsaco, civitate in Hellesponto, ex qua pulsus deus est factus. Vide Anton., ad Petron. Satyr., cap. 139, pag. 462. Ovid., I, Trist., IX, 26:

Et te ruricola Lampsace tuta Deo.

Cæterum de cultu Priapi locus classicus est apud Prudent. contra Symmach., lib. I, vers. 102 seqq.:

Ecce Deum in numero formatus et æneus adstat
Gratus homo, augustaque Numæ præfulget in arce.
D Strenuus exculti dominus quidam fuit agri,
Scortator nimius, multaque libidine suetus
Rusticolas vexare lupas, interque salicta
Et densas sepes obscœna cubilia inire:
Indomitum intendens animum, semperque paratum
Ad facinus, numquam calidis dabat otia venis.
Hic Deus e patrio prænobilis Hellesponto
Venit adusque Italos sacris cum turpibus hortos:
Sinum lactis et hæc votorum liba quotannis
Accipit, ac ruris servat vineta Sabini,
Turpiter adfixo pudeat quem visere ramo.
Elmenh. et Orell.

Res illas. Res sensu obscœno pro virilibus. Sic infra in versione Carminis Orphici, lib. V, cap. 26:

Objecitque oculis formatas inguinibus res.

Et Martialis:

Parce tuis igitur dare mascula nomina rebus.

Vid. Jan. Dousæ Præcidanea ad Tibul., cap. XV,

liorum semper in expeditione paratas. Avet, inquam, videre deas gravidas, deas fœtas, gliscentibusque per dies alvis intestini ponderis morositate cunctari, parturire alias tractu longo, et manus obstetricias quærere : illas telis gravibus, et dolorum acuminibus fixas ejulare, tortari et inter hæc omnia suppetias Junonis implorare Lucinæ. Nonne multo est rectius maledicere conviciari, atque alia ingerere diis probra, quam obtentu [a] pio talia de his monstra opinionum indignitate præsumere?

XI. Et audetis adscribere causam nobis offensionis deorum, cum, si judicatio fiat, certissima in vobis reperiatur hæc esse, nec in contumelia, quam opinamini, stare. Nam si dii, ut dicitis, afficiuntur ira, et animorum indignationibus incalescunt : cur eos non putemus ægre atque acerrime sustinere, dari sibi a vobis sexus, quibus canes porcique formati sunt? et cum ita credatis, non aliter se fingi, et ignominiosa cum ostentatione proponi? Ergo cum hæc ita sint, miseriarum omnium causa vos estis, vos deos impellitis, vos excitatis infestare omnibus malis terras, et A nova quæque quotidie struere, quibus ulcisci se possint tot a vobis injuriis et maledictionibus exasperati : Maledictionibus, inquam, et injuriis, quas partim fabulis turpibus, partim opinionibus indecoris [b], quas vestri theologi, quas poetæ, quas ipsi vos quoque ignominiosis celebratis in ritibus, res perditas invenietis humanas, et abjecisse clavum deos; si modo illorum curam spectat, mortalium regere atque administrare fortunas. Nam nobis quidem cur irascantur, non habent : quos vident et sentiunt, neque se colere, neque deridere, quod dicitur, et honestius quam vos multo de sui nominis dignitate existimare, credere.

XII. De sexu hactenus. Nunc ad speciem veniamus et formas, quibus esse descriptos deos superos creditis : quibus immo formatis et templorum amplissimis collocatis in sedibus. B Neque quisquam judaicas in hoc loco nobis opponat et saducæi generis fabulas, támquam formas tribuamus et nos Deo : hoc enim putatur in eorum litteris dici, et veluti re certa, atque auctoritate firmari : quæ aut nihil ad nos

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quam ut obtenta, *ms. male.*

[b] Indecorus *ms.*

COMMENTARIUS.

pag. 448, ed. Grævii. Fuit hæc honesta expressio rei turpis. Ita apud Latinos : *Hæc multa, illa multa, hæ res multæ;* apud Græcos : πάντα ταῦτα, de voluptatibus nefariis, et Veneris ludo. Vide Herald., ad hunc locum. Similiter Wielandus V. Cl., in versionibus suis talia, quæ honeste effari nefas, verbis circumloquitur : *Was ihr wist.* ORELL.

C *Præliorum in expeditione paratas.* Prælia sensu turpi de congressu venereo. Ita Virgilius, Georg. III, 98 de equo confecto :

. . . . . . Si quando ad prælia ventum est.

ubi vid. Heyne V. S. et Auson. Popm. ad Varron. Fragment. pag. 327, ed. Bipont. ORELL.

Intestini ponderis morositate. Intestinum pondus id quod *uteri carsina*, ap. Tertullian., lib. I, ad Uxor., cap. 5. *Morositas* hoc loco idem quod molestia vel active quod morosas facit gravidas : quo sensu hoc vocabulum alibi me legisse haud memini. ORELL.

Aliis telis gravibus..... fixas. Stewechius conjicit *tricis*, ut infra cap. 21 : *Difficiles puerperiorum tricas.* At nil mutandum hoc loco. Cui non nota *tela Lucinæ*, χαλεπὸν βέλος Εἰλειθυίας e Theocrito, Idyll. XXVII, vers. 28? ORELL.

Tortari. Ita ed. Lugd. Bat. e felicissima Th. Canteri emendatione pro inepto, quod antea legebatur, *hortari.* Vox Lucretiana, lib. III, vers. 661 :

D

Omnia jam seorsim cernes amcisa recenti
Voluere tortari, et terram conspergere tabo.

Nonius : *Tortor... pro torqueor. Pomponius Decuma fullonis : Et ubi insilui in cocleatum eculeum, ibi tolutim tortor.* ORELL.

Suppetias Junonis implorare Lucinæ. Juno Lucina, tuam fidem! Plaut. Aulul., Act. IV, scen. VII, vers. 10. Vide infra, cap. 21. ORELL.

XI. — *Et audetis adscribere causam nobis offensionis deorum, cum, si judicatio fiat, certissima in vobis reperiatur hæc esse, nec in contumelia, quam opinamini stare.* Ita edidi et interpunxi ex emendatione certissima J. Freinshemii ad Flor., lib. IV, cap. 2, pag. 765, ed. Dukeri. Antea edebatur : *Cum, si judicatio fiat certissima, in vobis reperiatur hæc esse, et in contumelia, quam opinamini stare.* Male : sensus enim est : *In vobis, si judicatio fiat, certissima reperietur deorum offensio, non autem in contumelia stare,* id est consistere, *quam opinamini* scil. a nobis diis illatam. ORELL.

Ægre atque acerrime sustinere. Necessario mendum est; nam *acerrime sustinere* pro eo, quod est *molestissime*, Latinorum nemo umquam, nisi me egregie memoria fallat, dixit. Lego : *Ægre atque ægerrime sustinere.* Hæc genuina phrasis Arnobii nostri. Similiter, lib. II : *Quibus mali sumus et pessimi, cupiditatibus*, etc. Et sæpe in hoc opere. MEURS., pag. 89.

Si modo illorum curam spectat. Ita ed. Lugd. Bat. Alii : *Si modo ad illorum curam spectat. ad e.* Cod. ms. addidit Stewech. ORELL.

Honestius quam vos multo de sui nominis dignitate existimare, credere. Sic ed. Lugd. Bat. ex more Arnobii copulam sæpissime omittentis. Cod. ms. habet : *Existimare quam credere*, quod frustra tuetur Stewechius. Gelenius : *Atque credere.* Alii : *Et credere.* ORELL.

XII. — *Neque quisquam Judaicas in hoc loco nobis opponat et Sadducæi generis fabulas, tamquam formam tribuamus et nos Deo.* Lectio bona et, ut mihi quidem videtur, perperam mutata a Salmasio edente : *Tamquam formas tribuant atque os Deo.* Gentiles enim Christianos cum Judæis confundentes, vel pro Judæorum peculiari quadam secta habentes, multa ipsis crimini dabant, quæ judæorum quidem propria, at a religione christiana alienissima fuere, verbi causa odium generis humani. Idem itaque audientes in judaicorum doctorum scriptis formam corporalem Deo tribui, tales ineptias Christianis etiam impingebant. Et hunc loci nostri sensum esse, sequentia verba : *quæ aut nihil ad nos attinent, nec ex aliqua portione quicquam habent commune nobiscum, aut si sunt, ut creditur, sociæ* etc., apertissime declarant. Cæterum hoc loco Arnobius tangit absurdissima illa commenta Rabbinorum, formam atque os humanum et mensuram adeo corporalem Deo attribuentium, de quibus pluribus agit civis doctissimus ὁ νῦν ἐν ἁγίοις Henr. Corrodius, in libro cui titulus : *Critischte des Chiliasmus*, vol. I, pag. 79, seq. Et omnino videtur Arnobius Sadducæos qui omnem traditionem veterum rejiciebant ideoque increduli habebantur, confudisse cum Pharisæis aliisque Judæorum magistris talium fabularum auctoribus. ORELL.

Et veluti re certa, etc. Ita Cod. ms. quam lectionem tuetur Heraldus in Curis secundis! neque video,

attinent, nec ex aliqua portione quidquam habent commune nobiscum: aut si sunt, ut creditur, sociæ, quærendi sunt vobis altioris intelligentiæ doctores, per quos possitis addiscere, quibus modis conveniat litterarum illarum nubes, atque involucra relaxare. Nostra de hoc sententia talis est. Naturam omnem divinam, quæ neque esse cœperit aliquando, nec vitalem ad terminum sic aliquando ventura, liniamentis carere corporeis, neque ullas formarum effigies possidere, quibus extima circumscriptio membrorum solet coagmenta finire. Quidquid enim tale est, mortale esse arbitramur et labile : nec obtinere perpetuam posse credimus ævitatem, quod extremis coercitum finibus necessaria circumcludit extremitas.

XIII. At vero vos deos parum est formarum quod amplectimini mensione, filo et atterminatis [a] humano: et quod indignius multo est, terrenorum corporum circumcæsura finitis. Quid ergo dicemus? Caput deos gestare tereti rotunditate collectum, retinaculis nervorum dorso illigatum ac pectori, et ad cervicum necessarias flexiones consertionibus verticularum, atque ossea substructione fulciri? Quod si accipiemus ut verum sit, aures etiam sequitur ut habeant curvis perterebratas anfractibus: oculorum orbiculos mobiles, superciliorum marginibus obumbratos : suspensum imbricem narium, munctionibus mucculentis et spiritali commeabilem tractui: subactionibus ciborum dentes trini generis, atque in officia trina compositos: manus ministras operum, articulis, digitis, et cubitorum mobilitate tractabiles : corporibus sustinendis pedes, explicandis gressibus, et suggerendis anticipationibus itionum. Quod si ea, quæ

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Sab.*, Determinatis *alii.*

COMMENTARIUS.

cur mutanda sit. Fulvius Ursin. : *et lege certaque atque auctoritate*. Ed. Lugd. Bat.: *et ut vel re certa.* Meursius totum locum ita refingit: *litteris : dicier velut res certa* absque ulla necessitate. ORELL.

Aut si sunt, ut creditur, sociæ. Ita editor Lugd. Bat. Editio princeps Sabæi : *aut si sunt creditæ sociæ*, Fulv. Ursin : *aut si sunt credita socii*. Sed bene habet *sociæ*, scil. *fabulæ*, id est nobis etiam communes, ut quod in iis dicitur, etiam ad nos pertinere videatur, ut recte interpretatur Heraldus. ORELL.

Litterarum illarum nubes atque involucra relaxare. Similiter Claudian. Mamertus de statu animæ, lib. II. cap. 12 : *Sed in hoc opaco rerum caligantium nubilo ex adytis supercœlestium doctrinarum consulta repetamus.* ubi vid. Gasp. Barth. in Glossario. ORELL.

XIII. — *Filo et adterminatis humano. Filum* vocat Arnobius, lineamenta et extremitates corporum. Ita Lucretius, II, 341 :

> Esse pari filo, similique affecta figura.

Ubi vid. Creech. A. Gellius, lib. XIV, cap. 4. *Chrysippus facit imaginem Justitiæ..... forma atque filo virginali* Idem, lib. I, cap. 9 : *Mores naturasque hominum conjectione quadam de oris et vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitudine sciscitari.* HERALD. et HELMENH.—Ita et Plaut. Mercat, act. IV, scen. IV, vers. 15:

> Satis scitum filum mulieris.

Filum in genere de cujusvis corporis extremiis lineis dici pluribus ostendit Salmasius ad Solin., pag. 465. Eodem sensu dicitur *scriptura* apud Petronium, Sat. cap. 126.: *Supercilia usque ad malarum scripturam currentia, et rursus confinio luminum pæne permixta.* ubi vide intpp. ORELL.

Circumcæsura. Circumcæsura, περικοπή. Idem quod modo dixerat *filum*. Lucretius, III, 220. :

> Extima membrorum circumcæsura tamen se
> Incolumem præstat : nec desit corporis hilum.

Conf. IV, 651. HERALD.— Conf. Turneb., Adversar., lib. XIII, cap 20. ORELL.

Consertionibus verticularum. Ita edidi ex emendatione verissima F. Dousæ ad Lucilii Fragment., pag. 295, ed. Havercamp. *Verticum*, quod in omnibus editionibus legitur, hoc loco tolerari non potest. Sed legendum *verticularum*, vel, quod Solinus habet cap. 54, *verticulorum*. *Verticulæ* sunt articuli, quibus spina dorsi cum capite conjungitur. Alii legunt *vertebrarum* eodem sensu. vid. Salmas. ad Solin., l. I. pag. 406. ORELL.

Aures etiam sequitur ut habeant curvis perterebratas anfractibus. Inæqualibus anfractibus dicit Zeno Veronensis sermone de Attende tibi: *Aures vero inæqualibus quibusdam anfractibus adapertæ ictaæ aëris sonum distincta modulatione accipiunt.* Appellat paulo post *inflexos anfractus*, quemadmodum Arnobius infra *inflexos tramites*. HERALD.

Oculorum orbiculos mobiles. Oculorum *orbes* et *orbiculi*, ut Græcis κύκλοι Solin., cap. 30 : *Numquam cohibet aciem orbium.* Seneca in Œdipode :

> Scrutatur avidus manibus uncis lumina :
> Radice ab ima funditus vulsos simul
> Evolvit orbes.

Dixerat Sophocles in eadem fabula: Ἄρας ἔπαισεν ἄρθρα τῶν αὐτοῦ κύκλων. et in Antigone : κύκλους ὀμμάτων. HERALD.—Conf. Keuchen.; in Samonic., vers. 669, in Poet. Lat. min., P. Burmanni tom. II, pag. 319; Bünemann., ad Lactant., de Opif. Dei, cap. 10, pag. 1168. ORELL.

Suspensum imbricem narium, etc. Eleganter comparat Arnobius nares cum *imbrice*, id est tegula cava, quæ tectis applicatur, ut per eam defluat aqua, *Dachirinne, Dachtraufe*. Cæterum cum nostro comparandus locus Aristotelis, Hist. Anim., lib. I, cap. 11. ἔτι προσώπου μέρος τὸ μὲν ὂν τῷ πνεύματι πόρος ῥίς· καὶ γὰρ ἀναπνεῖ καὶ ἐκπνεῖ ταύτῃ, καὶ ὁ πταρμὸς διὰ ταύτης γίνεται, πνεύματος ἀθρόου ἔξοδος, σημεῖον οἰωνιστικὸν, καὶ ἱερὸν μόνον τῶν πνευμάτων. Add. Cic., de Nat. deor., II, cap. 57. Cf. Lactant., de Opificio Dei, cap. 10. ORELL.

Subactionibus ciborum dentes trini generis, etc. Nimirum 1° οἱ τομεῖς, *primores* Plinio, Isidoro autem Orig. XI, cap. 1. *præcisores* dicti, in veterino pecore *rapaces*; 2° κυνόδοντες, *canini*, Isidoro, l. l., *columelli* a longitudine et rotunditate, in equis *columellares*; 3° γόμφιοι vel μύλοι, *molares* Isidoro, *maxillares* Plinio, *genuini* Ciceroni dicti. Vide imprimis Artemidor., Oneirocrit., lib. I, cap. 31, ibique Rigalt., pag. 20, seqq., vol. II, ed. Reiff. Cæterum in eamdem sententiam eleganter Cicero de Nat. deor., II, cap. 54 : *Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur et molitur cibus : eorum adversi acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt, qui genuini vocantur.* ORELL.

Quod si ea, quæ prompta sunt, consentaneum est et illa portari. Hæc est Codicis ms. lectio, male mutata ab aliis in *consentaneum est et illa portare*, ab aliis in *consentaneum est et illa putari*. Sensus est : *Quod si ea, quæ prompta* (id est in promptu) *sunt*, scil. *portantur a diis*, (quod subintelligendum ex sequenti *portari*), *consentaneum est et illa portari* (ab iis) etc. Or.

prompta sunt, consentaneum est et illa portari, quæ sub costis, earumque sub cratibus cutes contegunt, atque omentorum membranulæ: gurguliones, ventriculos, lienes, pulmones, vesiculas, jecora, intestinorum volubilium tractus, et per omnia viscera commeantes purpurei sanguinis venas, cum arteriis spiritalibus conjugatas.

XIV. An numquid cœlestium corpora fœditatibus his carent? et quoniam cibis mortalibus abstinent [a], edentulos eos esse parvulorum credendum est ritu, et viduatos interioribus cunctis, tamquam utres sufflatos, turgidorum corporum inanitate pendere? B

A Quid quod, si hæc ita sunt, erit vobis necessarium contueri, similesne sint dii omnes, an formarum dispari circumscriptione teneantur. Si enim par cunctis, atque una est omnibus similitudinis species, non absurdum est credere errare eos, fallique cognitionis in mutuæ comprehensione. Sin autem gerunt discrimen in vultibus, sequitur ut intelligi debeat non alia de causa dissimulitudines his datas, nisi ut singuli se possent differentium signorum proprietatibus noscitare. Ergo esse dicendum est quosdam capitones, cilunculos, frontones, labeones: in his alios mentones, nævios [b], atque nasicas. Hos displosis na-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Abstinentur *ms.*

[b] Mævinos *ms.* nævimos *Sab.*

COMMENTARIUS.

Sub costis earumque sub cratibus. Crates hoc loco costarum compages. Similiter Ovid. Met., VIII, 805:

> Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
> Pectus, et a spinæ tantummodo crate teneri.

et Lactant., de Opific. Dei, cap. 5: *Costis ...... interna viscera contegantur, ut ea, quæ mollia et minus valida fieri opus erat, illius solidæ cratis amplexu possent esse munita.* Ubi vide Bunemann., pag 1147. ORELL.

Omentorum membranulæ. Omentum, Græcis ἐπίπλοον, membrana est tenuis et pinguis, quæ, intestinorum amfractus involvit, tegitque inferiores ventris partes (*das Darmfell.*) ORELL. — Unde Plinius, Hist. nat., lib. II, cap 37: *Ventriculus*, inquit, *atque intestina pingui ac tenui omento integuntur, præterquam ova gignentibus.* Conf. Isidor., lib. II, Orig., cap. 1. NOURR., pag. 405.

Gurguliones. Lactantius, de Opific. Dei, cap. 11, § 6: *Spiritus contra, qui est incorporalis ac tenuis, quia spatium sibi facere non poterat, accepit viam patentem, quæ vocatur gurgulio. Luftröhre.* ORELL. C

Ventriculos, lienes. Ita Gelenius et ed. Lugd. Bat. Stewechius: *ventriculos, renes.* Cod. ms.: *ventriculos, venas*, quod stare non potest, quia statim sequitur: *et per omnia viscera commeantes purpurei sanguinis venas.* Meursius mavult *ventriculos, renes.* ORELL.

Cum arteriis spiritalibus conjugatas. Lucem his verbis affundit Augellius, Noct. Att., lib. XVIII, cap. 10: *Vena est conceptaculum sanguinis, quod ἀγγεῖον medici vocant, mixti confusique cum spiritu naturali, in quo plus sanguinis est, minus spiritus: arteria est conceptaculum spiritus naturalis mixti confusique cum sanguine, in quo plus spiritus est, minus sanguinis.* et brevius Pollux Onom. Lib. II § 216 (Hemsterh.): ἡ καρδία κόλπους ἔχουσα αἵματός τε καὶ πνεύματος, ὧν τὸ μὲν ἐκπέμπει δι' ἀρτηριῶν, τὸ δὲ ἀναπέμπει διὰ φλεβῶν. Confer, qui arteriarum naturam egregie illustrat, magnum Hippocratem in libro de Corde, tom. I, pag. 269, ed. Fæsii, Genev. et Gorrœum in Definitt. Med. v. Ἀρτηρία. ORELL. D

XIV. — *Edentulos.* Nonius: *Edentulum quasi sine dentibus placuit dici.*, *Statius Cæcilius: Tune amare audes, edentule et capularis senex.* Glossæ: *Edentulus* νωδός. ELMENH.

Turgidorum corporum inanitate pendere. Non opus habemus turpi verbo *pedere*, quod Arnobio h. l. obtrudere vult Stewechius. *Pendere* eleganter de corporibus vacuis, inanibus, fame enectis, quæ facile corruunt. Vide locum Ovidii Met. VIII, 805, ad caput proxime antecedens citatum. ORELL.

Ergo esse dicendum est quosdam capitones, etc. Videtur hic Arnobius imitatus fuisse Ciceronis locum de Nat. deor. I, cap. 29: *Redeo ad deos: ecquos si non tam strabones, at pætulos esse arbitramur? ecquos nævum habere? ecquos silos flaccos, frontones, capitones, quæ sunt in nobis? an omnia emendata in illis* etc.

Capitones autem, qui magnum, vel densum firmumque habent caput, unde Plautus Pers. act. I, scen. II, vers. 8: *duros capitones* appellat parasitos, qui pati possunt alapas et matulas in caput impactas. Cognomen etiam romanum fuit in familia Fonteia. Glossæ: *Capito*, κεφαλίων. HERALD. et ORELL.

Cilunculos. Hæc est lectio vetus, quam confirmat ms. reg. Supposuerant alii *silunculos*. Prior autem lectio verissima est. Nominatis enim capitonibus, convenientius sequuntur *cilones* vel deminut. *cilunculi*, quam *sili*, *silones*, *silunculi*. *Sili* sunt σιμοὶ in Glossis Philoxeni, apud Festum, *qui sunt naso sursum versus repando*, qui etiam *silones* Isidoro in Glossis: etsi *silones*. Nonio Marcello sunt *superciliis prominentibus homines*. At *cilones* sunt, *quibus frons est eminentior ac dextra sinistraque velut recisa videtur*, inquit Festus. Nempe *cilo*, cui frons veluti cellit, et sursum movetur ac surgit. Nam *cellere* κέλλειν ἤγουν κινεῖν: et transitive κινεῖσθαι καὶ κλίνειν. Unde *excellere* et *recellere*, quod est ut recte interpretatur Festus, *reclinare*: ab eadem origine *incellere*, id est maledictis impetere, pro quo antiquitus dicebatur *incilare*. Lucretius lib. III, 975 seq.:

> . . . . Necesse est
> Jure (ut opinor) agat, jure increpet inciletque,

cilo igitur προκέφαλος, ut explicant Glossæ Philoxeni. HERALDUS. Conf. Meurs., in Append., et Lips., ad Tacit. Annal. XII, 21, pag. 652, ed. Oberlin. Equidem Heraldo prorsus assentior. Nam statim sequitur *illis resimis naribus*, quod non aliud est, quam *silunculi*. Contra optime junguntur *cilunculi* cum *frontonibus*: illi celsa fronte et convexa, *von hoher, gewolbter Stirne*; hi magna et porrectiore, *von hoher, langer Stirne*. Et valde miror, editorem Lugd. Bat. revocasse *silunculos*, quod Arnobio illatum e Cicerone, qui habet *sili*. Cæterum de hoc aliisque cognominibus a partibus corporis ductis adi Caroli Sigonii librum de Nominibus Romanorum in Godofredi scriptoribus linguæ latinæ, pag. 1459, seqq. ORELL.

Labeones. Quibus ampla sunt labia vel labæ potius. Charisius in Auctoribus linguæ latinæ, ed. Godofredi, p. 1361. *Labra modica, labia immodica, et inde Labiones.* Apud Romanos Fabiæ gentis cognomen, itemque Antistiæ et aliarum. ORELL.

Nævios: Anævus, id est genuina corporis macula, *Muttermahl, Mutterflecken.* Cicero, de Nat. deorum, lib. I, cap. 28: *At est corpori macula nævus, illi tamen hoc lumen videbatur.* Et Solinus, cap. 5: *Interdum enim ad genus spectant (causæ similitudinum) et per sobolem in familiam transitus faciunt, sicut plerique parvuli modo nævos, modo cicatrices, modo qualescumque originis suæ notas ferunt.* Conf. Plin., Hist. nat., lib. VII, cap. 11. Aristoteles, Hist. anim., lib. VII, cap. 6: καὶ ὅλως τὰ παρὰ φύσιν ἐοικότες πολλάκις, καὶ

ribus, illos resimis, nonnullos turgentibus malis aut buccarum cumulatione saccibucces, nanos, longos, medios, macilentos, pingues, crassos : hos capillorum intortionibus crispulos, calvitiis alios et glabritatibus rasos. Neque opinari nos falso, vestræ et produnt atque indicant officinæ. Siquidem cum facitis atque informatis deos, hos crinitos effingitis, alios læves, senes [a], juvenes, pueros, aquilos [b], cæsios, ravos, seminudos, intectos, aut, ne frigus incommodet, fluidarum vestium superjectione perfusos.

XV. Quisquamne est hominum rationis alicujus sapore contactus, qui pilos et lanugines credat in deorum corporibus nasci? qui annorum in illis inesse discrimina? qui et pervarias tegminum atque

A amictuum formas vestitos hos ire, atque ab æstibus sese frigoribusque tutari? Quod qui habet verum, et hoc necesse est tamquam verum accipiat : esse deos fullones, esse tonsores : qui vel sacras eluant vestes, vel capillos imminuant sylvescentium crinium velleribus involutos. Itane istud non turpe, non impietatis et contumeliæ plenum est, moribundi et caduci animantis liniamenta diis dare? insignire his partibus, quas enumerare, quas persequi probus audeat nemo, nec sine summæ fœditatis horrore, mentis imaginatione concipere? Hoccine est illud fastidium vestrum, sapientia hæc arrogans, qua despuitis nos ut rudes, atque omnem scientiam remini rerum B vobis divinarum patere? Ægyptiorum ridetis æni-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Leves; lenes, senes *ms.*

[b] *Sab.* Aquilios.

COMMENTARIUS.

σημεῖα ἔχοντες συγγενῆ καὶ οὔλας. Glossæ : *Nævi*, ἀκροχορδόνες. Item : *Nævus*, φακὸς προσώπου. Alii : *Nævus*, ὑπερσάρκωσις. MEURS., *in Append.* et *Salmas. Exercitt. Plin.*, p. 28.

Nasicas. Nasicæ qui sint, ipse Arnobius explicat infra, lib. 6, cap. 10 : *Displosas ut gestitet nares, quem esse vos facitis figuratisque nasicam.* ELMENH.

Displosis naribus. Id est apertis et dilatatis. Lucretius, VI, 129 seq.:

Nec mirum, cum plena animæ vesicula parva
Sæpe ita dat pariter sonitum displosa repente. HERALD.

Illos resimis. Resimæ nares, ἀνάσιμοι, sursum versus reductæ. Vid. Gesner., in Thes. ORELL.

Buccarum cumulatione. Admodum placet conjectura P. Colvii ad Apulei. Met., lib. XI, p. 758, ed. Oudendorpii legentis *buccarum tubulatione*, id est tumore buccarum, nam *tuber, tubus, tubulus* a *tumendo*. ORELL.

Saccibucces. Secutus sum emendationem Salmasii in ed. Lugd. Bat., et ad Tertullian., de Pallio, p. 298. Cod. ms. habet *sacrivoces*, nullo sensu, unde Gelenius fecit *acrivoces*. Quod vero hic locum non habet, nam ab inflatis et tumidis buccis minime pendet vocis acritas. C. Barthius, in Adversariis duplicem conjecturam proponit. Lib. IV, cap. 19, p. 197, scribendum putat *artivoces*, id est voce arcte meante e turgentibus buccis. Lib. XLIII, cap. 6, p. 1936, autem legendum suspicatur *Satyriones*, ita dictos ob deformitatem patuli oris et risum quemdam absonum, quali effingebantur Satyri, unde Phurnutus, de Nat. deorum, cap. 30 (in Galei Opusc. Mythol.). Σατύρους derivat à σεσηρέναι. Sed longe præfero *saccibucces*, quod proxime accedit ad lectionem Cod. ms. *Saccibucces* ἀσκογνάθοι, φυσιγνάθοι. ORELL.

Nanos, longos, medios. Sanissima lectio, quam inepte sollicitavit C. Barthius in Adversar., p. 197, conjectans *mucidos*, quod ab hoc loco prorsus alienum est. Alii legunt *modicos*. Sed bene habet *medios*, scil. inter *nanos* vel pumiliones et *longos* sive gigantas. Ita *statura media* in re militari, scil. inter eminentem vel prolixam et brevem. Vid. Stewech., ad Veget., de Re milit., lib. I, cap. 5, p. 18, ed. Vesal. De *nanis*, vid. A. Gell., lib. XVI, cap. 5. ORELL.

Aquilos. Aquilus color fuscus, medius inter album et nigrum, Festus : qui autem vocabulum falso derivat ab *aqua*, cum sit ab *aquila*, cujus hic est color. Vide Scaliger et Dacer. ad Festi l. l. Glossæ : *aquilum*, μέλαν, ὡς Λουκίλλιος. Gloss. Isidor. *aquilum*. . . *fuscum, nigrum*, vid. Hug. Grot., ad Marcian. Capell., lib. II, p. 40. Cæterum, ut bene observat Gesnerus in Thesauro, Arnobius, h. l. maxime videtur respicere ad oculorum colorem. ORELL.

Cæsios. Terentius Hecyr., act. III, scen. IV, vers. 26 :

Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius.

ubi Donatus : *Cæsius glaucis oculis, quasi felis oculos habens et glaucos.* Hinc Minerva cæsia, γλαυκῶπις Ἀθήνη. Vid. A. Gell., lib. II, cap. 26. ORELL.

Ravos. Festus : *Ravi coloris appellantur, qui sunt inter flavos et cæsios, quos Plautus appellat ravistellos.* Ubi vide intpp. *Ravus* hoc loco igitur de oculorum colore, qualem Varro de Re rust., lib. II, cap. 2, § 4, in arietibus, et II, cap. 9, § 3. in canibus laudat, ubi vide notam Schneideri V. Cl., vol. I, pars II, p. 471. Ita *frumenta, rava* μελανόπυῤῥα, du roux ardent, et Cic. Academ. IV, cap. 33 : *Mare. . . quia* C *nobismetipsis modo cæruleum videtur, mane ravum*, ut legitur in editione Davisii, qui *ravum* pro *flavum* restituit ex Nonio. ORELL.

Fluidarum vestium superjectione perfusos. Expressissime. Sic igitur appellat vestes longiores, quæ, ne frigus incommodaret, cæteris vestibus superinjiciebantur, quod Græci quoque ἐπαναβάλλειν dicunt. Herodotus : ἐπὶ κιθῶσι δὲ εἰρίνεα εἵματα λευκὰ ἐπαναβληδὸν φορέουσι. Hoc etiam ἐπιτιθέναι. HERALD.

XV. — *Quisquamne est hominum rationis alicujus sapore contactus.* Id est leviter illitus et infectus. Lucretius, lib. VI, vers. 1186 :

Tenuia sputa, minuta, croci contacta colore. HERALD.

Sylvescentium crinium. Quemadmodum sylvæ τριχοφυεῖν dicuntur veteribus, sic versa vice crines sylvescere. Vide F. Lidenbrog. ad Catalect. Virgil., p. 324. ORELL.

Probus. Id est pudore aliquo et verecundia tactus; D ut contra *improbus*, τολμηρὸς καὶ ἀναίσχυντος. HERALD.

Qua despuitis nos ut rudes. Christianis ignorantiam et ἀπαιδευσίαν objiciebant gentes; nempe quod litteras seculares pauci inter eos tractarent, et essent in iis sellularii plurimi opifices καὶ βάναυσοι. Minucius Felix : *Idcirco indignandum omnibus, immo indolescendum est, audere quosdam, et hos studiorum rudes, litterarum profanos, expertes, artium etiam sordidarum, certum aliquid de summa rerum ac majestate decernere.* De hac autem criminatione Justinus Martyr, Origenes et alii passim. Certe Christiani, quod ab honoribus et magistratibus semoti privatam vitam viverent, eas litteras, quæ ad forensia aut politica officia cum laude obeunda præcipue necessariæ sunt, etiam negligebant. Præterea, quia sophistæ et philosophi erant Christiani nominis hostes præcipui, idcirco vel hoc nomine philosophiam ipsam plerique aversabantur; quem errorem tamen veteres et eruditi Ecclesiæ doctores corrigere conati sunt; et eo nonnulli progressi ut philosophiæ plus æquo tribuerent, quod vel ex

gmata, quod mutorum animantium formas divinis A inseruerint causis, easdemque quod species multo thure accipiant, et reliquo cærimoniarum paratu : vos effigies hominum tamquam deorum veneramini potestates : nec pudet his ora terreni animalis imponere: erroris alios, et stultitiæ condemnare, et in erroris ejusdem similitudine ac vitio deprehendi.

XVI. Nisi forte dicetis alias quidem inesse [a] diis formas, et honoris, et dicis causa species vos eis accommodavisse mortalium, quod majoris multo est contumeliæ, quam erroris aliquid ignoratione fecisse. Nam si vos fateremini id, quod vestra suspicio credidisset, formamentis attribuisse divinis, minus erat injuriæ præsumpta in opinatione peccasse. Nunc vero, cum aliud creditis, et aliud fingitis, et in eos estis contumeliosi, quibus id attribuitis quod eos confitemini non esse ; et irreligiosi esse monstramini, cum id adoratis quod fingitis, non quod in re esse ipsaque in veritate est censetis. Si aselluli, canes, porci, humanum aliquid saperent, fingendique haberent artes : iidemque nos vellent cultu aliquo prosequi, et statuarum consecrationibus honorare, quantas nobis irarum flammas, indignationum quos turbines concitarent, si suorum corporum formas nostra vellent portare atque obtinere simulacra ? Quantas, inquam, irarum flammas suffunderent, excitarent, si urbis conditor Romulus asinina staret in facie, si sanctus Pompilius in canina, si porcina sub specie nomen esset Catonis, aut Marci Ciceronis inscriptum ? Ita ergo stoliditatem vestram non rideri, si ridenl, vestris ab numinibus remini ? aut, quoniam censetis affici eos ira, non insanire, non furere, neque pro injuriis et contumeliis tantis ultum ire se velle, jaculari que in vos ea, quæ dolor suetus est jacere, et offensionis acerbitas comminisci ? Quanto fuerat re- B ctius elephantorum his formas, pantherarum, aut tigridum, taurorum, equorumque donare ? Nam quid in homine pulchrum est, quid quæso admirabile, vel decorum, nisi quod et clurino cum pecore nescio quis auctor voluit esse commune ?

LECTIONES VARIANTES.

[a] Esse *alii* : Fuisse *ms.*

COMMENTARIUS.

uno Clemente Alexandrino constare potest. At de humanioribus et floridioribus litteris asperiora etiam fuerunt veterum Christianorum judicia. Tragœdias enim et comœdias, aliaque cætera poetarum scripta, quod ea ad solidam doctrinam conferre nihil existimarent, præterea lascivia et turpitudine scatere ac fabulosæ idololatriæ promptuarium esse crederent, C aspernabantur et damnabant. Hinc existimat Tertullianus libro de idololatria, ludimagistros et cæteros professores litterarum *affines esse multimodæ idololatriæ; quibus necesse est deos nationum prædicare, nomina, genealogias, fabulas, ornamenta honorifica quæque eorum enuntiare* etc. Et Origenes libro contra Celsum tertio exerte ait, a Christianis magistris eos reprobari, qui comœdias et lasciva poemata enarrent, non autem eos, qui seriam philosophiam. HERALD.

Quod mutorum animantium formis divinis inseruerint causis. Accomodatius forsitan legi posset : *Divinis inseruerint censibus.* Sed nihil mutare ausim. *Divinæ causæ* videntur h. l. idem esse quod *divinæ potestates, die Gottermachte.* ORELL.

Easdemque quod species multo thure accipiant. Infra, lib. VII, c. 22 : *Et quod tellus est mater, consimiliter gravidis accipienda est scrofis.* Ita θεοὺς ὑποδέχεσθαι Græci frequenter aiunt. Artemidorus, lib. III, c. 14 : Οἱ γὰρ ἐν περιστάσει γενόμενοι θύουσί τε τοῖς θεοῖς καὶ ὑποδέχονται αὐτούς. HERALD.

XVI. — *Dicis causa.* Ita correxit J. Lipsius. *Dicis causa*, id est προφάσεως ἕνεκα, λόγου χάριν : verbo, non re : in speciem, *zum Scheine.* Vid. A. Bosii Ind. ad Cornel. Nepot. ; A Schtt. Obss. Hum., lib. V, c. 33; Turneb., Advers., lib. XI, c. 20, qui derivat non a *dico, is,* sed a *dico, as,* ut sit tamquam *dicationis causa*, et Ernesti Clav. Cic. Editio princeps Rom. vitiosissime *dotis causa.* ORELL.

Formamentis attribuisse divinis. Ita ms. et Fulv. Ursin. Edit. Rom. *formam mentis,* male. *Formamentum* vox Lucretiana, II, vers. 518 :

. . . . . . Omnia principiorum
Formamenta queunt in quovis esse nitore.

HERALDUS et ELMENHORST.

Non quod in re esse, ipsaque in veritate est. censetis. Ita ms. quam lectionem temere ab aliis mutatam revocavit ed. Lugd. Bat. Est scil. verborum trajectio pro *non quod in re esse censetis. quodque ipsa in veritate est.* Et tales trajectiones amare Arnobium supra vidimus. Fulv. Ursin. conj. : *Quod reapse in veritate esse censetis,* probante Heraldo in Curis secundis. ORELL.

Si aselluli, canes, etc. Hæc expressa videntur e Xenophanis Colophonii versibus, qui leguntur apud Clement. Alex. Stromat., lib. V, p. 256, et Theodoret., contra Græcos, orat. III, p. 49. Adscribam hic illos, quemadmodum emendati sunt ab illo ingenii et omnis politioris litteraturæ principe, Jos. Scaligero :

Ἀλλ' εἴ τοι χεῖράς γ' εἶχον βόες ἠὲ λέοντες,
Καὶ γράψαι χείρεσσι, καὶ ἔργα τελεῖν, ἅπερ ἄνδρες,
Καί κε θεῶν ἰδέας ἔγραφον καὶ σώματ' ἐποίουν
Τοιαῦθ' οἷόνπερ καὶ αὐτοὶ δέμας εἶχον ὁμοῖα,
Ἵπποι μέν θ' ἵπποισι, βόες δέ τε βουσὶν ὁμοῖα.

ELMENH.

Quantas, inquam, irarum flammas suffunderent, concitarent. Fulv. Ursinus conj. *effunderent.* Sed *suffunderent* bene defendit J. Fr. Gronovius Diatrib., ad Stat., p. 401, citans Silium, lib. IX, 491 :

. . . . . . Suffuderat ora
Sanguis, et a torvo surgebant lumine flammæ.

et lib. XI, 218 :

Tum virgo ignescens penitus, violenta repente
Suffudit flammis ora.

D et Claudian., in Cons. Mallii, vers. 21 :

..... Nec lumina fervor
Asperat, aut rabidas suffundit sanguine venas.

ORELL.

Si sanctus Pompilius. Nescio, quid sibi velint legentes *si Ancus Pompilius.* Atqui *sanctus* recte dicitur Numa Pompilius cum ob vitæ integritatem, tum ob credita illius cum diis consortia. ORELL.

Nisi quod et clurino cum pecore nescio quis auctor voluit esse commune. Optimam hanc et unice veram codicis ms. lectionem, ab Heraldo merito commendatam, primus in textum revocavit Salmasius. *Clurinum pecus* est simia. Papias : *Clura vel clurinum* (pecus) *simia dicitur. Clura* scil. contractum e Græcorum κόλουρα, ut glans ex γάλανος. Κόλουρος, qui cauda caret vel mutilam habet caudam. Vide intpp. ad Fest., verbo *Cluna.* Conf. Salmas. ad Solin., p. 267; Savaro ad Sidon., p. 4 ; et inprimis Keuchen., ad Samonic., de Medic., vers. 825, in Poet. lat. min.; P. Burmanni, vol. II, p. 345. Quod non intelligentes primus editor Sabæus, et cæteri eum secuti, excepto

XVII. Sed si vobis, inquiunt, nostra opinatio displicet, vos demonstrate, vos dicite, qua sit Deus præditus forma. Si veram vultis audire sententiam, aut nullam habet Deus formam aut si informatus est aliqua, ea quæ sit, profecto nescimus. Neque enim quod vidimus numquam, nescire esse ducimus turpe : aut ea re prohibemur aliorum sententias refutare, quia super hoc nostram nullam ipsi sententiam promimus. Ut enim si vitreus esse dicatur mundus, si argenteus, ferreus vel ex fragili conglobatus et fabricatus testa, non dubitemus falsum esse contendere, quamvis quæ sit ejus materia nesciamus : ita cum de specie agatur Dei, quam perhibetis [a] convincimus non esse, etiam si quæ sit, minus possumus explicare.

XVIII. Quid ergo, inquiet aliquis, non audit Deus? non loquitur? non ante se positas res videt? non intuetur? Suo forsitan genere, non nostro. Neque enim veri aliquid scire tanta in re possumus, aut suspicionibus indagare : quas esse apud nos [b] liquet instabiles, lubricas, et vanorum similitudines somniorum. Si enim dixerimus iisdem rationibus videre, quibus et nos videmus : sequitur ut intelligi debeat superjectas pupilis eum habere membranulas, connivere, nictare, radiis, aut imaginibus cernere, aut quod oculis commune est omnibus, sine alterius luminis commixtione nihil omnino conspicere. Quod ipsum similiter de auditu, ac de eloquii forma, et verborum prolatione dicendum est. Si per aures audiat, eas quoque habere flexuosis tramitibus perforatas, qua irrepere vox possit sensum nunciatura sermonis : aut si verba ore funduntur, labia habere cum dentibus, quorum inflictu et mobilitate multijuga lingua sonos articulet, et vocem in verba conformet.

XIX. Si nostri animi motum non recusatis audire, tantum abest ut nos Deo corporalia liniamenta tribuamus, ut animorum etiam decora, ipsasque virtutes, quibus eminere vix concessum est paucis, tantæ rei vereamur adscribere. Quis enim Deum dixerit fortem, constantem, frugi, sapientem? quis probum? quis sobrium? quis immo aliquid nosse? quis intelligere? quis providere? quis ad fines officiorum certos actionum suarum decreta dirigentem? Humana sunt hæc bona, et ex oppositione vitiorum existimationem meruerunt habere laudabilem. Quis est autem tam obtusi pectoris, tam bruti, qui humanis bonis Deum esse dicat magnum? aut ideo nominis majestate præcellere, quod vitiorum careat fœditate? Quidquid de Deo dixeris, quidquid tacitæ mentis cogitatione conceperis, in humanum transilit et corrumpitur sensum : nec habet propriæ significationis notam, quod nostris dicitur verbis, atque ad negocia humana compositis. Unus est hominis intellectus de Dei natura certissimus, si scias, et sentias nihil de illo posse mortali oratione depromi.

XX. Et hæc vero prima est vestrorum numinum contumelia, quam de formis, et sexibus boni scilicet vindices, et religiosi constituistis auctores. Illud vero, quod sequitur, quale est, quod deos vobis inducitis alios fabros, alios medicos, alios lanarios, nautas,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Perhibitis *Sab. male*.

[b] Vos *Fulv*.

COMMENTARIUS.

Salmasio, ediderunt *veterino cum pecore*, pessime. Nam *veterinum pecus*, ut pluribus ostendit Lambinus ad Lucret., l. v, vers. 863, p. 673, dicuntur omnia animalia, quæ vehere quid possunt, boves, equi, muli, asini, etc., quorum nulla aut minima cum homine similitudo est. Cæterum ille *nescio quis auctor*, ut docet Nourrius, Ennius est, cujus notus versus e Cicerone de Nat. deor. i, c. 35.

Simia quam similis, turpissima bestia, nobis.

Nec audiendus etiam Meursius in Appendice legendum suspicans *clunino cum pecore*. Conf. Savaro ad Sidon., lib. i, epist. i, p. 4. Orell.

XVII. — *Prohibemur*. Ita Gelenius. Editio princeps *prohibemus, male*. Orell.

Vel ex fragili conglobatus et fabricatus testa. Ita in cod. ms. legi docet Stewechius, et Salmasius hanc lectionem primus in textum revocavit. Recte, opinor. Nam *conglobatus* fragili testæ multo melius convenit, quam *condolatus*, quod e correctione Gelenii habent cæteri editores. Neque enim fragilis testa effingitur dolamine, sed e molli creta vel luto fabrefacta torretur, deinde fornace coquitur. Porro maximopere dubito, an latine dici possit compositum *condolare*, quod verbum frustra quæsivi in Lexicis. Nam *cum* vel *con* in verbis compositis junctionem aliquam vel additionem vel compositionem subindicat. Atqui dolamine nihil additur, sed demitur potius vel abscinditur aliquid ligno, lapidi aut metallo. Fulv. Ursinus itaque legendum conjicit : *Ex fragili coalitus et fabricatus testa*, sequente Elmenhorstio. Stewechius : *Ex fragili ligno dolatus seu fabricatus esse testa*, respiciens forsitan ad verba illa Martialis, lib. vi, Epigr. 49 : *Priapus de fragili dolatus ulmo*. Sed longe præfero lectionem codicis *conglobatus*, quæ adstruitur etiam loco plane simili Ciceronis, de Natur. deor., l. ii, c. 39 : *Ac principio terra universa cernatur, locata in media mundi sede, solida et globosa, et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus*. Cæterum præceptorem suum Arnobium imitatus est Lactantius, de Opif. Dei, c. 17, § 9 : *An si mihi quis dixerit, æneum esse cœlum, aut vitreum, ut Empedocles ait, aerem glaciatum, statimne adsentiar, quia cœlum, ex qua materia fit, ignorem?* ubi vide Bunemann., p. 1207, seq. Orell.

XVIII. — *Superjectas populis*. Ita ms et ed. Lugd. Bat. Alii *pupillis*. Sed *pupula* est forma antiquior et Lucretiana, quales amat Arnobius. Orell.

Multijuga lingua sonos articulet. Magis placet Stewechii conjectura : *Multijugos lingua sonos articulet*. Orell.

XIX. — *Quis...... dirigentem?* Ita cod. ms. et ed. Lugd. Bat. Alii malunt *dirigere*, quia præcesserint infinitivi *nosse, intelligere, providere*. Sed ejusmodi anacolutha frequentia apud optimos scriptores. Orell.

Nominis majestate. Alii *numinis*.

XX. — *Lanarios*. Annon legendum *lanificos?* Nam deorum *lanariorum*, id est qui lanam sordibus purgant (vid. supra, ad l. ii, c. 38), nulla mentio, sed lanificorum. Ita *lanificæ sorores*, Parcæ. Sed fortassis in talibus distinctionibus minus accuratus Arnobius. Orell.

Nautas. Nugæ! Dii nulli nautæ : neque enim N

citharistas, aulœdos, venatores, pastores, et quod A superaverat, rusticos? Et ille, inquit, musicus deus est: et hic alter, divinus est. Cæteri enim dii non sunt, et ventura prædicere inscitia nesciunt, atque ignorantia futurorum. Obstetriciis [a] ille informatus artibus, medicorum alius institutus est disciplinis. Ergone singuli sua in re pollent, nec in auxilium vocati alienis possunt in partibus subvenire? Hic in sermone facundus est, atque in verborum continuationibus promptus: bardi enim sunt alii, nec possunt aliquid scitum, si oratio facienda est, eloqui.

XXI. At rogo, quæ ratio est, quæ tam dura necessitas, quæ causa, ut artificia hæc superi tamquam viles noverint atque habeant sellularii? In cœlo enim cantatur et psallitur, ut intervalla et numeros vocum novem conserant scitulæ ac modulentur sorores? B Sunt in sidereis montibus sylvæ, sunt lustra, sunt nemora, ut venationum præpotens habeatur in expeditionibus Diana? Imminentia dii nesciunt: et sortibus vivunt, agitanturque fatalibus, ut quid cuique crastinus dies ferat, aut hora, Latonius explicet atque aperiat vates? Ipse alio impletur deo, et vi numinis premitur exagitaturque majoris, ut merito dicatur habeaturque divinus? Corripiuntur dii morbis, et vulnerari, vexari aliqua ex re possunt: ut cum exegerit ratio, auxiliator subveniat Epidaurius? Parturiunt, pariunt, ut difficiles puerperiorum tricas Juno mulceat, corripiatque Lucina? Rem rusticam tractant, aut curant militaria munera: ut flammipotens Vulcanus fabricetur his enses, aut ruris ferramenta procudat? Vestis indigent tegmine: ut virgo Tritonia curiose iis stamen

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic ms.* Obsterticis *alii.*

COMMENTARIUS.

ptunum, quia maris teneat imperium, nautam, nisi ineptissime dixeris. Restituo *naccas.* Veteribus autem *naccæ* fullones dicebantur. Festus: *Naccæ appellantur vulgo fullones, ut ait Curiatius, quod nauci non sint.* Apuleius Miles. IX: *Nam et opportune maritus foris apud naccam proximum cœnitabat.* Deos vero fullones, ut hic *naccas*, antea appellavit dicens: *Esse deos fullones, esse tonsores, qui vel sacras eluant vestes*, etc. MEURS., p. 91, seq.—Acuta quidem Meursii correctio. Nec tamen ausim equidem mutare lectionem vulgatam: nam *dii nautæ* dici possunt nautarum præsides, nautis opitulantes, verbi causa Dioscuri et Portumnus, de quo Arnobius infra, c. 23. ORELL. C

Et, quod supererat, rusticos. Ita restituit Jan. Guilielmus in Quæst. ad Plauti Curcul., c. IV (in Lampade Crit. Gruteri, t. III, part. II, pag. 365). Nam solent ita Latini, cum indigne commissa ab aliquo multa commemoraverint, postremo adjicere, superesse, ut hoc aut illud præterea in se admittat. Et veram hanc conjecturam esse præstat codex ms. et Virgiliomastigis versus:

Hordea qui dixit, superest, ut tritica dicat.

STEWECH.

Alii: *Et quod superat rusticos.* ORELL.

Divinus. Glossæ: *Divinus*, μάντις. Ita Cicero de Fato: *Chrysippus æstuans falli sperat Chaldæos cæterosque divinos.* ELMENH. — Notissima significatio. Vide tamen Græv., ad Cic. ad Attic., l. X, ep. IV, et Bunemann., ad Lact., I, c. 11, p. 64. ORELL.

Cæteri enim dii non sunt, et ventura prædicere inscitia nesciunt atque ignorantia futurorum. Fulv. Ursinus conj. *cæteri enim divini non sunt.* At nihil mutandum existimo. Nam certe, si divini non sunt, id est, si futura prænoscere et prædicere nequeunt, neque sunt existimandi dii. Lactantius, l. I, c. 11: *Primum in eo imprudentia, non Dei providentia: cui nisi Themis futura dixisset, ipse nesciret. Sin autem divinus non sit, ne Deus quidem sit: unde ipsa divinitas nominatur, ut ab homine humanitas* HERALD. D

In verborum continuationibus promptus. Fulv. Ursinus mavult: *in verborum concinnationibus promptus.* Sed nil mutandum. *Continuatio verborum* loquendi formula Ciceroniana, contra *concinnatio* vox barbara et nuspiam obvia. ORELL.

Bardi. Vide supra ad lib. II, cap. 19. ORELL.

XXI. — *Viles noverint atque habeant sellularii.* *Sellularios* appellat opifices, qui sordidas artes et viles tractant. Infra capite sequenti: *Cum sit nullus apud superos artibus his locus, neque usus illorum, neque natura deposcat ingeniosum aliquid aut sellularium scire.* Inde Gellio, lib. III, cap. 1, et Ammiano Marcellino, lib. XXX Historiarum, pag. 452, *quæstus sellularius* quæstus turpis et despicabilis. ELMENH.

Sellularii. Contemptissimi apud antiquos. Livius, lib. VIII, cap. 20: *Opificum vulgus et sellularii minime militiæ idonei.* NOURR., pag. 566.

Sunt in sideris montibus sylvæ, sunt lustra, etc. Meursius legit: *Sunt in sideribus montes, sunt sylvæ.* C. Barthius in Adversar., lib. IV, cap. 5, p. 266, legendum proponit: *Sunt in sidereis sedibus montes, sylvæ, sunt lustra*: at idem in ejusdem operis lib. LVII, cap. 17, pag. 2711, defendit codicis msti. lectionem, in textum etiam revocatam a Salmasio: *Sunt in sidereis motibus sylvæ*, etc., id est in sideribus perpetuo motu agitatis, ita ut Arnobius hoc loco miretur: *Sidera, quæ cum perpetuis motibus et irremissso ambitu circumvolent, quomodo alant sylvas, nemora sustineant?* Et hac interrogatione exprobret adversarios. *Montibus* est a correctione Gelenii. Heraldus putat hoc loco alludi opinionem de montibus et sylvis in lunæ circulo; quam Anaximeni alii, alii Xenophani tribuunt, verbi causa Cicero, Acad. II, cap. 39, ubi vid. Davis.; Diogenes Lærtius autem lib. II, Segm. 88. Anaxagoræ Conf. Plutarch., de facie in orbe lunæ, cap. 35, et de lunæ aliorumque planetarum montibus ex opinione recentiorum astronomorum, J. E. Bode, l. t. *Allgemeine Betrachtungen über das Weltgebaude*, p. 59, seqq. ORELL.

Vi numinis premitur exagitaturque majoris. Virgil. Æn., VI, 78.

Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

ORELL.

Ut difficiles puerperiorum tricas Juno mulceat corripiatque Lucina. Corripiat, scil. *tricas, moras*, id est acceleret partum. Similiter Ovid. Met. IX, vers. 281, seqq.

. . . . .Faveant tibi numina saltem,
Corripiantque moras, tum cum matura vocabis
Præpositam timidis parientibus Ilithyam.

ORELL.

Flammipotens Vulcanus. Codicem romanum (id est editionem principem) depravatum scio, in quo supposuere *flumnis potens.* Alterum enim retinendum, cum et *ignipotentem* alibi vocarit Vulcanum, qua compositione Apuleius, lib. I et VII, sagam appellat *divinipotentem*: qualiter et Diana poetis est:

Silvipotens Dea, silvicolis Dea cognita nymphis.

STEWECH.

Fabricet his enses. Ita ms. Typis cuderunt *fabricetur.* Atqui bonis auctoribus in usu fuit utrumque: in his

neat : et qualitate pro temporis, aut trilices tunicas, aut de serico componat? Accusant, et diluunt crimina : ut Atlantea progenies eloquii primas ferat studiosa exercitatione quæsiti?

XXII. Erras [a], inquit, et falleris : non enim ipsi opifices dii sunt, sed ingeniis hominum subjiciunt has artes, atque ut vita sit instructior, tradunt scienda mortalibus. Sed qui aliquam subjicit ignaro ac nescio disciplinam, solertemque hunc efficere nonnullius operis scientia contendit, sciat ipse necesse est primus id, quod alterum colere constituit. Neque enim traditor alicujus esse scientiæ potis est, ut non ejus, quod tradit præcepta habeat cognita, et rationem teneat exercitatissime comprehensam. Dii ergo sunt artifices primi : sive quod, ipsi ut dicitis, subdunt scientiam mentibus : sive quod immortales, et geniti numquam, genus omne terrenum vetustate temporis

A antecedunt. Hoc est ergo quod quæritur, cum sit nullus apud superos artibus his locus : neque usus illorum, neque natura deposcat ingeniosum aliquid, aut sellularium scire : cur esse dicatis in aliis alios perceptionibus gnarures, et habere solertias, in quibus singuli se vincant scientiarum cognitione discreti?

XXIII. Nisi forte hoc dicitis, deos artifices non esse, sed eos his artibus præsidere, curare : immo sub illorum posita esse tutela omnia, quæ administramus, quæ gerimus : atque, ut bene ac feliciter cedant, illorum provisione curari. Quod quidem merito dici ac probabiliter videretur, si ad voluntatem semper sententiamque procederent ea, quæ obimus, quæ gerimus, aut in negotiis periclitamur humanis. Cum vero in contrarium quotidie res vertantur, neque ad

B propositum voluntatis actionum respondeant fines, ludentis est dicere deos nobis superesse custodes,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sed erras *ms. Bene.* Meurs et erras *Sab.*

COMMENTARIUS.

M. Tullio Ciceroni, linguæ latinæ parenti. Stewech.— Ita ap. Cic., de Offic., lib. I, cap. 41, plurimi Codices habent *qui signa fabricant*, ubi tamen Heusinger, edidit *fabricantur*, quem vide pag. 344. Orell.

Trilices tunicas. Id est tribus liciis confectas. Licia a laciendo, laqueando dicta fila sunt, quibus in telis textrices implicant tramas staminis, quorumque ope distrahi eæ possint et subtemen radio immitti. Gallice *lisse*, Germ. *die Litze*, *Kammlitze das Geschirr*, græce μίτοι. A numero liciorum, quibus in texendo, utuntur, varia vestium genera nomina imposita habent, quibus singularum peculiaris aliqua natura et species significatur, verbi causa *bilices* et *trilices*, nostrum *Zwillich*, *Drillich*, etc. Vid. Schneider. V. Cl., qui de textrina veterum multus est in Indice ad Scriptores Rei rust., verbo *Tela jugalis*, vol. IV, part. II, pag. 371, 372. Orell.

Aut de serico componat. Secutus sum emendationem Meursii. Antea legebatur *aut de serico imponat*. Sed *vestes componere* pro concinnare recte dixeris; *imponere* vero non item. Salmasius edidit : *aut de serico et sine onere imponat.* Orell.

Ut Atlantea progenies eloquii primas ferat, etc. Lepidus est Gallandus *Atlanteam progeniem* Calypsonem Atlantis filiam interpretans. Cui non notus *Mercurius facundus nepos Atlantis* ex Horat. I, od. X? Orell.

XXII. — *Scienda.* Meursius corrigit *sciendas*, scil. artes. Orell.

Solertemque hunc efficere. Ita Ursinus et Salmasius. Antiqua lectio est: *Solertemquehis efficere*. Meursius: *Solertemque efficere*. Stewechius : *Solertemque sic*. Orell.

D *Sciat ipse necesse est primus id, quod alterum colere constituit.* Hæc est codicis ms. lectio, quam Heraldus ita interpretatur, ut sit *colere* idem quod docere, et similiter etiam construatur ab Arnobio *colere aliquem aliquid*, ut *docere aliquem aliquid*. Hujus autem constructionis exempla frustra quæsivi. Sed ferri potest lectio codicis, si ita interpretentur : *Necesse est, ut is ipse sciat id, quod constituit ut alter colat, id est ut ipse sciat artem, quam addiscendam alteri subjicit.* Quod apprime convenit præcedentibus verbis : *Sed qui aliquam subjicit ignaro ac nescio disciplinam, solertemque hunc efficere nonnullius operis scientia contendit*, ubi proprie dixit Arnobius *projicit disciplinam.* Haud enim Dii operose erudiebant et instituebant homines artibus et disciplinis, sed illas tantummodo inducebant in vitam humanam, id est primis quasi digitis monstrabant hominibus artes, quas ipsi addiscerent. Quare nihil mutandum existimo. Nam *colere artem* pro discere centies apud veteres. Fulv. Ursinus leg. conj. : *quod alterum callere constituit*, probante Stewechio, Salmasius ed. *docere constituit.* Orell.

Dii ergo sunt artifices, primi sunt : sive quod, etc. Heraldus putat, in his verbis aliquid vitii latere, et tollendum alterum *sunt*, ut sit expedita sententia. Editio Lugd. Bat. habet : *Dii ergo sunto artifices, primo sunto.* Sed nihil mutandum. *Dii ergo sunt artifices* est conclusio ex præcedentibus. Pergit deinde : immo C *primi sunt*, quod in sequentibus demonstrat. Orell.

Cur esse dicatis in aliis alios perceptionibus gnarures. Ita ediderunt Canterus et Lugd. Bat. ex emendatione Jos. Scaligeri ad Fest., verbo *Gnarigavit.* Cod. ms. *ignariores*, vitiose, unde Gelenius fecerat *gnariores*. Sed *gnarures* legendum. *Gnaruris* antiquum pro *gnarus*, ut *gnaruro* pro *gnarum reddo*. Plaut. Mostell. act. I, scen. II : *Simul gnarures volo vos esse hanc rem mecum.* Vide intpp. ad Fest., l. l. ad Anson., epist. XXII, vers. 20, p. 671, ed. Tollii, Oudend. ad Apulei., Met. I, 15, p. 64, et imprimis, qui de hac voce multus est, G. J. Voss. in Etymol. rom., verbo *gnarus*. Pro *perceptionibus*. Editio princeps habet *præceptionibus* : quod tolerari possit, ut sit idem quod artium præcepta. Meursius conj. *ignarures*. Orell.

Et habere solertias, in quibus singuli se vincant. Ita propius ad lectionem Codicis *in quibus singulis evincant* emendavit Fulv. Ursinus, probante Meursio. Stewech. mavult : *in quibus singuli vigeant*. Ed. Lugd. Bat. habet : *In quibus singuli eminennt.* Orell.

XXIII. — *Atque ut bene ac feliciter cedant, illorum provisione curari.* Quorsum hic *cadant?* Quasi vero *cedere* non eodem dicatur modo. Sic *bene ac feliciter cedere*, ut apud Græcos εὐροεῖν et εὖ πλεῖν. Sic etiam dicitur res ὁδῷ βαδίζειν, quæ ad finem suum nullis impedimentis tardata bene feliciterque it. Plutarchus in Pyrrho : καὶ τὴν ἐπιβουλὴν ὁδῷ βαδίζειν οἰόμενος οὐ κατεῖχεν, ἀλλ' ὑπὸ χαρᾶς ἐξέφερε πρὸς τοὺς φίλους. Sic Ovid., I Fastorum :

> Gaudet; et a pedibus tracto velamine, vota
> Ad sua felici ceperat ire via.

Herald.

Deos nobis superesse custodes. Superesse, id est *præesse*. Sic infra cap. 25 : *Unctionibus, inquit, superest Unxia, cingulorum Cinxia replicationi*, et lib. IV, cap. 9 : *Quis Libentinam, quis Liburnum libidinum superesse tutelis.* Ita sæpissime ap. ICtos. Eodem sensu *supra rem aliquem esse* pro illi rei præesse apud Vitruvium

quos suspicio finxit nostra, non explorata veritas comprehendit. Per maria tutissimas præstat Portunus commeantibus navigationes : sed cur insanum mare tam frequentes exposuit crudelium naufragiorum ruinas? Salutaria, et fida consilia nostris suggerit cogitationibus Consus : et in contrarios exitus cur assidue vertitur placitorum inopinata mutatio? Armentorum, et pecorum gregibus Pales præsunt Inuusque custodes : et cur sæva contagia, et pestilentes morbos ab æstivis avertere cessatione inimica non curant? Flora illa meretrix, et sancta obscœnitate ludorum, bene curat ut arva florescant : et cur quotidie gemmulas, et pubescentes herbas adurit atque interficit nocentissimum frigus? Puerperiis Juno præposita est, et auxiliatur genitricibus fœtis, et matrum intereunt cur quotidie millia parricidalibus nixibus interemptæ? In tutela Vulcani est ignis, et materies ejus in illius regimine constituta est : et cur ædes frequentissime sacras, atque urbium portiones ad cinerem patitur flammarum voracitate collabi? Divinationis scientiam largitur hariolantibus Pythius, et cur obliquata, dubia, cur obscuritatis sub-

COMMENTARIUS.

Proleg. ad lib. vii. *Rex..... retulit ad eos, qui supra Bibliothecam fuerant* (*C. Barth., in Adversar.*, l. xxiv, cap. 11, p. 1193). Similiter Tacitus, Ann. iii, c. 47: *Fide et virtute legatos, se consiliis superfuisse*, id est adfuisse, opem tulisse, vid. Ernest., p. 318, ed. Oberlin. Orell.

Per maria tutissimas præstat Portunus commeantibus navigationes. Recte *tutissimas*. Unde et supplicabant ac sacrificabant Ποσειδῶνι ἀσφαλείῳ. Non solum igitur Neptunum, sed et Portunum aliosque maris deos navigaturi invocabant. Herald. De *Portuno* sive *Portumno* (nam utrumque scribitur) locus classicus est Ovidii Fast., lib. vi, 541 seqq. :

. . . . Gaude defuncta laboribus, Ino,
Dixit ; et huic populo dextera semper ades.
Numen eris pelagi ; natum quoque pontus habebit.
In vestris aliud sumite nomen aquis.
Leucotheë Grajis ; Matuta vocabere nostris.
In portus nato jus erit omne tuo.
Quem nos Portumnum, sua lingua Palæmona dicet.
Ite, precor, nostris æquus uterque locis.

Portunus scil. a portu. vid. Cic. de Nat. deor. ii, 26. Elmenh et Orell.

Consus. Servius ad Virgil. Æn. viii, 636 : *Raptæ sunt Sabinæ Consualibus, hoc est mense Martio. Consus autem deus est consiliorum, qui ideo templum sub tecto habet, ut ostendatur, tectum esse debere consilium. Inde est quod et Fidei panno velata manu sacrificabatur, quia fides tecta esse debet et velata. Ideo autem dicuto Consi simulacro rapuerunt Sabinas, ut tegeretur initum de rapto consilium. Iste Consus et equestris Neptunus dicitur : unde etiam in ejus honorem Circenses celebrantur*. Conf. Ascon. Pedian., in Cic. Procem. Actionis in Verrem ; Plutarch. in Romulo, cap. xiii; Dionys. Halicarn. Ant. Rom., lib. ii, pag. 100. ed. Sylburg. ; Augustin., de Civ. Dei, lib. iv, cap. 11. Tertullian. de Spectac., cap. 5. Elmenh. et Orell.— Conf. Rittershus. ad Salvian, p. 69, ed. Brem.

Pales Inuusque custodes. Inuus idem erat, teste Macrobio (lib. i, sat., cap. 22.), atque Pan, sive, ut Servius observat (ad Æn. vi, vers. 776.), *Inuus latine appellatur, græce* Πάν : *idem* ἐφιάλτης, *latine, Incubo. Idem Faunus, idem Fatuus, Fatuellus. Dicitur autem ab ineundo passim cum omnibus animalibus.* (*Nourr. p.* 410). *Idem Faunus, idem Fatuus, Fatuellus. Dicitur autem Inuus ab eundo passim cum omnibus animalibus.* Cum servio consentit Aurel. Victor, de Orig. Gent. Rom., cap. iv, ubi vid. Jo. Arntzen. qui omnia vet. loca de Inuo diligenter collegit, pag. 11, Conf. Macrob., Saturn., lib. i, cap. 22; Rutil., Itinerar., lib. i, vers. 232, intpp. in Poet. Lat. min. P. Burmann., tom, ii, p. 77, 78. Orell.

Ab æstivis avertere. De æstivis istis notavit Varro de Re rust., ii, cap. i, § 16. Romanos nimirum pecora alibi hibernatum, alibi æstivatum egisse, ad eumdem fere modum, quo alibi hiberna, alibi æstiva eorum militibus. Stewech.

Cessatione inimica. Stewech. legendnm censet : *Cessatione mimica*. Meursius : *Cessatione imbrica*, id est imbrium. Sed bene habet vulgatum *inimica :* est idem quod ingrata, incommoda, ut bene expl. Schwarz. ad Pl. Panegyr., cap. xvi, pag. 85. *Cessatio* autem, cum quis non impedit, avertit malum, quod avertere posset, *das Zusehen*, *Zulassen*, *Geschehenlassen*. Vid. Supr., ad lib. ii, cap. 44. Orell.

Flora illa meretrix. Ita Editores omnes ante Salmasium, qui in ed. Lugd. Bat. dedit *genetrix*. Sed *meretrix*, si e Cod. ms. fluxit, non est eliminandum. Sic enim Minucius Fel. Octav., cap. 25 : *Sane et Acca Laurentia, et Flora, meretrices propudiosæ, inter morbos Romanorum et deos computandæ*, ubi vid. Elmenhorst., pag. 257, ed. Gronov., et. Lactantius, Inst. lib. i, cap. 20 : *Flora, cum magnas opes ex arte meretricia quæsivisset, populum scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellant Floralia*. Orell.

Pubescentes herbas adurit.... nocentissimum frigus. Urere, adurere de frigore sæpissime ap. optimos scriptores. Ita Ovid., Fast., i, 680 :

Nec nova per gelidas usta sit herba nives.

Et Virgil., Georg., i, vers 93 :

. . . . Rapidive potentia solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

ubi vid. Servius Conf. Cic. Tusc. ii, 16, ibique Davis. Heins. et Drakenb. ad Sil. iv, 68. Savaro, ad Sidon., carm, v, vers. 528. Valkenaer. ad Theocrit., Adon., pag. 224 ; Oberlin., ad Tacit. Ann. xiii, 35, pag. 782. Orell.

Parricidalibus nixibus. Tertullianus, lib. de Anima, cap. 25 : *Atquin et in ipso adhuc utero infans trucidatur necessaria crudelitate, quum in exitu obliquatus denegat partum, matricida, ni moriturus*. Herald.

Atque urbium portiones. Ita ms. et ed. Lugd. Bat. Alii *potiores*, quod est e conjectura Gelenii. Sed nil mutandum, *urbium portiones* sunt *urbium regiones et vici*, qui sæpius igni conflagrant, integræ urbes rarissime. Orell.

Ad cinerem patitur flammarnm voracitate collabi. Proprie. Dicitur enim ignis vorare, tamquam truculenta aliqua bestia. Quare Ægyptii corpora cremare nolebant, quia existimabant, ignem θηρίον εἶναι ἔμψυχον· πάντα δὲ αὐτὸ ἐσθίειν, τάπερ ἂν λάβῃ, ut scribit Herodotus Musa iii, Pindarus quoque ignem ab Ætna erumpentem ἑρπετὸν appellat eadem prorsus de causa, prima pythionica. Et Æschylus in Prometheo :

Ποταμοὶ πυρὸς δάπτοντες ἀγρίαις γνάθοις
Τῆς καλλικάρπου Σικελίας λευρὰς γύας.

Quare et *lambere*, quod serpentibus proprie tribuitur, sæpe dicitur ignis apud Virgilium aliosque, et *degustare* apud Lucret., ii, 192. Herald.

Obliquata dubia. Ita Cod. ms. quam lectionem mutare non ausim. Arnobium enim amare talia epitheta sine particulis copulativis jungere sæpius jam ostendimus. Et eodem sensu *obliquatas preces* dixit Statius iii, Theb. 382, cum quis non directe petit,

mersa caligine dat sæpius subministratque responsa? Æsculapius officiis et medendi artibus præest: et cur plura morborum et valetudinum genera ad sanitatem nequeunt incolumitatemque perduci, immo sub ipsis fiunt curantium manibus atrociora? Curat Mercurius ceroma [a], pugillatibus et luctationibus præest: et cur invictos omnes non perficit, quibus præest? cur unius in officio præsidatus, hos victoriæ compotes, alios vero perpetitur ignominiosa infirmitate rideri?

A XXIV. Tutelaribus, inquit, supplicat diis nemo, et idcirco singuli familiaribus officiis atque auxiliis desunt. Nisi enim thura et salsas accipiant fruges, benefacere dii nequeunt? et nisi pecorum sanguine delibutas suas conspexerint arulas, suos deserunt atque abjiciunt præsidatus? At quin ego rebar paulo ante, spontaneas esse numinum benignitates, ultroque ab his fluere inexpectata [b] benevolentiæ munera. Numquid enim rex poli libamine aliquo exambitur

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ceromast *Fulv.*

[b] Inextorta *ms. non male.*

COMMENTARIUS.

sed ea dicit, quæ vim precum habent. *Obliquata*, igitur *responsa*, *gewundne geschraubte Antworten*. *Eodem sensu flexa* dixerat olim Pacuvius:

Flexa, non falsa autumare dictio Delphis solet.

Sic Virgilius de Sibylla Apolline plena Æn. VI: *Horrendas canit ambages*. Unde λοξίας Apollo ap. Græcos. Fulv. Ursin. legit *cur obliqua et obscuritatis*, etc. omissa voce *dubia*. Salmasius et Oberthür.: *Cur obliqua ac dubia*. HERALD. et ORELL.

Et obscuritatis submersa caligine. Cod. ms. *et obscuritatibus submersa caligine*, quod defendit Heraldus interpungens *submersa, caligine*, more Arnobii plura simul copulantis sine copula. Sed dubitare licet Arnobium hoc loco a consueta dicendi formula, *obscuritatis caligo*, recessisse. Itaque sequor emendationem Stewechii et editoris Lugd. Bat. Fulv. Ursin. Conj. *obscuritatum submersa caligine*. ORELL.

Dat sæpius subministratque responsa. Sic editio Lugd. Bat. e conjectura Meursii et Stewechii, probata etiam ab Heraldo in Curis secundis. Cod. ms. habet: *Submonstrat responsa*. Et utrumque, opinor, tolerari potest. *Submonstrat Apollo responsa* consulentibus oracula: *subministrat* sacerdotibus vaticinantibus. ORELL.

Æsculapius officiis et medendi artibus præest. Stewech. conj. *officinis*, etc. putans, *officia* absolute obscœno sensu usurpata Priapo potius convenire, quam Æsculapio. Sed nil mutandum. Est scil. familiaris Arnobio trajectio pro *medendi officiis et artibus*. ORELL.

Immo sub ipsis fiunt curantium manibus atrociora? Curat Mercurius, etc. Ita edidi ex emendatione felicissima et, ut puto, verissima etiam editoris Lugd. Bat., cod. ms.: *Immo sub ipsis fiunt curantium manibus atrociora curæ. Mercurius*, etc., quod merito suspectum Fulv. Ursino et Heraldo delentibus vocem *curæ*, Stewechio etiam legenti *cura*. Sed multo melior Salmasii correctio rescribentis *curat* hocque cum sequentibus verbis conjungentis. ORELL.

Ceroma. Duplex est hujus vocis significatio. *Ceroma* enim est unguentum, oleo subactaque cera et luto confectum, quo athletæ et alii ungebantur, cujus mentionem faciunt Martialis, lib. XIV, epig. 19; Plinius, Hist. nat., lib. XXVIII, cap. 4; XXIX, 1, et Juvenalis, sat. VI, 247. Alio autem sensu *ceroma* locum significat, ubi iidem athletæ ungebantur. Idem Plinius, lib. XXXV, cap. 13: *Palæstras athletarum imaginibus et ceromata sua exornant*. Seneca, de Brev. vit., cap. 1, *in ceromate ..... spectator puerorum rixantium sedet*, et hoc secundo sensu hoc vocabulum accipiendum videtur nostro loco. NOURR., p. 414. Cæterum insolentior hic est formatio accusativi primæ declinationis, cum omnibus locis citatis occurrat *ceroma, tis*, genere neutro. Conf. Gorræi Definitt. Med. v. κήρωμα.

Pugillatibus et luctationibus præest. Prudentius contra Symmach., lib. II, § 4:

Tum mastigophoris, oleoque et gymnadis arte
Unctis pugilibus miles pugnabat Etruscus,
Nec petaso insignis poterat, Lacedæmone capta,
Mercurius servare suas de clade palæstras.

NOURR., pag. 415.

Cur unius in officio præsidatus. Infra lib. IV: *Et quid (quæso) ut faciat præsidatum focorum iste deus sortitus est?* ELMENH.— Præfectura, seu officium præsidis, præpositi et præfecti. NOURR., p. 561. Vid. cap. seq.

B Vox cadentis latinitatis. Aurel. Victor, de Cæsar., c. 29. *Macedonas præsidatu regebat*. Vopiscus, in Carino, c. 17, p. 812: *Præsidatum Dalmatiæ administrabat*, etc. Conf. Ol. Borrich., Cogitt., hoc verbo. ORELL.

Hos victoriæ compotes; alios vero perpetitur ignominiosa infirmitate rideri. Nota obiter locutionem. Sic Homerus Il. I:

. . . . Ἡ μὲν ἔπειτα
Εἰς ἅλα ἆλτο βαθεῖαν ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπου·
Ζεὺς δὲ ἑὸν πρὸς δῶμα.

suppl. ἔβη. Et in Tragœdia:

Καὶ μή μ' ἄτιμον τῆσδ' ἀποστείλητε γῆς,
Ἀλλ' ἀρχέπλουτον καὶ καταστάτην δόμων.

Subintellige καταστήσατε. Sic intellige hic *perficit*, ut

C sit *hos victoriæ compotes perficit*, *alios vero perpetitur* etc. Atque repetendum hoc verbum ἀπὸ κοινοῦ. HERALD. Zeugma ubivis obvium. Non igitur audiendus Stewechius in editione sua et in notis ad Apulei. Met., lib. XI, p. 800. ed. Oudendorp., conjiciens *compotit*, id est compotes facit. Verbum alias probatum et antiquum. ORELL.

Ignominiosa infirmitate rideri. Neque in his quidquam mutandum. Quorsum hic *infirmitate*? Sic igitur ridentur a spectatoribus, qui partes suas inepte agunt. Horatius (I. Epist. 1. vs. 8 sq.):

Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat.

Talis fortuna crassi illius et ob nimiam pinguitudinem tardi cursoris, quem risum et a spectatoribus fodicatum scribit in Ranis Aristophanes. HERALD.

XXIV. — *Et nisi pecorum sanguine delibutas suas conspexerint arulas*. Atqui *arulæ* alias dicuntur ἐσχάραι περιφορηταί, ut docet Scholiastes Aristophanis ad

D Acharnas. *Foculos* Latini dicunt, nomine quidem generali, sed huic rei proprie assignato. Quare quod *foculum accensum* dicit Livius in Scævolæ historia. et Seneca Epist. XXIV et LXVII, ἐσχαρίδα πῦρ ἔχουσαν Plutarchus in Poplicola. HERALD.—At *arula* hoc loco sine dubio pro *ara*. Nam in talibus foculis numquam pecora, sed tantummodo fruges vel minora animantia, verbi causa columbæ, offerebantur diis, vel etiam aromata incendebantur. Et *dii illi tutelares*, quos nominat auctor, non semper fuerunt dii minores vel genii, verum etiam dii majorum gentium, quibus adeo majoribus hostiis litabatur, verbi causa Juno Sospita. ORELL.

Ultroque ab his fluere inexspectata benevolentiæ munera. Quo mens eorum (verbi causa Fulv. Ursini) abierat, qui *inexpetita* reponi hic volebant? Atqui vulgata lectio optima est et convenientissima. Nam *inexspectata* bona a diis fluere in tantum existimabant, ut, quæcumque præter spem prospere feliciterque cadebant, ea diis accepta ferrent. Quare θεόπεμπτα

aut hostia, ut omnia ista, quibus vivitur, commoda mortalium gentibus largiatur? Non fervorem genitalem solis Deus, noctis et tempora, ventos, pluvias, fruges, cunctis subministrat æqualiter bonis, malis, justis, ingenuis, servis, pauperibus, divitibus? Hoc est enim proprium Dei potentis ac veri, inexorata beneficia præbere fessis atque invalidis rebus, et multiformi semper asperitate vallatis. Nam sacrificiis editis id quod poscaris annuere, non est istud postulantibus subvenire, sed benignitatis propriæ munificentiam venditare. Ludimus et lascivimus tanta in re homines, et quid sit Deus obliti, quid istius magnificentia nominis, quidquid vile vel sordidum suspiciosa potuimus credulitate confingere, divis tutelaribus arrogamus.

XXV. Unctionibus, inquit, superest Unxia, cingulorum Cinxia replicationi, Victa et Potua sanctissimæ victui potuique procurant. O egregia numinum, et singularis interpretatio potestatum, nisi postes virorum adipali unguine oblinerentur a sponsis: nisi virginalia vincula jam ferventes dissolverent, atque imminentes mariti, nisi potarent, et manderent homines, dii nomina non haberent? Quid? quod non contenti tam deformibus subdidisse atque implicuisse deos curis, naturas his etiam feras, truculentas, immanes, malis gaudentes semper, et humani generis attribuitis vastitate.

XXVI. Non commemorabimus hoc loco deam Lavernam furum, Bellonas, Discordias, Furias, et læva

COMMENTARIUS.

appellabant illa, verbi causa Artemidor., lib. I, cap. 7. Eadem κατὰ θεῖον, κατὰ δαίμονα, κατὰ τύχην, vel ἀπὸ τύχης accidere dicebant. Latini *divinitus*. HERALD.

Cunctis subministrat æqualiter. bonis, malis, justis, ingenuis, servis. Probo Fulvii Ursini conjecturam legentis: *cunctis subministrat æqualiter, bonis, malis, justis, injustis, ingenuis, servis*. Stewech. Codicis vestigia, ubi legitur *malis, injustis, servis*, secutus corrigit *justis, servis*, et putat, *justos* in oppositione servorum intelligendos esse manumissos, ex Ictorum definitione justam vel majorem libertatem, immo civitatem romanam consecutos, illos scil. qui vindicta, censu, aut testamento manumissi erant, *ingenuis* est e correctione Gelenii. ORELL.

Fessis atque invalidis rebus. Vide supra ad lib. I, cap. 25. ORELL.

Et multiformi semper asperitate vallatis. Ita exprimit Græcorum περίστασιν. HERALD.

Sacrificiis editis. Heraldus in Curis secundis mavult: *sacrificiis redditis*. ORELL.

Magnificentia nominis. Numinis mavult Stewechius. Sed amat Arnobius dicere *nomen Dei* pro Deo. Vide supra ad lib. I. ORELL.

XXV. — *Unctionibus, inquit, superest Unxia, cingulorum Cinxia replicationi*. Martian. Capella de Nuptiis Phil., lib. II, pag. 37, (pag. 61. ed. Bern.) *Interducam et Domiducam, Unxiam, Cinctiam* (te Junonem) *mortales puellæ debent in nuptiis convocare, ut earum et itinera protegas, et in optatas domos ducas, et cum postes ungent, faustum omen affigas, et cingulum ponentes in thalamis non relinquas*. Cf. Fest. in *Cinxia Juno*. ELMENH. — *Cinxia* Græcis vocata Εἰλήθυια λυσίζωνος. Theocritus, Idyll. XVII, vers. 60.:

Ἔνθα γὰρ Εἰλήθυιαν ἐδώσατο λυσίζωνον.

NOURR., p. 412.

Pro *replicationi* Stewech. legend. suspicatur *explicationi*; nodo enim Herculeo (id est arctissimo) vinctum erat cingulum, teste Festo. Vid. G. J. Vossii de Idolol. Gent., lib. II, c. 26, pag. 161. ORELL.

Victa et Potua sanctissimæ. Bella hæc numina modis tam diversis inveniuntur appellata, ut facile existimes, non magnam fuisse, nec valde celebrem eorum majestatem. HERALD. — Augustin., de Civ. Dei, lib. IV, cap. 11: *Potinam* appellat, *quæ potionem ministret: Educam, quæ escam præbeat. Edusam et Potinam* Deas puerorum infantium præsides vocat Cato de liberis educand. ap. Nonium. *Eduliæ, Poticæ et Cubæ*, deabus edendi, potandi et cubandi, pueros initiari, tradit Varro. ap. Donat., in Terent. Phorm. Act. I, scen. I, vers. 11, ubi vide Lindenbrog., pag. 593, ed. Zeun. Conf. Auson. Popm. ad Varron. Fragment., pag. 400. ed. Bip. qui apud nostrum pro *Victa* cum Fulv. Ursino leg. censet *Victua*. Meursius: *Victa et Pota*. ORELL.

Nisi postes virorum adipali unguine oblinerentur a sponsis. Servius ad IV. Æneid., vers. 457 sqq.: *Ritum*, inquit, *veri et venerabilis templi, mariti templum oblinere cupiebat* (Dido). *Templa enim velamentis religiosa monstrantur, et moris fuerat, ut nubentes puellæ, simul cum venissent ad limen mariti, postes, antequam ingrederentur, propter auspicium sanctitatis, ornarent laneis vittis (unde ait Virgilius velleribus niveis) et oleo ungerent: unde uxores dictæ sunt, quasi unxores*. Paulo post: *Hi qui de nuptiis scripsisse dicuntur, tradunt, quum nova nupta in domum mariti ducitur, solere postes unguine lupino oblinire; quod hujus feræ et unguem et membra multis rebus remedio sunt. Alii hoc Romuli dicunt temporibus institutum, quod Romulus et Remus lupino lacte nutriti sunt*. HERALDUS. — Conf. Brisson., de Ritu Nupt., ELMENH.

Nisi virginalia vincula jam ferventes dissolverent atque imminentes mariti. Festus: *Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto solvebat, factum ex lana ovis: ut, sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus vinctusque esset. Hunc Herculaneo nodo vinctum vir solvit ominis gratia: ut sic ipse felix sit in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui LXX liberos reliquit*. Cf. Ernesti ad Callimach. Hymn. in Dian. vers. 16. et Doring. ad Catull. carm. II, vers. ult. Cæterum *imminentes mariti* dicuntur mariti cupidissime appetentes amplexum muliebrem, uti jamjam laxaturi fræna appetitui. Ita Catull., carm. LXI, vers. 171:

Adspice intus ut accubans
Vir tuus Tyrio in toro
Totus immineat tibi.

Ubi vid. Achill. Statium, pag. 215, ed. Græv., et C. Barth. in Adversar., lib. XLVI, cap. 20, pag. 2172. ORELL.

Naturas malis gaudentes semper et humani generis attribuitis vastitate. Ita Fulv. Ursinus, probante Meursio, Heraldo et Salmasio. Cod. ms.: *attribuistis vastitatem*. ORELL.

XXVI. — *Deam Lavernam furum*. Hinc preces illæ furis ad Lavernam, ap. Horatium, I. Epist. XVI, vers. 60, sqq.:

Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da justum sanctumque videri;
Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.

ubi Acron: *Laverna in via salaria lucum habet; est autem dea furum dicta Laverna a lavando, nam fures lavatores dicuntur*. Verbi causa, Petronio c. 140, § 15, ubi vide Anton. conf. G. J. Voss., de idolol. lib. VIII, c. 17, et IX, c. 30, et in Etymol. rem., voce *Laverniones*. ORELL.

Bellonas, Discordias. Virgilius, Æn., VIII, 701:

Tristesque ex æthere Diræ;
Et scissa gaudens vadit Discordia palla:
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

A illa quæ constituitis numina, taciturnitatis silentio præteribimus. Martem ipsum ponemus in medio, et speciosam illam Cupidinum matrem : ex quibus unum præficitis prœliis, amoribus alteram et cupiditatis ardori. Potestatem, inquit, bellorum Mars habet, utrumne ut mota compescat, an ut cessantia et quieta commoveat? Nam si sedator militaris insaniæ est, cur quotidie bella non desunt? Sin autem conditor illorum est, Deum ergo dicemus in voluptatis suæ dulcedinem collidere orbem totum : discordiarum et discriminum causas inter gentes serere terrarum longinquitate disjunctas : conducere ex diverso tot mortalium millia, et intra verbi unius moras campos cadaveribus aggerare, sanguineos præcipitare torrentes, fundatissima delere imperia, æquare urbes solo, libertatem ingenuis abrogare, et servitutis conB ditionem imponere, dissensionibus gaudere civilibus, commorientium fratrum parricida nece, et ad ultimum filiorum et patrum parricidali congressionis horrore.

XXVII. Quod ipsum licebit in Venerem pari atque eadem ratione traducere. Nam si amoris hæc flammas, sicut perhibetis et creditis, cogitationibus subdit humanis, sequitur ut intelligi debeat, quidquid labis et criminis ab insania proficiscitur tali, id Venereis debere vulneribus imputari. Ergone Dea cogente in vilissimi nominis scorta suam sæpius produnt etiam nobiles dignitatem, disuniuntur tenacium [a] matrimoniorum nexus, in incestas libidines necessitudo sanguinis inardescit, insaniunt in liberos matres, patres virginum suarum vota in se vertunt, contra decus ætatis senes in obscenos ingemunt curis juvenilibus appetitus, sapientes et fortes viri solvunt decreta constantiæ virilitatis vigore mollito, in-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Corruptissime *ms.* Disuriuntur tanacium.

COMMENTARIUS.

Conf. Augustin., de Civ. Dei, lib. IV, c. 21. HERALD. et ELMENHORST.

Et læva illa quæ constituitis numina. Læva numina hoc loco significatione græca. Numina in lædendo magis quam in juvando potentia. Sic infra lib. VII, c. 23. *Nam deos benignissimos dicere, lenesque habere naturas, et sanctum et religiosum et verum est; malos autem et lævos nequaquam sumendum est auribus.* Et eodem capite : *Ita nihil prodest promereri velle per hostias deos lævos.* Conf. Gell., Noct. Att., C lib. V, c. 12. Contrario sensu Romanis *numina læva* dicuntur fausta, prospera, ut ap. Virgil., Georg., IV, 7 :

. . . . Si quem
Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo.

Ubi vid. Voss. V. Cl. pag. 733 sqq. ORELL.

Taciturnitatis silentio. Non audiendus Meursius conjiciens : *Silentio taciturni satis.* Nam ita loqui amant recentioris ævi scriptores. Aldhelm. de laud. Virg. citatus ab Elmenhorst. : *Si celeberrimum illud spectaculi genus, per totos mundi cardines vulgatum, taciturnitatis silentio oppilatum vilescat.* Eodem sensu *taciturna silentia* etiam ap. optimos scriptores, verbi causa, Ovid., de Arte amandi, II, 505.

Qui sermone placet, taciturna silentia rumpat.

Martem ipsum ponemus in medio. Sic loquuntur Græci. Arrianus, lib. III, Dissert. Epictet. : Ἐλθὲ εἰς τὸ μέσον, καὶ εἰπὲ ἡμῖν, πότε ἀταραχώτερον ἐκάθευδες; νῦν, ἢ πρὶν γενέσθαι φίλος τοῦ Καίσαρος. HERALD.

D *Nam si sedator militaris insaniæ est.* Mars Quirinus. Vide supra ad lib. I, c. 41. ORELL.

Sin autem conditor illorum est. Mars Gradivus. Vide supra, ad lib. I, c. 41. ORELL.

Et servitutis conditionem imponere. Proprie et e jurisconsultorum loquendi more. Zeno Veronensis sermone de Avaritia secundo : *Sed hæc non ad vos, fratres, quorum largitas provinciis omnibus nota est; a vobis multi redempti : multi edictis feralibus liberati, multi conditionibus exuti gratias agunt; vestræ domus peregrinis omnibus patent*, etc. Hinc *conditionales*, qui certis conditionibus operas suas locarunt. Tertullianus de Idololatr., c. XII : *Opera et conditionalis eram.* HERALD.

Commorientium fratrum parricida nece. Alludit ad historiam Eteoclis et Polynicis. Meursius conjicit *parricidali nece.* ORELL.

Parricidali congressionis horrore. Trajectio haud infrequens ap. Latinos pro *parricidalis congressionis horrore*, ut absque necessitate corrigere voluit Fulv. Ursinus. ORELL.

XXVII. — *Quidquid labis et criminis ab insania proficiscitur tali, id venereis debere vulneribus imputari.* Ita editi ex emendatione editoris Lugd. Bat. cod. ms. : *talibus venereis debeat vulneribus imputari*, unde Gelenius fecerat : *proficiscitur tali, Veneris debeat*, etc. Heraldus : *proficiscitur tali, id ut Veneris debeat*, etc. ORELL.

Disuniuntur. Idem quod dirimuntur, dissecantur. Vide Salmas. ad Solin., pag. 797. Alii legunt *dissuuntur*, non male. ORELL.

In incestas libidines. Ita reposuit Stewechius ad cod. ms. vestigia, ubi erat *incestas libidines*, sequente ed. Lugd. Bat. Antea legebatur : *Incesta libidine.* ORELL.

Sapientes et fortes viri solvunt decreta constantiæ. Loquitur verbis Stoicorum; apud quos *fortes* appellantur ii potius qui domant animum, et vitia comprimunt, quam qui bellica laude pollent. Indidem *decreta*, τὰ κεκριμένα, unde efficitur invicta προαίρεσις, atque hinc constantia, τὸ βέβαιον τοῦ ἤθους, quando virtus plane consummata est, et firmissimis radicibus fundata. HERALD.

Virilitatis vigore mollito. Meursius, pag. 95, et Drakemborch., ad Sil. Ital., lib. VI, vers. 275, pag. 307, legendum suspicantur : *Virilitatis rigore mollito.* Sed vulgatam lectionem bene defendit Wopkens. in Lect. Tullian., lib. I, cap. 11, pag 63: Ita enim Tertullianus, de Pallio, cap. IV : *Nisi diu mollitus et evigoratus*, ubi Salmasius, pag. 253, annotat Tertullianum aliosque eorum temporum scriptores *vigorem* passim pro rigore et quidquid molli contrarium est, usurpare. Sic rigidum dogma Stoicorum et ἀπάθειαν illam στωϊκὴν vigorem dixit idem Tertullian. in lib. de Anima : *Prout aut Platonis honor et Zenonis vigor, aut Aristotelis tenor, aut Epicuri stupor, aut Heracliti mœror.* Ita apud eumdem *disciplinæ vigor* et *disciplinam vigorare*, id est rigidiorem facere. Similiter etiam Cyprianus : *Increpans vigore censoris et judicis*, pro severitate censoris, etc. Hæc ex Salmasio, l. 1. ORELL.

Innectuntur cervicibus laquei. R. Bentley ad Horat. Epod. XVII, vers. 72, verba : *Frustraque vincla gutturi innectes tuo*, multis exemplis ostendit, locutionem *innectere vincla gutturi*, ut et *innectere cervicibus laqueos*, prorsus repugnare bonæ ac probatæ latinitati, sed dicendum fuisse *innectere guttur vinculis, innectere cervices laqueis*, ideoque in Horatio rescri-

nectuntur cervicibus laquei, conscenduntur ardentes rogi, et per vastas atque altissimas rupes jaciunt se passim voluntariis saltibus præcipitati?

XXVIII. Quisquamne est hominum rationis alicujus primordiis indutus, qui divinitatis constantiam tam fœdis polluat aut contaminet moribus? qui naturas attribuat diis tales, quas in agrestibus belluis lenitudo sæpe permulsit atque extenuavit humana? Ubinam quæso est illud, quod ab omni perturbationis affectu dii procul amoti sunt? quod lenes, placidi, mites, quod in genere virtutis unito perfectionis apicem, atque ipsius retinent sapientiæ summitatem? aut cur eos oramus, ut a nobis adversa atque inimica propellant, si malorum omnium, quibus quotidie carpimur, ipsi esse nobis reperiuntur auctores? Quantumlibet nos impios, irreligiosos vocetis, aut atheos, numquam fidem facietis esse amorum deos, esse bellorum, esse qui discordias conserant, qui furialibus stimulis animos inquietent. Aut enim verissime dii sunt, et ea quæ commemorastis non faciunt : aut si

A ea quæ dicitis, faciunt, sine ulla dubitatione dii non sunt.

XXIX. Et tamen possemus utcumque accipere a vobis has mentes impiarum plenissimas fictionum, si non multa de diis ipsi tam contraria promentes, dissolventiaque se ipsa, sustinere animi compelleretis assensum. Cum enim singuli singulos anteire interioris contenditis scientiæ laude, et deos ipsos, quos opinamini, tollitis : et reponitis alios, quos manifestum est non esse : et alius aliud de iisdem dicitis rebus, et innumeros esse conscribitis, quos esse singulos semper consensio accepit humana. Incipiamus ergo solemniter ab Jano et nos patre, quem quidam ex vobis mundum, annum alii, solem esse prodidere nonnulli. Quod si accipiemus ut verum sit, sequitur, ut intelligi debeat nullum umquam fuisse Janum, B quem ferunt Cœlo atque Hecate procreatum in Italia regnasse primum, Janiculi oppidi conditorem, patrem Fonti, Vulturni generum, Juturnæ maritum : atque ita per vos dei nomen eraditur, quem in cunctis an-

COMMENTARIUS.

bendum : *Frustraque vincla gutturi nectes tuo*, et forsitan etiam apud nostrum : *nectuntur cervicibus laquei*. Cæterum, ut ipse fatetur summus criticorum, tale quid fortassis ferendum in Arnobio, utpote scriptore minus accurato et sequioris ætatis. Orell.

Conscenduntur ardentes rogi. Allusio ad fatum Didonis. Orell.

Et per vastas atque altissimas rupes jaciunt se passim voluntariis saltibus præcipitati. Respicit Arnobius sine dubio ad famosum illum saltum e Leucadia petra, unde desperati amantes et remedium furoris quærentes in mare se præcipitabant. Vid. Ovid. Heroid. xv, 164 seqq. et, qui hac de re multus est, illustriss. Barthelemy in *Voyage du jeune Anacharsis*, cap. 36. Orell.

XXVIII. — *Quisquamne est hominum rationis alicujus primordiis indutus*. Ita e cod. ms. locum restituit P. Burmannus, II, ad Anthol. lat., lib. III, carm. LXXIV, vers. 10, pag. 514, vol. I. Cæteri *imbutus*. Sed *induere virtutes et vitia* apud optimos scritores. Ita Tacitus xv. Annal., c. 45 : *Animum bonis artibus non indueral*. Livius, lib. III, cap. 33 : *Adeo novum sibi ingenium induerat*, et sic ἐπιειμενος Homero, Iliad. A. 149, et passim, et in N. Testament., Evang. Luc., cap. ult., vers. 49 : Ἐνδύσησθε δύναμιν. Conf. Arntzen. ad Plinii Paneg., cap. 81. Orell.

Quod in genere virtutis unito perfectionis apicem, atque ipsius retinet sapientiæ summitatem. Recte *in genere virtutis unito*, id est, in toto et integro virtutum choro, in tota virtutis summa, ita ut virtutis pars nulla desiderari possit. Falluntur igitur, qui hæc mutare volunt. Herald.— Fulv. Ursin. leg. conj. *unico*, Stewechius, *unicæ*. Pro *retinet* Gelenius ed. *retinent*, sequente editore Lugd., male, opinor. Sensus est : *quod* scil. *placidos, lenes, mites esse, retinet perfectionis apicem*. Eodem sensu D. Paulus ad Coloss III, vers. 14. ἥτις ἀγάπη ἐστὶ σύνδεσμος τῆς τελειότητος. Orell.

Cap. XXIX. — *Alius aliud de iisdem dicitis rebus*. Ita Meursius. Antea *de ejusdem*, etc. Editor Lugd. Bat. audaciori conjectura mutat : *alios alius deos in eisdem dicitis rebus*, temere, opinor; neque enim omnia in Arnobio accuratissima et ad logicorum præcepta. Equidem cum Stewechio verb. *rebus* expungendum puto, tamquam glossema librarii, ut sensus sit : *alius aliud de iisdem dicitis*, scilicet *diis*. Orell.

Quem quidam ex vobis mundum, annum alii, solem esse prodidere nonnulli. Vide Ovid., Fast. I, 117, seqq.; Macrob. Saturn., lib. I, cap. 9; Voss., de Idololatr., lib. II, cap. 16, et imprimis Joannem Lydum, de Mensibus, cap. 1 et 2, pag. 55, seqq., ed. Schow. Orell.

Janiculi oppidi conditorem. Virgilius, Æn., VIII, 358 :

> Hanc Janus Pater, hanc Saturnus condidit arcem,
> Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Conf. Ovid., Fast. I, vers. 241, seqq. Orell.

C *Patrem Fonti*. Ita ms. Scribo *patrem Fontis*. Hunc Martianus Capella recenset inter secundæ regionis cœli deos. Meminit hujus etiam Varro, de Ling. lat., lib. v, et Cicero, de Legibus, lib. II (cap. 22), de sepultura loquens : *Redditur enim terræ corpus et ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur. Eodemque ritu in eo sepulchro, quod procul ad Fontis aras, regem nostrum Numam conditum accepimus*. Aræ hæc erant in Janiculo, propter quas sepulcrum Numæ; delubrum etiam habuit juxta portam Capenam. Sacra ejus Fontinalia celebrabantur propridie Idus Octobres. Meursius, pag. 96 seq. — Conf. Reines. Inscript., pag. 102; Davis., ad Cic. de Nat. deor., lib. III, cap. 20, et Hug. Grot., ad Martian. Capell., I. I; Wagnerus, recentissimus editor librorum de Legibus, in loco Ciceronis supra laudato nostrum locum citans legendum censet : *ad Fonti aras*. Ab hoc Fonte sive Fonto (quem Jani filium fuisse, ex uno Arnobio novimus) gentem Fonteiam nomen D suum deduxisse, conjicit Vaillantus apud Ekhel. in Doctrina Nummorum Vet., tom. v, p. 214. Ex nummo illius gentis caput Jani more geminum lanugine vestitum repræsentante. Raschius autem in Lexico Rei Nummariæ v. *Fonteia* gentis auctorem deum Fontonem appellat. Hæc non intelligens Gelenius edidit : *patrem Fauni*, pessime. Nam quis crediderit, Arnobium sibi tantopere contradixisse supra lib II, c. 70, Faunum Pici filium facientem, et hoc loco, paucis paginis interjectis, Jani filium? Orell.

Vulturni generum. Vulturnus fluvius Campaniæ, de quo multus est Oberlin V. Cl. ad Vibium Sequestrem, pag. 210 seq. Hujus unus, quod scio, Arnobius filiam facit nympham Juturnam. Orell.

Juturnæ maritum. De hac dea locus classicus est Servii ad Virgil., Æn. XII, vers. 139 : *Juturna fons est in Italia saluberrimus juxta Numicum flumen, cui nomen a juvando est inditum. Cum enim naturaliter omnis aqua noxia sit extraneorum corporibus, hic omnibus saluberrimus fons est. De hoc autem fonte Romam ad*

teponitis precibus, et viam vobis pandere deorum ad A audientiam creditis. Rursus vero si Janus est annus, deus esse nec sic potest. Quis enim annum ignorat temporis esse circumscriptionem statam, nec habere vim numinis id, quod spatiis mensium, et dierum dinumeratione conclusum est? Quod ipsum licebit in Saturnum non absimili ratione traducere. Nam si tempus significatur hoc nomine, Græcorum ut interpretes autumant, ut quod chronos est, habeatur Cronos, nullum est Saturnium numen. Quis est enim tam demens, qui tempus esse dicat deum, quod mensura cujusdam est spatii in continua serie perpetuitatis inclusi? atque ita ex ordine tolletur et iste cœlestium, quem cœlo esse editum patre, magnorum esse pro- B creatorem deorum, vitisatorem, falciferum vetustas edidit prisca, et minorum transmisit ætati.

XXX. Nam quid de ipso dicemus Jove, quem solem esse dictitavere sapientes, agitantem pinnatos currus, turba consequente divorum? æthera nonnulli flagrantem vi flammea atque ardoris inextinguibili vastitate? Quod si liquet, et constat, nullus ergo omnino est vobis auctoribus Jupiter: qui patre editus Saturno, atque Ope matre, ut genitoris evaderet rabiem, in Cretensium finibus memoratur esse celatus. Jam vero Junonem opinatio nonne consimilis deorum tollit e censu? Nam si aer illa est, quemadmodum vos ludere ac dictitare [a] consuestis, græci nominis præ-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Vos addicere. *ms.*

COMMENTARIUS.

omnia sacrificia aqua afferri consueverat. Huic Juturnæ, Lutatius Catulus primus templum in Campo Martis fecit, nam et Juturnas ferias celebrant, qui artificium aqua exercent, quem diem festum Juturnalia dicunt. Varro rerum divinarum quartodecimo ait: Juturna inter proprios deos nymphasque ponitur. Hæc Servius. Juturnam deam Latii indigenam, Dauni filiam, Turni sororem, edidit Virgilius, Æn. xii, 785. Vid. Heyn. V. S. Excurs. iii ad Æn. vi, pag. 125, vol. iii, et Vulpium Vet. lat., tom. i, pag. 346, seq. Sed aliam nescio cujus auctoris genealogiam deæ sequitur Arnobius. Orell.

Quem in cunctis anteponitis precibus, etc. Ovidius, Fast. i, 171 seqq.:

> Mox ego: Cur, quamvis aliorum numina placem,
> Jane, tibi primum thura merumque fero?
> Ut possis aditum per me, qui limina servo,
> Ad quoscumque voles, inquit, habere deos.

Servius, ad vii Æneid.: *Quidam Janum Eanum dicunt ab eundo, eumque esse Martem: et quod apud Romanos plurimum potest, ideo primum in veneratione nominari. Alii Janum aerem credunt; et quia vocis genitor habetur, ideo mandari ei preces nostras ad deos perferendas.* Conf. Macrob., Saturn., i, cap. 9, et B. Brisson., de Form., lib. i, pag. 45 seq. Heraldus et Elmenh.

Viam vobis pandere. Ita Meursius et reliqui cum sequentes. Antea: *viam nobis pandere.* Orell.

Ut quod chronos est, habeatur Cronos. Cujacius verba *habeatur Cronos* tanquam Glossema librarii, qui in margine scripserat græce *habeatur* χρόνος, delenda censet, ut legendum sit: *Nam si tempus significatur hoc nomine, Græcorum ut interpretes autumant, quod chronos est, nullum est.* Sed nil video mutandum. D Sensus est: *ut quod Chronos* (χρόνος) *est* (apud Græcos), *habeatur Cronos* (i. e. Saturnus). Cæt. de nomine Cronos vide Lactant., Inst. i, 12; Macrob., Sat., i, 22; Plutarch., de Isid. et Osir.; Cic. de Nat. deor., lib. ii, cap. 25; Apulei., de Mundo, pag. 135; Athenagoras, Apolog. pro Christianis; August., de Civ. Dei, lib. iv, cap. 10, et al. quos citant Elmenh. et Nourr. Orell.

Saturnium numen. Ita edidit Salmasius ex emendatione Ob. Gifanii. Alii: *Saturnium nomen.* Orell.

Vitisatorem. Glossæ: *Vitisator*, ἀμπελοφύτης. Accius ap. Macrob., Saturnal., lib. vi, cap. 5:

> Dionyse, pater optime vitisator, Semela genitus:

Virgilius, Æn. vii, vers. 179:

> Vitisator, curvam servans sub imagine falcem.

Elmenh.

Falciferum. Infra, lib. vi, cap. 12. *Saturnus cum, obunca falce, custos ruris ut aliquis, ramorum luxuriantium tonsor.* Elmenh.

Minorum transmisit ætati. Minores, id quod posteri. Lactant. Inst., lib. ii, cap. 7: *Sed hoc eos fallit, ut quod majorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia majores nominantur*, ubi vid Bunemann. pag. 208. Ita Virgilius sæpissime. Orell.

XXX. — *Nam quid.* Meursius conj. *Jam quid*, etc. Orell.

Jove, quem solem esse dictitavere sapientes. Orpheus Hymn. viii (ed Hermanni) in Solem, vers. 13:

> Αἰθαλής, ἀμίαντε, χρόνου πάτερ, ἀθάνατε Ζεῦ.

Idem Fragment. Hymni in Jovem servato a Stobæo Eclog. Phys., lib. i, cap. 1, et a Proclo in Timæum:

C

> Ζεὺς πνοιὴ ἀνέμων, Ζεὺς ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμή.
> Ζεὺς πόντου ῥίζα, Ζεὺς ἥλιος ἠδὲ σελήνη.

Conf. Macrob., Sat. i, cap. 23; Sanchoniathon., ap. Euseb., de Præparat. evangel., lib. i, cap. 7; G. J. Voss., de Idololatr., lib. ii, cap. 13, pag. 138, et imprimis Gisb. Cuper., in Harpocrate pag. 88, ed. Ultraject., in-4°, et Columno., ad Ennii Fragmenta pag. 326-27, (ed. Hessel. pag. 209.) Orell.

Agitantem pinnatos currus, etc. Hæc hausta sunt e loco celeberrimo Platonis in Phædro: Ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα πρῶτος πορεύεται, τῷ δὲ ἕπεται στρατιὰ θεῶν καὶ, δαιμόνων. Conf. quos laudat Toupius ad Longin. Sect. xv, § 4, pag. 322, ed. Weisk. Orell.

Æthera nonnulli flagrantem vi flammea. Vide Cic., de Nat. deor., lib. i, cap. 15, et lib. ii, cap. 26; Serv., ad Æn. i, vers. 47; Macrob., Saturn., lib. i, cap. 4; Clemens Alexandr., lib. v Stromat.; Germanicus Arateis Phænomenis, pag. 86; Augustin., de Civ. Dei, lib. iv, cap. 11, lib. iii, cap. 4; Varro de Ling. lat., lib. iv. Elmenh. — Cf. Voss. de Idololatr., lib. ii, cap. 84, pag. 268. Orell.

Ardoris inextinguibili vastitate. Ita ed. Lugd. Bat. Alii: *inextinguibilis.* Orell.

In Cretensium finibus memoratur esse celatus. Origenes contra Celsum, lib. iii, pag. 141. Athenagoras Apologia, pag 38. Eusebius, de Præparat. evangel., lib. 3. Elmenh.

Si aer illa est. Ex Stoicorum sententia. Cicero, de Nat. deor., ii, 26. *Aer autem, ut Stoici disputant, interjectus inter mare et cœlum, Junonis nomine consecratur, quæ est soror et conjux Jovis, quod et similitudo est ætheris, et cum eo summa conjunctio. Effeminarunt autem eum, Junonique tribuerunt. quod nihil est eo mollius.* Conf. Macrob. in Somn. Scip., lib. i, c. 17. et Saturnal., lib. iii, c. 3. Porphyr., ad Euseb. in Præparat. evang., lib. iii, c. 11; August, de Civ. Dei, lib. iv, c. 10, et lib. vii, c. 16. Nourr., p. 441. Athenagor., Apolog.; Serv. ad Æn., vii, 311. Elmenh.—Add. Cornut., de Nat. deor. cap. 3. Orell.

posteritate repetita, nulla soror et conjux omnipotentis reperietur Jovis, nulla Fluonia, nulla Pomona, nulla Ossipagina, nulla Februtis, Populonia [a], Cinxia, Caprotina : atque ita reperietur inanissima esse istius nominis fictio, opinionis vacuæ celebritate vulgata.

XXXI. Aristoteles, ut Granius memorat, vir ingenio præpotens, atque in doctrina præcipuus, Minervam esse lunam probabilibus argumentis explicat, et litterata auctoritate demonstrat. Eamdem hanc alii æthereum verticem, et summitatis ipsius esse summam dixerunt : memoriam nonnulli : unde ipsum nomen Minerva, quasi quædam Meminerva formatum

LECTIONES VARIANTES.

[a] Populona ms.

COMMENTARIUS.

Græci nominis præposteritate repetita. Id est, ut explicat Gesnerus (in Thesauro), nomine Ἥρα ita frequentato, ut tandem nescias utrum Ἥρα dicatur an ἀήρ. Cæterum verb. *præposteritas* ἅπαξ λεγόμενον. Al. leg. *græci nominis austeritate*, male. Nec enim video quid sit austeri in hoc vocabulo. ORELL.

Nulla Fluvionia. Leg. *Fluonia.* Festus : *Fluoniam Junonem mulieres colebant, quod eam sanguinis fluorem in conceptu retinere putabant.* — MEURS. Quam quidem nomenclationem Augustinus (de Civit. Dei, lib. VII, c. 2) Varronis auctoritate confirmat : *Dea Mena menstruis fluoribus præest, quamvis Jovis filia, tamen ignobilis. Et hanc provinciam fluorum menstruorum in libro selectorum deorum ipsi Junoni idem auctor* (Varro) *assignat, quæ in diis selectis etiam regina est, et hic tamquam Juno Lucina cum eadem Mena, privigna sua, eidem cruori præsidet.* Conf. eumd. ibid, c. 3, et Voss. de Orig. et Progressu idol., lib. VI, c. 26. NOURR. p. 441 sqq.

Nulla Pomona. Pomona hortorum dea tironibus nota : cujus quidem nominis originem obscuram dicit Varro de Ling. Lat. VI, p. 74. (ed. Dordr.). At quomodo ea Juno dici potuerit, haud facile perspicitur. Quapropter suspicantur nonnulli (Meursius), hoc nomen librarii incuria esse corruptum, et ei subrogandum *Sororia*, quandoquidem Juno ferebatur esse Jovis soror et conjux. In hujus autem opinionis confirmationem adjungi potest Romæ a sororio tigillo constructum Junoni templum, quod idcirco *Junonis Sororiæ* nuncupatum fuit. Sed huic conjecturæ nullo Codicis testimonio firmatæ si aliam adjicere liceat, dicemus : et poma et fructus ad terram sive tellurem quandoquidem pertinent, fieri potuisse, ut Juno, quæ tellus esse et terrestria regere credebatur, *Pomonæ*, quemadmodum et tot aliis nominibus, appellata fuerit. Quod autem Juno terra censeretur, his Varronis (de Ling. lat. lib. VI, pag. 19.) Augustinus (lib. VII de Civ. Dei, c. 16) verbis nos admonuit : *Jovis Juno conjux, et is cœlum, hæc terra, quæ eadem tellus; et ea dicta, quod una cum Jove juvet Juno ; et regina, quod hæc omnia terrestria regit.* Sed de hac conjectura nostra aliorum esto judicium. NOURR. p. 442. Scriverius ap. Meurs. legendum putat *Covona*, a *covo*, antiquo vocabulo pro cœlo. Ergo *Juno Covona*, vel, ut Varro dixit (de Ling. lat., V, p. 49), *Covella*, idem quod οὐρανία. ORELL.

Nulla Ossipagina. Et hoc Junonis nomen nonnulli (idem Meursius, probante Heraldo), depravatum putarunt et emendandum : *nulla Ops, Opigena.* De qua Festus. *Opigenam Junonem matronæ colebant, quod ferre eam opem in partu laborantibus credebant.* Sed inde non satis dilucide conficitur, utrum hæc eadem sit atque *Ossipagina*, quæ, ut postea Arnobius scripsit, infantium ossa durare et solidare putabatur. Vossius vero (in etymol. ad verbum *Os*) astipulatur Stewechio, qui *Ossipaga* vel *Ossipanga* restituendum autumabat. Eam etenim sic nuncupatam censet, quod *pangat*, sive, ut antiqui loquebantur, *paget puerorum ossa.* NOURR., p. 442.

Nulla Februtis. Februtis sive *Februlis* (ut emendavit Jan. Dousa ap. Meurs. ORELL.) Juno a Romanis dicitur, uti adhuc observat Festus (verb. *Februarius*) : *Februarius mensis dictus quod tunc, id est extremo mense anni, populus februaretur, id est lustraretur atque purgaretur* (a Lupercis), *vel a Junone februata, quam alii februalem, Romani Februlim vocant.* Legesis Varronem (lib. V. de Ling. lat. § 3), Augustinum (de Civ. VII, 7) et Lilium Gyraldum Syntagm. III, p. 119. NOURR., p. 442, et ORELL.

Populonia. Populoniæ Junonis et templi in illius honorem dicati meminit apud Macrobium (Lib. III. Saturn., c. 2). P. Tertius : *In papiriano enim jure,* aiebat, *evidenter relatum est, aræ vicem præstare posse mensam dicatam ; ut in templo, inquit, Junonis Populoniæ mensa dicata est.* At hoc nomen illi inditum perhibent, quia maris et feminæ conjunctioni, ex qua novi populi creantur, Junonem prælici existimabant. De hac autem et Februti itidem Junone legendus Martianus Capella de Nupt. Philolog., lib. II. NOURR., *ibid.*

Caprotina. Caprotinæ vel, ut aliis placet, Capratinæ Junoni mulieres olim sacrificabant ob servatam puellarum et matronarum pudicitiam, ac Fidenates, qui eam eripere volebant, superatos. Varro autem (de Ling. Lat. lib. V. p. 47. ed. Dordr.) de hoc sacrificio sic loquitur : *Nonæ Caprotinæ, quod eo die in Latio Junoni Caprotinæ mulieres sacrificant, et sub caprifico faciunt, et e caprifico adhibent virgam.* Hujus porro sacrificii atque festi, quod ancillarum vocabatur, causam et institutionem Macrobius retulit Saturn. I, cap. 11. Illius etiam meminit Plutarchus (Parallel., tom. II, p. 313) et alii. Cæterum plura adhuc, ut Servius ait (ad Æn., I, vers. 12, 13), erant Junonis nomina, ut *Curis* et *Lucina*, quæ Arnobius, quandoquidem satis multa memoraverat, silentio prætermittere maluit. NOURR., p. 443.

XXXI. — *Granius.* Granius Flaccus Licinianus, grammaticus citatus a Festo v. *Ricæ*, Macrobio, sat., l. I, c. 16 et 18. Scripsit inter alia librum de Indigitamentis ad Cæsarem, teste Censorino, de Die nat., c. 3, p. 13, ed. Haverc. Conf. G. J. Voss. in Appendice ad l. III, de Hist. Lat. Oper., tom. IV, p. 261. ORELL.

Minervam esse Lunam probabilibus argumentis explicat. Porphyrius, ap. Euseb., Præpar. evangel., l. III, c. 11 : Ὅπερ δὲ Ἀπόλλων ἐν ἡλίῳ, τοῦτο Ἀθηνᾶ ἐν σελήνῃ· ἔστι γὰρ τῆς φρονήσεως σύμβολον, Ἀθηνᾶ τις οὖσα. NOURR., p. 443.—Add. Macrob. Satur., l. I, c. 17. ELMENH. — Ut omnes deos ad solem, ita deas ad lunam (quam ἀνθήλιον, id est vicariam solis, vocarunt Græci, teste Hesychio) retulisse veteres : ita Minervam, Dianam, Cererem, Junonem, Isidem, Hecaten, Proserpinam, Rheam, Cœlestem, Astarten, Parcas, Enyo, aliasque lunam habitas, ex Porphyrio, ap. Euseb. Præparat. evangel., l. III, c. 11, et aliis pluribus ostendit Gisb. Cuper. in Harpocrate, p. 108. ORELL.

Æthereum verticem. Macrob., l. III, Saturnal., c. 4. *Esse Minervam summum ætheris cacumen.* Idem, l. I, Saturn., c. 17; Augustin., de Civ. Dei, l. VII, c. 16. ELMENH. — Vide imprimis G. J. Voss. de Idol., l. II, c. 42. ORELL.

Minerva, quasi quædam Meminerva. Festus : *Minerva dicta, quod bene moneat.* Isidor., l. VIII, Orig. c. 11 Macrob., l. I, Saturn., c. 17. ELMENH.—Aliud etymon sequitur Cicero, de Nat. deor., II, c. 26 : *Minerva autem, quæ vel minueret, vel minaretur.* Sed falso, ut ostendit Vossius, l. I, p. 199. Minerva seu potius Menerva a μένος, vis animi, unde Latinum *mens* et

est. Quod si accipit res fidem, nulla est ergo Mentis filia, nulla victoriæ, nulla Jovis enata de cerebro inventrix oleæ, nulla magisteriis artium, et disciplinarum varietatibus erudita. Quod aqua nubat terram, appellatus est, inquiunt, cognominatusque Neptunus. Si ergo liquoris obtentio nominis hujus appellatione signatur, nullus Deus est omnino Neptunus : atque A ita tollitur, et removetur e medio stygii frater Jovis, Olympiique germanus, tridenti armatus ferro, pistricum dominus atque mænarum, rex salsorum gurgitum, et tremebundi motator soli.

XXXII. Mercurius etiam quasi quidam medicurius dictus est : et quod inter loquentes duo media currat et reciprocetur oratio, nominis hujus concinnata est

COMMENTARIUS.

antiqua verba *meneo*, *meno* pro moneo : unde *mentio*, *memini*, *memor*, *reminiscor*. ORELL.

Nulla est ergo Mentis filia. Meursius rescribit *Metis filia*, quam cum Jupiter gravidam et Minervam parturientem instinctu Cœli et Terræ devorasset, capite prægnans factus, Vulcano accito, cerebroque dissecto, ipse Minervam peperit, ut testatur Hesiodus in Theogonia, vers. 885 seqq. Sed verum esse *Mentis filia* B docet Vossius de Idololatr., l. II, c. 42, ex Afranii Fragmento apud A. Gell., l. XIII, c. 8 :

> Usus me genuit, mater peperit Memoria,
> Sophiam vocant me Graii, vos sapientiam.

Minerva igitur idem quod Prudentia, quæ est filia Memoriæ sive mentis. Et ipse Arnobius infra, c. 37 : *Jovis cæteri prædicant* (Musas) *ex Memoria uxore vel mente*. ORELL.

Nulla Victoriæ. Difficile probatu, qua ratione Minerva filia Victoriæ dicatur ab Arnobio. Dionysius siquidem Halicarnassensis narrat (Antiquitt., l. I, p. 26, Sylb.) : Νίκην δὲ Ἀρκάδες μυθολογοῦσι Πάλλαντος εἶναι θυγατέρα τοῦ Λυκάονος, τιμὰς δὲ παρ' ἀνθρώπων, ἃς καὶ ἔχει νῦν, Ἀθηνᾶς βουλήσει λαβεῖν, γενομένην τῆς θεοῦ σύντροφον· δοθῆναι γὰρ εὐθὺς ἀπὸ γονῆς τὴν Ἀθηνᾶν Πάλλαντι ἀπὸ Διὸς, καὶ παρ' ἐκείνῳ, τέως εἰς ὥραν ἀφίκετο, τραφῆναι. Quibus certe verbis planum ille facit, Minervam non esse filiam Victoriæ, sed tantummodo C cum illa educatam. Prævium nihilominus opinionis suæ assertorem Arnobius habuit Pausaniam, qui dixerat (l. I, p. 40, Sylb.) : καὶ ἕτερον ἐνταῦθα ἱερὸν Ἀθηνᾶς πεποίηται καλουμένης Νίκης. In quodam autem Orphei, uti inscribitur, hymno (N. 32, ed. Hermann), illa vocatur νικηφόρε δαῖμον. At hinc Arnobii narratio plane firmatur, si ejus in textu legeretur : *Nulla est ergo Mentis* (vel *Metis*, ut Meursius volunt. conf. Hesiodi Theogon. vers. 885 seq.), *nulla Victoria*. Si vero legendum sit *nulla Victoriæ*, expende, quæso, utrum hæc opinio inde invaluit, quod a templo ipsius, quæ Victoria nuncupabatur, cognominata est, aut quia pugnantes ejus auxilio victoriam reportare ferebantur. NOURR., p. 445.

Gisb. Cuperus in Apotheosi Homeri, p. 173, legendum censet : *nulla Victoria*, hæc offerens : « Victoriam Νίκην dictam testatur Phurnutus vel Cornutus, de Nat. deor., c. 28 (p. 187, ed. Gal.) : Ἀλαλκομενηΐδα δὲ αὐτὴν καλοῦσι καὶ ἀγεληΐδα τὸ μὲν ἀπὸ τοῦ ἀλαλκεῖν παράγοντας (ἱκανὴ γὰρ ἐστιν ἐπαμύνειν καὶ προσβοηθεῖν, ἐξ οὗ καὶ Νίκη προσαγορεύεται)· τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ ἄγειν αὐτὴν τοὺς λαούς. Et paulo inferius, p. 189 : πτερωτὴ παρεισάγεται διὰ τὸ ὀξύῤῥοπον καὶ ἀμετάβολον τῶν πράξεων. Quin et Athenis in arce Ἀθηνᾶς τῆς Νίκης simulacrum fuisse alis aureis ornatum, ex Aristophonte Pythagorista, Aristophane et Eustathio probat Meursius, l. I, Lectt. Att., c. 20. Nonnus, l. XXXII, eam vocat ἀρηγόνα θῆλυν Ἀθήνην, Νίκην ἣν καλέουσι : illiusque meminit etiam Euripides (Ion., vers. 1528. Vide ibid., vers. 457). Utque Minerva Jovis capite prognata, ita etiam Victoria, docente Philone Judæo (de mundi Opif.) : Μόνος δὲ, ὡς ἔφην, ὁ Ἑπτὰ οὔτε γεννᾷν πέφυκεν οὔτε γεννᾶσθαι, δι' ἣν αἰτίαν οἱ μὲν ἄλλοι φιλόσοφοι τὸν ἀριθμὸν τοῦτον ἐξομοιοῦσι τῇ ἀμήτορι Νίκῃ καὶ παρθένῳ, ἣν ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφάλης λόγος ἔχει, etc. » Hæc Cuperus. ORELL.

Jovis enata de cerebro. Ita ed. Lugd.. Bat. Alii : *nata*. Editio princeps elata. ORELL.

Quod aqua nubat terram, appellatus est...... Neptunus. Varro de Ling. lat. l. IV : *Neptunus, quod mare terras obnubit, ut nubes cœlum, a nuptu, id est opertione*. ELMENH. — Stewech. legendum conjicit *Neptunus*, sed derivandum videtur a Græco νέφος, νεφόω. Scaliger ad Theophrast., de Causis Plantarum derivat a νίπτω. Vid. Voss., de Idol., l. II, c. 77, p. 259. A *nando* derivat Cicero de Nat. deor., II, c. 26, ubi vide Davisium. Lipsius, qui de hoc etymo multus est, Saturnal. Serm., l. I, c. 2, in Ciceronis loco l. legendum censet : *a nubendo*. Cæterum *nubere* hoc loco sensu proprio et primario idem quod velare, obvelare. Vid. Weitz. ad Pervigil. Veneris, vers. 22. ORELL.

Nullus deus est omnino Neptunus. In edit. Lugd. Bat. fortassis operarum vitio legitur : *nullius deus*, etc. Atqui recte habet *nullus*, ut supra : *Nulla soror et conjux Jovis, nulla Fluvionia*, etc. ORELL.

Stygii frater Jovis. Vide supra, ad lib. II, cap. 70. ORELL.

Pistricum dominus. *Pistrix bellua marina longi corporis, sed angusti*, interprete Nonio. De diversis marinis monstris ista vox videtur usurpata. *Balænam* interpretatur Festus. Sed aperte distinguit *balænam* et *pristem*, idem quod pistricem, Plinius, Hist. nat., lib. IX, c. 3, et 4, ubi novissimus illius libri editor, Laur. Theod. Gronovius, p. 6, pristin interpretatur piscem Oceani, præsertim Arctici incolam, ex squali genere, rostro cuspidato, osseo, plano, utrinque dentato, Linnæo dictum *squalus pristis*, *der Sagehay*, *Sagefisch*. Conf. Jan. Dousam ad Lucilii Fragment., p. 199, ed. Haverc. ORELL.

Mænarum. De hoc contempto et vilis pretii pisciculo multus est N. Heinsius, ad Ovid. Fast. II, vers. 578, quem vide. Græcis dicitur μαινὶς verbi causa Plutarcho in Numa, c. 15, ubi Kaltwasser. vertit *sardelle*. Harduinus ad Plin., Hist. nat., l. XXXII, c. 11, intelligit pisciculum illum, quem Galli *la mendole*, Romani *menola* vocant, *der Hautling*, *Sparfisch*. OREL.

Rex salsorum gurgitum, et tremebundi motator soli. Ita Meursius. Alii *sali*, ut videtur, ex mss. Sed præfero *motator soli*, id est Σεισίχθων et Ἐνοσίγαιος. Cæterum hæc verba mihi videntur e vetere aliquo Comico vel Tragico, irrisionis causa, mutuata ab Arnobio. ORELL.

XXXII. — *Mercurius etiam quasi quidam medicurrius dictus est*. Isidorus, l. VIII Originum, c. 11 : *Mercurius quasi Medius currens dicitur appellatus, quod sermo currat inter homines medius*. Conf. Augustin., de Civit. Dei, l. VII, c. 14. ELMENH.—*A mercibus* derivat Festus. ORELL.

Quod inter loquentes duo media currat et reciprocetur oratio. Hæc est vera et genuina membranarum lectio pro illo quod ediderunt : *inter loquentes duos*. Quarto casu *duo* pro *duos* antiquis in usu fuisse, ostendi ad Fl. Vegetium de Re Milit. cui eam phrasin bis restitui, l. II, c. 6, et l. III, c. 15. Exempla si desideras, vide Ciceron., ad Fam., l. VII, ep. XXV : *Præter duo nos* (inquit) *loquitur isto modo nemo*. Prudentius, in Apotheosi : *Panes jubet et duo pisces apponi*. Censorinus, de Die natali, c. 19, in scito Tribunitio : *Prætor urbanus, qui nunc est, quique posthac fuat, duo lictores apud se habeto* : vulgant vulgo *duos lictores*, non recte. Eadem de re annotasse commemini Sosipatrum grammaticum. STEWECH. —Conf. Manut. ad Ciceronis, l. l. ORELL.

qualitas. Ergo si hæc ita sunt, non est dei Mercurius nomen, sed sermonis reciprocantis et vocis, atque ita hoc pacto [a] aboletur et extinguitur caduceator ille Cyllenius in algido fusus monte, vertice, verborum excogitator et nominum : nundinarum, mercium, commerciorumque mutator. Terram quidam e vobis, quod cunctis sufficiat animantibus victum, matrem esse dixerunt magnam : eamdem hanc alii, quod salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronuntiant : nonnulli autem Vestam, quod in mundo stet sola, cæteris ejus partibus mobilitate in perpetua

A constitutis. Quod si ratione profertur et asseveratur certa, trina pariter nomina vobis interpretibus nulla sunt : non Ceres, non Vesta deorum esse computabuntur in fastis : non ipsa denique mater deum, quam Nigidius autumat matrimonium tenuisse Saturni, dea recte poterit nuncupari : siquidem unius terræ hæc sunt omnia nomina, et his sola [b] prædicationibus indicatur.

XXXIII. Prætermittimus hoc loco satietatis fuga Vulcanum : quem esse omnes ignem pari vocum pronuntiatis assensu : quod ad cunctos veniat, Venerem,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hoc acto *Sab. male.*

[b] Illa *Fulv.*

COMMENTARIUS.

[a] *Caduceator ille Cyllenius, in algido fusus monte, vertice.* Constructio Arnobio familiaris pro in algidi fusus montis vertice. Vide supra, ad l. I, c. 36. Partus eleganter dicitur *fundi, effundi.* Sic supra, l. I, l. l. : *Mercurius utero fusus Maiæ.* L. II, c. 16 : *Ex alvis fundimur atque emittimur matrum.* Infra, l. IV : *Et quid Jovem mirantur ex fœminæ effusum dictare vos alvo?* Lactant., l. III, c. 16 : *Non enim aut parietes, aut locus, in quo quisque est fusus ex utero, conciliat homini sapientiam.* Idem, de Opific. Dei, c. 3 : *Queruntur..... hominem nudum et inermem, tamquam ex naufragio, in hujus vitæ miserias projici et expelli ; qui neque movere se loco, ubi effusus est, possit, nec alimentum lactis appetere, nec injuriam temporis ferre.* Ubi vide Bunemann., p. 1127. Herald. et Orell.

Mercium commerciorumque mutator. Festus : *Mercurius a mercibus est dictus : hunc enim negotiorum omnium existimabant esse deum.* Plautus in Prologo Amphytrion. :

> Ut vos in vestris voltis mercimoniis
> Emundis vendundisque me lætum lucris
> Afficere atque adjuvare in rebus omnibus.

Conf. G. J. Voss., Etymol. rom., v. *merces.* Elmenh. et Orell.

Terram quidam e vobis, quod cunctis sufficiat animantibus victum, Matrem esse dixerunt magnam. Lucretius, l. II, v. 995, seqq. :

> Pabula cum præbet, quibus omnes corpora pascunt
> Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant,
> Quapropter merito maternum nomen adepta est.
> Herald.

Quod salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronuntiant. Ita sentiunt Cicero, de Nat. deor., l. II, c. 26. *Mater* (Proserpinæ) *autem est a gerendis frugibus Ceres, tamquam Geres.*, et Varro, de Ling. lat. Et ut hic C pro G, contra in aliis fieri notat Varro, libro IV, dum scribit : *Gladius C in G commutato a clade.* Festus item ab *urguendo Orcum*, a *prædicendo prodigium* format. Promiscuæ etiam hæ litteræ olim librorum descriptoribus : unde in codicibus confusa totiens Gaius et Caius et alia mille. Immo et in varietate linguarum hunc quasi lusum reperiri nemo nescit. *Ciconiam* latine dicimus ; verum Galli, Itali, Hispani secundum syllabam per *g* scribunt, atque effantur suavius. Stewech.—At falsum esse hoc etymon et nomen Cereris derivandum vel ab antiquo verbo *cereo*, quod est *creo*, vel a græco Cereris nomine antiquissimo Γῆρυς, pluribus docet summus Scaliger ad Varron, p. 31, ed. Dordr. — Sainte-Croix, in *Recherches sur les Mystères du Paganisme*, p. 523, derivat a *Cerus*, quo nomine creatorem significabant veteres Etrusci (*Cerus mannus intelligitur creator bonus.* Festus, l. XI, p. 237 ; Isidor., Origg., l. VIII, c. 10), des Brosses a nomine ægyptio vel hebraico Erets, *terra.* Conf. quæ de

B latini nominis Cereris et græci Δηοῦς etymo doctissime disputat N. Ignarra Emendatt. in Homeri Hymn. in Cerer., in Ruhnkenii illius Hymni editione novissima, p. 493 et seqq. Orell.

Nonnulli autem Vestam, quod in mundo stet sola, cæteris ejus partibus mobilitate in perpetua constitutis. Plato in Phædro, p. 247, vol. III, ed. H. Steph. : Μένει γὰρ Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη. Ovid., Fast., l. VI, 299 :

> Stat vi terra sua : vi stando Vesta vocatur
> Causaque par graii nominis esse potest.

Conf. Dionys. Hal., l. II ; Isidor., Origin., l. VIII, c. 11 ; Augustin., de Civ. Dei, l. IV, c. 10 ; G. J. Voss., de Idolol., l. II, c. 59, p. 231, et J. Lips. in Syntagm., de Vesta et Vestalibus, c. 1. Scilicet dictum hoc ex falsa antiquorum opinione. Contrarium plane statuunt recentiores astronomi inde a Copernico. Orell.

C *Quam Nigidius autumat matrimonium tenuisse Saturni.* Infra, l. IV, *matrimonium magna ejus tenuerit mater.* Herald. — De P. Nigidio Figulo, Ciceronis æquali et socio in peste Catilinæ exstirpanda, post Varronem doctissimo Romanorum ac Pythagoreo, vid. Harles Introduct. maj. et Notit. Litteraturæ rom., p. 165 ; Ernesti in Clav. Cic., et imprimis Jan. Rutgers., qui ejus fragmenta collegit, digessit et explicuit in Variar. Lection., l. III, c. 16, p. 246, seqq. Orell.—Singularis de hoc scriptore Burignii Dissertatio exstat in libro cui titulus : *Mémoires de l'Académie des Inscriptions.* Ochsner.

[b] *His sola prædicationibus indicatur.* Fulv. Ursin. nescio qua de causa mutat *his illa*, etc. Orell.

XXXIII. — *Satietatis fuga.* Id est *nimietatis. Satis* enim pro *nimis* passim apud hos scriptores. Herald.— Ita Julius Capitolinus in Vita M. Antonini Philos., c. 24 : *Et Antoninus quidem non est satis motus defectione Cassii.*, id est valde, nimis motus ;

D ubi vide Salmas., in Script. Hist. August., vol. I, p. 385. Apud Cyprianum nil frequentius. Ita nostrum *genug* sæpissime abundantiam vel, ut barbaro vocabulo utamur, nimietatem aliquam significat : verbi causa *hich habe genug Arbeit*, id est *mehr als genug, uberflussig.* Quo sensu Cicero aliique aureæ latinitatis scriptores dicunt *satis superque*, contra *satis* simpliciter positum usurpant de mediocritate quadam magis in defectu quam in excessu peccante, ut nostrum *so so nicht allzuviel.* Vide Heusinger., ad Cornel. Nepot., Cimon., c. II, et ad Ciceronem, de Off., II, c. 25, p. 363, necnon Bunemann., ad Lactant. Inst., l. VI, c. 13, p. 774. Orell.

Quem esse omnes ignem, etc. Vide Isidor., Orig., l. VIII, c. 10 ; Augustin., de Civ. Dei, l. VII, c. 16. Elmenh.

Quod ad cunctos veniat, Venerem. Cicero, de Nat. deor., l. II, c. 26 : *Quæ autem Dea ad res omnes veniret, Venerem nostri nominaverunt.* Elmenh. Aliis

et quod sata in lucem proserpant [a], cognominatam A esse Proserpinam : qua rursus in parte trium capita numinum tollitis : siquidem primum elementi est nomen, non sentientis vocabulum potestatis : libidinis alterum per cuncta animantia diffusæ : tertium vero significat attollentia se germina, et frugum succrescentium motiones. Quid? cum Liberum, Apollinem, Solem, unum esse contenditis numen vocabulis amplificatum tribus, nonne sententiis vestris deorum iniminuitur census, et opinio prædicata [b] dilabitur? Nam si verum est solem eumdem Liberum esse, eumdemque Apollinem, sequitur ut in rerum natura neque Apollo sit aliquis, neque Liber : atque ita per vos ipsos aboletur, eraditur, Semeleius, Pythius : alter fœculentæ hilaritatis dator, Sminthiorum alter pernicies murum.

XXXIV. Non indocti apud vos viri, neque quod induxerit [c] libido garrientes, Dianam, Cererem, Lunam, caput esse unius Dei triviali germanitate pronuntiant : neque, ut sunt trinæ dissimilitudines nominum, personarum differentias tres esse : Lunam in his omnibus vocari, atque in ejus vocamen reliquorum seriem coacervatam esse cognominum. Quod si exploratum, si fixum est, atque ita si esse rei veritas monstrat, cassum iterum [d] nomen est Cereris, cassum Dianæ : atque ita perducitur res eo, ut et illa frugum, sicut perhibetis, inventrix, vobis ducibus atque auctoribus nulla sit, et exspolietur Apollo germana, quam quondam puris in fontibus abluentem membrorum sordes corniger ille venator inspexit, et pœnam curiositatis invenit.

B XXXV. In philosophiæ memorabiles studio, atque

LECTIONES VARIANTES.

[a] Prorepant *Fulv.*
[b] Præjudicata *Fulv.*
[c] Indixerit *alii.*
[d] Item *Gelen.*

COMMENTARIUS.

tamen de hujus vocis etymo aliter visum. Nam Varro (de Ling. lat. l. iv, p. 12) a verbo antiquo *viere* (vid. supra, ad l. ii, c. 38), id est *vincire* illud deducit, quod Venus non quidem *vincere*, sed *vincire*, vinciri, pudendis scil. vinculis, ipsa velit. Isidorus vero, Orig., l. viii, c. 11 : *Venus*, inquit, *inde dicta*, *quod sine vi* (aliter *viro*) *femina esse virgo non desinat*. Sed Arnobio haud forsitan immerito probabilior visa est Ciceronis opinio. NOURR., p. 449. — Add. Selden., de diis syris, p. 223. Ciceronis locus Fulvium Ursinum movit mutare : *Quod ad cuncta veniret*. ORELL.

Proserpinam. Vide Cic., de Nat. deor., l. ii, c. 26; Isidor., Orig., l. viii, c. 11. ELMENH.—Adde Varron., de Ling. lat., l. iv, p. 20, ed. Bipont. Pro *proserpant* Fulv. Ursin. conjicit *prorepant*, male. ORELL.

Non sentientis vocabulum potestatis. Ita Gelenius, quod probo. *Potestas* autem passim pro numine. HERALD.—Sic infra, l. iv, c. xi, init : *Quid dicitis, o patres novarum religionum, quid potestatum*. Editio princeps Romana. *Non sentiens vocabulum potestatis*, quod nescio qua de causa revocavit editor Lugd. Bat. ORELL.

Frugum succrescentium motiones. *Motio* pro incremento, et *moveri* pro crescere sæpissime. Columella, l. xi, c. 2 : *Igitur a kal. martiis eximia est vitium putatio in x. kal. aprilis, si tamen se gemmæ nondum moveant*. Ovidius, l. iii. Trist. Eleg. xii, 15 :

Quoque loco est vitis, de palmite gemma movetur.

Eodem sensu κινεῖν καὶ βλαστάνειν ap. Græcos, verbi causa Theophrast., l. i, de Causis Plant., c. 7. Plura collegit J. Fr. Gronovius, Obss., l. iii, c. 1, p. 335, ed. Platneri. ORELL.

Quid cum Liberum, Apollinem, Solem unum esse contenditis numen. Macrob., l. i, Sat., c. 17, 18; Augustin., de Civ. Dei, l. vii, c. 16; Servius, ad Virgil. Georg., i. vers. 7. ELMENH. — Vide imprimis Gisb. Cuper. in Harpocrate, p. 106, seqq. ORELL.

Semeleius Pythius. Rescribunt (Fulv. Ursin.) *Sminthius* propter ea, quæ sequuntur : *Sminthiorum alter pernicies murum*. Sed quemadmodum, quæ dicuntur de Baccho, non pertinent ad *Semeleium*, ita et quæ hic adduntur. non pertinent fortasse ad Apollinis epitheton, quo *Pythius* dicitur, sed aliam innuit illius appellationem. HERALD.—Pro *Semeleius*, quod Meursius restituit, editio princeps *Semelius*. ORELL.

Alter fœculentæ hilaritatis dator. Varro apud Nonium : *Quo nihil jucundius quisquam bibit. Hoc ægritudinem ad medendam invenerunt, hoc hilaritatis dulce seminarium, hoc continet coagulum convivia*. Vini dotes congerebat hic Varro : de quibus e variis scriptoribus Athenæus, l. ii. HERALD.

Sminthiorum alter pernicies murum. Sminthii Apollinis meminere Lactant., l. i, c. 7 (ubi vid. Cellar. et Bunemann.), Macrobius, i, Sat., c. 17; Ammian. Marcellin., l. xxii, cap. 11. ELMENH.—Eustathius, ad Iliad., lib. i, v. 39. Σμινθεύς, Ἀπόλλωνος ἐπίθετον· καὶ οἱ μὲν φασιν, ἀπὸ Σμίνθης πόλεως περὶ Τροίαν· οἱ δὲ ἀπὸ τῶν σμίνθων, ὃ δηλοῖ τοὺς μύας, αὐτὸν οὕτω καλεῖσθαί φασι· δοκεῖ γάρ ποτε ἀναιρέτης γενέσθαι σμίνθων, βλαπτόντων τοὺς ἐκεῖ· ὡς διὰ τοῦτο ναόν τε αὐτοῦ ἱδρυ- C θῆναι καὶ αὐτὸν Σμινθέα κληθῆναι, διὰ τοὺς ἀποσοβηθέντας μύας. οὓς οἱ ἐγχώριοι σμίνθους ἐκάλουν· φησὶ γὰρ ἡ ἱστορία, ὅτι ἐν τῇ Χρύσῃ Σμινθέως ἐστὶν ἱερόν, καὶ μῦς ὑπόκειται τῷ ποδὶ τοῦ ξοάνου, etc. Conf., qui de hoc nomine multus est, Gisb. Cuperi Commentar. ad Monumenta antiqua inedita, annex. Harpocrati, p. 212, seqq., ed. Ultrajectinæ et Bunemann., ad Lactant., p. 47. ORELL.

XXXIV.— *Non indocti apud vos viri*. Heic procul dubio Stoicos respexit Arnobius, de quibus ita Servius ad Virgil. Georg., i. vers. 7 : *Stoici eumdem solem..... item Lunam eamdem Dianam, eamdem Cererem, eamdem Junonem, eamdem Proserpinam dicunt; secundum quos Virgilius pro Sole et Luna Liberum et Cererem invocavit*. NOURRIUS.

Neque quod induxerit libido, garrientes. Id est : non temere, nec linguæ intemperantia ac morbo quodam fabulas et nugas blaterantes. Nam *libidinem* sæpe dicunt Latini, quam Græci νόσον : cum naturali et cæco impetu ferimur ad aliquid sine ratione. D Naturalem hanc ac temerariam ad rem quamlibet propensionem Græci etiam exprimunt per verbum φιλεῖν. Sic φιλομύθους dicunt, φιλοψευδεῖς, φιλονείκους et similia. HERALD.

Triviali germanitate. Id est, *triplici* germanitate. Alludit scilicet Arnobius ad nomen Dianæ triviæ. ORELL.

Differentias. Ms. *dissidentias*.

Atque ita si esse. Sic Meursius pro eo quod antea legebatur : *Atque ita se esse*. Alii : *atque ita esse*. ORELL.

Exspolietur. Fulv. Ursinus; *et spolietur*. Stewech. conjicit *despolietur*, quod verbum Ciceroni, Plauto, Apuleio frequentatum. Equidem causam mutandi nullam video. ORELL.

Corniger ille venator. Actæon in cervum mutatus. Vide Apollodor., Bibl., iii, c. 4, § 4; Hygin., Fab. 180; Fulgent., Mythol., iii, 3, et imprimis Ovid., Met., iii, 131, 252; ibique Gierig. V. C., pag. 188, ed. nov. OR.

XXXV.— *In philosophiæ memorabiles studio*. Edi-

ad istius nominis columen vobis laudatoribus elevati, universam istam molem mundi, cujus omnes amplexibus ambimur, tegimur, ac sustinemur, animal esse unum, sapiens, rationabile [a], consultum probabili asseveratione definiunt : quorum si est vera, et fixa, certa sententia, etiam illi continuo desinent dii esse, quos in ejus portionibus paulo ante immutatis nominibus constituebatis. Ut enim homo unus nequit permanente sui corporis integritate in homines multos scindi : neque homines rursus multi, disjunctionis differentia conservata, in unius sensus simplicitatem conflari : ita si mundus unum est animal, et unius mentis agitatione motatur : nec in plura potest numina dissipari, nec, si ejus particulæ dii sunt, in unius animantis conscientiam cogi atque verti. Luna, sol, tellus, æther, astra, membra sunt, et mundi partes : quod si partes et membra sunt, animalia utique sui nominis non sunt : neque enim partes hoc ipsum esse, quod totum est, aliqua in re possunt : aut sibi sapere, sibi sentire, quod sine totius animantis assensu nullis propriis afficiatur e motibus, quo constituto, ac posito, summa omnis illuc redit : ut neque sol deus sit, neque luna, neque æther, tellus, et cætera. Sunt enim partes mundi, non specialia numinum nomina : atque ita perficitur, omnia vobis turbantibus miscentibusque divina, ut in rerum natura unus Deus constituatur mundus, explosis omnibus cæteris : quinimmo [b] inaniter, vacue, et sine ulla substantia constitutis.

XXXVI. Si totidem nos modis, totidemque sententiis deorum vestrorum subrueremus fidem, nulli esset dubium, quin ira et rabie concitati, ignes, feras, et gladios, atque alia postularetis suppliciorum in nos genera, quibus sitim soletis vestram nostri sanguinis appetitione proluere. Cum vero per vos ipsos prope omnis gens numinum sub ostentatione tollatur ingeniorum atque doctrinæ, audetis intendere nostri nominis causa res humanas ab diis premi : cum quidem, si verum est esse illos uspiam, atque incalescere irarum flammis, nihil habeant justius, propter quod in vos sæviant, quam quod eos negatis subsistere, neque una esse in parte naturæ.

XXXVII. Musas Mnaseas est auctor filias esse Telluris et Cœli : Jovis cæteri prædicant ex Memoria

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Sab. male. Corrige :* rationale.
[b] Omnino *Fulv.*

COMMENTARIUS.

tio princeps *memorabili*, e male intellecta Codicis scriptura, ubi est *memorabilis*, antique pro *memorabiles*. HERALD., *in Curis* II.

Columen. Alii : *culmen.* Sed. prius amat Arnobius. Vide supra ad lib I, cap. 8. ORELL.

Animal esse unum, sapiens, rationale. Plato Timæo pag. 30. (Vol. III. ed. H. Steph.) Οὕτως οὖν δὴ κατὰ λόγον τὸν εἰκότα δεῖ λέγειν, τόνδε τὸν κόσμον ζῶον, ἔμψυχον, ἔννουν τε τῇ ἀληθείᾳ διὰ τὴν τοῦ θεοῦ γενέσθαι πρόνοιαν. Vertit Cicero de universo. *Quam ob causam non est cunctandum profiteri, si modo investigari aliquod conjectura potest, hunc mundum animal esse, idque intelligens et divina providentia constitutum.* Vid. Philostratus, de Vita Apollonii, lib. III, cap. 11. ELMENH.—Pro *rationale* Edit. Rom. et Gelen. *rationabile.* : male. Pro *animal* codex ms. habet *animas*, quod defendit Meursius in Appendice tamquam loquendi genus antiquum pro *animans*, *animal*, exemplo Ennii :

Ova parire solet genu' pennis condecoratum,
Non animas.

Ita *Cosules*, *prægnas*, *damnas*, *Cesores*, *istita* sine *n*. Sed haud verosimile est Arnobium ita scripsisse, cum in toto hoc opere constanter scribat *animal*, nunquam *animas*. ORELL.

Consultum. Idem quod prudens. Nihil amplius. ORELL.

Quorum si est vera et fixa, certa sententia. Forsitan legendum : *quorum si est vera, fixa et certa sententia.* TH. CANTER. — Nihil mutandum, distinguendum tamen : *et fixa, certa sententia.* Hæc ita copulare amat Arnobius sine copula. HERALD.

Neque homines rursus multi disjunctionis differentia conservata. Ita Meursius et cæteri illum secuti usque ad ed. Lugd. Bat. corrigentem *dijunctionis dissidentia.* Antea legebatur : *neque homines rursus multitudinis junctionis differentia conservata.* Vocem *multitudinis* vitiosam esse nemo non videt. Sed *junctionis diffetia* male mutatum puto in *disjunctionis differentia. Junctionis differentia* est junctarum partium differentia, discordia. Ita Ovid., Met., I, 9 :

Non bene junctarum discordia semina rerum.

Tale monstrum illud, quod Horatius fingit in Arte Pœtica init. *Humano capiti*, etc. Itaque legendum videtur : *multi junctionis differentia conservata*, id est, multi si in junctione differentiam, animorum scil. et ingeniorum, conservant. Et ita legendum sequentia suadent : *nec si ejus particulæ dii sunt, in unius animantis conscientiam cogi atque verti.* ORELL.

In unius sensus simplicitatem. Fulv. Ursinus mavult : *in unius censum simplicitatis*, quæ conjectura necessaria non est, si præcedens *junctionis* intelligamus de junctione diversarum partium animi. ORELL.

Ut neque sol deus sit, neque luna, etc. Abunde hoc docent Jul. Firmicus de Errore profanarum relig. Lactant. Inst., lib. II, cap. 5. ELMENH.

XXXVI. *Quibus sitim soletis vestram........... proluere.* Virgilius, Æn. I, 739 :

. . . . Et pleno se proluit auro.

Prudentius lib. I, contra Symmach. :

Avidus vini multo se proluit haustu.
HERALD. et ELMENH.

Quidem. Ita Meursius. Editio princeps Sabæi *quidam*, male. ORELL.

Neque una esse in parte naturæ. Ita cod. ms. quam lectionem recte defendunt Th. Canterus et Heraldus, ut sit idem quod *neque ulla esse in parte naturæ*, ἐν οὐδενὶ φύσεως μέρει. Gelenius ed. *neque ulla*, etc. ORELL.

XXXVII. — *Mnaseas.* Patarensis e Lyciæ civitate. Hujus librum III Εὐρωπιακῶν citat Athenæus, lib. IV, p. 158, et librum II. de Asia, lib. VIII, p. 346; denique Periplum eodem libro p. 331 Græcæ gentis non obscurus scriptor vocatur a Columella, lib. XII, cap. 4, qui cum Varrone eum inter scriptores Rei rusticæ laudat, lib. I, cap. 1. Non confundendus cum Mnasea Berytio, qui de arte rhetorica et nominibus Atticis scripsit, teste Suida, et alio ejusdem nominis Locro seu Colophonio, qui (ut idem Athenæus refert) inscriptos lusus composuit, ob varietatem *Salpem* nominatos. Conf. Nourr., p. 544. Voss., de Hist. Græc.,

uxore, vel mente: has quidam [a] virgines, alii matres fuisse conscribunt. Libet enim jam paucis etiam illas partes attingere, quibus alius aliud eadem de re dicere opinionum diversitate monstramini. Ephorus [b] has igitur numero esse tres effert: Mnaseas, quem diximus, quatuor: Myrtilus [c] inducit septem: octo asseverat Crates: ad extremum Hesiodus novem, cum nominibus prodit, diis cœlum et sidera locupletans. Nisi fallimur, ista dissensio nihil scientium verum est, non ab rei veritate descendens. Nam si liquido sciretur, quid sit, unanimis esset vox omnium et in ejusdem sententiæ finem cunctorum pergeret et conveniret assensio.

A XXXVIII. Quonam modo igitur religionis potestis integrare vim plenam, cum circa ipsos erretis deos? aut ad venerabiles invitare nos cultus, cum nihil nos certi de ipsorum numinum comprehensione doceatis? Ut enim de mediis conticescamus auctoribus, aut ille primus eradit atque interficit sex divas musas, si esse illas constat novem: aut iste ultimus et extremus sex apponit, quæ nullæ sunt, tribus solis in veritate constantibus: ut neque sciri possit, aut comprehendi, quænam debeant addi, quæ demi, et in periculum deducatur religionis ipsius susceptio, aut id quod non est colens, aut quod sit fortasse præteriens.
B Novensiles Piso deos esse credit novem in Sabinis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quidem *alii*.
[b] Iforus *Sab. mendose*.
[c] Myrsilus *Fulv.* Murcylus *ms.* Myrtilis *Sab.*

COMMENTARIUS.

lib. I, cap. 21, pag. 134 seqq., et Harduin., in Indice Plinii Hist. Nat., hoc verbo. Orell.

Filias esse Telluris ac Cœli. Hyginus in deorum Genealogia fabulis præmissa, pag. 31, ed. Munkeri *Monetam*, id est Mnemosynen, matrem Musarum ex Æthere et Terra prognatam dicit. Orell.

Ephorus has igitur numero esse tres effert. De Ephoro, historico Cumano notissimo, auditore Isocratis et condiscipulo Theopompi, vide Suidam et G. J. Voss., de Hist. Græc., pag. 30. Cæterum hic est locus classicus de controverso Musarum numero, de quo vide etiam Serv., ad Virg., Æn. I, vers. 12, et ad Eclog. VII, 21, et Munker., ad. Hygin., Fab. CCXXII, p. 288. Antiquissimis temporibus tres tantum statuebantur, quarum nomina, Μελέτην, Ἀοιδήν, Μνήμην, Pausanias conservavit in Bœoticis. Ausonius, in Gripho ternario, vers. 30 seq.:

> Et Lyrici vates numero sunt Mnemonidarum,
> Tris solas quondam tenuit quas dextera Phœbi.

ubi vide Toll., p 458, Tzetz Comment. ad Hesiod., Ἔργα p. 6, ed. Heins.: Ἀλλ' Εὔμηλος μὲν ὁ Κορίνθιος τρεῖς φησιν εἶναι Μούσας, θυγατέρας Ἀπόλλωνος. Κηφισοῦν, Ἀπολλωνίδα, Βαρυσθενίδα. Add. G. J. Voss., de Idolol., lib. VIII, cap. 12, pag. 752. Orell. — Vid. Tzetz., ad Hesiod. Op. et D., vers. 1, Phurnut., de Nat. deor., p. 157; Gal. Creuzer Symbol., tom. III, p. 295, seq. *Hug uber den Mythus*, etc., p. 222, seq. Varro, quod tres essent Musæ, hanc attulit causam (apud Augustin., de Civ. Dei, XVIII, et A. Popm. in Fragmm., p. 459): *quia facile esset animadvertere, omnem sonum, qui materies cantilenarum est, triformem esse natura.* Ruhnkenius, Epist. crit. II, p. 309, ed. nov. locum e Cod. Paris. exhibuit, ubi Εὔμηλος (sic leg.) ὁ Κορίνθιος τρεῖς εἶναί φησι τὰς Μούσας, θυγατέρας Ἀπόλλωνος, Κηφισσοῦν, Ἀπολλωνίδα καὶ Βορυσθενίδα. Marx *ad Ephori Fragm.*, p. 264.

Mnaseas, quem diximus, quatuor. Cicero, de Nat. deor. III, cap. 21: *Jam Musæ primæ quatuor, natæ Jove altero, Thelxiope, Aœde, Arche, Melete.* Ubi autem de lectione ambigitur, vid. Davis. Quatuor Musas statuit etiam Aratus in libro V. Ἀστρικῶν, teste Tzetze ad Hesiod., l. l. Orell.

Myrtilus, Varie scribitur. *Myrtilum* vocant præter nostrum et Clemens, quem exscripsit Phrynicus verbo καταφαγαί, et Scholiastes Apollonii: *Myrsilum* autem Athen., lib. XIII, p. 617. Lesbius, æqualis Alcæo et Sapphoni, *Lesbiaca* scripsit, teste Antigono Carystio, cap. 5, 17, 129. Sub ejus nomine librum suppositititium de Origine Italiæ ac Tyrrhenorum edidit Jo. Annius Viterbiensis. Vid. Voss., de Hist. Græc., lib. III, p. 391, et Harduin., Ind. Plin. Orell.

Myrtilus inducit septem. Epicharmus etiam, teste eodem Tzetze, l. l.: Ἐπίχαρμος δὲ ἐν τῷ τῆς Ἥβης Γάμῳ ἑπτὰ λέγει, θυγατέρας Πιέρου καὶ Πιμπληΐδος Νύμφης· Νειλοῦν, Τριτώνην, Ἀσωποῦν, Ἑπτάπολιν, Ἀχελωΐδα, Τιτόπλουν, καὶ Ῥοδίαν. Orell.

Octo asseverat Crates. Procul dubio intelligendus Crates Mallotes, grammaticus et Homeri interpres notissimus. Cæterum figmentum grammaticorum de octo Musis natum videtur e commento illo Platonis de Sirenibus octonis verticulis in adamantino illo Parcarum fuso insidentibus, quod legitur de Rep. libro X, p. 616, ed. H. Steph. (Bipont., vol. VII, pag. 327 seq.). Orell.

Ad extremum Hesiodus novem, cum nominibus prodit. Ita interpunxi. Sensus enim est: Hesiodus novem Musas, cum nominibus suis prodit, a prodo, ere, non autem: prodit (a prodeo ire) cum novem nominibus.
C Cæterum locus Hesiodi legitur in Theogonia vers. 75 seqq.:

> Ταῦτ' ἄρα Μοῦσαι ἄειδον, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
> Ἐννέα θυγατέρες μεγάλου Διὸς ἐκγεγαυῖαι,
> Κλειώ τ', Εὐτέρπη τε, Θάλειά τε, Μελπομένη τε,
> Τερψιχόρη τ', Ἐρατώ τε, Πολύμνιά τ', Οὐρανίη τε,
> Καλλιόπη θ'· ἡ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων. Orell.

Nam si liquido sciretur quid sit, unanimis esset vox omnium. Ita edidit Oberthur. In Cod. ms. abest *esset*, male. Ed. Lugd. Bat. dedit: *una esset*, etc. Th. Canterus legendum censet; *nam si liquido sciretur, fuisset unanimis vox omnium.* Sed verba *quid sit* eliminare non ausim: *quid sit* scil. absolute positum, ut nos dicimus: *was an der Sache sey.* Grotius ap. Meursium legendum conjicit: *Quin sit*, etc. Orell.

In ejusdem sententiæ finem cunctorum pergere ac conveniret assensio. *Pergere* hoc loco sensu proprio et primario pro *ire, tendere. Ita huc pergo, horsum pergo* ap. Terentium. Orell.

D XXXVIII. — *Quonam modo igitur religionis potestis integrare vim plenam.* *Integrare* est ad integritatem, perfectionem adducere. Ita supra lib. II, cap. 15. *Virtutum omnium servamus atque integramus tenorem.* Eodem sensu *integrator* apud Tertullianum Apologet., cap. XLVI. fin.: *Adeo quid simile Philosophus et Christianus, Græciæ discipulus et cœli, famæ negotiator et salutis..... interpolator erroris et integrator veritatis, furator ejus et custos?* Orell.

Aut ille primus eradit atque interficit sex divas Musas. Heraldus delere vult *Musas* tamquam glossema. Sed talea περιττολογίαι haud infrequentes apud Arnobium. Cæterum *interficere* eleganter pro tollere, auferre. Eodem sensu *interfector veritatis* apud Tertullianum de Carne Christi cap. 4. Orell.

Novensiles Piso deos esse credit novem in Sabinis apud Trebiam constitutos. Et hic classicus locus de diis Novensilibus, multa continens, quæ alibi frustra quæsiveris. Conf. Jac. Nicol. Loensis Miscell. Epi-

apud Trebiam constitutos. Hos Granius Musas putat, consensum accommodans Ælio: novenarium numerum tradit Varro, quod in movendis [a] rebus potentissimus semper habeatur et maximus, novitatum Cornificius præsides, quod curantibus his omnia novitate integrentur, et constent : deos novem Manilius, quibus solis Jupiter potestatem jaciendi sui permiserit fulminis. Cincius numina peregrina novitate ex ipsa appellata pronuntiat : nam solere Romanos religiones urbium superatarum partim privatim per familias spargere, partim publice consecrare : ac ne ali- A quis deorum multitudine aut ignorantia præteriretur, brevitatis et compendii causa uno pariter nomine cunctos Novensiles invocari.

XXXIX. Sunt præterea nonnulli, qui ex hominibus divos factos hac prædicant appellatione signari, ut est Hercules, Romulus, Æsculapius, Liber, Æneas. Sententiæ, ut apparet, diversæ sunt hæ omnes : neque fieri per rerum naturam potest, ut qui opinionibus differunt, veritatis unius habeantur auctores. Si enim Pisonis sententia vera est, Ælius et Gra- B nius mentiuntur : si quod dicitur ab his certum est,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Innovandis *Fulv.*

COMMENTARIUS.

phyll., lib. IV, cap. 15. in Lampade Critica Gruteri vol. V, pag. 421, seq., qui omnia veterum loca de diis illis diligenter excussit. Cum Pisone consentit etiam Varro de Ling. lat., lib. IV, pag. 22, ed. Bipont. Cæterum de L. Calpurnio Pisone Frugi, Consule anno U. C. DXX. latore legis Calpurniæ de repetundis et scriptore Annalium, vide G. J. Voss., de Hist. lat., lib. I, cap. 6. ORELL.

Consensum accommodans Ælio. Hic est Ælius Stilo, qui carmen Saliare explanarat, aliaque scripserat, quorum mentio passim apud grammaticos, Varronem, A. Gellium, Festum. Alius Ælius Gallus. HERALD.

Novenarium numerum tradit Varro, quod id movendis rebus potentissimus semper habeatur et maximus. Censorinus de Die nat., cap. 14 : *Plerique* (Genethliaci) *duos istos numeros* (7 et 9) *subtiliter discreverunt, dicentes septenarium ad corpus, novenarium ad animam pertinere; hunc medicinæ corporis et Apollini attributum, illum Musis, quia morbos animi, quos appellant πάθη musica lenire ac sanare consueverit.* Conf. Ausonii Idyll. XI. Pro *movendis* Fulv. Ursinus mavult *innovandis*, male : *movendis* est idem quod *promovendis*. ORELL.

Cornificius. Grammaticus potius quam historicus, citatus a Festo et Macrobio aliquoties, qui ejus Etymorum libros laudat. Vossius, de Hist. lat., lib. III, in Appendice scriptorum de quibus incertum an historica scripserint, Op. ed. Amstelod., tom. IV, pag. 260, eum floruisse ait temporibus Augusti. Non confundendus cum L. Cornificio rhetore, ad quem Ciceronis epistolæ exstant. ORELL.

Deos novem Manilius, etc. T. Manilius, quem citant Varro de Ling. lat., lib IV, et VI nec non Plinius, Hist. Nat., lib. X, cap. II, illum *primum atque diligentissimum togatorum laudans.* Floruit temporibus Marii et Syllæ. Vid. G. J. Voss., de Hist. lat., lib. I. cap. IX. Vel potest intelligi Manilius Chrestus, qui librum scripsit de Hymnis deorum, teste Fulgentio de prisco sermone. v. *Injuges boves*, cujus fragmenta aliquot inseruit Joannes Mydus opusculo suo de Mensibus a Schowio edito. ORELL.

Quibus solis Jupiter potestatem jaciendi sui permiserit fulminis. Lucem nostro affundit Plinii locus Hist. nat., lib. II, cap. LII : *Tuscorum litteræ novem deos emittere fulmina existimant, eaque esse undecim generum : Jovem enim trina jaculari. Romani duo tantum ex iis servavere, diurna attribuentes Jovi, nocturna Summano*, etc., ubi vide Harduin. Conf. Senec. Nat. Quæst., lib. II, cap. 41 : « Jupiter quidem præcipue fulmine armatur, putabaturque tantum mittere fulmina rubra, cum alii Dii jacularentur alba aut nigra, uti ex Horatio, Claudiano et Acrone observat Meursius in Lycophronem. Inde forte est, quod apud Livium legamus lib. XXXII, *Jovi donum fulmen aureum pondo L factum esse, Junoni Minervæque ex argento.* Præter Jovem autem deos fulminantes invenio Summanum, Saturnum, Martem, Herculem, Vulcanum, Minervam, Junonem, Matrem deum, Apollinem vel Solem, et Zagræum sive Bacchum ab antiquis memoratos. » Hæc Gibs. Cuperus, qui de his diis docte et fuse disputat in Harpocrate pag. 99 seqq. ed. Ultraject. in-4°. ORELL.

Cincius. L. Cincius Alimentus, æqualis Fabii Pictoris et post Cannensem cladem prætor Siciliæ, scripsit Historiam Annibalicam, græca lingua, Latina autem Historiam de Gorgia Leontino, libros de Re militari, (unde plura hausit Vegetius,) de Fastis, de Verbis priscis, e quibus hæc petita videntur : *Diligens auctor monumentorum* Livio laudatus, Hist. lib. VII, init. Vide G. J. Voss., de Hist. Græc., lib. IV, cap. III. et de Hist. lat., lib. I. cap. IV. ORELL.

Nam solere Romanos religiones urbium superatarum partim privatim per familias spargere, etc. Ita ed. Lugd. Bat. ex emendatione Fr. Modii ad cod. ms. vestigia, C qui habet *regiones* ; unde Gelenius fecerat *omnes deos.* Deos ante expugnationem urbium a Romanis evocari solitos et Romam invitari res notissima. Videatur formula illi rei adhibita apud Macrob., Saturn., lib. III, cap. 9; Plinium, lib. XXVIII, cap. 2; Livium, etc. Hinc Prudentius contra Symmachum, lib. II :

Innumeros post deinde deos, virtute subactis
Urbibus, ex claris peperit sibi Roma triumphis.
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,
Et captiva domum venerans ceu numina vexit.
ORELL., STEWECH. et HERALD.

Ac ne aliquis deorum multitudine aut ignorantia præteriretur. Sic edidi ex emendatione Heraldi in Curis II. Cæteri : *ac ne aliquid deorum*, etc. ORELL.

XXXIX. — *Sunt præterea nonnulli, qui ex hominibus divos factos.* Servius ad Virgil. Æn. VIII, vers. 187 : *Sane quidam veteres deos Novensiles dicunt, quibus merita virtutis dederint numinis dignitatem.* Conf. D Martian. Capella de Nupt. Philol., lib. I, pag. 27, ed. Bern. ORELL.

Qui rebus in substantia constitutis inanissimas subdit et res cassas. Hæc est lectio vetus, quæ tolerari et explicari potest. Dicebat enim Varro : Novensiles deos esse numerum novenarium ; et ita res inanissimas et cassas (quid enim numeris inanius?) rebus in substantia constitutis subdebat. Obscuritas autem hujus loci nata est ex trajectione copulæ pro *inanissimas subdit res et cassas.* HERALDUS.—Trajectio copulæ familiaris apud Arnobium. Ita lib. I, cap. 64 : *ludorum et celebritate natalium*, pro *celebritate ludorum et natalium*, ubi vide notas. Itaque hoc loco opus non habemus correctione editoris Lugd. Bat. : *Inanissima subdit, et re cassa*, multo minus Fulv. Ursini conjectura : *Inanissimas subdit rationes*, vel Meursii : *inanissimas subdit res et cassas.* Pro *in substantia* Modius refinxit *in essentia*. Sed cod. ms. habet *instantia*, quod per compendium scribendi *in stantia* fortasse scriptum pro *in substantia*. ORELL.

peritissimus errat Varro, qui rebus in substantia constitutis inanissimas subdit et res cassas. Si novenarius numerus cognomen Novensilium ducit, Cornificius labare convincitur, qui novitati præsidentibus divis alienæ potentiæ vim donat. Quod si opinio Cornificii vera est, imprudens Cincius invenitur, qui urbium victarum deos potestate afficit Novensilium numinum. Quod si hi sunt, quos Cincius prædicat, Manilius dicere reperietur falsum, qui alieni fulminis jaculatores sub istius vocaminis appellatione concludit. Quod si exploratum et verum est id quod Manilius autumat, in errore sunt hi maximo, qui honoribus divinis auctos, consecratosque mortales ob novitatem honoris existimant nuncupari. Quod si Novensiles hi sunt, qui meruerunt ad sidera sublevari, postquam sunt vitæ mortalitate defuncti, nulli prorsus Novensiles dii sunt. Ut enim servi, milites, magistri, non sunt personarum subjacentium nomina, sed officiorum, conditionum, et munerum : ita cum Novensiles dicimus nomen esse deorum, qui ex hominibus meruerunt dii esse, manifestum et promptum est non personas specialiter definitas, sed novitatem ipsam cognomine Novensilium nuncupari.

XL. Nigidius Penates deos Neptunum esse atque Apollinem prodidit, qui quondam muris urbem Ilium [a] conditione adjuncta cinxerunt. Idem rursus in libro sexto exponit et decimo, disciplinas Ethruscas sequens, genera esse Penatium quatuor, et esse Jovis ex his alios, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos, inexplicabile nescio quid dicens. Cæsius et ipse has sequens Fortunam arbitratur, et Cererem, Genium Jovialem, ac Palem, sed

LECTIONES VARIANTES.

[a] Immortalium *ms. vitiosissime.*

COMMENTARIUS.

Cornificius labare convincitur. Restitui Arnobio verissimam hanc et contextui convenientissimam codicis ms. lectionem, bene defensam a Stewechio et P. Colvio ad Apulei., Met., lib. v, pag. 368, ed. Oudendorp. Sabæus in ed. principe Romana dedit *balare*, quod editores cæteri retinuerunt, defendit etiam Heraldus, putans Arnobium hoc verbo illudere voluisse nomini Cornificii. *Balare* scilicet ovium vox; quod quoniam simplicissimum est animal, hominibus parum callidis et paulo stolidioribus appellatio ista tributa est a veteribus, v. c. Aristophane in Nubibus: Λίθοι, ἀριθμὸς, πρόβατα. Itaque *balare* etiam recte dici, qui stolide aliquid effutiunt potius, quam loquuntur. At vero observandum est, Arnobium hoc loco doctos illos quos recensuerat viros modestissime et sine ulla acerbitate aut virulentia refutare, *errare illos* dicentem, *imprudentes inveniri, falsum dicere*, etc. Itaque *balare* hoc loco prorsus alienum. Guil. Canterus, Novar. Lectt., lib. III, cap. 22 in J. Gruteri Lampad. Crit., vol. III, pag. 584, legendum conjicit *halare*, quod antiqui usurparunt pro *mentiri*, auctore Festo. Sed præstat *labare*. Ita cap. sequenti : *Labant sententiæ*, et cap. 41, *cum ex uno et ex altero manifestum fiat et pateat hæsitare, labare, nec quidquam vos certi de his rebus, quas asseritis, scire.* Orell.

Ob novitatem honoris. Editio Lugd. Bat. *Ab novitate honoris.* Meursius : *Ob novitatis honorem*, respiciens ad Cornificii sententiam, qui dicebat eos novitatum præsides. Orell.

Ita cum Novensiles dicimus nomen esse deorum, qui ex hominibus meruerunt dii esse. Ita Gelenius locum restituit. Cod. ms. : *ita cum Novensiles dicimus omnes si novem esse eorum*, vitiose. Fulv., Ursinus : *dicimus omnes novem eorum.* Meursius : *ita cum Novensiles dicimus omnes qui*, etc. deletis vocibus *si novem esse eorum.* Ed. Lugd. Bat. : *ita cum Novensiles dicimus, si nomen est istud deorum*, etc. Quamcumque loci corruptissimi emendationem eligamus, *novem* certe locum habere minime potest, cum eorum, qui ex hominibus meruerunt dii esse, non novenarius, sed multo major et incertus sit numerus. Orell.

XL. — *Nigidius Penates deos Neptunum esse atque Apollinem prodidit.* Macrobius, Sat. lib. III, cap. 4 : *Nigidius de Diis, lib.* XIX, *requirit, num dii Penates sint Trojanorum Apollo et Neptunus, qui muros eis fecisse dicuntur.* Conf. Serv. ad Æneid., III, vers. 12. Elmenhorst.

Cæsius et ipse has sequens. Omnino sine ulla dubitatione ita legendum contenderim : *has sequens*, scil. disciplinas Etruscas; præcesserat enim paulo ante. Theod. Canter. Cod. ms. *assequens*, nullo sensu. Alii; *eas sequens.* Ed. Lugd. Bat. *id sequens.* Sed Canteri emendatio proxime accedit ad scripturam Codicis. Pro *Cæsio* idem Canterus legendum suspicatur *Cælius*, intelligens sine dubio L. Cælium Antipatrum, qui Gracchorum temporibus floruit scripsitque historiam belli Punici et alia. Conf. Liv., lib. XXI, cap. 38. G. J. Vossius autem intelligit Cæsium Bassum, poetam lyricum et, secundum nonnullos, auctorem Commentariorum in Arati Phænomena a Germanico conversa, qui vixit temporibus Neronis et Galbæ. Vide de Hist. lat., lib. I, cap. 22, et in Appendice. M. Delrio in Syntagm. Tragœdiæ latinæ, P. III, pag. 377, ubi de his diis multus est, corrigit *Cassius* e loco Macrobii Sat., lib. III, cap. 4, *Cassius vero Æmina dicit, Samothracas deos eosdemque Romanorum Penates proprie dici* θεοὺς μεγάλους, θεοὺς χρηστοὺς, θεοὺς δυνατούς. At vero, ut videmus, maxime dissentit Cassius hic Macrobii a Cæsio Arnobii. Orell.

Genium Jovialem. Deus valde obscurus, cujus notitiam alibi frustra quæsiveris. C. Barthius in Disputatione de Geniis satis prolixa ad Rutil. Itinerar., vers. 328, ex inscriptionibus probare conatur, gentiles diis suis peculiaria numina et genios quosdam adscripsisse, ideoque *Genium Jovialem* interpretatur Numen quod Jovi esset genii loco. Quod falsissimum esse docet Jo. Clericus, in Art. Crit., part. II, sect. II, cap. 5. Genius enim Jovis, Junonis, Plutonis nihil aliud esse, quam genios a diis illis progenitos aut missos. *Genium* itaque *Jovialem* putat esse nomen Laris domestici, ideo sic dicti, quod a Jove datus familiæ crederetur. Equidem neutri assentior, sed crediderim potius, hoc loco indicari ab Arnobio primum illum maximumque geniorum, qui genius κατ' ἐξοχὴν appellabatur Martiano Capellæ in loco non minus obscuro, ubi de regionibus vel circulis cœli, sedibusque deorum agit, de Nupt. Philolog., lib. I, pag. 16, ubi vid. Grot. : *Corrogantur ex proxima* (sexta) *regione, transcursis domibus conjugum regum, Ceres, Tellurus, terræque pater Vulcanus et Genius.* Genium Jovialem hic inuui concludo ex verbis Martiani brevi intervallo sequentibus : *Junonis vero hospitæ genius accitus ex nona* (regione), tamquam inferior priore illo. Genii itaque quasi ministri, nuntii Jovis et Junonis. At judicent doctiores. Orell.

Ac Palem..... sed masculini nescio quem generis ministrum Jovis atque villicum. Palis tamquam masculini generis dei meminit Martianus Capella loco supra laudato, lib. I, pag. 27 : *Vos quoque Jovis filii Pales et Favor cum celeritate Solis filia ex sexta* (cœli regione) *poscimini*, et paulo post : *Sed etiam Liber ac Secundanus Pales vocantur ex septima;* ubi vid. Grot.,

non illam feminam, quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum Jovis, ac villicum. Varro, qui sunt introrsus, atque in intimis penetralibus cœli deos esse censet, quos loquimur, nec eorum numerum, nec nomina sciri. Hos Consentes, et Complices Ethrusci aiunt, et nominant, quod una oriantur, et occidant una: sex mares, et totidem fœminas nominibus ignotis, et miserationis parcissimæ: sed eos summi Jovis consiliarios, ac

COMMENTARIUS.

ad p. 16. Et Servius ad Virgil. Georg., III, vers. 1.: *Pales autem dea est pabuli, quam alii Vestam, alii matrem deum vocant. Hanc Virgilius genere feminino appellat; alii, inter quos Varro, masculino genere, ut hic Pales.* Conf. C. Barth. ad Statii Theb. VI, vers 111, vol. III, pag. 386. ORELL.

Vulgaritas. Idem quod vulgus. Vocabulum Arnobio proprium, ut observat Gesnerus in Thesauro. Sic infra *popularis vulgaritas.* ORELL.

Deos esse censet quos loquimur, etc. Verba illa, *quos loquimur*, antiquum aliquid occultare visa sunt. Nisi vererer longius discedere a lectione vulgari, scriberem: *Deos esse censet Selectos*, etc. Augustinus, de Civ. Dei, lib. IV, cap. 23: *Quis enim ferat* (inquit), *quod neque inter deos Consentes, quos dicunt in consilium Jovis adhiberi, nec inter deos, quos Selectos vocant, Felicitas constituta est.* Idem, libro VII, cap. 29, eorumdem Selectorum commeminit ex Varrone. STEWECH. — Mihi verba *quos loquimur* nihil aliud significare videntur, quam *quos modo diximus*, scil. deos Penates. ORELL.

Hos Consentes et Complices Etrusci aiunt. De his *Complicibus diis* nihil legi. Et existimavi aliquando, glossema esse hoc loco: ut imperitus aliquis *Consentes* interpretari voluerit Complices, quasi scil. ejusdem criminis conscios. Isidorus in Glossis: *Complex, qui in uno peccato vel crimine alteri est applicatus ad malum: ad bonum vero numquam dicitur.* Prudentius in agone Romani:

Qui differo, inquit ille, utrosque perdere,
Puerum ac magistrum, complices sectæ impiæ?

Sed quod addit Arnobius: *quod una oriantur et occidant una*, lectionem confirmare videtur, ut sint scil. *complices* quasi simul conjuncti et arctissimis vinculis colligati. *Consentes* autem dicti potius, quod essent summi Jovis consiliarii, quod adjicit: *Nempe quia consere* συμβουλεύειν. Unde et deus Consus. HERALD. — V. *Complices* adversus Heraldum illam tamquam glossema librarii expungere volentem defendit Nourrius, pag. 456, explicans *arctissime conjunctos, arctissimis nodis colligatos*, quo sensu Ambrosius, de Offic. Ministr., lib. III, cap. 14. *Complex*, inquit, *honestatis est semper utilitas et utilitatis honestas.* — De diis Consentibus difficilis quæstio. Equidem illustrationis causa afferam, quæ habet Scipio Maffeus in Museo Veronensi, pag. 237, ad partes vocatis observatis Stewechii ad nostri lib. V, cap. 18, et additis meis etiam qualibuscumque. « Consentes dii (scribit Maffeus) quinam essent, non in aperto est. Arnobii verba, quæ de iis tamquam decretoria adducuntur, qui explicarit, erit mihi magnus Apollo. Varro (de Ling. Lat. lib. VII, pag. 121, ed. Bipont.): *Populus dicit: Dii Penates, dii Consentes.* Communiter pro majorum gentium diis accipiuntur, quos Græci *duodecim* vocant, θεοὺς δώδεκα καλουμένους. Μὰ τοὺς δώδεκα, Aristophanes in Equitibus. Sed illorum nota sunt nomina. » Ex disticho illo Enniano, conservato a Martiano Capella de Nupt. Philol., lib. I, pag. 26, ed. Bern. et Apuleio de Dæmon. Socr.:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo.

cum quo consentit etiam Kalendarium rusticum marmoreum Farnesianum, ubi singulis anni mensibus iidem dii tutelares adscribuntur, Juno videlicet januario, Neptunus februario, Minerva martio, Venus aprili, Apollo maio, Mercurius junio, Jupiter julio, Ceres augusto, Vulcanus septembri, Mars octobri, Diana novembri, decembri Vesta. «Arnobius contra dicit: eorum nec numerum, nec nomina sciri. Hinc Martianus l. l.: *post ipsum Jovem dii Consentes;* et D. Augustinus (de Civ. Dei, libr. IV, cap. 23): *Deos Consentes, quos dicunt in consilium Jovis adhiberi.*» Hæc Maffeus. Ambigitur autem apud veteres de numero deorum Consentum. Duodecim cum Jove statuunt Marcianus Capella l. l., Plautus in Epidico:

Si undecim deos præter sese adducat Juppiter.

et alii. At vero Ovidius, Met., VI, vs. 72:

Bis sex cœlestes, medio Jove, sedibus altis
Augusta gravitate sedent.

et Seneca, Quæst. nat., lib. II, cap. 41: *Duodecim enim deos advocat* (Jupiter): duodecim excepto Jove præside, adeoque in toto tredecim statuunt. Interpretes itaque dissensum hunc conciliare conantes decimum tertium, addunt alii Bacchum, alii Cupidinem, alii Cybelen deorum matrem. Incerta itaque hæc omnia et arbitraria. Plura de diis Consentibus discere qui voluerit, adeat L. Vivem ad Augustini, l. l.; Columnam, ad Ennii Fragmenta, p. 264 (164 seq. ed. Hessel.), Salmas., ad Script. Hist. August., vol. I, p. 141, seq.; Burmann., ad Ovid., Met., I, vers. 167, et præ cæteris G. d'Arnaud in libello de Diis παρέδροις; qui autem Arnobii locum classicum plane ignorasse videtur. ORELL.

Quod una oriantur et occidant. Sensum verbis reddemus legentes: *Una erigantur et adsideant una.* Sed *oriantur* quoque retineri potest. Nam Pompeius Festus: *Oriri .... nasci vel surgere*, et apud Velium Longum de Orthogr. *Oriens Consul* idem est ac surgens. Bene ergo se habet, quod Jovis Consiliarii una oriantur et assideant una. Ea propter *Consentes*, hoc est consentientes et concordes, seu considentes. MAFFEUS *in Museo Veron., p. l.* — Equidem non ausim aliquid mutare. Fundus forsitan hujus commenti planetarum ortus et occasus, adeoque omnibus duodecim attributum, quod paucis tantum convenit. ORELL.

Sex mares et totidem feminas. Cum Arnobio consentit etiam Varro de Re rust., lib. I, cap. 1: *Prius invocabo eos: nec, ut Homerus et Ennius, Musas, sed XII deos Consentes: neque tamen eos urbanos, quorum imagines ad forum auratæ stant, sex mares et feminæ totidem, sed illos XII deos, qui maxime agricolarum duces sunt.* Ubi vide Schneider. V. Cl. Not., p. 245, etiam nostrum locum citantem. ORELL.

Et miserationis parcissimæ. Verba difficillima, quæ mirum in modum torserunt interpretes. Gelenius mutandi libidini indulgens refingit: *nationis barbarissimæ*, quod tuetur A. Delrio in Syntagm. Tragœd. lat., P. III, p. 377, putans, Samothracas sic vocari, unde orti Phryges, qui proprie barbari. Fulv. Ursinus: *memorationis parcissimæ*, quod nihil aliud significare potest, nisi quorum rara tantum mentio fit, consideratione parum digni, numerus, non dii, si cum Jove compararentur. Jos. Scaliger: *viscerationis parcissimæ*, cum quo consentit Meursius legens: *viscerationis parvissimæ* (quem superlativum usurpat Lucretius, lib. I, vers. 609). *Dii* itaque *viscerationis parvissimæ* vel *parcissimæ* essent dii parcis tantum mactandi victimis, hostiis. *Visceratio* enim est epulum, quod ex visceribus, id est carnibus immolatarum hostiarum, inter sacricolas agitabatur, quale describit Virgilius, Æn. VIII, 179, seqq. Vide Salmas., ad Solin., p. 55. Hinc hoc loco sensu insolentiore, ut pars pro toto, de ipsis sacrificiis. Sed (pace virorum doctissimorum dixerim) equidem persuaderi minime possum, super-

principes existimari. Nec defuerunt, qui scriberent Jovem, Junonem ac Minervam, deos penates existere, sine quibus vivere ac sapere nequeamus, sed qui penitus nos regant ratione, calore, ac spiritu. Ut videtis, et hic quoque nihil concinens dicitur, nihil una pronuntiatione finitur : nec est aliquid fidum, quo insistere mens possit veritati suæ proxima suspicione conjiciens. Ita enim labant sententiæ, alteraque opinio ab altera convellitur, ut aut nihil ex omnibus verum sit : aut si ab aliquo dicitur, tot rerum diversitatibus nesciatur.

XLI. Possumus, si videtur, summatim aliquid et de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum deos esse, ex eo quod Græci vicos cognominant lauras. In diversis Nigidius scriptis modo tectorum domuumque custodes, modo Curetas illos, qui occultasse perhibentur Jovis æribus aliquando

COMMENTARIUS.

stitionum matrem Etruriam cæteris majorum gentium diis parcis tantum et raris litandum hostiis censuisse. Codicis lectio, *miserationis parcissimæ*, defendi quodammodo possit, ut significet duros deos et inhumanos, parum misericordes, precibus ac sacrificiis difficulter flectendos. Verum et hoc male consonat cum præcedentibus. Dubius et incertus de vera lectione statuenda, audeo tamen triplicem conjecturam eruditorum judicio proponere. Aut enim levissima mutatione, una tantum litterula elisa, legendum : *miserationis parissimæ*, id est æqualiter affectos erga humanum genus, eamdem rerum humanarum curam gerentes. Superlativus *parissimus* invenitur apud Plautum Curc., act. IV, scen. II, vers. 20, et A. Gell., xx, cap. 1 : *Parissima talio*. Quidni etiam apud diligentissimum antiquitatis imitatorem Arnobium? Aut legendum : *Viscerationis parissimæ*, quod significat deos æquales honoris gradu adeoque iisdem vel æque magnis sacrificiis mactandos, quod apprime conveniret cum præcedentibus : *Consentes et Complices .... quod una oriantur et occidant*. Vel tandem, si retinere velimus *parcissimæ*, legendum videtur : *moderationis parcissimæ*, i. e. deos nullius fere rei curam habentes, quibus in paucissimas res imperium commissum est, sed puros putos Jovis consiliarios, nimirum ex sententia Etruscorum. *Moderatio* pro imperio, gubernatione legitur ap. Ciceronem, de Nat. deor., III, cap. 35 : *Mundi divina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum et malorum*. At judicent doctiores. ORELL.

Summi Jovis consiliarios ac principes. Id est senatores, ut eos etiam appellat Martianus Capella, de Nuptiis Philologiæ, lib. I, l. l. HERALD.

Nec defuerunt, qui scriberent Jovem, Junonem ac Minervam deos Penates existere. Macrobius, lib. III, Saturnal., cap. 4 : *Varro humanarum secundo Dardanum refert deos Penates ex Samothrace in Phrygiam et Ænean ex Troja in Italiam detulisse. Qui sint autem dii penates, in libro quidem memorato Varro non exprimit : sed qui diligentius eruunt veritatem, penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus : esse autem medium æthera Jovem, Junonem vero imum aera cum terra, et Minervam summum ætheris cacumen : et argumento utuntur, quod Tarquinius, Demarati Corinthii filius, Samothracicis religionibus mystice imbutus, uno templo ac sub eodem tecto numina memorata conjunxit*. HERALD. — Conf. Serv. ad Æn. III, 12. ORELL.

Et hic quoque nihil concinens dicitur. Delirarunt correctores nugivenduli, (Gelenius) qui edendum curarunt *continens*, cum in membranis sit *concinens*, et ita eodem verbo Cicero usus non semel, qui ait (de Nat. deor., II, 8) : *partes mundi inter se concinentes*. Iterum alibi (de Fin., v, 28) : *Videsne, ut hæc concinant?* hoc est quadrent, conveniant. Martianus Capella, lib. II Nuptiarum : *Ergo* (inquit) *prædictorum nominum numerus concinebat*. Glossæ nostræ Manuscriptæ : *concinens, consonans*. STEWECH.—Ita jam Grotius ap. Meursium. Eodem sensu et Græcorum συνᾴδειν. Vide Herald., ad Minuc. Fel. Octav., cap. 1, pag. 5, ed. Gronov. ORELL.

Nihil una pronuntiatione finitur. Magis placet Fulv. Ursini conjectura : *finitum*, ut referatur ad præcedentia : *nihil concinens dicitur*. ORELL.

Nec est aliquid fidum, quo insistere mens possit. Idem Fulvius mavult : *Nec est aliquid solidum*, etc. Sed *fidus* eodem sensu, verbi causa Virgil., Æn., II, 281 :

. . . . . . Spes o fidissima Teucrum.

ubi alii legunt ; *fortissima*, alii : *firmissima*, male. ORELL.

XLI. — *Quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum deos esse*. Lares existimabant esse locorum quasi proprios genios, et singulis familiis ac domibus proprie assignatos. Quare Priscianus et Philoxenus *Lares* interpretantur θεοὺς κατοικιδίους : quos τοὺς κατ' οἰκίαν ἥρωας appellat Dionysius Halicarn., lib. IV. Ausonius Technopægnio :

Nec Genius domuum, Larunda progenitus Lar.

Quare et vicorum et itinerum eosdem deos existimabant : unde *viales Lares* apud Plautum in Mercatore. Idcirco et in compitis fixi etiam Lares, et ibidem culti, ac Compitales appellati. HERALD. — Sueton. August., cap. 31 : *Compitales Lares ornare bis anno instituit*. Inscriptio vetus :

FORTUNÆ REDUCI
LARI VIALI
ROMÆ ÆTERNÆ
Q. AXIUS ÆLIAN. ELMENH.

Conf. A. Delrio, in Synt. Trag. lat., P. III, p. 374. ORELL.

Ex eo, quod Græci vicos cognominant lauras. Fulv. Ursinus præfert græcam vocem λαύρας. Vide Polluc., Onomast. lib. IX, cap. 5, Segm. 38, pag. 1002, ed. Hemsterh. ORELL.

Tectorum domuumque custodes. Unde *genii domuum* Ausonio dicti, ut observabamus modo. Et quia custodes et quasi præsides domuum erant, idcirco pellibus caninis velati stabant, unaque adstabat iis animal φυλακτικόν : atque ita statuti Lares *Præstites* dicebantur, quasi προεστῶτες, ait Plutarchus, melius quam Ovidius, Fast., lib. V :

Causa tamen positi fuerat cognominis illis,
Quod præstant oculis omnia tuta suis. HERALD.

Inscriptio vetus p. 106. (Gruteri) :

LARIBUS
PRO SALUTE ET INCOLUMITATE DOMUS
Q. SERTORII.

Plaut. Aulul. Prolog. et Rudente act. IV, scen. VI. Apuleius de Deo Socratis pag. 91. ELMENHORST.

Modo Curetas illos, qui occultasse perhibentur Jovis æribus aliquando vagitum. Lucretius, lib. II, vers. 633, seqq. :

Dictæos referunt Curetas : qui Jovis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,
Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulsarent æribus æra,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Æternumque daret Matri sub pectore volnus.

vagitum, modo Digitos samothracios, quos quinque [a] indicant Græci Idæos dactylos nuncupari. Varro similiter hæsitans, nunc esse illos manes, et ideo Maniam matrem esse cognominatam Larum : nunc aerios rursus deos, et heroas pronuntiat appellari : nunc antiquorum sententias sequens larvas esse dicit Lares, quasi quosdam genios, defunctorum animas mortuorum.

XLII. Infinitum est et immensum species ire per singulas, atque ipsis facere promptum libris, nullum esse a vobis Deum, neque existimatum, neque creditum, de quo ambiguas, discrepantesque sententias opinionum mille varietatibus non prompseritis. Sed brevitatis et fastidii causa satis est dixisse, quæ dicta B sunt : et est operosum nimis coacervare [b] in unum multa, cum ex uno et ex altero manifestum fiat, et pateat, labare, nec quidquam vos certi [c] de his rebus quas asseritis dicere [d] : nisi forte dicetis, etiamsi personaliter ignoramus, qui sunt Lares, qui Novensiles, qui Penates, esse illos tamen consensione ipsa vindicante auctorum, et in numeris cælitum formam sui generis obtinere. Et quemadmodum poterit an sit Deus aliquis sciri, si ignorabitur et nescietur quid sit? aut postulatio ipsa beneficiorum valere, si exploratum non erit, non certum, quis ad quamque debeat consultationem [e] vocari? Omnis enim, qui quærit alicujus numinis impetrare responsum, debet necessario scire, cui supplicet, quem imploret, a quo

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quosque *Fulv. male.*
[b] Coadunare *ms.*
[c] Certe *ms. male.*
[d] *Sic. ms et Sub.* Scire *alii.*
[e] Consolationem *ms. male.*

COMMENTARIUS.

Ovidius, lib. IV Fastorum, vers. 207, seqq. Lactantius, lib. I, cap. 21. Minucius Octavio, Cyprianus de Idolis, Hygin., Fab. 139. ELMENH. — Festus : *æribus pluraliter ab ære, id est æramento, dixit Cato.* Vide Charisium, lib. I. Phocam de Heteroclitis. Priscian., lib. VII, et Meursium. ORELL.

Modo Digitos samothracios. Hæc est optima Codicis msti. lectio pro eo quod antea edebatur *Indigetes samothracios*, merito in textum revocata a Salmasio, in ed. Lugd. Bat., et ad Solin., cap. II, pag. 46. Nam sic Latini verterunt Δακτύλους Ἰδαίους. Idem vocabulum ex ejusdem Salmasii sententia restituendum etiam Ciceroni, de Nat. deor., lib. III, cap. 16, ubi pro *Idæis Dactylis* vel *Idæis indigenis*, quod alii habent, rescribendum : *Idæis Digitis*, quod secuti etiam Jo. Davisius et Ernesti. Cæterum cum nostro consentit etiam Macrobius Saturn., lib. III, cap. 4 : *Cassius Hemina dicit, Samothracas deos, eosdemque Romanorum Penates, proprie dici θεοὺς μεγάλους, θεοὺς χρηστοὺς, θεοὺς δυνατοὺς*, etc. De illorum deorum cultu multus est illustr. Sainte-Croix : *Ueber die alten Mysterien*, a Lenzio versus, lib. II, cap. 1, 2 et 3 : « Opinor, hos a Prænestinis Digitos sive Digitios vocatos, quod viam quasi digito viatoribus indicarent. Fortassis etiam digito protenso sculpebantur, quemadmodum nunc etiam multæ provinciæ in viis ambiguis crucibus aut cippis manus ferreas vel ligneas affigunt, indice extento iter viarum dirigentes. » Hæc et plura alia M. A. Delrio, qui de Diis Laribus multus est in Syntagm. Tragœdiæ latinæ, part. III, pag. 373 et seqq. ORELL.

Quos quinque indicant Græci Idæos Dactylos nuncupari. Proba lectio : nec scio, quid sibi vellent ii, qui pro *quinque* reponi volebant *quosque* (ut Fulv. Ursinus). Julius Pollux (Onomast., lib. II, cap. 4, Segm. 156) : καὶ τοὺς Ἰδαίους δακτύλους κεκλῆσθαι λέγουσιν· οἱ μὲν κατὰ τὸν ἀριθμὸν, ὅτι πέντε, οἱ δὲ κατὰ τὸ τῇ Ῥέᾳ πάνυ ὑπουργεῖν, ὅτι καὶ οἱ τῆς χειρὸς δάκτυλοι τεχνῖταί τε καὶ πάντων ἐργάται. HERALD.—Conf. Is. Casaubon. ad Athenæum, lib. I, cap. 5, pag. 20. ORELL.— Lucian., V, pag. 455. OCHSNER.

Nunc esse illos Manes, et ideo Maniam matrem esse cognominatam Larum. Macrob.., lib. I, Saturn., cap. VII : *Ludi per urbem in compitis agebantur, restituti scilicet a Tarquinio Superbo, Laribus ac Maniæ, ex responso Apollinis : quo præceptum est, ut pro capitibus supplicaretur, idque aliquandiu observatum, ut pro familiarum sospitate pueri mactarentur Maniæ deæ, matri Larum*, etc. *Mater Mania* etiam dicitur Marciano Cappellæ de Nupt. Philol., lib. II, pag. 65, ed. Bern. ORELL.

Larvas esse dicit Lares, quasi quosdam genios, et functorum animas mortuorum. Τὸ *animas* suspicor esse glossema et interpretamentum τοῦ *genios*. Hac de re Apuleius libro de deo Socratis : *Ut secundo signatu species dæmonum sit, animus humanus exutus et liber stipendiis vitæ corpore suo abjuratis. Hunc vetere latina lingua reperio Lemurem dictitatum. Ex hisce ergo Lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus, pacato et quieto numine domum possidet. Lar dicitur familiaris. Qui vero propter adversa vitæ merita nullis bonis sedibus in terra vagatione ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum noxium malis, hunc plerique Larvam nuncupant. Hos animales deos* appellabant. Servius ad III. Æneid. (vers. 168) : *Labeo in libris, qui appellantur de Diis, quibus origo animalis est, ait esse quædam sacra, quibus animæ humanæ vertantur in deos, qui appellantur* C *animales, quod de animis fiant.* HERALD.—Cum Apuleio consentit etiam Martianus Capella, de Nupt. Philol., lib. II, pag. 65, ed. Bernens., addens : *Manes ἀγαθοὺς καὶ κακοὺς δαίμονας memorat graia discretio.*—*Et functorum* est e correctione Stewechii. Cod. ms. habet *effunctorum*, vitiose : unde Gelenius fecit *defunctorum*. P. Burmann., II, ad Antholog. lat., lib. IV, Epigr. 394, vol. II, pag. 285, mavult v. *Mortuorum* tamquam glossema delere, cum *functus* absolute pro *defunctus* sæpissime legatur, verbi causa ap. Prudent., Hymn. X; Peristeph. V. 1081 :

> Functum deinde cum reliquit spiritus,
> Et ad sepulcrum pompa fertur funeris.

et Claudian., Epigr. XLVIII, 20 :

> Elapsasque animas in corpora functa reducis,
> Et vitam remeare jubes.

Cui equidem prorsus assentior. Canterus utramque D vocem, *animas mortuorum*, delendam censet. ORELL.

XLII. — *De quo ambiguas discrepantesque sententias, opinionum mille varietatibus non prompseritis.* Ed. Lugd. Bat. *non* posuit ante *ambiguas*. Sed vulgatum convenientius videtur stylo Arnobii. ORELL.

Personaliter ignoramus qui sunt Lares. Id est *personas, vera nomina ignoramus Larum*, etc. Hujus significationis adverbii *personaliter* aliud exemplum desiderat etiam Borrichius in Cogitatt., pag., 191. Alias adhibetur hoc vocabulum apud scriptores mediæ et infimæ latinitatis in stylo curiæ pro *coram*, *per se*, *non alium*. A. Gellio, lib. XV, cap. 13 : *Personaliter est per personas.* ORELL.

Esse illos tamen consensione ipsa vindicante auctorum. Sic edidi ex emendatione Salmasii. Cæteri : *Esse illos tamen, consensio ipsa vindicat auctorum*, quod tolerari quidem possit, ut sit oratio directa. Sed Salmasii lectio multo concinnior. ORELL.

Et in numeris cœlitum formam sui generis obtinere,

rebus auxilia et necessitatibus exposcat humanis : maxime cum vos ipsi, et non omnes omnia deos posse præstare, et dissimilibus ritibus singulorum animos referatis offensionesque placari.

XLIII. Etenim si hic atram, ille albam desiderat pellem, huic capite velato, illi sacrificandum est nudo, de matrimoniis ille consulitur, hic medelas incommoditatibus præstat, interesse non potest nihil, an sit ille Novensilis, an ille, cum ignoratio rerum, et personarum confusio deos offendat, cogat et necessario piaculum contrahi? Finge enim me ipsum incommoditatis alicujus et declinandi periculi causa horum cuipiam numinum supplicare dicentem : Adeste, adestote, dii Penates, tu Apollo, tuque Neptune, omniaque hæc mala, quibus uror, torreor, vexor, vestri numinis averruncate clementia : eritne spes aliqua referendæ ab his opis, si Ceres, Pales, For- B

A tuna, Jovialis aut Genius, non Neptunus et Apollo Penates dii erunt? aut si Curetas pro Laribus invocaro, quos Digitos Samothracios pars vestrorum asseverat auctorum, quemadmodum his potero auxiliatoribus et propitiis uti, cum neque his sua, et aliena illis imposuero cognomina [a]? Usque adeo res exigit propriatim deos scire, nec ambigere, nec dubitare de uniuscujusque vi, nomine; ut si alienis ritibus et appellationibus fuerint invocati, et aures habeant structas, et piaculis nos teneant inexpiabilibus obligatos.

XLIV. Quare si vobis liquet, in sublimibus palatiis cœli habitare, consistere multitudinem istam, quam enumeratis deorum, in unius proloquii finibus convenit vos stare : nec per varias distractos repugnantesque sententias fidem ipsis rebus, quas struitis, derogare. Si Janus est, Janus sit; si Liber est, Liber

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nomina *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Ἐν τοῖς τάγμασι τῶν οὐρανίων. Vel alludit hellenismum. HERALD.

Non omnes omnia deos posse præstare. Vocem *præstare* abesse posse arbitror. Virgilius : *Non omnia possumus omnes.* STEWECH. Sed tales abundantias amat Arnobius. ORELL.

Singulorum animos referatis offensionesque placari. *Animos*, hoc est, iracundiam. Sic infra lib. VII : *Sacrificia superis ea diis fieri de causa, ut iras atque animos ponant*, et *animos canum* dicit Apuleius, Met. VIII, pag. 554, ed. Oudendorp. Vide C. Barth., Advers., lib. XXXIII, cap. 22, pag. 1513. Conf. Savaro ad Sidon., carm. VII, pag. 82. ORELL.

XLIII. — *Etenim si hic atram, ille albam desiderat pellem.* Diis enim superis albæ, inferis nigræ aut furvæ hostiæ solebant offerri. Quæ res notissima. Vide scholiast., ad Horat. III, Od. VIII, et Serv., ad Æn. VI, 244. ORELL.

Huic capite velato, illi sacrificandum est nudo. Deos salutantes velato erant capite, ne qua hostilis et infausta facies occurreret et omina turbaret (vide Virgil., Æn., III, 405, seqq.), exceptis tamen Saturno et Hercule, quibus aperto capite sacra faciebant : testibus Festo, v. *Saturno* (ubi vid. intpp.), Macrobio, Sat., l. III, c. 6; Serv., ad Æn., l. I. HERALD. et HELMENH.

De matrimoniis ille consulitur. Etsi matrimoniis sui præsides erant, Apollinem tamen adibant, oraculum ejus scitaturi, si quando matrimonium contracturi erant : aut augures, aruspices, cæterosque vanos Apollinis sequaces consulebant. Apuleius Milesia, II : *Nam et Corinthi nunc apud nos passim Chaldæus quidam hospes miris totam civitatem responsis turbulentat, et arcana fatorum stipibus emerendis edicit : qui dies copulam nuptialem affirmet : qui fundamenta mœnium perpetuet*, etc. Docet etiam Aristophanes nonnisi consultis avibus contracta matrimonia. Sic enim apud eum Aves :

Ἐσμὲν δ' ὑμῖν Ἄμμων, Δελφοί, Δωδώνη, Φοῖβος Ἀπόλλων.
Ἐλθόντες γὰρ πρῶτον ἐπ' ὄρνεις, οὕτω πρὸς ἅπαντα τρέπεσθε
Πρός τ' ἐμπορίαν καὶ πρὸς βιότου κτῆσιν καὶ πρὸς γάμον ἀνδρός.

Hinc et M. Tullius, de Divin., l. I, c. 46 : *L. Flaccum flaminem ego audivi cum diceret, Cæciliam Metelli, cum vellet sororis suæ filiam in matrimonium collocare, exisse in quoddam sacellum ominis capiendi causa, quod fieri more veterum solebat.* HERALD.

Adeste, adestote, dii Penates. Servius ad Æn. VIII : *Sic vocatur in precibus Tyberinus : Adesto, Tyberine, cum tuis undis.* Unde dii *præsentes* et *propitii*. HERALD.— Conf. B. Brisson., de Form., l. I, p. 70, sq. ELMENH.

Uror, torreor, vexor. *Torreor* est ex emendatione Ob. Gifanii probata a Th. Cantero et cæteris editoribus. Cod. ms., *terreor*. Pro *vexor* Stewechius mavult *versor*, adducens Jan. Guilielm. Quæst. Plaut., ad Persam, c. 4, qui de hoc verbo multus est. Sed nihil mutandum. Similiter enim Hieronymus Proœm. in Habacuc. : *Si ægrotus et æstuans febribus aquam frigidam postulet, et dicat ad medicum : vim patior, uror, examinor*, quem locum citavit Elmenh. *Versari* C autem, ut Guil. ostendit, proprie de piscibus, qui versantur, cum coquuntur. ORELL.

Quos digitos Samothracios. Et hic *digitos* revocavit Stewechius et editor Lugd. Bat., e ms. Vide supra, c. 41. ORELL.

Usque adeo res exigit propriatim deos scire. Lucretius (quem auctor noster in deliciis habet) *propritim* dicit, quod etiam malim; sed nihil temere mutandum sentio. TH. CANTER. — Locus Lucretii exstat, l. II, v. 974 :

Quid? Genus humanum propritim de quibu' factum 'st.

Ubi autem Lambinus, nostrum locum adducens, edidit et in notis defendit *propriatim* vel *proprietim*, id est proprie. *Propriatim deos scire* est itaque *scire quinam proprie dii sint.* ORELL.

Aures habeant structas. Idem quod obstructas, cujus significationis aliud mihi exemplum non succurrit : Annon legendum surdas? ORELL.

XLIV. — *In unius proloquii finibus convenit vos* D *stare.* Infra, l. V, c. 3 : *Imperfecta adhuc vox est, neque plena proloquii circumscriptave sententia.* Et eodem libro, c. 37 : *Hoc iterum video communibus in proloquiis promptum.* Gellius, Noct. Att., l. XVI, c. 8 : *M. Varro in libro de Lingua latina ad Ciceronem quarto vicesimo expeditissime ita finit : Proloquium est sententia, in qua nihil desideratur..... Exempli causa : Annibal Pœnus fuit : Scipio Numantiam delevit : Milo cædis damnatus est : neque bonum est voluptas neque malum : et omnino, quicquid ita dicitur plena atque perfecta verborum sententia, ut id necesse sit aut verum aut falsum esse, id a dialecticis* ἀξίωμα *appellatum est, a M. Varrone, sicut dixi, proloquium, a M. autem Cicerone* (Tusc., I, c. VII) *pronuntiatum. Quo ille tamen vocabulo tantisper uti se attestatus est, quoad melius*, inquit, *invenero.* Conf. C. Barth., Adversar., l. IV, c. 13, p. 2610. Conf. ejusd. Glossarium in Claudian. Mamert., de Statu animæ. ORELL.

Fidem ipsis rebus, quas struitis, derogare. Ita La-

sit; si Summanus, Summanus sit; hoc est enim considere, hoc tenere, exploratæ in rei cognitione A defigi, non more cæcorum atque errantium dicere: Novensiles Musæ sunt, Trebiani quinimmo dii sunt, immo novenarius numerus, subversarum potius vel urbium præsides, et in id periculum ducere res tantas, ut dum alios tollitis et repositis alios, possit jure de cunctis, an sint ulla in parte, dubitari.

COMMENTARIUS.

ctant. Epitom., c. 50: *Nam si non fecerit, præceptis suis fidem derogabit.* Ubi vide Bunemann., qui locutionem *fidem derogare* pluribus exemplis illustrat, p. 1290. Pro *struitis* Meursius mavult *adstruitis.* ORELL.

Si Summanus. Martianus Capella, de Nupt. Philol., l. II, p. 65, ed. Bern.: *Pluto..... qui etiam Summanus dicitur, quasi summus Manium.* ORELL.

Exploratæ in rei cognitione defigi. Secutus sum emendationem Meursii. Alii: *Explorate..... defigi.* quod num latine dici possit, equidem valde addubito. Dicitur quidem *constanter, firmiter, alicui rei defigi* vel *adhærere,* non autem *explorate.* ORELL.

Trebiani quinimmo dii sunt. Supra, cap. 38: *Piso deos esse credit novem in Sabinis apud Trebiam constitutos.* Nihil igitur mutandum. HERALD. — Male igitur Th. Canterus: *Trebianis.* ORELL.

Subversarum potius vel urbium præsides. Vel addidit editor Lugd. Bat. incertum an ex Cod. ms. an ex ingenio, tantum ad vim orationis augendam. Est autem trajectio familiaris Arnobio pro *vel potius subversarum urbium præsides.* ORELL.

Et in id periculum ducere. Alii *adducere;* editor Lugd. Bat. *perducere,* quod e cod. ms. fluxit, teste B Meursio in Append. ORELL.

LIBER QUARTUS.

INDEX CAPITUM.

I. Interrogare vos libet, ipsosque ante omnia romanos dominos rerum ac principes, utrumne [a] existimatis Pietatem, Concordiam, Salutem, Honorem, Virtutem, Felicitatem, cæteraque hujusmodi nomina, quibus aras videmus a vobis cum magnificis exædificatas delubris, vim habere divinam, cœlique in regionibus degere? aut, ut assolet, dicis causa ex eo, quod optamus et volumus bona ista nobis contin- A gere, superorum retuleritis in censum? Nam si verba existimantes hæc cassa, et nullius substantiæ nomina, divinis tamen religionibus consecratis, erit vobis videndum, utrumne istud puerile sit ludicrum, an vestrorum numinum delusionem spectans, quibus coæquatis et adjungitis inanium figmenta verborum? Sin autem ex animi certiore sententia deos esse et hæc rati, templis et pulvinaribus onerastis, insci-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Verumne *ms.* male.

COMMENTARIUS.

I. — *Pietatem.* Lactant., lib. I, cap. 20. Inscriptiones veteres (Gruteri), pag. 86. ELMENH. — Celebris est paucisque incognita, sive plebeiæ, sive ingenuæ, quæ matrem suam (Valer. Max., lib. II, B cap. 5, § 7), aut, ut alii tradunt, suum patrem in carcere constitutum, ne inedia conficeretur, lacte suo aluit. Narrat autem Plinius, Hist. Nat., lib. II, cap. 36, ac post illum Solinus (cap. 1), in facti hujus memoriam conditum eodem in carcere, C. Quinctio et M. Acilio consulibus, Pietatis templum, ubi theatrum Marcelli erat. Nec desunt, qui existiment, illud ipsum esse, quod Marcus Acilius Glabrio, ut ait Livius, in foro olitorio positum dedicavit. NOURR., pag. 483.

Concordiam. Concordiæ Deæ meminit Augustinus, de Civ. Dei, lib. III, cap. 25; Varro, de Ling. lat., lib. IV; Martianus Capella, de Nupt. Philol., lib. II Inscript. vet., pag. 100; Plinius, Hist. Nat., lib. II, cap. 7. ELMENH. — Livio teste (lib. IX, cap. 46) a C. Flavio ædes Concordiæ consecrata fuit in area Vulcani; et (lib. XXII, cap. 33) alia, quam duumviri ad eam rem creati in arce locaverunt. Testatum etiam Cicero facit (de Nat. deor., lib. II), Cotta consule, templum Concordiæ tactum de cœlo fuisse, et C illius quoque mentio apud Dionem Cassium, lib. LXIV, et Fastis Romanorum facta est. Quamobrem canebat Ovidius Fast. IV, ante fin. :

Te quoque magnifica, Concordia, dedicat æde
Livia, quam caro præstitit illa viro.

NOURR., pag. 483.

Salutem. Vid. Augustin., de Civ. Dei, lib. III, cap. 25; Varro, lib. IV, de Ling. lat. (pag. 22, ed. Bip.), inscriptio vetus, pag. 100 (ap. Gruter.), SALUTI PERPETUÆ S. ELMENH.

Honorem. Augustin., de Civit. Dei, lib. IV, cap. 21. *Deo Honorino, ut honorarentur.* Lactant., lib. I, cap. 20; Liber Inscriptt., pag. 100; Plin., Hist. nat., lib. II, cap. 7; Plutarch., de Roman. Fortuna, pag. 318; Valer. Max., lib. I, cap. 1. ELMENH.

Virtutem. Augustin., de Civ. Dei, lib. IV, cap. 22. *Virtutem quoque deam fecerunt.* Varro, de Ling. lat., lib. IV (p. 22, ed. Bip.); Valer. Max., lib. I, cap. 1; D Lactant., lib. I, cap. 20, Inscript. vet., pag. 102; Plaut., Prolog. Amphytr. ELMENH.

Felicitatem. Augustin., de Civ. Dei, Lib. IV, cap. 18 et 33; Inscript. vet., pag. 101. ELMENH. — Equidem omnia hæc nomina litteris majoribus imprimi curavi. Arnobius enim (ut recte observat Meursius) non ut virtutum, sed ut deorum dearumque nomina ponit. ORELL.

Cæteraque hujusmodi nomina. Proba lectio. Nam ita appellat cassa nomina absque ulla substantia : quod ipse satis ostendit paulo post his verbis : *Nam si verba existimantes hæc cassa et nullius substantiæ nomina.* Falluntur ergo (Meursius, qui rescribi volunt : *numina.* HERALD.

Aut, ut assolet, dicis causa ex eo, etc. Ita Codex mstus, quam lectionem defendit Th. Canterus. *Dicis causa* fieri dicitur, quod neglecte, remisse, et eo tantum animo, ut officio functi videamur, non accurate, sed perfunctorie sit, quatenus satis sit ad vitandam reprehensionem. Hinc Varro, de Ling. latin., lib. VI. sub fin. : *Et dicis causa fiebant quædam, neque item facta, neque item dicta.* Hæc Canterus, cum quibus conferenda ea, quæ supra annotavimus ad lib. III, cap. 16. Equidem Cantero prorsus assentior, neque video, cur *dicis causa* hic locum habere non possit. Sensus est : Nomina ista, quamvis vera numina non credatis, tamen superorum retulistis in cœtum *dicis causa*, id est honoris gratia, quia bona istis significata et æstimatis, et optatis, ut vobis contingant. Sabæus et Gelenius edidere : *an ita, ut assolet dici, causa ex eo,* etc., quod aperte vitiosum est. Editor Lugd. Bat. : *an ita, ut assolet dici, causa ex eo.* Heraldus : *an ita, ut assolet dici, ex eo quod,* etc. deleta voce *causa* tanquam glossemate et interpretamento verborum *ex eo quod,* etc. Mihi autem videntur verba, *ita, ut assolet dici,* locutionem aliquam proverbialem in sequentibus præparare. Quare scribendum conjicio : *An ita, ut assolet dici, dicis causa, ex eo quod,* etc. *dici* scil. absorptum puto in codice ms. a sequentibus verbis *dicis causa.* At judicent doctiores. ORELL.

Ex eo quod optamus et volumus bona ista nobis contingere, superorum retuleritis in censum. Plures autem horum nominum consecrationis causæ a veteribus redditæ sunt, nec aliena ea, quam proponit B. Augustinus verbis Gentilium libro IV. de Civ. Dei : *Quoniam sciebant, nemini talia, nisi Deo aliquo largiente, concedi : quorum deorum nomina non inveniebant, earum rerum nominibus appellabant deos, quas ab iis sentiebant dari,* etc., *Videbant præterea pectus hominis quandoque cæca quadam et inusitata vi concitari : unde motus illos divinos existimabant.* Hanc rationem tangit M. Tullius, lib. II, de Nat. Deor. : *Tum autem res ipsa, in qua vis inest major aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur Deus, ut Fides, ut Mens,* etc. δαίμονας et θεούς Græci appellant. Sic φιλοτιμίαν κακίστην δαιμόνων appellat Euripides, et εὐλάβειαν θεῶν χρησιμωτάτην, et similia. HERALD.

An vestrorum numinum. Lego cum Meursio : *ac vestrorum numinum.* ORELL.

Divinis tamen religionibus consecratis. Ita ed Lugd. Bat. Alii : *divinis tamen in regionibus consecratis,* id est in sedibus auspicatis. Equidem hæsito utra lectio præferenda sit. ORELL.

Quibus coæquatis et adjungitis. Fulv. Ursinus mavult : *quibus coaptatis et jungitis.* ORELL.

Deos esse et hæc rati, templis, et pulvinaribus, etc. Male Meursius hæc transponit ita : *Deos esse hæc rati, et templis, et pulvinaribus,* etc. ORELL.

Onerastis. Ita Codex ms. quam lectionem a Gelenio cæterisque illum secutis editoribus temere mutatam in *honorastis* rectissime tuetur Stewechius «*Onerari* enim (inquit Jo. Vorstius in libro de Latinitate select., pag. 129, ed. M. Gesneri) non his tantum dicimur, quæ gravia et molesta, sed et quæ grata et jucunda sunt, si horum multitudo quædam sit.» Sic apposite ad nostrum locum Justinus Hist., lib. V., cap. 3. *Igitur omnibus non humanis tantum, verum et divinis eum* (Alcibiadem) *honoribus onerant.* Ubi Acidalius legendum putat : *Honorant.* Male. Tacitus, Hist. lib I, cap. 25 : *Postquam vario sermone callidos auda*

tiam nostram ut doceatis oramus, Victoria, Pax Æquitas, et cætera quæ in superioribus dicta sunt, quanam ratione, qua via intelligi possunt dii esse, atque ad superorum concilium pertinere?

II. Nos enim, nisi forte communem tollitis nobis atque eripitis sensum, nihil horum sentimus et cernimus habere vim numinis, neque in aliqua contineri sui generis forma; sed esse virtutem viri, salutem salvi, honorem honorati, victoris victoriam, concordis

A concordiam, pietatem pii, memoriam memoris: feliciter vero viventis ac sine ullis offensionibus felicitatem. Quod a vobis verissime dici ex contrariis promptum est oppositionibus [a] noscitare, infelicitate, discordia, oblivione, iniquitate [b], impietate, ignavia pectoris, et valetudine corporis minus fausta. Ut enim hæc accidunt, hominumque sunt posita in actionibus, affectibus fortuitis; ita quod illis adversum est ex qualitatibus benignioribus nominatur, in aliis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Est et oppositionibus *Fulv.*

[b] Inquietate *vitiose. Sab.*

COMMENTARIUS.

cesque cognovit, pretio et promissis onerat, data pecunia ad pertentandos plurium animos; et lib. IV, c. 13: *Laudibus immodicis onerare.* Phædr., lib. V, Fab. V, B 20: *Multis onerant laudibus.* Ubi vid Burmann., pag. 249 et seqq. Adde Drakenborch., ad Sil., lib. III, vers. 15, et Cort., ad Sallust. Jugurth., c. 12, p. 458. Sic etiam Petronius in carmine de Bello Civili, vers. 156:

> . . . . . . Et tu, Saturnia tellus,
> Armis læta meis olimque onerata triumphis.

ubi alii legunt: *ornata*, alii: *ornanda*, male. Orell.

Victoria. Vid. Varro, lib. IV, de Ling. lat.; Augustin., de Civ. Dei, lib. IV, cap. 14, 15, 17, 21; Plauti Prolog. Amphitryon., Inscript. vet., pag. 100. DEÆ VICTORIÆ S. Elmenh. Posthumius, si Livio fides (lib. X, cap. 33), *Ædem Victoriæ, quam ædilis curulis ex mulctitia pecunia faciendam curaverat, dedicavit.* Alio adhuc in libro (XXXV, 9) alias duplicis Victoriæ ædes his verbis commemorat: *Ædiculam Victoriæ virginis prope ædem Victoriæ M. Porcius Cato dedicavit, biennio postquam vovit.* Pausanias quoque C (lib. I, pag. 20) et Dionysius Halicarn., Ant. rom., lib. I, pag. 26, de Victoriæ fano loquuntur. Nos etiam alibi animadvertimus, Symmachum, cum ab imperatore Valentiniano postulasset aram Victoriæ in curia restitui, ab Ambrosio fuisse prohibitum. Nourr. pag. 484.

Pax. Vetus Inscriptio, pag. 239:

PACI. ÆTERNÆ. DOMUS. IMP. VESPASIANI. CÆSARIS. AUGUSTI. LIBERORUM. Q. EIUS. SACRUM. TRIB. SUC. IUNIOR.

Juvenal. sat. I, 115:

> Ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus. Elmenh.

Æquitas. Vetus Inscriptio pag. 76:

FORTUNÆ PRIMIG. SIGNUM. ÆQUITATIS. NIGRINA. AUXESIS. CUM. FELICE. AUG. LIB. ET SUIS. D. D. D. D. Elmenh.

Æquitatis nomine Arnobius Justitiam haud dubie D intelligit, de qua Ovidius cecinit lib. III, ex Ponto Epist. VI, vers. 23, seqq.:

> Principe nec nostro Deus est moderatior ullus;
> Justitia vires temperat ille suas.
> Nuper eam Cæsar, facto de marmore templo,
> Jam pridem posuit mentis in æde suæ.

Quidam tamen censent, nihil de eo templo apud idoneos auctores inveniri, atque idcirco poetam allusisse ad Martis ultoris ædem, quandoquidem vindicta, de qua Ovidius loquitur, pars quædam est Justitiæ. Nourr., pag. 484.

II. — *Nisi forte communem tollitis nobis atque eripitis sensum.* Cui plurimum tribuebat is, quem plurimum Arnobius imitatur, Lucretius, quippe Epicuri sectator, qui sensuum cognitionem existimabat omnium esse certissimam et tutissimam. Is igitur lib. I, 423, seqq.:

> Corpus enim per se communis deliquat esse
> Sensus; quo nisi prima fides fundata valebit,
> Haud erit, occultis de rebus quo referentes
> Confirmare animi quicquam ratione queamus. Herald.

Virtutem viri. Stewechius mavult: *virtutem virtuosi.* Male. Neque enim alia *virtus* hic intelligitur, quam virtus corporis, quam *virilitatem*, *viri vim* appelat Varro, cuique Romæ templum constitutum, quod docet oppositio *ignavia pectoris* in sequentibus verbis. Vide notam sequentem Heraldi. Orell.

Honorem honorati. Varro, de Ling. lat. lib. IV: *Honos ab honesto honore; itaque honestus dicitur quod honoratus.* Elmenh.

Ignavia pectoris. Ignaviam pectoris opponit *virtuti*, quam dixit appellari a VIRO et esse viri propriam: quibus quidem verbis declaravit virtutis acceptionem primigeniam, et eam usurpavit εἰδικῶς: cum tamen non sola fortitudo, sed et virtutes cæteræ consecratæ sint. Virtutem profecto veteres appellabant animi robur et constantiam in rebus bellicis, quod observat etiam Plutarchus in Coriolano. Unde Lucanus, lib. VI (vers 147):

> Pronus ad omne nefas, et qui nesciret, in armis
> Quam magnum crimen virtus civilibus esset.

Virtutem dixit Lucanus fortitudinem, ἀνδρείαν. Sane *Virtutem* venerabantur Romani hujus rei proprie Deam, quam alias *Bellonam* appellabant. Lactantius, lib. I, cap. 21: *Ab isto genere sacrorum non minoris insaniæ judicanda sunt......... Virtutis, quam eamdem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant.* Herald. Conf. quos citat Bunemann. ad Lactant., lib. I, pag. 140. Orell.

Ut enim hæc accidunt, hominumque sunt posita in actionibus, affectibus fortuitis. Sic legendum pro *ut enim hæc accidant, hominum quæ sunt posita in actionibus, affectibus fortuitis*, etc. Id est quemadmodum sunt hæc accidentia, quæ hominibus accidunt, et vel sunt posita et sita in hominum actionibus, ut iniquitas, ignavia pectoris, etc. vel in affectibus fortuitis, et rebus quæ fortuito contingunt; quales res sunt infelicitas, morbus, etc. Ita benigniores qualitates, Æquitas, Felicitas, etc. homini contingunt; ac postquam receptæ sunt ab eo, has suas proprias appellationes sortiuntur. Herald. — Fulv. Ursinus conj. *hominum quæ sunt posita in actionibus fortuitis*, deleto *affectibus*. Stewechius: *Hominum quæ sunt posita in actionibus effectibus fortuitis*, etc. Editor Lugd. Bat. *in actionibus ac effectibus fortuitis.* Quod non probo. Nam *affectus* pro passione, morbo apud Celsum: ut et adject. *affectus*, *a um*, pro ægroto, misero. Apuleius, Met., lib. IV, pag. 314, ed. Oudendorp. *affectæ domus triste fatum cuncta etiam civitas congemebat.* Ovid., II, Amor., El. II, *affectam amicam*, id est, ægrotam. Etiam omissio copulæ conveniens stylo Arnobio, quod supra jam aliquoties fuit observatum. Orell.

necesse est hæreat, ex quibus ita formatis figuratio ista concepta est nominum.

III. Nam quod nobis catervas ignotorum alias inducitis deorum, existimare non possumus, utrumne istud serio, atque ex rei compertæ faciatis fide: an fictionibus ludentes cassis ingeniorum lasciviatis luxu. Quod abjectis infantibus pepercit lupa non mitis, Luperca, inquit, dea est auctore appellata Varrone. Ex rerum ergo proventu, non ex vi naturæ dea ista est prodita? et postquam feros morsus immanis prohibuit bellua, et ipsa esse occœpit, et ipsius nominis significantiam traxit? aut si fuit jamdudum dea, priusquam Romulus nasceretur et frater: cujus fuerit nominis atque appellationis expromite. Præstana est, ut perhibetis, dicta, quod Quirinus in jaculi missione cunctorum præstiterit viribus; et quod Tito Tatio, B Capitolinum ut capiat [a] collem, viam pandere atque aperire permissum est: dea Panda est appellata, vel Pantica. Ante facta hæc ergo numquam fuerant numina: et nisi Romulus tenuisset teli trajectione palatium, nique Tarpeiam rupem rex Sabinus potuisset [b] accipere, nulla esset Pantica, nulla Præstana? Et si has dicitis ante sui causam fuisse cognominis, quod in priore quæsitum est capite, cujus et hæ fuerint vocaminis indicate.

IV. Pellendorum hostium dea potens Pellonia est. Quorumnam [c], nisi molestum est, edite. Confligunt partes, atque inter se cominus armorum collatione decernunt: et hæc illi est pars hostis, et illa huic hostilis: quos ergo Pellonia, cum hinc et inde pugnabitur, pellet, aut in gratiam concessura est quorum, cum utrique debeat parti sui nominis vires of-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Caperet *Fulv.*
[b] Potivisset *vel* cœpisset *Fulv.*
[c] Quorumne *Sab.*

COMMENTARIUS.

Figuratio concepta est nominum. Meursius mavult: *numinum.* Orell.

III.— *Nam quod nobis catervas ignotorum alias inducitis Deorum.* Ita primus emendavit Gelenius, sequentibus cæteris, probante etiam Heraldo in Curis II. Editio princeps romana: *catervas signatorum.* Orell.

Luperca Dea. Lactant., lib. I, cap. 20: *Romuli nutrix Lupa honoribus est affecta divinis*; Ovidius, II Fast., Lib. Inscript., pag. 105. Inscript. XI; Plutarch., in Romulo; Juvenal., sat. XI. Elmenh. — Deam Lupercam eamdem fuisse cum Acca Larentia, docet Ouzelius ad Minuc. Fel., cap. 25, pag. 257, seq., ed. Gronov. Conf. Liv., Hist. I, cap. 4. Orell.

Ex rerum ergo proventu, etc. Id est ἐκ συμβεβηκότος τοῦτο συνέβη. Sic *annonæ proventus* dixerat supra, lib. I, cap. 14, et *provenire*, lib. II: *Nec citra ejus nutum quidquam potest in rebus vel provenire vel cadere.* Herald. — *Proventus* pro successu vel etiam pro eventu simpliciter apud optimos scriptores. Ita Cæsar de Bello Gall., VII, cap. 80: *Omnium militum intenti animi pugnæ proventum expectabant*; et cap. 29: *Errare, si qui in bello omnis secundos rerum proventus expectent.* Ubi vid. Davis. et Morum in Ind. Conf. Bentlei. ad Manil., lib. I, vers. 410; Oudendorp., in Apulei. Met., lib. X, pag. 728; Bünemann, ad Lactant. Inst., lib. VI, cap. 4, § 9, pag. 715. Orell.

Ipsa esse occœpit. Verissimam hanc lectionem e cod. ms. restituit Meursius et Heraldus. Antea legebatur: *Ipsa esse hoc cœpit.* Orell.

Et ipsius nominis significantiam traxit. Glossæ: *Significantia*, Σημασία. Fabius Victorinus proœmio in lib. I Ciceronis de Inventione: *Ars est, quæ significantiam sui plenam non habet... Hæc vox generis triplicem significantiam habet.* Lactant., Inst., lib. IV, cap. 26: *Quæcumque enim passus est, non fuerunt inania, sed habuerunt figuram et significantiam magnam*; et eodem cap., § 17: *Sicut opera ejus significantiam quoque majoris potestatis habuerunt.* Herald et Elmenh. — Conf. Bünemann., ad Lactant., lib. I, pag. 535, et Mercer., ad Nonium Marcell., pag. 82. Orell.

Præstana. Hujus Deæ mentionem apud alios frustra quæsivi. Orell.

Dea Panda. Glossæ: *Panda*, εἰρήνης θεά. Elmenh. — Hujus Deæ meminit Varro in Fragmento Σκιομαχίας citato ab A. Gellio, lib. XIII, cap. 21:

> Te Anna Perenna, Panda καὶ λατὰ, Pales
> Neriones et Minerva, Fortuna ac Ceres.

Idem Varro, de Vita Pop. rom., lib. I, ap. Nonium, v. *pandere*: *Hanc Deam* (Pandam) *Ælius putat esse Cererem; sed quod in asylum qui confugisset, panis daretur, esse nomen factum a pane dando.* Vide Auson. Popm., ad lib. I. Varronis, vol. II, pag. 307 et 381, ed Bipont.: et G. J. Voss., de Idolol., lib. II, cap. 36, pag. 186. Orell. — Dionysius Halicarn., lib. II, pag. 105, meminit virginem illam, quæ ad capiendum Capitolinum collem Tito Tatio viam pandisse ferebatur, ibi sepulcri honore donatam, ubi ceciderat, redditasque illi quotannis a Romanis inferias. Nonne ergo verosimile est, eam idcirco C Pandæ seu Panticæ nomine dearum adscriptam fuisse numero? Nourr. p. 417.

Vel Pantica. Ante facta hæc ergo numquam fuerunt numina. Ita editor Lugd. Bat. Editio princeps: vel *Pantica patefacta. Et hæc ergo*, etc. vitiosissime. Gelenius delet *patefacta*. Th. Canterus interpungit: *vel Pantica. Patefacta et hæc ergo.* Stewechius: *vel Pantica et hæc ergo.* Verum *et* tanquam superfluum delet Heraldus. Cod. ms. habet: *A te facta et hæc ergo*, etc. quod manifeste pro *ante facta.* Orell.

Nique. Ita legendum cum Gelenio pro *neque*, quod antea legebatur. *Neque* esset apodosis, quæ hoc loco alienissima. Orell.

Vocaminis. Supra lib. I, cap. 3: *Gens nostra felicitate donari hujus vocaminis meruit.* Orell.

IV.— *Pellendorum hostium dea potens Pellonia est.* Augustin., de Civ. Dei, lib. IV, cap. 21: *Cum enim esset invocanda propter fessos diva Fessonia, propter hostes depellendos diva Pellonia.* Elmenh — Conf. D Voss., de Idolol., lib. VII, cap. 18, pag. 763. Orell.

Nisi molestum est. Scriptam lectionem præ vulgata auro contra redimendam censeo: *si ne molestum est. Si ne* vocibus disjunctis non minus recte dicitur, quam a Titinnio et Plauto *nevis*, *nevult*, pro non vis, non vult. *Nepurus* pro non purus apud Festum. Itidem *ne recte* ex Plauto, *ne funera* in versu Catulli interpretatus doctissimus Janus Mellerus Palmerius in suis Spicilegiis, pag. 39. *Si non* pro nisi Ciceronem, Plautum, Terentium, Cæsarem usurpasse, alias docui in gratiam juventutis. Stewech.

Aut in gratiam concessura est quorum. Id est: quibus gratiam et favorem suum accommodatura? Neque enim aliter explicari debet hæc phrasis. Nam ut *concedere* pro *cedere* accipiamus, æquum non est: quia de Pellonia heic agitur, non de Cedonia, ut ita ludam. Quare existimavi aliquando legendum: *aut in aciem concessura est quorum?* Nec me istius conjecturæ adhuc pœnitet. Herald. — Hæc sunt meræ argutiæ. Atqui in gratiam eorum concedit (id est cedit)

ficiumque præstare? Quod si utique fecerit, id est partibus si utrisque favorem ac suffragium commodarit, nominis sui vim perdet, quod partis unius in pulsione formatum est. Nisi forte dicetis, Romanorum tantum est dea hæc, et cum solis Quiritibus faciens gratiosis semper opitulationibus præsto est. Esse quidem hoc ita, quod nomini favemus, optamus; at quæstionem non exiguam res habet. Quid enim Romani deos possident peculiares, qui aliarum gentium non sint? et quemadmodum poterunt [a] dii esse, si non omnibus, quæ ubique sunt gentes, æquabilitatem sui numinis exhibebunt? et ubi quæso jamdudum Pellonia hæc fuit, cum apud Furculas Caudinas decus publicum subjugatum est? cum apud Thrasumeni lacum sanguinei cucurrere torrentes? cum Diomedis campi romanis cadaveribus aggerati sunt? cum mille alia vulnera præliorum innumeris accepta sunt cladibus? dormiebat, stertebat, aut quod vilia facere consueta sunt capita, in hostilia castra defugerat [b]?

V. Dii lævi, et lævæ, sinistrarum tantum regionum sunt præsides, et inimici partium dexterarum. Quod quanam istud ratione dicatur, quove animi sensu, neque ipsi nos assequimur, nec a vobis confidimus posse in aliquam lucem communis intelligentiæ perduci. Jam primum enim mundus ipse per se sibi neque dexteras, neque lævas, neque superas regiones, neque imas, neque anticas habet, neque posticas. Quidquid enim teres est, atque ex omni parte rotunditatis solidæ convexione conclusum, nullum habet initium, nullum finem; ubi finis, et initium nullum est, esse aliqua portio sui nominis, et initium non potest. Itaque cum dicimus [c], dextera hæc regio est, et illa læva, non ad mundi habitum dicimus qui sui simillimus totus est, sed ad positionem nostram, situmque revocamus, qui informati sic sumus, ut alia dextera, alia nobis dicantur esse læva; quæ tamen hæc ipsa quæ læva appellamus, et dextera alia, in nobis nihil habent perpetuum, nihil fixum; sed prout nos casus, atque eventus collocaverit temporis, ita nostris sumunt ab lateribus figurationes. Si orientem solem respexero, cardo mihi frigoris, et septentrio fit lævus: in quem si ora traduxero, erit mihi sinister occasus, qui ab sole posterganeus habebitur. Rursus vero si jecero plagam ad occiduam lumina, in vocabulum sinistri auster, et

LECTIONES VARIANTES.

[a] Potuerunt *Sab.*
[b] Perfugerat *alii.*
[c] Dicemus *Sab.*

COMMENTARIUS.

Pellonia, quibus favet quorumque hostes repellit. Orell.

Quod si utique fecerit. Ita edidi cum editore Lugd. Bat. Vulgo: *utrimque*, quod plane otiosum est ac superfluum, cum idem prorsus dicatur in verbis proxime cum antecedentibus, tum sequentibus, Orell.

Quod partis unius in pulsione formatum est. Sic Editor Lugd. Bat. optime. Cæteri una voce *impulsione*, quod falsum. Non enim impellendorum, id est aggrediendorum, sed pellendorum, hoc est fugandorum, hostium Dea Pellonia. Ful. Ursin.: *Ex impulsione.* Dicendum potius fuisset *e pulsione.* Sed præpositiones istas sæpissime permutari ab Arnobio supra jam ad lib. I et II. observatum est. Orell.

Apud Furculas Caudinas. Augustin., de Civ. Dei, lib. III, cap. 17: *In caudinas Furcas a Samnitibus obsessi ambo cum exercitu consules, fœdus cum eis fœdum facere coacti sunt, ita ut, equitibus romanis sexcentis obsidibus datis, cæteri, amissis armis aliisque spoliati, privatique tegminibus sub jugum hostium cum vestimentis singulis mitterentur.* Elmenh. — Historiam prolixe narrat Livius lib. IX, ab init. Orell.

Apud Thrasumeni lacum. Ita ms. Alii: *Thrasimenum.* Valerius Max., lib. I, cap. 7. *Apud lacum Thrasimenum XV millia Romanorum cæsa, VI millia capta, X millia fugata sunt.* Elmenh.

Diomedis campi. Ad Aufidum flumen, ubi Cannæ, vicus Romanorum clade nobilis. Hinc Martius vates apud Livium lib. XXV, cap. 12: *Amnem Trojugena Cannam Romane fuge, ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manus.* Conf. Fest. h. v. ibique Dacer. Orell.

V.— *Dii lævi et lævæ.* Optima hæc cod. ms. lectio nec mutanda. *Dii* scil. hoc loco deos pariter deasque comprehendunt zeugmate generis frequentissimo, ubi, cum incertus est plurium sexus, genus masculinum adhibetur potissimum, ut dignius. Vide Sanct. Minerv., lib. IV, cap. 10, pag. 718, ed. Perizon. Male itaque Stewechius: *Dii lævi, deæ lævæ.* In editione Lugd. Bat. legitur: *Dii lævia læva*, quod quid sibi velit, equidem nescire me fateor cum ignarissimis, et puto, hoc operarum esse vitium, et scriptum a doctissimo Salmasio: *Dii lævi a læva* (scil. manu.) Orell. — Fortassis legendum simpliciter: *Dii lævi.* Nam si substantivum *Dii* utrumque sexum comprehendit, quidni et adjectivum? Ochsner.

Quod quanam istud ratione dicatur. Digna phrasis quæ curiosum lectorem advertat. Abundat enim eleganter pronomen *istud.* Sic paulo post: *Quæ tamen hæc ipsa, quæ læva appellamus, et dextera alia, in nobis nihil habent perpetuum.* Hellenismus est. Lucas, Act., III, 13: Ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν ἐδόξασε τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς μὲν παρεδώκατε καὶ ἠρνήσασθε αὐτόν. Herald.

Jam primum enim mundus per se neque dexteras neque lævas, etc. Vide, qui hac de re multus est, Hadr. Jun. Animadv., lib. III, cap. 3, in J. Gruteri Lampade Crit., vol. IV, pag. 384. Elmenh.

Neque anticas neque posticas. Varro, de Ling. lat., lib. VI, pag. 81, ed. Bip.: *Cœlum qua tuimur, dictum templum. Sic: Contremuit templum magnum Jovis altitonantis. Id est (ut ait Nævius in Hemisphærio), ubi terra cærulo septum stat. Ejus templi partes quatuor: sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad occasum.* Paulo aliter Festus: *Posticum ostium dicitur in posteriore parte ædium. Cæterum antiqui etiam vicinum habitantem ad posteriorem partem ædium sic appellarunt: denique et quæ ante nos sunt, antica, et quæ post nos sunt, postica dicuntur, et dextram anticam et sinistram posticam dicimus. Sic etiam ea cœli pars, quæ sole illustratur ad meridiem, antica nuncque nominatur, quæ ad septentrionem est, postica: rursumque dividuntur in duas partes, orientem et occidentem.* Vide ibi intp. et inprimis qui de hoc verbo multus est, J. Fr. Gronov., in lect. Plaut., p. 332. Orell.

Cardo frigoris. Id est polus arcticus. Stat., Theb., VII, vers. 38:

. . . Arctoæ labentem cardine portæ. Orell.

In vocabulum sinistri Auster et Meridies transit. Ita

meridies transit; in quam si me partem necessaria temporis circumegerit ratio, fit ut oriens lævus immutata corporis conversione dicatur, qua ex re poterit facillime recognosci, neque dextera, neque læva natura esse ulla, sed positionis, temporis, et prout nostri corporis habuerit se situs rerum ad circumstantiam collocatus. Quod cum ita se habeat, quanam ratione, quo pacto sinistrarum partium dii erunt, cum easdem constiterit regiones modo dexteras fieri, modo lævas? Aut quid dexteræ meruerunt de immortalibus diis partes, ut sine ullis præsidibus degerent, quas esse faustas, et prosperis semper cum ominibus ediderunt?

VI. Lateranus, ut dicitis, deus est focorum et genius, dictusque hoc nomine, quod ex laterculis crudis ab hominibus caminorum istud exædificetur genus. Quid ergo si testa, aut materia fuerint quacumque alia fabricati foci, genios non habebunt? et ab officio

A tutelæ, quisquis iste est Lateranus, abscedet, quod regni sui possessio non luteis constructa est formis? Et quid, quæso, ut faciat, præsidatum focorum Deus iste sortitus est? Per humani generis coquinas currit, inspiciens et explorans quibusnam lignorum generibus suis ardor in foculis excitetur: habitudinem fictilibus contribuit vasculis, ne flammarum dissiliant vi victa: curat ut ad sensum palati suis cum jucunditatibus veniant rerum incorruptarum sapores, et an rite pulmenta condita sint, prægustatoris fungitur atque experitur officio. Itane istud non fœdum, quinimmo, ut verius dixerim, non contumeliosum, non impium, ad hoc tantum inducere deorum nescio quas fictiones, non quas dignis honoribus prosequare, sed quas rebus turpibus, et infami præficias actioni?

B VII. Etiamne militaris Venus castrensibus plagiis præsidet, et puerorum stupris? Etiamne Perfica una

COMMENTARIUS.

e Cod. ms. ubi legitur *Meridus transit*, locum restituerunt Stewechius et Heraldus. Cæteri: *Vocabulum sinistri Auster et Meridies trahet*. Meursius: *Trahent*. ORELL.

Neque dextera neque læva natura esse ulla. Ita Stewechius e Cod. ms. restituit. Quod miror a sequentibus editoribus neglectum voces *neque dextera* omittentibus. ORELL.

Sed positionis et temporis. Scribo: *Et temporis ratione*. Nam tale quid deest, aut scribendum sexto casu: *Positione et tempore*. MEURS., pag. 121.

C *Quas esse faustas et prosperis semper cum ominibus ediderunt*. Signate: nam *prospera omnia* et *bona omina* ἰδιώτατα. Glossæ Philoxeni: *Prosperum*, αἴσιον. *Prospere*, εὐτυχῶς, κατὰ προαίρεσιν, αἰσίως, εὐμενῶς, κατὰ γνώμην. Et *prospera nomina* appellat Plinius, quæ Cicero *bona nomina*. *Cur publicis lustris*, inquit, *etiam nomina victimas ducentium prospera eligimus?* Festus: *Prospera quædam nomina usurpabant antiqui, id est declinata, ut occurrerent fascino*. Hinc *prosper dies* et *bonus dies*. Ovidius (Fast. I, vers. 71):

Prospera lux oritur: linguis animisque favete!
Sunt dicenda bono nunc bona verba die.

Nempe *prosperum*, quod spem bonam suggerit et proponit. HERALD.—Alii: *Prosperis semper cum omnibus*. ORELL.

VI.— *Lateranus*. Hujus dei alibi nulla mentio. OR.

Dictusque hoc nomine. Ita Salmasius. Cod. ms. *adjectusque*. Gelenius, *adauctusque*. Meursius in Appendice, *adjectusque*. Scriverius, *adlectusque*. Nullum enim aliud illius Dei nomen indicatur, cui adjectum fuerit nomen Laterani. Alii: *affectusque*, quod magis placet. ORELL.

Quid ergo, si testa, etc. Crudis autem laterculis caminos sæpius exædificabant, ut etiam ostendit Plinius: quandoque etiam testis, ut non temere hoc objiciat Arnobius. Nam tubulus, quo cingebatur ἡ ὀπή, id est κάπνη, sive foramen, per quod exibat et exhalabatur fumus, erat quandoque e testa: unde ὀπαίαν κεραμίδα Græci appellabant. HERALD. In ed. Rom. legebatur *si ista;* unde Gelenius ex ingenio refinxit *si argilla*. *Testa* e cod. ms. reposuerunt Stewech. et Heraldus. ORELL.

Non luteis constructa est formis. Proprie: unde *formacei parietes*, quos describit Plinius. HERALD.

Et quid, quæso, ut faciat. Stewechius mavult: *Ecquid*, etc. Sed nil mutandum. *Et* adversativum, ut sæpius ap. nostrum. ORELL.

Coquinas. Papias: *Coquina, culina*. ELMENH.

Habitudinem fictilibus contribuit vasculis, ne flammarum dissiliant vi victa. Idem munus etiam Vulcano tributum, teste Varrone in Fragm., p. 265, ed. Bipont. *Vulcanum, nec dum novæ lagenæ ollarum frangantur, ter precatur*. Ubi vid. Auson. Popm., p. 325. ORELL.

Curat, ut ad sensum palati suis cum jucunditatibus veniant rerum incorruptarum sapores. Stewechius conj. *summis cum jucunditatibus*. Nic. Heinsius, Epist. ad J. G. Græviumn, 257, in Sylloge Burmann., vol. IV, p. 329, mavult.: *Lautis cum jucunditatibus*. Cod. ms. vitiose: *palatis cum jucunditatibus*. Sed, ut vulgatum præferam, faciunt voces: *Rerum incorruptarum*. ORELL.

Prægustatoris fungitur atque experitur officio. Atque coqui proprium hoc officium. Alias prægustatores, προγεύσται, qui apposita jam edulia prægustant, quæ consuetudo a Persarum aula alio postea traducta est. Hesychius: ἐδέατρος... προγεύστης βασιλέως, ἐπιμελητὴς δείπνου. HERALD. — Meursius elegantius quidem, sed minus ex more Arnobii talia verba, licet minus apta, conjungere amantis, totum locum sic refingit: *et, an rite pulmenta condita sint, experitur atque prægustatoris fungitur officio*. ORELL.

VII.—*Militaris Venus*. Militaris Veneris rarior apud veteres mentio. Non semel tamen Pausanias Veneris armatæ ac proinde militaris meminit, lib. II, p. 48, et lib. III, pp. 95 et 103. Nonnus quoque, ubi Venerem Marte potentiorem canit, Dionys. XXXV, vers. 175:

D Μὴ Σπάρτης ἐπίβηθι, μαχήμονες ἧχι πολῖται
Χάλκεον εἶδος ἔχουσι κορυσσομένης Ἀφροδίτης.

Conf. Lactant. Inst., lib. I, cap. 19. Denique ab Hesychio memoratur Ἔγχειος Ἀφροδίτη, Κυπρίοις. NOURR., p. 424. Etiam Venus, quasi amore sui Martis in bello auxiliari credita: unde dicta Συμμαχία, atque hoc nomine culta est a Mantinensibus, teste Pausania in Arcadicis. Hæc Vossius, de Idolol., lib. VIII, cap. 18, p. 762. ORELL.

Castrensibus plagiis præsidet. Codex ms. et Editt. vet.: *castrensibus flagitiis*. NOURR.

Perfica. Etiam hujus Deæ impuræ apud alium nulla mentio. Allegat quidem Turnebus, Advers., lib. XI, cap. 20, locum Lucretii II, vers. 1115:

Donicum ad extremum crescendi perfica finem
Omnia perduxit rerum Natura creatrix.

At ibi *perfica* est adjectivum, idem quod *perficiens*, ut explicat Nonius. Conf. Lambin. et Creech. ad Lucretii l. I. *Perficere* sensu obscœno usurpat Jul. Capi-

est e populo numinum, quæ obscœnas illas et luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffensa procedere? Etiamne Pertunda, quæ in cubiculis præsto est, virginalem scrobem effodientibus maritis? Etiamne Tutunus, cujus immanibus pudendis, horrentique fascino, vestras inequitare matronas, et auspicabile ducitis, et optatis? Quod si minime vos admonent ad intellectum veritatis res ipsæ : nec ex ipsis saltem potestis nominibus noscere inanissimæ superstitionis figmenta hæc esse, et falsorum imaginationes deorum? Putationibus arborum Puta, inquitis, præsto est, rebus petendis Peta : Deus nemo- A rum Nemestrinus est : Patellana numen est, et Patella, ex quibus una est patefactis, patefaciendis rebus altera præstituta. Nodutis dicitur Deus, quia ad nodos perducit res satas : et quæ præest frugibus ferendis, Terensis : ab erroribus viarum Dea Vibilia [a] liberat : in tutela sunt Orbonæ orbati liberis parentes : in Næniæ, quibus extrema sunt [b] tempora. Jam quæ durat et solidat infantibus parvis ossa[c], Ossilago ipsa memoratur. Mellonia Dea est pollens potensque in apibus, mellis curans custodiensque dulcedinem.

VIII. Dicite, o quæso, ut ita vobis propitiæ fa-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Vipibilia *Sab.*
[b] *Addit. ms. Omittit Sab.*
[c] Esse *ms.* ipsa *Sab.*

COMMENTARIUS.

tolinus Maximin., cap. 4, ubi vide Salmas. Script. Hist. Aug., vol. II, p. 18. Orell.

Luteas voluptates. Luteas, id est turpissimas, contemptissimas, luto viliores. Sic ap. Plautum Truculent., act. IV, scen. IV, vers. I :

Blitea et lutea est meretrix.

ubi vide intpp. Eodem sensu *stercoreus* ap. eumdem Plaut. Mil. Glor., act. II, scen. I, vers. 12 :

Miles meus herus,
Qui hinc ad forum abiit, gloriosus, impudens,
Stercoreus, plenus perjurii atque adulterii. Orell.

Pertunda. Tertullianus adversus Nationes, lib. II, cap. 11 : *Et dea Pertunda et Subigus et Prema ..... parcite dei impudentes, luctantibus sponsis nemo intervenit.* Augustin., de Civ. Dei, lib. VI, cap. 9 : *Adest enim dea Virginiensis, et deus pater Subigus, et dea mater Prema, et dea Pertunda, et Venus et Priapus*, et quæ sequuntur, obscœna sane ac turpia. Orell.

Virginalem scrobem. Ita Euripid. Phœniss., vers. 18. σπείρειν τέκνων ἄλοκα. Orell.

Tutunus. Ita e Cod. ms. edidit Salmasius in ed. Lugd. Bat. et ad Solin., cap. 26, p. 219. Alii : *Mutunus.* De fœdissimo hoc Deo vide infra ad cap. 11. Id.

Cujus immanibus pudendis, etc. Conf. Augustin., de Civ. Dei, lib. XI, cap. 9; lib. XII, cap. 24; Lactant., Inst. I, cap. 22, § 36. Elmenh. et Herald.

Quod si minime vos admonent ad intellectum veritatis res ipsæ. Sensus est : Quod si res ipsæ, id est tantæ rerum fœditates, quibus præsidere, creduntur vestri sive dii, sive deæ, si inquam, rerum ipsarum flagitia minime vos admonent ad intellectum veritatis (hoc est ad intelligendum, quænam vera vestrorum deorum sit conditio, *was an der Sache sey*; *was an euern Göttern sey*), ex ipsis saltem nominum absurditatibus potestis id nosse, etc. *Admonent*, quod habent Gelenius et Salmasius, videtur e Cod. ms. fluxisse. Fulv. Ursin. conj. *admovent*, probante Heraldo. Sed parum aut nihil refert, utro modo legamus. Meursius, locum luxatum credens, verba : *Quod si minime vos admonent ..... et falsorum imaginationes deorum*, transponenda censet in finem Capitis post verba : *mellis curans custodiensque dulcedinem.* Orell.

Puta ..... Peta ..... Nemestrinus. Horum deorum alibi nulla notitia. Vide Voss., de Idolol., p. 236. Id.

Patellana numen est et Patella. Papias : *Patellana Dea a paganis dicitur, cum folliculi messium patescunt, aut e spicis exeunt.* Elmenh. — *Patelenam* dicit Augustinus loco quem mox citabimus. Orell.

Patefaciendis rebus. Annon legendum *patefaciendis seminibus?* Nam Dea agrorum Patellana. Vide Papiæ locum modo laudatum. Orell.

Nodutis. Augustinus, de Civ. Dei., lib. IV, cap. 8: *Præfecerunt ergo Proserpinam frumentis germinantibus: geniculis nodisque culmorum deum Nodotum : involu-* B *mentis folliculorum deam Volutinam : cum folliculi patescunt, ut spica exeat, deam Patelenam; cum segetes novis aristis æquantur quia veteres æquare hostire dixerunt, deam Hostilinam : florentibus frumentis deam Floram : lactescentibus deam Lacturtiam : maturescentibus deam Maturam; cum runcantur, id est a terra auferuntur, deam Runcinam.* Cæterum varie scribitur : *Nodotus*, *Nodutus*, *Nodutis.* Orell.

Et quæ præest frugibus terendis, Terensis. Terendis pro *ferendis*, quod antea legebatur, restituit Grotius apud Meursium. Elmenhorstius et Stewechius dederunt : *et quia præest frugibus terendis, Noduterensis.* Equidem nolim aliquid definire in re incerta prorsus ac dubia. Orell.

Vibilia. Lego *Vehilia* ex conjectura. Nam *veha* veteribus Latinis *via*, teste Varrone, de Re rust., lib. C I, cap. 2. Aut certe *Venilia*, de qua est apud eumdem Varronem, de Ling. lat., lib. IV. Meurs.

Orbonæ. Plinius, Hist. nat., lib. II, cap. 7 : *Orbonæ* (fanum est) *ad ædem Larium;* ubi autem Orbona est non orborum tutatrix, sed potius dea, quæ affert orbitatem. Conjungitur enim cum morbis, pestibus, febri malaque fortuna in deorum censum relatis. Eodem sensu et Tertullianus ad Nat., lib. II, cap. 14 : *Orbonam deam, quæ in orbitatem semina extinguat.* Vide Harduin., ad Plin., l. I, pag. 72, et G. J. Vos., de Idolol., lib. VIII, cap. 17, pag. 759. Cæterum, ut bene observat Stewechius, *orbum* dixerunt veteres tam patrem qui liberos, quam liberos qui patrem, amisissent. Vid. Fest. v. *Orba.* Plinii verba descripta videntur e Cicerone, de Nat. deor., lib. III, cap. 25, ubi vid. Davis. Orell.

Næniæ. Deæ Næniæ, extremis vitæ seu funeribus præfectæ, sacellum extra portam Viminalem, sicuti ex Paullo et Festo discimus, consecratum fuit. De hac D Augustinus, de Civ. Dei, lib. VI, cap. 9, ex Varrone: *Varro commemorare et enumerare deos cœpit a conceptione hominis, eamque seriem produxit usque ad decrepiti hominis mortem, et deos ad ipsum hominem pertinentes clausit ad Næniam deam, quæ in funeribus senum cantatur.* Nour. p. 426.

Jam quæ durat. Sic edidi ex emendatione Meursii pro *Nam quæ durat.*

Ossilago. Legendum vel cum Cantero *Ossipago*, vel cum Stewechio *Ossipanga.* Vide supra ad lib. III, cap. 30. Orell.

Mellonia. Augustin., de Civ. Dei, lib. IV, cap. 34 : *Sine Segetia segetes, sine Bobova boves, mella sine Mellona, poma sine Pomona.* Elmenh. — Meursius, leg. *Mellona.* Orell.

VIII.— *Dicite, o quæso, ut ita vobis propitiæ faveant Peta, Puta, Patella.* Sic editio prima. At Fulv. Ursinus particulam *ut* exterminavit, quæ sane retinenda erat. Sic passim, veluti : *ut illum dii deæque senium perdant*, et similia. Observat diligentissimus

veant, Peta, Puta, Patella, si omnino essent apes ullæ in terris, aut si exos genus humanum, velut quidam vermiculi nasceremur, Dea Mellonia non esset: aut Ossilago solidatrix ossium nomen proprium non haberet? Etenim, quæro et rogito utrumne vobis videantur antiquiores dii esse natura, tempore, vetustate, an homines, an apes, fruges, virgulta, et cætera? Dubitabit hominum nemo, quin innumeris dicatis deos ætatibus, sæculis, cuncta quæcumque sunt anteire. Quod si habet se ita, qui fieri per rerum naturam potest, ut ex rebus postea procreatis acciperent nomina ea quæ sunt priora temporibus? aut tutelas sortirentur earum Dii rerum, quæ nondum essent genitæ, et in usum mortalibus attributæ? An numquid jamdudum sine nominibus Dii erant, et postquam res nasci, terrisque inesse cœperunt, his a vobis dignati sunt signis atque appellationibus nuncupari? Et unde scire potuistis quæ nomina singulis inderetis, cum esse illos ignoraretis omnino, aut inesse potentias his certas: cum esset vobis similiter nescium, quisnam eorum quid posset, et cui rei deberet pro sui numinis potestate præponi?

IX. Quid [a] ergo, inquitis, hos deos nusquam esse gentium judicatis, sed falsis opinationibus constitutos? Non istud nos soli, sed veritas ipsa dicit, et ratio: et ille communis, qui est cunctis in mortalibus, sensus. Qui est enim qui credat esse deos Lucrios, et lucrorum consecutionibus præsidere, cum ex turpibus causis frequentissime veniant, et aliorum semper ex dispendiis constent? Quis Libentinam, quis Liburnum libidinum superesse tutelis, qnas jubet sapientia fugere, et quas mille per species propudiosa experitur et exercet obscœnitas? Quis Limentinum, quis Limam custodiam liminum [b] ge-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quod *alii*.

[b] Luminum *Sab.* inepte:

COMMENTARIUS.

Grammaticus, Ælius Donatus, *ut* accipi his in locis pro *utinam*. Alias *ita* et *sic* frequentissime. HERALD.

Aut si exos genus humanum velut quidam vermiculi nasceremur. V. *genus*, quod in prioribus editionibus deest, optime restituerunt Heraldus et editor Lugd. Bat. ORELL.

Cum esset vobis similiter nescium. Nescium h. l. passive, quod nescitur. Vide Aul. Gell. lib. IX, cap. 12, qui infrequentem dicit passivum hunc vocabuli usum. Ita lib. I: *Quid dicitis, o parvuli? incomperta vobis et nescia temerariæ vocis loquacitate garrientes?* MEURS.

IX.— *Judicatis sed falsis.* Ita ed. Lugd. Bat. Alii: *et falsis.* ORELL.

Qui est cunctis in mortalibus sensus. Fulv. Ursinus: *qui est cunctis inditus mortalibus sensus.* Non male. ID.

Qui est enim, qui credat, etc. Hæc est lectio vetus quam temere mutaverunt. Nam *qui* pro *quis* sæpe apud istos scriptores. Cyprianus, lib. III, Epist. 24: *Qui nunc volis, dilectissimi fratres, conscientiæ victricis vigor?* et alibi e Scriptura: *Tu qui es, qui judicas alienum servum.* HERALD.

Esse Deos Lucrios. Nazianzenus, Orat. 2, in Julian., p. 308: Ἂν ἴδω σου τὸν Κερδῶον, καὶ τὸν λόγιον ἐναγώνιον, συγκρύπτω τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ παρατρέχω τὸν θεόν. et Orat. 3. in Julian. πῶς οὖν ὁ κερδῶος αὐτοῖς σταθήσεται, καὶ τὸ σακέλλιον προβληθήσεται, καὶ ἡ κλεπτικὴ δύναμις τοῦ θεοῦ τιμηθήσεται; ELMENH. — Κερδῶος propr. Mercurius vid. Suid. v. Κερδῶος. At Lycophron Alexandr. vers. 208, Apollinem sic appellat propter oracula, quibus aliorum et suæ utilitati consulebat, dicens:

Δελφινίου παρ' ἄντρα Κερδώου θεοῦ.

Ubi vide Meurs. ORELL. — Qui autem fuerint illi dei, docet nos Suidas v. κερδῶος — Κερδῶος θεὸς ὁ Ἑρμῆς, ὡς κέρδους ποιητικός. καὶ ἄγγελον δὲ αὐτὸν καλοῦσι καὶ κλῶπα· διὸ καὶ μάρσυππον αὐτὸν ποιοῦσι βαστάζειν. καὶ ἔφορον αὐτὸν τοῦ λόγου, καὶ τῆς κλοπῆς, καὶ ἐμπολείων, ἤγουν κέρδους ἔφορον. Idem testatur Nonnus ad Gregor: Nazianzen., Orat. in Julian., p. 148, ed. Montag., Κερδῶον θεὸν καλοῦσι οἱ Ἕλληνες τὸν Ἑρμῆν, ὡς κέρδους περιποιητικόν· διὸ καὶ Ἀριστοφάνης ὁ κωμικὸς ἐν τῷ δράματι τῷ Πλούτῳ, ἀπορῶν τίνα δεῖ καλέσαι τὸν Ἑρμῆν, φησίν· Ἐμπολαῖον αὐτὸν ἱδρυσώμεθα, τουτέστι κέρδους ἔφορον. Etiam Apollo κερδῶος. Testis Julianus in eadem Oratione, pag. 77.: πῶς οὖν ὁ κερδῶος αὐτοῖς σταθήσεται. καὶ τὸ σακέλλιον προβληθήσεται, καὶ ἡ κλεπτικὴ δύναμις τοῦ θεοῦ τιμηθήσεται, καὶ τὸ ἄνευ χαλκοῦ Φοῖβον μὴ μαντεύεσθαι, μηδὲ εἶναί τι τοῦ ὀβολοῦ τιμιώτερον; NOURR., p. 422, et ORELL.

Libentinam. Augustinus, de Civ. Dei, lib. IV, cap. 8: *Audent aliquas partes deæ Cloacinæ tribuere, aut Volupiæ, quæ a voluptate appellata est, aut Libentinæ, cui nomen a libidine.* ELMENH. — Cicero, de Nat. deor., lib. II, cap. 23: *Quo ex genere Cupidinis et Voluptatis et Libentinæ Veneris vocabula consecrata sunt, vitiosarum rerum neque naturalium*, etc., ubi vide Davis., pag. 153. Nonius v. *Prolubium*..... Varro de Lingua lat., lib. V: *Prolubiem et prolubidinem dici ab eo quod lubeat; unde etiam lucus Veneris Lubentinæ.* Ubi vide Mercer. Nam in editionibus omnibus Varronis (v. c. Bipont.) pag. 63, locus est mancus et corruptus. Vide not. Antonii Augustin., vol. II, pag. 138. *Libentina* itaque Venus bene distinguenda a *Libitina* Venere, funerum præside. ORELL.

Quis Liburnum. Hoc nomen corruptum videtur. In Regio enim ms. Codice habetur *Burnum*: quod quidem cum librarii depravatum suspicarentur, rescripsere *Liburnum*; quamobrem Meursius legendum putavit *Liberum*, quem ab ethnicis libidini præfectum fuisse, testis est Augustinus, de Civ. Dei, lib. VI, c. 9, et lib. VII, cap. 2, NOURRIUS. — Nolim tamen mutare quidquam. Plura enim talium deorum ignotorum nomina legimus apud nostrum. De verbo *superesse* vide supra ad lib. III, cap. 23. ORELL.

Experitur. Ita ms. Alii: *expeditur*, quod Heraldus frustra defendit. Elmenhorstius: *Expetit*. ORELL.

Quis Limentinum, quis Limam. Dicam quod sentio. *Limam* deam, quæ sit, ignoro; neque eam hic tolerandam puto. Subsequitur enim in Arnobio: *Quis curatores obliquitatum Limos?* Augustinus, lib. IV, de Civ. Dei, cap. 8, irridens paganorum stultitiam, qui uni homini ostiario totam domum committant, tres uni januæ deos præficiant, ait: *Tres deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini.* Eosdem illos pari numero Tertullianus ponit in suo Scorpiaco; sed isthic *Cardum* legitur. Iterum in libro de Corona militis: *Cardam nominarunt.* Denique in libro de Idololatria *Cardea* lectitatur. Quid si *Cardeum* et *Cardeam*, item *Limentinum*, et pro *Lima* ista *Limentinam* deam coluisse suspicemur? pariter ut *Robigum* et *Robiginem*. STEWECH. — In Cod. ms. legitur, *quis Lunam*, vitiosissime. Herald. legend. suspicatur, *quis Janem*, antiquo scribendi modo pro *Janum*, allegans Tertullian. de Idolol., cap. 15, *Janem a janua*; et Apologet., cap. 10: *Saturnus... exceptus a Jano vel Jane, ut Salii volunt.* Equidem lectionem

rere, et janitorum officia sustinere : cum fanorum quotidie videamus, et privatarum domorum convelli et subrui : nec sine his esse flagitiosos ad lupanaria commeatus? Quis curatores obliquitatum Limos [a]? quis Saturnum præsidem sativis? quis Montinum montium? quis segnium Murciam? quis ad extremum Deam Pecuniam esse credat, quam velut maxi- A mum numen vestræ indicant litteræ donare annulos aureos, loca in ludis atque in spectaculis priora, honorum suggestus summos, amplitudinem magistratus, et quod maxime pigri ament, securum per opulentias otium.

X. Quod si habere insistitis suos proprios præsides ossa, mella, et limina, cæteraque alia, quæ vel

LECTIONES VARIANTES.

[a] Limones *ms*.

COMMENTARIUS.

dubiam et incertam in medio relinquam. Orell.—Nulla apud antiquos *Limæ* mentio. Quamobrem suspicantur corruptum esse hoc nomen, ac pro ea *Limentinam* (Stewech.), aut *Janum*, aut *Janam*, sive *Junem* B (Herald.) legendum. Quid si legeretur *Cardea*, dea cardinibus præposita? cujus meminit Tertullianus, lib. ii, ad Nation., cap. 15, et de Idolol., cap. 15, aut *Carna?* de qua plura Ovidius cecinit lib. vi, Fast., Nourr., p. 421.

Cum fanorum quotidie videamus, etc. Non necessaria Meursii conjectura : *cum fanorum quotidie mille videamus*. *Fanorum* scil. limina (quod supplendum ex præcedentibus) subruuntur ac convelluntur a furibus et sacrilegis. Orell.

Nec sine his esse flagitiosos ad lupanaria commeatus. Proprie. Lactantius, lib. iii, cap. 15 : *Quid ergo interfuit, quo animo philosophus ad meretricem famosissimam commearet, cum eum populus et rivales sui viderent omnibus perditis nequiorem* (ubi vide Bunemann., p. 347). Proprie etiam *flagitiosos*. Cicero : *In stupris vero et flagitiis nefarias ejus libidines commemorare pudore deterreor*. Hæc autem cum præcedentibus optime conveniunt. Quare de transpositione quod suspicantur, vanum est. Herald. Meursius hæc verba C transponere voluit post v. *propudiosa experitur* (quod idem mutavit in *expetit*, male) *atque exercet obscœnitas*, cum hoc sit officium Liburni et Libentinæ, non autem Limentini et Limæ. At respicere videtur Arnobius ad amatores excubias, agentes ad januas meretricum, qua de re notissima vide intpp. ad Propert. i, 16. Cæterum pro *Liburnum*, cujus apud alios nulla mentio, idem Meursius leg. putat *Liberum*, citans Augustin., de Civit. Dei, lib. vi, cap. 9. *Liberum a liberamento appellatum volunt, quod mares in coeundo per ejus beneficium, emissis seminibus, liberentur*. Orell.

Quis curatores obliquitatum. Limos. Hyginus, de Limitib. constituendis, p. 151, ed. Goesii : *Limites autem appellati a limo, antiquo verbo, id est, transversi*, ubi vide Rigalt., p. 262. Glossæ veteres : *Limes*, τρίβος, πλαγία ὁδός. Conf. Serv., ad Æn., xii, v. 120, unde *limis oculis*, id est obliquis. Cæterum Limorum deorum alibi, quod sciam, nulla mentio. Id.

Saturnum præsidem sativis. Secutus sum emenda- D tionem Canteri tanquam proxime accedentem ad vitiosam Codicis lectionem *Latinis*. Alii, verbi causa Gelenius et Salmasius, ediderunt *præsidem sationis*. Sed elegantius videtur *præsidem sativis*, ut *præfectus urbi*. Id.

Quis montinum montium? Montium magna olim veneratio, inque iis exstructæ aræ et templa, ut satis superque ex historia tam sacra quam profana patet, plerisque numinibus fuerunt. Indi apud Philostratum (de Vit. Apollon., l. i, c. 2), Caucasum θεῶν οἶκον vocant. Persæ apud Herodotum (l. i. c. 131) ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν οὐρέων ἀναβαίνοντες Jovi hostias immolant. *Montinus*, qui montibus præest deus, apud Arnobium occurrit. Mater Galerii Maximiani *deorum montium cultrix* et *mulier admodum superstitiosa* Lactantio dicitur in libro de Mortibus persecutorum, c. 11. Dii montenses in inscriptione, apud Gruter., p. 21, celebrantur, qua, quia Romæ inventa, videntur significari dii, qui septem montibus præsidebant, quorumque in honorem institutum forte est sacrum *Septimontium*, quod celebrabatur a *montanis*, id est, qui montes inhabitabant, non autem a toto populo, uti apud Varronem (l. v, de Ling. lat.) videre licet, quoque in septem locis, teste Festo, faciebant sacrificium diis, ut opinor, præsidibus montium (*Gisb. Cuper, in Apotheosi Homeri*, p. 15). Plura affert Joan. Columbus ad Lactant., de Mort. persecut., p. 284, seqq.; edit. Bauldrii et Bernart., ad Stat., *Thebaid.*, i, p. 4, ed. Crucæi. Orell.

Quis segnium Murciam. Augustin., de Civ. Dei, l. iv, c. 16 : *Vocaverunt deam Murciam, quæ præter modum non moveret, ac faceret hominem, ut ait Pomponius, Murcidum, id est nimis desidiosum et inactuosum*. Elmenh.—*Murcia* cognomen Veneris, quæ auctore Festo, sacellum habebat sub monte Aventino. De nominis autem etymo dissentiunt viri eruditi. Varro, de Lingua lat., l. iv, p. 43, ed. Bipont.., tradit, alios derivasse ab urceis, quod is locus esset inter figulos, alios autem a murteto, quod ibi id fuerit. Vid. not. Auson. Popm., p. 105 ; Scaliger. et Dacer. ad Fest., p. 253 ; Salmasius autem ad Solin., p. 637, et G. J. Vossius, in Etymol. rom., rectius, ut mihi quidem videtur, deducunt a græco μαλακὸς, μαλκὸς, æolice μολκὸς vel μυλκὸς, et Syracusanorum dialecto (ut Hesychius auctor est) μυρκός. Unde latinum *marcer*, *marcidus*, et *murcus*, *murcidus*. Vid. Vales., ad Ammian. Marcellin., l. xv, p. 98. Cæterum ejusdem numinis meminerunt etiam Plinius, Hist. nat., l. xv, c. 29, et Tertullianus, de Spectaculis, qui Murciam appellat *marcoris deam* ex emendatione Turnebi. Alii enim legunt, *amoris*; alii, *marmoris*. In editione Lugd. Bat. legitur *Murcidam*, credo, operarum vitio. Nam ipse Salmasius, ad Solinum p. 1, ubi de hoc nomine multus est, legendum statuit *Murciam*. Orell.

Deam Pecuniam. Augustin., de Civ. Dei, l. iv, c. 20 : *Deæ Pecuniæ, ut pecuniosi essent*, c. 24. *Pecunia dicta est dea quæ dat pecuniam*. L. vii, c. 4 : *Obscurata est dea Pecunia..... Cur dea Pecunia Minervæ prælata non est?* Diversum sentit Juvenal., sat. i, vers. 114 :

> Etsi funesta pecunia templo
> Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Elmenh.

Donare annulos aureos. Equestrem dignitatem. Et sane ita res erat :

> Si quadringentis sex septem millia desunt,
> Plebs eris.

De jure annulorum aureorum alia observatio. Heraldus.

Honorum suggestus summos. Meursius conj. : *Honorem, suggestus summos*. Orell.

Securum per opulentias otium. *Quietem cum rerum ubertate* ait Jul. Firmicus, l. v, Mathes., c. v : *Ante enim hoc tempus vitiosi erunt, epulones, et bibones; et qui, posthabita omni rei familiaris cura, nihil aliud affectent, nisi epicureorum more sine laboribus in quiete et rerum ubertate vivere*. Herald.—Stewechius, nusquam non antiqui aliquid et reconditi odorans, legendum putat, *per pollentias*, male. Orell.

X. — *Quod si habere insistitis suos proprios præ-*

cursim perstrinximus, vel nimietatis non attigimus [a] tædio, licet consimili ratione mille alios Deos inducere, qui rebus innumeris debeant suam curam, custodiamque præbere. Cur enim Deus præsit melli uni tantummodo, non præsit cucurbitis, rapis, non cunilæ, nasturtio, non ficis, betaceis, caulibus? Cur sola meruerint ossa tutelam, non meruerint ungues, pili, cæteraque alia locis posita in obscuris, et verecundioribus partibus, et sunt casibus obnoxia plurimis, et curam magis deorum, diligentiamque desiderant? Aut si et has dicitis partes suis agere sub tutelaribus [b] divis, incipient totidem dii esse, quot res sunt : nec explicabitur ratio, cur non rebus omnibus divinæ præsideant curæ, si certas res esse, quibus præsint numina et provideant, dixeritis.

XI. Quid dicitis, o patres novarum religionum, quid potestatum? Hoscine a nobis deos violari, et negligi sacrilego clamitatis, quiritaminique [c] contemptu Lateranum Genium focorum, Limentinum præsidem liminum, Pertundam, Perficam, Nodutim Terensem? et quia non supplices Mutuno procumbimus atque Tutuno, ad interitum res lapsas, atque

LECTIONES VARIANTES.

[a] Attingimus *Sab.*
[b] Tutelatoribus *Sab.* male.
[c] Queritamini *Sab.*

COMMENTARIUS.

sides, ossa, mella, etc. Secutus sum emendationem Salmasii contextui accommodatissimam. Cod. ms. et editores cæteri omnes : *Quid si haberent in sedibus suos proprios præsides*, ubi quid sibi velint verba *in sedibus*, equidem prorsus ignorare me fateor. Fulv. Ursinus conj. : *Quid si haberent in se divos suos proprios præsides.* Atqui res illæ, de quibus loquitur Arnobius, ossa, mella, etc., neutiquam divos in se habebant inclusos, sed deos super se positos, id est illarum curam gerentes. ORELL.

Nimietatis. Infra : *Dum vos arguimus nimietatis.* L. VII, c. 26 : *Sequitur, ut de thure deque mero aliquid sine ulla nimietate dicamus.* Usus hac voce Apuleius, Apologia, p. 461 ; Plinius, Hist. nat., l. XIV, c. 6 ; Columella, l. IV, c. 24 ; Ammian. Marcellin., l. 19, p. 179. ELMENH. — Eutropius etiam, l. X, c. ult. : *Quidam* (exanimatum opinantur Jovianum) *nimietate prunarum, quas gravi frigore adoleri multas jusserat.* ORELL.

Cunilæ. Scribon. Larg. c. 124 : *Cunila, quam Satureiam quidam vocant*, ubi vide Rhod. in Lexico. *Pfefferkraut.* ORELL.

Non ficis. Stewechius e codice, ut ait, ms. reposuit *non ficubus*, in observatione sua plura afferens de discrimine τοῦ *ficus, i*, id est morbi intestini recti extremi ab attritu nimio orti, et *ficus, us*, id est arboris et fructus, quod tamen discrimen locum non habere et vocabulum *ficus* utraque declinatione, sed fœminino genere, præsertim ab antiquioris latinitatis scriptoribus, de arbore et fructu promiscue usurpatum, contra *ficus, i*, sed masculino genere, de corporis vitio, docet Gesnerus in Thesauro. Sed J. G. Grævius in Epistola ad N. Heins., 259 ; Syllog. Burmann., t. IV, p. 334, testatur, in eodem codice legi *ficiis*, et merito miratur *ficus* hoc loco memoratas inter herbas et olera. Itaque pro *non ficiis* reponendum censet *cæpitiis*. Equidem leviore mutatione, et una tantum littera mutata, rescribendum puto, *non viciis*. *Viciæ* (*Wicken*) leguminis genus memoratum Virgilio Georg., I, 75 et aliis. ORELL.

Betaceis, caulibus. Ita edidit Salmasius e cod. ms. rectissime. *Betaceis*, scil. pedibus, id est radicibus et fibris betarum. Ita *malvacei, rapicii*, scil. pedes. Vide eumdem Salmasium ad Solin., cap. 40, pag. 583. Quod non intelligentes cæteri editores mutarunt in *betis, caulibus*. Possumus etiam, elisa virgula, legere *betaceis caulibus*, id est caulibus vel stirpibus betarum, unde se producunt folia. Sed malim virgulam interponere et *caulibus* accipere de brassica, quo sensu κατ' ἐξοχὴν dicitur a Latinis. Vide Davis., ad Cic., de Nat. deor., II, c. 47, pag. 217, ed. II, et Jos. Scaliger, ad Varron. de Re rust., lib. I, cap. 16. Unde Gallorum *le chou*, nostrum *Kohl. Beta* sive *betacei*, græce τεῦτλον, apud Italos *bietola*, nostrum *Mangold, Beisskohl*. Cujus descriptionem vide ap. Plin., Hist. nat., lib. XIX, cap. 8. Add. Schneider., Ind. ad Script. Rei rust., hoc verbo. ORELL.

Partibus, et sunt casibus obnoxia plurimis. Meursius legendum suspicatur : *partibus? Hæc sunt*, etc. Malim : *quæ sunt*. ORELL.

XI. — *Quid dicitis, o patres novarum religionum, quid potestatum? Hoscine a nobis deos violari et negligi sacrilego clamitatis et quiritamini contemptu?* Sic edidi ex emendatione editoris Lugd. Bat. Cod. ms. et ed. princeps romana habent : *Quid dicitis, o patres novarum religionum, qui potestatum obscœne a nobis deos violari et negligi sacrilege clamitatis, quiritaminique contemni*, etc. nullo sensu. Frid. Lindenbrogius refingit : *Quid dicitis, o patres novarum religionum? quid protestamini?* Heraldus, nescio qua de causa offensus vocibus *patres novarum religionum*, locum ita censet restituendum : *Quid dicitis, o patres magnarum religionum atque potestatum? Ergone a nobis Deos violiari et negligi sacrilege clamitatis, quiritaminique contemni?* etc. Equidem puto, delendum *quid* ante *potestatum*, et legendum : *Quid dicitis, o patres novarum religionum, potestatum?* quæ est constructio vere Arnobiana. In cæteris omnibus editorem Leidensem sequor. *Patres novarum religionum*, etc., non sunt sacerdotes, antistites, ut interpretatur Heraldus, sed in genere Romani, quos in hujus libri initio alloquitur, qui nova nec antea audita numina eorumque cultus introducebant. *Potestates* idem quod dii, numina. Vide supra, ad lib. III, cap. 33. ORELL.

Patres religionum, id est auctores, inventores, frequenti metaphora. Vide Petav., ad Synes. Epist. I, not., pag. 44. Sic Philo Byzant. de VII orbis spectaculis, cap. III : Διὸς Κρόνος μὲν ἐν οὐρανῷ, Φειδίας δ' ἐν Ἤλιδι πατήρ ἐστι, ubi vide Allatii et nostras notas, et ad Epist. Socrat. VI, pag. 168. Conf. Boissonade ad Marin. Vit. Procl. p. 75, seq. ORELL.

Lateranum genium focorum. Ita restituit Meursius ex msto. Antea legebatur : *Larem genium focorum.* Quod etiamsi defendi possit, tamen hoc loco stare nequit, ubi Arnobius repetit deorum nomina, quorum supra mentionem fecerat, Limentini, Pertundæ, Perficæ, Nodutis, Terensis, Laterani. ORELL.

Nodutim, Terensem. Ita distinguit editor Lugd. Bat. Alii e Cod. ms. : *Noduterensem.* Vide supra ad cap. 7. ORELL.

Quia non supplices Mutuno procumbimus atque Tutuno. Hæc est emendatio Gelenii verissima proximeque accedens ad monstrum lectionis codicis msti : *Quia non supplices uno procumbimus atque est uno*, unde Sabæus in editione principe romana refinxerat : *Quia non supplices id est humi procumbimus atque Tutuno.* Meursius : *Quia non supplices procumbimus æque Futino.* Salmasius, in ed. Lugd. Bat., utramque emendationem retinens, locum ita dedit : *Quia non supplices humi Mutuno procumbimus atque Tutuno. Humi procumbere* phrasis Lucretiana. Lib. V, vers. 1299 :

Nec procumbere humi prostratum et pandere palmas.

Cæterum de etymo nominum *Mutunus* et *Tutunus*

ipsum dicitis mundum leges suas et constituta mutasse? At quin videte, perspicite, ne dum talia confingitis monstra, taliaque molimini, deos offenderitis certissimos, si modo sunt ulli, qui istius nominis mereantur sustinere atque habere fastigium, nec propter aliam causam mala ista, quæ dicitis, ferveant, et quotidianis accessionibus inolescant. Cur ergo e vobis fortasse aliquis dixerit, esse falsum istos deos contendis [a]? Et invocati ab haruspicibus parent, et suis acciti nominibus veniunt, et fidelia reddunt responsa quærentibus? Possumus obtinere falsum esse quod dicitur, vel quod suspicionibus plenissima res tota est: vel quod multas quotidie prædictionum videmus, aut aliter cadere, aut in contrarios exitus frustrata exspectatione torqueri.

XII. Sed sint, ut asseritis, vera, eamdem tamen facietis fidem Melloniam, verbi causa, vel Limentinum inserere se fibris, et ad rerum, quas quæritis, significantias aptare? Numquid illorum aliquando vidistis os, habitum, faciem? aut eadem hæc possunt in pulmonibus, aut jecusculis conspici? Nonne accidere, fieri, licet astu dissimuletis, potest, ut alter pro altero subeat, fallens, ludens, decipiens, atque invocati speciem præstans? Si magi haruspicum fratres suis in accitionibus memorant antitheos sæpius obrepere pro accitis [b]: esse autem hos quosdam

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Delet* Fulv.

[b] Certis *Fulv*. Cet. *etc. vide Not.*

COMMENTARIUS.

multus est Salmasius ad Solinum, cap. 24, pag. 219. Cujus verba hæc sunt: « Græcum est μυττὸς.... τὸ γυναικεῖον, Hesych., et μυττών, ῶνος, unde *muttonus* et *muttunus*, quod autem apud Latinos fere semper de virili membro usurpatur. Lucilius tamen muliebre intellexisse videtur in Fragmento Satyr. IV, ap. Nonium V, *lurcare*:

Nam quid mœtuno.

(Ita enim legendum, non *mœtino*.)

Subrectoque huic opu' signo?

ubi de utroque sermo est. *Tutunus* autem a πόσθη et πόσθων, qui ingens habet virile. Æolice πόθθων, πόθθωνος. Inde Latinum *puttunus* et *tuttunus*. Nam T. et P. invicem permutabant tam Æoles, quam veteres Latini. Mutunus, Tuttunus itaque numen erat πριαπῶδες, Romanis matronis cultum (Vide supra, cap. 7, et Augustin., de Civ. Dei, lib. IV, cap. 11: *Mutunus et Tutunus, qui est apud Græcos Priapus*), quod utriusque obscœni appellationem et utriusque sexus pudenda videtur habuisse, vel certe utriusque pudendi simulacrum eodem sacello consecratum (quod erat in Veliis adversum murum Mustellinum, teste Festo). Utrumque enim ἀντὶ τοῦ προβασκανίου apud veteres et arcendo fascino in usu fuit. Unde Glossæ veteres: *Mutonium*, προβασκάνιον, ὡς Λουκίλλιος. » (Nam pudenda pro amuletis suspendi e collo pueris, auctor Varro.) Hæc Salmasius. Conf. Turneb., Adversar., lib. XVII, cap. 33. Jan. Guilielm. Verosimil., lib. I, cap. 23, in Lampade Crit. Gruteri, vol. III, p. 274, Sciopp. et Scaliger, ad Priapeia Carm. LXXIII, interpretes ad Festum, hoc verbo, pag. 256, ed. Dacer. Doula ad Lucil., Frag., pag. 286, ed. Havercamp.; J. Lips. Elect., lib. II, cap. 19, Op., tom. I, p. 822, seq., ed. Vesal.; Bunemann., ad Lactant., lib. I, cap. 20, pag. 132, et P. Burmann., II, in Antholog. lat., vol. II, pag. 514. ORELL.

Ne dum talia confingitis monstra, taliaque molimini. Ms. auget: *Talia atque molimini.* Male bis inculcata vox una. Scribendum enim: *Ne dum talia confingitis monstra atque molimini.* MEURS. *in Append.*

Inolescant. Ita Gelenius pro *insolescant*, optime. *Inolescere*, crescere, augeri, verbum Virgilianum. ORELL. — Post τὰ *accessionibus inolescant* necessario desunt quædam. Videntur enim gentes religionis suæ veritatem ex extispiciis et auguriis voluisse probare; quam partem defensionis refutare aggreditur istis verbis: *Cur ergo*, etc. MEURS., *pag.* 129.

Cur ergo e vobis fortasse aliquis dixerit, esse falsum istos deos? Et invocati, etc. Sic edidit Salmasius ex msto. Gelenius: *Cur ergo. . . . esse falsos istos deos contendis? Si invocati*, etc. At nihil mutandum. Est scilicet trajectio haud infrequens apud Arnobium pro: *Cur ergo e vobis fortasse aliquis dixerit, falsum* (est) *esse istos deos?* Sequens. Et est adversativum. Vide supra, ad lib. I, cap. 15. ORELL.

Vel quod suspicionibus plenissima res tota est. Ita ms. Fulv. Ursinus et Sabæus ediderunt *superstitionibus*. ORELL.

Aut in contrarios exitus frustrata expectatione torqueri. Ita Gelenius, Elmenhorst., Salmasius. At in editione Th. Canteri legitur: *frustrata expeditione*: quod, si e Codice ms. fluxit, non temere rejiciendum putaverim. *Expeditio* scil. accipiendum sensu proprio et primario, quo significat ἄνυσιν, felicem operis successum, ejus absolutionem ac perfectionem. Quo sensu dicuntur *expeditæ rationes*. ORELL.

XII.— *Eamdem tamen facietis fidem.* Hæc est lectio vetus, pro qua alii (Gelenius): *numquam tamen*. Placet Merceri conjectura: *tandem tamen facietis fidem*. Suspicabar: *eamne tamen*, etc. HERALD. — Salmasius in ed. Lugd. Bat., dedit: *An iidem tamen*, etc., et in præcedentibus: *Sed sint, ut asseritis, veræ*, scil. prædictiones, pro *vera*, quod antea legebatur. Fulv. Ursinus: *Qui tamen facietis fidem*. Mihi codicis lectio videtur sanissima, hoc scil. sensu: Sed concedamus vobis veras esse has prædictiones: *An eamdem tamen* (id est simili modo) *nobis facietis fidem*, æque persuadebitis (ut recte interpretatur Meursius in Appendice), dicentes, numina ista, v. c. Melloniam, inserere se fibris? ORELL.

Significantias. Vide supra ad cap. 3, hujus libri notam Elmenhorstii. ORELL.

Jecusculis. Similiter Sidonius, lib. V, Epist. XVII: *Namque et jecusculi fibra tumente pungebant exercitatum crebri dolores*, ubi vid. Savaron., pag. 366. Ita *bonuscula* in Cod. Theodosiano: *specula* pro parva spe ap. Plautum in Rudente: *mercedula, bibliothecula* ap. Symmach., lib. IV, Epist. XVIII, ubi vide, *qui* de talibus diminutivis multus est, Juretum in ed. Lectii, pag. 145. ORELL.

Nonne accidere, fieri, licet astu dissimuletis, potest. Hæc est optima Gelenii correctio. Alii habent ex msto: *Nonne accidere* (*fieri licet actu dissimuletis*). Heraldus, vocibus *fieri actu* tamquam glossemate et interpretamento τοῦ *accidere* eliminatis, legit: *Nonne accidere* (*licet dissimuletis*) *potest*. Sed multum præfero emendationem Gelenii stylo Arnobii talia verba sine copula conjungentis convenientissimam. ORELL.

Accitionibus. Ita ed. Lugd. Bat. cod. ms. et ed. princeps: *in actionibus*. Alii: *incantationibus*. Sed acciere. *accitio*, proprium de magis, quamvis alia hujus substantivi exempla non succurrant. ORELL.

Antitheos sæpius obrepere pro accitis. Verissimam hanc lectionem primus Stewechius eruit e cod. ms., ubi legebatur *pro accis*, quod Gelenius perperam mutavit in *pro veris*. Meursius: *pro aliis*. De antitheis, id est malis geniis, bonis adversantibus eorumque opera ac beneficia præpedientibus, vide Jamblich.

materiis ex crassioribus spiritus, qui deos se fingant, nesciosque mendaciis et simulationibus ludant : cur ratione non pari credamus hic quoque subjicere se alios pro eis qui non sunt, ut et vestras opinationes firment, et sibi hostias cædi alienis sub nominibus gaudeant?

XIII. Aut si sic accipere rei novitate renuitis, unde vobis est scire, an sit unus aliquis, qui succedat pro omnibus quos [a] invocatis, partibusque se cunctis locorum divisionumque supponens, multorum vobis speciem divorum præbeat et potestatum? Quisnam iste est unus? interrogabit. Forte possumus istum veris auctoribus dicere : sed ne nobis fidem habere nolitis, Ægyptios, Persas, Indos, Chaldæos, Armenios interroget [b], omnesque illos alios, qui in interioribus viderunt et cognoverunt hæc artibus : jam profecto discetis, quisnam sit Deus unus, vel sub eo qui plurimi, qui deos se fingant, et humani generis imprudentiam ludant. Jamdudum nos pudet ad eum locum venire, in quo risum tenere non possunt non tantum puerculi, et procaces, verum etiam serii, atque in moris tetrici asperitatem durati. Nam

LECTIONES VARIANTES.

[a] In quos *ms.* *Meurs. conj.* iis quos.

[b] *Ita Sab.* Interrogetis *alii.*

COMMENTARIUS.

de Myster. Ægypt., sect. 3, cap. 31, pag. 102, ed. Gal. et D. Tiedemann., Dissert. de Magicarum artium origine, etc., p. 14. Hinc diabolum *antitheum*, id est Dei adversarium, appellat Lactantius Inst., lib. II, cap. 9, § 13, ubi vid. Bunemann, pag. 238. Cæterum *obrepere* proprium verbum de omnibus, quæ latenter et fallaciter adeunt et sensus fallunt, verbi causa dæmonibus, spectris, insomniis. Vide Gesner., in Thesaur., et C. Barth. ad Rutil. Itinerar., I, v. 305, pag. 233, ed. Janssonii. Ita Cicero de Divin., II, cap. 67 : *Nullæ ergo imagines obrepunt in animos dormientium extrinsecus.* Orell.

Cur ratione non pari credamus. Fulv. Ursinus : *Cur ratione non deos pari credamus.* Ed. Lugd. Bat. : *Cum ratione non dispari credamus.* Orell.

XIII.— *Partibusque se cunctis locorum divisionumque supponens*, etc. Illud mihi eximi nequaquam poterit, quin veram hujus loci restitutionem odoratus sim, et pro illa gratiam sint habituri Arnobii studiosi : *Partibusque se cunctis jecorum divisionumque supponens*, sive pro declinatione vetusta *jocinorum*. Ad extispicinam rem totam pertinere, indicio sunt hæc non multo ante præmissa : *numquam tamen facietis fidem, Melloniam (verbi causa) vel Limentinum inserere se fibris*, etc. Tum et illud quoque pro me facere non negabis : *Numquid illorum* (deorum puta) *aliquando vidistis os, habitum, faciem? aut eadem hæc possunt in pulmonibus, aut jecusculis conspici?* Fibras porro jecorum esse, testis Festus. Has in extispiciis dispici maxime solere, incognitum esse non potest iis, qui antiquitatis studium et vetustatis lautitias primis labris degustarunt. Cui vacat, legat fragmentum Labeonis ex libro XV, de Disciplinis etruscis apud Fulgentium Planciadem in *Manales*, et Apuleium Apologia prima pro se ipso. Stewech. Non possum assentiri Stewechio. Nam in proxime antecedentibus non amplius de haruspicibus, sed de eorum fratribus Magis, diisque ipsis apparentibus sermo est; ad eosdem igitur referenda verba illa : *Paribus se cunctis locorum divisionumque supponens*, quæ sunt ἓν διὰ δυοῖν pro *partibus cunctis locorum divisorum*, id est, locorum intervallo vel maximo separatorum. Hæc figura poetis frequentissima insolentior quidem est apud prosaicos scriptores, ferenda tamen in Arnobio poetarum veterum, Lucretii, Virgilii, etc., imitatore. Orell.

Quisnam iste est unus? interrogabit. Forte possumus, etc. Reponi volunt (Fulvius Ursin. et Stewechius) *interrogabitis*. Probum fortasse *interrogabit*, ut *inquit*, de quo dicebamus ad lib. I, cap. 3. Herald. —Meursius sic interpungit : *interrogabit forte. Possumus*, etc. Idem post verba, *divorum præbeat et potestatum*, non pauca excidisse arbitratur de unitate Dei et iis, qui deos se fingant. Sed meo quidem judicio optime cohærent omnia. Orell.

Forte possumus istum veris nominibus dicere. Ms. : *Forte possumus instituti veris nominibus dicere*, quod defendit Stewech. Orell.

Ægyptios. Summi Dei verique apud Ægyptios sacerdotes aliquam notitiam extitisse, evincere conantur Cudworthus et Jablonsky ex famosa illa templi Saitani inscriptione, conservata a Proclo in Tim. Plat., pag. 30. :

Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον,
Καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω ἀπεκάλυψεν.

Et loco Porphyrii ap. Euseb., Præp. Evang., lib. III, cap. 12. Contrarium pluribus argumentis adstruit Meiners. V. Cl. in Historia Doctrinæ de vero Deo, vol I, sect. I, pag. 31, seqq. Orell.

Persas. Vid. Euseb. Præp. Evangel., lib. I, cap. VIS. ; Stanley, Hist. Philos., p. XIV, cap. VI, pag. 1163, et præ cæteris, Meiners. V. Cl., in 4 Commentationibus insertis Scriptis Societatis scientiarum Gœttingensis. Orell.

Chaldæos. Vide Stanley, Hist. Philos., p. XIII, sect. II, cap. 32, p. 1150, ed. Lips., et Meiners., Hist. Doctrinæ de vero Deo, p. I, sect. III, pag. 74, seqq. Orell.

Indos. Vid. Meiners., in lib. laud., p. I, sect. IV, p. 91 seqq. Orell.

Omnesque illos alios, qui in interioribus viderunt et cognoverunt hæc artibus. Interiores artes appellat, quas alibi *arcanas* et *secretas*. Supra. lib. II, cap. 61 : *Quid illi sibi volunt secretarum artium ritus, quibus affamini nescio quas potestates?* Herald.

In quo risum tenere non possunt, non tantum puerculi et procaces. In ms. Reg. *puericuli*. Unde suspicantur nonnulli (Meursius) *pueri ridiculi*. Vulgata lectio servari potest, ut ita significet Arnobius vernularum dicacitatem et procacitatem. Ac fuisse pusiones dicaces, eosque sæpius ex Alexandria, in deliciis veterum notum satis est. Papinius :

Non ego mercatus Pharia de puppe procaces
Delicias, doctumve sui convicia Nili
Infantem, linguaque simul salibusque protervum.

Herald.

J. G. Grævius Epist. ad N. Heinsium, 239, in syllogo Burmann. vol. IV, pag. 335, legendum putat aut *vernulæ procaces*, aut potius *vernaculi et procaces*. Ita *deus vernaculorum felle lividus* ap. Martialem. Quam conjecturam approbat Heinsius, Epist. 241, pag. 337. Orell.

Verum etiam serii atque in maris tetrici asperitatem durati. Dedi emendationem Salmasii; Codex ms. habet: *verum etiam serii atque mares tetrici asperitate durati*; ad cujus lectionis vestigia Stewechius leg. censet : *Verum etiam mares serii, atque tetricia asperitate durati*, putans *mares* opponi hoc loco *puerculis*. Sed perperam. Nam *mares* opponuntur *fœminis*, viri pueris. Gelenius edidit : *atque in mores tetricos asperitate durati*. Canterus : *atque in mores tetricia asperitate durati*. Quam lectionem defendens Heraldus *mores* explicat confirmatum et ἐγκεχρωσμένον ἦθος : quo sensu Græci philosophi ἦθος usurpant absolute. Tales homines

cum a doctoribus omnes nostris insinuatum accepe- A rimus et traditum, in declinationibus deorum pluralivos numeros non esse, quod essent [a] dii singuli, nec communiter ire per plurimos uniuscujusque nominis proprietas quiret (*neque enim fieri per rerum naturam potest, ut quod unum est, fiat duo : et in diversas res eat unitas, ingenita simplicitate divisa*) : immemores vos facti, et puerilium disciplinarum recordatione composita, et complures subditis vocabulis iisdem deos, et cum sitis alias in eorum numero restrictiores, multiplices eos rursus cognominum societate fecistis : quam quidem olim partem judicii acris viri, atque ingenio perspicaci, tam sermone italo explicuere, quam græco. Et dare nobis compendium potuisset res ista, si non et aliquos videremus littera- B rum esse istarum expertes : et institutus a nobis sermo nos quoque compelleret nonnihil de his rebus, quamvis ab illis sumptum, commemoratumque [b], depromere.

XIV. Aiunt igitur theologi vestri, et vetustatis absconditæ conditores, tres in rerum natura Joves esse : ex quibus unus Æthere sit patre progenitus, alter Cœlo, tertius vero Saturno, apud insulam Cretam et sepulturæ traditus et procreatus [c]. Quinque Soles, et Mercurios quinque : ex quibus, ut referunt, Sol primus Jovis filius dicitur, et Ætheris habetur nepos; secundus æque Jovis filius [d], et Hyperiona proditus genetrice; tertius Vulcano, non Lemnio, sed Nili [e] qui fuerit filius, quartus Jalysi pater, quem Rhodi

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sint *Fulv.*
[b] *Ita Sab.* Commodatum *alii.*
[c] Prolatus *Fulv. male. Infra :* Maia tertius natus et Jove procreatus.
[d] *Omittit ms.* Cæt. *vide Not.*
[e] Nisi *ms. mendose.*

COMMENTARIUS.

scribit Jul. Firmicus, lib. VIII. Mathes., cap. 15 : *Quicumque hoc oriente sidere nati fuerint, graves erunt, austeri, et omni severitatis atrocitate metuendi, ac vultum semper ex morum integritate fingentes, qui etiam Stoicam sectam vero sequantur affectu. Tales enim apud veteres fuerunt Catones.* Sed prætero equidem correctionem Salmasii. ORELL.

Insinuatum ac traditum. Vide supra, ad lib. I, cap. 73. ORELL.

Nominis proprietas quiret. (*Neque enim fieri per rerum naturam potest, ut, quod unum est, fiat duo : et in diversas res eat unitas, ingenita simplicitate divisa*). Ausus sum verba illa, quæ in omnibus editionibus in fine hujus libri leguntur, sed a plerisque editoribus uncinis inclusa, tamquam turpiter luxata et loco posita alienissimo, hic inserere, ut videtur, suo loco ac convenientissimo. Sed nihilominus mihi videntur hæc a sciolo quodam glossatore profecta. Quare uncis inclusi et literis cursivis, quas dicunt, exaranda curavi. ORELL.

Et puerilium disciplinarum recordatione composita. Hæc est lectio vetus, pro qua temere Gelenius *seposita*, melius alii *consopita*. Sed et lectio explicari potest, ut sit *composita* quasi *sepulta*. Nam *componere* τοὺς νεκροὺς proprie. *Omnes composui. Felices.* HERALD. — Heraldum sequitur Salmasius. Equidem prætulerim *consopita* eo libentius, si, ut Elmenhorstius in variis lectionibus annotat, ita legatur in Codice ms. ORELL.

Judicii acris viri atque ingenio perspicaci. Alii : *judicii acres viri*, etc. In editione Lugd. Bat. et eam sequente Gallandii legitur : *atque per ingenio perspicaci*. Quod nescio utrum operarum vitio enatum, an prius *per* consulto in textum sit illatum e Cod. ms., cum nulla sit ad hæc verba notata lectionis varietas. Quam lectionem si sequamur, tmesis est pro *ingenio perspicaci*, id est maxime perspicaci. Ita *per* intensivum non raro a verbo suo tmesi dirimitur, verbi causa ap. Cic., de Orat., I, cap. 49 : *Per mihi mirum visum est*; et II, cap. 67 : *Per mihi scitum videtur*. Sed fateor, neque *perperspicax*, neque aliud simile compositum cum duplici *per* hactenus mihi occurrisse. ORELL.

Dare nobis compendium potuisset res ista. Id est : *paucissimis re ista nobis defungi licuisset. Dare compendium* loquendi genus insolentius. ORELL.

XIV.— *Aiunt igitur Theologi vestri*, etc. Hæc et sequentia mutuatus est Arnobius a Cicerone in libro III, de Natura deorum, cap. 21 seq., cum quibus conferendi sunt L. Ampelius Lib. Memorial. cap. 9, et Clemens Alexandr. in Protrept., p. 24, et Potter. ORELL.

Tres in rerum natura Joves esse. Cicero l. I. : *Principio Joves tres numerant ii, qui theologi nominantur, ex quibus primum et secundum natos in Arcadia, alterum patre Æthere, ex quo etiam Proserpinam natam ferunt et Liberum : alterum patre Cœlo, qui genuisse Minervam dicitur, quam principem et inventricem belli ferunt : tertium Cretensem, Saturni filium : cujus in illa insula sepulcrum ostenditur.* Paulo aliter Clemens in Protrept., p. 24 : Εἰσὶν, inquit, οἱ τρεῖς τοὺς Ζῆνας ἀναγράφουσιν. τὸν μὲν Αἰθέρος ἐν Ἀρκαδίᾳ· τὼ δὲ λοιπὼ, τοῦ Κρόνου παῖδε· τούτοιν τὸν μὲν ἐν Κρήτῃ· θάτερον δὲ ἐν Ἀρκαδίᾳ πάλιν : cum quo consentit Ampelius, ubi vide C novissimum editorem Tzschuckium p. 103 seq. Conf. Lactant., lib. I, cap. 11. ORELL.

Apud insulam Cretam et sepulturæ traditus et procreatus. Callimachus, Hymn. in Jov., vers. 8 seq. :

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δ' οὐ θάνες· ἐσσὶ γὰρ ἀεί.

Ubi vid. Spanhem. Conf. Lactant., lib. I, cap. 22; Minut. Fel., in Octavio; Augustin., de Civ. Dei, lib. VII, cap. 4. ELMENH. et ORELL.

Quinque Soles .... ex quibus, ut referunt, Sol primus Jovis filius dicitur, et Ætheris habetur nepos. Cicero l. I. : *Soles ipsi quam multi a theologis proferuntur? Unus eorum Jove natus, nepos Ætheris.* Conf. Ampel., cap. 11. ORELL.

Secundus æque Jovis filius, et Hyperiona proditus genetrice. Ita Cod. ms. Cicero : *alter* (Sol) *Hyperione* (natus). Unde princeps editor Sabæus locum ex ingenio sic refinxit : *Secundus Regina et Hyperione proditus genitore*, quam lectionem contra Gelenium mutantem : *secundus Rhea et Hyperione proditus genitore*, D defendit Th. Canterus, in Var. Lectt., lib. II, cap. 11, in Lampade Gruteri, vol. III, p. 748, seq., demonstrans Magnam Matrem Βασιλείαν, id est *Reginam*, dici a Diodoro Siculo Bibl., lib. III, p. 190, et Augustino, de Civ. Dei, lib. II, cap. 4. Sed Codicis ms. lectio, quam Arnobio primus restituit Stewechius, sequentibus Heraldo et editore Lugd. Bat., confirmatur loco gemino ipsius Arnobii infra ejusdem libri cap. 22 : *Ex Hyperiona, inquitis, matre et ex Jove jaculatore fulminis Sol aureus et flagrantissimus natus est.* Diversam itaque a Cicerone traditionem secutus est noster. Cæterum in patre secundi hujus Solis Hyperione omnes auctores, excepto Arnobio, consentiunt; non item in matre, quam Thiam vocat Hesiodus, in Theogon., vers. 371; Pindarus, Isthm. V, initio; et Apollodorus, lib. I, cap. 2, § 2 Euryphaessam; Homerus, in Hymno in Solem, vers. 4. Vide Tzschuck., ad Ampelii l. I, p. 107. ORELL.

Quartus Jalysi pater. Addit Cicero : *Camiri et Lindi.*

peperit heroicis temporibus Acantho; quintus Scythici regis et versipellis habetur Circæ. Jam Mercurius primus, qui in Proserpinam dicitur genitalibus adhinnivisse subrectis, supremi progenies Cœli est. Sub terra est alter, Trophonius qui esse jactatur. Maia tertius matre, et Jove procreatus sed tertio; quartus soboles Nili est, cujus nomen Ægyptia gens A **horret et reveretur expromere. Quintus Argi est interemptor, fugitivus, atque exul, et proditor apud Ægyptum litterarum. Sed et Minervæ, inquiunt, sicut Soles et Mercurii, quinque sunt; ex quibus prima non virgo, sed ex Vulcano Apollinis procreatrix; Nili altera proles, et quæ esse perhibetur Ægyptia Sais. Stirps Saturni tertia est, et quæ usum excogita-**

COMMENTARIUS.

Tzetzes ad Lycophron., vers. 922 : Λίνδος καὶ Ἰήλυσος καὶ Κάμετρος πόλεις εἰσὶ Ῥόδου, ἀπὸ τῶν ἐγγόνων Ἡλίου καὶ Ῥόδας, ἢ Ῥόδης καὶ Ποσειδῶνος. *Davis., ad Cic., l.* I, *pag.* 303, *ed.* II.

Quem Rhodi peperit heroicis temporibus Acantho. Annon legendum : *Quem Rhode peperit heroicis temporibus Acantho?* nam in præcedentibus non solum matres deorum, verum etiam patres memorantur, et Rhodes, sed uxoris Neptuni, mentio fit in loco Tzetzis modo allato, contra Acanthus fœminæ nuspiam apud veteres. Sed nihil definire ausim in re incerta prorsus ac dubia. — Ita primum ORELL. Sed postea subdidit : — Delenda annotatio nostra ad hæc verba : Nam sanissimam esse lectionem vulgatam, *quem Rhodi peperit Acantho*, demonstrat Ciceronis locus de Nat. deor., III, 21 : *Quartus Sol is, quem heroicis temporibus Acantho Rhodi peperisse dicitur, avum Jalysi, Camiri et Lindi.* In quo autem exscribendo falsus est Arnobius solem illum patrem Jalysi commemorans, non avum. Conf. Jo. Meurs. in Rhodo, lib. I, cap. 4, pag. 10 et seq. ORELL.

Quintus Scythici regis et versipellis habetur Circæ Scythici regis, id est *Colchi*. Ampelius, cap. IX : *Quintus Colchi filius, ex quo Circe et Medea et Phaeton nati sunt.* Cicero autem, quem noster toto hoc capite fere exscripsit, consentiens cum cæteris plerisque Deorum genealogiis Solem patrem facit Circes, dicens : *Quintus, qui Colchis fertur Ætam et Circam procreavisse.* Unde suspicor nostrum locum ita refingendum : *Quintus Scythici regis* (scil. filius) *et pater versipellis habetur Circæ.* Cæterum alium præterea Solem, Oceani filium, commemorat Plinius, Hist. nat., lib. VII, cap. 57, cui Gellius medicinæ inventionem ex melle assignaverat. Vide Tzschuck. ad Ampel. l. I, pag. 109. ORELL.

Jam Mercurius primus, qui in Proserpinam dicitur genitalibus adhinnivisse subrectis, supremi progenies Cœli est. Cicero l. I, cap. 22 : *Mercurius unus Cœlo patre, Die matre natus; cujus obscœnius excitata natura traditur, quod aspectu Proserpinæ commotus sit.* Cæterum *adhinnire* proprie. Prudentius Hamartigen :

Thuscis namque ille puellis
Primus adhinnivit simulato numine mœchus.

et ipse Arnobius, infra lib. V, cap. 22 : *Etiamne in matrem, etiamne in filiam efferati pectoris appetitionibus adhinnivit?* ELMENH. Constructionem hanc pluribus exemplis illustrat Oudendorpius, ad Sueton. August., cap. 70, pag. 281, et in Addendis, pag. 1022. Sic Apuleius, Met. I, pag. 7 : *Venerem habere in aliquem*, et Minucius Felix Octav., cap. 22 : *Jovem narrat..... toro Veneris illectum, flagrantius, quam in adulteras soleat, cum Junone uxore concumbere. Jam Mercurius primus* pro *Nam*, quod antea legebatur, recte reposuit Meursius. ORELL.

Sub terra est alter, Trophonius qui esse jactatur. Cicero, l. I : *Alter Valentis et Phoronidis* (vel, ut Davisius suspicatur legendum, *Coronidis*) *filius, is, qui sub terris habetur, idem Trophonius.* ELMENH. Ampelius : *Secundus Jovis et Croniæ filius, vel Proserpinæ.* Servius ad Æn. IV, 877 Liberi et Proserpinæ profert filium. Trophonium Apollinis filium faciunt Pausanias in Bœot., pag. 785, et Philostratus, Vit. Apollonii, lib. VIII, cap. 19. Vide Davis., ad Cic. l. I. ORELL.

Maia tertius matre, et Jove procreatus; sed tertio. Cicero : *Tertius Jove tertio natus et Maia, ex quo et Penelopa Pana natum ferunt.* ELMENH. — Ampelius : *Tertius Croni filius et Maiæ, qui est inventor lyræ.* ORELL.

B *Quartus soboles Nili est, cujus nomen Ægyptia gens horret et reveretur expromere.* Cicero : *Quartus Nilo patre, quem Ægyptii nefas habent nominare.* ELMENH. — Parem Judæorum circa vocem יהוה superstitionem observat Davisius, ad Cic. l. I. Quartum hunc non agnoscit Ampelius, cum sequente confundens. ORELL.

Quintus Argi est interemptor, fugitivus atque exul, et proditor apud Ægyptum litterarum. Cicero : *Quintus, quem colunt Pheneatæ, qui et Argum dicitur interemisse, ob eamque causam Ægyptum profugisse, atque Ægyptiis leges et litteras tradidisse. Hunc Ægyptii Thoth appellant. Eodem nomine anni primus mensis apud eos vocatur.* Ampelius : *Quartus Cyllenii filius, qui Ægyptiis litteras et numerum dixit.* Conf. Diodor. Sic., Bibl. I, cap. 16, Argi interemptor Ἀργειφόντης. ORELL.

Sed et Minervæ...... quinque sunt. Cicero, de Nat. deor., lib. III, cap. 23 : *Minerva prima, quam Apollini matrem supra diximus : secunda orta Nilo, quam Ægyptii Saitæ colunt : tertia illa, quam Jove generatam supra diximus : quarta Jove nata et Coryphe, Oceani filia; quam Arcades Corian nominant, quadrigarum* C *inventricem ferunt : quinta Pallantis, quæ patrem dicitur interemisse, virginitatem suam violare conantem; cui pinnarum talaria adfigunt*, Clemens Alex. Protrept. (pag. 24, ed. Potter.) : Εἰσὶ δὲ αἱ πέντε Ἀθηνᾶς ὑποτίθενται· τὴν μὲν Ἡφαίστου τὴν Ἀθηναίαν· τὴν δὲ Νείλου τὴν Αἰγυπτίαν· τρίτην τοῦ Κρόνου, τὴν πολέμου εὑρέτιν· τετάρτην τὴν Διός, ἣν Μεσσήνιοι Κορυφασίαν ἀπὸ τῆς μητρὸς ἐπικεκλήκασιν· ἐπὶ πᾶσι τὴν Πάλλαντος καὶ Τιτανίδος τῆς Ὠκεανοῦ· ἣ τὸν πατέρα δυσσεβῶς καταθύσασα, τῷ πατρῴῳ κεκόσμηται δέρματι, ὥσπερ κῳδίῳ. CANTERUS. — Conf. Jul. Firmic. de Errore profan. relig. cap. 17, pag. 436, ed. Gronovii et L. Ampel., cap. 9. ORELL.

Prima non virgo, sed ex Vulcano Apollinis procreatrix. Vulcani filiam, quæ Athenas condidit, faciunt Ampelius et Jul. Firmicus l. I, et Clemens. ORELL.

Nili altera proles, et quæ esse perhibetur Ægyptia Sais. Verissimam hanc codicis ms. lectionem contra editorem Lugd. Bat. v. *Sais* perperam eliminantem D bene defendit Davisius ad Ciceronis l. I docens e Pausaniæ Bœoticis lib. IX, cap. 12 (pag. 560. ed. Francof.), *Sais* nomen fuisse non tantum urbis Ægyptiæ, sed et Minervæ, quæ ibi colebatur. Conf. Turneb., Adversar., lib. XI, cap. 16, vol. II, p. 214. Proprium tamen nomen Minervæ apud Ægyptios fuisse Neith. Νηίθ, tradit Plato in Timæo et noster infra cap. 16. Cæterum de cultu Minervæ Saiticæ, vide Herodot., lib. II; Plutarch. de Iside et Osiride, cap. 36; Orig., contra Cels., lib. III, p. 256; Athenagor., Apolog. pro Christ. (pag. 26. ed. Rechenberg.). Jul. Firmicus : *Fuit alia in Ægypto, Nili regis filia, textrinæ artis magistra.* ORELL.

Stirps Saturni est tertia, et quæ usum excogitavit armorum. Jul. Firmicus, *Tertia vero patre Saturno genita est. Sed hanc viraginem fuisse commemorant : nam numquam se intra fœminei sexus verecundiam tenuit, sed arma strepitumque pugnarum, et cruenta secuta est studia bellorum.* Ampelius autem : *Tertia Jovis filia, quæ in bellicis rebus se exercuit.* ORELL.

vit armorum; Jovis quarta progenies, quam Messenii A Coryphasiam nuncupant; et quæ Pallantem occidit patrem, incestorum appetitorem, est quinta.

XV. Ac ne longum videatur, et nimium, minutatim velle capita ire per singula, aiunt iidem Theologi quatuor esse Vulcanos, et tres Dianas, Æsculapios totidem, et Dionysios quinque, ter binos Hercules', et quatuor Veneres, tria genera Castorum, totidemque Musarum, pinnatorum Cupidinum trigas, et quadrigas Apollinarium nominum; quorum similiter genitores, similiter matres, loca quibus nati sunt, indicant, et originem singulorum suis cum prosapiis monstrant. Quod si verum et certum est, et ex rei cognitæ asseveratione monstratur; aut omnes dii non sunt, quoniam plures sub eodem nomine quemadmodum accepimus, esse non possunt; aut si ali- B quis ex his est, ignorabitur et nescietur: quia sit consimilium nominum confusione cæcatus. Atque ita per vos ipsos, quamvis fieri nolitis, efficitur, ut hæsitet religio conturbata; neque habeat finem certum, in quem dirigere se possit, nullis elusa ambiguitatis erroribus.

XVI. Fingite nos enim vel auctoritate idonea motos, vel violentia terroris vestri, induxisse in animum Minervam, verbi causa, sacris vobis solemnibus et ritu velle adorare [vulgato; res si cum divinas apparamus, aggredimurque [a] aris flammantibus sua reddere constituta, Minervæ omnes advolent, ac de istius nominis possessione certantes poscant sibi singulæ apparatum illum sacrorum reddi; quid in medio faciemus nos animal tenue, vel in partes quas potius pii muneris officia transferemus? Dicet enim

LECTIONES VARIANTES.

[a] Aggrediamurque *Sab.*

COMMENTARIUS.

Jovis quarta progenies, quam Messenii Coryphasiam nuncupant. Hæc ad verbum traducta ex Clemente. Aliter Jul. Firmicus: *Quarta Jovis Cretici regis fuit filia, quæ occisum patri detulit Liberum.* Et Ampelius; *Quarta Solis filia quadrigas junxit.* Orell.

Et quæ Pallantem occidit patrem, incestorum appetitorem, est quinta. Ita Gelenius et cæteri editores. Editio princeps romana e Cod. ms. habet; *Corypallantem*, unde Fulv. Ursinus refinxit; *Corya Pallantem.* At, ut bene Heraldus observat, videntur priores syllabæ e præcedentibus, ubi Coryphasiam Minervam nominat, huc translatæ. Nam reliqui, quos citavimus, auctores in nomine Pallante consentiunt. C Jul. Firmicus l. I: *Quinta Pallante patre et Tritonide matre orta est, quæ patris appellata nomine Pallas est ab hominibus nuncupata. Hæc parricidalis amentia furoris et vesanæ temeritatis instinctu patrem Pallantem crudeli morte jugulavit. Nec simplici patris morte contenta, ut diutius malis suis frueretur, et ut de morte patris crudelius triumpharet, exuviis corporis ejus ornata est, ut parricidii facinus ex crudeli ostentatione publicaret. Hujus est Palladium, pro nefas! nomine consecratum.* Brevius Ampelius; *Quinta Pallantis et Titanidos filia. Hæc patrem occidit, pro suæ virginitatis observatione, qui ejus cupidus fuit. Unde et Pallas dicta est.* Melius tamen nomen Palladis derivatur ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ. Conf. Dresen. ad Joseph. Iscan., lib. II, vers. 272. Orell.

XV.— *Ac ne longum videatur et nimium, minutatim velle capita ire per singula.* Hæc lectio est e ms. regio. Antea legebatur, *et nimium minutum.* Vox est Lucretiana *minutatim.* (II, vers. 1130, V, 708, 724, ct aliquoties). Herald.

Quatuor esse Vulcanos. Vide Cic., de Nat. deor., III, c. 24, et Ampel. c. IX. Orell.

Tres Dianas. Cicero l. I, c. 23, Ampelius l. I. Orell.

Æsculapios totidem. Cicero l. I, c. 22, Ampelius. Orell.

Dionysios quinque. Cicero, l. I, c. 23. Ampelius. Diodorus autem Siculus tres tantum commemorat Bibl. III, pag. 207. Orell.

Ter binos Hercules. Cicero] l. I, cap. 16; Ampelius, l. l. Tres tantum numerant Herodotus, lib. II, cap. 43, 44; Diodorus Siculus, bibl. III, pag. 207, 208, et Arrianus, de Exped. Alexandri, lib. II, cap. 16. Vide Davis., ad Cic., l. I. Orell.

Quatuor Veneres. Totidem recensent Cicero, l. I, cap. 23, et Ampelius. Duas tantum statuit Plato, in Conviv. (pag. 182, vol. X, ed. Bipont.) Orell.

Tria genera Castorum. Cicero, l. I, cap. 21. Orell.

Totidemque Musarum. Cicero, l. I, cap. 21, ubi vid. Davis., pag. 301, ed. II. Conf. quæ observavimus supra ad lib. III, cap 37. Orell.

Pinnatorum Cupidinum trigas et quadrigas Apollinarium nominum. τριάδας καὶ τετράδας: quo de loquendi genere plura observata olim a Cujacio et Scaligero, et nuper ab Isaaco Casaubono ad Vopiscum. Herald. Eodem sensu συνωρίδα, τετρωρίδα a Græcis dici, observat Jos. Scaliger ad Propert., lib. III, Eleg. 21, vers. 15, ubi hanc loquendi rationem pluribus exemplis illustrat. Cæterum quatuor Apollines cum nostro recenset Cicero l. I., cap. 23; quinque autem Ampelius, cap. 9. Aristotelem auctorem sequens, ut et Clemens Alexandr., in Protrept., p. 24, ed. Potter., qui a Didymo grammatico adjici sextum notat, Magnetis filium. De Cupidinum triga similia tradit Cicero eodem capite. Orell.

Aut si aliquis ex his est, ignorabitur et nescietur: quia sit consimilium nominum confusione cæcatus. Ita omnes editores ante Lugduno-Batavum, qui locum ita refinxit: *Aut si aliquis ex iis est, ignorabitur et nescietur quid sit, consimilium nominum confusione cæcatus,* quæ correctio non placet. Contextus enim flagitare videtur *quis sit*, scil. deus: et longe præfero lectionem antiquam, hoc scil. sensu: *Aut si aliquis ex his* (deus) *est, ignorabitur et nescietur, quia sit consimilium nominum confusione cæcatus*, id est obscuratus, qui non facile discerni possit. Eodem sensu *rapida et celeritate cæcata oratio* dicitur a Cicerone in Bruto, c. 76, ubi autem dubia est lectio, nam alii legunt *citata*. Eodem sensu *cæcus* centies ap. veteres pro latente, cognitu difficili. Vide Gesner. in Thesauro et Semler. D Ind. ad Tertullianum. Sed commodius forsitan locus noster mutatione levissima sic possit refingi: *Aut si aliquis ex his est, ignorabitur et nescietur, quis sit, consimilium nominum confusione cæcatis*, constructione græca pro *a cæcatis consimilium nominum confusione.* Orell.

XVI. *Fingite nos enim vel auctoritate idonea motos, vel violentia terroris vestri.* Hæc est emendatio felicissima Gelenii pro codicis lectione: *vel auctoritate ideo motos.* Et nescio sane quid moverit editorem Lugduno-Batavum hæc mutare in *vel auctoritate commotos.* Atqui bene habet *auctoritate idonea*, id est *sufficiente*, ut apud illos *idonea substantia* pro sufficiens, *homines idonei*, quibus pecunia recte tuto que creditur. Vide Stewech. Orell.

Minervam verbi causa. Lucretius, III, 423, seq.:

> Atque animam, verbi causa, cum dicere pergam
> Mortalem esse docens. Herald.

' *Aris flammantibus sua reddere constituta.* Proprium verbum. Virgilius Georg., II, vers. 194:

forsitan prima illa, quam diximus, meum nomen est A Minervæ, cum numine, quæ Apollinem genui, quæ Dianam, et ex mei uteri fœtu cœlum numinibus auxi, et deorum numerum multiplicavi. Immo, inquiet quinta Minerva, tu tinnis, quæ marita, et puerpera toties castitatis puræ imminuta es sanctitate? Nonne vides in Capitoliis omnibus virginaleis esse species Minervarum, nec nuptarum his formas ab artificibus cunctis dari? Desiste igitur nomen juris tibi asciscere non tui. Nam Minervam me esse genitore ex Pallante procreatam, testis omnis est poetarum chorus, qui Palladam me nuncupat, derivato a patre cognomine. Quid dicis, inquiet secunda hæc audiens: Ergone Minervium nomen tu fers [a] parricida petulans, et ex amoris [b] incesti contaminatione polluta? quæ dum te fucis, atque artibus excolis meretriciis, jam patris B in te mentem furialibus plenam [c] cupiditatibus excitasti. Perge igitur, aliud tibi quære [d] signum: nam mea res ista est, quam Nilus maximus fluminum aquis generavit ex liquidis, et in virgineos habitus roris concretione conduxit. Quod si fidem inquiris facti, Ægyptios et ego testes dabo, quorum Neith lingua dicor, Platonis testificante Timæo. Quid deinde arbitramur fore? desistetne et illa Minervam se dicere, cui Corifasiæ nomen est, vel ex Corifæ matris signo, vel quod ex vertice summo Jovis parmam ferens emicuit, atque armorum accincta terroribus? Aut illam, quæ tertia est, cessuram patienter nomen, et non dictis talibus habituram rationem sui, et primarum arrogantiam refutaturam? Itane tu audes majestatem tibi mei nominis usurpare Sai, ex cœno [e] et ex gurgitibus prodita, coagulataque limosis? at

LECTIONES VARIANTES.

[a] Feres *Sab.*
[b] *Ex* delet *ms*
[c] Plane *Fulv.*
[d] Quærere *alii.*
[e] Cum ex cœno *Fulv. Vide Not.*

COMMENTARIUS.

Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.

(ubi *reddere* sacrorum vocabulum esse Servius notat). Sic *reddere thura, reddere vina* et similia. HERALD. — Conf. C. Barth. ad Stat. Theb., IV, 466, qui de hoc verbo multus est, et Voss. ad Virgil., l. I. ORELL.

Meum nomen est Minervæ cum numine. Sic edidi ex emendatione editoris Lugd. Bat. Antea legebatur: *Meum nomen est Minervæ, tum numen.* Sed *tum* copulativum numquam ponitur, nisi *cum* vel aliud *tum* præ- C cesserit. Quare Fulv. Ursin. leg. conj. *ac numen.* ORELL.

Inquiet quinta Minerva. Ita Gelenius cæterique. In editione prima legebatur *quarta* errore manifesto. OR.

Tu tinnis. Ita sagacissime correxit editor Lugd. Bat.. Cod. ms. *tutunis*, unde Stewechius fecit *tutun' es.* Gelenius ex ingenio refinxit *tu sis*, sequentibus cæteris editoribus plerisque. Sed multum præfero *tu tinnis*, id est garris, res futiles loqueris. Sic Plaut. Pseud., act. III, scen. II:

Molestus ne sis nimium, jam tinnis, non places.

ubi vide Lambin. et Gronov. Translatio ducta de vasis æreis, nolis, doliis, quæ proprie *tinnire* dicuntur, unde et *tintinnabulum.* ORELL.

Castitatis puræ imminuta es sanctitate. Hæc dicuntur expressissime: *καὶ ἐμφατικώτατα.* *Castitatem puram* appellat virginitatem. Nam ita pura et integra virgo, ac casta, quæ Veneris opera non novit. Infra, l. VII, *quia sit pura virginitatis intactæ.* Et *imminuere virginitatem* proprium, id est integrita- D tem illam temerare. Plautus Cistell., act I, scen. I: *Neque pudicitiam meam mihi alius imminuit quisquam;* et ipse Arnobius, l. V: *Quibus nihil tale metuentem castitate imminueret genetricem.* Hinc Ausonius in Centone Nuptiali *imminutionem* pro prima coitione posuit. Recte præterea *castitatis sanctitas.* Nam castitas et virginitas sancta et involata etiam apud hostes moderatos. Quare Scipio ap. Tit. Livium, ubi grande continentiæ exemplum posteris tradit, virginis captivæ, quæ adducebatur, integritate ne oculis delibata: *Mea populique romani*, inquit, *causa facerem, ne quid, quod sanctum usque esset, apud vos violaretur. Nunc, ut id curem impensius, vestra quoque virtus dignitasque facit.* HERALD. et ELMENH. — Ita Curtius, l. III, c. 12, § 21, de Alexandro: *Virgines excellentis formæ tam sancte habuit, quam si eodem, quo ipse, parente genitæ forent;* et libro IV, c. 10, § 53: *Caste sancteque habitam reginam.* Plura exempla profert Buneman., ad Lactant. Inst., l. VI, c. 24, p. 844 seq. Vim verbi *imminuere* pluribus exponit Jos. Scaliger, ad Priapeia Carm. XXXII, 2 in P. Burmanni Anthol. lat., vol. II, p. 505. ORELL.

Nonne vides in Capitoliis omnibus virginales esse species Minervarum. Tres in Capitolio cellas, σηκούς, fuisse Jovis, Junonis et Minervæ, testes Dionysius Halicarn., lib. III, et Vitruvius, de Architect., l. I, c. 7, quod imitabantur etiam in coloniis; unde Arnobius dixit: *In omnibus Capitoliis.* Quod igitur *omnium deorum domicilium* Capitolium dicitur a Cicerone, Aurelio Victore et Tertulliano, id accipiendum non de templo, sed de ipso monte Capitolino, qui passim et pene totus deorum aris, statuis, templis insessus. Vide Just. Lips., de Magnit. Rom., l. III, c. 5 Oper., tom. III, p. 770, ed. Vesal., et Just. Rycquium, in Comment. de Capitolio rom., c. 9, p. 107. ORELL.

Quorum sum Neith lingua, Platonis testificante Timæo. Plato in Timæo, p. 21 (ed. H. Steph.): Ἔστι τις κατ᾽ Αἴγυπτον (ἦ δ᾽ ὅς) ἐν τῷ Δέλτα, περὶ ὃ κατὰ κορυφὴν σχίζεται τὸ τοῦ Νείλου ῥεῦμα, Σαϊτικὸς ἐπικαλούμενος νομὸς, τούτου δὲ τοῦ νομοῦ μεγίστη πόλις Σάϊς. ὅθεν δὴ καὶ Ἄμασις ἦν ὁ βασιλεὺς, οἷ τῆς πόλεως θεὸς ἀρχηγός ἐστιν, Αἰγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα Νηῒθ, Ἑλληνιστὶ δὲ, ὡς ὁ ἐκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ. Chalcidius sic vertit: *Est Ægypti regio Delta, cujus vertice Nili scinduntur fluenta, juxta quæ Sais nomine civitas magna, quam regit mos vetus, lex Saitica nuncupatur. Ex hac urbe Amasis fuit imperator; conditor vero Deus urbis ægyptiaca lingua censetur Neith, græca dicitur* Ἀθηνᾶ. ELMENH. —Ineptissime Chalcidius νομὸν, id est nomum, sive pagum Saiticum, *legem* interpretatur. ORELL.

Cui coryfasiæ nomen est, etc. De hoc nomine vide P. Victorium Var. Lectt., l. XI, c. 15. ORELL.

Aut illam, quæ tertia est, cessuram patienter nomen. Ita locum restituit Canterus. Cod. ms. vitiose *cessuram patientiæ nomen.* Editor Lugd. Bat. rescribit *cessuram patienter nomine*, quod elegantius. Sed *cedere aliquid* haud infrequens. Sic in Anthol., lat. P. Burmanni, l. IV, Epigr. 154, p. 112, vol. II:

Et gratam cessit docta Pedana chelyn.

Itane tu audes majestatem tibi mei nominis usurpare Sai, ex cœno, etc. Non dubitavi reddere Arnobio lectionem codicis ms. verissimam. Duplex enim apud Ægyptios Minervæ nomen, *Neith* et *Sais*. Vide supra, ad c. 14. Quod non intelligens Gelenius ex ingenio edidit: *usurpare, quæ ex cœno.* Alii: *Usurpare. Si verum ex cœno.* Meursius in Append., *majestatem usurpare sinceram, ex cœno*, etc. Salmasius, *usurpare, ex cœno.* OR.

tibi tu aliam dignitatem assume, deam quæ de vertice procreatam mentiris te Jovis, et rationem te esse mortalibus ineptissimis suades? Ex capite conceptos filios procreat? ut arma quæ gestas, procudi possent et fabricari, in verticis ipsius cavo officina fabrilis fuit, incudes, mallei, fornaces, folles, carbones et forcipes? aut si verum est quod asseveras, rationem te esse, desiste tibi nomen id, quod meum est, vindicare, nam quam dicis ratio, non est species numinis certa, sed obscurarum intelligentia causarum. Si ergo, ut diximus, officia nobis adeuntibus religiosa Minervæ adsint quinque, ac de hujus nominis proprietate rixantes, sibi quæque desideret aut thuris suffimenta libari, aut ex pateris aureis inferia vina A defundi, quo disceptatore, quo judice controversias tollemus tantas? aut quis quæsitor, quis arbiter cervicibus tantis erit, qui inter personas hujusmodi, aut vindicias justas dare, aut sacramenta conetur pronuntiare non justa? Nonne potius ibit domum, seseque abstinens ab negotiis talibus tutius esse arbitrabitur nihil horum contingere, ne aut uni dando, quod omnium est, inimicas efficiat cæteras, aut stultitiæ crimen incurrat, si id attribuat cunctis, quod esse oportebat unius?

XVII. Possumus hæc eadem de Mercuriis, Solibus, immo de aliis omnibus quorum numeros tenditis et multiplicatis, expromere. Sed satis est ex uno rationem in cæteris eamdem esse scire: et ne forte pro-

COMMENTARIUS.

At tibi tu aliam dignitatem assume. Verba sunt tertiæ Minervæ Saturniæ ad quartam coryfasiam. Optima igitur hæc Salmasii emendatio. Antea legebatur: *aut tibi tu alienam dignitatem assumis.* Et in sequentibus, *atque de*, etc., pro *deam quæ.* Meursius, in Appendice legend. censet: *Dignitatem assumis deæ, quæ de vertice*, etc. Scriverius, ibidem: *Dignitatem assumis eque vertice*, etc. Orell.

Ex capite conceptos filios procreat. Nihil mutandum. Hoc enim quærit, an Jupiter capite concipiat filios et procreet. Vana igitur sunt, quæ proponuntur cætera. Herald.—Alii, *Jovis e capite concepta tu fueris?* Meursius conj. *conceptas filias.* Male *Filii* sunt liberi, filii et filiæ, ut *fratres* fratres et sorores, *dii* dii et deæ. Vide Burmann., ad Quintilian., Inst. IX, c. 3, 63, p. 517. Orell.

Forcipes. Ita Elmenhorstius et Salmasius rectissime. Alii, *forfices.* Editio princeps *fornices.* Orell.

Ex pateris aureis inferia vina defundi. Sic e cod. ms. locum egregie restituit Lud. Carrio Emendd., l. II, c. 3, in Lampade Gruteri, vol. III, part. II, p. 134, seq., ubi de his vocibus multus est; et Meursius, p. 131. Antea legebatur, *In seriam vina defundi. Inferia vina* quid sint, optime explicat ipse Arnobius infra, l. VII, c. 31, ex Trebatio. Nimirum *vinum inferium* dicebatur vinum, quod infertur, offertur, græce χοή. Festus autem, derivans ab *infra*, *inferium vinum* dicit esse *id, quod in sacrificando infra pateræ labrum ponebatur.* Ubi vide intpp. et ad v. *Calpar.* Hinc libandi formula: *Jupiter, macte, hoc vino inferio esto.* Quæ ni adhibita fuisset, vinum omne usibus humanis eripiebatur Jovique sacrum fiebat. Vide Paul. Leopard., Emendd., XVIII, 16, in Lamp. Gruteri, vol. III, part. I, p. 338; Nic. Loens., Quæst. Epiphyllid., l. III, c. 12, in ejusdem Operis vol. V, p. 358; Schneider. (V. Cl. ad Cat. de Re rust, c. 132, p. 167); Jo. Saubert., de Sacrificiis, c. 25, p. 590, ed. Crenii, et Gesner., in Thesauro. Orell.

Arbiter. Glossæ, *arbiter*, διαιτητής. Festus: *Arbiter dicitur judex, qui totius rei habeat arbitrium et facultatem.* A prætore datus, vel ex conventione litigantium electus. Elmenh.

Cervicibus tantis erit. Id est, tam fortis, audax, impudens. Phrasis ciceroniana in Verr. III, c. 59: *Qui erunt tantis cervicibus recuperatores, qui audeant in provincia, cum prætor adsit, non solum contra voluntatem ejus, sed etiam contra fortunas judicare?* Quem locum procul dubio imitatus est Arnobius noster. Est scilicet, ut bene ibi Hotomannus observat, metaphora sumpta a bubus, quorum ii valentissimi judicantur, qui cervicibus sunt durissimis. Orell.

Vindicias justas dare. Ascon., in Cic. Verr., III: *Lis vindiciarum est, quum litigatur de ea re apud Prætorem cujus incertum est quis debeat esse possessor*, etc. B *Vindicias dare* itaque erat prætoris rem litigatam addicentis vindicanti, id est possessionem ei decernentis. Conf. Fest., hoc verbo, Gellius, Noct. Att., l. XX, c. 10, ibique not. et Excurs. Gronovii. Heineccii, Antiquitates Juris Rom., ad Inst., l. IV, tit. VI, vol. II, p. 225, seqq. Vinc. Gravina de Orig. Juris, p. 183, et Adams Handbuch der Rom. Alterthumer, vol. I, p. 411, seqq. Orell.

Aut sacramenta pronuntiare non justa. Varro: *Ea pecunia, quæ in judicium venit in litibus, sacramentum a sacro. Qui petebat et qui infitiabatur, de aliis rebus uterque quingentos æris ad pontificem deponebant; de aliis rebus item certo alio numero assium. Qui judicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat. Victi ad ærarium redibat.* Actor igitur defensorem sponsione lacessebat, ut aut debitum fateretur, aut restipularetur. Mos est antiquissimus. Aristophanes in Pluto:

C

Τί δῆτά σοι τίμημ' ἐπιγράψω τῇ δίκῃ,
Ἐάν γ' ἁλῷς; Πε. ὅ τι σοι δοκεῖ.

Sed hic locus de simplici sponsione intelligi potest. At qui debitorem in jus vocabat πρυτανεῖα, i. e. sacramenta, simul ἐτίθει, eodemque illum adigebat. Aristophanes in Nubibus:

Πᾶς γάρ τις ὄμνυσι, οἷς ὀφείλων τυγχάνω.
Θέας μοι πρυτανεῖ' ἀπολεῖν μέ φησι κἀξολεῖν.

Heic Scholiastes pluribus: τὰς δεκάδας τοῦ χρέους καταβάλλοντες τοῖς πρυτανεῦσιν, εἰσῆγον τοὺς χρεωστοῦντας· πρυτανεῖα δὲ τὰ νῦν καλούμενα παρὰ Ῥωμαίοις σπόρτουλα. Postea: ἦν δὲ ἀργύριόν τι, ὅπερ κατετίθεσαν οἱ δικαζόμενοι ἀμφότεροι, καὶ ὁ φεύγων καὶ ὁ διώκων. Herald. —Cum Varrone consentiens Festus addit: *Sacramenti autem nomine id æs dici cœptum est, quod et propter ærarii inopiam, et sacrorum publicorum multi-* D *tudinem consumebatur id in rebus divinis*, ubi vide intpp. et ad Valer. Max. Lib. VII, cap. 7, § 2; Heineccii Ant. Jur. Rom. Vol, II, pag. 231 seqq. Orell.

Nonne potius ibit domum. Ut ille apud Plautum Blepharo in Amphitruone:

Vos inter vos partite: ego abeo: mihi negotium est.
Herald.

Stultitiæ crimen incurrat. Similiter Lactantius, Inst. Lib. II, cap. 7, ult. *Crimen loquacitatis incurram*, ubi locutionem hanc scriptoribus sacris, Hieronymo, Ambrosio, etc., sollemnem pluribus exemplis illustrat Bunemann., pag. 214. Orell.

XVII. — *Quorum numeros tenditis et multiplicatis.* Corrigit Stewechius: *quorum numeros extenditis, multiplicatis*, quod consentaneum mori Arnobii

lixitas fastidium audientiæ pariat, cessabimus ire per A singula, ne dum vos arguimus nimietatis, loquacitatis immodicæ suscipiamus et nos culpam. Quid dicitis o isti, qui ad deorum nos cultus membrorum laniatibus invitatis, et suscipere nos cultum vestrorum compellitis numinum? Possumus difficiles non esse, si modo aliquid nobis dignum tanti nominis opinione monstretur. Ostendite nobis Mercurium, sed unum: date Liberum, sed unum: unam Venerem, atque unam similiter Dianam. Nam esse Apollines quatuor, aut tres Joves, numquam nobis facietis fidem: nec si testem ipsum citetis Jovem, aut Pythium constituatis auctorem.

XVIII. Sed ex diverso, nescio quis, unde, inquit, scimus, an explorata et cognita theologi scriptitarint, an, ut visum est, atque sedit, libidinosam extulerint fictionem? Nihil istud ad causam: nec sermonis istius in eo est ratio constituta, utrumne res ita sint, theologorum ut indicant scripta, an aliter se habeant, et multo dissociatæ discrimine: nobis enim satis est rebus de publicatis loqui, neque quærere quid sit in vero, sed refutare, convincere id, quod in medio positum est, atque opinatio concepit humana. Sed si mendaces illi, vos, veritas quæ sit, exponite et irrefutabile aperite secretum. Et qui fieri potis est [a], remotis magisteriis litterarum? Quid est enim quod dici de immortalibus diis possit, quod non ex hominum de his scriptis ad humanas pervenerit notiones? Aut quidquam vos ipsi de illorum ritibus potestis, C cærimoniisque narrare, quod relatum in litteras non sit, et scriptorum commentariis publicatum? aut si ponderis existimatis nullius hæc esse, aboleantur omnes libri, quos de diis habetis compositos theologorum, pontificum, nonnullorum etiam philosophiæ deditorum: quinimmo potius fingamus ab exordio mundi nullum aliquando mortalium scripsisse de diis quidquam: experiri volumus, et cupimus scire, an mutire, an hiscere deorum in mentione possitis, an concipere eos mente, quos in animis vestris nullius scripti informaverit notio. Cum vero nomina, et potentias illorum suggerentibus vobis libris addidicisse vos constet, iniquum est detrahere litteris his fidem, quarum ea quæ dicitis testimonio atque auctoritate firmatis.

B XIX. Nisi forte hæc falsa, et ea, quæ a vobis dicuntur, erunt vera. Quo argumento, quo signo? Cum enim homines utrique, et qui hæc, et illa commentati sunt, fuerint, et de rebus incertis ab utraque sit disputatum parte: arrogantis est dicere, id quod tibi placeat esse verum, quod vero animum lædit, id libidinis et falsitatis arguere. Per humani generis jura, atque ipsius mortalitatis consortia, cum auditis et legitis: Ex illo, atque ex illa matre Deus ille est proditus: nonne animi vestri sensus tangit humanum nescio quid dici, et ex terreni generis humilitate proficiscens? aut cum esse arbitramini vos ita, sollicitudinem concipitis nullam, ne offensionis aliquid apud ipsos, quicumque sunt, contrahatis deos:

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita ms.* Pote est *alii*.

COMMENTARIUS.

copulam omittere amantis. Nihil tamen mutare ausim. Verba præcedentia *de aliis omnibus* idem Stewechius immutat: *de aliis numinibus*. Orell.

Nimietatis. Vide supra ad cap. 10. Orell.

Dignum tanti nominis opinione. Et hoc loco Meursius reponere vult: *tanti numinis*. Orell.

XVIII. — *Ut visum est atque sedit. Sedere* pro *placere*, fixum obstinatumque esse. Virgilius Æn., v, 418:

Idque pio sedet Æneæ; probat auctor Acestes.

et vii, vers 611:

Ubi certa sedet patribus sententia pugnæ.

Florus, lib. ii, cap. 15, § 4: *Cum bellum sederet, de belli fine tractatum est.* Ubi vide Duker. et Freinshem. in Indice nostrum quoque locum citantem. Conf. Perizon., ad Sanctii Minerv. iv, c. 4, 114, et Savaron., ad Sidon., lib. iv, epist. 15, pag. 276. Orell.

Libidinosam extulerint fictionem. Ita editiones omnes. Cod. ms. habet: *libidinosa extulerint fictione*, quod cum Stewechio prætulerim lectioni vulgatæ. Orell.

Quod in medio positum est. Id est, quod publicatum est, ut loquebatur modo Lucretius, lib. v, vers 1159:

Et Celata diu in medium peccata dedisse.

Sic Græci. Heraclitus ap. Plutarchum alicubi: ἀμαθίην κρύπτειν οὐκ ἄμεινον, ἀλλ' εἰς μέσον τιθέναι καὶ θεραπεῦσαι. Sic εἰς μέσον φέρειν, εἰς μέσον ἕλκειν et similia. Herald.

Ex hominum de his scriptis. Ita Salmasius. Cod. ms. *ex hominum descriptis*. Fulv. Ursinus: *hominum de scriptis*, omisso *ex* quod probat Stewechius. Orell.

Nullum aliquando mortalium scripsisse de Diis quidquam. Et hæc est editoris Lugd. Bat. correctio. Cod. ms. et editio princeps vitiosissime: *nullum aliquando mortalium, nullum esse de diis quidquam.* Unde Gelenius refinxit: *meminisse de diis quidquam*. Heraldus mavult: *intimasse de diis quidquam*, id est φανερῶσαι, γνωρίσαι. Sed præfero emendationem Salmasii ob sequentia: *quos in animis vestris nullius scripti informaverit notio.* Orell.

XIX. — *Homines utrique.* Ita Meursius et editor Lugd. Bat. Gelenius: *utrinque*. Orell.

Id libidinis et falsitatis arguere. Rescribunt nonnulli (ut Meursius): *libidinosæ falsitatis*, quomodo supra dixit *libidinosam fictionem*. Nolim quidquam temere mutare. Sic igitur significat Arnobius fictionem, quæ a poetarum libidine et lubentia profecta est: quia scilicet libitum iis est ea fingere et comminisci, quæ postea miserunt in litteras. Herald.—Elmenhorstius leg. censet: *libidinose falsitatis arguere*. Orell.

D *Per humani generis jura atque ipsius mortalitatis consortia.* Obtestandi seu obsecrandi hic modus valde elegans: integer quidem hoc loco, alias tamen non semel interpolatus, ut ostendi in Quæstionibus Apuleianis. Stewech.—Luculentum exemplum habemus apud Apuleium Met., lib. vi, init. *Per ego te frugiferam tuam dexteram istam deprecor, per lætificas messium cærimonias, per tacita secreta cistarum, et per famulorum tuorum draconum pinnata curricula*, etc., etc. *miserandæ Psyches animæ, supplicis tuæ subsiste.* Ubi vide impp. pag. 385, ed. Oudendorp. et Elmenhorst. in Ind. Orell.

Aut cum esse arbitramini vos ita. Fulv. Ursinus mavult *eos*. Sed nil mutandum. *Esse vos ita*, hoc est, *profectos ex terreni generis humilitate*. Orell. — *Arbitrari* collocatum hoc loco pro judicare: qua notione id crebrum in scriptis Apuleii et Plauti. Stewech.

Ne offensionis aliquid apud ipsos contrahatis deo' Lib. v: *Cum unam contrahere possetis culpam.* Elme'

quod ex turpi concubitu creditis, atque ex seminis jactu ignoratam sibi ad lucem beneficiis obscœnitatis exisse? Nos enim, ne quis forte existimet ignorare, nescire, quid istius nominis conveniat dignitati, sane nativitatis expertes deos esse oportere censemus: aut si aliquos ortus habent, a Domino rerum ac principe, rationibus quas ipse novit, ipsos ducimus atque existimamus esse missos [a], immaculatos, castissimos, puros, nescientes quæ sit fœditas ista coeundi, et usque ad illos ipsos principali procreatione finita.

XX. At vero vos contra, majestatis immemores et sublimitatis tantæ, eas illis adjungitis nativitates, ortusque eos adscribitis, quos ingeniis lautioribus homines et execrationi habeant et horrori. Ex Ope, inquitis, matre, et ex genitore Saturno, cum suis est natus Diespiter fratribus. Uxores enim dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis? usu, farre, coemptione, genialis lectuli sacramenta condicunt? habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas? Et quid de ipsis conjunctionibus loquimur? quando et quosdam nuptias celebrasse, et festas habuisse frequentias dicitis, et lusisse in his deas: et quod participes fescenninorum non essent, perturbasse discordiis omnia; et in humanum in posterum genus exitiorum sevisse discrimina?

LECTIONES VARIANTES.

[a] Emissos *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Beneficiis obscœnitatis. Obscœnitas, hoc loco pro obscœno virili membro. Vide Bunemann., ad Lactant. Epist., cap. 23, pag. 1240. ORELL.

Istius nominis. Meursius: *Numinis.* ORELL.

Aut nativitatis expertes deos, etc. Nescio quid in mentem venerit Stewechio lectionem hanc sanissimam, immo unice veram corrumpenti rescribendo e Cod. ms. *expertos.* Atqui *expertes* legendum esse patet ex oppositione mox sequente: *Aut si aliquos ortus habeant.* ORELL.

XX. — *Atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis.* Sic passim apud mstos et alios. Unde formula: *Conditione tua non utor.* Hinc apud Q. Curtium, lib. IV, cap. 5, ubi Darius filiam Alexandro offert in matrimonium, et pro dote quidquid inter Hellespontum et Euphratem jacet, Parmenio: *Optimum, ait, regnum occupari posse conditione, non bello.* HERALD. — Conf. G. Corte ad Plin., lib. I, epist. 10, et lib. VI, epist. XXXII, pag. 42 et 472 ed. Longolii. ORELL.

Usu, farre, coemptione. Hæc omnia, teste Servio in Virgil. Georg., lib. I, vers. 30, ad antiquos nuptiarum ritus pertinebant. *Tribus enim modis*, inquit, *apud veteres nuptiæ fiebant: USU, si verbi gratia mulier anno cum viro, licet sine legibus, fuisset: FARRE, cum per Pontificem maximum et dialem flaminem per frugem et molam salsam conjungebantur; unde confarreatio appellabatur, ex quibus nuptiis patrimi et matrimi nascebantur: COEMPTIONE vero atque in manum conventione, cum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat, ut, si quis prior fuisset defunctus, locum hæreditatis alteri faceret.* Videsis Brissonium de vet. ritu nuptiarum in Grævii Thesauro Ant. rom., tom. VIII, pag. 1016 à 1128, qui hos veteres ritus, et quod Arnobius de *speratis*, *pactis*, *sponsis*, et *fescenninis* mox addidit, explicat. NOURRIUS.

Genialis lectuli sacramenta condicunt. Vulgo editur *conducunt*, quod ineptum esse vidit quoque Ursinus, similiter et Modius noster, qui mecum concurrunt. *Fœdera genialis lectuli* Arnobius non multo inferius appellat: *Fœdus thori genialis* Apuleius nono de Asino. Allusum autem ad formulam nuptialem, qua fides vicissim dabatur: *Ubi tu Caius, ego Caia.* Quæ quidem formula hanc habuit originem. Uxor Tarquinii Prisci regis Romanorum, Caia Cæcilia appellabatur; ejus nomen boni ominis causa post in nuptiis frequentatum, ut auctor Festus, cui adjungendus Plutarchus in Problem. De lectulo geniali post Guil. Canterum et Jos. Scaligerum adeundus Justus Lipsius in Elect. lib. I, cap. 17, et Plutarch. Problem. 2. STEWECH. — Proprie dixit sacramenta. Prædictæ enim solemnitates ad fœdus conjugale sanciendum et affirmandum adhibebantur. Ea igitur erant veluti mystica quædam signa, et præterea quasi mutuæ fidei sacra vincula. HERALD.

Habent speratas, habent pactas. Nonius, pag. 439 ed. Merceri: *Inter speratam et dictam et pactam et sponsam hoc interest, quod virgo prius, quam petatur, sperata dicitur. Plautus, Amphit.:*

> Amphitryo uxorem salutat lætus speratam suam.

Dehinc promissa dicta, vel pacta, vel sponsa dici potest. Virgil., (Æn., lib. II):

> Cui pater et conjux quondam tua dicta relinquor.

Et idem in alio loco (Æn. X, 79:

> Et gremiis abducere pactas.

Titinius Quinto: Qui exacta ætate sponsa sit desponsa. Conf. Juret. ad Symmach., lib. IX, epist. 40, p. 216, ed. Lectii. *Pacta* dicebatur veteribus puella, quando de nuptiis certa conditione convenerat; ubi vero stipulationes interpositæ solemnes et sponsalia essent celebrata, tum sponsa audiebat. Vid. Reusch., ad Juvenc. Hist. Evangel., lib. I, vers. 139, pag. 34. ORELL.

Habent interpositis stipulationibus sponsas. Plautus in Curculione:

> Spondesne, miles, mihi hanc uxorem? M. Spondeo.

in Trinummo (Act. II, Scen. IV):

> Sine dote posco tuam sororem filio,
> Quæ res bene vortat. Habeone pactam? Quid taces?
> S. Proh Dii immortales! conditionem quojus modi?
> Ph. Quin fabulare, Dii bene vortant. Spondeo.

Postea:

> Nunc tuam sororem filio posco meo,
> Quæ res bene vortat. Quid? nunc etiam consulis?
> L. Quid isthuc? Quando ita vis, Di bene vortant, spondeo.

Habes hic plenam stipulationem, et interposita stipulatione sponsionem. HERALD.

Et quod participes fescenninorum non essent. Fescennini versus a pueris cantari solebant, erantque verba turpia, seu omni lascivia et obscœnitate plena, unde ῥήματα αἰσχρὰ καὶ ἀσχημοσύνῃ γέμοντα dicuntur illa jocularia dicta Chrysostomo. Dicti sunt vero *fescennini* aut a Fescennio, Etruriæ oppido, vel a fascino. PRIOR.—Lucanus II, 368:

> Non soliti lusere sales, nec more Sabino
> Excepit tristis convicia festa maritus. HERALD.

Perturbasse discordiis omnia, etc. Alludit Arnobius ad famosissimum illud aureum malum Eridis indeque exortam contentionem inter Junonem, Minervam et Venerem Trojanis funestam. ORELL.

Et in humanum in posterum genus? etc. Annon legendum: *Et inhumana in posterum genus.* ORELL.

Sevisse. Ita Meursius et reliqui eum sequentes, rectissime. Antea edebatur *sævisse.* ORELL.

XXI. Sed in cæteris forsitan minus hujus eluceat A turpitudinis fœditas. Ergone ille rector poli, pater deorum et hominum, supercilio et nutu totum motans et tremefaciens cœlum, ex viro concretus et fœmina est? Et nisi ambo sexus in obscœnas dissolverentur [a] copulatis corporibus voluptates, Jupiter ille maximus non esset, et usque ad hos dies, et regem numina non haberent, et cœlum sine domino staret? Et quid Jovem miramur ex fœminæ effusum dictitare vos alvo, quando auctores vestri et nutricem habuisse conscribunt, et ex alieni uberis alimonia mox traditam retinuisse vitam? Quid dicitis, o viri? Ergone, iterum dicam, tonans, fulgens, et fulminans, et nubila terribilia conducens, suxit fluenta mammarum, vagitum edidit, repsit, atque, ut fletum exponeret ineptissime tractum, crepitaculis obti- B cuit auditis, et ad somnos inductus est in mollissimis cunis jacens, et vocibus delinitus infractis? O deorum assertio religiosa! o amplitudinis metuendæ venerabilem monstrans atque insinuans dignitatem! siccine apud vos, quæso, supernarum nascitur eminentia potestatum? his in lucem prodeunt generationibus dii vestri, quibus asini, porci, canes, quibus immunda hæc omnis conceptatur et genitur terrenarum proluvies bestiarum?

XXII. Nec contenti hos cœtus gravitati attribuisse Saturniæ, etiam ipsum regem mundi flagitiosius liberos procreasse, quam ipse est natus atque editus, prædicatis. Ex Hyperiona, inquitis, matre et Jove Jaculatore fulminis, Sol aureus et flagrantissimus natus est; ex Latona et eodem Arquitenens Delius, et Sylvarum agitatrix Diana; ex Leda et eodem

LECTIONES VARIANTES.

[a] Dissolverent *Sab.*

COMMENTARIUS.

XXI. — *Pater deorum et hominum.* Cicero de Natura deor., II, cap. 25: *Sed ipse Jupiter, id est juvans pater, quem conversis casibus appellamus a juvando Jovem, a poetis pater divumque hominumque dicitur.* ELMENH. — Hic autem loquendi modus ex Homero sumptus est, apud quem Jupiter passim vocatur πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Vide Dion. Chrysost., orat. XII et LIII; Jamblich., Vit. Pythag., § 39; Philostrat., Vit. Apollon., lib. IV, § 30. DAVIS *ad Cic. de Nat. deor.*, II, c. 2, p. 112. ORELL.

Supercilio et nutu totum motans et tremefaciens cœlum. Et hoc ex Homero sumptum Illiad., A, 528, seq. Conf. Davis, ad Cic. de Nat. deor., II, 2. ORELL.

C *Et ex alieni uberis alimonia mox traditam retinuisse vitam.* Varro apud Nonium: *Habens antepositam alimoniam, sedens altus alieno sumptu.* Lactantius quoque scriptor disertissimus hac voce usus est. Inst., l. VII, cap. 4: *Mundus igitur a Deo factus est, non utique propter ipsum mundum: neque enim aut calore solis, aut lunæ lumine, aut aspiratione ventorum, aut humore imbrium, aut alimonia frugum, cum sensu careat, indiget.* Et cap. V: *Ut ubertate frugum et herbarum viventium pro natura et usu cuique generi alimoniam administraret.* HERALD. — Vide Bunemann. ad Lactant., l. I., qui rariorem vocem *alimonia* pluribus exemplis illustrat pag. 874: *Alieni uberis*, id est, non materni. Respicit scil. ad capram Amaltheam, quæ Jovem lacte suo nutrivit. ORELL.

Tonans, fulgurans et fulminans et nubila terribilia conducens. Βροντητής, ἀστεροπητής, ἀστράπτης, νεφεληγερέτης. Apuleius, de Mundo: *Jupiter dicitur et fulgurator et tonitrualis et fulminator.* HERALD. et ELMENH. D — *Fulgurans*, quod habet ed. Lugd. Bat., est e correctione Stewechii. Antea legebatur: *fulgens.* ORELL.

Ut fletum exponeret ineptissime tractum. Exponeret, quod habet cod ms., primus Arnobio reddidit Th. Canterus, sequente editore Lugd. Bat. Alii: *poneret.* Sed *exponere* apud illius ævi scriptores haud infrequens pro *deponere.* Vide Salmasium ad Tertullian., de Pallio, pag. 352, et Semler., Ind. Latinitatis in Tertullian. Sic *toga exponitur*, et in Fragmentis Hilarii *exponere episcopos* pro *deponere*, et ipse Arnobius infra cap. 26: *Nomen virginitatis exponere.* Pro *ineptissime tractum* Stewechius legendum existimat: *ineptissime jactatus*, vel potius: *ineptissime tactus*, nimirum a matribus vel nutricibus, ut placent somnumque inducant; quo alludit Plautus Amphytrione:

> Quod si ego illum tractim tangam, ut dormiat.

Burmannus, in Addendis ad Claudian., pag. 1019, legendum suspicatur: *ineptissime fractum*, quod aut

tem cum sequentibus verbis: *vocibus infractis*, ingratam efficeret repetitionem. Neque etiam *frangi* dici potest fletus infantis, qui idem semper est et unius fere soni. Et omnino nihil mutandum: *tractus fletus* scilicet est i. q. protractus, continuatus. Ita *tracta et fusa oratio* ap. Ciceronem, de Orat. II, § 159, opponitur contortæ et acri. ORELL.

Et vocibus delinitus infractis. Habet a Lucretio, v, 231:

> Almæ nutricis blanda atque infracta loquela.

Nempe cum balbutientibus pusionibus blandulæ nutrices ita balbutiunt. Nam *infracta* proprie parvulorum loquela. Minucius Felix, cap. 2: *Et quod est in liberis amabilius, adhuc annis innocentibus, et adhuc dimidiata verba tentantibus, loquelam ipso offensantis linguæ fragmine dulciorem.* B. Hieronymus ad Salvinam, de servanda viduitate: *Garrula atque balbutiens linguæ offensione sit dulcior.* HERALD. — Sic etiam κεκλασμένην μουσικὴν appellat Philo in libro de Agricultura musicam theatralem infractam scil. ac molliorem, et masculis auribus indignam (*Idem, ad Minucii l. I., pag. 11, ed. Gronov.*

Genitur. Ita ms. Vide supra ad lib. II, cap. 43. Utitur hoc verbo Lucretius, lib. III, vers. 798:

> Totum posse extra corpus durare genique.

Varro, de Re rust., lib. I, cap. 40: *Primum semen, quod est principium genendi, id duplex.* Item, lib. II, cap. 6: *Quod similes parentum genuntur*, etc.; et Censorinus, cap. 3: *Hic, sive quod, ut genamur, curet, sive quod una genitur nobiscum, sive etiam quod nos genitos suscipit ac tuetur, [illegible]e a genendo Gen[illegible] appellatur*: quæ loca citavit [illegible]ius in Appendice. Alii: *gignitur.* ORELL.

XXII. — *Hos cœtus.* E[illegible]c palmaria correctio libri manuscripti pro *coit*[illegible] ut antea legebatur. *Cœtum* pro *coitu* tribus ad [illegible]um vicibus Arnobio reddemus, præeunte libro ve[illegible]; et præter Lucretium, cujus phrasin hic script[illegible]ce adamasse videtur, ipsum quoque Ciceronem [illegible]inde locutum infra ostendetur. STEWECH.

Procreasse, quam ipse est natu[illegible] atque editus, prædicatis. Et hanc verissimam codicis ms. lectionem Arnobio restituit Stewechius, sequente editore Lugd. Bat. Alii, etiam recentissimus editor Oberthür., ex interpolatione Gelenii: *Procreasse, natum atque editum, prædicatis*, Alii: *Procreasse, quem natum atque editum prædicatis.* Male utrumque. O[illegible]L.

Arquitenens. Ita supra, lib. II, cap. [illegible]3: *Arquatit bellula*, ubi vide notam Heraldi. ORELL.

Silvarum agitatrix Diana. Stewechius maluit:

Castores, græce Dioscoris nomen est; ex Alcmena et eodem Hercules ille Thebanus, quem clava pellisque tutatæ sunt; ex Semela, atque ipso, Liber, qui Bromius dicitur, et ex femine iterum natus patris; ex ipso rursus, et Maia, Mercurius ore facundus, et gestator affabilium colubrarum. Potest ulla gravior contumelia Jovi vestro infligi, aut quidquam est aliud, quod labefactet, aut destruat deorum principis auctoritatem, quam quod eum creditis voluptatibus aliquando libidinosis victum, et in fœmineos appetitus inflammati pectoris incaluisse fervore? Et quid regi Saturnio matrimoniis fuerat cum alienis rei? Non illi fuerat satis Juno, nec sedare impetum cupiditatum in regina poterat numinum, cum nobilitas eam commendaret tanta, facies, oris dignitas, et ulnarum nivei marmoreique candores? An uxore contentus haud una, concubinis, pellicibus, atque amiculis delectatus impatientiam suam spargebat passim, ut babecali adolescentes solent, salax Deus, et canus ex infinitis corporibus flaccescentium voluptatum restituebat ardorem? Quid dicitis, o impii, vel quas de vestro Jove opinionum confingitis fœditates? Ita non animadvertitis, non videtis, cujus eum notetis probri, cujus criminis constituatis auctorem, vel quas in eum labes flagitiorum, quantas coacervetis infamias?

XXIII. Ad libidinem homines proni, atque ad voluptatum blanditias naturæ infirmitate proclives, adulteria tamen legibus vindicant, et capitalibus afficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint

COMMENTARIUS.

silvarum habitatrix. Sed vulgatam lectionem, quæ e Cod. ms. fluxit, bene defendit Burmannus, ad Ovid. Met. v, vers. 605, vol. ii, p. 371. Notissima locutio *agitare feras* de venatoribus. Hinc Arnobius audaciore metaphora dixit Dianam *silvarum agitatricem*, hoc est venatricem, quæ feras in silvis agitat. Orell.

Et eodem Castores, græce Dioscuris nomen est. Editio Gelenii: *Ex eodem quibus græce Dioscuris nomen est.* In romano codice abest *quibus*, et ejus loco lacuna est, quam tamen ut suppleamus, non videtur nobis legendum *quibus*, sed potius *Castores*. Antiquitus enim dicebantur *Castores*, Castor et Pollux, et illi græce Διόσκουροι dicuntur. Sic noster libro i, cap. 36: *Tyndaridæ Castores*, et hoc eodem libro cap. 15: *Tria genera Castorum.* Minucius in Octavio, cap. 21: *Castores alternis moriuntur, ut vivant*, Th. Canterus. Conf. Turneb. Adversar., lib. xv, cap. 21, p. 467. Canteri emendationem in textum recepit Salmasius, rectissime. Orell.

Qui et Bromius dicitur. Ovidius, Met., iv, 11 seqq.:

Thuraque dant Bacchumque vocant Bromiumque Lyæumque
Ignigenamque, satumque iterum, solumque Bimatrem.

Elmenh.—Βρόμιος, ἀπὸ τοῦ κατὰ τὴν γένεσιν αὐτοῦ γενομένου βρόμου, ut ait Diodorus Siculus, lib. iii, p. 149, et ap. Euseb., lib. ii Præparat. Evang., c. 2, p. 54. Nourr., p. 394.

Ex femine. Ita Meursius in Append., et Stewechius ex msto. pro *ex semine*, quod antea legabatur. Orell.

Gestator affabilium colubrarum. Affabiles colubræ, hoc est, cicures, mites, innoxiæ. Orell.

Et in fœmineos appetitus inflammati pectoris incaluisse fervore. Infra cap. 26. *Quid de illis amoribus dicam, quibus in fœminas sanctos incaluisse cœlestes, vestris proditum litteris atque auctoribus continetur.* Ovid. iii, Tristium:

Hospitis igne duas i[illegible]sse deas.

Horatius iv, Od. xi, 32[illegible]

Non ego posthac alia calebo
Fœmina. Elmenh.

Cum nobilitas eam commendaret tanta, facies, oris dignitas. Sagax quidem, sed non necessaria est Stewechii conjectura: *cum nobilitas eam commendaret, lauta facies*, non magis quam Meursii: *cum nobilitas eam commendaret tanta faciei. Pro oris dignitas* Cod. ms. habet: *os, dignitas*, non male. Orell.

Ulnarum nivei marmoreique candores. Λευκώλενος Ἥρη. Expressit igitur Homericum epithetum. Herald.

Uxore contentus haud una. Quintilian., Declam. xiv: *Meretrice una fui semper eademque contentus.* Petronius: *Contentus vidua pudicaque nocti.* Elmenh.—Eodem sensu ἀγαπᾷν apud Græcos. Orell.

Amiculis. Sic Græci ἐρωμένας dicunt, easque ab uxore legitima separant. Plutarchus in Antonio: Ὀκταβίαν μὲν γὰρ πραγμάτων ἕνεκα διὰ τὸν ἀδελφὸν συνελθεῖν καὶ τὸ τῆς γαμετῆς ὄνομα καρποῦσθαι· Κλεοπάτραν δὲ τοσούτων ἀνθρώπων βασιλεύουσαν ἐρωμένην Ἀντωνίου καλεῖσθαι. Sic Diogenes Laertius Lamiam Demetrii Phalerei ἐρωμένην fuisse ait, id est amicam et concubinam; Cononis autem sororem, uxorem. Herald.

Impatientiam suam spargebat passim. Apuleius Met. ii, p. 171. *Impatientiam Veneris Fotidi meæ monstrans.* Elmenh.—*Impatientiam* scil. appellat inhonestam libidinis tentiginem, quam significationem pluribus exemplis explicat idem Elmenhorstius Indice in Apuleium h. v., et qui de hac voce multus est, J. Fr. Gronovius Obss. lib. iv, cap 25, p. 817, ed Platneri. Crell.

Ut babecali adolescentes solent. Lectionem hanc unice veram e cod. msto primus Arnobio reddidit Salmasius. Occurrit idem vocabulum etiam in Petronii Satyrico, cap. 37, fin: *Ad summam quemvis ex istis babæcalis in rutæ folium conjiciet*, ubi autem diversimode editur, ab aliis *babacelis*, ab aliis *babæculis.* Si *babacelis* legamus, videtur derivandum a græco βαίκηλος seu βάκηλος, inde per reduplicationem βαβαίκηλος, ut ex βάζειν βαβάζειν. Βάκηλος vero dicitur homo magnæ staturæ, sed excors vel effœminatus. Sed præfero *babecalis*, compositum ex βαβαὶ et καλοί. Et ita apud nostrum legendum, ut sit sensus: *belli (si diis placet) adolescentes.* Dictum scil. per ironiam: *unsere schonen, feinein jungen Herren.* Quod vocabulum non intelligentes alii interpretes perperam mutarunt nostrum locum, v. c. Gelenius edens: *ut bacchari adolescentes solent*, quam lectionem tuetur multisque astruit exemplis Heraldus. *Bacchari* scil. cum lascivia quadam et petulantia vagari, et lasciviam suam spargere, proterve vagari ac discurrere, et quasi vitulari: quo sensu occurrit apud Lucretium, libro v, 821 seq:

Animal prope certo tempore fudit
Omne quod in magnis bacchatur montibu' passim.

et Lampridium in Commodo: *in palatio per convivia et balneas bacchabatur.* Meursius legendum conjicit: *ut vagari adolescentes solent*, eodem sensu, probante Rigaltio ad Artemidor., Oneirocrit., lib. ii, cap. 53, p. 97, ed. Reiff. Sed præstat Codicis scriptura *babecali* eo sensu, quo diximus. Orell.

Ex infinitis corporibus. Salmasius reposuit: *ex finitis*, hoc est e mortalibus. Sed nil mutandum. *Ex infinitis* dictum pro *ex innumeris.* Meursius conjicit: *ex infinitis initis corporibus*, haud male. V. *initis* (idem quod stupratis) facillime absorberi poterat ab extremis litteris præcedentis vocabuli. Orell.

XXIII.—*Adulteria tamen legibus vindicant, et capitalibus afficiunt eos pœnis.* Adulterium hic capitale facit, quomodo et auctor Queroli pag. 11, Ammianus Marcellin., Hist., lib. xxviii, pag. 397, et Theodoretus, sermone iii, contra Græcos, pag. 45.

fœdera genialis se lectuli expugnatione jecisse. Subsessoris et adulteri persona cujus esset turpitudinis, notæ cujus, regum maximus nesciebat, et speculator ille, ut fama est, bene meritorum, ac pessime, quidnam deceret se velle rationibus pectoris non perspiciebat amissis. Et tolerari forsitan male tractatio hæc posset, si cum saltem personis conjungeretis comparibus, et adulter a vobis immortalium constitueretur dearum. In humanis vero corporibus quidnam, quæso, inerat pulchritudinis, quid decoris, quod irritare, quod flectere oculos posset in se Jovis? Cutes, viscera, pituita, atque omnis illa proluvies intestinorum sub involucris constituta, quam non modo Lynceus ille penetrabili acie possit horrescere, verum etiam quivis alter sola vel cogitatione vitare. O egregia merces culpæ, o digna et pretiosa dulcedo, propter quam Jupiter maximus cygnus fieret, et taurus, et candidorum procreator ovorum.

A **XXIV. Si aperire oculos mentis, et veritatem propriam intueri sine ulla vultis gratificatione privata, miseriarum omnium causas, quibus genus, ut dicitis, jamdudum afflictatur [a] humanum, ex hujusmodi reperietis opinationibus fluere, quas habebatis antiquitus de diis vestris; et quas in melius reformare ante oculos posita veritate renuistis. Nam nos quidem quidnam de illis aliquando, aut inconveniens sensimus, aut conscriptionibus edidimus indecoris, ut in invidiam jaciantur nostram labores generis humani, et commoditates, quibus vivitur, imminutæ? Numquid a nobis dicitur, ut ciconias, ut palumbes, ex ovis esse progenitos quosdam deos? Numquid ex pelagi spuma, et ex cœli genitalibus amputatis Cithereæ Veneris concretum coaluisse candorem? Numquid parricidii causa vinctum esse Saturnum, et suis diebus** B **tantum vinculorum ponderibus relevari? Num-**

LECTIONES VARIANTES.

[a] Flictatur *ms.*

COMMENTARIUS.

Romæ morte punitum non est, sed relegatione. Tiberius imperator primus pœnam auxit: viris videlicet deportationem, fœminis deportationem et publicationem bonorum. Primus Constantinus Magnus adulterii crimen capitis pœna vindicavit, sacrilegosque nuptiarum temeratores gladio punivit. Vide Cujac., lib. VI Observatt., cap. 11; Brissonius, ad legem Jul. de adulteriis, pag. 91; Theodorus Marcilius ad Institut. Justinian., pag. 755. ELMENH. — At cum vilibus fœminis et publicanis meretricibus consuetudo fuit impunita: cujus rei ratio est, quod neminem proprie lædi existimarent. Plautus, in Curculione: C

Nemo heic prohibet, nec vetat,
Quin quod palam est venale, si argentum est, emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via,
Dum ne per fundum septum faciat semitam.
Dum te abstineas nupta, vidua, virgine,
Juventute, pueris liberis, ama quod lubet.

Ergo, modo corporibus alienis et liberis abstinerent, libidinem suam passim effundere poterant sine ullo infamiæ metu. Quare Sossiani, qui ancillas compresserat, *opinionem gravatam potius, quam infamia afflictam*, Diocletianus et Maximianus Impp. rescripserunt. Quam igitur cæca sit prudentia humana, vel hinc manifestum. HERALD.

Genialis lectuli expugnatione. B. Cyprianus: *Ille matrimonii expugnator alieni* Zeno Veronensis, sermone de Patientia: *Verum tamen in ipso fructu suo, quo expugnati pudoris alieni labe gaudere consuevit, semper infelix est.* Nec temere *genialis lectuli* dixit. Sic enim violari significat et ipsum γαμήλιον θεόν. Apuleius Miles. II. *Et a nexu quidem Venereo hospitis tuæ tempera, et probi Milonis genialem torum religiosus suspice.* HERALD.

Subsessoris et adulteri persona. Subsessores sunt insidiantes mulieribus ad committendum adulterium. Valerius Max., lib. II, cap. 1, § 5: *Nulli enim tunc subsessorum alienorum matrimoniorum oculi metuebantur.* Ubi vide intpp. et Taubmann., ad Virgil., Æn. XI, pag. 974. ORELL.

Notæ cujus. Glossæ: *Nota*, ψόγος, σπίλος. Papias: *Nota, peccatum, dedecus, macula.* Nonius: *Nota dicitur probrum.* Lucilius, lib. XXX:

Quem scis scire tuas omnes maculasque, notasque.
ELMENH.

Amissis. Ita Meursius et Salmasius optime pro *amissi*. ORELL.

Maletractatio. Infra lib. V: *Immunes tamen a deorum maletractatione nec sic estis.* HERALD.—Conf. Turneb., Adversar., lib. XI, cap. 20, et Pontan., ad Macrob., Satur. V, cap. 17, pag. 543, ed. Zeun. ORELL.

Quod flectere oculos possit in se Jovis. Sic egregie locum restituit Meursius. Antea legebatur: *quod flectere oculos possit inde Jovis.* ORELL.

O egregia merces culpæ. Quod in membranis esset: *o gra merces*, arbitrabar legi posse: *o grandis merces.* Ita *grandis pecunia* ap. Plautum. Vide Commentarios Vegetianos (ad lib. III, cap. 7, pag. 289, ed. Vesal.) STEWECH.

XXIV. — *Veritatem propriam intueri.* Mire placet Stewechii conjectura: *veritatem promptam*; id est apertam, cunctorum expositam oculis. Vide supra ad lib. II, cap. 57. ORELL.

Labores generis humani. Labores hoc loco pro calamitatibus, incommodis, ut sæpissime. ORELL.

Ex ovis esse progenitos quosdam deos. Ita verissime restituit ed. Lugd. Bat. Antea legebatur: *ex Jove esse progenitos.* Alludit autem Arnobius vel ad Castores, vel potius ad deos Syros, quos *ovorum progeniem* dixit supra lib. I, cap. 36. ORELL.

Cythereæ Veneris concretum coaluisse candorem. Macrobius, I. sat., cap. 8. *Hunc* (Saturnum) *aiunt abscidisse Cœli patris pudenda, quibus in mare dejectis Venerem procreatam; quæ a spuma, unde coaluit, Aphrodite nomen accepit.* Ubi vide Pontan. ORELL.

Numquid parricidii causa vinctum esse Saturnum, et suis diebus tantum vinculorum ponderibus relevari. Sic eleganti conjectura reposuit J. Lipsius, Epistol. Quæst., lib. III, epist. XV, Oper. tom. I, pag. 532, D ed. Vesal. Nam opinio veterum erat Saturnum suis, id est Saturnalium diebus iterum quasi regni compotem esse, cæterum annum in vinclis haberi. Lucianus in Chronosolon.: Ἦν δὲ οὐ πεδήτης, οὐδὲ αὐχμοῦ πλέως, οἷον αὐτὸν οἱ ζωγράφοι..... ἐπιδείκνυνται, ἀλλὰ τὴν μὲν ἅρπην εἶχε πάνυ τεθηγμένην· τὰ δὲ ἄλλα φαιδρός τε ἦν, καὶ καρτερὸς, καὶ βασιλικῶς ἐνεσκεύαστο. Editio princeps corruptissime: *Saturnum et ab his diebus tantis vinculorum ponderibus elevari*, unde Gelenius fecerat: *et suis diebus tantis vinculorum ponderibus relevari.* Meursius autem: *et aliquis* (id est aliquibus) *diebus tantis vinculorum ponderibus relevari.* Codex ms. habet: *Et ablui diebus tantis*, etc. quod tuetur Salmasius, in ed. Lugd. Bat., et ad Solin., cap. 15, pag. 132, locum ita refingens: *Et ablui diebus statis, vinculorum ponderibus et levari. Ablui* dictum putat Salmasius pro *absolvi*, ut *dilui* pro *dissolvi* ap. Ciceronem, de Amicit., cap. XXI, *amicitiæ diluendæ magis quam discendendæ*, cui addi potest alter Ciceronis locus plane geminus de Offic., lib. II,

quid beneficio Curetum ab interitu servatum Jovem? Numquid expulisse regno patrem, et alieni juris imperium violentia et fraude tenuisse? Numquid pulsum a nobis senem Italorum delituisse in finibus, et quod tutus fuisset a filio, nomen Latio imposuisse pro munere? Numquid incestas nuptias cum sorore Jovem ipsum dicimus fecisse nos? aut invitatum ad jus mensæ pro suillis visceribus prolem nescium Ly- A caoniam pransitasse? Numquid altero claudum pede apud insulam Lemnum fabrilia opera exercuisse Vulcanum? Numquid cupidinis atque avaritiæ causa, sicut canit Bœotius Pindarus, Æsculapium fulminis transfixum esse telo? Numquid Apollinem ditem factum, eos ipsos reges, quorum gazis fuerat locupletatus et donis ambiguitate fefellisse responsi? Numquid furem Mercurium publicavimus? Num nos esse L-

COMMENTARIUS.

cap. 33: *amicitias, quæ minus delectent et minus probentur, magis decere censent sapientes sensim diluere, quam repente præcidere.* At cum in utroque Ciceronis loco optimi Codices et probatissimæ editiones habeant *dissuendæ* et *dissui*, neque alibi uspiam inveniatur *ablui* pro *absolvi*, equidem sequi malui emendationem Lipsii. *Suis diebus* etiam de Saturnalibus multo significantius quam *statis*. ORELL.

Beneficio Curetum ab interitu servatum Jovem. Vide supra ad lib. III, cap. 41. ORELL.

Numquid expulisse regno patrem, etc. Minucius Felix, cap. 22: *Saturnus, Creta profugus, Italiam, metu filii sævientis accesserat, et Jani susceptus hospitio rudes illos homines et agrestes multa docuit, ut Græculus et politus, litteras imprimere, nummos signare, instrumenta conficere. Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium, et urbem Saturniam dedit de suo nomine..... Ejus filius Jupiter Cretæ, expulso parente, regnavit.* Conf. Lucian., Saturnal.; Cyprianus, de Idolis; Lactant., lib. I, cap. 13, 14; Euseb., Præparat. Evangel., lib. III, cap. 3; Tertullian., Apologet., cap. 10. ELMENH.

Numquid pulsum a nobis senem Italorum delituisse in finibus, etc. Ita Membranæ, quod vitiosum sine dubio. Gelenius et Elmenhorstius legit: *Pulsum a Jove*, probante Heraldo. Heinsius, epist. 257, ad J. G. Græv., in Sylloge Burman., vol IV, pag. 329, corrigit: *Pulsum culpa Jovis*, quod probat Grævius in epistola sequenti, pag. 331. Equidem puto unius vocis transpositione locum sanandum, ita scil. legendo et interpungendo: *Numquid a nobis: pulsum senem Italorum delituisse in finibus. Numquid a nobis* scil. dicitur, quod repetendum ex verbis paulo ante præcedentibus: *Numquid a nobis dicitur, ut ciconias, ut palumbes, ex ovis esse progenitos quosdam deos?* Nec minus convenit huic emendationi, quod statim sequitur: *Numquid incestas nuptias cum sorore Jovem ipsum dicimus fecisse nos?* ORELL.

Nomen Latio imposuisse pro munere. Vide Minucii Felicis locum modo laudatum et Virgil. Æn. VIII.

Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Conf. Prudent. contra Symmach., lib. I. ELMENH.

Numquid incestas nuptias cum sorore Jovem ipsum dicimus fecisse nos? Tertullian., Apologet., cap. 14: *Jovem fœde subantem in sororem.* Firmicus, de Errore profan. relig. *Junonem sane, et ne huic deesset incestus, Jovis volunt ex sorore conjugem factam.* ELMENH.

Aut invitatum ad jus mensæ pro suillis visceribus prolem nescium Lycaoniam pransitasse. Codex ms. habet: *Pro illis visceribus*, unde Stewech. legendum censet: *Pro hillis visceribus. Hiræ, hillæ* quid sint, docuimus supra ad lib. II, cap. 42. *Suillis* est ex emendatione Gelenii. Lycaonis fabula vulgata, varie tamen relata ab antiquis Mythographis. Conf. Apollodor., bibl. III, cap. 8., Segm. I, pag. 302, seqq., ed. Heyn., nov., ubi vide Notas. Hygin., fab. 176, ibique Munker. Nicol. Damascen., pag. 446; Suid. in Λυκάων; Scholiastes Lycophron., ad vers. 481, et, qui illam elegantissimis versibus exposuit. Ovid., Met. I, 214, seqq. Noster autem sequitur Clementem Alexandrin. in Protrept., pag. 11 (31, ed. Potter): Μετείληφε δὲ καὶ τραπέζης ἀνθρωπίνης παρὰ τοῖς Αἰθίοψιν ἀπανθρώπου δὲ καὶ ἀθέσμου αὐτὸς ὁ Ζεὺς παρὰ Λυκάονι τῷ Ἀρκάδι ἑστιώμενος· ἀνθρωπείων γοῦν ἐνεφορεῖτο σαρκῶν οὐχ ἑκών· ἠγνόει γὰρ ὁ Θεὸς, ὡς ἄρα Λυκάων ὁ Ἀρκὰς, ὁ ἑστιάτωρ αὐτοῦ, τὸν παῖδα κατασφάξας τὸν αὐτοῦ (Νύκτιμος ὄνομα αὐτοῦ) παραθείη ὄψον τῷ Διΐ. ORELL.

Numquid altero claudum pede, etc. Hujus rei [illegible] B meminit Clemens in Protrept., pag. 8 (25 ed. Potter.): Ἥφαιστος δὲ, ὃν ἔρριψεν ἐξ Ὀλύμπου Ζεὺς βηλοῦ ἀπὸ θεσπεσίοιο, ἐν Λήμνῳ καταπεσὼν, ἐχάλκευε, πηρωθεὶς τὼ πόδε.

. . . . . . ὑπὸ δὲ κνῆμαι ῥώοντο ἀραιαί.

(Hom. Illiad., Σ, 410). TH. CANTER. Hæc verba revocant mihi in memoriam veteres eos, qui claudi essent, per jocum dictitasse Vulcani filios. Observo et Orphei Argonauticis, vers. 211:

Ἐν δὲ Παλαιμόνιος Λέρνου νόθος ἤλυθεν υἱός·
Σίνετο δὲ σφυρὰ δισσὰ, πόδας δ' οὐκ ἦεν ἀρηρώς·
Τοὔνεκεν Ἡφαίστοιο γόνον καλέεσκον ἅπαντες. MEURS., p. 135.

Numquid cupidinis atque avaritiæ causa, ut canit Bœotius Pindarus, Æsculapium fulminis transfixum esse telo. Idem Clemens, p. 1: Ἔχεις καὶ ἰατρὸν, οὐχὶ χαλκὸν μόνον ἐν θεοῖς. Ὁ δὲ ἰατρὸς φιλάργυρος ἦν. Ἀσκληπιὸς ὄνομα αὐτῷ. Καί σοι τὸν σὸν παραθήσομαι ποιητὴν τὸν Βοιώτιον Πίνδαρον (Pyth. Od. III, Antistr. 3).

C

Ἔτραπε κἀκεῖνον ἀγάνορι μι-
σθῷ χρυσὸς ἐν χερσὶ φανεὶς
Ἄνδρ' ἐκ θανάτου κομίσαι
Ἤδη ἑαλωκότα. χερ-
σὶ δ' ἄρα Κρονίων
Ῥίψας δι' ἀμφοῖν, ἀμπνοὰς
Στέρνων καθεῖλεν
Ὠκέως, αἴθων δὲ κεραυ-
νὸς ἐνέσκηψε μόρον.

Οὗτος μὲν οὖν κεῖται κεραυνωθεὶς ἐν τοῖς Κυνοσούριδος ὁρίοις. Et Tertullian. in Apologet., cap. 14: *Est et ille de Lyricis (Pindarum dico), qui Æsculapium canit avaritiæ merito, quam medicinam nocenter exercebat, fulmine judicatum.* CANTERUS et ELMENHORST. Simili modo Tertullianus, Apologet., cap. 14: *Est et ille*, inquit, *de Lyricis, Pindarum dico, qui Æsculapium canit avaritiæ merito, quia medicinam nocenter exercebat, fulmine judicatum. Malus Jupiter, si fulmen illius st, impius in nepotem, invidus in artificem.* NOURR., p. 398.

D *Ambiguitate fefellisse responsi.* Vid. Lucian. Dialog. deor. XVI, Junonis et Latonæ; Cic., de Divin., II, cap. 56; Tertullian., Apologet., cap. XXII; Hieronym., in Esaiam, cap. 41. ELMENH. Respicit Arnobius ad historiam Crœsi et Pyrrhi deceptorum Apollinis oraculo. ORELL.

Numquid furem Mercurium publicavimus? Id est *publice declaravimus, nec ejus famæ pepercimus.* Infra hoc eodem libro (cap. XXXVI): *Dissolvere theatra hæc potius, in quibus infamiæ numinum propudiosis quotidie publicantur in fabulis.* Tertullianus, adv. Judæos, cap. 10: *Nisi quod hic dominicam crucem intentabat, qua serpens diabolus publicabatur.* Id est publice proponebatur ac denotabatur; quemadmodum et eorum, qui ita extinguuntur, fatum magis publicatur, quam si alio mortis genere tollerentur. B. Ambrosius, in cap. 3 Epist. ad Galat., comm. 13: *Quia maledictio omnis, qui pendet in ligno; ut reo mortis sufficeret hoc, quia suspensus moriebatur in ligno; ne diutius* [illegible]

vernam, atque cum hoc simul fraudibus præsidere furtivis? Numquid ex nobis Myrtilus[a] est auctor, qui Macari filiæ Megalconis[b] ancillulas, profitetur fuisse Musas?

XXV. Quis rege a Cyprio, cujus nomen Cinyras est, ditatam[c] meretriculam Venerem divorum in numero consecratam; quis ex reliquiis Pelopis com- A pactum esse palladium, prodidit? non vos? Quis Spartanum fuisse Martem? nonne Epicharmus auctor vester? quis in Thraciæ finibus procreatum? non Sophocles Atticus cunctis consentientibus theatris? Quis in Arcadia? Non vos? Quis mensibus tribus et decem vinctum? Non Melæ[d] fluminis filius? Quis ei non principaliter cum cæteris Apollodorus? Quis dum

LECTIONES VARIANTES.

[a] Myrsilus *Fulv.*
[b] Meglaconis *Sab. mendose.*
[c] Dictatum *Sab. male.*
[d] *Lego ex Plutarcho* Meletis. Elmenh.

COMMENTARIUS.

suspensus, majus haberet opprobrium mors ejus, quam deberet, et fieret macula generi ejus, si amplius mors ejus publicaretur. Quare non est sollicitandus Tertulliani locus, quem iisdem verbis repetit adversus Marcionem libro III. Herald. — Conf. Semler. Ind. Lat. Tertullianeæ. Orell. — Cæterum de fure Mercurio Prudentius Hamartigen. :

Expertes furandi homines hac imbuit arte
Mercurius Maia genitus; nunc magnus habetur
Ille Deus, cujus dedit experientia fures.

Conf. Fulgent, Mythol., p. 171. Suidas v. Ἑρμῆς et κερδῷος. Phurnut. περὶ τῶν θεῶν φύσεως. Elmenh.

Num nos esse Lavernam. Salmasius edidit, *non vos esse Lavernam?* Equidem mutandi causam nullam video. Orell.

Numquid ex nobis Myrtilus est auctor, qui Macari filiæ Megalconis ancillulas profitetur fuisse Musas? Ita locum nostrum restituit Theod. Canterus, in Var. Lect., lib. I, cap. 1, in Gruteri Lampade, vol. III, p. 712, seq., ex Clemente Alexandrino, qui in Protreptico suo hanc historiam pluribus verbis prosequens sic inquit p. 9 (27. ed. Potter.) : Τὰς δὲ Μούσας, ἃς Ἄλκανδρος Διὸς καὶ Μνημοσύνης γενεαλογεῖ, καὶ C οἱ λοιποὶ ποιηταὶ καὶ συγγραφεῖς ἐκθειάζουσι καὶ σέβουσιν· ἤδη δὲ καὶ ὅλαι πόλεις μουσεῖα μὲν ἵζουσιν αὐταῖς Μούσαις. Οὔσας θεραπαινίδας ταύτας ἐώνηται Μεγακλώ, ἡ θυγάτηρ Μάκαρος· ὁ δὲ Μάκαρ Λεσβίων μὲν ἐβασίλευεν. διεφέρετο δὲ ἀεὶ πρὸς τὴν γυναῖκα· ἠγανάκτει δὲ ἡ Μεγακλὼ ὑπὲρ τῆς μητρός· τί δ' οὐκ ἔμελλε; καὶ Μούσας θεραπαινίδας ταύτας, τοσαύτας τὸν ἀριθμὸν ὠνεῖται, καὶ καλεῖ Μύσας κατὰ τὴν διάλεκτον τῶν Αἰολέων· ταύτας ἐδιδάξατο ᾄδειν καὶ κιθαρίζειν τὰς πράξεις τὰς παλαιὰς ἐμμελῶς. Αἱ δὲ συνεχῶς κιθαρίζουσαι καὶ καλῶς κατεπᾴδουσαι τὸν Μάκαρα ἔθελγον καὶ κατέπαυον τῆς ὀργῆς· οὗ δὴ χάριν ἡ Μεγακλὼ χαριστήριον αὐταῖς ὑπὲρ τῆς μητρὸς ἀνέθηκε στήλας χαλκᾶς, καὶ ἀνὰ πάντα ἐκέλευσε τιμᾶσθαι τὰ ἱερά. Καὶ αἱ μὲν Μοῦσαι τοιαίδε· ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Μυρσίλῳ τῷ Λεσβίῳ. Hæc Clemens. Antea legebatur : *Qui Macari filias, Megalconis ancillulas profitetur fuisse Musas,* quam lectionem vitiosam nescio qua de causa retinuit editor Lugd. Bat. De Myrtilo Lesbio vide supra ad lib. III, cap. 37. Orell.

D XXV. — *Quis rege a Cyprio, cujus nomen Cinyras est, ditatam meretriculam Venerem divorum in numero consecratam.* Clemens Alexand., in Protrept., p. 5 (12, ed. Potter.) : Οὐ γάρ με ὁ Κύπριος ὁ νησιώτης Κινύρας παραπείσει ποτ' ἄν, τὰ περὶ τὴν Ἀφροδίτην μαχλῶντα ὄργια ἐκ νυκτὸς ἡμέρᾳ παραδοῦναι τολμήσας, φιλοτιμούμενος θειάσαι πόρνην πολῖτιδα. Firmicus, de Errore profan. relig., p. 425, ed. Gronov.: *Audio Cyniram Cyprium templum amicæ meretrici donasse: ei erat Venus nomen. Initiasse etiam Cypriæ Veneri plurimos, et vanis consecrationibus deputasse. Statuisse etiam, ut quicumque initiari vellet, secreto Veneris sibi tradito, assem in manum mercedis nomine Deæ daret.* Elmenh. — Vide nostrum infra, lib. V, cap. 19; Lactant., lib. I, cap. 20, et Lucian., de Dea Syria Orell.

Quis ex reliquiis Pelopis compactum esse Palladium prodidit. Clemens, l. I, pag. 14. (41, ed. Potter.): [illegible]

Διϊπετὲς καλούμενον, ὃ Διομήδης καὶ Ὀδυσσεὺς ἱστοροῦνται μὲν ὑφελέσθαι ἀπὸ Ἰλίου, παρακαταθέσθαι δὲ Δημοφῶντι, ἐκ τῶν Πέλοπος ὀστῶν κατεσκευάσθαι, καθάπερ τὸν Ὀλύμπιον ἐξ ἄλλων ὀστῶν Ἰνδικοῦ θηρίου. Καὶ δὴ τὸν B ἱστοροῦντα Διονύσιον ἐν τῷ πέμπτῳ μέρει τοῦ Κύκλου περιΐστημι. Conf. qui rem fusius enarrat, Jul. Firmic. de Errore profan. relig., ibique Jos. Scaliger. pag. 454 seq. ed. Gronov. Orell.

Quis Spartanum fuisse Martem? non Epicharmus auctor est? etc. Et hic locus petitus a Clemente Protrept. pag. 8. (24 seq. ed. Potter.): Ἄρης γοῦν, ὁ καὶ παρὰ τοῖς ποιηταῖς ὡς οἴονται τετιμημένος.

Ἄρες, Ἄρες βροτολοιγέ, μιαιφόνε, τειχεσιπλῆτα,

ὁ ἀλλοπρόσαλλος οὗτος καὶ ἀνάρσιος, ὡς μὲν Ἐπίχαρμός φησιν, Σπαρτιάτης ἦν, Σοφοκλῆς δὲ Θρᾷκα οἶδεν αὐτὸν, ἄλλοι δὲ Ἀρκάδα. Canter.

Quis in Thraciæ finibus procreatum? non Sophocles Atticus cunctis consentientibus theatris? Martem apud Thracas natum, testis etiam Vegetius de Re milit., lib. I, cap. ult., adductus poetarum fabulis. Inter eos Euripidem esse scio, quem memini Thraciam Martis domicilium vocare. Itidem Homerum, qui in Odyss. θ cecinit, Martem, vinculis Vulcani solutum, a quo in adulterio deprehensus fuerat, in Thraciam statim abiisse. Deus certe Thracum fuit Mars, ut testis Lycophronis enarrator; cultus maxime in ea civitate, cui nomen Crestone. Stephanus de Urbibus, et de eodem Lycophron, 937:

Ὁρμοτομήσω τόν τε Κρηστώνης θεόν.

Solere porro Thraces Marti et Bellonæ captivorum hostiis litare, testis Ammianus Marcellinus, lib. XXVII. De ferocia, magnanimitate eorumdem, et vitæ ipsius contemptu consulendi Mela, Solinus, Herodotus, Florus, alii. Immo bellicosos usque eo homines illos fuisse Florus commemorat, ut signis militaribus, armis, disciplinæ quoque Romanorum assueverint. Stewech., *ad Vegel., l.* I, *p.* 87, *ed. Vesad.* Add. Vales., ad Ammian. Marcellin., lib. XXI, p. 420. Orell.

Quis mensibus in Arcadia tribus et decem vinctum? non Melæ fluminis filius? Clemens in Protrept. pag. 8. D (26 ed. Potter.) : τοῦτον δὲ Ὅμηρος δεδέσθαι φησὶν ἐπὶ μῆνας τρισκαίδεκα (Il. V, 385 sqq.).

Τλῆ μὲν Ἄρης, ὅτε μιν Ὦτος κρατερός τ' Ἐφιάλτης
Παῖδες Ἀλωῆος δῆσαν κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ·
Χαλκέῳ δ' ἐν κεράμῳ δέδετο τρισκαίδεκα μῆνας.

Homerum itaque vocat Arnobius *Melæ fluminis filium*, Μελησιγενῆ, quam tamen ἐπωνυμίαν aliter accepit ac Herodotus, Plutarchus, Proclus in Vitis Homeri, qui illum referunt ita appellatum propterea quod cum Nympha Critheis, e furtivo concubitu gravida, ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν καλούμενον Μέλητα, id est *juxta Meletem fluvium* prope Smyrnam peperisset. Cum nostro tamen consentit auctor incertus Epigrammatis in Analectis Brunkii, vol. III, pag. 255 :

Υἱὲ Μέλητος Ὅμηρε, etc.

Conf. C. Barth. ad. Stat. III. Silv., vol. I. pag. 312. Hinc Μελητείους χάριτας, Gratias Homeri sive Musas, Meleager in Epigrammatis deduxit, et Tibullus Pa[illegible]

canes ab Caribus, quis ab Scythis asinos immolari? A patruo Pythium, ut conjugalia secreta miscentibus genialibus insultat alienis, hæsisse in laqueis involutum? non commentarii vestri, non scenæ? Numquid aliquando a nobis conscriptum est mercenariam Deos servitutem servisse, ut Herculem sordidi amoris et petulantiæ causa, ut Admeto Apollinem Delium, ut Laomedonti Troico Jovis fratrem, ut eidem, sed cum Minervam luminis ministram, et lucernarum moderatricem? Nonne ille vester est vates, qui Martem fecit et Venerem mortalium manibus vulneratos? Non ex vobis Panyassis unus est, qui ab Hercule Ditem patrem, et reginam memorat sauciatam esse Junonem? Non viraginem ab Ornyto cæsam, cruen-

COMMENTARIUS.

negyrico Messalæ *Meleteas chartas*. Vide N. Heins., Advers., lib. I, cap. 8, pag. 78, seqq. Apud Græcos itaque constanter Μέλης, ητος. Quare Elmenhorst. legend. censet *Meletis*. Cæterum locum hunc in editionibus omnibus male luxatum Joh. Jortin in l. tit. *Tracts Philological, Critical and Miscellaneous* Lond., 1790, tom. II, pag. 139, sic optime restituit: *Quis in Arcardia? Non vos? Quis mensibus tribus et decem vinctum? Non Melæ*, etc. Arnobius enim hic exscripsit ac presso pede secutus est Clementem suum. Nec etiam Homerus Martem in Arcadia vinctum, sed tantummodo vinctum memorat tredecim mensibus, loci notatione non addita. ORELL.

Quis ei canes ab Caribus, quis ab Scythis asinos immolari? non principaliter cum cæteris Apollodorus? Clemens, l. I., sic pergit : Πολλὰ κἀγαθὰ Κᾶρες σχοῖεν, οἱ καταθύουσιν αὐτῷ τοὺς κύνας· Σκύθαι δὲ τοὺς ὄνους ἱερεύοντες μὴ παυέσθων, ὥς Ἀπολλόδωρός φησιν, καὶ Καλλίμαχος·

Φοῖβος ὑπερβορέοισιν ὄνων ἐπιτέλλεται ἱρούς.

ὁ αὐτὸς δὲ ἀλλαχοῦ·

Τέρπουσιν λιπαραὶ Φοῖβον ὀνοσφαγίαι.

De talibus canum et asinorum sacrificiis vide C. Barth. ad Stat. Theb., XXII, 70, vol. III, pag. 1440; J. Saubert., de Sacrificiis, cap. 23, pag. 518, seqq., ed. Crenii, qui omnes veterum locos diligenter collegit; Verheyk., ad Antonin. Liberal., cap. 20; Potter. ad Clement. l. I, pag. 25; Bentley et Hemsterh. ad Callimachi Fragment., 187 et 188, pag. 511, ed. Ernesti et Heyn. V. S., ad Apollodori Fragment., pag. 394 sq., ed. nov. ID.

Quis, dum genialibus insultat alienis hæsisse in laqueis involutum. Ita Cod. ms. verissime. Geniales lectulos intelligit. Loquitur similiter Arnobius, lib. V. *Quis illa furta dulcissima in alienis genialibus perpetrasse? non vos?* Alii : *genitalibus*, male. Nam *genitalia* membra sunt, quæ nominare, nisi honore præfato, non licet. Arnobius, lib. V, de Attide scribit hæc : *Genitalia sibi desecat*. Supra lib. II. *Genitalibus Opis adjunctus Saturnus*, etsi isthic membranis placet : *Genialibus Opis adjunctus*. Iterum recte editur lib. VI : *Cum ejusdem numinis signo genialibus fusum thoris*. Apuleius, Met., lib. II : *Et a nexu quidem Venereo hospitis tuæ tempera, et probi Milonis genialem thorum religiosius suspice*. De geniali lecto, quem etiam adversum dixere, consulendus J. Lipsius, l. I, Elect., cap. 17, et Joseph. Scaliger, in Castigationibus ad Festum voce *Plutus*. STEWECH.

Numquid aliquando a nobis conscriptus est mercenariam Deus servitutem servisse? etc. Et hæc sumpta a Clemente in Protrept., pag. 22., ed. Potteri) : Εἰκότως ἄρα οἱ τοιοίδε ὑμῶν θεοί, δοῦλοι παθῶν γεγονότες ἀλλὰ καὶ πρὸς τῶν Εἱλώτων καλουμένων τῶν παρὰ Λακεδαιμονίοις, δούλειον ὑπεισῆλθεν ζυγὸν Ἀπόλλων Ἀδμήτῳ ἐν Φεραῖς· Ἡρακλῆς ἐν Σάρδεσιν Ὀμφάλῃ· Λαομέδοντι δ' ἐθήτευε Ποσειδῶν καὶ Ἀπόλλων, καθάπερ ἀχρεῖος οἰκέτης, μηδὲ ἐλευθερίας δήπουθεν δυνηθεὶς τυχεῖν παρὰ τοῦ προτέρου δεσπότου· τότε καὶ τοῦ Ἰλίου τείχη ἀνῳκοδομησάτην τῷ Φρυγί. TH. CANTER. — *Mercenariam servitutem* dicit Arnobius expressissime, siquidem isti homines servilia ministeria obibant, iisque, a quibus conducebantur, eodem nexu obnoxii erant, quo liberti patronis. HERALD. — Conf. Tertullian., Apologet., cap. 14, Lactant., Inst., lib. I, cap. 10; Cyprian., de Idolis; Minucius Felix. ELMENH.

Ut Herculem sordidi amoris et petulantiæ causa. Restituo : *ut Omphalæ Herculem Sardibus*. Festinans librarius hanc vocem omisit. Clamant historia, sermonis ἀκολουθία. Deinde tacuisset Herculis et Neptuni B dominos, quibus servierunt, crederem etiam Herculis dominam tacite præterire voluisse. Possit cui legendum videri : *ut Eurystheo Herculem*, quia etiam isti servivit, sed priorem emendationem firmat Clemens, cujus loca pleraque in his ultimis libris exprimit. Ille ita : Δούλειον ὑπεισῆλθον ζυγὸν Ἀπόλλων Ἀδμήτῳ ἐν Φεραῖς, Ἡρακλῆς ἐν Σάρδεσιν Ὀμφάλῃ, etc. MEURS.— Fulv. Ursinus ex Clemente refingit : *ut Herculem Sardibus amoris et petulantiæ causa*, hancque correctionem in textum recepit Salmasius. Sed nil mutandum. Nam loca, in quibus Hercules et Apollo servilia officia obierunt, ab Arnobio haud memorantur. ORELL.

Minervam luminis ministram et lucernarum moderatricem. Sic emendavit Th. Canterus. Editio princeps *modulatricem*. Quam lectionem defendit C. Barthius ad Stat. Theb., III, 661, vol. II, pag. 856, putans hic alludi simul ad lucubrationem et olivum. Stewechius mavult *inoleatricem*. Clemens l. I. : Ὅμηρος δὲ τὴν Ἀθηνᾶν οὐκ αἰσχύνεται παραφαίνειν λέγων τῷ C Ὀδυσσεῖ, χρύσεον λύχνον ἔχουσα ἐν χεροῖν. (Odyss., XIX, 33 seq.) ORELL.

Nonne ille vester est vates, qui Martem fecit et Venerem mortalium manibus vulneratos? etc., etc. Clemens, l. I, p. 23 (31. ed. Potteri) : Τεκμηριοῖ δὲ Ὅμηρος μάλα ἀκριβῶς, Ἀφροδίτην ἐπὶ τῷ τραύματι περιστάγων ὀξὺ καὶ μέγα ἰάχουσαν· αὐτὸν δὲ τὸν πολεμικώτατον Ἄρη ὑπὸ τοῦ Διομήδους κατὰ τοῦ κενεῶνος οὐτασμένον διηγούμενος. Πολέμων δὲ καὶ τὴν Ἀθηνᾶν ὑπὸ Ὀρνύτου τρωθῆναι λέγει· καὶ μὴν καὶ τὸν Ἀϊδωνέα ὑπὸ Ἡρακλέους τοξευθῆναι Ὅμηρος λέγει. καὶ τὰς Ἡλίου αὐγὰς (ita enim legendum) Πανύασσις ἱστορεῖ· ἤδη δὲ καὶ τὴν Ἥραν τὴν ζυγίαν ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ Ἡρακλέους ὁ αὐτὸς οὗτος Πανύασσις ἐν Πύλῳ ἠμαθόεντι· Σωσίβιος δὲ καὶ τὸν Ἡρακλέα πρὸς τῶν Ἱπποκοωντιδῶν κατὰ τῆς χειρὸς οὐτασθῆναι λέγει. CANTERUS et ORELL.

Panyassis. Ita in romano codice legitur pro *Panyasis*, et videtur in eo Arnobius noster secutus esse Græcos, qui per duplex scribunt : alioqui Latini euphoniæ gratia per unum scribunt. Sed auctori nostro D græcissari aliquando in deliciis est. CANTER. — Panyasis florens circa Olymp. 78, cujus fuerit, et quo satus sit parente, ne inter veteres quidem convenisse, Suidas testis est. Duris fuisse Samium tradidit ac Dioclis filium, alii Halicarnassensem dixere et filium Polyarchi, alii Herodoti avunculum. Floruit circa Ol. 78. Scripsit Antiquitates Græciæ, sed carmine; item Heracleidem Libris XIV, versibus novies millenis (ex quo carmine petita videntur, quæ ex eo referunt Clemens et Arnobius), item Ionica versu pentametro. Vide Suid. et, qui de eo multus est, G. J. Voss., de Hist. Græc., lib. IV, cap. 6. ORELL.

Ab Ornyto cæsam. Meursius mavult *læsam*, quia ineptum sit dicere Deam immortalem ab homine mortali occisam, et Clemens, quem sequitur Arnobius noster, habeat τρωθῆναι, quod probo. Nam licet *cædo, ere*, sæpissime dicatur pro verberare, vulnerare, participium tamen *cæsus* absolute positum, ut et *cædes, is*, hoc significatu legisse non memini. Et

tatam, vexatam, Polemonis vestri indicant scripta? Non ab Hippocoontis liberis ipsum Sosibius Herculem cruciatum retulisse pronuntiat, et illati vulneris, et doloris? Apud insulam Cretam sepulturæ esse mandatum Jovem nobis editum traditur? In Spartanis et Lacedæmoniis finibus nos dicimus conditos, in cunis coalitos fratres? Noster ille est auctor, qui Patrocles Thurius scriptorum in titulis indicatur, qui tumulos memorat, reliquiasque Saturnias tellure in Sicula contineri? Chæroneus Plutarchus nostrarum esse A partium comprobatur, qui in Œteis verticibus Herculem, post morborum comitialium ruinas dissolutum in cinerem prodidit?

XXVI. Nam quid de illis amoribus dicam, quibus in fœminas sanctos incaluisse cœlestes, vestris proditum litteris, atque auctoribus continetur? Numquid enim a nobis arguitur rex maris Amphitritas, Hippothoas, Amymonas, Menalippas, Alopas, per furiosæ cupiditatis ardorem castimoniæ virginitate privasse? Numquid Apollo Latonius immaculatus ille, castissi-

COMMENTARIUS.

facillime potuerunt C et L confundi a librariis. Orell.

Polemonis. Polemo Evegeti filius, cognomento Helladicus, genere iliensis, æqualis Aristophanis B Grammatici, Panætii discipulus, floruit sub Ptolemæo Epiphane, circa Olymp. 168. Varia ejus scripta de origine civitatum, Phocidis, Ponti, Laconiæ Geographiam, de cursu solis libros III nec non Historiam Græcanicam, etc., etc. Citant Athenæus et Suidas. Consulendus de eo præ cæteris G. J. Vossius, de Hist. Græc., lib. I, cap. 18. Orell.

Ab Hippocoontis liberis ipsum Sosibius Herculem cruciatum retulisse pronuntiat et illati vulneris et doloris. Exscripsit hæc noster ex Clementis Protrept. Hyginus tamen affirmat Fab. 31, Herculem Hippocoontem cum decem filiis occidisse. Idem dicit Apollodorus, lib. II Bibliothecæ (cap. 7, § 3). Elmenh. Vide Heyn. V. S., not. ad Apollodor., l. I., pag. 188, ed. nov. De Sosibio Lacone, Grammatico, æquali Callimachi, vide Suid.; Censorin., de Die Nat., cap. 21; J. Lips., ad Taciti Annal., XI, 1; et G. J. Voss., de Hist. Græc., lib. I, cap. 15. Orell.

Apud insulam Cretam sepulturæ esse mandatum Jovem nobis editum traditur? etc. Clemens in Protrept. C pag. 24. (32. ed. Potter.) : Ζήτει σου τὸν Δία· μὴ τὸν οὐρανὸν, ἀλλὰ τὴν γῆν πολυπραγμόνει. Ὁ Κρής σοι διηγήσεται, παρ᾽ ᾧ καὶ τέθαπται. Καλλίμαχος ἐν ὕμνοις·

καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο.

Vide supra ad lib. III, cap. 30. Orell.

In Spartanis et Lacedæmoniis finibus nos dicimus conditos, in cunis coalitos fratres? etc., etc. Hæc et sequentia iterum ex Clementis l. I., pag. 19. (26. ed. Potter.) : Φιλόχορος δὲ ἐν Τήνῳ Ποσειδῶνά φησι τιμᾶσθαι ἰατρόν. Κρόνον δὲ ἐπικεῖσθαι Σικελίᾳ καὶ ἐνταῦθα αὐτὸν τετάφθαι. Πατροκλῆς δὲ ὁ Θούριος καὶ Σοφοκλῆς ὁ νεώτερος ἐν τρισὶ τραγῳδίαις ἱστορεῖτον τὼ Διοσκούρω πέρι· Ἀνθρώπω τινὲ τούτω τὼ Διοσκούρω ἐπικήρω γενέσθην· εἴ τῳ ἱκανὸς πιστώσασθαι Ὅμηρος τὸ λελεγμένον (Il. Γ, 243.).

τοὺς δ᾽ ἤδη κάτεχεν φυσίζοος αἶα
Ἐν Λακεδαίμονι αὖθι, φίλῃ ἐνὶ πατρίδι γαίῃ.

Προσίτω δὲ καὶ ὁ τὰ Κυπριακὰ ποιήματα γράψας·

Κάστωρ μὲν θνητός, θανάτου δέ οἱ αἶσα πέπρωται,
Αὐτὰρ ὅ γ᾽ ἀθάνατος Πολυδεύκης, ὄζος Ἄρηος.

Τοῦτο μὲν ποιητικῶς ἐψεύσατο. Ὅμηρος δὲ ἀξιοπιστότερος αὐτοῦ εἰπὼν περὶ ἀμφοῖν τοῖν Διοσκούροιν. *Fratres* itaque κατ᾽ ἐξοχὴν appellat hoc loco Arnobius Tyndaridas, Castores. Orell.

Patrocles Thurius scriptorum in titulis indicatur. Stewech. conj. *in titulis indigitatur*, eodem sensu : contra quem bene observat Ol. Borrichius, in Cogitat., p. 129, *indigitare* ap. Latinos non esse *indicare* vel *supra digitos recensere*, sed *invocare*. Ita Macrobius, Sat., lib. I, cap. 17 : *Lindii colunt Apollinem* λοίμιον, *hoc cognomine finita pestilentia nuncupatum. Eadem opinio sospitalis et medici Dei in nostris quoque sacris fovetur : namque Virgines Vestales ita indigitant : Apollo Medice, Apollo Pæan.* Hinc *indigitamenta* libri cerimoniales. Vid. sup. ad lib. II, cap. 73. Pro *indicare, indicere*, usus videtur hoc verbo Tertullianus de jejunio : *Cum stupet cœlum et aret annus, nudipedalia denuntiantur, magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, precem indigitant, hostiam instaurant.* Ubi vero *indigitant* possis etiam explicare *inchoant preces, precibus se ad festum præparant.* — De Patrocle Thurio vide Voss., de Hist. Græc., lib. III, Op., vol. IV, pag. 184, ed Amst. Orell.

Chæroneus Plutarchus, etc. Sic editi. Sed codex ms. regius exhibet : *Hieronymus, Plutarchus.* Verum si Arnobius heic, quemadmodum et alibi, Clementem Alexandrinum sequitur, scribendum erat : *Hieronymus et Dicæarchus* vel : *Hieronymus philosophus.* (Verba Clementis sunt p. 19. Sylb. : Ἡρακλέα οὖν καὶ αὐτὸς Ὅμηρος θνητὸν οἶδεν ἄνθρωπον. Ἱερώνυμος δὲ ὁ φιλόσοφος καὶ τὴν σχέσιν αὐτοῦ ὑφηγεῖται τοῦ σώματος, μικρὸν, φριξότριχα, ῥωστικὸν δὲ σχιζίαν, νευρώδη, μέλανα, γρυπὸν, ὑποχαροπὸν, τετανότριχα. οὗτος οὖν Ἡρακλῆς δύο πρὸς τοῖς πεντήκοντα ἔτη βεβιωκὼς κατέστρεψε τὸν βίον διὰ τῆς ἐν Οἴτῃ πυρᾶς κεκηδευμένος. Orell. — Ab illo enim uterque citatur Protrept., pag. 19. Nihil tamen in Arnobii textu temere mutandum arbitramur. Nourrius. — Et omnino nihil mutandum. Nam Arnobius hoc loco, relicto Clemente suo, videtur secutus fuisse Plutarchum, qui librum scripsit de Vita Herculis, teste Lampria et A Gellio, Noct. Att., I, 1, cujus fragmenta quædam collegit Cl. Wyttenbach., in editione sua Operum Moral. Plutarchi, nostrum etiam locum haud prætermittens. Cæterum de Herculis obitu in monte Œta conf. Minuc. Fel., Lactant., lib. I, cap. 9; Augustin., de Civ. Dei, lib. XVIII, cap. 4; Servius, in Virgil., Eclog. VIII; Firmic., de Error. profan. rel.; Hygin., fab. 36. Orell.

XXVI. — *Numquid enim a nobis arguitur rex maris Amphitritas, Hippothoas, Amymonas, Menalippas, Alopas per furiosæ cupiditatis ardorem castimoniæ virginitate privasse? Alopas* pro *Alcyonas* edidit Salmas. Hic etiam Arnobius ad verbum pene expressit Clementem suum, cujus verba in Protrept., pag. 20, (27. ed. Potteri) hæc sunt : Κάλει μοι τὸν Ποσειδῶ, καὶ D τὸν χορὸν τὸν διεφθαρμένον ὑπ᾽ αὐτοῦ, τὴν Ἀμφιτρίτην, τὴν Ἀμυμώνην, τὴν Ἀλόπην, τὴν Μελανίππην, τὴν Ἀλκυόνην, τὴν Ἱπποθόην, τὴν Χιόνην, τὰς ἄλλας τὰς μυρίας· ἐν αἷς δὴ καὶ τοσαύταις οὔσαις ἔτι τοῦ Ποσειδῶνος ὑμῶν ἐστενοχωρεῖτο τὰ πάθη. Ex eodem fonte hausisse videtur Julius Firmicus, de Errore profan. rel., pag. 427, ed. Gronov. : *Adulteria omnia eorum enumerare difficile est. Quis Amymonen? quis Alopen? quis Menalippen? quis Chionen Hippothoenque corrupit? Nempe Deus vester hæc fecisse memoratur.* Ubi Jo. Wowerius in Arnobio rescribendum putat *Chionas* pro *Alcyonas.* Sed utram omiserit, non constat, cum ambæ memorentur a Clemente. De *Chione* vide Apollodor., Bibl. III, cap. 15, Segm. 4, pag. 368, ed. Heyn. novæ : de *Amymone* eumdem lib. II, cap. 1, segm. 4, pag. 121; Hygin., fab. 169, ibique Munker. et Schol. ad Euripid. Phœniss., vers. 195. Pro *Menalippas* idem Wowerius ad Firmic. l. I. rescribendum censet *Melanippas* ex Clemente. Sed *Menalippe* etiam Juvenali dicitur sat. VIII, 229; Varroni, de Re

mus, atque purus, Arsinoas, Æthusas, Hypsipylas, Marpessas, Zeuxippas, et Prothoas, Daphnas, et Steropas, inconsulti pectoris appetisse fervoribus? Numquid senex Saturnus jamdudum obsitus canis, atque annorum vetustate jam frigidus, nostris carminibus indicatur ab uxore in adulterio comprehensus induisse formam feri, et sub pecoris specie hinnitibus evolavisse jactatis? Jupiter ipse rex mundi, nonne a vobis infamatus est isse per innumeras species, et A petulantis amoris flammam servilibus obumbravisse fallaciis? Numquid a nobis aliquando conscriptus est libidinosa ut perficeret furta, modo esse in aurum versus, modo in satyrum ludicrum, in draconem, in alitem, in taurum, et quod omnia genera contumeliarum transiliat, in formiculam parvulam, ut Clitoris videlicet filiam, Myrmidonis redderet apud Thessalos matrem? Quis illum in Alcmena novem noctibus fecit pervigilasse continuis? non vos? Quis in amoribus

COMMENTARIUS.

Rust., II; A. Gellio, lib. XII, cap. 11, ubi vide A. Thysium et Munker. ad Hygin. fab. 186, ubi ejus historia fuse exponitur. De *Hippothœ* videndus Apollodorus, Bibl. II, cap. 4, segm. 5, pag. 147; de *Alope*, matre Hippothoontis ex Neptuno, Pausanias, lib. I, cap. 39, ed. Facii, et Hyginus, fab. 187; de *Alcyone*, quam noster omisit, addit Clemens; idem, fab. 157, et quos laudat ibi Munkerus. Pro *castimoniæ virginitate* Meursius mavult : *Castimonia ac virginitate*, vel : *castimonia virginitatis*. Orell.

Arsinoas, Æthusas, Hypsipylas, Marpissas, Zeuxippas, et Prothoas, Daphnas et Steropas. Clemens p. I. sic pergit : κάλει μοι καὶ τὸν Ἀπόλλω· Φοῖβός ἐστιν οὗτος, καὶ μάντις ἁγνὸς, καὶ σύμβουλος ἀγαθός· ἀλλ' οὐ ταυτὰ ἡ Στερόπη λέγει, οὐδὲ ἡ Αἴθουσα, οὐδὲ ἡ Ἀρσινόη, οὐδὲ ἡ Ζευξίππη, οὐδὲ ἡ Προθόη, οὐδὲ ἡ Μάρπισσα, οὐδὲ ἡ Ὑψιπύλη· Δάφνη γὰρ ἐξέφυγε μόνη καὶ τὸν μάντιν καὶ τὴν φθοράν. Jul. Firmicus, l. l., pag. 428 : *Ille, quem volunt severis oraculis errantium hominum peccata corrigere, Steropen amat, Æthusam rapit, Zeuxippen stuprat, quærit Prothoen et Arsinoe adultera cupiditate blanditur. Sed ex isto corruptarum mulierum grege una puella amatorem deum et vitavit et vicit. Daphnen enim divinans deus et futura prædicens nec invenire potuit, nec stuprare. De Arsinoe*, Æsculapii matre, vide præ cæteris Scholiastem Pindari ad Pyth., III, 14; C Apollodor. Bibl. II, cap. 10, segm. 3, ibique Heyn. V. S. Obss., pag. 176, ed. nov. *Æthusas* restituerunt e Clemente Meursius et Stewechius. Antea legebatur *Chrysas*. Vide eumdem Apollodor., lib. III, cap. 10, init. *Hypsipylæ*, tamquam amicæ Apollinis, nullus, quod scio, meminit præter nostrum et Clementem. *Marpissæ* autem historiam servavit nobis Apollodorus Bibl. I, cap. 70, segm. 8, p. 49, *Zeuxippæ* et *Prothoæ* mentionem alibi frustra quæsivi. Daphnes fabulam elegantissimis versibus exornavit Ovidius, Met., I, 452, seqq. Conf. Hygin., fab. 203. Orell.

Numquid senex Saturnus..... nostris carminibus indicatur ab uxore in adulterio comprehensus, etc. Jun. Philargyrius ad Virgil., Georg. III, 93 : *Saturnus, cum Philyram Oceani filiam in Thessalia adamasset, et cum ea coiret, adventante uxore se in equum, illam in equam convertit, atque ita uterque opprobrium effugerunt*. Elmenh. — Conf. Hygin. fab. 138, et quos laudat ibi Munkerus. Orell.

Induisse formam feri, id est *equi*. Virgil., Æn. II, 51 :

> Inque feri curvam compagibus alvum
> Contorsit.

Accius Medea :

> Perite in stabulis frenos immittens feris. Herald.

Hæc ex Nonio. Conf. Livinæus in Nazarii Paneg., cap. 29, pag. 79. Vol. II ed. Jæger. Cassiodor. Psalm. 31. *Frenum enim a fero retinendo dictum est, ferum quippe antiqui caballum dixerunt*. Hinc Centauri dicti *semiferi*, id est *Semiequi*. Conf., qui plura exempla attulit. Savaro ad Sidon., carm. XI, pag. 135. Orell.

Jupiter ipse rex mundi nonne a vobis infamatus est isse per innumeras species? Sic edidi ex emendatione J. G. Grævii in Epistola ad N. Heinsium 258. Syllogm. Burmann., vol. IV, pag. 331. Antea legebatur : *infamis est*. At infinitivus *isse* non adjectivum, sed participium flagitat. Orell.

Servilibus obumbravisse fallaciis. N. Heinsius in Epist. ad Græv. 257, legendum censet aut *pervilibus*, aut *versipellibus fallaciis*; at idem in Epist. 259, mavult B *vernilibus fallaciis*. *Vernile* enim omne vocabant, quicquid homine ingenuo minus habebatur dignum. Sed eodem sensu dicitur etiam *servilis*, quod recte defendit Grævius in Epist. 258. Cui non notæ Davorum, Getarum fallaciæ et doli in comœdiis? Orell.

Conscriptus est. Vide supra ad lib. I, cap. 56. Id.

Modo esse in aurum versus, etc. Clemens in Protrep., p. 24 (32. ed. Potteri) : Τέθνηκε γὰρ ὁ Ζεύς, μὴ δυσφόρει, ὡς Λήδα, ὡς κύκνος, ὡς ἀετὸς, ὡς ἄνθρωπος ἐρωτικὸς, ὡς δράκων. Firmicus, de Errore profan. rel., pag. 427 : *Adulterio delectatur aliquis, Jovem respicit, et inde cupiditatis suæ fomenta requirit, probat, imitatur et laudat, quod deus suus in cygno fallit, in tauro rapit, ludit in satyro, et ut liberalis in flagitiis esse consuescat, quod inclusam regiam virginem auro largiter fluente corruperit*. Elmenh. et Orell.

Modo in satyrum ludicrum, in draconem. N. Heinsius in Epistola 257, ad J. G. Græv. Sylloges Burmann. vol. IV, pag. 329, legendum censet : *Modo in Satyrum* (accusat. Græc.). *lubricum in draconem*, probante Oudendorpio in Apulei., Met., lib. I, pag. 22. Mihi antiqua lectio bona videtur et minime mutanda. *Ludicrus* enim convenientissimum Satyrorum epitheton, qui saltantes, ludentes, salaces, protervi sæpissime dicuntur a poetis. Neque ullibi invenire potui *Satyr, is*, declinatione tertia. Orell.

In formiculam parvulam, ut Clitoris videlicet filiam Myrmidonis redderet apud Thessalos matrem. Ita verissime locum restituit Gelenius ex Clemente, qui in Protrept. p. 25 (34 ed. Potter.) sic inquit : Τί δὲ, οὐ πάλιν Θετταλοὶ μύρμηκας ἱστοροῦνται σέβειν, ἐπεὶ τὸν Δία μεμαθήκασιν ὁμοιωθέντα μύρμηκι, τῇ Κλήτορος θυγατρὶ Εὐρυμεδούσῃ μιγῆναι καὶ Μυρμιδόνα γεννῆσαι. Ed. princeps corruptissime : *Ut Clitoris videlicet filiam Mirdonis edere apud Thessalos matrem*. Orell.

Quis illum in Alcmena novem noctibus fecit pervigilasse continuis. Arnobius hic Clementem sequitur, cujus D verba in Protrept. p. 9 : Εἰς ὅσον διελήλακεν ἀσελγείας ὁ Ζεὺς ἐκεῖνος, ὁ μετ' Ἀλκμήνης τοσαύτας ἡδυπαθήσας νύκτας; οὐδὲ γὰρ αἱ νύκτες αἱ ἐννέα τῷ ἀκολάστῳ μακραί· ἅπας δὲ ἔμπαλιν ὁ βίος ἀκρασίᾳ βραχὺς ἦν, ἵνα δὴ ἡμῖν τὸν ἀλεξίκακον σπείρῃ θεόν. Ubi Potterus, p. 28, hæc annotat : « Plerique Jovem tres noctes cum Alcmena concubuisse referunt; unde Lycophron Herculem ex illo concubitu genitum vocat τριέσπερον Cassandr., vers. 33, et Justinus in Parænesi. *Ternoctem Herculeam* dixit Statius Theb. XII, Seneca in Agamemnone duas noctes refert; quem numerum habet etiam Propertius, lib. II, eleg. XXII, 25. Martianus Capella, lib. II, et Hygin., fab. 29; Hieronymus, adv. Vigilantium, cap. 4, et Ovidus, lib. I, Amor., eleg. XIII; Plautus, in Prologo Amphitr., unam noctem dicit, sed longiorem. Cum Clemente et Arnobio consentit Cyrillus adv. Julian., lib. VI, p. 196 ; Γεγράφθω δὲ καὶ Ἀλκμήνη, μεθ' ἧς τὰς ἐννέα διετετέλεκε νύκτας ὁ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις αἰσχρὸς [illegible]

desidem derelicta cœli statione jacuisse? non vos? Et sane adjungitis beneficia non parva : siquidem vobis Deus Hercules natus est, qui in rebus hujusmodi patris sui transiret exuperaretque virtutes. Ille noctibus vix novem unam potuit prolem extundere, concinnare, compingere : at Hercules sanctus Deus natas quinquaginta de Thestio nocte una perdocuit, et nomen virginitatis exponere, et genitricum pondera sustinere. Quid quod non contenti fœminei generis attribuisse diis curas, etiam sexus adjungitis A adamatos ab his mares? Hylam nescio quis diligit. Hyacintho est alius occupatus, ille Pelopis desideriis flagrat, hic in Chrysippum suspirat ardentius, Catamitus rapitur delicium futurus, et poculorum custos. Et ut Jovis dicatur pullus, in partibus Fabius aduritur mollibus, obsignaturque posticis.

XXVII. Sed soli amant apud vos mares, et fœmineo sexui sua conservata est sanctitas. Nonne vestris cautum est litteris adamatum esse ab Aurora Titho-

COMMENTARIUS,

οὐκ ἔχων. » Conf. M. A. Delrio, in Syntagm. Tragœdiæ latinæ, P. II, p. 286. Orell.

Hercules sanctus deus. *Sanctus*, id est castus, integer vitæ. Vide supra ad cap. 16 ejusdem libri. Ita scil. Arnobius Herculem vocat εἰρωνικῶς, ut bene observat C. G. Schwarz., ad Plinii Paneg., cap. I, p. 3. Quare non audiendus Stewechius reponens *Hercules sanctus deus.* Sancus quidem nomen Herculis apud Sabinos. Vide Varronem, de Lingua latina, lib. IV; et Cellar., ad Lactant. Inst., lib. I, cap. 15, p. 95, ed. Bunemann. Sed hoc plene alienum a nostro loco. Orell.

Natas quinquaginta de Thestio. Alii : *de Thespio.* Sed in nomine *Thestii* consentiunt Pausanias in Bœoticis, p. 302. Athenæus, lib. XIII, p. 556, ed. Casauboni; Nazianzenus, Orat. I, in Julian.; Suidas, in Θεστιάδες et præ cæteris, quem noster secutus est; Clemens Alex., in Protrept., p. 28, ed. Potteri, cujus verba hæc sunt : Διὸς υἱὸς Ἡρακλῆς, Διὸς ὡς ἀληθῶς, ὁ ἐκ μακρᾶς γεννώμενος νυκτός· τοὺς μὲν ἄθλους τοὺς δώδεκα πολλῷ ταλαιπωρησάμενος χρόνῳ· τὰς δὲ πεντήκοντα Θεστίου θυγατέρας νυκτὶ διαφθείρας μιᾷ. Conf. Fronto Ducæus. ad Tatian., orat. in græc., p. 78, ed. Worth. Orell.

Et nomen virginitatis exponere. J. G. Grævius in Epistola ad N. Heinsium, 258, Syllog. Burmann, vol. IV, p. 331, legendum censet : *Nomen virginitatis deponere.* Gelenius ed. *ponere.* Sed vide quæ supra annotavimus ad ejusdem libri cap. 21. *Nomen virginitatis exponere* est itaque virginitatem prostituere; ut *nomen agelli* agellus, *nomen patriæ* ap. Justinum patria. Vide supra, ad lib. I, cap. 5. Orell.

Quid quod non contenti fœminei generis attribuisse diis curas. Stewechius mavult interpungere : *Quid? quod.* Sed parum aut nihil interest, utro modo distinguamus. *Curas* recte interpretatur idem Stewechius de amoribus citans locum notissimum Virgilii Æn. IV, init. :

At regina, gravi jamdudum saucia cura,
Vulnus alit venis et cæco carpitur igni.

Festus, *Cura*, inquit, *dicta est*, *quasi cor edat*, *vel quia cor urat*, ubi vid. Dacer. Orell.

Etiam sexus adjungitis adamatos ab his mares. In cod. ms. deest *sexus.* Orell.

Hylam nescio quis diligit. Id est Hercules. Sic *aliquis* quandoque. Tertullian., Apologet., cap. 11 : *Quot tamen potiores viros apud inferos reliquistis? aliquem de sapientia Socratem, de justitia Aristidem*; et cap. 12 : *O impiæ voces, o sacrilega convicia! Infrendite, inspumate. Iidem estis, qui Senecam aliquem pluribus et majoribus de vestra superstitione perorantem reprehendistis.* Sic Græci quandoque τινά dicunt eleganter, cum aliquem perstringunt. Aristophanes in Ranis : κακὸν ἥκει τινί, et ἥκει τῷ κακόν, etc.

ἀγορεύω τινί
Ἐμὲ μὴ βασανίζειν ἀθάνατον ὄντα.]

Alicui dico ἀγορεύω τινί, id est tibi ipsi. Sic eadem fabula : ἤλγησέ τις, et alibi compluries. Sic Plautus in Amphitryone : *Olet homo quidam malo suo.* Sic enim recte; non *quidem.* Herald. — Hæc et sequentia mutuatus est Arnobius iterum a Clemente suo, p. 28, ed.

B Potter. : Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ παίδων ἀπέσχοντο οἱ παρ' ὑμῶν θεοί· ὁ μέν τις Ὕλλου· ὁ δὲ Ὑακίνθου, ὁ δὲ Πέλοπος· ὁ δὲ Χρυσίππου· ὁ δὲ Γανυμήδους ἐρῶντες. Similiter et Jul. Firmicus, de Errore prof. rel., p. 427, ed. Gronov. : *Puerorum aliquis delectatur amplexibus, Ganymedem in sinu Jovis quærat, Herculem videat Hylam impatienti amore quærentem, Hyacinthi desiderio captum Apollinem discat, Chrysippum alius, alius Pelopem videat, ut per deos suos sibi licere dicat quicquid hodie severissime Romanis legibus vindicatur.* Orell.

Hyacintho est alter occupatus. Hyacinthi ab Apolline amati fabulam versibus elegantissimis tradidit Ovidius, Met. X, 162 seqq. Conf. Hygin., fab. 271. Orell.

Ille Pelopis desideriis flagrat. Neptunus scil., a quo Pelopem amatum scribit Tatianus Or. contra Græcos et Pindarus Olymp., I, 38 : Πέλοπος· τοῦ μεγασθενὴς Ἐράσσατο γαιάοχος Ποσειδῶν. Orell.

Hic in Chrysippum suspirat ardentius. Chrysippi Pelopis filii ab Laio rapti fabulam tradit Ælianus, Var. Hist., XIII, 5. Apollodor. Bibl. III, c. 5, segm. 5, ibique Heyn. V. S. in Obss., p. 237, ed. nov., et C Bœttiger., in Wielandi l. l. *Attisches Museum* vol. I, p. 346, seq. A Theseo inter ludos raptum, refert Hyginus fab. 271, si sana est lectio. Vide Munker. Ab ipso Jove, Praxilla Sicyonio ap. Athenæum, lib. XIII, p. 603, ed. Casaubon. Orell.

Catamitus. Festus : *Catamitum pro Ganymede dixerunt, qui fuit Jovis concubinus.* Papias : *Catamitus.... Ganymedes. Ganymedes mollis fuit; ex quo Catamiti dicuntur molles.* Sic noster infra : *Catamitus puer pudoris spoliatus est honestate.* Plura hujus nominis exempla collegerunt C. Barthius, in Adversar., lib. XXIII, c. 7, p. 1128; L. Bunemann., ad Lactant., Inst. I, c. 11, p. 67, et P. Burmann., II, in Anthol. lat., lib. III, Epigr. 92, vol. I, p. 547. Orell.

Delicium futurus et poculorum custos. Sic edidi ex emendatione editoris Lugd. Bat verissima. Alii : *deliciarum futurus et poculorum custos.* Sed *deliciarum custos*, minime ad Ganymedem spectat. Neque enim propudiosa fabula. C. Barthius, in Adversar., l. I, D legendum suspicatur *deliciarium futurus*, hoc est in quo maximæ Jovis deliciæ sint reconditæ. Sed vocabulum *deliciarum, ii*, frustra quæsivi in Lexicis. Orell.

Et ut Jovis dicatur pullus, in partibus Fabius aduritur mollibus, obsignaturque posticis. Festus.... *Pullus Jovis dicebatur Q. Fabius, cui Eburno cognomen erat propter candorem, quod ejus natis fulmine icta erat. Antiqui autem puerum, quem quis amabat, pullum ejus dixere.* Herald. — Ad quem Festi locum Dacerius hæc annotat : « Fabium illum intellige, qui cognominatus est Ambustus, toti porro familiæ illud cognomen dedit. Ambusti enim proprie, quos Jupiter *fulminis afflavit ventis et contigit igni.* A *puer* puerus, puerulus, pullus. Nisi malis *pullus* esse a πῶλος, quod mihi etiam magis placet. Nam πῶλος Græcis catamitus et meretrix. Hesychius : Πῶλος..... ἑταίρα. πώλους γὰρ αὐτὰς ἔλεγον οἷον Ἀφροδίτης πώλους, ἢ τοὺς νέους καὶ τὰς νέας καὶ παρθένους. » Orell.

XXVII.— *Nonne vestris cautum est litteris.* Locus

num, arsisse in Endymionem Lunam, Nereidem in Æacum, in Achillis genitorem Thetim, Proserpinam in Adonem, matrem ejus Cererem in Jasionem nescio quem rusticanum, et post Vulcanum, Phaethontem, Martem, in Anchisæ nuptias ipsam illam Venerem Æneadum matrem, et romanæ dominationis auctorem? Cum talia igitur vos probra, et flagitiosa prodigia, non in unum aliquem nominatim, sed in omnem pariter superorum gentem, quam esse vos reminì, sine ullius exceptione jaciatis, audeatis, salva verecundia, A dicere, aut esse nos impios, aut vos pios, cum multo majores ferant a vobis offensas ex omnibus probris quæ in illorum maledicta conducitis, quam amplitudinis et honoris ex ritu atque officio cultionis? Aut enim falsa illa sunt cuncta, quæ sunt prompta de singulis, existimationem illorum majestatemque lædentia: et res digna omnino est, propter quam dii funditus genus omne debeant abolere mortalium: aut si explorata et vera sunt, et sine ullis dubitationibus comprehensa, ad eam perducitur res summam, ut

COMMENTARIUS.

absque dubio vitiosus et corruptus, sed tamen qui vel unius litteræ mutatione facile sanari et in integrum restitui possit. Vult enim auctor noster dicere: *Nonne vestris litteris continetur et celebratum est?* eamque significationem hoc vocabulum non admittere, satis constat. Quare minima, ut dixi, mutatione hanc veram et sinceram lectionem auguror, si pro *cautum* legamus *cantum*, id est cantatum. TH. CANTER.— Equidem vulgatam lectionem verissimam habeo. Nimirum verba hæc respiciunt ad præcedentia: *fœmineo sexui sua conservata est sanctitas.* Atqui pergit Arnobius: *Nonne* (*hoc*) *vestris cautum est litteris*, scil. ne conservaretur fœmineo sexui sua sanctitas. Est itaque h. l. zeugma vel syllepsis, figura notissima, qua verbum unum ad duas diversas sententias refertur, quarum uni tantum convenit. Vide Jul. Rufinian. de Schemat. Lex. annex. Rutilio Rufo, p. 228, ed. Ruhnken. Hoc loco igitur oratio ita supplenda: *Nonne vestris* (hoc scil. ne conservaretur fœminarum sanctitas) *cautum est litteris* (et traditum), *adamatum esse ab Aurora Tithonum*, etc. ORELL.

Adamatum esse ab aurora Thitonum, etc., Et hæc a Clemente suo mutuatus est Arnobius, qui C in Protrept. p. 28, seq., ed. Potter. sic inquit: Ἀλλ' οἱ μὲν ἄῤῥενες ἄυτοῖς τῶν θεῶν ἴσως μόνοι ἅπτουσι περὶ τὰ ἀφροδίσια·

Θηλύτεραι δὲ θεαὶ μένον οἴκοι ἑκάστη,

φησὶν Ὅμηρος· αἰδούμεναι αἱ θεαὶ διὰ σεμνότητα Ἀφροδίτην ἰδεῖν μεμοιχευμένην· αἱ δὲ ἀκολασταίνουσιν ἐμπαθέστερον ἐν τῇ μοιχείᾳ δεδεμέναι· Ἠὼς ἐπὶ Τιθώνῳ, Σελήνη ἐπὶ Ἐνδυμίωνι, Νηρηῒς ἐπὶ Αἰακῷ, καὶ ἐπὶ Πηλεῖ Θέτις· ἐπὶ δὲ Ἰάσωνι Δημήτηρ, καὶ ἐπὶ Ἀδώνιδι Φερεφάττα· Ἀφροδίτα δὲ ἐπ' Ἄρει κατησχυμμένη, μετῆλθεν ἐπὶ Κινύραν, καὶ Ἀγχίσην ἔγημεν, καὶ Φαέθοντα ἔλαχεν, καὶ ἦρα Ἀδώνιδος. Conf. Apollodor., bibl. III, c. 12, segm. 4, ibique Heyn. Obss., p. 300 seq. ed. nov., et, qui locus classicus, Hom. Hymn. in Ven., 219, seq. ORELL.

In Endymionem Lunam. Notissima fabula. Vid. Apollodor., lib. I, c. 7, segm. 5, et quos laudat ibi Heynius V S.; p. 43 seqq.: Hygin., fab. 261; Fulgent., myth. II, 19. ORELL.

Nereidem in Æacum. Apollodor., lib. III, c. 12, vers. 9: Μίγνυται δὲ αὖθις Αἰακὸς Ψαμάθῃ τῇ Νηρέως εἰς φώκην ἠλλαγμένῃ διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι συνελθεῖν, καὶ τεκνοῖ παῖδα Φῶκον. De amoribus Pelei et Thetidis notissima fabula. ORELL.

Proserpinam in Adonem. De amoribus Veneris et Proserpinæ in Adonidem locus classicus est apud Apollodor., Bibl. III, cap. 19, S. 4, ubi vide Heyn. V. S. Obss., pag. 326, ed. nov., et Meziriac., in Ovid. Epist., pag. 357, sqq. Hinc Adonis a Theocrito Id. XV, 86, dicitur τριφίλατος, ubi Scholiastes, τριφίλατος, inquit, ὁ πολυφίλατος, ὡς καὶ παρ' Ὁμήρῳ Ἀσπασίῃ τριφίλητος· ἢ ὅτι ὑπὸ τριῶν ἐφιλήθη, Διὸς, Ἀφροδίτης καὶ Περσεφόνης ἐν ᾅδῃ. Cæterum de duplici forma *Adon, is*, et *Adonis, idis*, vid. Oudendorp., ad Apulei. Met., lib. II, pag. 155, seq. ORELL.

Matrem ejus Cererem in Jasionem. Ita verissime locum restituerunt L. Carrio, in Emendd., lib. II, cap. 17; Lampad. Gruter., tom. III, Part. II, p. 180, et M. A. Delrio, in Syntagm. Trag. lat., tom. III, B pag. 260, probante Salmasio in ed. Lugd. Bat., et ad Script. Hist. Aug., vol. I, pag. 440. Antea legebatur: *Adonem marem ejus, Cererem in Jasionem.* Vitiosissime: neque enim, quomodo Adonis Veneris mas aut latine aut vere dici possit, facile dixeris. Contra Cererem matrem esse Proserpinæ tironibus notum. De Jasione locus classicus ap. Homerum, Od. V, 125 sqq.:

Ὡς δ' ὁπότ' Ἰασίωνι ἐϋπλόκαμος Δημήτηρ
Ὧ θυμῷ εἴξασα μίγη φιλότητι καὶ εὐνῇ,
Νειῷ ἔνι τριπόλῳ· οὐδὲ δὴν ἦεν ἄπυστος
Ζεὺς, ὅς μιν κατέπεφνε βαλὼν ἀργῆτι κεραυνῷ.

Conf. Apollodor., Bibl. III, cap. 12, init. ibique Heyn. V. S. Obss., pag. 292; Hygin., fab. 270, ibique Munker. Heraclid. Allegor. Hom. pag. 203 seq. ed. Schow., et præ cæteris Sainte-Croix *uber die alten Mysterien* a Lenzio versus, cap. III, p. 66. seq. ORELL.

In Jasionem nescio quem rusticanum. Jasion ab auctore nostro rusticanus ignotæ originis, sed a Nonno (Dionys. XLVIII, vers. 969.) vir agricola et Cereris C conjux, ab aliis Jovis et Electræ, et a quibusdam Menois et Phroniæ filius dicitur. Ab Hesiodo autem (Theog., vers. 969) perhibetur ex Cerere Plutum genuisse:

Δημήτηρ μὲν Πλοῦτον ἐγείνατο δῖα θεάων
Ἰασίῳ ἥρωϊ μιγεῖσ' ἐρατῇ φιλότητι.

Adi adhuc, si velis et vacet, Theocritum (Id. III, vers. 50.) et Ovidium Metam. IX, NOURR., pag. 402.

Phaethontem. Sic ex editione principe et Clementis, l. I, refinxit Th. Canterus, in Var, Lectt., lib. I, cap. 19, in Lampade Gruteri, vol. III, part. I, p. 730, Antea legebatur *Phæonem*. Sed valde placet conjectura J. Potteri apud nostrum et Clementem legendum censetis *Phaonem*, cum quo Venerem rem habuisse testantur Athenæus, lib. II. sub finem, pag. 69, ed. Casauboni: Κρατῖνος δέ φησι, Φάωνος ἐρασθεῖσαν τὴν Ἀφροδίτην ἐν καλαῖς θριδακίναις αὐτὸν ἀποκρύψαι, Μαρσύας δ' ὁ νεώτερος ἐν χλόῃ κριθῶν. Et Ælian. Var. Hist., lib. XII, cap. 18, ubi vid. Perizon., pag. 744 seq., ed. A. D Gronov. Contra nec Phaonem nec Phaethontem amatum a Venere ullus veterum commemorat. ORELL. — Ego tamen etiam arbitror Arnobium *Phaethontem* scripsisse, atque eadem apud Clementem, quæ nos nunc legimus, sua ætate legisse. Erravitne vir optimus rerumque antiquarum scientissimus in his dearum amoribus enarrandis? Sic equidem existimo; neque adeo emendandum, sed ob errores, nostra saltem ætate nullius momenti, excusandum potius. *Phaethontem* itaque dixisse videtur, quem *Phaona* dicere debuerat. VALCKENAER, *ad Callimachi Eleg. Fragm. pag.* 119.

In Anchisæ nuptias. Vid. Hygyn. fab. 94. ELMENHORST.

Quæ in eorum maledicta conducitis. Proba lectio. Id est, quæ ad eos maledictis vexandos corraditis. Nihil igitur mutandum. Sic autem *conducere* sæpe apud Lucretium et alios. HERALD. — Male itaque Fulv. Ursinus: *Quæ in illos vestra maledicentia corraditis.* ORELL.

invitissimis vobis non generis superi, sed humani eos fuisse credamus.

XXVIII. Ubi enim nuptiæ, matrimonia, puerperia, nutrices, artificia, debilitates, ubi status capitis, et conditio servitutis, ubi vulnera, cædes, cruor, ubi amores, desideria, voluptates, ubi omnis animorum affectio ab inquietis perturbationibus veniens, necesse est divinum nihil istic esse: nec quod proprium caduci est generis, et terrenæ fragilitatis, præstantiori posse adhærere naturæ. Quis est enim qui credat, si modo agnoscit ac percipit vis istius potentiæ quæ sit, aut genitales [a] habuisse partes deum, et abscissione fœdissima privatum his esse: aut ex se proditas aliquando intercepisse proles, et vinculorum coercitum pœnis: aut cum patre quodammodo conseruisse bella civilia, et eum jure abstinuisse regali [b]: aut exterritum minoris metu vertisse exuperatum terga, et tamquam fugitivum et exulem in submotis delituisse secretis? Quis est, inquam, qui credat ad humanas accubuisse deum mensas, interemptum avaritiæ causa, fefellisse supplices ambiguitate A responsi, præcellere in furtorum dolis, adulterasse, servisse, vulneratum esse, et adamasse, et per omnes libidinum formas incestarum cupiditatum circumegisse pellaciam? Atquin omnia vos ista et fuisse, et inesse in diis asseveratis vestris: neque ullam prætermittitis speciem vitiositatis, maleficii, lapsus, quam non in convicium numinum opinionum petulantia conferatis. Aut igitur vobis quærendi sunt dii alii, in quos omnia ista non cadant: in quos enim hæc cadunt, humani sunt generis atque terreni: aut si hi sunt tantummodo, quorum nomina publicastis et mores, opinionibus tollitis vestris. Mortalia sunt enim quæcumque narratis.

B XXIX. Et possumus quidem hoc in loco omnes istos nobis quos inducitis atque appellatis deos, homines fuisse monstrare, vel Agragantino Evhemero replicato, cujus libellos Ennius, clarum ut fieret cunctis, sermonem in Italum transtulit; vel Nicanora Cyprio, vel Pellæo Leonte, vel Cyrenensi Theodoro, vel Hippone ac Diagora Meliis, vel auctoribus aliis

LECTIONES VARIANTES.

a Genitabiles *ms.*

b Reguli *Sab.*

COMMENTARIUS.

XXVIII. — *Artificia.* Aut intelligendæ artes obstetriciæ, aut respicit Arnobius ad ea, quæ supra dixerat, lib. II, cap. 18: *Non sunt ista* (artificia) *scientiæ munera, sed pauperrimæ necessitatis inventa.* ORELL.

Status capitis. Hoc est libertas, nam soli liberi caput habere, servi sine capite esse in civitate censentur. TURNEB., *Adversar., lib.* XI, *cap.* 20, *pag.* 341.

Et eum jure abstinuisse regali. De loquendi modo *abstinere aliquem aliqua re* bonæ et probatæ latinitatis vid. J. Lips. Epistol. Quæst., lib. II, Epist. V, Oper., tom. I, pag. 488, ed. Vesal. ORELL.

Secretis. Idem quod *secessibus*, sensu proprio et primario. ORELL.

Præcellere in furtorum dolis. Ita ms. Editio princeps Romana, ut videtur, operarum vitio: *Præcellere in furtorum donis*, quam lectionem tamen tuetur Heraldus intelligens de Mercurio furibus propitio, donaque per furtum ablata hominibus obferente. Gelenius et hic mutandi libidini indulgens edidit: *Præcellere in furum ordine.* Stewechius mavult: *Præcellere in amorum furtis.* Equidem nullam causam video cur deserenda sit codicis ms. lectio rectissime revocata a Meursio et editore Lugd., quæque convenientissima est iis, quæ supra, cap. 24, dixerat de Mercurio: *Fraudibus præsidere furtivis.* ORELL.

Pellaciam. Sic infra, cap. 35: *Ora immutare pellacia* (ubi vide notas), et lib. V, cap. 21: *Jovialis monumenta pellaciæ.* Lucretius, lib. V, vers. 1002:

Nec poterat quemquam placidi pellacia Ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.

ELMENH.

XXIX. — *Agragantino Evhemero.* Lactantius, Inst., l. I, c. 11: *Antiquus auctor Evhemerus, qui fuit ex civitate Messene, res gestas Jovis et cæterorum, qui dii putantur, collegit, historiamque contexuit ex titulis et inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur..... Hanc historiam et interpretatus est Ennius et secutus.* Conf. Minuc. Fel. Octav., c. 21; Cicero, de Nat. deor., I, c. 42; Sext. Empiric., adv. Mathem., IX, 17, ibique Fabric., p. 552; Augustin., de Civ. Dei, l. VI, c. 7, et l. VII, c. 26; Euseb., de Præparat. evangel., l. II, c. 4, et e recentioribus G. J. Voss., de Hist. Græc., l. I, c. 11; Columbn., ad Ennii Fragm., p. 311; Brucker., Hist. Crit. Philos., et præ cæteris J. J. Zimmermannus nostras in Defensione Evhemeri ab Atheismo insert. Opuscul. Theolog., t. II, p. 1052, seqq. Cæterum et hoc loco Arnobius ante oculos habuit Clementem Alexandr. C qui in Protrept., p. 20, edit. Potteri sic inquit: Ὧν δὴ χάριν θαυμάζειν ἔπεστί μοι, ὅτῳ τρόπῳ Εὐήμερον τὸν Ἀκραγαντῖνον, καὶ Νικάνορα τὸν Κύπριον, καὶ Διαγόραν, καὶ Ἵππωνα τὸν Μήλιον, τόν τε Κυρηναῖον ἐπὶ τούτοις ἐκεῖνον, ὁ Θεόδωρος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἄλλους συχνούς, σωφρόνως βεβιωκότας καὶ καθεωρακότας ὀξύτερόν που τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων τὴν ἀμφὶ τοὺς θεοὺς τούτους πλάνην, ἀθέους ἐπικεκλήκασιν. ORELL.

Nicanora Cyprio. Scribo *Nicanore Cyprio.* Ita eum nominant Clemens, Lactantius, alii non pauci. MEURS.—Ita emendandus Arnobius ex Clemente. Alii, *Nicagora Cyprio.* Nicanorem forte intelligit Epicuri discipulum, cujus meminit Diogenes Laertius, l. X, segm. 20. POTTER., *ad Clement.*, l. I.

Pellæo Leonte. Hunc a Clemente omissum de suo addidit Arnobius. Neque quod sciam, alius ejus meminit. Vid. Voss., de Hist. Græc., l. III, Op., t. IV, p. 179, ed. Amst. — Hæc primum Orellius; postea autem subdidit: Delenda omnino prima verba anno-D tationis nostræ. Atqui meminit Clemens Leontis illius in Stromat., l. I, p. 322 (Sylb.): Λέων δέ, ὁ τὰ περὶ τῶν κατ' Αἴγυπτον θεῶν πραγματευσάμενος, τὴν Ἶσιν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων Δήμητρα καλεῖσθαί φησιν. Nec non Tatianus Orat. in Græc., c. 44: Λέοντος κεκτημένοι τὰ ὑπομνήματα πρὸς τοὺς ἀφ' ἡμῶν ἐλέγχους δυσχεραίνεται. Is itaque Leo, quem Pellæum fuisse ex uno Arnobio discimus, scripsit Αἰγυπτιακά sive librum de diis Ægyptiis, in quibus ea videtur tradidisse, quæ gentilium superstitionem falsamque de diis suis religionem redarguerint. Conf., qui de hoc Leonte aliisque hujus nominis, Alabandensi et Byzantio, multus est, W. Worth. ad Tatian., l. I., p. 86. ORELL.

Cyrenensi Theodoro. Hujus meminit Cicero, de Nat. deor., I, c. 1; et Diogenes Laertius, II, 86, 101. Vide Ernesti in Clav. Cic. ORELL.

Diagora. Vid. Cic., de Nat. deor., I c. 1 et 23; Suidas, Lactant., I, c. 2, ibique Bunemann., p. 14. ORELL.

mille, qui scrupulosæ diligentiæ cura in lucem res abditas libertate ingenua protulerunt. Possumus, inquam, si placet, et Jovis res gestas, et Minervæ expromere bella, virginis et Dianæ; quibus dolis Liber Indorum affectaverit regnum, cujus fuerit conditionis Venus, cujus operæ, cujus quæstus: matrimonium magna cujus tenuerit mater; quidnam spei, quid voluptatis specioso ab Attide conceperit. Unde Serapis Ægyptius, unde Isis, vel ex quibus causis appellatio ipsa concinnata sit nominum.

XXX. Sed non istam suscepimus in eo sermone, quem facimus, vel operulam, vel voluntatem, ut ostendamus et publicemus, quinam fuerint hi omnes. Illud nobis propositum est, ut quoniam nos impios et irreligiosos vocatis, vos contra pios[a] et deorum contenditis esse cultores, demonstrare, [atque in medio ponere ab hominibus magis nullis ignominiosius eos tractari, quam a vobis. Quod si habere se ita ex ipsis maledictionibus promptum est, sequitur ut intelligi debeat vos superis stimulos indignationum furialium commovere, qui tam fœdas de illis vel auditis, vel creditis, vel ignominiosas ipsi compingitis fabulas. Non enim qui sollicite relegit, et immaculatas hostias cædit, qui acervos thuris dat concremandos igni, numina censendus[b] est colere, aut officia solus religionis implere. Cultus verus in pectore est, atque opinatio de diis digna; nec quidquam prodest illatio sanguinis et cruoris, si credas de his ea quæ non modo sint longe ab eorum dissita distantiaque natura, verum etiam labis et turpitudinis aliquid, et majestati eorum concilient, et decori.

XXXI. Interrogare enim vos libet, et ad sermonis exigui responsionem vocare, utrumne gravius existimetis nullas cædere his hostias, quia putes naturam tantam neque velle, neque appetere istas; an talia de his probra opinionum fœditate concipere, quæ cujusvis animum in ultionis possint rabiem concitare? Si rerum momenta pendantur, nullum reperias tam invidum judicem, qui non criminosius existimet maledictis insignibus cujuspiam famam carpi, quam a quoquam silentio præteriri. Hos enim forsitan rationis existimari possit et credi; *illud sacrilegæ* mentis est, et desperatæ in fictionibus cæcitatis. In cæremoniis vestris, rebusque divinis, postulionibus[c] locus est, et piaculi dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiæ lapsum, aut in verbo

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Fulv*. Nos *Sab. male*.
[b] Consentiendus *Sab*., *sed male*.
[c] Postilionibus *ms*. Pollutionibus *Fulv*. postulationibus. *Sab.*, *Cœl. vide Not.*

COMMENTARIUS.

Scrupulosæ diligentiæ cura. *Scrupulosus*, id est, μικρολόγος, qui in minima quæque inquirit. Ita Frontin., de Aquæd., l. II, init., *scrupulosa inquisitione præeunte*. Ubi vid. Keuchen., p. 383. ORELL.

Et Minervæ expromere bella, virginis et Dianæ. Meursius, p. 136. Sic interpungit, *et Minervæ expromere bella virginis, et Dianæ*, putans Arnobium exprimere voluisse epitheton Minervæ Παρθένος, quo nomine ab Atheniensibus culta. ID.

Cujus fuerit conditionis Venus, cujus operæ, cujus quæstus. Hæc omnia significantissime dicuntur, *conditio*, *opera*, *quæstus*. De *conditione* notavimus antea. *Opera* quoque proprie. Sic ἐργάζεσθαι, dicunt, et meretrices vocantur ἐργάσιμοι; atque earum ἐμπολή ac quæstus ἐργασία. De *quæstu* puerilis observatio est. Sed observent hunc Plauti locum in Asinaria tirones:

> Mater, is quæstus mihi est.
> Lingua poscit, corpus quærit, animus orat, res monet.
>
> HERALD.

Conf. Oudendorp., ad Apulei., Met., l. VIII, p. 578. ORELL.

Specioso ab Attide. Glossæ, *speciosus*, εὐειδής..... Chirius Fortunatianus, l. III Rhetor., p. 109: *Speciosam uxorem habeo*. Servius, ad l. IX, Æn., 539: *Atys puer speciosus*. ELMENH.

XXX. — *Non enim qui sollicite relegit*. Alludit etymon religionis: *Qui enim omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter pertractarent, et tanquam relegerent, sunt dicti religiosi*, ait M. Tullius (de Nat. deor., II, 28). Atque hanc sententiam secutus est Arnobius. Melius tamen ejus discipulus Lactantius (Inst., l. IV, c. 28) religionem a religando appellatam existimavit. Ut enim a *postulo* fit *postulio*, sic a *religo religio*. Sed notationis rationem non videtur satis intellexisse, etsi Lucretii versum protulit ad hanc totam rem declarandam sane accommodatissimum (I, 931):

> Religionum animos nodis exsolvere pergo.

Et sane ita est. Religio enim proprie horrorem significat, quem res divinæ et vim humanam superantes nobis infligunt: quo fit, ut quasi constricti teneamur, nec animi mentem quoquam convertere audeamus. Virgilius, VIII, Æneid.:

> Jam tum religio pavidos terrebat agrestes
> Dira loci.

Quare *religio* sæpissime est horror, qui objectus nobis ab aliquo signo coercet nos et quasi religatos tenet. Exempla sunt hujus rei infinita. Sed notabile hoc, quod e Plauti Mercatore proferebamus supra in aliam sententiam:

> Respice huc ad dextram, Charine. Nonne ex adverso vides?
> Nubis ater imberque instat. Aspice nunc ad sinistram.
> Cœlum ut splendore est plenum ex adverso vides?

Cha.:

> Religionem illic objecit: recipiam me illico.

Vides hic hominem iter jam ingressum, religione tamen animo objecta quasi religatum, et a suscepto itinere prohibitum. Expresse quoque Arianus, lib. II Dissert. Epict., cap. 7.: Νῦν δὲ τρέμοντες τὸ ὀρνιθάριον κρατοῦμεν, καὶ τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ, Κύριου ἐλέησον, ἐπίτρεψόν μοι ἐξελθεῖν. HERALD. — Ita et vetus quidam apud Agellium lib. IV, cap. 9.

> Relegentem esse oportet, religionum nesas.
>
> MEURS., p. 157.

Quæ non modo sint longe ab eorum dissita distantiaque natura. Ita Meursius in Appendice et editor Lugd. Bat. e ms. Quare perperam mutarunt: *Quæ non modo sint longe ab illorum divina præstantique natura*. ORELL.

XXXI. — *In cæremoniis vestris rebusque divinis postulionibus locus est*. Hæc est verissima Cod. ms. lectio, quam primus Arnobio reddit Salmasius. *Postulio* scil. est, cum dii violati expiationem postulant, voce haruspicum. Sic Cicero, de Harusp. Resp., cap. 31: *Eodem ostento Telluri postulio deberi dicitur* (ubi vero cum in aliis editionibus, tum in novissima Fr. A. Wolfi legitur *postulatio*), et magis apposite ad nostrum locum Varro, de Ling. lat., lib. IV,

quispiam, aut sympuvio[a] deerrarit; aut si cursu in solennibus ludis, curriculisque divinis, commissum omnes statim in religiones clamatis sacras, si ludius constitit aut tibicen repente conticuit; aut si patrimus ille qui vocitatur puer, omisit per ignorantiam A locorum, aut terram tenere non potuit; et audetis abnuere in delictis tam gravibus violari semper a vobis deos, cum in levioribus causis irasci eos ipsi cum pernicie sæpius confiteamini civitatis?

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita ms.* Sympivio *Sab.*

COMMENTARIUS.

IV, pag. 41, ed. Bipont.: *A Procilio relatum, in eo loco dehisse terram, et ex senatusconsulto ad haruspices relatum, esse responsum, Deum Manium* (Summanum) *postulionem postulare, id est, civem fortissimum eodem mitti*; ubi vide, qui multi sunt de hac voce. Jos. Scaliger., et Auson. Popm., vol. II, pag. 100, seqq. Gutherius, de Jure Man., lib. IV, distinguit *postulationes* a *postulionibus*, aitque *postulationes* diis superis factas, *postuliones* autem diis inferis, quibus petebant hominem his devoveri. Gelenius et cæteri ed. *postulationibus*. Conf. Turneb. Adversar., l. XI, c. 20. ORELL.

Et piaculi dicitur contracta esse commissio. (*Vide* supra, col. 1061.) Scholiastes Horatii vetus in lib. I, Od. 28: *Piacula dicebantur victimæ, quibus facinus expiabatur admissum.* Virgil., lib. VI, Æn. vers. 569:

Distulit in seram commissa piacula mortem.

ubi Servius: *Piacula commissa propter quæ expiatio debetur* Græce ἄγος. Opp. *impie commissum.* Cicero, de Legg. II, cap. 9: *Sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impie commissum est; quod expiari poterit, publici sacerdotes expianto.* ELMENHORST et HERALD.— *Piaculi* est e correctione Meursii. In editione principe et Gelenii legimus *piaculis.* Stewechius leg. suspicatur *piacularis commissio.* Justus Lipsius, Antiq. Lect., lib. IV, cap. 3, Op., tom. I, pag 400, ed. Vesal., deleta particula *et*, totum locum ita legit et distinguit: *In cerimoniis vestris rebusque divinis postulionibus locus est, piaculis. Dicitur contracta esse commissio*, etc. Egregia emendatio et stylo Arnobii particulas copulativas sæpissime omittentis maxime consentanea. ORELL.

Si per imprudentiæ lapsum aut in verbo quispiam. In rebus divinis vel minutissima quæque attonita religione observabant: unde εὐφημίαι indictæ et similia; de quibus alibi. Formulæ autem erant certæ, quibus sedulo adhærebant; et si quando per imprudentiæ lapsum in iis errabant, piaculum ingens contractum credebatur. HERALD.

Aut simpuvio deerrarit. Varie scribitur: *Sympinium* a συμπίνειν, *simpuvium*, *simpulum*. Festus: *Simpulum... vas parvum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libatur, unde et mulieres rebus divinis deditæ simpulatrices dicuntur*, ubi vide intpp. Varro, de Ling. lat., lib. IV, pag. 35, ed. Bipont.: *Vas, quo vinum dabant, ut minutatim funderent, a gutteis guttum appellabant: et quo sumebant minutatim, a sumendo* (hoc est *bibendo*, vid. Meurs.) *simpulum nominaverunt*, ubi Jos. Scaliger, qui de hoc ver. multus est in Obss., pag. 89, vol. II, *simpulum* derivans a *simpo*, quod est Græcorum σίφων, dicit vasculum fuisse cum tenui fistula vel angusto collo ad pitissandum vinum, hocque uno differe simpulum a græco σίφων, quod Latini suo simpulo ad sacra tantum uterentur, Græci τῷ σίφωνι ad gustandum in caupona vinum. Conf. Stewech., ad hunc locum; Hadr. Jun. Animadvv., lib. II. cap. 10, in Lampade Gruteri, pag. 370; Harduin, ad Plin. Hist. Nat., XXXV, 12 f. 46; Gesner., in Thes., hoc verbo Ruperti, ad Juvenal., Sat. VI, vers. 343, et Saubert., de Sacrif. vet., cap. 17, pag. 349, ed. Cren. Talium vasculorum formas diversas, delineatas videmus in Schazii Compendio Antiquitt. Montefalconii tab. LIV, fig. 5-9, eaque fictilia æque ac lignea fuisse docet Nonius hoc verbo. *In simpuvio deerrare* itaque nihil aliud est quam errare in vino rite libando vel infundendo. Cæterum totus hic locus petitus e Pseudo-Ciceronis Orat. pro Harusp. Respons, cap. 23: *An, si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus et matrimus si terram non tenuit, aut tensam aut lorum omisit, aut si Ædilis verbo aut simpulo aberravit, ludi sunt non rite facti; eaque errata expiantur, et mentes deorum immortalium ludorum instauratione placantur.* Plura de simpuvio, vide ap. Meurs., lib. IV, cap. 12. ORELL.

Aut si cursu in solemnibus ludis, curriculisque divinis: commissum omnes statim. Ita rectissime locum B interpunxit Salmasius. Verba enim *aut si in cursu*, etc. referenda ad præcedentia: *postulionibus locus est, et piaculi dicitur contracta esse commissio*, etc. Contra verbis *commissum omnes statim*, etc. novum inchoatur orationis membrum. Male itaque Heraldus legit et distinxit: *Aut si rursus in solennibus laudis curriculisque divinis commissum omnes statim*, etc. *Cursu* pro *rursus*, quod erat in ms. est ex emendatione Gelenii felicissima. *Curricula divina* sunt ludi curules in honorem deorum habiti. At optime restituit locum luxatum et male habitum Theod. Marcilius ad Horat. lib. I, od. 21, legens: *Deerrarit, aut si rursus in solennibus ludis curriculisque divinis ludius constitit, aut tibicen repente conticuit*: aut si *patrimus ille qui vocitatur puer omisit per ignoratiam locum, aut tensam tenere non potuit, commissum omnes statim in religiones clamatis sacras*, etc. ORELL.

Si ludius constitit. Res nota vel e proverbio: *Res salva est, dum saltat senex. Ludius autem* ὀρχηστής. Plautus in Aulularia:

C

. . . . . . Tu istum gallum, si sapis,
Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludius est.

De his ludiis loquitur Plautus: quia vulsi illi et vultu glabri ac depilati. Julianus in Misopogone: μίμους, ὀρχηστὰς, κιστα ἠαισχυνομένας γυναῖκας, παιδάρια περὶ κάλλους ἁμιλλώμενα ταῖς γυναιξὶν, ἄνδρας ἀποψιλουμένους οὔτι τὰς γνάθους μόνον, ἀλλὰ καὶ ἅπαν τὸ σῶμα, λειότεροι τῶν γυναικῶν ὅπως φαίνοιντο τοῖς ἐντυγχάνουσιν. De iisdem Tertullianus, de Spectaculis, cap. 23. *Placebit et ille, qui vultus suos novacula mutat, infidelis ergo faciem suam, quam non contentus Saturno et Isidi et Libero proximam facere, insuper contumeliis alaparum sic objicit, quasi de præcepto Domini ludat.* HERALD.— Servius in VII, Æneid.: *Cum ludi Circenses Apollini celebrarentur, ut Hannibal nuntiatus est circa portam Collinam urbi ingruere, omnes, raptis armis, concurrerunt. Reversi postea, cum piaculum formidarent, invenerunt in Circo saltantem senem quemdam: qui cum in-* D *terrogatus dixisset se non interrupisse saltationem, dictum est, hoc proverbium: Salva res est, saltat senex.* Conf. Festus v. *Salva res.* ELMENH. Vid. Salmas. ad Trebell. Claud. 5, tom II, p. 632, ad Vopisc. Carin., p. 843; Burmann., ad Ovid., de Arte Am., I, 112, et Ernesti in Clav. Cic., verbo *Ludius.* ORELL.

Aut si patrimus ille qui vocatur puer omisit per ignorantiam lorum. Hujus loci interpres est Asconius in I. Verr., cap. 59: *Thensas alii a divinitate dici putant, quod ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere et tangere, qui eas deducunt.* Quod viri docti putant Asconium a Virgilio accepisse, qui II, Æneid., 238, de equo Trojano, cum in urbem duceretur, canit:

. . . . . Circum pueri innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.

Thensam igitur lorumque, quo equus thensam trahebat, patrimi et matrimi pueri, qui singulas thensas deducebant, quod hic est comitabantur, manu videntur tenuisse, sique forte quis eorum remisisset id

XXXII. Sed poetarum, inquiunt, figmenta sunt hæc omnia, et ad voluptatem compositæ lusiones. Non est quidem credibile homines minus brutos, et vetustatis remotissimæ vestigatores, aut eas inseruisse suis carminibus fabulas, quæ in notionibus hominum superessent, atque in auribus collocatæ: aut ipsos sibi tantum licentiosi voluisse juris asciscere, ut confingerent per stultitiam res eas quæ nec ab insania procul essent remotæ, et quæ illis a diis metum, et periculum possent ab hominibus comparare. Sed concedamus, ut dicitis, deformitatum tantarum concinnatores esse atque inventores poetas: immunes tamen a deorum maletractatione nec sic estis, qui aut talia cessatis maleficia vindicare: aut non legibus latis, et severitate pœnarum tantæ iistis obviam temeritati, constitutumque a vobis est, ne quis posthac hominum id quod esset turpitudini proximum, aut deorum indignum majestatibus loqueretur. Quisquis enim patitur peccare peccantem, is vires subministrat audaciæ: et majoris contumeliæ res est, falsis quemquam notare atque insignire criminibus, quam vera ingerere atque objectare delicta.

A Quod enim sis dici, et quod esse te sentias, nonne habet minorem testimonio tacitæ recognitionis infectum. Illud vero acerbissime vulnerat, quod inertes innoxios, et quod decus nominis atque existimationis infamat.

XXXIII. Scribuntur dii vestri in tricliniis cœlestibus, atque in chalcidicis aureis cœnitare, potare, et ad ultimum fidibus et vocum modulatione mulceri. Vos aures patientissimas commodatis: nec judicatis indignum voluptates attribui diis eas, quibus corpora terrena fulciuntur, et quas aures expetunt enervati pectoris dissolutione mollitæ. Inducuntur ex his et amatores, adulteri castitatis, nec cum fœminis tantum, sed cum viris etiam propudiosos flagitiososque miscere concubitus. Vobis nulla est cura, quid super B rebus dicatur tantis, neque ullo saltem castigationis metu luxuriantium litterarum coercetis audaciam. Por insanias, per furores orbare alii se, et tamquam hostili de sanguine, ita se proprio parricidio cruentare. Sacrilegia vos illa miramini elata sublimiter, et quod pœnis omnibus conveniebat plecti, ut animosius consurgat audacia, incentivo extollitis laudis.

COMMENTARIUS.

lorum, piaculum committebatur. GRÆV., *ad Cic. de Harusp. Resp.*, *cap.* 11. Fulv. Ursinus ex laudato Ciceronis loco refingit : *Aut si patrimus ille et matrimus, qui vocatur*, etc. Sed fortasse nihil mutandum : negligentius enim Arnobius Ciceronem suum videtur exscripsisse omittens etiam sequentia verba : *Aut thensam aut*. De *thensis*, sacris vehiculis ex ebore et argento, quibus deorum vehebantur simulacra, nota res. Vide tamen Lips., de Vestalibus. cap. XI ; Voss., de Idolol., lib. II, cap. 10, et Saubert., de Sacrif., cap. 19, p. 402 seq. ORELL.

Aut terram tenere non potuit. Terram tenere quid sibi velit, ignorare se fatetur Heraldus expungenda censens hæc verba tamquam glossema e Cicerone et Arnobio. Salmasus et Fabrettus citati a Fr. A Wolfio V. Cl. ad Cic., l. l., p. 339, conjiciunt : *Si acerram tenere non potuit*. Lipsius autem Antiq. Lectt., lib. IV, cap. 3: *Aut siserram tenere non potuit*. Glossæ : *Siserra*, πρόβατον μεῖζον ἐνιαυτοῦ. Sed *terram tenere*, esse terram manibus tangere docent Varro, de Re rust., lib. I, cap. 2, et Macrobius, Saturn. III, cap. 9, a Turnebo citati in Adversar., lib. XVI, cap. 10, quam explicationem probant Grævius et Wolfius V. Cl., verba *aut thensam* cum Ernestio et Garatonio pro spuriis e Cicerone ejicientes. Meursius contra auget legens : *Aut thensam aut terram tenere non potuit*. Dissentit Jo. Saubertus, de Sacrif., cap. 19, p. 398 seq., ed. Crenii, putans alludi his verbis ad peculiarem ritum victimariorum, puerorumve patrimorum et matrimorum, qui victimas deducebant, quo nunquam alterum pedem sublatum nisi ad ingrediendum haberent, hocque esse *terram tenere*. Utram explicationem sequamur, hic erit census loci; si puer ille ἀμφιταλής lapsus fuerit manibus vel pedibus terram tangens. Nam generaliter omnes lapsus mali fuisse ominis constat. Hinc et novæ nuptæ tralata vetabantur contingere limina planta, sed superattollebantur, ne scil. in principio offenderent, et hoc signo nuptiarum auspicia vitiarent. Peccant, qui terram hic quoque agge-runt et legunt : *Aut tensam aut terram tenere non potuit*. Bene Tullius ex eoque Arnobius *tensam* et *lorum* junxere. *Lorum* enim *omittere*, scilicet *tensæ*, idem plane est quam *tensam tenere non posse*. Qui tensam deducebat, eam loro tenebat, sive tensæ lorum tenebat (quod liquet ex Asconii loco supra allato). Variæ erant tensæ. Prima omnium Jovis erat : hanc imperator ipse deducere solens, ut apud Sueton., August., cap. 43; Vespasian., cap. 5. In republica vetere consulis hæc partes, ut Juvenal., sat. 10; Tertullian., cap. 13, de Corona militis. Cæteras et deorum et heroum tensas deduxere pueri patrimi et matrimi. Horum aliquis si lorum tensæ non tenuisset sive lorum tensæ omisisset, ludi circenses illi rite C facti non erant, idque erratum expiari, ludosque instaurari opus erat. *Theod.* MARCIL., *ad Horat.*, I, od. 21, p. 26. ORELL.

XXXII. — *Ad voluptatem*. Editio princeps Sabæi : *Ad voluntatem*. ORELL.

Minus brutos. Fulv. Ursinus mavult : *minime brutos*. ORELL.

Licentiosi juris. Glossæ : *licentiosus*, παῤῥησιαστικός. Bonum et probatæ latinitatis vocabulum, quo utitur etiam Quintilianus Inst., lib. I, cap. 6. ELMENH. et ORELL.

Tantæ iistis obviam temeritati. Ita refinxerunt Canterus et editor Lugd. Bat. e Cod. ms. et editione principe. Gelenius edidit *itis*. ORELL.

XXXIII. — *Chalcidicis*. Vide supra, ad lib. III, cap. 10. ORELL.

Aures patientissimas. Stewechius mavult : *patientissimas*. Sed nil mutandum. *Aurium patientia* legitur etiam apud Lactant., lib. I, cap. 1, et hoc convenien-D tius videtur verbis proxime sequentibus : *Nec judicatis indignum*, etc. ORELL.

Quibus corpora terrena fulciantur. Quid tam contra communem sensum, quam hoc? Corpora voluptatibus dissolvuntur et franguntur; tantum abest, ut corroborentur. Emendo : *quibus corpora terrena mulceantur, et quas aures expetant*, pro *expetunt*, MEURS. At vero Arnobius voluptates intelligit hoc loco non venereas, sed illas, de quibus antea locutus est, convivia, compotationes, quæ nisi modum excedant, recte dicuntur fulcire corpora humana. ORELL.

Incentivo extollitis laudis. Hanc lectionem e Cod. ms. revocarunt Heraldus et Salmasius. Antea legebatur : *incentiva..... laude. Incentivum* idem quod incitatio, stimulus, sequioris latinitatis vocabulum. Sic Anonym. Panegyr. in Constantin. VIII, cap. I, p. 480. ed Jæger. : *Etenim si in rebus bellicis ipsisque præliis non solum tubæ ac litui, sed etiam Spartanæ tibiæ incentivum aliquod feruntur habuisse*. Et Ammianus Marcellin. lib. XIV. init. de Gallo : *Cujus acerbitati uxor*

illi vulnera orbitatis ingemere, et cum ejulatibus indecoris fata [a] incusare crudelia: vos stupetis eloquentiæ viribus, et quod penitus oportebat ex humani generis coalitu tolli, percensetis, ediscitis: ac ne ulla intercidat oblivione curatis. Vulnerari, vexari, bella inter se gerere furialium memorantur ardore discriminum: vobis illa est descriptio voluptati, atque ut scriptorum tantam defendatis audaciam, allegorias res illas, et naturalis scientiæ mentimini esse doctrinas.

XXXIV. Sed quid ego neglectas aliorum conqueror contumelias numinum? Ipse ille Jupiter, cujus vos nomen effari non sine metu decuit et totius corporis concussione, amasio captus ab uxore describitur confiteri culpas suas, et velut demens ac nescius, quas amiculas conjugi, quas uxori anteposuerit pellices, obduratus inverecundia publicare: vos talia qui ex- A tulere prodigia, poetarum esse principes atque reges divinis ingeniis præditos, capita esse memoratis sanctissima: tantumque ab officio religionum, quas inducitis, evolastis, ut gravioris ponderis sint apud vos verba quam cœlitum violata sublimitas. Ita ergo non decuit, si modo ullus deorum esset apud vos metus, aut si esse illos uspiam præsumptionis certæ [b] confidentia crederetis, rogationibus, plebiscitis, consultorum senatus metu intercedere, prohibere, sancire, ne quis vellet de diis passim nisi quod esset plenum religionis, effari. Nec a vobis saltem istum meruerunt [c] honorem, ut quibus expellitis a vobis, eisdem ab his legibus propulsaretis injurias. Majestatis sunt apud vos rei, qui de vestris sequius obmurmuraverint aliquid regibus. Magistratum in or- B dinem redigere, senatorem aut convitio prosequi,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Faeta *Sab. male.*
[b] Certissimæ *ms.*
[c] Mererent *alii.*

COMMENTARIUS.

grave accesserat incentivum, germanitate Augusti turgida supra modum. Quod Zosimus de eodem loquens ita exprimit: ἔχοντος καὶ τὴν ὁμόζυγον πρὸς τοῦτο αὐτὸν ἐρεθίζουσαν. Græci vocabant ἐνδόσιμον. Conf., qui de hoc verbo multus est, Rittherdus, ad Salvian., de Gubern. Dei, pag. 8, ed. Bremens. Orell.

Illi vulnera, etc. Ita Meursius et Salmasius rectissime pro *Illa vulnera*. Orell.

Quod penitus oportebat ex humani generis coalitu tolli. Gesnerus, in Thesauro, vocem *coalitus* explicat: *Quod penitus oportebat tolli, ne coalescat, id est increbrescat, confirmetur inter homines.* Sed potius in- C terpretandum videtur: *Quod penitus oportebat tolli ex humani generis societate, consortio.* Quo sensu verbum *coalescere* usurpat Livius, lib. I, cap. 8: *Vocataque ad concilium multitudine, quæ coalescere in populi unius corpus nulla re præterquam legibus posset.* Et cap. 11: *Ita rem coalescere concordia posse.* Lambinus autem ad Lucret., II., 1129, pag. 282, et VI, 1066, pag. 852. *Coalescere* et *coalitus* parum esse Latina probare studet, et pro iis omnibus locis reponendum *Coolescere*, *coolitus*. Substantivi *coalitus*, *us*, unum nostrum exemplum citatur in Lexicis. Hinc Elmenhorstius et alii reponebant *cœtu*. Orell.

Percensetis, ediscitis. Ediscitis primus e Cod. msto restituit Stewechius. Sic paulo post cap. 36: *Maledictionis elogia et quotidie referatis et ediscatis quotidie.* Orell.

XXXIV.— *Cujus vos nomen effari.* Ita Meursius pro *cujus vos numen effari.* Orell.

Amasio captus ab uxore describitur confiteri culpas suas. Ita ms. Gelenius ed. *amasius.* Sed forma *amasio*, *onis*, insolentiore utuntur etiam Apuleius Met., III, pag. 216, et VII, pag. 488. ed. Oudendorpii, ubi vide notas, nec non Prudentius, carm. X, περὶ στεφάνων, vers. 182:

> Nubunt puellæ, sæpe luduntur dolis
> Amasionum, comprimuntur fraudibus.

Cæterum, ut monet Canterus, respicit hic Arnobius ad locum illum Homericum Iliad. XIV, vers. 312-328. Orell.—Ita *pusus*, *pusio*, *pumilus*, *pumilio*, et alia. Meurs. *in Append.*

Obduratus inverecundia publicare. Obduratum inverecundia appellat eum, qui ad impudentiam totus obduruit, et qui os, frontem, id est ea omnia, quibus prodere se pudor consuevit, ita duravit, ut in iis, nullum restet verecundiæ signum. Hinc χάλκεον, σιδήρεον, λίθινον μέτωπον de impudentibus dicit Artemidorus lib. I, Oneirocrit., cap. 24, et σιδηροῦς homo, qui nulla pudoris vi moveri novit, v. c. in versu illo Sophocleo ap. Aristot., II, Rhet., cap. 23:

> Σαφῶ σιδηρῷ καὶ φοροῦσα τοὔνομα. Herald.

Capita esse memoratis sanctissima. E Græcorum loquendi more, quem Latini pari venustate frequentarunt. Seneca in Œdipode:

> Sacrate diveis, proximum Phœbo caput. Herald.

Ut gravioris ponderis sint apud vos verba, quam cœlitum violata sublimitas. Alii, verbi causa Meursius, malunt: *quibus cœlitum violata sublimitas.* Orell.

Passim..... effari. Passim, id est sine delectu discrimine. Vide supra ad lib. II, cap. 1. Orell.

Effari. Nec a vobis saltem istum meruerunt honorem, etc. Sic e codice msto locum restituit Stewechius, sequente ed. Lugd. Bat. Antea edebatur: *Effari, ac a vobis saltem istum mererent honorem.* At vero verba hæc pendent non a proxime antecedentibus, sed, ut bene monet Stewechius, referenda ad ea quæ paulo superius dixerat: *Ita ergo non decuit*, etc. In sequentibus *expellitis* pro *expelletis* restituit Meurs. Idem conj. *expelleretis*, pessime. *expellitis*, i. q. expellere soletis. Orell.

Majestatis sunt apud vos rei, qui de vestris sequius obmurmuraverint aliquid regibus. Hanc quoque lectionem verissimam debemus Stewechio, qui eam e cod. ms. in textum revocavit. Antea legebatur: *secus obmurmuraverint.* Sed multum præstat *sequius*, id est deterius. Sic Apuleius, lib. VIII, Met.: *Placuit Thrasillo schema feralium nuptiarum, nec sequius aliquid suspicatus.* Varro apud Nonium verbo *Ruminare*: D *Non modo absens quidquam de te sequius cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem.* Quæ loca citavit Stewechius. Cæterum de majestatis crimine Paulus, lib. V. Sententiar., tit. 29, sic inquit: *Lege Julia majestatis tenetur is, cujus ope, consilio adversus imperatorem vel rempublicam arma sunt mota, exercitusque ejus in insidias deductus est; quive injussu imperatoris bellum gesserit delectumve habuerit, exercitum comparaverit, sollicitaverit, deseruerit imperatorem. His antea in perpetuum aqua et igni interdicebatur, nunc vero humiliores bestiis objiciuntur, vel vivi exuruntur, honestiores capite puniuntur. Quod crimen non solum facto, sed et verbis impiis et maledictis maxime exacerbatur.* Vide Fr. Lindenbrogium, ad Leg. unicam Cod.: *Si quis imp. maledixerit.* Orell. et Elmenh.

Senatorem aut convicio prosequi. Senatores adeo inviolatos conservari voluerunt imperatores Arcadius et Honorius, ut eosdem corporis sui partem esse protestati sint, et quisquis illos vel interfecerit, vel dicto vel facto læserit, eum, utpote majestatis reum, gla-

suis esse decrestis periculosissimum pœnis. Carmen malum conscribere, quo fama alterius coinquinatur et vita, decemviralibus scitis evadere noluistis impune: ac ne vestras aures convicio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis injuriis. Soli sunt apud vos superi inhonorati, contemptibiles, viles: in quos jus est a vobis datum, quæ quisque voluerit dicere: turpitudinum jacere, quas libido confinxerit, atque excogitaverit formas. Et incuriam nobis intendere tam infamium non erubescitis numinum, cum sit rectius multo deos esse non credere, quam esse illos tales, talique existimatione sentire.

XXXV. Sed poetis tantummodo licere voluistis indignas de diis fabulas, et flagitiosa ludibria comminisci? Quid pantomimi vestri, quid histriones, quid B illa mimorum, atque exoleti generis multitudo? Nonne ad usum quæstus sui abutuntur diis vestris, et lenocinia voluptatum ex injuriis attrahit contumeliisque divinis? Sedent et in spectaculis publicis sacerdotum omnium, magistratuumque collegia, pontifices maximi, et maximi curiones; sedent quindecim viri laureati, et diales cum apicibus flamines; sedent augures interpretes divinæ mentis et voluntatis, necnon et castæ virgines, perpetui nutrices et conservatrices ignis; sedet cunctus populus et senatus; consulatibus functi patres, diis proximi atque augustissimi reges; et quod nefarium esset auditu, gentis illa genitrix Martiæ, regnatoris et populi procreatrix amans saltatur Venus, et per affectus omnes meretriciæ vilitatis impudica exprimitur imitatione bac-

COMMENTARIUS.

dio feriendum condemnaverint, bonis ejus omnibus fisco addictis. Vid. Leg. v, cod. ad L. Jul. majest. STEWECH. et ELMENH.

Carmen malum conscribere, etc. Lex XII Tabularum ita concepta est: SI. QUIS. CARMEN. OCCENTASSIT. ACTITASSIT. CON IDISSIT. QUOD. ALTERI. FLAGITIUM. FAXIT. CAPITAL. ESTO. Qua de lege Cicero, lib. IV, de Republ., ap. Augustin., de Civ. Dei, lib. II, cap. 9: *Nostræ XII Tabulæ, cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt: si quis actitavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri.* Et. cap. 12: *Romani, sicut in illa de republica disputatione gloriatur Scipio, probris et injuriis poetarum subjectam vitam habere noluerunt, capite etiam puniri sancientes, tale carmen condere si quis auderet.* Similis lex x. Cod. Theodos., de famosis libellis: *Universi qui famosis libellis inimicis suis velut venenatum quoddam telum injecerint: hi etiam, qui famosam seriem scriptionis impudenti agnita lectione non illico discerpserint, vel flammis exusserint, vel lectorem cognitum prodiderint, ultorem suis cervicibus gladium reformident.* ELMENH. *Carmen malum* itaque famosum, criminosum, maledicum, quale ne quis scriberet cautum erat pœna capitis et fustis, teste Horatio II. ep. I. 152, sq.:

. . . . Quin etiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Describi: vertere modum formidine fustis
Ad benedicendum delectandumque redacti.

Ubi vid. vet. Schol. Conf. Savaron., ad Sidon., lib. I, epist. XI, pag. 78. Forner., ad Cassiodor. Variar., lib. XI, ep. XI, pag. 707, ed. Genev. Lips., ad Tacit. Hist., IV, 45. Funec. ad Leg. XII. Tab. Vinc.; Gravina, de Orig. Jur. pag. 167, seqq. ORELL.

In quos jus est a vobis datum. Ita corrig. Fulv. Ursinus et Gelenius. Editio princeps habet: *In quovis est a vobis datum.* ORELL.

Confinxerit. Ita Meursius. Antea *confixerit*. ORELL.

Formas. Idem Meursius in Critico, lib. VII, cap. 9, legendum suspicatur *forias*, id est *quisquilias, stercora*, Nonius. *Foriæ.... stercora liquidiora*, unde *foricæ* latrinæ. *Forire*, ventrem deonerare. *Forioli* homines quibus alvus fluxa est et nimis molis. Sed non opus habemus turpi hoc vocabulo. ORELL.

XXXV. — *Quid histriones.* Simillimus locus Tertulliani in Apologet., cap. 15: *Sed et histrionum litteræ omnem fœditatem eorum designant. Luget Sol filium jactatum de cœlo, lætantibus vobis, et Cybele pastorem suspirat fastidiosum non erubescentibus vobis. Et sustinetis Jovis elogia cantari et Junonem, Venerem, Minervam a pastore judicari.* ELMENH.

Nonne ad usum quæstus sui abutuntur diis vestris, et lenocinia voluptatum ex injuriis attrahit contumeliisque divinis. Ita ms. Gelenius ed. *abutitur*, referens, ut et sequens *attrahit*, ad præcedentia verba: *exoleti generis multitudo.* Heraldus *attrahit* putat absolute dictum pro *attrahunt. attrahit*; scil. aliquis, ut supra *inquit*, *interrogabit*. Mihi codicis lectio videtur verissima, et *attrahit* omnino referendum ad *exoleti generis multitudo*, quod autem non intelligo de histrionibus et actoribus scenicis, quamvis eos hoc nomine appellet capite sequente, sed potius de multitudine spectatorum molli et effæminata omniaque voluptatum lenocinia cupidissime arripiente. Tales enim homines exoletos dici ostendimus supra ad lib. II. cap. 43. Sensus itaque nostri loci hic erit: *Nonne* (pantomimi illi, histriones, mimi) *ad usum quæstus suis abutuntur Diis vestris, et* (exoleti generis multitudo) *lenocinia voluptatum ex injuriis attrahit contumeliisque divinis?* Hoc quidem paulo durius esse non infitias iverim, attamen Arnobio, scriptori non satis limato, talia condonanda. ORELL.

Quindecimviri laureati. Quindecimviri sibyllinorum librorum custodes: qui etsi tandem sexaginta fuerint, remansit tamen in his quindecim vocabulum, ut observat Servius. *Laureati* autem, quia, cum ludos varie coronati spectarent, sane Quindecimviros, qui Sibyllinas sortes tractabant, lauro coronari erat æquissimum. HERALD.

Diis proximi atque augustissimi reges. Regum nomine appellabantur iis temporibus, imperatores romani eorumque filii. Tertullian., de Spectac., cap. 30: *Tot spectant reges, qui in cœlum recepti nuntiabantur consecratos* (intell. imperatores divis adscriptos) et Lactantius de Mortibus persecut., cap. 19, de Diocletiano: *Tum descenditur, et rheda per civitatem veteranus rex foras exportatur in patriamque dimittitur.* Conf qui ca de re multus est, Ez. Spanhem., de Præstant et usu numismat. disserta. 12, tom. II., pag. 599, edit. Amst. ORELL.

Regnatoris et populi. Virgilius, Æn,, VI. 852:

Tu regere imperio populos, Romane, memento. ORELL.

Saltatur Venus..... saltatur et magna Mater. Saltare, ἐπιδεικτικῶς ὑπορχήσασθαι, dicitur de mimis, pantomimis, qui gesticulatione motuque manuum et pedum per multiplices figuras et schemata sub canticis historiam aut fabulam imitabantur. Sic Horat. I, sat. V. dicit *saltare Cyclopa*, et Juvenal., sat. VI, 63.

Cheironomon Ledam molli saltante Bathyllo.
Tuccia vesicæ non imperat.

Ubi vid. Ruperti. De tali saltatore vetus Epigramma in Anthol. lat., P. Burmanni II, lib. III, 178, vol. I, pag. 622.:

Tot linguæ, quot membra viro: mirabilis ars est,
Quæ facit articulos ore silente loqui.

Vide, qui hac de re multus est, Rigalt., ad Artemidor. Oneirocrit., lib. I, cap. 76, vol. II, pag. 57, seq. ed. Reiff. ORELL.

chari. Saltatur et magna sacris compta cum infulis A mater; et contra decus ætatis illa Pessinuntia Dindymene, in bubulci unius amplexu flagitiosa fingitur appetitione gestire, necnon et illa proles Jovis Sophoclis in Trachiniis Hercules pestiferi tegminis circumretitus indagine, miserabiles edere inducitur ejulatus, violentia doloris frangi, atque in ultimam tabem diffluentium viscerum maceratione consumi. Quin et ille in fabulis maximus ipse regnator poli sine ulla nominis majestatisque formidine adulterorum agere introducitur [a] partes, atque ut fallere castitatem alienarum possit familias matrum, ora immutare pellacia, et in species conjugum subdititii corporis simulatione succedere.

XXXVI. Nec satis hæc culpa est, etiam mimis, et scurrilibus ludicris sanctissimorum personæ interponuntur deorum. Et ut spectatoribus vacuis risus possit atque hilaritas excitari, jocularibus feriuntur cavillationibus numina, conclamant, et assurgunt theatra, caveæ omnes concrepant fragoribus atque plausibus [b]. Et quod nullis possit satisfactionibus expiari, exoletis atque irrisoribus numinum dona instituuntur et munera, ab officiis otium publicis, immunitas, et vacatio cum coronis. Et audetis post ista mirari unde oriantur hæc mala, quibus inundatur et premitur sine ulla intermissione mortalitas; cum omnis res eas, quibus sunt involuta probra B

LECTIONES VARIANTES.

[a] Inducitur *Fulv.*

[b] Plausu *ms.*, plausis *Sab.*

COMMENTARIUS.

Sacris compta cum infulis. Glossæ: *Infulæ*, *στέμματα*. Virgilius, *Æn.*, x. 538:

Infula cui sacra redimibat tempora vitta.

ubi Servius: *Infula, fascia in modum diadematis, a qua vittæ ab utraque parte dependent.* Conf. Festus, v. *Infula*. Elmenh.

In bubulci unius amplexu..... gestire. In amplexum mavult Oudendorp., ad Sueton. August., Cap. 70, in Addend., pag. 1022. Vide supra, ad cap. 14, verba: *Qui in Proserpinam genitalibus dicitur adhinnivisse arrectis.* Orell.

Sophoclis in Trachiniis. Cicero, Tusc. ii, cap. 8. *Sed videamus Herculem ipsum, qui tum dolore frangebatur, cum immortalitatem ipsam morte quærebat. Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit? Cui cum* C *Deianira sanguine Centauri tinctam tunicam induisset, inhæsissetque ea visceribus, ait ille*:

O multa dictu gravia, perpessu aspera,
Quæ corpore exanclata atque animo pertuli, etc.
Elmenh.

Cod. ms.: *Sophocles in Trachiniis*, vitiose; unde Gelenius refinxit: *a Sophocle in Trachiniis.* Salmasius: *Sophoclis in Trachiniis*, N. Heinsius, Epist. 257, ad Græv., in Sylloge Burmann. tom. iv, pag. 329.: *Sophocleis in Trachiniis*, quod præfero. Respicit autem Arnobius ad Trachin. vers. 1063, seqq. Orell.

Circumretitus indagine. Sic restituit Jan Guilielm. Quæstion Plaut. in Curcul., cap. 5. in Lampade Gruteri, vol. iii, part. ii, p. 766, quam correctionem confirmat etiam codex mstus, teste Stewechio et N. Heinsio in Epistola ad Grævium modo citata. Et omnino *circumretitus* optime respondet *indagini*, cujus propria sedes in venatu et ad retia. Sic Virgilius. *Æn.*, iv, 121:

. . . . . . Saltusque indagine cingunt.

Et eodem modo Arnobius infra lib. v. c. 41: *Quod in adulterio dicimus Martem et Venerem Vulcani esse circumretitos arte.* Antea legebatur *circumpetitus*. Orell.

Maceratione. Meurs. mavult *viscerum laceratione.* At bene habet *maceratione*: innuit scil. Arnobius viscera (id est carnem, quidquid sub cute latet) veneno exesa et liquescentia. Orell.

Quin et ille in fabulis maximus ille regnator poli. Prudentius in Martyrio Romani:

Cygnus stuprator peccat inter pulpita:
Saltat tonantem tauricornem ludius.
Spectator horum, Pontifex summus, sedes,
Ridesque et ipse; nec negando diluis,
Cum fama tanti polluatur numinis. Herald.

Sine ulla nominis. . . . . formidine, Meursius legit *numinis*, bene. Orell.

Fallere castitatem. Fulv. Ursinus legend. conj. *tollere castitatem.* Male. Fallere castitatem scil. est tollere, subvertere castitatem dolis, fallaciis. Orell.

Familias matrum. Observanda insolentior hæc transpositio pro *matrumfamilias*. Materfamilias autem dicitur Latinis uxor legitima, opposita pellici. Orell.

Ora immutare pellacia. Sic e cod. msto, qui habet *ellacia*, legendum docuit Stewechius. Cf. Nic. Heins., Epist. ad Græv., 257. Antea legebatur *ora immutare fallacia.* Sed vide quæ supra observavimus ad cap. 28. Orell.

Et in species conjugum subditivi corporis simulatione succedere. Alludit ad Plauti Amphitryonem. Pro *subditivi* alii legunt *subdititii*. Sed eodem modo Plautus Amphitr., act. i, scen. ii, vers. 25:

Amphitryo subditivus eccum exit foras. Orell.

XXXVI. — *Jocularibus feriuntur cavillationibus numina.* Tertullianus, Apologet., cap. 15, init.: *Cætera lasciviæ ingenia etiam voluptatibus vestris per deorum dedecus operantur. Dispicite Lentulorum et Hostiliorum venustates, utrum mimos an deos vestros in jocis et strophis rideatis: mæchum Anubim, et masculum Lunam, et Dianam flagellatam, et Jovis mortui testamentum recitatum, et tres Hercules famelicos irrisos.* Herald. — *Cavillatio* et *cavillare* verba propria de mimis. Solinus, cap. 2 de Sicilia: *Hic primum inventa comœdia est, hic et cavillatio mimica in scena stetit.* Cavillatio autem dicta est a calvendo, quod frustrari significat et fallere, ut scribit Priscianus lib. viii. Ipsum vero calvendi verbum Nonius Marcellus ait tractum esse a calvis mimicis, quod sint omnibus frustratui. Vid. Henr. Vales., ad Ammian. Marcellin., lib. xxx, pag. 406. Orell.

Conclamant et assurgunt theatra. Nam quando mimi et cæteri histriones placebant, acclamationibus, plausu, D exsultatione voluptatem, quam inde percipiebant, testabantur spectatores. Hanc *ἐπισημασίαν* observat Cicero ad Atticum lib. xiv, epist. iii.: *Tu, si quid πραγματικὸν habes. Sin minus, populi ἐπισημασίαν et mimorum dicta perscribito.* Assurgebant igitur et exsultabant, quod proprium verbum in hac re Græci per *ἀναπηδᾶν* exprimunt, v. c. Arrianus in Dissert. Epicteti lib. iii, cap. 4, et Eusebius, Hist. Ecclesiast., lib. vii, cap. 30, loquens de Pauli Samosateni fastu et insolentia, qua captaverat, imo redemerat plausum in Ecclesia, tamquam in theatro. Herald.

Exoletis atque irrisoribus numinum dona instituuntur et munera. Præter præmia, quæ ante ludos erant, etiam dona quædam accipiebant histriones ac munera, eaque aliquando pretiosa; quam luxuriam Cato Uticensis exemplo suo corrigere conatus est, quum Favonii ludos Romæ curaret. Vid. Plutarch. in Vita ejus (cap. 46). Herald.

Ab officiis otium publicis, immunitas et vacatio cum

numinum, et maledictionis elogia, et quotidie referatis, et ediscatis quotidie; et quando animum desidem otiosis vultis hallucinationibus occupari, dies vobis poscatis dari, et sine ullis intermissionibus exiberi. Quod si haberet vos aliqua vestris pro religionibus indignatio, has potius litteras, hos exurere debuistis olim libros, demoliri, dissolvere theatra hæc potius, in quibus infamiæ numinum propudiosis quotidie publicantur in fabulis. Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui? in quibus summus oratur Deus, pax cunctis et venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, et resolutis corporum vinctione; in quibus aliud auditur nihil, nisi

COMMENTARIUS.

coronis. Theodoretus de Providentia, Serm. IX, p. 205: Καὶ τραγῳδίας μὲν καὶ κωμῳδίας ὑποκριταὶ ἔχουσιν, εἰς ὃ βλέποντες τὴν τέχνην μετίασι, καὶ τῇ τῶν στεφάνων ἐλπίδι τῶν πόνων ἀνέχονται· Philo de Legatione, ad Caium: ὅταν παρατυγχάνῃς σκηνικοῖς ἀγῶσιν, ἢ γυμνικοῖς, ἢ τοῖς κατὰ τὰς ἱπποδρομίας, λάμβανε τὸν τοιοῦτον λογισμόν· Εἰ τὰ μηδὲν ὠφελοῦντα τὸν ἀνθρώπινον βίον, τέρψιν θε μόνην καὶ ἡδονὴν παρέχοντα θεαταῖς, ἐκπονοῦσιν οὕτω τινὲς, ὡς ἐπαινεῖσθαί τε καὶ θαυμάζεσθαι, καὶ γέρα καὶ τιμὰς καὶ στεφάνους μετὰ κηρυγμάτων λαμβάνειν, τί χρὴ πράττειν τὸν τῆς ἀνωτάτω καὶ μεγίστης τέχνης ἐπιστήμονα; Jul. Firmic., lib. VIII, Mathes., cap. 20: *Tertia pars Tauri si in horoscopo fuerit inventa, celebres faciet scenicos, qui in sacris certaminibus constituti pulcherrima consequuntur insignia coronarum.* Fuerunt coronæ istæ e bracteolis aureis et argenteis, cui luxuriæ principium dedit Crassus, ut docet Plinius, Hist. nat., lib. XXI. Sed eam temperare conatus est Cato Uticensis in ludis Favonii; et postea Alexander Severus, ut in ejus Vita scribit Lampridius. ELMENH. et HERALD.

Maledictionis elogia. Papias: *elogium... titulus cujuslibet rei.* Arnobius infra, lib. V, cap. 26: *Eleusiniorum vestrorum notas et origines producunt turpes, antiquarum elogia litterarum.* Calpurnius Flaccus, Declam., 17: *Inseram te majorum sepulcris, et elogio, quod optasti, nomen inscribam.* Tertullianus, Apologet., cap. II: *Ut de vestris elogiis loquar*; et cap. XVII: *Et sustinetis Jovis elogia cantari*, etc. ELMENH.— Conf. Havercam. ad Tertullian., l. l., pag. 22 et 150, et Vales., ad Ammian., lib. XIV, pag. 15. ORELL.

Et quando animum desidem otiosis vultis hallucinationibus occupari. Ita Salmasius. Gelenius et alii: *Et si quando*, etc. ORELL. — *Hallucinatio* proprium verbum. Ita animi quasi dissolutionem quamdam et oscitantiam significant. A. Gellius, lib. IV, cap. 20: *Tamquam illud indicium vagi animi foret et hallucinantis.* Et alibi: *At ille oscitans et hallucinanti similis.* HERALD.—J. Fr. Gronov. ad l. l. Gellii, pag. 375, ed. Lips., docet, scribendum esse *allucinantis* derivans a Græco ἀλύκη, quod languorem cum oscitantia denotat. ORELL.

Dies vobis poscatis dari. Fallitur Elmenhorstius *dies* hoc loco de dierum voluminibus accipiens, qua de significatione observabimus infra. Nam verba sequentia, *et sine ullis intermissionibus exhiberi*, aperte ostendunt, *dies poscere* nihil aliud esse quam dies integros, continuos poscere ad spectandos ludos illos scenicos. ORELL.

Hos exurere debuistis olim libros, demoliri, dissolvere theatra hæc potius. Sic emendarunt locum Heraldus et editor Lugd. Bat. Antea legebatur *hos exurere debuistis olim libros, istos demoliri*, etc. vitiose, nam *demoliri* de libris dici non potest, sed referendum ad sequens *theatra.* Et malim equidem pronomen *istos* tamquam glossema expungere, quam cum eodem Heraldo in Curis secundis legere: *Libros, tum demoliri*, etc. ORELL.

Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari. De hac persecutione ita Eusebius, lib. VII, Histor. eccles., cap. 2: Τῶν μὲν προσευκτηρίων τοὺς οἴκους ἐξ ὕψους εἰς ἔδαφος αὐτοῖς θεμελίοις καταῤῥιπτομένους, τὰς δ' ἐνθέους καὶ ἱερὰς γραφὰς κατὰ μέσας ἀγορὰς πυρὶ παραδιδομένας αὐτοῖς ἐπείδομεν ὀφθαλμοῖς, etc. HERALD.—*Meruerunt* habet cod. mstus. Editio princeps, ex qua cæteræ fluxerunt, *meruerint*. ORELL.

Cur immaniter conventicula dirui. Ita appellabant loca, ubi congregabantur Christiani oraturi, et verbi divini interpretationem accepturi, ac sacras synaxes habituri. Ammianus Marcellinus, lib. XXVII: *Constatque, in basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum.* Lactantius, lib. V, cap. 11: *Aliqui ad occidendum præcipites exstiterunt; sicut unus in Phrygia, qui universum populum cum ipso pariter conventiculo concremavit.* HERALD.

In quibus summus oratur Deus. Paulo fusius Cyrillus Hierosolymit. Catech. 5. Mystagog. παρακαλοῦμεν τὸν Θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου εὐσταθείας, ὑπὲρ βασιλέων, ὑπὲρ στρατιωτῶν καὶ συμμάχων, ὑπὲρ τῶν ἐν ἀσθενείαις, ὑπὲρ τῶν καταπονουμένων, καὶ ἁπαξαπλῶς ὑπὲρ πάντων βοηθείας δεομένων. NOURR., *pag.* 376. — Ὁ ἐπὶ πᾶσι θεός. Deus supremus, Deus angelorum. Hoc enim modo veteris Ecclesiæ scriptores significant Deum angelorum, quos Scriptura aliquando appellat *deos* אלהים ob eorum potestatem, etc. HERALD.—Vide ad lib. I, cap. 25. ORELL.

Pax cunctis et venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, etc. Tertullianus Apologetico, cap. 30: *Illuc sursum suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus. Precantes sumus omnes semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quæcumque hominis et Cæsaris vota sunt.* Idem testatur Dionysius Alexandrinus: ἡμεῖς τοίνυν τὸν ἕνα Θεὸν καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων, τὸν καὶ τὴν βασιλείαν ἐγχειρίσαντα τοῖς θεοφιλεστάτοις Οὐλεριανῷ καὶ Γαλιήνῳ σεβαστοῖς, τοῦτον καὶ σέβομεν καὶ προσκυνοῦμεν· καὶ τούτῳ διηνεκῶς ὑπὲρ τῆς βασιλείας αὐτῶν ὅπως ἀσάλευτος διαμείνῃ, προσευχόμεθα. Sic igitur pro principibus suis etiam persecutoribus et Ecclesiæ hostibus deprecabantur: Christo quippe jubente orare etiam pro persequentibus (Matth., V, 44), et Apostolo præcipiente preces pro quibusvis hominibus fundere, sed præcipue ὑπὲρ βασιλέων καὶ πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων (I Tim., II, 2), quibus etiam vult πᾶσαν ψυχὴν ὑποτάσσεσθαι (Rom. XIII, 1). HERALD.

Adhuc vitam degentibus, et resolutis corporum vinctione. Certe pro defunctis deprecationes allegabant Deo, non Arnobii solum ætate, sed et anteriori sæculo. Constat ex Tertulliani locis quibusdam decantatissimis, verbi causa de Monogamia, cap. 10: *Enimvero et pro anima ejus orat, et refrigerium interim adpostulat ei, et in prima resurrectione consortium, et offert annuis diebus dormitionis ejus.* Zeno Veronensis, sermone de Resurrectione: *Hinc uxor amissi mariti desolationem se ferre non posse testatur, frigidumque latus male dilatato queritur lecto: invidiosis vocibus Deo concinnat invidiam, solemnia ipsa divina, quibus sacerdotibus Dei quiescentes commendare consuerunt, profanis aliquotiens ululatibus rumpit: tetraque illavie suum totum deformans cultum, cadaver amplectitur conclamatum; frigentia tepefacit crebris osculis labra.* Totum hunc ritum describit in Ecclesiastica Hierarchia Dionysius (Areopagita), cap. ultimo, qui

quod humanos faciat, nisi quod mites, verecundos, pudicos, castos, familiaris communicatores rei, et cum omnibus, quos solidet germanitas, necessitudine copulatos.

XXXVII. Verum ita se res habet, ut quoniam plurimum gladiis, et potestate valetis ferri, anteire vos etiam veritatis scientia judicetis: et esse pro diis pios, quorum potentias primi opinionum obscœnitate fœdastis. Hoc in loco, si ferocitas vestra permittit, et rabies patitur, illud nobis ut respondeatis, oramus: utrumne iras cadere in naturam existimetis deorum, an ab affectibus his longe divinam esse beatitudinem disjugatam? Nam si concipiunt has faces, et motibus exasperantur irarum, sicut vestræ opinationes ferunt; nam sæpe illos dicitis et propter ludos minus sollicite factos, et propter præsules non probatos, et propter quædam spatiola defanata, et B propter cæremonias non rite perfectas, tremoribus infremuisse terrarum, et contagione pestilentiæ corrupisse auras temporum luctuosa cum populi vastitate, sequitur ut intelligi debeat iracundias non parvas ex opinionibus eos continere prædictis. Quod si datur, et illud necessario consequens, miserias has omnes, quibus olim genus accumulatur humanum, ab hujusmodi fluere fictionibus; quod si ab his causis indignatio proficiscitur numinum, miseriarum tantarum vos estis auctores, qui animos cœlitum non cessatis offendere, et ultionis in rabiem concitare. Sin autem ab hujusmodi furiis deorum est genus immune, neque quid sit irasci dii omnino noverunt: et nobis ergo irasci sine ulla ratione dicuntur, qui ira quid sit ignorant, et ab ejus comptu, et permixtione sunt absoluti.

COMMENTARIUS.

hæc ait observata: fratrem defunctum a propinquis ad episcopum deportatum quasi ad coronam accipiendam: hymnos deinde eucharisticos ab iisdem Deo τῷ τῆς νίκης αἰτίῳ, cujus gratia et ope frater victor abierat, decantatos: gratiarum actionem postea a sacerdote ob idem beneficium Deo redditam: capita quædam Scripturarum de resurrectione recitata, et hymnos ad idem argumentum accommodatos decantatos: dimissos postea cathechumenos: sanctos deinde quiescentes nominatos, et quasi victores clara voce prædicatos: precationem denuo pro defuncto a sacerdote conceptam: summam præcationis fuisse, ut Deus defuncto veniam peccatorum tribueret, eumque in locum viventium reciperet. Eum C postea osculo salutatum, unctum, denique conditum. Postea, cum Christianorum res potentiores factæ essent, pompa exequiarum adjecta: hymni et psalmi in exequiis decantati etiam per choros: cerei etiam prælati, Gentilium ritibus in melius, ut existimabant, conversis. Hanc rem abunde explicabunt Hieronymi verba. Sic igitur ille ad Eustochium Epitaphio Paulæ matris: *Exin non ululatus, non planctus, ut inter sæculi homines fieri solet, sed psalmorum linguis diversis examina concrepabant. Translataque episcoporum manibus, et cervicem feretro subjicientibus, cum alii pontifices lampadas cereosque præferrent, alii choros psallentium ducerent; in media ecclesia speluncæ Servatoris est posita.* Heic vides psalmos ab iis, qui funus prosequebantur, decantatos: sed clericorum choros insuper psalmorum cantamina modulatos. Herald.

In quibus auditur nihil, nisi quod humanos faciat, etc. In eamdem sententiam Plinius junior lib. x. epist. 97, de Christianis: *Affirmabant se sacramento non in* D *scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne aldulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum abnegarent.* Conf. Augustin., de Civ. Dei, lib. ii, cap. 28. Orell.

Familiaris communicatores rei. Sic restituit Jan. Guilielmus in Quæst. Plautin., in Curcul., cap. v; in Lampade Gruteri, vol. iii, part. 2, pag. 366. Antea legebatur *familiares communicatores rei*, quod vitium, inde enatum est, quia scriptum fuit in Codice *familiareis* gignendi casu ἀρχαϊσμῷ. Ita Lucilius *fur, fureis, furei* pro *furis*, i. Heraldus legendum putat: *familiares et communicatores rei*, deleto sequente *et.* Sed præfero equidem correctionem Guilielmi. Orell.

Et cum omnibus, quos solidet germanitas, necessitudine copulatos. Sic edidi e correctione Stewechii, quæ partim e ms. ducta est, ubi distincte legitur *copulatos.* Antea edebatur: *Et cum omnibus, quos solidet germanitatis necessitudine copulatio.* Sed ita efficitur oratio abrupta et hiulca; neque enim *et* habet, ad quod referatur. Salmasius edidit: *et cum omnibus consolidæ germanitatis necessitudine copulatos*, id est cum omnibus fratrum et sororum appellatione et affectu devinctos. Sed adjectivum *consolidus* frustra quæsivi in Lexicis. Orell.

XXXVII. — *Et esse pro diis pios.* Pessime Meursius: *Et esse pro diis ipsos.* Orell.

Et propter quædam spatiola defanata. Id est: *Profanata spatiola.* Nam hic ea respicere videtur Arnobius, quæ Cicero, de Nat. deor., lib. ii, § 215; Valerius Maximus, lib. i, cap. 1, § 3, et alii de Tiberio Graccho memoriæ tradiderunt. Quum ille, inquiunt, tabernaculum cepisset imprudens, et pomœrium inauspicato transgressus esset, propterea vitio creatos consules ab auguribus pronunciatum. Nourr.

Defanata spatiola. Idem quod *profanata.* Nam alludere videtur Arnobius ad ea, quæ de Tiberio Graccho Cicero (de Nat. deor., lib. ii, et de Divin., i.), Valerius Maxim. lib. i, cap. 1, § 3), et alii memorant. Cum ille, inquiunt, tabernaculum vitio cepisset imprudens, et pomœrium inauspicato transgressus esset, ideo vitio creatos consules ab auguribus pronunciatum. Nour., p. 554.

Corrupisse. Sic emendavit felicissime Th. Canterus. Antea legebatur: *corruisse.* Orell.

Iracundias non parvas ex opinionibus eos continere prædictis. Ita cod. mstus habet testibus Cantero et Stewechio, quam lectionem in textum editionis Lugd. Bat. recepit Salmasius. Gelenius et cæteri eum secuti ediderunt: *Ex opinionibus eos concipere prædictis.* Quod fateor mihi magis placere. *Continere iram, iracundiam*, duplici quidem sensu dici potest. Est scil. vel iram alere in pectore, perseverare in iracundia, vel cohibere, frenare iram, ne erumpat. Sed *concipere* contextui multo accomodatius. Pro *opinionibus* Canterus mavult *opinationibus.* Orell.

Ab hujusmodi furiis. Sic optime e Cod. msto restituit Heraldus. Antea edebatur: *ab hujusmodi nefariis.* Orell.

Et ab ejus comptu et permixtione sunt absoluti, etc. Hæc verba et sequentia crucem fixerunt interpretibus, uncinis ea includentibus tamquam lacunam loco positam plane alieno, quod de sequentibus verbis et postremis hujus libri: *Neque enim fieri per rerum naturam potest, ut, quod unum est, fiat duo, et in diversas res eat unitas ingenita simplicitate divisa*, est omnino verissimum: ideoque ausus sum ea in sedem multo aptiorem translocare cap. hujus libri xiii, ubi vide notas. Sed priora hujus lemmatis verba: *et ab ejus comptu et permixtione sunt absoluti*, conjungenda vi-

COMMENTARIUS.

dentur cum præcedentibus : *qui ira quid sit ignorant. compta*, quod in msto est corruptum esse nemo non videt. Sabæus et Gelenius ediderunt *contenta*. quod verbum novum prorsus et inauditum pro continentia; κατοχή, ut noster supra dixit lib. II c. 19, probant Cujacius et Meursius. Ita *remissa* ap. Cyprianum, *deducta* ap Cic., de Legg., lib. II, *condita* ap. Censorinum, cap. IV., *abscissa, resona*, pro *remissio, deductio, conditio, abscissio, resonatio*. Stewechius legendum censet *contentu*, eodem sensu. Fulv. Ursinus *contactu*. Mihi legendum videtur *conceptu*, e quo per compendium *c—tu* scripto facillime enasci potuit vitiosa lectio *comptu*. Ita *conceptus animi* pro consiliis, quæ animo agitantur, dixit Jul. Firmicus Mathes. V, cap. 12, et *concipere iras* sæpissime occurrit ap. optimos A scriptores, v. c. Cic., Tus. IV, cap. 9 : ***Discordia**, ira acerbior, intimo animo et corde **concepta**.* **Ovid.** Met. I, 166 :

Ingentes animo et dignas Jove concipit iras.

Valerius Flaccus, Argonaut., I, 747 :

. . . . . . Arma
Rex parat, et sævos irarum concipit ignes.

Etiam *permixtionem* de vi cupiditatum animi tranquillitatem turbantium dicere potuisse Arnobium eo sensu quo Cicero in Oratore, cap. 9, de Pericle dixit : *Qui si tenui genere uteretur, numquam ab Aristophane poeta fulgere, tonare, permiscere Græciam dictus esset*, nullus dubito. ORELL.

LIBER QUINTUS.

INDEX CAPITUM.

1. Esto : ab ludentibus poetis cuncta illa sint pro-

COMMENTARIUS.

1.— *Esto : ab ludentibus poetis*, etc. Sensus est : Quæ proposita antea do vobis a ludentibus et lascivientibus poetis conficta : quo tandem pacto excusabitis illa, quæ historiæ graves et seriæ produnt; quæque in sanctissimis vestris, ut existimatis, mysteriis traduntur non minus ridicula. Recte

dita de immortalibus diis probra. Quid illa, quæ historiæ continent graves, seriæ, curiosæ, quæque in arcanis mysteriis traditis, poetarum sunt excogitata lascivia? Quæ si vobis viderentur ineptiarum talium fabulæ, neque [a] in usu retineretis quædam suo, neque per cursus annuos lætitias exerceretis ut festas, neque ut rerum simulacra gestarum sacrorum conservaretis in ritibus. Ex quibus tam multis unum interim ponam moderaminis temperamentum secutus, in quo stolidus et imprudens ipse ille inducitur Jupiter, verborum ambiguitatibus lusus. In secundo Antiatis libro, ne quis forte nos existimet concinnare per calumnias crimina, talis perscripta est fabula: Numam illum regem, cum procurandi fulminis scientiam non haberet, essetque illi cupido noscendi, A Egeriæ monitu castos duodecim juvenes apud aquam celasse cum vinculis; ut cum Faunus, et Martius Picus ad id locorum venissent haustum, nam illis aquandi solenne iter huc fuit, invaderent, constringerent, colligarent. Sed quo res fieri expeditius posset, regem pocula non parva mero vino, mulsoque complesse, circaque accessus fontis insidiosam venturis opposuisse fallaciam. Illos more de solito bibendi appetitione correptos ad hospitia nota venisse. Sed cum liquoribus odoratis offendissent fragrantia pocula, vetustioribus anteposuisse res novas, invasisse aviditer, dulcedine potionis captos hausisse B plus nimio, obdormivisse factos graves: tum bis senos incubuisse sopitis, injecisse madidatis vincla, expergitosque illos statim perdocuisse regem, quibus

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quæque *alii*.

COMMENTARIUS.

itaque opponit historias graves et serias iis, quæ per jocum et a ludentibus scribuntur animi causa, nullo proposito fine. Hoc enim est *ludere*, quo sensu Græci etiam *παίζειν* dicunt eos, qui nihil agunt serio, sed *μάτην*: talesque elumbis ingenii homines *ματαίους* appellant. V. c., Herodotus, Musa II, c. 173, de Amasi loquens: Ἐχρᾶτο δὲ *καταστάσει πρηγμάτων τοιῇδε· τὸ μὲν ὄρθριον, μέχρι ὅτου πληθώρης ἀγορῆς, προθύμως ἔπρησσε τὰ προσφερόμενα πρήγματα· τὸ δὲ ἀπὸ τούτου ἔπινέ τε καὶ κατέσκωπτε τοὺς συμπότας, καὶ ἦν μάταιός τε καὶ παιγνιήμων*. Eumdem paulo post ait fuisse *φιλοπότην καὶ φιλοσκώμμονα καὶ οὐδαμῶς κατεσπουδασμένον ἄνδρα*. Sic *σκώπτειν* et *σπουδάζειν* sæpissime opponuntur, C quemadmodum *παίζειν* et *σπουδάζειν*. Eunapius præfatione: Εἰ *γὰρ τὸ παίγνιον τῆς ἀρετῆς ἄξιον λόγου, ἀσεβοῖτο ἂν πάντως τὸ σπουδαζόμενον σιωπώμενον*. Idem animi vitium *lasciviam* dicit Arnobius, quod vocabulum designat proprie dissolutam animi *διάθεσιν*, qua animi gratia, *μάτην*, nullo certo scopo proposito, aliquid agimus. Sic *ludere* est *lascivire* supra, l. IV: *Existimare non possumus, utrumne istud serio, atque ex rei compertæ faciatis fide, an ex fictionibus ludentes cassis ingeniorum lascivialis luxu*. HERALD.

Neque in usu retineretis quædam suo. Ita Gelenius et cæteri. Editio princeps et codex ms.: *quodam suo*. Ed. Lugd. Bat.: *Neque in usu retineretis quotidiano*, quod magis placet. Attamen nihil mutare ausim. ORELL.

Moderaminis temperamentum. Vide supra, ad l. I, c. 2. Est itaque hoc loco *moderaminis temperamentum* mediocritas inter nimiam narrationis prolixitatem et brevitatem. ORELL.

In secundo Antiatis libro. De C. Valerio Antiate, Annalium scriptore antiquissimo, cujus meminere Livius, Plinius Major, A. Gellius, Macrobius, alii, vide G. J. Voss., de Hist. lat., l. I, c. 10. ORELL.

Procurandi fulminis scientiam. Procurare fulmen, id est avertere, expiare, id facessere, ut Jupiter voluntati suæ satisfactum videns avertat noxiam vim tempestatis iracundiæ. Vide C. Barth., Adversar., l. LV, c. 13, et quæ supra annotavimus, ad l. II, c. 49. ORELL.

Egeriæ monitu castos duodecim juvenes, etc., *etc*. In hac narratione conferendi cum nostro Plutarchus in Vita Numæ, c. XV, et Ovidius, Fast. III, 259-350, qui locus est elegantissimus. ORELL.

Martius Picus. *Martius* est allusio ad transmutationem Pici in picum avem (quæ erat Marti sacra) a Circe, ob spretum ejus amorem. Conf. Ovid., Met. XIV, 319, seqq.; Virgil., Æn. VII, 187, ibique Servius; Plin., Hist. nat., l. X, c. 18 (20), ibique Harduin., vol. I, p. 552; et Plutar., in Quæst. Rom. ORELL.

Ad id locorum. Scil. in monte Aventino. Plutarchus, in Vita Numæ, c. 15: Μυθολογοῦσι *γὰρ εἰς τὸν Ἀβεντῖνον λόφον οὔπω μέρος ὄντα τῆς πόλεως, οὐδὲ συνοικούμενον, ἀλλ' ἔχοντα πηγάς τε δαψιλεῖς ἐν αὐτῷ καὶ νάπας σκιεράς, φοιτᾷν δύο δαίμονας*, Πῖκον *καὶ* Φαῦνον, etc. Conf. descriptionem elegantissimam Ovidii, Fast. III, 295 seq. ORELL.

Regem pocula non parva mero vino mulsoque complesse. Non dubitavi Arnobio reddere lectionem veterem, quam e codice ms. fluxisse testatur Elmenhorstius. Cæteri editores omnes ex interpolatione Gelenii: *Regem pocula non parvi numeri vino mulsoque complesse. Merum vinum* est aqua non temperatum: *vinum, ut a matre natum fuit*, appellat Plautus, Amphitr., act. I, scen. I. ORELL.

More de solito. *De* apud Arnobium aliosque illius ævi scriptores sæpissime abundat. Sic infra, lib. VI, c. 10: *Linguam ore de patulo potus aviditate projiciens*, et Nemesian. Cyneget., vers. 17:

Quis non Semelen ignemque jugalem
Letalemque simul, novit de pellicis astu?

Ubi vide Burmann., pag. 333, et, qui multa exempla citat, C. Barth., Adversar., lib. XVII, c. 17, p. 884. Supra jam aliquoties monuimus de abundantia ejusmodi particularum apud Arnobium. ORELL. — Conf. Ovid. Met. VI. 80. OCHSNER.

Sed cum liquoribus odoratis offendissent fragrantia pocula. Ovidius, Fast. III, 300 sq.:

Huc venit, et Fonti rex Numa mactat ovem.
Plenaque odorati Dis ponit pocula Bacchi,
D Cumque suis antro conditus ipse latet.
Ad solitos veniunt silvestria numina fontes
Et relevant multo pectora sicca mero.

Juretus ad Symmach., lib. I, epist. 26, pag. 39, ed. Lectii hæc accipit de vino odoribus condito, e more Græcorum (Vid. Fischer., ad Aristophan. Plut., vers. 808, qui hac de re multus est). Male. Nam *pocula fragrantia liquoribus odoratis et pocula plena odorati Bacchi* nihil aliud sunt, quam pocula vini natura sua fragrantissimi utpote vetusti ac generosi: quale describit Phædrus, lib. III, fab. I:

Anus jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc, Falerna fæce, e testa nobili,
Odorem quæ jucundum late spargeret.

ubi vid. Burmann., in Commentar., pag. 118. ORELL.

Obdormivisse factos graves. Ovidius l. l.: *Vina quies sequitur*. ELMENH.

Injecisse madidatis vincula. *Madidatis*, hoc est ebriis. Vide N. Heins., Adversar., lib. I, cap. 10,

ad terras modis Jupiter posset et sacrificiis elici; et ac- A cepta regem scientia rem in Aventino fecisse divinam, elexisse ad terras Jovem, ab eoque quæsisse ritum procurationis. Jovem diu cunctatum expiabis dixe capite fulgurita; regem respondisse, cœpitio. Jovem rursus, humano; retulisse regem, sed capillo. Deum contra, anima; piscis, subjecisse Pompilium. Tunc ambiguis Jovem propositionibus captum extulisse hanc vocem: decepisti me, Numa; nam ego humanis capitibus procurari constitueram fulgurita, non capillo cœpitio; quoniam me tamen tua circumvenit astutia, quem voluisti habeto morem; et his rebus, quas pactus es, procurationem semper suscipies fulguritorum.

II. Quid primum, quid ultimum, vel exequatur animus, vel conticescat, nec facile dictu est, neque ullis B considerationibus expeditum. Ita enim sunt omnia et excogitata, et comparata derisui; ut sit vobis connitendum, falsa ut credantur hæc esse, etiam si sint [a] vera, quam obtinere velle pro veris, et velut quiddam mirabile non sine ipsius numinis insinuare contemptu. Quid enim dicitis, o isti, credimusne illum Faunum, et Martium Picum, si ex numero sunt deorum, et ex illa perpetua immortalique natura, sitis aliquando ariditate siccatos, atque ut æstum possent irrigare venarum, fluenta isse per fontium? Credimusne captos mero, et dulcedine illectos mulsi, tamdiu se poculis ingurgitavisse fallacibus, ut usque ad ebrietatis periculum veniretur? Credimusne vinctos somno, atque altissimi soporis oblivione demersos, vinciendi copiam sui animalibus præ-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sunt *Sab.*

COMMENTARIUS.

pag. 102, et intpp. ad Apulei., Met., lib. VIII, p. 558. Oudend. Sic infra · *mero madidari multo.* ORELL.

Elici. Ovidius, Fast. III, 327:

> Eliciunt cœlo te, Jupiter: unde minores
> Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.
> ELMENH.

Peculiare verbum de sacrificiis et evocationibus manium deorumque. Tertullianus, de Anima, cap. XXVIII: *Scimus enim Magos elicere explorandis occultis et paredros et pythonicos spiritus.* Vid. C. Barth., Adversar., lib. IV, cap. 12, pag. 180. ORELL.

Elexisse. Frustratur itaque hoc loco observatio Prisciani, lib. X, pag. 381, ed. Basil., *terminationem præteriti verbi elicio, ere, numquam esse elexi, sed elicui.* ORELL.

Expiabis, dixe, capite fulgurita. Antiquam formam *dixe* pro *dixisse* e codice ms. restituerunt Meursius in Append. et editor Lugd. Bat. *Fulgurita*, religione insignia. Festus: *Fulguritum, id quod est fulmine ictum, qui locus statim fieri putatur religiosus, quod eum Deus sibi dicasse videretur.* Glossæ veteres ad illud Persii, sat. II:

> Triste jaces lucis evitandumque bidental.

Bidental locus sacro percussus fulmine, qui bidente ab aruspicibus consecratur, quem calcare nefas sit. Immo etiam intueri talia loca fulgurales libri vetabant, ideoque ea studiose muniebant aruspices, et hydriam cum operculo ibi collocabant, teste Ammiano Marcellino, lib. XXIII, pag. 246; ubi vid., qui hac de re multus est, H. Vales., in Not., pag. 259, ed. Paris. Conf. Rigalt., ad Artemidor. Oneirocrit., lib. II, cap. 9, pag. 73, vol. II. ed. Reiff., et intpp. ad Fest. v, *bidental.* ORELL.

Regem respondisse cœpicio Jovem rursus humano, etc. Ovidius l. l.:

> Cæde caput, dixit. Cui Rex, Parebimus, inquit:
> Cædenda est hortis eruta cepa meis.
> Addidit hic, Hominis. Summos, ait ille, capillos.
> Postulat hic animam: cui Numa. Piscis, ait.
> Risit: et, His, inquit, facito mea tela procures,
> O vir colloquio non abigende meo! ORELL.

Deum contra anima: piscis subjecisse Pompilium. Sic edidi ex emendatione Gelenii et Salmasii in edit. Lugd. Bat. V. *piscis* deest in cod. ms. et ed. principe, ubi legitur: *Deum contra animali, subjecisse Pompilium.* Tum sequitur.... signum lacunæ, quam Gelenius explevit v. *piscis*, Heraldus v. *mæna*, sequens Plutarchum, qui habet: Ἀποκρινομένου δὲ τοῦ Διὸς ἐμψύχοις, ἐπαγαγεῖν τὸν Νουμᾶν, μαινίσιν. De *mæna* pisce vide supr. ad lib. III, cap. 31. Stewechius legendum censet: *Deum contra animali* (id est animato), *subjecisse Pompilium pompili*, quæ est etiam conjectura F. Ursini, ut sit lusus in ambiguitate verbi, quod et regis et piscis nomen. *Pompili* scil. nomine duplex piscium genus significatur a Plinio, Hist. nat. lib. IX. Alterum thynni species cap. 15. Alterum animal testaceum e nautilorum genere cap. 29, ubi vid. Laur. Th. Gronov., et Rittershus. ad Oppian. Halieut., I, 186. Sed vereor ne sit hæc conjectura sagacior quam verior, neque video cur eliminari debeat v. *piscis*, quod etiam Ovidius habet, qui ex eodem fonte, scil. Valerio Antiate, C hausisse videtur cum nostro. Malim cum Salmasio *piscis* ponere ante *subjecisse*, quod convenientius orationis cursui rapidissimo. Cogitandum scil. hæc omnia quam citissime prolata et rapidissime. Numamque haud permisisse Jovi voluntatem suam explicare pluribus verbis, sed unumquodque ejus verbum, simulac ἔφυγε ἕρκος ὀδόντων, alio verbo suis consiliis aptiore intercepisse et quasi repulisse. Quod innuit etiam Plutarchus dicens: ὑπολαβόντος τοῦ Νουμᾶ, etc., quod Kaltwasserus vertit, *Ihm geschwind in die Rede fallend.* Neque in alia re constitit illa, quam Jupiter vocat, Numæ astutia, quam in celeritate ac præsentia animi, qua singula verba Jovis vix ore missa interpellans responso convenientissimo in alios sensus, ac Deus voluerat, retorquebat. Nimirum diis indecorum eorumque majestate indignum habebatur verba, quæ effati essent, brevia sæpe et ambigua, explicare, eorumque sententiam consulentibus interpretari, quod in oraculis præcipue notissimum. ORELL.

D *Non capillo cœpicio.* Ita Gelenius et cæteri. Cod. ms. et editio Sabæi: *Numa capillo cœpicio.* Unde Heraldus leg. suspicatur: *Non autem capillo cœpicio.* Et hanc conjecturam retractans in Curis secundis: *Non mæna aut capillo cœpicio.* ORELL.

II. — *Ita enim sunt omnia excogitata et comparata derisui.* Plutarchus, l. l.: Ταῦτα μὲν οὖν μυθώδη καὶ γελοῖα τὴν τῶν τότε ἀνθρώπων ἐπιδείκνυται διάθεσιν πρὸς τὸ θεῖον, ἣν ὁ ἐθισμὸς αὐτοῖς ἐνεποίησεν. HERALD.

Credimusne illum Faunum. Meursius conjicit: *Credemusne*, etc., et sic in lineis sequentibus. ORELL.

Vinctos somno. Fulv. Ursinus mavult *victos.* Male. Lucretius, IV, 455:

> Denique cum suavi devinxit membra sopore.

et vers. 1021:

> Somno devincti credunt extollere vestem. ORELL.

Conf. Fr. A. Wolf. ad Sueton. August., c. XVI, tom. I, pag. 127. OCHSNER.

buisse terrenis? Quibus deinde partibus vinculorum illæ injectæ sunt nexiones? soliditatis habebant quidquam, aut ex duris ossibus informatæ fuerant eorum manus, quæ constringi laqueis, et nodorum possent illigationibus coerceri? Non enim requiro, non exigo, an aliquid potuerint fari ebrietatis alienatione nutantes; an Jove invito, vel potius nescio, protrahendi ad terras ejus ritum quisquam potuerit publicare; illud solum audire desidero, cur si Faunus et Picus sunt divini generis et potestatis, non ipsi potius edidere quærenti id, quod ab ipso Jove periculosius Numa cupiebat audire? An numquid Jupiter solus hujus rei scientiam noverat, ab ipso enim decidunt fulmina, ut imminentia procurare alicujus debeat scientiæ disciplina? An cum ipse jaculetur hos ignes, aliorum sit operis scire, quibus modis conveniat iras ejus, atque animos temperare? Etenim revera stultissimum credere est, ipsum remedia scire, quibus averti possint, quæ per fulminis jactum in humanis fieri constituerit rebus. Hoc est enim dicere: illo ritus genere iras meas placabitis; et siquando per fulgura significavero aliquid imminere, facite hoc, et illud, ut quod fieri statui, inane fiat et vacuum, et sacrorum vi vanescat.

III. Sed concedamus, ut dicitur, ipsum adversum se Jovem remedia scisse, atque artes, quibus iri obviam suis significationibus conveniret; etiamne credemus Deum numinis tanti tractum esse ad terras, et in verrucula collis unius cum homunculo stantem, altercabilem conseruisse sermonem? Et quænam illa, quæso, divina res fuit, quæ ad imperio rerum tanto Jovem compulit avocari, et mortalium sese denuntiationibus sistere? mola salsa, thus, sanguis, verbenarum sufficio, et nominum terribilium fremores? et

COMMENTARIUS.

Edidere quærenti. Annon legendum *edixere?* quod esset significantius. Orell.

An numquid Jupiter solus hujus rei scientiam noverat, etc., etc. Integrum locum sic legi vult Meursius: *An numquid Jupiter solus hujus rei scientiam noverat* (*ab ipso enim decidunt*), *fulmina ut imminentia procurari alicujus debeant scientiæ disciplina.* Orell.

Noverat, ab ipso enim decidunt fulmina, ut imminentia procurare alicujus debeat scientiæ disciplina. Proba lectio, nec eam sollicitare debebant. Neque enim imminentia fulmina procurantur, sed quæ per fulmina significabantur imminere. Mox: *Et si quando per fulgura significavero aliquid imminere.* Herald. — Fulv. Ursin. scil. conj.: *Ab ipso enim imminent fulmina.* Meursius totum locum sic legit et interpungit: *Noverat* (*ab ipso enim decidunt*) *fulmina ut imminentia procurari debeant.* Orell.

Aliorum sit operis scire. Operis delendum censet Stewechius tamquam glossema et interpretamentum librarii. Orell.

Ipsum remedia scire. Scire sine dubio corruptum est. Nam hoc minime ridiculum, eumdem Jovem, qui hominibus mittat fulminum auspicia, etiam remedia scire ad ea quæ significantur fulminibus averruncanda, sed hoc absurdum dicit Arnobius, Jovem ipsum docuisse mortales, quibus rebus potentia sua in nihilum redigi possit, quinimmo ritus etiam constituisse et cerimonias ordinasse, quibus adstrictus non possit ipse exsequi postea suam indignationem. Quare legendum aut cum Heraldo in Curis secundis: *remedia sciscere*, aut cum C. Barthio, in Adversar., lib. LV, cap. 13, pag. 2618 seq.: *remedia sancire*, e quo per compendium scripto *scire* facillime enasci poterat *scire.* Orell.

Meas iras. Ita Salmasius ex emendatione Meursii in Append. Editio princeps: *Meas has.* Gelenius: *Minas has.* Sed paulo ante: *Quibus modis conveniat iras ejus atque animos temperare.* Orell.

Et si quando per fulgura significavero aliquid imminere. Proprie *significare*, ut Græcis σημαίνειν, et *significationes* modo, διοσημεῖαι. Herald.

Et sacrorum vi vanescat. Sic restituit Cujacius ex ms., ubi legitur: *Et sacrorum vanescat.* Editio princeps: *Et sacrum vanescat*, vitiose. C. Barthius., Adversar., lib. LV, cap. 13, pag. 2619: *Et sacri vi vanescat. Sacrum* scil. ritus ipse, ut traditus a Jove. Heraldus, in Curis secundis: *Sacro evanescat.* Elmenhorstius: *Et cassum fatum vanescat*, delens verba præcedentia *et vacuum.* Meursius in Appendice post v. *sacrorum* putat excidisse *peractione* aut tale quid. Usum verbi simplicis *vanescere* pro *evanescere* multis exemplis illustrat L. Bünemann. ad Lactant., Inst. IV, cap. 8, pag. 449. Orell.

III. — *Remedia scisse. Scisse a scisco, sciscere.* Videmus itaque, in cap. præcedenti pro *remedia scire* legendum esse: *Remedia sciscere.* Sic supra, lib. II, c. 19: *Antiquis opinionibus scitum est.* Ubi male conjiciunt nonnulli *sancitum.* Nam *scitum* a *sciscere.* Orell.

In verrucula collis unius. Vide supra, ad lib. II, cap. 49, et de locutione *sermones conserere* Oudendorp., ad Apulei., Met. V, pag. 349. Orell.

Et quænam illa quæso divina res fuit, quæ ab imperio rerum tanto Jovem compulit avocari. Sic edidi ex emendatione felicissima J. G. Grævii in Epistola 258, ad N. Heinsium Syllog. Burmann., vol. IV, pag. 352. Antea edebatur: *Ab impetu rerum tanto.* Sed quis ille impetus rerum? Orell.

Mortalium sese denunciationibus sistere. Denunciatio proprie est interpellatio, qua quis per officiales magistratus in judicium provocatur. Paulus ICtus, lib. V Sentent. Tit. V; Brisson., de Verb. Sign., lib. IV, p. 173. Elmenh.—Hoc loco, ut bene observat Priorius, *denunciatio* idem est quod *condictio* apud Augures, quæ dicitur, cum denuntiatur, ut quis ante diem tertium ad inaugurandum adsit. Vide Serv. ad Virgil., Æn. III, 117, et Gesner., in Thesaur., v. *condictio.* Etiam sequens *sistere* vocabulum forense. Cic., de Offic., III, cap. 10: *Vas factus est alter ejus sistendi.* Orell.

Mola salsa, tus, sanguis, verbenarum suffitio. Sagax est, sed non necessaria conjectura doctissimi Scaligeri: *tus, sagmina verbenarum, suffitio.* Festus: *Sagmina dicebant herbas verbenas, quia ex loco sancto arcebantur, legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum.* ubi vide intpp. Ideoque conjungit ea cum verbenis Livius, lib. I, cap. 24. Sed nostro loco *sanguis* videtur multo aptius propter ea quæ præcesserunt: *mola salsa, tus. Verbenarum* usus notissimus non solum in sacris Fetialibus, sed in cæteris quibuscumque. Locus classicus est Servii ad Æn., XII, 120: *Verbena proprie est herba sacra, rosmarinus, ut multi volunt, id est* λιβανωτίς, *sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Fetiales et pater patratus, fœdera facturi vel bella indicturi. Abusive tamen etiam verbenas vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva, vel myrtus.* Conf. Donatus ad Terent. Andr., act. IV, scen. III, vers. 11; Voss., ad Virgil. Eclog. VIII, 65:

Verbenasque adole pingues et mascula thura.

et, qui pleraque veterum loca diligentissime collegit, Jo. Saubert. de Sacrif., cap. 24, p. 541, seq. Meursio placet: *Verbenarum suffectio.* Orell.

Nominum terribilium fremores. Nomina terribilia, id

potentiora quam Jupiter fuerunt hæc omnia, ut eum compellerent invitum parere præceptis, aut voluntarium sese circumventionibus tradere? Quid? quod sequitur, fidem sumet, tam improvidum fuisse Saturnium; ut aut ea proponeret, quorum ambagibus ipse caperetur, aut nesciret futurum quibus lusura se modis astutia esset calliditasque mortalis? Expiabis, inquit, capite fulgurita. Imperfecta adhuc vox est, neque plena proloquii, circumscriptaque sententia. Scire enim necessario convenit, utrumne capite vervecino, an suillo, an bubullo, an quolibet alio, expiationem istam sciscat Diespiter perpetrari. Quod cum nondum specialiter statuisset, essetque adhuc pendens, et nondum sententia terminata, qui potuit Numa scire hominis Jovem dicturum caput, ut anteverteret, anteiret, et in caput cœpitium [a] ambiguitatis illius incerta traduceret?

IV. Nisi forte dicetis regem fuisse divinum: numquid ipso poterat esse Jove divinior? Nisi homo præsumens, quid dicturus esset Jupiter, circumscripsit; Deus scire non poterat, quibus modis pararet circumscribere se homo. Ita non in promptu est, et ap- A paret puerilium esse ingeniola fictionum; quibus cum acquiritur cordis Numæ vivacitas, imprudentia maxima importatur Jovi. Quid enim tam imprudens, quam confiteri te captum argutia cordis humani, et cum deceptum te doleas, in victoris concedere voluntatem, et medicinam quam obtuleras, ponere? Nam si fuit ratio, et quædam convenientia naturalis, cur humano capite procuratio debuerit suscipi fulguriti, non video cur ab rege relatio sit facta cœpitii; sin autem poterat et cœpitio transigi, libidinose hominis inhiatum est cruori. Atque ita in contrarium pars utraque traducitur, ut nec Numam monstretur voluisse scire, quod voluit, et crudelis Jupiter fuisse doceatur, qui quod a Numa potuit et cœpitio suscipi, voluisse dixerit humanis capitibus expiari.

B V. Apud Timotheum non ignobilem theologorum virum, nec non apud alios æque doctos super magna deorum matre, superque sacris ejus, origo hæc sita est, ex reconditis antiquitatum libris, et ex intimis eruta (quemadmodum ipse scribit, insinuatque), mysteriis. In Phrygiæ finibus inauditæ per omnia vastitatis petra, inquit, est quædam, cui nomen est Agdus,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cœpitii *Sab.*

COMMENTARIUS.

est magica. Vide supra, ad lib. I, cap. 52. Orell.

Voluntarium sese circumventionibus tradere. Ita ms. rectissime. Fulv. Ursinus conjecit: *circumventionibus traditis.* Gelenius: *traderet.* Orell.

Plena proloquii. Vide supra, ad l. III, c. 44. Orell.

C *Utrumne capite vervecino, an suillo, an bubulo, an quolibet alio.* Revocavi lectionem codicis ms. Quid enim moverit editores cunctos voces *an bubulo* exulatum mittere, equidem nescio; *vervecino* pro *cervicino*, ut cod. ms. habet corruptissime, est ex emendatione Gelenii. Orell.

IV. — *Puerilium esse ingeniola fictionum.* Deminutivum *ingeniolum*, ut *ingenium*, hoc loco pro re ingenio facta et inventa, εὕρημα, quo sensu Tertulliano imprimis frequentatissimum, apud quem tria vocabula, *ingenium*, *artificium* et *argumentum*, synonyma, ut observat Salmasius ad lib. de Pallio, p. 79. Conf. Semler., Ind. Latinitatis Tertullianeæ. At melioribus quoque scriptoribus argentei ævi hoc usitatum, verbi causa, Tacito, Annal. XVI, 20, *noctium ingenia* de libidinibus nocturnis ingeniose excogitatis, et Plin. Paneg., cap. 49: *Exquisita ingenia cœnarum*, ubi vid. Gierig., p. 147. Orell.

Cordis Numæ vivacitas. *Numæ* est casus tertius. Orell.

D *Imprudentia maxima importatur Jovi.* Stewechius mavult *imputatur*, quod suspicatur enatum esse ex scriptione antiqua *impoutatur*, quam non intelligentes librarios fecisse *importatur*. Sed *importatur impudentia alicui* non minus bene dici potest, quam *ægritudinem, sollicitudinem, luctum, suspicionem alicui importare* apud Ciceronem aliosque. Vid. G. Corte ad Cic., ad Fam., lib. XVI, Ep. 21, p. 847, et, qui de hoc verbo multus est, M. Gudius ad Phædri lib. I, fab. XXVIII, vers. 6, p. 247, ed. Burmanni. Orell.

Confiteri te captum. F. Ursinus: *Confiteri Deum captum.* Sed tunc scribendum fuisset: *confiteri Deum captum se*, neque *te* abesse potest ob sequentia verba: *cum deceptum te doleas*, pro quibus idem Ursinus substituit: *cum deceptum se doleat.* Elmenhorstius: *Cum deceptum Deum doleas.* Orell.

Et medicinam, quam obtuleras, ponere. Sagax est, at minime necessaria, conjectura Meursii et Heraldi in Curis secundis: *et medicinam, quam occulueras, promere.* Ponit Jupiter, id est deponit, condonat Numæ, quam prius obtulerat, medicinam, fulguritorum scil. expiandorum, pro capite humano offerri sibi permittens caput cæpicium. Orell.

Libidinose hominis inhiatum est cruori. *Libidinose*, id est crudeliter. *Libido* enim pro quovis affectu vel cupiditate ponitur apud antiquos. Vide C. Barth., Adversar., lib. XXIX, cap. 14, p. 1382. Orell.

Quid quod a Numa potuit et cæpicio suscipi. Sic edidi ex emendatione editoris Ludg. Bat. Codex ms. habet: *quod Numa potuit ei cæpicio suscipi*, nullo sensu. Editio princeps: *quod Numa potuisse cæpicio suscipi*, quod tolerari potest, si *dixerit*, quod sequitur, et hic subintelligamus: *quod Numa* (scil. dixerit) *potuisse cæpicio suscipi.* Scriverius ap. Meursium mavult: *quod a Numa potuisset cæpicio suscipi.* Meursius ipse in Appendice: *quod Numa potius ex cæpicio suscipi* (scil. dixerit vel intellexerit). Stewechius tandem: *quod Numa putavit* (vel *putaverit*) *cæpicio suscipi.* Orell.

V. — *Apud Timotheum non ignobilem Theologorum virum.* Timothei Theologi præter nostrum nullus veterum meminit. Vid. G. J. Voss., de *Historicis Græcis*, lib. III; C. Barthius, in Adversar., lib. LV, cap. 13, putat eumdem esse cum poeta illo lyrico et musico peritissimo sub Philippo Macedone, inventione decimæ et undecimæ chordarum lyræ nobilitato, de quo vide Suidam. Male, opinor. Nam quæ Arnobius ex eo refert, petita videntur ex libro aliquo historico de diis eorumque mysteriis. De Timotheo illo, quem et Plutarchus ἐξηγητὴν appellat, id est hierophantam, mystagogum, sacrorum Eleusiniorum interpretem, vel, ut Tacitus loquitur *antistitem cæremoniarum*, adeundus Gisb. Cuperus in Appendice ad Apotheosin Homeri, pag. 277. Pro *virum* Fulv. Ursinus mavult *unum*. Sed nil mutandum. Orell.

Super Magna Deorum Matre, superque sacris ejus origo hæc sita est. Cum hac narratione conf. Pausanias in Achaicis, pag. 430, ed. Sylburgii, eamdem historiam sive fabulam describens, sed aliquanto brevius. Orell.

Ex intimis eruta (quemadmodum ipse scribit insinuatque) mysteriis. Stewechius legendum suspicatur: *ex*

regionis ejus ab indigenis sic vocatæ. Ex ea lapides sumptos, sicut Themis mandaverat præcinens, in orbem mortalibus vacuum Deucalion jactavit et Pyrrha: ex quibus cum cæteris et hæc, Magna quæ dicitur, informata est Mater, atque animata divinitus. Hanc in vertice ipso petræ datam quieti et somno, nequam incestis Jupiter cupiditatibus appetivit. Sed cum obluctatus diu id, quod sibi promiserat, obtinere nequisset, voluptatem in lapidem fudit victus. Hinc [a] petra concepit, et mugitibus editis multis prius, mense nascitur decimo materno ab nomine cognominatus Acdestis. Huic robur invictum, et ferocitas animi A fuerat intractabilis, insana et furialis libido, et ex utroque sexu, vi rapta divastare, disperdere, immanitas quo animi duxerat, non deos curare, non homines, nec præter se quidquam potentius credere: terras, cœlum et sidera contemnere.

VI. Cujus cum audacia quibusnam modis posset vel debilitari, vel comprimi, sæpenumero esset deorum in deliberatione quæsitum, hæsitantibus cæteris hujus muneris curam liber in se suscipit: familiarem illi fontem, quo ardorem fuerat suetus et sitiendi lenire flagrantiam, ludo et venationibus excitatam, validissima [b] succendit vi meri: necessitatis in tempore

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hanc *Sab.*

[b] *Ita Sab. Alii:* validissimi, *bene.*

COMMENTARIUS.

intimis eruta (quemadmodum ipse scribit) insinuataque mysteriis. Sed jam aliquoties legimus apud nostrum: *tradit insinuatque; insinuare* scil. i. q. tradere, docere. Vid. supra, ad lib. I, cap. 63. ORELL.

Cui nomen est Agdus, regionis ejus ab indigenis sic vocatæ. Ex ea.... Stewechius et Meursius malunt: *sic vocata. Ex ea.* Male. *Sic vocatæ* est græca constructio. ORELL.

Sicut Themis mandaverat præcinens. Revocat hic locus in memoriam mihi insignem Acronis lapsum ad Hor., l. I, Od. 2, cum ait: *Diluvio facto cum tantum Parnassus emineret, Deucalion et Pyrrha, quomodo repararent genus humanum, Apollinem consuluerunt: qui dum respondisset, ut jacularentur ossa matris, tunc cognoverunt terram esse matrem dictam, unde jaculante mox Pyrrha lapides puellæ, et Deucalione mares nati sunt.* Neque enim Apollinis, sed Themidis oraculum consultum fuit. Patet ex Arnobii loco hoc et Ovidio Metam. I, 320:

Numina montis adorant
Fatidicamque Themin, quæ tunc oracla tenebat.

Et certe prior Apolline Themis templum habebat in Bœtica, juxta Cephisum. Vide Etymologum v. Θεμιστεύων, Suidam v. Θεμιστεύειν, Juvenalis Interp., sat. I. (Placid. Lutat. in Stat. Thebaid., lib. III, p. 169, ed. Lindenbrog.) Immo Orpheus, Hymno Themidis canit, eam oracula primam hominibus ostendisse et Apollinem edocuisse. Sic ait:

Ἣ πρώτη κατέδειξε βροτοῖς μαντήϊον ἁγνὸν
Δελφικῷ ἐν κευθμῶνι θεμιστεύουσα θεοῖσι
Πυθίῳ ἐν δαπέδῳ, ὅτε Πυθοῖ ἐμβασίλευεν,
Ἣ καὶ Φοῖβον ἄνακτα θεμιστοσύνας ἐδίδαξε.

Quamvis Pindari interpres Pani id tribuat contra Orphei mentem. MEURS., lib. V, c. 2.—Prima oraculo Delphico præerat Tellus, postea Themis, tandem Apollo. Vid. Æschyl. Eumenid. init.; Pausan., Phocic., p. 809, Schol. Euripid. Ad Orest., vers 163. ORELL.

Informata est. Informari, in vitam adigi, formam capere cogi, ut explicat C. Barthius in Adversar., lib. LV, cap. 13, pag. 2619. Contra *informis* est, qui, unde cognosci possit, formam non habet. Hinc Apuleius, lib. V, de Psyche: *voces informes audiens,* hoc est voces audiens quæ unde manaverint, cognoscere non potuit. ORELL.

Datam quieti et somno nequam incestis Jupiter cupiditatibus appetivit. Sic edidi ex emendatione lenissima et elegantissima C. Barthii in Adversar. l. l., et lib. XXIX: cap. 14, *nequam* enim sæpissime pro libidinoso, petulante. Sic Martialis, lib. I, epigr. 109:

Ista est passere nequior Catulli.

Eodem sensu *nequitia* ap. Petron. Sat., cap. LXXXVII: *At ille non indelectatus nequitia mea.* Antea edebatur: B *Quam incestis,* quod si sanum est, nihil aliud significare potest quam *valde, maxime incestis,* ut *quam* positivo junctum nonnunquam vice fungitur superlativi. Vide Tursellin., de Particulis Ling. lat., Sic auctor incertus de bello Hispan., cap. 33: *Cœnam afferri quam opimam imperavit.* Sed hoc nostro loco nimis durum. Sequi itaque malui correctionem C. Barthii. ORELL.

Voluptatem in lapidem fudit victus. Voluptas hoc loco de effectu libidinis, semine genitali. Similiter Hyginus, Poet. Astron., lib. II, cap. 13, de Vulcano Minervam appetente: *Et cum plenus cupiditatis ad eam, ut complexui se applicaret, ferretur, repulsus effudit in terram voluptatem.* ELMENH.

Mugitibus editis multis prius, etc. Editio princeps et Gelenii: *Mugitibus editus multis prius,* etc., unde C. Barthius Adversar., lib. XXIX, cap. 14, et lib. LV., C cap. 13, reponendum suspicatur: *Mugitibus auditus multis prius,* scil. nascitur Adcestis. Sagax conjectura. Attamen nihil mutare ausim. ORELL.

Insana et furialis libido, et ex utroque sexu. Ita Fulvius Ursinus et Gelenius. Editio princeps: *Et ex utraque sexus,* nullo sensu. Meursius: *ex utroque sexus,* ut sensus sit. Acdestin fuisse Androgynum: quod testatur etiam Pausanias: Διὰ ὑπνωμένου ἀφιέναι σπέρμα ἐς γῆν· τὴν δὲ ἀνὰ χρόνον ἀνεῖναι δαίμονα, διπλᾶ ἔχοντα αἰδοῖα, τὰ μὲν ἀνδρός, τὰ δὲ αὐτῷ γυναικός. Ὄνομα δὲ Ἀγδίστιν αὐτῷ τίθενται. Heraldus totam auctoris sententiam invertens et cum sequentibus conjungens legendum existimat: *et ex utero quippe saxi vis apta devastare, disperdere.* C. Barthius, in Adversar., lib. XXIX, cap. 14, pag. 1383, Gelenii emendationem defendens putat, *sexu* esse nominativum antiquum pro *sexus,* auctorem citans Festum: *Sexus, aliter sexu, natura habitusque, ex græco,* etc., ubi vid. Jos. Scaliger. Ita Sallust., Hist., lib. II, Frag. D *Undique virile et muliebre sexu per vias et tecta omnium visebatur,* et Sisenna, Hist., lib. IV: *Tum in muro virile ac muliebre sexu, populi multitudine omni collecta,* ubi autem alii legunt *secus,* quod et in nostro loco reponere vult Stewechius. Sed quid obstat, quominus et hoc loco *sexu* accipiamus casu sexto, ut sensus sit, libidinem (*Geschlechtstrieb*) utriusque sexus sensisse Acdestim, quippe androgynum. ORELL.

Immanitas quo animi duxerat. Vide supra ad libri I, cap. 5, verba: *Ut ille immanis Xerxes.* Salmasius edidit: *Ire immanitas quo animi duxerat.* At multo significantior mihi videtur antiqua lectio: *omnia divastare, disperdere, quo* (illum) *duxerat animi immanitas.* ORELL.

Nec præter se quidquam potentius credere. Fulv. Ursinus mavult: *præ se.* ORELL.

VI. — *Ludo et venationibus excitatam. Ludus* hoc loco videtur significare res venereas, τὰ ἀφροδίσια. ORELL.

Necessitatis in tempore. Hæc est lectio codicis ms.

A haustum accurrit Acdestis, immoderatius potionem hiantibus venis rapit: fit ut insolita re victus soporem in altissimum deprimatur. Adest ad insidias Liber, ex setis scientissime complicatis unum plantæ injicit laqueum: parte altera proles cum ipsis genitalibus occupat: exhalata ille vi meri corripit se impetu, et adducente nexus planta, suis ipse se viribus, eo quo fuerat, privat sexu, cum discidio partium sanguis fluit immensus: rapiuntur, et combibuntur hæc terra: malus repente cum pomis ex his punica nascitur, cujus Nana speciem contemplata regis Sangarii vel fluminis filia carpit mirans, atque in sinu reponit: fit ex eo prægnans: tamquam vitiatam claudit pater, et curat ut inedia moriatur, pomis, atque aliis bacculis deum sustentatur a matre, enititur parvulum: sed exponi Sangarius præcipit: repertum nescio quis sumit Phorbas, lacte alit hirquino: et quoniam Lydia scitulos sic vocat, vel quia hircos

COMMENTARIUS.

et editionis principis. Alii: *Æstatis in tempore.* Orell.

Parte altera proles cum ipsis genitalibus occupat. Proles pro testiculis dicit noster aliquoties. Sic infra, cap. 23 hujus libri: *Circumjectas prolibus diripientem membranulas*, et lib. vii, cap. 24: *Polimina porro sunt ea, quæ nos proles verecundius diximus.* Vide C. Barth. Adversar., lib. lv, cap. 13, et Gesner., in Thesaur. Orell.

Exhalata ille vi meri. Sic editor Lugd. Bath. ex emendatione felicissima Jos. Scaligeri. Cod. ms. habet: *Exaltata ille vi meri*, quod defendit Stewechius intelligens de summo ebrietatis gradu (*als seine Trunkenheit auf den hochsten Grad gekommen*). Male. Nam effectus summæ ebrietatis in Acdesti erat sopor altissimus: a quo, soluta demum crapula, experrectus est. Legendum itaque *exhalata* cum Scaligero, quod et Heraldus probat. *Exsolutus ille vi meri*, quod antea legebatur, est e correctione Gelenii. Editio princeps: *exaltatus*, etc. Canterus: *exartatus.* Orell.

Eo quo fuerat, privat sexu. Sensus flagitat, ut cum Fulvio Ursino legamus; *eo quo vir fuerat privat sexu.* Androgynus enim fuit Acdestis, ut modo vidimus. Orell.

Cum discidio partium. Ita legendum esse ex emendatione Ob. Gifanii pro *dissidio*, quod antea legebatur, docet Th. Canterus. *Discidium* enim, vocabulum Lucretio usitatissimum, διαχωρισμὸς, διάλυσις, significat separationem violentam et abruptionem duorum inter se conjunctorum, a *discindere*, *dissidium* contra, a *dissideo, ere*, indicat discordiam quamdam et animorum dissensum. Vid. Faern. et Bentley ad Terent. Andr., act iv, scen. ii, vers. 14, et Gesner, in Thesauro, et imprimis Walkenaer, ὁ πάνυ, ad Callimach. Eleg. Fragm., pag. 102. C. Barthius mavult *decidio*, quod idem est ac *discidium. Partes* autem hoc loco κατ' ἐξοχὴν de virilibus, genitalibus, quo sensu passim occurrit in Priapeiis, verbi causa, epigr. 8, 29 et 48, quos locos exscribere pudor vetat. Conf. Erhard., ad Petron., cap. 112, et P. Burmann., ii, ad Anthol. lat., vol. ii, pag. 513. Quod non intelligens C. Barthius in Adversar., lib. lv, cap. 13, legendum putat: *Cum discidio* (vel *decidio*) *patrum*, asserens, *patres*, *fratres* eodem obscœno sensu dici apud Latinos, quo *proles*, *soboles*, cujus vero significationis exemplum nullum attulit. Lectionem *discidio patrum*, probat etiam Lindanus ad Hesychium, v. Ἐλίσθε, pag. 1172, tom. i, ed. Alberti, docens, eodem sensu testes vel testiculos etiam κυάμους dici apud Græcos, verbi causa, in versu illo Empedoclis citato ab Agellio, Noct. Att., lib. iv, cap. 11:

Δειλοί, πάνδειλοι, κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθαι.

κυάμους, ut explicat Agellius, *more Pythagoræ operte atque symbolice appellatos, quia sint εἰς τὸ κύειν δεινοὶ καὶ αἴτιοι τοῦ κύειν.* Sed vulgatam lectionem prætulit Cl. Alberti. Orell.

Malus repente cum pomis ex his Punica nascitur. Sic edidi ex emendatione verissima Meursii. Alii: *malum....... Punicum.* Sed *malum* et *pomum* fructus arboris, non arbor. Vide Salmas., ad Solin., pag. 674. Orell.

Cujus Nana speciem contemplata regis Sangarii vel fluminis filia. Vel, quod omittunt priores editores, ex ms. primus revocavit Stewechius, probante Salmasio, ad Solin., pag. 618. De Sangario, fluvio Asiæ, Arrianus, de Expedit. Alexandri, lib. i, cap. 29: Τοῦ δὲ Σαγγαρίου αἱ μὲν πηγαὶ ἐκ Φρυγίας εἰσίν· αὐτὸς δὲ διὰ τῆς Θρακῶν τῶν Βιθυνῶν χώρας ἐξίησιν εἰς τὸν Εὔξεινον B πόντον. Latini, v. c., Ovidius appellant eum Sagarin. In ejus ripa habitabant Berecynthii Phryges Trojanis temporibus inclyti, a quibus Berecynthiæ nomen Cybelæ tributum, quæ colebatur in hac regione, ut docet Epigramma vetus in Analectis Brunkii, vol. i, pag. 495, de Galo, sacerdote Cybeles:

ἐκ δὲ βοήσας
Μητέρα Σαγγαρίου χείλεσι πὰρ ποταμοῦ.

Vid. Oberlin., ad Vibium Sequestr., p. 187, seq. Pro *Nana*, Salmasius, ad Solinum, l. l., nostrum locum citans edidit *Nava*, nescio an operarum vitio. De eadem Pausanias in Achaic., p. 430, ed. Sylburg., sed brevius nostro: Θεοὶ δὲ Ἄγδιστιν δείσαντες τὰ αἰδοῖά οἱ τὰ ἀνδρὸς ἀποκόπτουσιν. Ὡς δὲ ἀπὸ αὐτῶν ἀναφῦσα ἀμυγδαλῆ εἶχεν ὡραῖον τὸν καρπὸν, θυγατέρα τοῦ Σαγγαρίου ποταμοῦ λαβεῖν φασι τοὺς καρπούς· ἐσθεμένης δὲ ἐς τὸν κόλπον, καρπὸς μὲν ἐκεῖνος ἦν ἀφανὴς αὐτίκα, αὐτὴ δὲ ἐκύει, τεκούσης δὲ, τράγος περιεῖπε τὸν παῖδα C ἐκκείμενον. Νίκαιαν vocant Nonnus Dionys., lib. xv, p. 422, ed. Hanov., et Memnon in Excerptis, cap. 41, aliam traditionem sequentes, nimirum Sangarii filiam gravidam factam non e genitalibus Acdestis a Baccho exclusis, sed ebriam factam vitiatamque ab ipso Baccho. Vide Notas nostras ad Memnon., p. 241. Orell.

Bacculis. Jos. Scaliger legend. censet *pabulis.* Orell.

Repertum nescio quis sumit Phorbas, lacte alit hirquino. Secutus sum correctionem editoris Lugd. Bat. Quanquam hujus Phorbæ nulla apud veteres mentio exstet, verosimile est ita scripsisse Arnobium, cum addat *nescio quis*, his verbis innuens, plures ejus nominis pastores memorari ab antiquis. Editores cæteri; *nescio quis sumit, format*, etc., quod sine dubio vitiosum frustra tuetur C. Barthius, in Adversar., lib. lv, cap. 13, p. 2619, explicans: curat, ne informis evadat et membris distortis. Sed vellem hujus significationis nobis exempla dedisset vir eruditionis vastis- D simæ. Nam *formatur* puer jam in utero matris; et educatione ac cura forma homini non acquiritur, sed conservatur. Heraldus verbum *format* delendum censet tanquam glossema, cum in Codice ms. legatur *formas*, quod profectum ab imperito aliquo librario, qui in membranis, quas descripserat, ad vocem paulo post sequentem *scitulos* in margine annotatum repererit *formosos*, proque illo in textum retulerit *formas.* Sed in Curis secundis hanc sententiam retractans legendum suadet: *nescio quis sumit*, *fovet, lacte alit hirquino.* Equidem in lectione dubia malui sequi Salmasium. Orell.

Scitulos, id est pulchros, formosos, elegantes. Sic Plautus Rudent., act. iv, scen. i, vers. 2, seq.:

Jam elientas repperi
Atque ambas forma scitula atque ætatula.

Ita *scitus* et *scitulus* ap. Plautum haud semel de rebus optatis et jucundis visu et auditu, respondetque nostro *artig.* Vide Gronov. ad Plaut. Bacchid., act. ii,

Phryges suis Atagos elocutionibus nuncupant, inde A Attis nomen ut sortiretur, effluxit : hunc unice mater deum, ore fuerat quod excellentissimo, diligebat, et Acdestis blandus adulto comes, et qua solum poterat, minus rectis assentationibus vinctus, saltuosa ducens per nemora, et ferarum multis muneribus donans, quæ puer Attis primo sui esse dicebat laboris, atque operis glorians : per vinum deinde confitetur, et ab Acdesti se diligi, et ab eo donis sylvestribus honorari : unde vino, quod silentium prodidit, in ejus nefas est sanctum sese inferre pollutis.

VII. Tunc Pessinuntius rex Midas alienare cupiens tam infami puerum conjunctione, matrimonio ei suam filiam destinat : ac ne scævus aliquis nuptialia interrumperet gaudia, fecit oppidum claudi. Verum deum

COMMENTARIUS.

scen. II, vers. 31, et Oudendorp., ad Apulei. Met., lib. VII, p. 486. Male itaque Fulv. Ursinus corrigit *citulos*. ORELL.

Vel quia hircos Phryges suis Attagos elocutionibus nuncupant. In aliam ab Arnobio sententiam abit Bochartus, de Animal. Sacr., lib. I, cap. 53, p. 647, quem consule, si lubet. GALLAND.

Vel quia hircos Phryges suis Attagos elocutionibus usurpant, inde Attis nomen ut sortiretur effluxit. Hesychius : Ἀδαγοεὺς..... Θεός τις παρὰ Φρυξὶν Ἑρμαφρόδιτος, quem eumdem esse cum Attide nostro docent interpretes Hesychii, Sopingius et Bielius. Drusius, lib. I Animadvv., cap. 25, pro *Attagos* legendum censet *Atasos* vel *Atysos*, ut inflectatur ad Hebr. תיש hircus, ut Lais, λῖς, leo. Immo pergit : Puto esse a עתוד, unde עתודים : hirci majores. Iones dixisse ἀττηγὸν *hiscum*, docet Eustathius ad Odyss. I, p. 1625, ed. rom. Bochartus *de Æneæ adventu in Italiam*, p. 1075. (Opp.) conjicit, hunc eumdem esse, qui secundum fabulas natus fuit ex Mercurio et Venere (Ovid., Met., IV, 288), et in Hesychio legendum censet Ἀδαγύους, tamquam a Phrygibus corruptum vocabulum ex Græco Ἀνδρόγυνος. Bielius defendit lectionem Ἀδαγοοὺς, ab Atago, τ in δ mutato pro dialecti varietate et ους terminatione solita in nominibus Phrygum propriis (ut supra habuimus *Agdus*, nomen Phrygicum C rupis illius ingentis, ex qua magna mater informata), et putat ab Attago hirco deum illum Phrygum dictum ab Hesychio Ἀδαγοοὺς, a nostro *Attis*, id est hircinus, quod forsitan vel κριοπρόσωπος cultus fuerit, ut Jupiter Ammon (de quo vid. Spanhem. de Usu et Præst. Numism., p. 349 seq.), vel κριοφάγος fuerit, hoc est deus aliquis, cui hirci immolati sint. Conf. Hesych., in κριοφάγος. Similiter et Apollo Μαλόεις dictus est in Lesbo ἀπὸ τῶν μήλων, ab ovibus, quæ ipsi immolabantur. Vid. Salmas ad Solin. (*Intpp. ad Hesych. v.* Ἀδαγοούς.)

Hunc unice Mater deum, ore fuerat quod excellentissimo, diligebat. Ovidius, Fast. IV, 423, seq. :

Phryx puer in silvis facie spectabilis Attis
 Turrigeram casto vinxit amore Deam.
Hunc sibi servari voluit, sua templa tueri :
 Et dixit, Semper fac puer esse velis.
Ille fidem jussis dedit; et, Si mentiar, inquit,
 Ultima, quam fallam, sit Venus illa mihi.
Fallit : et in Nympha Sagaritide desinit esse,
 Quod fuit. Huic pœnas exigit ira Deæ. ELMENH.

Et qua solum poterat, minus rectis assentationibus vinctus. Rectissime hanc codicis ms. lectionem, ut mihi quidem videtur, unice veram, in textum revocavit Salmasius. Sensus est : Acdestim, hominem quippe, (ut supra illum descripserat,) insanis et furialis libidinis potuisse tantummodo *minus rectis*, hoc est, turpibus et flagitiosis assentationibus vinciri. Quod nescio qua de causa offendit editores cæteros. Gelenius mutavit hæc more suo audacius; *et qua solum poterat amans, tectis assentationibus vinctus*. Theodor. Canterus : *et qua solum poterat mimus, tectis assentationibus vinctus*, probante P. Colvio ad Apulei., Met., lib. X, pag. 688, ed. Oudendorp. Canterum ex parte secutus Meursius totum locum sic refingit : *Hunc unice mater deum, ore fuerat quod excellentissimo, diligebat. Diligebat et Acdestis....... et qua solum poterat, mimus tectis*, etc. Verissimum quidem, *mimus* et *minus* sæpissime permutari a librariis. Sed qui potuit *mimus* sive *mimicus* dici amator ferocitatis animi intractabilis, qualis fuerat Acdestis? Non magis audiendus Stewechius refingens : *et qua solum poterat tactibus, assentationibus victum*. Is. Pontanus, ad Macrob. Sa- B turn., lib. V, cap. 17, suadet : *et qua solum poterat amans imitus*, etc. *Imitus* adverbium, ut stirpitus, medullitus, sed mox tamen idem in omissis hanc conjecturam retractat. C. Barthius, in Adversar., lib. XXIX, c. 14, legendum censet . *eminus tectis assentationibus junctus*, hoc sensu; eminus, quasi ex longinquo, non suppetente audacia aut copia, persequebatur Acdestis ephebum, tectisque assentationibus animum aucupabatur ejus. At talis modestia alienissima ab Acdesti, deorum hominumque contemptore. Magis probanda conjectura Heraldi proxime accedens ad Codicis scriptionem : *minus tectis assentationibus vinctus, durch allzuoffenbare Gunstbezeugungen*. Præfero tamen lectionem Codicis ms. merito revocatam a Salmasio. ORELL.

Unde vino, quod silentium prodidit, in ejus nefas est sanctum sese inferre pollutis. Et hæc est codicis ms. lectio, merito in textum revocata ab editore Lugd. Bat. hoc sensu : *Vino pollutis nefas sese inferre in sanctuarium Attidis, propterea quod ille vino victus* C *silentium prodidit*. Quam lectionem temere mutavit Gelenius : *Unde vinum, quod silentium prodidit, in ejus nefas est sanctuarium inferre pollutis*, scil. Venere, libidine, amore illicito. Stewechius legendum censet : *Unde de vino*, etc. *de* abundanter positum accipiens, ut infra lib. VI, cap. 10 : *sanguineo de ceroto*, ubi vide notam Heraldi. *Sanctum* pro sanctuario, templo infra occurrit eodem libro, cap. 39: *Pinus illa, solemniter quæ in Matris infertur sanctum Deæ*. Ælius Lampridius autem, in Heliogabal., cap. 7, pro simulacro posuit, ubi vid. Salmas., vol. I, Script. Hist. Aug., pag. 807. Pro *pollutis* alii legend. censent *polluctis*, id est sacratis, devotis. Sic infra, c. 12, init., *deorum opinione polluctus*. Quod autem si sequamur, in antecedentibus verbis omnino rescribendum erit : *Unde vinum..... inferre*, etc. deleto *sese*. ORELL.

VII. — *Matrimonio ei suam filiam destinat*. Ita Meursius. Antea : *Matrimonio ejus suam filiam destinat*. Fortassis legendum : *matrimonio ejus Iam filiam* D *destinat*. ORELL.

Ac ne scævus aliquis nuptialia interrumperet gaudia. Id est σκαιὸς, ἐπαρίστερός τις, sinistri ominis et infausti. In istis autem conjunctionibus et fœderibus auspicia studebant facere sibi prosperrima et contraria omnia vitare. Hinc Seneca Controversia V, libri 10 : *Occurrunt nuptiis omina dira, sacris publicis tristia; ferialis maxime et solemnibus, et hilaritati dicatis diebus semianimes isti greges occurrunt*. Quare nec novis nuptis exequias licebat ire. Synesius, epistola III : οὐ γάρ, οἶμαι, νομίζεται νυμφευτρίαις βαδίζειν ἐπ' ἐκφοράν. HERALD. —*Scævus* itaque sinister, id est perversus, sensu scil. Græcorum. Conf., qui de hoc vocabulo multus est, Fr. Juretus ad Symmach., lib. I, epist. XXV, pag. 35, seqq., ed. Lectii. ORELL.

Fecit oppidum claudi. Id est, jussit, nostrate dialecto (*faire fermer*). Sic *fecit fieri* observabamus apud Ælium Spartianum, et similia apud Cassiodorum, Chrysologum, et alios. HERALD.

mater adolescentuli fatum sciens, interque homines A illum tamdiu futurum salvum, quamdiu esset solutus a matrimonii fœdere, ne quid accideret mœsti, civitatem ingreditur clausam, muris ejus capite sublevatis: quod esse turritum ratione ab hac cœpit. Acdestis scatens ira convulsi a se pueri, et uxoris ad studium derivati, convivantibus cunctis furorem et insaniam suggerit: conclamant exterriti ad horam Phryges: mammas sibi demetit Galli filia pellicis: rapit Attis fistulam, quam instigator ipse gestitabat insaniæ: furiarum et ipse jam plenus, perbacchatus, jactatus projicit se tandem, et sub pini arbore genitalia sibi desecat, dicens: Tibi, Acdesti, hæc habe, propter quæ motus tantos furialium discriminum concitasti. Evolat cum profluvio sanguinis vita: sed abscissa quæ fuerant, magna legit mater Deum, et injicit his terram, veste prius tectis, atque involutis defuncti. Fluore de sanguinis viola flos nascitur, et redimitur ex hoc arbos. Inde natum et ortum est, nunc etiam sacras velarier et coronarier pinos. Virgo sponsa quæ fuerat, quam Valerius pontifex Iam nomine fuisse conscribit, exanimati pectus lanis mollioribus velat, dat lacrymas cum Acdesti, interficitque se ipsam, purpurantes in violas cruor vertitur interemptæ. Mater suffudit et has deum, unde amygdalus nascitur, amaritudinem significans funeris. Tunc arborem pinum, sub qua Attis nomine spoliaverat se viri, in antrum suum defert, et sociatis planctibus

COMMENTARIUS.

Conclamant exterriti ad horam Phryges. Ita felicissime correxit Salmasius, in ed. Lugd. Bat., et ad Solin. pag. 232. *Ad horam* idem quod *ad præsens*, in præsenti, παραχρῆμα, αὐθωρεί. Ita Quintilianus, Inst., lib. XII: *Itaque eum* (oratorem), *si ad horam forte constiterit* (hoc est si ex tempore dicere cogatur et statim causam agere), *neque in testationibus faciendis esse imperitum velim.* Sensus itaque: Statim, ut suggessit convivantibus Acdestis, conclamant Phryges. Codex ms. *ad orandum*, nullo sensu; non magis quam Sabæi et Gelenii lectio *adorandorum*. Fulv. Ursinus: *Ad ora deorum.* Meursius: *ad ora* (hoc est ad adspectum) *amborum*, quod probat Heraldus. Elmenhorstius ad Apulei., lib. x, pag. 302 (ed. Francofurt.): *Exterriti ad Dorium* (scil. cantum) *Phryges.* Stewechius: *Exterriti adornandorum Phryges*, explicans commoti facinoribus, quæ videbant convivas in se parare. adornare, et citans phrasin Plautinam *falli sermonis*, Mox tamen hanc conjecturam retractans Gelenii lectionem *adorandorum* defendere conatur eodem sensu, pro agendorum, faciendorum. Festus: *Adorare apud antiquos significabat agere*, et in legg. XII Tab. *Si adorat* (hoc est agit) *furtum, quod nec manifestum escit, duplionem luito.* Sed hoc durissimum æque ac insolentissimum. Alii tandem: *ad ora tantorum.* ORELL.

Mammas sibi demetit Galli filia pellicis. Festus: *Pellices nunc quidem appellantur alienis succumbentes, non solum fœminæ, sed etiam viri*, ubi vide Dacer. Sermo est de filia incerti cujusdam Galli, id est sacerdotis Cybeles. Nam hæc de Midæ Pessinuntii regis filia, sponsa Attidis, accipere sequentia vetant. ORELL.

Rapit Atis fistulam, quam instigator ipse gestitabat insaniæ. Malui et hoc loco Salmasium sequi. Cæteri: *Rapit Atis testulam*, quam lectionem defendunt Meursius in Appendice, Gallandus, ad h. l., et Ramirez., in Pentecont., cap. 4, pag. 30, docens ex Plinio, Hist. nat., lib. XXXV, cap. XII, *Samia testa Matris Deum sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputare.* Sed v. *fistula*, sequentibus verbis: *Quam instigator ipse gestitabat insaniæ*, hoc est quam gestitabat ut insaniam instigaret convivantibus, multo est accommodatior. Nam furor bacchantium vel Gallorum instigatur non *testulis*, sed tubis, tibiis, tympanis aliisque id genus instrumentis. Exsectionem autem sive evirationem Gallorum factam fuisse ad tibiæ cantum, quod tibia et furenti rabie stimulum addebat ad exsectionem, et castratis mox dolorem imminuebat, docent nos Vossius et Gronovius ad Minuc. Felic., cap. 21, p. 204. Recipiendum itaque *fistulam* cum Salmasio. ORELL.

Et sub pini arbore genitalia sibi desecat, etc. Hæc omnia refert etiam Pausanias in Achaicis, pag. 430 (ed. Sylb.), sed brevius: Ὡς δὲ αὐξανομένῳ κάλλους οἱ μετῆν πλέω ἢ κατὰ εἶδος ἀνθρώπου, ἐνταῦθα τοῦ παιδὸς B ἔρως ἔσχεν Ἀγδίστιν. αὐξηθέντα δὲ Ἄττην ἀποστέλλουσιν εἰς Πεσινοῦντα οἱ προσήκοντες συνοικήσοντα τῇ βασιλέως θυγατρί. Ὑμεναῖος δὲ ᾔδετο. καὶ Ἀγδίστις ἐφίσταται, καὶ τὰ αἰδοῖα ἀπέκοψε μανεὶς ὁ Ἄττης· ἀπέκοψε δὲ καὶ ὁ τὴν θυγατέρα αὐτῷ διδούς. Ἀγδίστιν δὲ μετάνοια ἔσχεν, οἷα Ἄττην ἔδρασεν. Καὶ οἱ παρὰ Διὸς εὕρετο μήτε σήπεσθαί τι Ἄττῃ τοῦ σώματος, μήτε τήκεσθαι. Τάδε μὲν εἰς Ἄττην τὰ γνωριμώτατα. ELMENH.

Nunc etiam sacras velarier et coronarier pinus. Pinum in tutela matris Deum fuisse notissimum. HERALD.

Valerius Pontifex. Quis ille pontifex ab Arnobio vocetur, dubium sane incertumque. Animum tamen adverte, utrum ille dici non possit M. Valerius Messala, de quo Macrobius lib. I. Saturn. cap. 9.: *Messala Cn. Domitii in consulatu collega, idemque per annos quinquaginta et quinque augur, de Jano ita infit: Qui cuncta fingit eademque regit.* Ex C hujus etiam Messalæ auguris primo de auspiciis libro Gellius Noct. Att. lib. XIII, cap. 15, longum fragmentum transcripsit. Constat itaque, illum de Diis scripsisse: quidni ergo de Iæ historia? NOURR. p. 549. — Hujus alibi nulla mentio. Vide G. J. Voss., de Hist. lat. in append. Sequens *Iam* est e cod. ms. Alii: *Ion.* ORELL.

Dat lacrymas cum Acdesti. Propria phrasis. Nam *dare lacrymas* defuncto quasi debitum aliquod munus. Statim quum exspiravit aliquis, sequebatur propinquorum et amicorum fletus et ejulatus: dein deponebatur humi: tuncque super terram esse dicebatur, ut docet Servius. Quum autem aliquot dies asservatus esset et componeretur, ac pararetur jam pompa funeris, ultimum conclamabatur. Postremum, cum in ignem imponeretur, ultimum deflebatur. Conf. Serv. ad Æn., VI, 218, seqq. HERALD.

Mater suffudit et has Deum. Sic emendavit editor, D Lugd. Bat., ut puto, rectissime. *Et has*, id est, *et tales*, scil. lacrymas, Codex ms. et editio princeps: *Mater suffodit et se Deum*, ineptissime. Gelenius: *Mater suffodit eam Deum.* Quod hoc loco nullum alium sensum admittit, quam *defodit, sepelivit.* At *suffodere* pro *defodere*, quod sciam, nusquam legitur. Fulv. Ursinus mutavit audacius: *Mater sustulit et sepelit eam Deum.* Sed malui correctionem Salmasii sequi multo leniorem et contextui accommodatissimam. ORELL.

Unde amygdalus nascitur, amaritudinem significans funeris. Videtur hoc loco vel Arnobius ipse, vel Timotheus ille Theologus, quem in tota hac narratione exscripit, vocem ἀμύγδαλος, *amygdalus*, derivasse ab ἀμύσσειν, quod significat *pungere*, et per metaphoram de animi dolore, luctu, verbi causa, Hom. Iliad. A, 243:

. . . . . . σὺ δ' ἔνδοθι θυμὸν ἀμύξεις
χωόμενος, etc.

Intelligenda autem amygdalus amara, *die bittere Mandel.* ORELL.

cum Acdesti tundit et sauciat pectus pausatæ circum A arboris robur. Jupiter rogatur ab Acdesti, ut Attis revivisceret, non sinit: quod tamen fieri per fatum posset, sine ulla difficultate condonat, ne corpus ejus putescat, crescant ut comæ semper, digitorum ut minimissimus vivat, perpetuo solus agitetur et motu, quibus contentum beneficiis Acdestim consecrasse corpus in Pessinunte: cærimoniis annuis, et sacerdotum intestibus honorasse.

VIII. Si contemptor aliquis numinum, et sacrilegi pectoris immanitate furiosus, intendisset animum maledicere diis vestris: auderet in eos quidquam gravius dicere, quam ista prodit historia, quam velut quiddam mirabile commentarii contulistis in formulam, ac ne illam vis temporis, et vetustatis obsolefaceret longitudo, perpetuitatis honore mactastis? B Quid est enim de diis in ea positum, quidve conscriptum, quod non si in hominem dixeris pudibundis moribus et disciplinis horridioribus educatum, et contumeliæ reus sis, et injuriæ, et offensionis odium simultatibus subeas inexpiabilibus comparatum? Ex lapidibus, inquitis, quos Deucalion jactavit et Pyrrha, deum procreata est mater. Quid, o theologi, dicitis? quid supernarum antistites potestatum? Ergone deum mater diluvii causa nulla fuit in parte naturæ? et nisi omne mortalium genus interemisset vis imbrium, procreationis illius causa atque origo cessaret? Humanum est ergo munus quod esse se sentit; et beneficiis debet Pyrrhæ, quod orari se conspicit in alicujus substantiæ qualitate; quod quidem, si verum est, et illud erit necessario non falsum, hominem illam fuisse, non divam. Nam si certum est homines

COMMENTARIUS.

Pausatæ circum arboris robur. Locus hic obscurissimus crucem fixit interpretibus. Heraldus, quid sit *pausata arbor*, se nescire confitens, rescribendum putat: *et sauciat pectus pausate circum arboris robur; pausate*, hoc est, τακτῶς, per pausas, certo quodam modo, quando scil. planctus ad neniam peragebatur, veris et crudis planctibus jam effusis. Ita *Præficæ mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, dant cæteris modum plangendi*, inquit Festus v. *Præficæ*. Stewechius legendum censet vel *lanatæ*, hoc est laneis vittis redimitæ, vel *lausatæ* (quod novum vocabulum et inauditum quid sibi velit, ignorare me fateor ingenue). Salmasius ad Æl. Spartian. Pescenn. Nigr., cap. 6, vol. I, Script. Hist. Aug., p. 661, legendum putat: *pausata circum arboris robur*, id est ἀναπαυομένη. Editor Lugd. Bat. revocavit lectiones codicis ms. C quam bene defendit C. Barthius, ad Stat. Theb. x, 168, vol III, p. 1145, seq. *Pausatam* igitur *arborem* dicit Arnobius consecratam eo modo, ut, cum omnia in illo antro et fano furerent, illa tamen quiesceret, nec ullo vento aut tumultu concuteretur, ex opinione scil. cultorum Cybeles, qualem arborem elegantissimis versibus describit Claudianus de Raptu Proserp., lib. I vers. 200, seq.:

Templique colendi
Relligiosa silex, densis quam pinus opacat
Frondibus, et, nulla lucos agitante procella,
Stridula coniferis modulatur carmina ramis.
Terribiles intus thiasi, vesanaque misto
Concentu delubra gemunt. Ululatibus Ide
Bacchatur, timidas inclinant Gargara silvas.

vel, ut magis ex vero interpretatur Nourrius, *pausatam*, quiescentem et positam in antro, tutam itaque a vi ventorum ac tempestatum. *Pausare* pro quiescere verbum antiquum et Paulinum. Orell.

Putescat. Sic editio princeps ex ms. Gelenius autem *putrescat*, sequente Salmasio. Sed *putescere*, vel *putiscere* est verbum antiquioris latinitatis, usurpatum Catoni de Re Rustica aliquoties et nostro infra, lib. VII, cap. 24: *Cum et ipsa, si nondum, mox tamen futura sint stercora, et exigui temporis contracta interjectione putescant.* Vid. Gesner., in Thesaur., et Schneider., Ind. ad Script. Rei rust. Orell.

Digitorum ut minimissimus vivat. Superlativus ex superlativo. Sic infra cap. 14. Similiter ἐλαχιστότατος ap. Græcos, v. c. Sext. Empiric., adv. Mathem., lib. IX, ubi vid. Fabric., p. 627. Eadem forma occurrit *pessimissimus* ap. Senec., Epist. 81, et *postremissimus* apud Apuleium, Tertullianum et A. Gellium, lib XV, cap. 12. Conf. Voss., de Analog., lib. II, cap. 26. Orell.

Perpetuo solus agitetur et motu. Proprius Arnobii stylus, qui amat has trajectiones. Vetus lectio est: *Et perpetuo solus agitetur et motu.* Gelenius ultimam copulam sustulit. Herald.

Et sacerdotum intestibus honorasse. Hæc est palmaria emendatio Salmasii in ed. Lugd. Bat. et ad Tertullian, de Pallio, pag. 155, *intestibus*, hoc est, qui testibus carent. Antea legebatur *antistitibus*, falsissime, nam *antistes* et *sacerdos* unum idemque, quod pluribus docet idem Salmasius in Confutatione virulentissima Antonii Cercœtii (Dion. Petavii) pag. 146 seqq. Veterem lectionem *antistitibus* contra Salmasium defendit Is. Vossius ad Catullum, pag. 164, loco Dionis Chrysostomi, orat. XXXV, de Celænis Phrygiæ: Ἄλλους σοφοὺς ὑμῖν ἀποδεικνύουσιν τρεῖς ἢ τέτταρας κομήτας. καθάπερ τοὺς ἱερέας τῶν παρ' ὑμῖν τοὺς μακαρίους λέγω τοὺς ἁπάντων ἄρχοντας τῶν ἱερέων, τοὺς ἐπωνύμους τῶν δύο ἠπείρων, τῆς ἑσπέρας ὅλης. ubi ἱερέας interpretatur *Gallos*, τοὺς ἁπάντων ἄρχοντας ἱερέων *Archigallos*, eosdem quos Arnobius hic appellat *sacerdotum antistites*. Orell.

VIII. — *Perpetuitatis honore mactastis.* Vide supra ad lib. I, cap. 41. Orell.

Contumeliæ reus sis et injuriæ. Ms. *et injuriis*, vitiose: unde Meursius in Append. legendum putat, *et injurius*. Orell.

Deum mater diluvii causa nulla fuit in parte naturæ. Revocavi codicis ms. lectionem quamvis falsissimam et corruptissimam, cum vera et genuina lectio incerta videatur et nondum ad liquidum perducta. *Diluvii tempore*, quod pleræque editiones habent, est ex interpolatione Gelenii. Fulv. Ursinus conj., *diluvii casu*, quod proxime accedit ad scriptionem Codicis. *Causa* enim et *casus* sæpissime confunduntur a librariis. Sed quamquam notissimum sit, v. *casus* ab optimis scriptoribus poni pro eo, quod accidit, evenit D in utramque partem, tamen maximopere dubito an dici possit latine *diluvii casu* pro tempore quo diluvium acciderat. Quamobrem magis placet Salmasii emendatio: *Deum Mater ante diluvii casum nulla fuit in parte naturæ.* Heraldus legendum suspicatur: *Deum Mater diluvii pausa nulla fuit in parte naturæ. Diluvii pausa*, hoc est, *fine diluvii*, *finito diluvio.* Sic paulo post, cap. sequente: *Cum ab Jovis ipsius maledictis nullam pausam facere vel exigui temporis intercapedine quiveritis.* Atqui contrarium plane dicit Arnobius, deorum matrem fuisse, extitisse diluvio finito, non autem ante diluvium. Orell.

Et beneficiis debet Pyrrhæ. C. Barthius, in Adversar., lib. XXIX, cap. 14, mavult, *beneficæ debet Pyrrhæ.* Orell.

Quod orari se conspicit in alicujus substantiæ qualitate. Idem Barthius, in Adversariis, l. l., legendum suspicatur, *quod morari se conspicit.* etc., quia non de cultu sermo sit, sed de substantia sive τῷ esse, ut hodie loquuntur. Immo vero sermo est de cultu et

ex illo lapidum jactu nativitatis suæ originem ducere, et hanc necesse est credi unam fuisse de nobis, consimilium causarum rationibus procreatam. Neque enim fieri rerum per repugnantiam quit, ut ex uno lapidum genere, et ex eadem ratione jaciendi, immortalium quidam sortis, conditionis alii substituerentur humanæ. Varro ille Romanus multiformibus[a] eminens disciplinis, et in vetustatis indagatione rimator, in librorum quatuor primo, quos de gente conscriptos romani populi dereliquit, curiosis computationibus edocet, ab diluvii tempore, cujus supra fecimus mentionem, ad usque Hirtii consulatum et Pansæ, annorum esse millia nondum duo; cum quo si stat fides[b], Mater quoque dicenda est Magna intra hujus numeri fines ævitatem suam habere conclusam; atque ita perducitur res eo, ut quæ omnium numinum genitrix esse narratur, non sit mater, sed filia; quinimmo infans et parvula, siquidem deos concedimus neque initia, neque fines sæculorum perpetua in continuatione sortitos.

IX. Sed quid terrenis obsolevisse vos sordibus deum loquimur matrem, cum ab Jovis ipsius maledictis nullam pausam facere vel exigui temporis intercapedine quiveritis? Cum in summo Agdi vertice deum dormiret tum genitrix, obrepere conquiescentis pudori filius, inquitis, insidiator enixus est. Post innumeras virgines, et spoliatas castitate matronas, etiamne in matrem cupiditatis infandæ spem Jupiter cœpit, nec ab illius appetitionis ardore horror eum quivit avertere, quem non hominibus solis, sed animalibus quoque nonnullis natura ipsa subjecit, et ingeneratus ille communiter sensus? An respectus pietatis et honesti Capitoliorum defuit præsidi, nec quid sceleris cuperet conturbatis per insaniam mentibus, aut retractare poterat, aut pervidere? Sed ut res est[c], ponderis et majestatis oblitus, ad furta illa flagitiosa correpens ibat, pavens ac trepidus anhelitu oris presso, suspensis per formidinem gressibus, et inter media constitutus sollicitudinis speique confinia palpabat res intimas, altitudinem dormientis et matris[d] patientiam tentans. O rerum imaginatio indecora! o *habitus* fœdus Jovis ad obscœni certaminis expeditionem parati! Ergo ille rex mundi cum incautus, et properus obreptionis esset rejectus a furto, in impetum

LECTIONES VARIANTES.

a Multiformis *ms.*
b Cui quod si *Meurs. Vide Not.*
c Ut ut res est *Fulv.*
d Matris et *Fulv.*

COMMENTARIUS.

vulgata lectio sanissima, hoc sensu, *quod* (deum scil. mater) *adorari se conspicit* tamquam substantia aliqua, h. e. res vel persona vere existens, non hominum ficta imaginatione, *als ein wirkliches Wesen*. Orell.

Unam fuisse de nobis. Vide supra ad lib. I, cap. 45. Orell.

Et ex eadem ratione jaciendi. Ita legendum esse pro *ratione faciendi*, quod antea edebatur, primi viderunt Meursius et Stewechius, nec displicet, quod idem conjicit in sequentibus verbis, *suscitarentur* pro *substituerentur*. Orell.

Ad usque Hirtii consulatum et Pansæ, qui incidit in annum urbis conditæ 711, ante Christum 43. Vide Jansson., Fast. Consular., p. 101. Orell.

Cum quo, si stat fides, Mater quoque dicenda est. Lenissima hæc et felicissima correctio Heraldi in Curis II. Sensus est: *cum eodem (Varrone), si illi stat fides, nach dieser seiner Angabe, wenn man ihr Glauben beymessen darf.* Editio princeps: *Cum quo stat fides.* Gelenius edidit: *cui si constat fides.* Ed. Lugd. Bat.: *Cui dicto si constat fides.* Orell.

Perpetua in continuatione sortitos. Verissimam hanc codicis ms. lectionem primus Arnobio reddidit Stewechius. Antea legebatur: *Perpetua in cognitione sortitos*, Meursius conj.: *In conditione.* Orell.

IX. — *Sed quid terrenis obsolevisse vos sordibus deum loquimur matrem.* Ita lego pro *obsolvisse*, quod habet codex ms. Active enim *obsolere* usurpavit, quomodo *irruere* lib. I, *proruere*, *ruere*, *penetrare*, *emergere*, Terentius. Virgilius, Plautus, Apuleius. Meurs. *in Append.* Fulv. Ursinus: *obvolvisse*, Salmasius: *obsolvisse.* Orell.

Pausam facere. Lucilius, libro I. Satyr.:

Hæc ubi dicta dedit, pausam facit ore loquendi.

Plautus Rudente, act. V, scen. VI; Apuleius, lib. IX Met., p. 565; Nonius in *Pausa*. Elmenh.

Cum in summo Agdi vertice Deum dormiret tum genetrix, obrepere. Meursius hæc ita ordinat: *Cum in summo Agdi vertice Deum dormiret genetrix, tum obrepere*, etc. Orell.

Etiamne in matrem, etc. Augustinus, de Civ. Dei, lib. II, cap 4: *Habet etiam quiddam erga parentes humana verecundia, quod nec ipsa nequitia possit auferre.* Elmenh.

Sed animalibus quoque nonnullis natura ipsa subjecit. Varro, de Re rust., lib. II, cap. 7. *Cum equus matrem ut saliret, adduci non posset, et eum capite obvoluto proriga adduxisset, et coegisset matrem inire; cum descendenti (velum) dempsisset ab oculis, ille impetum fecit in eum et mordicus interfecit.* Elmenh. et Herald.

An respectus pietatis et honesti Capitoliorum defuit præsidi. Secutus sum emendationem hanc Salmasii lenissimam et proxime accedentem ad scriptionem Codicis ms. *depuit*, quod facillime corrumpi poterat a librariis ex *defuit* litteris majusculis scripto. Gelenius edidit: *despuitur præsidi.* Editio Rom. secunda: *despuit præsidii*, nec hoc mendo vacat. Meursius in Appendice mavult *depuvitur*, citans Festum, qui *depuvere* explicat *cædere*. Fr. Modius legendum conjicit: *depuduit præsidi*, quod tuetur Stewechius citans locum Ovidii Heroid. Epist IV, 155:

Depuduit, profugusque pudor sua signa reliquit.

Sed tunc scribendum fuisset *præsidem*. Nec enim latina constructio est *pudet*, *depudet mihi hujus rei*, non magis ac *depudet mihi respectus*, *pudor*. Et in Ovidii loco supplendum *depuduit* scil. me, id est, ut bene explicat Heinsius: *omnem pudorem abjeci*. Malui itaque sequi Salmasium. Orell.

Palpabat res intimas, Res sensu obscœno pro genitalibus. Vide supr. ad lib. III, cap. 10. Orell.—ms.: *pellabat*. Forte: *fellabat*. Meurs., *in Append.*

Altitudinem dormientis.... tentans. Hoc est, *tentans, quam alte, profunde dormiret.* Vel possumus interpretari *majestatem dormientis*. Non itaque necessaria Meursii transpositio: *altitudinem dormientis matris et patientiam tentans.* Orell.

O habitus fœdus Jovis. Ita editor Lugd. Bat. ex ms. Alii: *fœdi*. Orell.

Properus obreptionis esset rejectus a furto. Ita Fulv. Ursinus, rectissime. Nam paulo ante legimus: *obrepere conquiescentis pudori filius enisus est.* Editio princeps:

se vertit, et cum rapere voluptatem insidiosa fraude A non quivit, vi matrem aggressus est, et apertissime cœpit venerabilem subruere castitatem? Colluctatus ergo diutissime cum invita est, victus, fractus, superatusque defecit; et quem pietas dijugare ab infando matris non valuit appetitu, effusa libido dijunxit?

X. Nisi forte dicetis, conventionis hujusmodi cœtum genus vitat atque execratur humanum; apud deos incesta sunt nulla. Et cur mater acerrime repugnabat [a] inferenti vim filio? cur ab illius amplexibus tamquam illicitos vitans refugiebat attactus? Nam si nihil esset in re mali, tam gerere illa morem sine ulla retractatione debuerat, quam volebat hic cupide appetitionis suæ irritamenta complere. Et sane hoc loco frugalitatis magnæ viri, et circa res etiam flagi- B tiosi operis parciores, ne sancta illa semina frustra videantur effusa, silex, inquit, ebibit Jovialis incontinentiæ fœditatem. Quid deinde, quæso, consecutum est? dicite. In sinu medio lapidis, atque in illa cotis duritie informatus atque animatus est infans, Jovis magni futura progenies. Non est facile contradicere tam prodigiosis conceptionibus, tamque miris. Cum enim genus humanum ex lapidibus apud vos ortum, procreatumque dicatur, necesse est credere, et receptacula lapides habuisse genitalia, et jaculatam combibisse sementem, et completis temporibus sustulisse alvos graves, et ad postremum peperisse fœminei moris difficultate connixos. Illud nostram subigit curiositatem requirere, cum post decem menses redditum esse dicatis partum; illo tempore quo in utero lapidis fuit clausus, quibus alimoniis irrigatus est, quibus succis; vel ex rigore quæ saxeo nutricia potuit ducere, ut est fœtibus solemne de matribus. Nondum, inquit, contigerat lucem, et tonitrus patrios jam mugiens, imitatusque referebat? Et [b] postquam illi datum est cœlum diemque conspicere, obvia quæque vastabat incursans, atque ipsos sibi spondebat deos cœli posse a [c] regione detrudere. O cauta et provida deum mater, quæ ne nati invidiam tam insolentis subiret, aut mugiens fœtus somnis suis officeret, aut interpellaret quietem, subtraxit se ipsam, et seminis illud nocentissimum virus transmisit ab se longe, et saxorum asperitatibus propinavit.

XI. Æstuatum est in conciliis deorum, quibusnam modis esset [d] intractabilis illa vis feritatis edominari, et cum via nulla superesset, ad opem concursum est

LECTIONES VARIANTES.

[a] Pugnabat *ms*.
[b] At *alii*.
[c] Ab *ms*.
[d] Posset *Sab. Recte*.

COMMENTARIUS.

objectionis, vitiose. Stewechius: *subactionis*. Meursius: C *oblectationis*. ORELL.

Dijunxit. Ita Meursius et ed. Lugd. Bat. Alii: *devinxit*. ORELL.

X. — *Conventionis hujusmodi cœtum genus vitat atque execratur humanum*. Sic edidit Salmasius ex emendatione Heraldi. Antea legebatur: *conventionis in hujus modi cœptum*. Jan. Guilielmus, Quæst. in Plauti Curcul., cap. 5, in Gruteri Lampade, vol. III, part. II, p. 366, legendum suspicatur: *conventiones in hujus modi cœtum*, id est, τὰς συνουσίας εἰς ἀφροδισιασμόν. *Convenire* enim liberis operam dare. Sic infra lib VII: *Amant suos fœtus et gignendis conveniunt liberis*, et *conventus*, *conventio* pro concubitu supra, lib. II, cap. 70: *Ex conventu Jovis inseminati et nati sunt*. Eodem sensu *cœtus*, ut supra jam annotatum. Ita Lucretius, lib. III, 857, seq.:

Nil tamen hoc ad nos, qui cœtu conjugioque
Corporis atque animæ consistimus uniter apti.

Et Juvenal., sat. VI:

Audax et cœtus posset quæ ferre virorum.

Eodem sensu dicebatur etiam *colloquium*. vid. Mœris, Atticist. v. διαλέγεσθαι, ibique Pierson., p. 131, sq. Et fateor, mihi magis placere emendationem Guilielmi, quam illam Heraldi. Fulv. Ursinus v. *conventionis* tamquam glossema delendum censet. Sed tales abundantiæ familiares Arnobio. ORELL. et STEWECH.

Cupide appetitionis suæ irritamenta complere. Ita Salmasius ex emendatione Meursii. Cæteri: *cupidæ*, etc. Fulv. Ursinus mavult *cupitæ*. ORELL.

Silex, *inquit*, etc. Hinc omnino legendum *inquiunt*. Nam præcessit: *frugalitatis magnæ viri*, etc., nullo sequente verbo, ad quod referatur. Nisi malimus ita supplere: *inquit*, scil. adversarius, *frugalitatis magnæ viri (dicunt)*, *ebibit*, etc., quod esset sane durissimum. ORELL.

Jaculatam combibisse sementem. Sic auctoritate libri vetusti scribendum pro *jaculatum*, fœminino namque genere. M. Tullius non uno loco *sementis* nomen collocavit. In orationibus illius primum scriptum sic: *semente prohibita ac messe amissa*. Ab eodem in opusculis philosophicis posita *malorum sementis*. STEWECH. — Ita correxit Stewechius ex ms., rectissime. Nam *sementis*, *is*, est generis fœminini. Alii: *jaculatum*. Meursius conj.: *jaculatum combibisse semen*, *tum et completis*, etc. et in sequentibus *tulisse* pro *sustulisse*. ORELL.

Et tonitrus patrios jam mugiens imitatusque referebat. Hæc est lectio vetus, quam mutare nolim, quamquam mirifice placeat Salmasii correctio sagacissima: *imitus intusque referebat* (*imitus* adverbium antiquum, usurpatum A. Gellio, lib. XVII, cap. 10, et Apuleio Met., V: *imitus narratis nobis*, *quæ gesta sunt*, id est imo de pectore, ubi vid. Oudend., pag. 266. Conf. sup., ad cap. 6). Fulv. Ursinus conj.. *imitabatur atque referebat*. Stewechius: *incitatus* D *referebat*, pessime, nam hoc significaret, mugitus retulisse Acdestin, quoties incitatus fuerit, petra scilicet, qua inclusus fuerat, impulsa. ORELL.

Cœli ab regione. Stewechius legendum suspicatur: *Cœli ab regimine*. Non male. ORELL.

Seminis illud nocentissimum virus. Tertullianus, de Anima, cap. 27: *In illo ipso voluptatis ultimæ æstu*, *cum genitale virus expellitur*. Papias in *Eunuchus*: *Horum quidam coeunt et virus emittunt*. ELMENH. — Conf. Casp. Barth. ad Stat., I, Silv. IV, 104, vol. I, p. 128, et Gesner., in Thesaur. ORELL.

XI. — *Quibusnam modis possit intractabilis illa vis feritatis edominari*. Ita ms. optimi, *edominari*, id est, edomari. Nam veteres *domo*, *domino* dicebant (ut supra docui ad lib. I, cap. 50), cujus passivo nunc deponentialiter utuntur. Certe active veteres extulisse testatur hic Arnobii locus et vetus poeta, sive Ennius, sive alius, cum passive *dominari* dixerit;

unicam, ut mero madidaretur multo, et viribus spoliaretur abscissis. Quasi vero affecti corporalibus his damnis, fiant languidioris audaciæ, et non quotidie videamus eos qui sibi demessuerint has partes majoris petulantiæ fieri, atque omnibus postpositis pudoris et verecundiæ frenis, in obscœnam prorumpere vilitatem, flagitiorum confessione vulgata. Vellem tamen A videre, si esset mihi iis nasci temporibus datum, patrem illum Liberum debellatorem ferocitatis Acdestiæ, post deorum augustissimas curias cœli ab culminibus lapsum, peniculamenta decurtantem cantheriorum, innectentem laqueos mobiles, aquarum innoxias puritates multa sauciantem vi meri; et postquam ebrietas potu emersit, inseruisse caute manus, contrectavisse

COMMENTARIUS.

O domus antiqua, heu quam dispari dominare domino.
MEURS., *in Append.*

Male itaque N. Heinsius, Adversar., lib. I, cap. 6, pag. 73, mutat *edomitari*. Sabæus et Gelenius habent *edomari*. Pro *possit* editio princeps habet *esset*, quod Canterus tuetur constructione græca ἦν δαμάσθαι pro ἐξῆν. ORELL.

Ut mero madidaretur multo. Multo ex Cod. ms. addidit Stewechius. ORELL.

Et viribus spoliaretur abscissis. Nihil hic mutandum. Nam vires Eunucho masculæ sane cum virilibus adimuntur, unde et enervati vocantur. Claudianus in Eutrop., lib. I, vers. 315:

Spado Tiresias, enervatusque Melampus.

Præterea mirifice Arnobius ludit appellationibus hujus partis. Modo enim *virum*, modo *societatem*, quasi διδύμους, modo *proles*, aliquando *flores* nominat. (*C. Barthius, in Adversar., lib. XXIX, cap. 14. pag. 1353*). — Eodem sensu *vis* in capite sequenti: *cum vis illa telluris cooperta est gremio*, ubi vide notam Heraldi; *virilibus*, quod cæteri habent, est ex interpolatione Gelenii. ORELL.

Qui sibi demessuerint has partes. Horatius I, satyra II, 45:

Accidit, ut cuidam testis caudamque salacem
Demeterent ferro.

Lactantius, Inst., lib. V, cap. 9: *Qui virilia sua ferro metant, et quod est sceleratius, ut sint religionis antistites.* HERALD. — Conf. Bünemann., ad Lactant., I. 1, pag. 617. ORELL.

Majoris petulantiæ fieri. Verum id quidem, sed prolem tamen extundere nequeunt. Papias: *Eunuchorum quidam coeunt, et etiam virus emittunt, sed ad gignendum vanum et invalidum.* Firmicus, Astron., lib. III, cap. 7: *Facit eunuchos, abscissos, archigallos aut hermaphroditos, et qui semper hæc non agunt, sed patiuntur, quæ mulieres pati consueverunt, prænosteris libidinum ardoribus vulvæ tentigine concitati.* Et cap. 11: *Facit eunuchos, vel viros sine semine, et qui coire non possunt, infames, impudicos, cinædos.* Conf. Terent. Eunuch., act. IV, scen. III, et Juvenal., sat. VI, vers. 364, seqq. ELMENH. — Muret., Var. Lect., X, 11. OCHSNER.

Vellem tamen videre. Meursius conj.: *Vellem tam videre*, per ellipsim explicans. ORELL.

Si esset mihi illis nasci temporibus datum. Illis pro *his* quod antea legebatur, reposuit Stewechius, recte. Loquitur enim Arnobius de illis temporibus quibus res ista a Libero Deo gesta fuit. ORELL.

Post deorum augustissimas curias. Repono: *Post deorum augustissimas curas*, id enim non injuria admiratur Arnobius, fabularum poeticarum confictores in tantum decori (quod erga deos maxime servandum erat) oblitos, ut, qui rebus magnis, curis augustissimis in cœlo detinentur, eos ad res, non dico nihili, sed spurcissimas, impudicissimas, in terram usque audeant devocare. Arnobius, lib. III: *Quid? quod non contenti tam deformibus subdidisse atque implicuisse deos curis.* Idem libro ultimo: *superorum conquievisse terrores, et ad hominum curam familiaritatemque revocari.* STEWECH. — Non placet Stewechii conjectura, et vulgata lectio videtur multo elegantior. *Post deorum augustissimas curias* est scilicet i. q. post deorum habitum senatum augustissimum. Ita *curia* pro senatu per metonymiam ap. Cic., lib. XII, ad Attic., epist. 21: *Quid enim mihi cum foro sine judiciis, sine curia*, id est, amisso senatu, cum senatus nullus sit. Ubi vid. Manut. Nec dubitandum est ita scripsisse Arnobium. Nam supra, cap 6, dixerat: *Cujus cum audacia quibusnam modis posset vel debilitari vel comprimi, sæpenumero esset deorum in deli-*
B *beratione quæsitum*; et paulo ante: *Æstuatum est in conciliis deorum, quibusdam modis posset intractabilis illa vis feritatis edomitari.* Ridet itaque plenum deorum senatum habitum in re tam vili et abjecta. ORELL.

Peniculamenta decurtantem cantheriorum. Secutus sum emendationem Jos. Scaligeri ad Virgilii Moretum, vers. 23, in Catalectis, p. 162, *peniculamentum* a *peniculus*, diminut. a *penes*, *is*, sensu antiquo et primario. Festus: *Penem antiqui codam vocabant, a qua antiquitate etiamnum offa porcina cum cauda in cœnis puris offa penita vocatur, et peniculi, queis calciamenta tergentur, quod e codis extremis faciebant antiqui, qui tergerent ea: dictum est forsitan a pendendo.* Cicero, ad Fam., lib. IX, epist. 22; *Caudam antiqui penem vocabant; ex quo est propter similitudinem penicillus. At hodie penis est in obscœnis.* Ubi vid. Manut. Eodem sensu et *peniculamentum* hoc loco pro cauda, hinc etiam per metaphoram de vestimenti genere crasso et villoso. Vide Nonium et Column. ad Ennii Fragment. pag. 97, ed. Hessel., *peniculamenta* sive *pe-*
C *nicula* (quod idem Scaliger proponit) *cantheriorum decurtare* est itaque setas evellere, sive abscindere e caudis equorum. *Cantherius* proprie equus castratus, cui excisi sunt testiculi, hinc 2, pro equo in gen. editio princeps habet, *peniculantem decuramenta cantherios*, nullo sensu. Gelenius refingens *peniculantem decuramenta cantheriorum*, videtur accepisse *decuramenta* pro vocabulo effieto e græco κουρά, barbam, crines, pilos vel lanas evulsas vel tomacula abscissos significante, cujus vero vocabuli nulla exstat auctoritas. Salmasius in ed. Lugd. Bat. dedit, *peniculantem decurtantem cantherios*, quam correctionem tamquam lenissimam et stylo Arnobii eadem pluribus verbis repetentis maxime congruam in textum recipere non dubitassem, nisi cum Gesnero in Thesauro et Vossio in Etymol. Rom. v. *penis* desiderassem aliud exemplum verbi rarissimi *peniculare* vel *peniculari*, quod explicant caudam vellere. Malui itaque sequi emendationem Scaligeri, probatam quoque a
D Stewechio et Heraldo. Sequentia, *decurtantem cantherios*, Meursius, pag. 158 ita mutat, *decurtantem cauterio*, male. ORELL.

Innectentem laqueos mobiles. Minime contemnenda conjectura Stewechii legentis, *laqueos nodabiles*, id est, qui duci, coarctari possunt in nodos (*zugehende, zulaufende Stricke*). Nam paulo post dicit Arnobius, *ut omnia cingerent circumpositi laqueorum morsus.*
ORELL.

Aquarum innoxias puritates multa sauciantem vi meri. Sauciantem, hoc est mutantem, temerantem, vim illis tribuendo inebriandi. Vide C. Barth., Adversar. lib. VIII, cap. 3, p. 365. Ita *saucius* sæpissime pro ebrio. Petronius, Sat., cap. 67; *Interim mulieres sauciæ inter se riserunt, ebriæque junxerunt oscula.* Justinus, lib. I, cap. 8, *priusque Scythæ ebrietate, quam bello vincuntur. Nam cognitis his Cyrus reversus per noctem saucios opprimit, omnesque Scythas cum reginæ filio interficit.* Ubi vid. interpretes, pag. 40, ed. A. Gronov. ORELL.

virilia dormientis, atque ut omnia cingerent circumpositi laqueorum morsus, artificii curas tum rebus adhibuisse perituris.

XII. Hoccine de diis quisquam vel exigua dixerit eorum opinione polluctus? aut si talibus occupati sunt negotiis, cogitationibus, curis, quisquam eos sapiens aut deos esse crediderit, aut mortalium saltem in numero computaverit? Acdestis iste, oro, cujus obscœnitas amputata securitatem fuerat illatura cœlestibus, ex terrenis animantibus unus fuit, an deorum aliquis, et immortalitatis præditus honore? Si enim nostræ sortis, et conditionis habebatur humanæ, cur terrorem tantum numinibus inferebat? Deus au- A tem si fuerat, qui potuit decipi, aut divino aliquid ex corpore desecari? Sed quæstionem movemus parte in hac nullam, fuerit licet de divino genere, vel ex nobis aliquis, si hoc rectius existimabitis dici; etiamne fluore de sanguinis, et ex genitalibus amputatis arbor mali enata est punici? an tum cum vis illa telluris cooperta est gremio, solum radice complexa est, in stipitis exilivit robur, oneratos fudit balaustiis ramos, et in punctistitio poma extulit mit a perfectionis propriæ maturitate completa? et quia de rubro exorta sunt hæc sanguine, idcirco illis color est purpurei luminis suffectione subluteus; addite huc etiam idcirco esse uvida, idcirco vinosa, quod ex sanguine B saburrato genus ducant, et fabulam convenienter

COMMENTARIUS.

Artificii curas tum rebus adhibuisse perituris. Stewechius mavult, *artificii curatum rebus adhibuisse perituris*, a *curatus, us*, quarta declinatione, cujus autem vocabuli exemplum alibi frustra quæsivi, nec quidquam mutandum censeo, cum tales particulas sæpissime περιττῶς usurpet Arnobius. Ed. Lugd. Bat. habet : *Artificii curam sic tum rebus adhibuisse perituris. Res perituræ* sunt Acdestis partes genitales, ad quas perdendas omnis generis artificia adhibuit Liber. Orell.

XII. — *Eorum opinione polluctus.* Amplector verissimam hanc emendationem Salmasii; *polluctus*, imbutus et quasi sacratus. Vide supra, ad cap. 7 hujus libri et Turneb., Adversar., lib. xi, cap. 7. Alii, *pollutus*, male Orell.

Aut mortalium saltem in numero computaverit. Sic editio princeps, rectissime; nam paulo post quærit Arnobius : *Si enim nostræ sortis et conditionis habebatur humanæ* (Acdestis), *cur terrorem tantum numinibus inferebat?* Quare non audiendi, qui corrigere volunt *immortalium*. Orell.

Cujus obscœnitas amputata. Vide supra ad lib. iv, cap. 19. Orell.

Aut divino aliquid ex corpore desecari. Lectio vetus est : *Aut de divino aliquid ex corpore desecari.* Similem pleonasmum habemus lib. iv, c. 18 : *Quid est enim, quod dici de immortalibus diis possit, quod non ex hominum de scriptis ad humanas pervenerit notiones?* Herald. —Nil probat hic locus mendose excusus, ut in notis ostendimus. Neque in Arnobio uspiam invenimus duplicem præpositionem unum eumdemque nominis casum regentem, quamquam præpositiones æque ac cæteras particulas abundanter usurpet sæpissime. Orell.

Fluore de sanguinis, et ex genitalibus amputatis arbor mali enata est Punici. Forte legendum : *Etiamne fluore de sanguinis viola flos nascitur, et ex genitalibus.* etc. Sic enim supra, cap. 7 : *fluore de sanguinis viola flos nascitur et redimitur ex hac arbos.* Th. Canter.—At fallitur Canterus; nam in citato loco non de Acdesti, sed de Attide sermo est, et verba *fluore de sanguinis* intelligenda de sanguine ex genitalibus Acdestis laqueo constrictis prorumpente; de quo supra, cap. 6 legimus : *cum discidio partium sanguis fluit immensus.* De forma *fluor, oris*, Arnobio frequentata vid. Notas ad lib. i, cap. 45. Pro *mali Punici* Meursius mavult : *Mali Punicæ*. Orell.

Cum vis illa telluris cooperta est gremio. Id est, vir ille, membrum illud, pars illa. Supra, cap. 11 : *Viribus spoliaretur abscissis.* Herald.

Balaustiis. Plinius, Hist. nat., lib xiii, cap. 19 (34. ed. Harduin.) *Circa Carthaginem Punicum malum cognomine sibi vindicat : aliqui granatum appellant. . . . . Flos balaustium vocatur, et medicinis idoneus et tingendis vestibus, quarum color inde nomen accepit.* Ubi vid. Harduin. Dioscorides, lib. i, c. 155 : βαλαύστιόν ἐστιν ἄνθος ἀγρίας ῥοιᾶς. Elmenh. — Conf., qui de hoc vocabulo multus est, Ez. Spanhem. de Præstant. et usu numism, dissert. vi, tom. i, p. 315 et seq., et intpp. ad Alciphron., i Epist. ii, p. 20 et seq., ed. Wagner. Hinc enata vox *Ballusier* qua nos Helveti insignimus eumdem mali Punici florem in hortis educatum. Orell.

In puncti spatio Ita Fulv. Ursinus ex ms. sequente ed. Lugd. Bat. Editio princeps : *In punctis ratio*, nullo sensu, unde Gelenius efficiebat *in punctistitio. Punctum*, scil. temporis, ut apud Lucretium aliquoties. Orell.

C *Idcirco illis color est purpurei luminis suffectione subluteus.* Hæc est lectio vetus, pro qua substituit Salmasius *luminis offectione. Sufficere*, verbum tinctorum significat substernere colorem, cui alius deinde inducitur. Vide Gesner. in Thes. Male itaque interpretatur Nonius *inficere*. Seneca, Quæst. nat., lib. i, cap. 5 : *Præterea cum dicitur tibi, nubem sole esse suffectam, non dicitur tibi, colorem illi immixtum esse velut duro corpori ac stabili et manenti, sed ut fluido et vago, et nil amplius, quam perbrevem speciem recipienti.* Ita *suffecta leto lumina, subfecti sanguine oculi, maculis subfecta genas*, etc. Eodem sensu itaque *suffectio* hoc loco ut sensus sit subluteus, ita ut suffectum sit, subluceat purpureum lumen, hoc est, purpureus color; *gelblich mit durchscheinender Purpurfarbe.* Nec minus bene legitur *purpurei luminis* (vel coloris) *offectione*, quod significat lumen impeditum, interceptum, alius corporis, scil. corticis sive putaminis mali Punici, interpositione. Ita Lucretius, lib. v, vers. 772, seq., de eclipsibus solis et lunæ :

D
> Solis uti varios cursus, lunæque meatus
> Noscere possemus, quæ vis et causa cieret :
> Quove modo soleant offecto lumine obire.

Equidem tamen nihil definire audeo, cum nesciam utrum lectio ex ms. fluxerit. Pro *purpurei luminis* Meursius mavult *purpurei fluminis suffectione*, quia præcesserit *fluore de sanguinis viola nascitur.* Orell.

Quod ex sanguine saburrato genus ducunt. Et hoc loco, dubius adhuc et incertus de vera lectione dedi scriptionem vulgatam. Cod. ms. habet *ex sanguine saburratio*, mendose. Salmasius edidit *ex sanguine saporatiore*, id est, ex sanguine melioris, acidioris saporis, quam cæterorum hominum : *von schmackhaftern, gewurzhaftern Blute.* Eodem sensu Constantinus Afer de Febribus, cap. iv (citatus a Gesnero in Thes.), *sanguis*, inquit, *est omnibus elementis saporosior.* Vulgatam lectionem tuetur N. Heinsius, in Adversar., lib. i, c. 10, p. 102, et docet legendum vel *saburrato*, vel *saburratiore*, vel *saburratitio*,

impletis [a]. O Abdera, Abdera, dares quantas vias mortalibus irridendi, talis si apud te esset fabula ita conflata? Dicunt eam cuncti patres, et superciliosæ perlegunt civitates, et esse tu fatua, et stoliditatis frigidissimæ judicaris.

XIII. Per sinum, inquit, Nana filium concepit ex pomo; sequitur se ratio; ubi enim cautes, et saxa pariunt dura, poma ibi necesse est suriant. Glandibus, atque ficis alebat Berecyntia religatam, convenienter et recte; pomis enim debuerat vivere, quæ mater A fuerat facta de pomo. Postquam fœtus emissus est, longe jussus est ab Sangario projici; quem conceptum divinitus credidit esse jamdudum, dedignatus est sobolem sui pignoris nuncupari. Lacte infans educatus hirquino est. O fabulam sexui inimicam semper atque infestissimam masculino; in qua sexus viriles [b] non solum homines ponunt, sed pecudes etiam fiunt ex maribus matres. Pulchritudine inclyta, et prædicabili fuit insignitus decore. Admirabilis res satis, quod non illum fœtor vitabilem reddidit fugiendumque caprinus. Mater eum dilexit magna, si

LECTIONES VARIANTES.

[a] Implesus *ms. Melius. Meurs.*

[b] *Leg.* Secus virile. *Vide* Not.

COMMENTARIUS.

vel tandem *saburracco*, a *saburra*, hoc est, ingluvies, πλήρωμα, τῆς νεὼς ἕρμα. Vide Scaliger., ad Varron., de Ling. lat., lib. VI, p. 151. Hinc apud Plautum Cistell., act. I, scen. II, mulieres cibo potuque saturæ dicuntur *saburratæ*. Hinc *sanguis saburratus* vel *saburratior* dicitur sanguis hominis ebrii, qualis fuit Acdestis, qui, ut supra dictum est, cap. 6, *potionem validissima vi meri a Libero succensam immoderatius hiantibus rapuerat venis*: idque optime respondet præcedentibus verbis, *uvida, idcirco vinosa.* Nourrius legendum censet: *Quod ex sanguine saburrata* (id est repleta et onerata poma illa, quæ de profluente sanguine Acdestis orta fabulabantur) *genus ducunt.* Verumtamen fateor magis mihi placere lectionem vulgatam eo sensu, quo diximus. ORELL.

O Abdera, Abdera, dares quantas vias mortalibus irridendi. Sic e cod. ms. restituit Stewechius, ubi legitur: *O Abdera, Abdera, quantas vias mortalibus irridendi dares;* quod sensus flagitat, addidit Sal- C masius. Sabæus et Gelenius ed.: *O Abdera, Abdera, quam fias mortalibus inridenda.* Meursius conj. *quam tu fias mortalibus inridenda.* Grotius: *quantum fias. Quanti..... tanti* pro *quot. ... tot* haud raro etiam apud optimos scriptores. Vide Broukhus., ad Propert., lib. I, eleg. V, vers 10, p. 21, et Duker., de Latinitate jureconsultorum, p. 358. Apud ecclesiasticos scriptores, Tertullianum, Ambrosium, Augustinum, etc., nil frequentius. Conf. Havercamp., ad Tertulliann. Apologet., cap. I, p. 8, et Bünemann., ad Lactant. Inst., lib. I, cap. 4, p. 22. Abderitarum insania ac stupiditas notissima in proverbium abiit in stultos, stolidos quosvis. Hinc Cicero, ad Attic., lib. IV, epist. XVI, de Senatu Romano: *Hic Abdera, non tacente me, dices. Tamen tu non quiescis? ignosce, vix possum. Verumtamen quid tam ridiculum?* Conf. Worth., ad Tatian., Orat in Græc., pag. 63. ORELL.

Dicunt eam cuncti patres. Fulv. Ursinus leg. conj. *discunt*, etc. Sed præfero equidem lectionem vulga- D tam. *Dicunt*, hoc est, docent eam fabulam *cuncti patres*, scil. religionum, id est, sacerdotes, antistites. Pro *cuncti* Stewechius mavult *cati*. ORELL.

Superciliosæ perlegunt civitates. Vocem *superciliosus* tamquam barbaram damnat G. J. Vossius de Vitiis serm.; tuetur Ol. Borrichius in Cogitatt., pag. 249, loco Senecæ, epist. CXXIII: *Istos tristes et superciliosos alienæ virtutis censores, suæ hostes, publicos pædagogos assis ne feceris.* Sed frequentior hujus vocabuli usus tempore Arnobii. Ita verbi causa Sidonius lib. VII, epist. X: *Catonianum superciliosæ frontis arbitrium*, et Martianus Capella, lib. VIII: *Me superciliosior increpubas.* ORELL.

XIII.—*Sequitur se ratio.* Meursius corrigit: *sequitur scilicet ratio*, putans *se* ortum ex abbreviato *sc.* Non male. ORELL.

Poma ibi necesse est suriant. Felicissimam hanc correctionem Fulv. Ursini merito in textum recepit Salmasius. *surire*, κατρᾷν. vide supra, ad lib. I, cap.

B 2. Antiqua lectio est *surgant*, quam frustra tuentur Heraldus et Elmenhorstius. ORELL.

Alebat Berecynthia religatam. Malim *relegatam*. Supra, cap. 6: *Tamquam vitiatam claudit pater, et curat, ut inedia moriatur; pomis atque aliis bacculis deum sustentatur a matre.* HERALD.—Nil mutandum. *religata* scil. est carceri inclusa apud patrem: *relegata* esset vel ablegata, exulatum missa, vel inclusa, custodita in alio loco remotiore. ORELL.

Dedignatus est sobolem sui pignoris nuncupari. Sic emendarunt Heraldus in Curis II, et Stewechius. Codex ms.: *Designatus et sobolem sui pignoris nuncupari*, quod Gelenius mutavit: *et si gnatus esset, sobolem sui pignoris nuncupari*, sequente ed. Lugd. Bat. *Pignora* pro liberis. Vide supra, ad lib. II, cap. 76. ORELL.

Secus virile. Ita ms., ut testantur Heraldus et Stewechius. Vide supra, ad lib. I, cap. 59. ORELL.

C *Sed pecudes etiam fiunt ex maribus matres.* Dedi emendationem Fulv. Ursini lenissimam et proxime accedentem ad lectionem codicis ms.: *sed pecudes etiam fiunt ex maribus mares*, cui nullus inest sensus. Gelenius et plerique eum secuti: *Pecudes..... fiunt exmares.* Meursius conj.: *ex matribus matres*, hoc est, μητέρας μὴ ἔχοντας, ut *exos* et similia, quod plane contrarium est illi, quod dicere voluit Arnobius. Ridet scilicet hircum ubera præbentem Attidi, tamquam fabulam absurdissimam. Nam apud Romanos æque ac apud nostrates de re absurda prorsus et impossibili proverbium est *hircum mulgere*, quod testantur Virgilii versus notissimi Eclog. III, vers. 90, seq.:

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi,
Atque idem jungat vulpes et mulgeat hircos.

Stewechius, omnia confundens, legendum censet: *sed virgines etiam fiunt exmammares*, quasi hoc loco sermo sit de Galli filia mammas sibi demetento, de qua D paulo post loquitur Arnobius. Salmasius edidit: *Sed pecudes etiam fiunt ex maribus*, deleta voce *matres* vel *mares*, cujus conjecturæ rationem indicat in notis ad Ælii Lampridii Commodum, cap. 7, Script. Hist. Aug., vol. I, pag. 493, *ex maribus* explicans, qui perdidere virilia, ut apud Plautum in Amphitryone: *Mulier facta est ex viro*, hoc est, virum perdidit. Eodem sensu Græci cæcos dicunt ἐξ ὀμμάτων, Latini *ab oculis* vel unica voce *abocul0s*. Sed hanc explicationem si sequamur, *pecudes fiunt ex maribus* significaret tantummodo: pecudes castrantur testiculis exsectis, non autem, quod indicare vult Arnobius: pecudes mares in fœmellas, hirci in capras transformantur. Malui itaque sequi Fulv. Ursinum. ORELL.

Fœtor..... caprinus. Facile carere possumus annotatione Elmenhorstii. Hic enim non de fœtore alarum, quem *hircum* vocant Latini (vide Horat., Epod. XII, 5), sed de fœtore contracto ex hirquini lactus alimonia sermo est. ORELL.

nepotem ut avia, res simplex; sin theatra ut percrepant, infamis et flagitiosa dilectio est. Diligebat et Acdestis, venatoriis eum muneribus locupletans; a [a] semiviro quidem nullum esse poterat periculum castitatis; sed quid Midas horruerit, non est facile suspicantibus existimare [b]. Ipsis mater est ingressa cum mœnibus. Admiramur [c] quidem in hac parte vires, et fortitudinem numinis; sed culpamus negligentiam regis [d], quod cum legis meminisset et fati patefecerit hostibus minus providam civitatem. Nuptialia celebrantibus vota furias Acdestis, insaniamque subjicit, si Midas rex offenderat, qui uxore adulescentulum vinciebat; quid admiserat Gallus, quid pellicis filia, ut ille se viro, hæc mammarum honestate privaret? Tibi habe hæc, inquit, propter quæ res tantas animorum subversionibus concitasti. Nesciremus adhuc omnes quid in adulti corpore furor desiderasset Acdestius, nisi puer abscissa societati objecisset offensæ.

XIV. Quid dicitis, ô gentes: quid hujusmodi deditæ opinionibus nationes? Nonne cum ista promuntur, arripit vos pudor, et tantarum verecundia fœditatum? Nos avemus a vobis quid de diis dignum vel audire, vel discere: at vero vos nobis mammarum expromitis exectiones, amputationes virilium veretrorum, iras, sanguinem, furias, interitus virginum voluntarios, et ex sanguine mortuorum flores, atque arbores procreatas. Dicite, o iterum, ergone deum mater genitalia illa disjecta, cum fluoribus ipsa per se mœrens officiosa sedulitate collegit, ipsa sanctis manibus, ipsa divinis contrectavit ac sustulit flagitiosi operis instrumenta fœdique, abscondenda etiam mandavit terræ, acne nuda in gremio diffluerent sic soli, priusquam veste velaret, ac tegeret, lavit utique balsamis, atque unxit? Unde enim violæ nasci potuissent odoræ, nisi putorem membri unguentorum illa suffectio temperaret? Cum historias, quæso, perlegitis tales, nonne vobis videmini aut textriculas puellas audire tædiosi operis circumscribentes moras: aut infantibus credulis avocamenta quæritantes anus longævas, et varias fictiones sub imagine veritatis expromere? Cum Jove locutus est Acdestis, ut amato restitueret vitam: annuere Jupiter recusavit, quia fatis potentioribus prohibebatur: ac ne esset omnino durissimus, unam largitus est gratiam, ne putore corpus dissolveretur ullo, succrescerent comæ

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ab *ms.*
[b] Æstimare *Fulv.*
[c] Admirabamur *ms.*
[d] Rursus *ms.*

COMMENTARIUS.

Sed quid Midas horruerit, non est facile divinantibus suspicari. Immo: *non est difficile.* Horrebat enim detestandam Acdestidis patientiam. Herald.

Admiramur quidem. Meursius: *haud miramur quidem.* Orell.

Quod cum legis meminisset et fati, patefecerit hostibus minus providam civitatem. Hæc est verissima emendatio Heraldi in Curis ii. Cod. ms.: *A te fecerit hostibus*, etc., unde Gelenius effecerat: *cum legis meminisset et fati Atys, fecerit hostibus*, etc. Sed ne dicam, muris (ut supra, cap. 7, dictum) capite sublevatis, non minus providos, sed cautiores civitatis incolas effecisse Berecyntiam, scribendum fuisset *fati Attidis.* Nam hæc est hujus nominis declinatio Arnobiana. supra enim lib. i, cap. 41, habemus accusativum: *Attin Phrygem abscissum*, et lib. iv, c. 29, ablativum: *Specioso ab Attide.* Quam ob causam nec audiendus Fulv. Ursinus corrigens: *Quod cum legis meminisset et fati Atys, fecit hostibus nimis perviam civitatem. Minus providam civitatem* dicit Arnobius ob nuptiarum gaudia, quæ ne interrumperentur, oppidum claudi jussit rex Midas. Itaque non necessaria est conjectura editoris Lugd. Bat.: *minus provida*, ac Meursii: *minus provisam civitatem.* Orell.

Nisi puer abscissa societati objecisset offensæ. Sic edidi ex emendatione sagacissima Heraldi in Curis ii. Lectio vetus est: *nisi puer abscissa satietatis objecisset offensi.* Gelenius edidit: *objecisset offensam*, sequentibus cæteris, excepto Salmasio, qui in ed. Lugd. Bat. refinxit audacius: *nisi puer abscissas has partes objecisset offenso.* Meursius: *nisi abscissæ puer Atys objecisset offensam.* Orell.

XIV.—*Quid dicitis, o gentes..... nationes.* Vide supra notam Heraldi ad titulum operis. Orell.

Virilium veretrorum. Glossæ: *Veretrum... αἰδοῖον.* Infra, lib. vi: *veretrorum magnitudines publicatæ.* Papias: *Veretrum.* Suetonius Tiberio, cap. 62. Elmenh.

Genitalia illa desecta cum fluoribus. Ita Fulv. Ursinus rectissime, sequentibus cæteris. Antea legebatur: *Genitalia illa disjecta.* Pro *fluoribus* alii *floribus.* Meursius: *prolibus.* Orell.

Ipsa per se mœrens. Verba *per se* tamquam interpretamentum magistelli cujusdam delenda censeo. Meurs.

Ac ne nuda in gremio diffluerent sic soli. Legendum existimo: *scil. soli.* Clarius fuisset: *ac ne scil. nuda*, etc. Scriptum autem fortasse fuerat *sc.*, unde factum *sic.* Herald.

Priusquam veste velaret ac tegeret. De more eluta et uncta cadavera vestiendi vide H. Columm., ad Fragmentum Ennii, pag. 54, ed. Hessel.:

Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit.

Et quos citat Savaro, ad Sidon., lib. iii, epist. iii, pag. 191. Orell.

Unde enim violæ nasci potuissent odoræ, nisi putorem membri unguentorum illa suffectio temperaret. Sic edidit Salmasius. Lectio vetus est: *unde enim violæ nasci potuissent, odore, nisi*, etc. De v. *putor* aliisque ejusmodi nominibus in *or* exeuntibus vide C. Barth., ad Stat., Theb. v, 147, vol. iii, pag. 99. Orell.

Nonne vobis videmini aut textriculas puellas audire, etc. Ovidius, Met. iv, 36, seqq.

E quibus una levi deducens pollice filum,
Dum cessant aliæ, commentaque sacra frequentant,
Nos quoque, quas Pallas, melior dea, detinet, inquit,
Utile opus manuum vario sermone levemus.
Perque vices aliquid, quod tempora longa videri
Non sinat, in medium vacuas referamus ad aures.

Herald.

Infantibus credulis. Probabilis est conjectura Fulv. Ursini: *Infantibus querulis*, quod magis conveniens sequenti *avocamenta* probat etiam Scioppius ad Apulei,, Met. iv, pag. 299, ed. Oudendorp. Orell.

Avocamenta. Significanter. *Avocare* est alio mentem abducere et sevocare. Apuleius, Met. lib. iv, p. 299: *Sed ego te narrationibus lepidis, anilibusque fabulis protinus avocabo.* Ubi vid. Oudend. Eodem sensu Tertullianus circulatorem sive agyrtam vocat *avocatorem hominum.* Orell.

Ac ne esset omnino durissimus. Annon legendum: *At ne esset*, etc. Orell.

semper, minimissimus digitorum solus ut in corpore viveret, solus motus perpetuos exhiberet. Hoccine quisquam admiserit, aut credulitatis assensione firmarit, pilum in mortuo crescere, partem interisse, et sejunctum a lege putredinis mortale corpus adhuc usque durare?

XV. Urgere vos jamdudum ad istius rei comparationem possemus, nisi stultitiæ pars esset, et talia discere, et hujusmodi rerum indicia postulare. Sed historia hæc falsa est, neque ullam continet veritatis in se partem. Nostra quidem nihil interest, quorum causa contenditis exterminatos esse a terris deos: utrumne sit constans, et fidei firmitate connixa: an contra mendaciter, et falsitatis alicujus fictione composita. Nobis enim satis est, quibus hodie manifestare propositum est: numina ista, quæ promitis, si sunt uspiam gentium, atque irarum fervoribus incalescunt, non magis a nobis, quam a vobis accipere offensionum furialium causas: et esse illam in rebus, et a vobis in commentarios relatam, et a volentibus quotidie perlegi, et futuri temporis pro instructione, per ordinem succedentium tradi. Quæ si utique vera est, nullam videmus subesse rationem, cur nobis irasci perhibeantur dii cœlites, cum turpitudines illorum tantas neque prodiderimus [a], neque in litteras contulerimus ullas, neque in publicam testificationem sacrorum celebritatibus miserimus. Sin autem, ut remini, falsa est, et mendaciis interpolata fallacibus, ambigere hominum nullus potest, quin causa vos sitis offensæ, qui vel talia quosdam conscribere siveritis, aut conscripta durare sæculorum in memoria sitis passi.

XVI. Et tamen qui potestis falsitatis arguere conscriptionem istam, cum ipsa sacra sint testimonio, quæ per cursus annuos factitatis, et credi a vobis esse vera, et exploratæ fidei judicari? Quid enim sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus in Deum matris intromittitis [b] sanctuario? Nonne illius similitudo est arboris, sub qua sibi furens manus et infelix adolescentulus intulit, et genitrix divum in solatium sui vulneris consecravit? Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis et circumvolvitis stipitem? Nonne illarum repetitio lanarum est, quibus Ia deficientem contexit, et teporis aliquid rata est se posse mem-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Neque nos prodiderimus *ms.*

[b] Intermittitis *ms.*

COMMENTARIUS.

Minimissimus. Vide supra, ad cap. 7. ORELL.

Pilum in mortuo crescere. Hoc tamen affirmant medicorum alumni: et ipsa experientia testatur id fieri in suspensis. Vid. Tertullian. de Anima, cap. 51, ELMENH.—Quod Arnobius negat fieri posse, id affirmat Aristoteles, de Hist. animal., lib. III, cap. 11: Αὔξονται δὲ τρίχες ἔν τε νόσοις τισὶν, οἷον ταῖς φθισικαῖς μᾶλλον, καὶ ἐν γήρᾳ, καὶ τεθνεώτων, καὶ σκληρότεραι γίνονται ἀντὶ μαλακῶν. (PETAV., *ad Synes.*, *Encom. Calvitii*, *not. pag.* 32). Causam explicat Alexander Aphrodisiensis in Problemate 145. ORELL.

Partem non interiisse, *non*, quod sensus flagitat, addidit primus Fulv. Ursinus. ORELL.

Mortale. Ita ed. Lugd. Bat. e correctione Meursii, rectissime. Alii *immortale*, quod plane contrarium est ei quod dicere vult Arnobius. ORELL.

XV.—*Comparationem*. Forte legendum *comprobationem*. CANTER.

Nisi stultitiæ pars esset et talia discere. C. Barthius, in Adversar., lib. XXIX, cap. 44, p. 1383, mavult: *Nisi stultitiæ par esset*. Pro *discere* Stewechius legendum suspicatur *hiscere*, citans lib. I, cap. 23: *Ipsa denique hiscere si animantia muta potis essent*, et lib. IV: *Experiri volumus*, *an mutire*, *an hiscere deorum in mentione possitis*. Sed nil mutandum: dicit Arnobius, stultitiæ partem esse fabulas tam absurdas vel discere, hoc est legere, nedum eas comparare rimarique altius. ORELL.

Exterminatos. Vide ad lib. I, cap. 1. ORELL.

Esse illam in rebus, etc. Sic editio princeps, quam secutæ sunt cæteræ. Fulvius autem Ursinus conj. *in diebus*, hoc est in libris dierum, actis diurnis, ephemeridibus. Quod probat Elmenhorstius. Sic infra lib. VII, cap. 9: *Quanta vix explicari decem millibus queant vel annalium vel dierum*. Ubi vide notas. Vulgata lectio si sana est, *esse illam* (historiam vel fabulam) *in rebus* significat, existere illam, tradi pro re in facto posita: *Sie sey auf Thatsachen gegrundet*. Heraldus suspicatur: *Esse illam in ritibus*, id est, in sacris cæremoniis, quod maxime placet. Meursius *illam* refert ad præcedens *offensionis causam*. Sic enim legit pro *offensionis causas*, et sequentia audacius sic refingit: *In libros a vobis et commentarios relatam*. ORELL.

Futuri temporis pro instructione. Secutus sum emendationem editoris Lugd. Bat. Antiqua lectio est: *per structionem*, nullo sensu. Fulv. Ursinus edidit *præstructione*, quod quid sibi velit vellem nobis explicasset. ORELL.

Neque in publicam testificationem sacrorum celebritatibus miserimus. Idem Fulvius leg. *inseruimus*, perperam. Nam si *sacrorum celebritatibus* accipimus in casu sexto, non video cur sollicitanda sit constructio: *in publicam testificationem* (aliquid) *mittere*. ORELL.

XVI.—*Esse vera*. Meursius mavult *esse veram*, scilicet, *scriptionem istam*. Bene. ORELL.

Exploratæ fidei. Ita Fulvius Ursinus ex ms., optime. Gabæus et Gelenius ed.: *explicatæ fidei*. ORELL.

Quid enim sibi vult illa pinus, *quam semper statis diebus in deum matris intromittitis sanctuario?* Hoc fiebat die undecimo Kalendas Aprilis, ut notatum in Calendario Romano Constantini Magni ad illum diem. *Arbor intrat*, quod de arboris pinus intromissione in sanctuarium matris deum intelligendum. Qui enim sequuntur dies, variis solemnitatibus ejusdem matris deum erant dedicati, ut *Sanguinis dies* notatus ad nonum Kalendas Aprilis in eodem Calendario, *Hilaria* ad octavum, *Requietio* ad septimum, *Lavatio* ad sextum. SALMASIUS, *in Append. ad Solin.*, *de Hyle Iatr.*, *pag.* 3. Valesius ad Ammian. Marcellin., lib. XXIII, pag. 255, legendum putat: *quam..... in deum matris intromittitis sanctuarium*. Sed nihil mutandum. *Intromittere in sanctuario* non minus bene dici potest, quam supra lib. II, cap. 2: *Veram in orbe religionem inducere*, et lib. I, cap. 42: *quæ* (dona) *ab eo profecta in nobis sunt*, ubi hanc rationem loquendi pluribus exemplis illustravimus. Cæterum progressu temporum mutatas fuisse istas cæremonias et deum matri consecratos dies ad tres tantum redactos, discimus ex Juliani Orat. V. Conf. Sainte-Croix librum de Mysteriis veterum germanice versum a Lenzio, cap. 4, pag. 72, seq. ORELL.

Quibus Ia deficientem et contexit. Ita legendum pro vulgato: *Quibus jam deficientem et contexit*, docuit Stewechius, rectissime. Haud enim magna Me-

…ris conciliare frigentibus? Quid compti violaceis co… A ronis, et redimiti arboris ramuli? Nonne illud indicant, uti mater primigeniis floribus adornaverit pinum, miserabilis indicem testimoniumque fortunæ? Quid pectoribus applodentes palmas passis cum crinibus Galli? Nonne illos referunt in memoriam luctus, quibus mater turrita cum Acdesti lacrymabili puerum prosecuta est ejulatu? Quid temperatus ab alimonio panis, cui rei dedistis nomen Castus? Nonne illius temporis imitatio est, quo se numen ab Cereris fruge violentia mœroris abstinuit?

XVII. Aut si ea, quæ dicimus, non sunt ita, vos edissertate, vos, dicite: evirati isti, mollesque, quos interesse vobiscum in istius numinis videmus sacris, quidnam istic habeant negotii, sollicitudinis, curæ? et cur more lugentium cædant cum pectoribus lacertos, et fortunam imitentur in lamentabili constitutorum

COMMENTARIUS.

…ter, sed *virgo sponsa quæ fuerat, quam Valerius pontifex Iam fuisse conscribit, exanimati* (Attidis) *pectus lanis mollioribus velat.* Cæterum hujus virginis alibi, quod sciam, nulla mentio, et egregie fallitur Stewechius eam putans commemorari ab Homero; quæ conjectura solummodo depravata scriptione versus Homerici, Odyss. XIV, 435, fulcitur. ORELL.

Quid pectoribus applodentes passis cum crinibus Galli. Ovidius, IV Fast.:

> Venit in exemplum furor hic mollesque ministri
> Cædunt jactatis vilia membra comis. ELMENH.

— Apuleius, Milesia VIII: *Cinædum et senem, calvum quidem, cincinnis semicanis et pendulis capillatum: unum de triviali popularium fæce, qui per plateas et oppida cymbalis et crotalis personantes deamque Syriam circumferentes mendicare compellunt.* Iterum eodem libro: *Diuque capite demisso, cervices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos rotantes in circulum, et nonnumquam morsibus suos incurtantes musculos, ad postremum ancivili ferro, quod gerebant, sua quisque brachia dissecant.* Sic omnes fanatici, harioli et ejusmodi agyrtæ capillati, quod e veteribus scriptoribus satis notum. Hinc Arrianus, lib. IV Dissert. C Epicteti, cap. 8: οὗτος φιλόσοφος. Διὰ τί; τρίβωνα γὰρ ἔχει καὶ κόμην, οἱ δὲ ἀγύρται τί ἔχουσιν; HERALD.

Quid temperatus ab alimonio panis, cui rei dedistis nomen Castus. Vide quam periculosum sit aliquid ex ingenio et sine libris emendare, et ab antiquis vestigiis recedere: cum enim in Romano recte legeretur: *temperatus ab alimonio panis*, Gelenius emendavit: *temperatus fabæ alimonio panis.* Sed ignoratio significationis vocabuli *temperatus* ei ansam errandi præbuit. Non enim hic *temperatus* pro mixtura, ut ille putavit, sed pro temperantia et abstinentia accipitur. Plura de hoc loco diximus Variar. Lect. lib. II, cap. 21 (in Lampade Gruteri, vol. III, pag. 766, seq.). TH. CANTER. — Abstinebant a pane Cybeles et Isidis sacerdotes. B. Hieronymus, Epist. ad Lætam de Institutione filiæ: *Faciunt hoc cultores Isidis et Cybeles: qui gulosa abstinentia Phasidis aves et fumantes turtures vorant, ne scil. Cerealia dona contaminent.* Abstinentiam illam et, ut loquitur Arnobius, temperatum appellabant *castum*. B. Hieronymus, lib. II, contra Jovinianum: D *De ciborum sibi placent abstinentia; quasi non superstitio gentilium castum* (perperam scriptum erat *cessum*) *matris Deum observet et Isidis.* Hæc eadem vox reponenda eodem libro: *Quomodo autem virginitati veræ non præjudicet imitatio virginum diaboli: ita nec veris jejuniis castorum Isidis et Cybeles, et quorumdam ciborum in æternum abstinentia: maxime cum apud illos jejunium panis sagina carnium compensetur.* Tertullianus, libro de Jejuniis: *Sed bene quod in nostras xerophagias blasphemias ingerens, casto Isidis et Cybeles eas adæquas.* Ergo *castus* proprie Isidis et Cybeles, sed aliorum etiam deorum; quorum in casto certis et statis diebus quandoque erant, id est, certis cibis abstinebant, aut etiam usu Veneris, ut qui erant in casto Cereris. Festus: *Minuitur privato luctus, cum in casto Cereris est.* Macrobius, lib. I Sat. cap. 23: *Vehitur enim simulacrum Dei Heliopolitani ferculo, uti vehuntur in pompa ludorum Circensium deorum simulacra; et subeunt plerumque provinciali proceres raso capite, longi temporis castimonia puri.* Castimoniam heic appellat ἁγνείαν et abstinentiam ab operibus Venereis. Dixit *castimonia* πληθυντικῶς Apu- B leius Miles. XI: *Quod enim sedulo percontaveram, difficile religionis obsequium, et castimoniorum abstinentiam satis arduam, cautoque circumspectu vitam, quæ multis casibus subjacet, esse muniendam.* Heic *castimoniorum abstinentiam* vocat rigidam abstinentiam ab omni cibaria voluptate, ab animalibus, a vino, et simul ab rebus illis temperatum. Explicate postea eodem libro: *Idque plane cunctis arbitris præcipit, decem continuis illis diebus cibariam voluptatem coercerem, neque ullum animal essem et invinius essem.* Ergo *castus* a careo, cassum; unde cassus, ac litterarum μεταβολῇ *castus*. Festus: *Puri menstruo esse dicebantur, qui sacrorum causa toto mense in cærimoniis sunt, id est puri sunt certis rebus carendo.* Idem: *Denariæ cerimoniæ dicebantur, et tricenariæ, quibus sacra adituris decem continuis diebus, vel triginta, certis quibusdam rebus carendum erat.* IDEM. — Dicebatur itaque *castum*, *i*, et *castus*, *us*, m. ut h. l. Vid. Nonius v. *Castus*. Auson. Popm. ad Varron. Fragment., pag. 303, ed. Bipont.; Meurs., in Glossario græco-barbaro, C v. Καστεῖα; D. Petav., in Juliani Orat. V. pag. 88, ed. Lips.; et in primis Kuhn., ad Ælian., Var. Hist. II, 33, pag. 152, seqq. ed. Gronov. Sic et Græci. Marinus, de Vita Procli, pag. 45 (16. ed. Boisson.): Τὰς δὲ Μητρωακὰς...... καστείας ἑκάστου μηνὸς ἥγνευεν. Ubi καστείας pro ἁγιστείας, quod ed. Fabricii habet, e Codd. restituit doctissimus Boissonade. Vid. ejus notam, p. 105 seq. ORELL.

XVII. — *Cur more lugentium cædant cum pectoribus lacertos.* Supra: *Et socialis planctibus cum Acdesti tundit et sauciat pectus pausatæ circa arboris robur.* Ac de hac pectoris ac lacertorum pulsatione lugubri plana res est. Idcirco igitur scribit Artemidorus, lib. I, cap. 43, mulieres in luctu ubera plangere atque fœdare, αὗται γὰρ ἐν πένθει καὶ τοὺς μαζοὺς λωβῶνται. Hæc autem omnia interpretabantur allegorice: ut deorum Mater terram significaret, Galli autem lacertos sibi lacerarent ac virilia demeterent propter D arationem et messem. Sic enim ista significabant. Hoc observat Tertullianus, adversus Marcionem, lib. I, cap. 13, obscuro loco, et quem nullo modo intelligunt interpretes: *Ipsa quoque vulgaris superstitio communis idololatriæ, cum in simulacris de nominibus et fabulis veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, et dedecus suum ingenio obumbrat, figurans Jovem in substantiam fervidam, et Junonem ejus in aerem, secundum sonum græcorum vocabulorum: item Vestam in ignem, et Camenas in aquas, et magnam matrem in terram, seminalia demessam, lacertis aratam, lavacris rigatam.* Quod addit *lavacris rigatam*, hoc ait, quia Almone lavabatur Deum Mater solemni die. HERALD. — Simili modo allegorice explicat hos ritus Julianus Orat. V Add. Sainte-Croix de Mysteriis, cap. 4, pag. 77 versionis Lenzii. De more verberandi lacertos exemplorum struem congessit C. Barthius ad Statii Theb. VI, vers. 133, vol. III, pag. 400. ORELL.

sorte? Quid coronæ? quid violæ? quid voluere mollium velamenta lanarum? Cur ad ultimum pinus ipsa paulo ante in dumis inertissimum nutans lignum, mox ut aliquod præsens atque augustissimum numen, deum matris constituatur in sedibus? Aut enim hæc causa est, quam in vestris scriptis et commentariis invenimus: et manifestum est vos non divinas conficere cærimonias [a], sed imaginem tristium redintegrare gestorum: aut si alia ratio est, quam mysterii nobis abnegavit obscuritas, et ipsa quoque necesse est turpitudinis alicujus participetur infamia. Quis est enim, qui credat, honestatis aliquid in ea re esse, quam initiant viles Galli, effœminati conficiant exoleti?

XVIII. Postulat quidem magnitudo materiæ, atque ipsius defensionis officium, ut similiter cæteras turpitudinum species persequamur: vel quas produnt antiquitatis historiæ, vel mysteria illa continent sancta, quibus initiis nomen est, et quæ non omnibus vulgo, sed paucorum taciturnitatibus traditis: sed sacrorum innumeri ritus, atque affixa deformitas singulis, corporaliter [b] prohibet universa nos exequi: quinimmo, ut verum [c] exprimamus, a quibusdam [d] nos ipsi consilio, et ratione deflectimus: ne dum explicare contendimus cuncta, expositionis ipsius contaminationibus polluamur. Faunam igitur Fatuam, Bona quæ dicitur Dea, transeamus: quam myrteis cæsam virgis, quod marito nesciente seriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat Sexto de diis Græco: signumque monstrari, quod cum ei divinam rem mulieres faciunt, vini amphora constituatur obtecta: nec myrteas fas sit inferre verbenas: sicut suis scribit in causalibus Butas. Sed et deos conserenteis pari more ac dissimulatione taceamus, quos cum cæteris

LECTIONES VARIANTES.

[a] Querimonias *ms.*
[b] Specialiter *Fulv.*
[c] Verius *ms. Non male. Meurs.*
[d] *Ita Fulv. Alii :* a quibus.

COMMENTARIUS.

Quid coronæ? quid violæ? quid voluere mollium velamenta lanarum? Non dubitavi in textum recipere egregiam hanc emendationem I Fr. Gronovii in Diatribe ad Statii Silv., lib. I, carm. VI, cap. 20, pag. 110. Antiqua lectio est: *Quid coronæ? quid violæ? quid volucra mollium velamenta lanarum?* Editor Lugd. Bat.: *mollium et velamenta lanarum.* Elmenhorstius v. *velamenta* delendum censet tamquam glossema et interpretamentum vocis *volucra.* ORELL.

Quam initiant viles Galli. Ita editor Lugd. Bat. cod. ms., mendosissime: *inhiant.* Gelenius: *ineant.* Fulv. Ursinus: *initient*, et in seq.: *conficiant.* Heraldus in Curis II: *inchoant.* Sed apud hos scriptores non raro *initiare* pro inchoare, incipere, *initiari* pro initium sumere. Tertullianus adversus Valentinianos, cap. 15: *Audisti mœrorem et timorem. Ex his initiata sunt cætera.* Julius Firmicus Mathes. II, cap. 12: *Ver initiatur, cum primam Arietis partem sol fuerit ingressus.* ORELL.

Exoleti. Vide supra, ad lib. II, cap. 42, et lib. IV, cap. 35. ORELL.

XVIII. — *Vel mysteria illa continent sancta, quibus initiis nomen est.* Cicero, de Legg. II, cap. 14: *Nam mihi cum multa eximia divinaque videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus: initia ut appellantur, ita re vera principia vitæ cognovimus.* HERALD. — Livius, lib. XXXIX, cap. 8, de Bacchanalibus: *Initia erant, quæ primo paucis tradita sunt: deinde vulgari cœpta per viros mulieresque.* Græce dicebantur τελεταί. ORELL.

Et quæ non omnibus vulgo, sed paucorum taciturnitatibus traditis. Ita ed. Lugd. Bat., cod. ms. habet: *sed paucorum taciturnitatibus tradidisse.* Gelenius edidit: *traduntur.* Alii: *tradunt.* Scholiastes Aristophanis ad Ran. et ex eo Suidas: μυστήρια, παρὰ τὸ τοὺς ἀκούοντας μύειν τὸ στόμα, καὶ μηδενὶ ταῦτα ἐξηγεῖσθαι.
HERALD. et ORELL.

Corporaliter prohibet universa nos exsequi. *Corporaliter* hoc loco idem quod *per membra, per partes, en détail.* Cujus significationis alia exempla mihi non succurrunt. ORELL.

Faunam igitur Fatuam, Bona quæ dicitur Dea. Ita ed. Ful. Ursinus. At in editione principe et ms. reg. legebatur: *Faunam igitur Fatuam.* Nec erat temere ac sine ulla necessitate mutanda hæc lectio. Forsitan enim *Fatuam* appellat *Faunam* κατὰ παρωνυμίαν pro *Fatuam* propter eas ebrietates, quas statim perstringit. HERALD. — Equidem prorsus assentior Heraldo. Nam supra, lib. I, cap. 28, legimus: *Qui Fatuas, civitatumque genios, qui Pausos reverentur et Bellonas,* ubi in notis citavimus locum Lactantii de Bona Dea classicum, Inst. lib. I, cap. 22. ORELL.

Seriam meri ebiberit plenam. Vide N. Heins., Adversar., lib. IV, cap. 9, p. 624. ORELL.

Sextus Clodius indicat sexto de diis græco. Fulv. Ursinus ed.: *Sexto de diis Græcorum*, male. Nam Fatua dea erat non Græcorum, sed priscorum Latinorum, et Lactantius, l. l. expresse dicit librum Sexti Clodii de diis græce scriptum. Sextum hunc Clodium eumdem esse cum Rhetore ejusdem nominis et prænominis, Siculo, Latinæ simul et Græcæ eloquentiæ professore, cujus vitam describit Suetonius de Clar. Rhet., cap. 4, contendunt Bosius et Grævius, ad Cic., lib. IV, ad Att. epist. XV, pag. 412. Conf. Burmann., ad Sueton., vol. 2, pag. 183; et Bünemann., ad Lactant., l. l, pag. 152; et G. J. Voss., de Hist. græc., lib. IV, part. III, pag. 511. Stewechius putat intelligendum esse Cloatium Verum, cujus fragmenta haud pauca e libris sacrorum obvia apud Pompeium Festum. De virgis myrteis vid. Macrob., lib. I Saturnal., cap. 7. ORELL.

Cum ei divinam rem mulieres faciunt. Hoc est *sacrificia offerunt.* Vide Savaro, ad Sidon., lib. V, ep. XVII, pag. 365, qui de hac loquendi forma multus est. ORELL.

Vini amphora constituatur obtecta. Lactantius: *Idcirco in sacris obvolutam vini amphoram poni.* Scribit Plutarchus (in Quæst. rom.), vinum, quod inferebatur Bonæ Deæ, lac appellatum fuisse: vas, in quo vinum inditum erat, mellarium dictum scribit Macrobius. HERALD.

Sicut suis scribit in Causalibus Butas. Hujus scriptoris meminit Plutarchus in Romulo, cap. 21, Βούτας δέ τις αἰτίας ἐν ἐλεγείοις περὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν ἀναγράφων. HERALD. in Addend. — Cod. ms. et ed. princeps: *Putas*, unde effecerunt *Plutarchus*, ideo quod eadem quæstio expendatur in Plutarchi Quæstionibus romanis. Male. Titulus operis procul dubio fuit Αἴτια, quales scripsere apud Græcos Plutarchus, Butas, Callimachus. ORELL.

Deos conserenteis. Ita ut editio Lugd. Bat. habet, legendum esse docuit Salmasius ad Solin., cap. II, pag. 16. *Conserentes* itaque Lares illi, qui Ocrisiam gravidam in foco fecerunt, dicti a conserendo, eo sci. sensu, quo Lucretius dicit lib. IV, vers. 1101.

Atque in eo est Venus ut muliebria conserat arva.

scribit Flaccus in humani penis similitudinem versos obruisse se cineri, qui sub ollula fuerat factus extorum : quem cum Tanaquil dimoveret Etruriæ disciplinarum perita, surrexisse se deos, et nervis obduruisse divinis. Corniculanæ inde imperavisse captivæ, ut intelligeret, et agnosceret, qui sibi res vellent ; A Ocrisiam prudentissimam fœminam divinos inseruisse genitali : explicuisse motus certos. Tunc sancta, et ferventia numina vim vomuisse Lucilii, ac regem Servium natum esse Romanum.

XIX. Bacchanalia etiam prætermittamus immania, quibus nomen Omophagiis Græcum est, in quibus

COMMENTARIUS.

Eliminanda ergo antiqua lectio *Conferentes*, et multo pejor conjectura Meursii et Stewechii : *Consentes*. Nam isti ab hoc loco alienissimi. Vide supra ad lib. III, cap. 40. ORELL.

Flaccus. Intelligendus vel Granius ille Flaccus, de quo egimus supra ad lib. III, cap. 31, vel potius Verrius Flaccus, illustris Grammaticus, qui sub Augusto vixit et scripsit inter alia libros rerum memoria dignarum citatos ab A. Gellio, lib. IV, cap. 5, et Plinio majore aliquoties. Ejusdem libros de verborum significatione in compendium redegit Pompeius Festus. Vid. Sueton., de illustr. Grammat., cap. 17, et G. J. Voss., de Hist. lat., lib. I, cap. 20. Conf. ad lib. I, cap. 59, annotata. ORELL.

Obruisse se cineri. Ita Meursius et Salmasius. Alii : *Obruisse cineri*. ORELL.

Ollula extorum. Jo. Fr. Gronovius, ad lib. XXV, cap. 16, legendum censet : *Ollula extari*. Glossarium vetus : *Extar..... olla ubi exta coquebantur*. Sed ipse Gronovius citat *aulam auri* apud Plautum. Quidni etiam *olla extorum?* ORELL.

Quem cum Tanaquil dimoveret Etruriæ disciplinarum perita, etc. Eamdem historiam fusius enarrat Dionysius Halicarnassensis, Antiq. Rom., lib. IV, init. : Φέρεται δὲ ἐν ταῖς ἐπιχωρίοις ἀναγραφαῖς ἕτερος ὑπὲρ τοῦ αὐτοῦ (Servii scil. Tullii) λόγος, ἐπὶ τὸ μυθῶδες ἐξαίρων τὰ περὶ αὐτὸν, ὃν ἐν πολλαῖς. Ῥωμαϊκαῖς ἱστορίαις εὕρομεν, θεοῖς τε καὶ δαίμοσι λέγεσθαι φίλος, τοιοῦτός τις. Ἀπὸ τῆς ἑστίας τῶν βασιλέων, ἐφ' ἧς ἄλλας τε συντελοῦσι Ῥωμαῖοι ἱερουργίας, καὶ τὰς ἀπὸ δείπνων C ἀπαρχὰς ἁγίζουσιν, ὑπὲρ τοῦ πυρὸς ἀνασχεῖν λέγουσιν αἰδοῖον ἀνδρός. τοῦτο θεάσασθαι τὴν Ὀκρισίαν πρώτην φέρουσαν τοὺς εἰωθότας πελάνους ἐπὶ τὸ πῦρ, καὶ αὐτίκα πρὸς τοὺς βασιλεῖς ἐλθοῦσαν εἰπεῖν. Τὸν μὲν οὖν Ταρκύνιον ἀκούσαντά τε, καὶ μετὰ ταῦτα ἰδόντα τὸ τέρας, ἐν θαύματι γενέσθαι· τὴν δὲ Τανακυλίδα τά τε ἄλλα σοφὴν οὖσαν, καὶ δὴ καὶ τὰ μαντικὰ οὐδενὸς χεῖρον Τυῤῥηνῶν ἐπισταμένην. εἰπεῖν πρὸς αὐτόν, ὅτι γένος ἀπὸ τῆς ἑστίας τῆς βασιλείου πέπρωται γενέσθαι κρεῖττον ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν, ἐκ τῆς μιχθείσης τῷ φάσματι γυναικός. Τὰ δὲ αὐτὰ καὶ τῶν ἄλλων τερατοσκόπων ἀποφηναμένων, δόξαι τῷ βασιλεῖ, ἧ πρῶτον ἐφάνη τὸ τέρας, εἰς ὁμιλίαν αὐτῷ συνελθεῖν· καὶ μετὰ τοῦτο τὴν γυναῖκα κοσμησαμένην, οἷς ἔθος ἐστὶ κοσμεῖσθαι τὰς γαμουμένας κατακλεισθῆναι μόνην εἰς τὸν οἶκον. ἐν ᾧ τὸ τέρας ὤφθη· μιχθέντος δὲ τινος αὐτῇ θεῶν ἢ δαιμόνων, καὶ μετὰ τὴν μῖξιν ἀφανισθέντος, εἴτε Ἡφαίστου, καθάπερ οἴονται, εἴτε τοῦ κατ' οἰκίαν ἥρωος (Lare familiari), ἐγκύμονα γενέσθαι, καὶ τεκεῖν τὸν Τύλλιον ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις. D

ELMENH.

Surrexisse se deos a *subrigo*, *ere*, pro quo antiqui per syncopen dixerunt *surgo*. Sic ap. Plautum in Epidico versu ultimo in nonnullis codicibus legitur :

Plaudite et valete, lumbos surgite atque extollite ;

ubi editiones habent *lumbos pergite*. Vide Taubmann., p. 458, et Sciop., in suspect. Lectt. lib. IV, epist. XVII. ORELL.

Corniculanæ inde imperavisse captivæ. Sic edidi e correctione Meursii et Fulv. Ursini, quam probat etiam Arntzenius ad Aurel. Victor., de Viris illust., c. 7, p. 79, et Gesnerus in Thesauro, v. *Conserentes dii*. Ocresia Corniculana dicitur apud Ovidium, lib. VI Fast., vers. 627 :

Namque pater Tulli Vulcanus, Ocresia mater
Præsignis facie, Corniculana fuit.

a Corniculo scilicet; quæ civitas capta est a Tarquinio Prisco, teste Livio, lib. I, cap. 38. ORELL.

Ocrisiam, prudentissimam fœminam. Varie scribitur mater Servii : *Ocresia*, *Ocrisia*, *Oclisia*. Vide Arntzen., ad Victor., l. l., et Ant. Augustin., ad Fest., l. l. Cæterum venustatis et pudicitiæ laudem ei etiam attribuit Dionysius Halicarnassensis Antiq. Rom., lib. IV, init. : Ἐν Κορνικόλῳ πόλει τοῦ Λατίνων ἔθνους ἀνήρ τις ἐκ τοῦ βασιλείου γένους γυναικὶ συνῴν Ὀκρισίᾳ, καλλίστῃ τε καὶ σωφρονεστάτῃ τῶν ἐν Κορνικόλῳ γυναικῶν. Hanc, marito in pugna occiso, gravidamque capti- B vam Romam abduxit Tarquinius Priscus; uxor autem Tarquinii Tanaquil cum gravidam agnovisset, servitio prohibitam domi habuit, et quod regnum puero portendi ostento intellexisset, marito, ut generum illum adscisceret, persuasit. Conf. Liv., lib. I, c. 56; Plinius, lib. XXVI, cap 27; Valerius Maximus, lib. III, cap. 4; Dionysius, l. l. Cæterum de natalibus Servii Tullii non semel addubitatum, adeo ut Seneca in epistolis scribat, hunc regem habitum sine patre natum. Alii patrem ejus Spurium Turnum Corniculanum (vid. Fest. v. *nothus*), alii Vulcanum faciunt : unde nata fabula hæc turpis et absurda. STEWECH. et ORELL. — Pro *prudentissimam* Meursio placet *pudentissimam*. Non male. ORELL.

Tunc sancta et ferventia numina vim vomuisse Lucilii. Ridicula hæc pueri conceptio, et obscura sententia, nisi illam *vim Lucilii* quis intelligat. Nobis interpretis vicem fungetur M. Terentius Varro, cujus C hæc e libro IV de Sermone latino (p. 19, ed Bipont.) : *Poetæ*, inquit, *de cœlo semen igneum cecidisse dicunt in mare, ac natam e spumis Venerem : conjunctione ignis et humoris, quam haberet vim, significantes, a qua vi nateis dicta Vita, ut illud a Lucilio : Vis est vita vides, quæ nos facere omnia cogit*. STEWECH.—Conf. Scaliger. ad Manil. Astron., lib. II, pag. 187, ed. Heidelberg., ap. Commelin. Auson. Pomp. ad Varronis l. l.; in notis, p. 43, qui *vim* recte explicat γονὴν, θόρον : ac apposite F. Dousa ad Lucilii Fragmenta, pag. 207, ed. Havercamp., adducit græcum versiculum eamdem exprimentem sententiam :

Βίος καλεῖται δ', ὃς βίᾳ πορίζεται.

Sancta numina per ironiam, ut supra, lib. IV, c. 26 : *Hercules sanctus Deus*. ORELL.

XIX. — *Bacchanalia etiam prætermittamus immania*. *Immania* pro *inania* reposuit Gelenius, rectissime. Cæterum hic locus iterum petitus ex Cle- D mente Alexandr. in Protrep. (pag. 11, ed. Potter.) : Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχοι, ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες, καὶ τελίσκουσι τὰς κρεωνομίας τῶν φόνων ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, ἐπολολύζοντες Εὐάν. Fuse agit de his Bacchanalibus C. Barthius, ad Stat., Theb. II, 74, tom. II, p. 294 - 299; et M. A. Delrio, in Syntagm. Tragœdiæ lat. part. III, pag 324, seq. ORELL.

Quibus nomen Omophagiis græcum est. C. Barthius, Adversar., lib. XI, cap. 15, legendum censet : *Ophiophagiis*, quia Bacchantes aliquando impune dentibus lacerarint serpentes, quod comprobat auctoritate Prudentii, in cujus libro I, adversus Symmachum, vers. 130, hæc legimus :

Virides discindunt ore chelydros,
Qui Bromium placare volunt.

Sed rectissime defendit lectionem vulgatam Ch. G. Schwarzius, in Opusculis academicis, cap. 3, de

furore mentito, et sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos Dei numine ac majestate doceatis, caprorum reclamantium viscera, cruentatis oribus dissipatis. Nec non et Cypriæ Veneris abstrusa illa initia prætereamus, quorum conditor indicatur Cinyras rex fuisse; in quibus sumentes ea certas stipes inferunt ut mere-

A trici, et referunt phallos propitii numinis signa donato. Oblivioni etiam Corybantia sacra donentur, in quibus sanctum illud mysterium traditur, frater trucidatus a fratribus, interempti ex sanguine apium natum, prohibitum mensis olus illud apponi, ne a manibus mortui inexpiabilis contraheretur offensio. Sed et illa desistimus Bacchanalia altera prædicare.

COMMENTARIUS.

gemma antiqua sacrificium Bacchi referente, p. 82, ed. Harles. Potuerunt enim ab Arnobio et Clemente illa sacra recte appellari *Omophagia*, in quibus a Bacchantibus carnes crudas et viscera vitulorum, vaccarum, taurorum et præcipue caprorum discerpi consuevisse omnino vel ex Euripide, act. III. Baccharum constat. Eodem sensu ab Homero, Iliad., ὑ. 592, lupi vocantur ὠμοφάγοι, *crudivori*, quia discerpunt devorantque crudas carnes aliorum animantium. Et apud Hesychium legimus : ὠμοφάγους δαῖτας..... τοὺς τὰ ὠμὰ κρέα μερίζοντας καὶ ἐσθίοντας. Hæc verba doctissimi Schwarzii. Conf. Gisb. Cuper., in Harpocrate, pag. 60. ORELL.

Sequestrata pectoris sanitate. Sequestrata, hoc est separata, divisa, sejuncta. Hoc verbo a *sequestre* notissimo ICtis deducto usi sequioris ævi scriptores, verbi causa, Bœthius, de Consol. Philos., lib. II, prosa v : *Quod si natura pulchra sunt, quid id tua refert? Nam hæc per se a tuis quoque opibus sequestrata placuissent.* Ubi vid. Sitzmann., pag. 79, ed. Lugd. Bat. c. not. var., et, qui de hoc verbo multus est, C. Barth., ad Stat., Theb. II. 425, vol. II, pag. 499, seqq. ORELL.

Circumplicatis vos anguibus. Demosthenes de Corona : Τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας θλίβων, καὶ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αἰωρῶν, καὶ βοῶν εὐοῖ σαβοῖ. HERALD. — Conf. Clemens, l. l.; Euripides in Bacchis; Plutarchus Alexandro; Horatius, lib. II, od. XIX, et ibi ejus Scholiastes, Jul. Firmic., de Errore Prof. Rel., et Schwartz. in libro laudato. ELMENHORST. et ORELL.

Caprorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis. Martialis, lib. III, epig. 34 :

> Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras
> Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris.

Servius, ad Virgil., Georg. II, 380 : *Victimæ numinibus aut per similitudinem, aut per contrarietatem immolantur. Per similitudinem, ut nigrum pecus Plutoni: per contrarietatem, ut porca, quæ obest frugibus, Cereri, et caper, qui obest vitibus, Libero. Item capra Æsculapio, qui est Deus salutis; cum capra numquam sine febri sit....... Libero ubique caper immolatus; quia viles, quæ in honore ipsius fuerant, ab eo comestæ sunt. Iratus Bacchus eum occidi fecit, et ei tolli utrem, in quo milti vinum fecit pro ejus vindicta.* Conf. Varro, lib. I de Re rust., c. 2, et Ovidius, Fast. I, 357. Quamvis vero ordinarium Bacchi sacrificium fuit hircus, invenimus tamen, eidem aliquando et oves et tauros immolatos. SCHWARZ., *de Gemma antiqua sacrificium Bacchi exhibente*, § 8, *Opusc. Acad. pag.* 79. —Th. Gatakerus, Miscell. posthum., c. 43, Op. tom. I, pag. 885, suspicatur, Arnobium in allato Clementis loco pro χρεωνομίας φόνων legisse χρεωνομίας ἐρίφων. ORELL.

Nec non et Cypriæ Veneris, etc., etc. Et hæc ex Clemente, cujus verba exscripsimus supra ad lib. IV, cap. 5. ORELL.

In quibus sumentes ea. Proprium *sumere initia*. Sic *initia suscipere* apud Spartianum in Hadriano : *Post hoc per Asiam et insulas ad Achaiam navigavit, et Eleusinia sacra exemplo Herculis Philippique suscepit.* Sic *sacra accipere*, Apuleius Milesi. XI : *Et mihi in dies magis magisque accipiendorum sacrorum cupido gliscebat.* Arnobius, infra, cap. 26 : *Ipsa denique symbola, quæ rogati sacrorum in acceptionibus respondetis!*

Jejunavi, etc. Sic μυστήρια παραλαμβάνειν. Suidas : οἱ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντες μύσται καλοῦνται. HERALD — Frustra itaque locum sanissimum sollicitavit Jo. Wowerius, ad Firmic, de Errore prof. rel., pag. 42, ed. Gronov., conjiciens : *in quibus sumentes æra.* ORELL.

B *Referunt phallos propitii numinis signa.* Clemens in Protrept. (p. 13. ed. Potter.) : Ἡ μὲν οὖν ἀφρογενής τε καὶ κυπρογενής, ἡ Κινύρᾳ φίλη, τὴν Ἀφροδίτην λέγω, τὴν φιλομηδέα, ὅτι μηδέων ἐξεφαάνθη, μηδέων ἐκείνων τῶν ἀποκεκομμένων Οὐρανοῦ, τῶν λάγνων, τῶν μετὰ τὴν τομὴν τὸ κῦμα βεβιασμένων· ὡς ἀσελγῶν ὑμῖν μορίων ἄξιος Ἀφροδίτη γίνεται καρπὸς ἐν ταῖς τελεταῖς. Ταύτης τῆς πελαγίας ἡδονῆς τεκμήριον τῆς γονῆς, ἁλῶν χόνδρος, καὶ φαλλὸς τοῖς μυουμένοις τὴν τέχνην τὴν μοιχικὴν ἐπιδίδοται· νόμισμα δὲ εἰσφέρουσιν αὐτῇ οἱ μυούμενοι, ὡς ἑταίρᾳ ἐρασταί. De phallorum ostensione in mysteriis Cereris, Bacchi, Veneris, etc., pluribus egit vir doctus, cujus nomen mihi excidit, in Wielandi, l. l. *Deutscher Merkur*, *ann.* 1806. ORELL.

Oblivioni etiam Corybantia sacra donentur, etc. De his paulo latius Clemens (pag. 15 seq., ed. Potter.) : Εἰ θέλεις δ' ἐποπτεῦσαι καὶ τῶν Κορυβάντων ὄργια, τὸν τρίτον ἀδελφὸν ἀποκτείναντες οὗτοι, τὴν κεφαλὴν τοῦ νεκροῦ φοινικίδι ἐπεκαλυψάτην, καὶ καταστέψαντες ἐθαψάτην, φέροντες ἐπὶ χαλκῆς ἀσπίδος, ὑπὸ τὰς ὑπωρείας
C τοῦ Ὀλύμπου· καὶ ταῦτ' ἔστι τὰ μυστήρια, συνελόντι φάναι φόνοι καὶ τάφοι. Οἱ δὲ ἱερεῖς οἱ τῶνδε, οὓς Ἀνακτοτελέστας, οἷς μέλον καλεῖν, καλοῦσι, προσεπιτερατεύονται τῇ συμφορᾷ, ὁλόριζον ἀπαγορεύοντες σέλινον ἐπὶ τραπέζης τιθέναι· οἴονται γὰρ δὴ ἐκ τοῦ αἵματος τοῦ ἀποῤῥυέντος τοῦ Κορυβαντικοῦ τὸ σέλινον ἐκπεφυκέναι. CANTER.—Jul Firmicus de Errore prof. rel. pag. 426. ed. Gronov. : *In sacris Corybantum parricidium colitur. Nam unus frater a duobus interemptus est, et ne quod indicium necem fraternæ mortis aperiret, sub radicibus Olympi montis a parricidis fratribus consecratur. Hunc eumdem Macedonum colit stulta persuasio. Hic est Cabirus, cui Thessalonicenses quondam cruento cruentis manibus supplicabant.* Conf. *Ste.-Croix* a Lenzio versus *über die alten Mysterien cap.* 4, *pag.* 69. ORELL.

Trucidatus. Alii : *trucidatur.* ORELL.

Apium. σέλινον. *Milchpetersilie.* De hac planta, cujus præcipuus usus in coronis et sertis etiam apud Romanos, qui sacri quid et arcani ipsi inesse autu-
D mabant, dicta *sanguis Corybantum*, vid. imprimis Bœttiger., V. Cl., in l. l. : *Sabina, oder Morgenscenen im Putzzimmer einer reichen Römerin.* et in commentatione tit.: *Racemationen zur Gartenkunst der Griechen und Römer in Wielands Neuen Deutsch. Merkur* 1800. *Mart. p.* 100. ORELL.

Sed et illa desistimus bacchanalia altera prædicare, etc, De his Bacchanalibus sic Clemens (in Protrept., p. 15, ed. Potter.) : Τὰ γὰρ Διονύσου μυστήρια τέλεον ἀπάνθρωπα· ὃν εἰσέτι παῖδα ὄντα, ἐνόπλῳ κινήσει περιχορευόντων Κουρήτων, δόλῳ δὲ ὑποδυνόντων Τιτάνων, ἀπατήσαντες παιδαριώδεσιν ἀθύρμασιν οὗτοι δὴ οἱ Τιτᾶνες διέσπασαν, ἔτι νηπίαχον ὄντα, ὡς ὁ τῆς τελετῆς ποιητὴς Ὀρφεύς φησιν ὁ Θράκιος·

> Κῶνος καὶ ῥόμβος, καὶ παίγνια καμπεσίγυια,
> Μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.

Καὶ τῆσδε ὑμῖν τῆς τελετῆς τὰ ἀχρεῖα σύμβολα οὐκ ἀχρεῖον εἰς κατάγνωσιν παραθέσθαι· ἀστράγαλος, σφαῖρα, στρόβιλος, μῆλα, ῥόμβος, ἔσοπτρον, πόκος.

in quibus arcana et tacenda res proditur insinuaturque sacratis; ut occupatus puerilibus ludicris, distractus ab Titanibus Liber sit; ut ab iisdem membratim sectus, atque in ollulas conjectus ut coqueretur; quemadmodum Jupiter, suavitate odoris illectus, invocatus advolaverit ad prandium; compertaque re gravi grassatores obruerit fulmine, atque in imas Tartari præcipitaverit sedes. Cujus rei testimonium, argumentumque fortunæ, suis prodidit in carminibus Vates Thracius; talos, speculum, turbines, volubiles rotulas, et teretes pilas, et A virginibus aurea sumpta [a] ab Hesperidibus mala.

XX. Ea erat nobis consilium præterire, prætervehi illa etiam mysteria, quibus Phrygia initiatur, atque omnis gens illa, nisi nomen interpositum his Jovis prohiberet nos strictim injurias ejus ignominiasque transire: non quo nobis dulce sit tam fœdis inequitare mysteriis, sed ut ipsis vobis promptum etiam atque etiam fiat, quid in eos congeratis injuriæ, quorum profitemini vos esse custodes, vindices, veneratores. Quondam Diespiter, inquiunt, cum in Cererem matrem libidinibus improbis atque inconcessis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Assumpta *Sab.*

COMMENTARIUS.

Ἀθηνᾶ μὲν οὖν τὴν καρδίαν τοῦ Διονύσου ὑφελομένη. Παλλὰς ἐκ τοῦ πάλλειν τὴν κάρδιαν προσηγορεύθη. Οἱ δὲ Τιτᾶνες. οἱ καὶ διασπάσαντες αὐτὸν, λέβητά τινα τρίποδι ἐπιθέντες, καὶ τοῦ Διονύσου ἐμβάλλοντες τὰ μέλη. καθήψουν πρότερον· ἔπειτα ὀβελίσκοις περιπείραντες, ὑπείρεχον Ἡφαίστοιο. Ζεὺς δὲ ὕστερον ἐπιφανείς. εἰ θεὸς ἦν, τάχα που τῆς κνίσσης τῶν ὀπτωμένων κρεῶν μεταλαβών, ἧς δὴ τὸ γέρας λαχεῖν ὁμολογοῦσιν ὑμῶν οἱ θεοί, κεραυνῷ τοὺς Τιτᾶνας αἰκίζεται. καὶ τὰ μέλη τοῦ Διονύσου Ἀπόλλωνι τῷ παιδὶ παρακατατίθεται καταθάψαι. Ὁ δὲ οὐ γὰρ ἠπείθησε Διΐ, εἰς τὸν Παρνασσὸν φέρων, κατατίθεται διεσπασμένον τὸν νεκρόν. CANTER. — Conf. observationem Elmenhorstii ad lib. I, cap. 41. ORELL.

Suavitate nidoris. Alii: *odoris.* Utrum ex mss. fluxerit, incertum mihi; sensus idem. ORELL.

Invocatus, hoc est, *non vocatus, non rogatus*, ut recte explicat Stewechius. ORELL.

C *Cujus rei testimonium argumentumque fortunæ suis prodidit in carminibus vates Thracius: talos, speculum, turbines, volubiles rotulas, et teretes pilas et virginibus aurea sumpta ab Hesperidibus mala.* Quid sibi singula ista symbola voluerint, quærere hodie serum est. De speculo Bacchi (sive solis) mystico vid. doctiss. Creuzer. in commentat. I, de causis rerum bacchicarum, pag. 39 et seq. Pro *turbines, volubiles rotulas* N. Heinsius, in Adversar., lib. III. cap 11, p. 477. legendum suspicatur: *turbinis volubiles rotulas*, putans his verbis trochos designari, qui *turbines* Maroni et Tibullo dicti. Sed trochum a turbine differre pluribus docent Vossius, in Etymol. rom., v. *trochus* et Arntzenius, ad Dionys. Caton., Distich. pag. 34 ed. novissimæ. Equidem nihil mutare ausim. Fortassis enim *volubiles rotulæ* symbola sunt rotarum pœnalium in Tartaro. Et prorsus assentior doctissimo Salmasio, qui in Appendice ad Solinum, de Hyle Iatr., pag. 3, *turbines* apud nostrum et κώνους ac στροβίλους apud Orpheum et Clementem exponit nuces pineas, citans Glossarium vetus: κῶνοι, οἱ στρόβιλοι καὶ οἱ θύρσοι. Ὁ Διογενιανός. Nuces scil. pineæ symbola initiorum Bacchicorum, quas in summo thyrsorum Bacchæ gerebant. Nam sacra Bacchica cognata erant sacris matris Deum, eadem utriusque initia, hinc etiam pinus, quæ arbor in Cybeles tutela Vide supra ad cap. 16; mala κατ' ἐξοχὴν enumerantur in Bacchicorum mysteriorum symbolis, quia pomorum et aliorum ἀκροδρύων inventio Baccho tribuitur, teste Athenæo, Dipnos., lib. III cap. 7, pag. 82, ed. Casaubon. Hinc μῆλα Διονύσου celebrata ap. poetas, v. c., Theocrit., Idyll. II, vers. 120:

Μῆλα μὲν ἐν κόλποισι Διονύσοιο φυλάσσων,
Κρατὶ δ' ἔχων λεύκαν, Ἡρακλέος ἱερὸν ἔρνος.

Idem Athenæus eodem capite paulo post: Ἑσπερίδων δὲ μήλων οὕτως καλεῖσθαί τινα φησιν Τιμαχίδας ἐν τῷ τετάρτῳ...... καὶ ἐν Λακεδαίμονι παρατίθεσθαι τοῖς θεοῖς φησι Πάμφιλος ταῦτα, εὔοσμα δὲ εἶναι καὶ ἄβρωτα, καλεῖσθαι δ' Ἑσπερίδων μῆλα. ubi Dalechampius intelligit nostra aurea mala (*Goldäpfel*), odoris suavissimi, quorum vis credebatur eximia in amoribus, quippe quæ pellicerent ad concubitum puellasque ad amorem traherent. Vid. Jos. Scaliger et Petr. Burmann., II ad Anthol. lat., lib. VII, epigr. LXX, vol. II, pag 544, seq. Et mala in genere tamquam amoris symbola adhibita fuisse a veteribus docet etiam Bœttiger. V. Cl. in Sabina, pag. 219, et omnino sub allegorica *horti* et *pomi* notione lusisse antiquos, ubi quid subturpe intellectum vellent, ostendit N. Ignarra ad Homer., Hymn. in Cerer. vers. 372, pag. 501, ed. Ruhnkenii noviss. Cæterum in his mysteriis Bacchicis Semelæ filium Thebanum confundi cum Iaccho, sive Horo Ægyptio, quem a Titanibus discerptum, sed resuscitatum ab Iside matre, refert Diodorus, Bibl. lib. I, cap. 25, pluribus ostendit Sainte-Croix *über die alten Mysterien*, cap. 5, pag. 128, seq. ORELL.

XX. — *Ea erat nobis consilium præterire.* Sic editi cum Salmasio, ut his verbis novum caput inchoetur. Alii cum præcedentibus jungentes ediderunt: *Talos, speculum...... et virginibus aurea sumpta ab Hesperidibus mala erat nobis consilium præterire.* Sed verba *talos*, etc., sine dubio pendent a verbis: *Cujus rei testimonium argumentumque fortunæ, suis prodidit in carminibus vates Thracius:* quod videmus ex loco Clementis et versibus Orphicis modo laudatis. *Ea* itaque rectissime addidit Salmasius. Intelligenda scil. non symbola, sed ipsa mysteria. ORELL.

Strictim. Id est, breviter, celeriter cursim summam rerum cutem quasi ac superficiem stringendo. Sic Cicero, ad Attic., II, 1: *Quem* (librum) *tu Corcyræ strictim attigisti*; ubi vide Manut. et Ernesti in Clavi, et Sallust. Catil., cap. 4: *Statui res gestas populi romani strictim* (ita enim nonnulli codices habent pro *carptim*) *ut quæque memoria digna videbantur perscribere.* ORELL.

D *Inequitare.* Idem quod *insultare.* Infra lib. VII, cap. 30: *Sed frustra, inquit, inequitas nobis.* Eodem modo nos dicimus *auf einem herumreiten.* ORELL.

Quondam Diespiter, inquiunt, cum in Cererem suam matrem, etc. Sic Clemens, in Protrept. (pag. 13 ed. Potter.): Δηοῦς δὲ μυστήρια, καὶ Διὸς πρὸς μητέρα Δήμητραν ἀφροδίσιοι συμπλοκαί, καὶ μῆνις, οὐκ οἶδ' ὅτι φῶ λοιπόν. μητρὸς. ἢ γυναικὸς, τῆς Δηοῦς· ἧς δὴ χάριν Βριμὼ προσαγορευθῆναι λέγεται ἱκετήρια Διὸς καὶ πόμα χολῆς καὶ καρδιουλκίαι. καὶ ἀῤῥητουργίαι· ταῦτα οἱ Φρύγες τελίσκουσιν Ἄττιδι καὶ Κυβέλῃ καὶ Κορύβασιν. Τεθρυλλήκασιν δὲ, ὡς ἄρα ἀποσπάσας ὁ Ζεὺς τοῦ κριοῦ τοὺς διδύμους, φέρων ἐν μέσοις ἔῤῥιψε τοῖς κόλποις τῆς Δηοῦς, τιμωρίαν ψευδῆ τῆς βιαίας συμπλοκῆς ἐκτιννύων, ὡς ἑαυτὸν δῆθεν ἐκτεμών Τὰ σύμβολα τῆς μυήσεως ταύτης, ἐκ περιουσίας παρατεθέντα, οἶδ' ὅτι κινήσει γέλωτα, κἂν μὴ γελᾶσαι ἔπεισιν ὑμῖν, διὰ τοὺς ἐλέγχους· ἐκ τυμπάνου ἔφαγον ἐκ κυμβάλου ἔπιον· ἐκερνοφόρησα· ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυνον. Ταῦτα οὐχ ὕβρις τὰ σύμβολα; οὐ χλεύη τὰ μυστήρια; τί δ' εἰ καὶ τὰ ἐπίλοιπα προσθείην;

cupiditatibus æstuaret, nam genitrix hæc Jovis regionis ejus ab accolis traditur, neque tamen auderet id, quod procaci appetitione conceperat, apertissima vi petere, ingeniosas comminiscitur captiones: quibus nihil tale metuentem castitate imminueret genitricem: fit ex deo taurus, et sub pecoris specie subsessoris animum atque audaciam celans, in securam et nesciam repentina immittitur vi furens, agit incestius res suas, et prodita per libidinem fraude, intellectus et cognitus evolat: ardescit furiis atque indignationibus mater, spumat, anhelat, exæstuat, nec fremitum continere tempestatemque irarum valens, ex continua passione Brimo deinceps ut appelletur, assumpsit: neque alia cordi est res ei, quam ut audaciam filii pœnis, quibus potis est, persequatur.

XXI. Jupiter satagit fractus metu: nec quibus remediis leniat violatæ animos, reperit: fundit preces, et supplicat: obstructæ sunt dolentis aures: allegatur deorum universus ordo, nullius auctoritas tanta est, ut audiatur: ad postremum filius vias satisfactionis inquirens, comminiscitur remedium tale. Arietem nobilem bene grandibus cum testiculis deligit, execat hos ipse [a], et lanato exuit ex folliculi tegmine. Accedens mœrens, et summissus ad matrem, et tanquam ipse sententia condemnasset se sua, in gremium projicit, et jacit hos ejus: virilitate pignoris visa sumit animum mitiorem, et concepti fœtus revocatur ad curam, parit mensem post decimum luculenti filiam corporis, quam ætas mortalium consequens modo Liberam, modo Proserpinam nuncupavit: quam cum verveceus Jupiter bene validam, floridam, et succi esse conspiceret plenioris, oblitus paulo ante quid malorum et sceleris esset aggressus et temeritatis quantum, redit ad priores actus: et quia nefarium videbatur satis, patrem cum filia cominus uxoria conjugatione misceri in draconis terribilem formam migrat: ingentibus spiris pavefactam colligat virginem, et sub obtentu fero mollissimis ludit atque adulatur amplexibus; fit ut et ipsa de semine fortissimi [b] compleatur Jovis, sed non eadem conditione qua mater: nam illa filiam reddidit liniamentis descriptam suis, at ex partu virginis tauri species [c]

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ipsi *Sub.*
[b] Summi *Fulv. male.*
[c] Species est *Fulv.*

COMMENTARIUS.

κύει μὲν ἡ Δημήτηρ· ἀνατρέφεται δὲ ἡ Κόρη· μίγνυται δ' αὖθις ὁ γεννήσας οὑτοσὶ Ζεὺς τῇ Φερεφάττῃ, τῇ ἰδίᾳ θυγατρὶ, μετὰ τὴν μητέρα τὴν Δηὼ, ἐκλαθόμενος τοῦ προτέρου μύσους· πατὴρ καὶ φθορεὺς Κόρης ὁ Ζεύς· καὶ μίγνυται δράκων γενόμενος· ὃς ἦν ἐλεγχθείς. Et paulo post: Κύει καὶ ἡ Φερεφάττα παῖδα ταυρόμορφον· Ἀμέλει, φησί τις ποιητὴς εἰδωλικὸς.......... ταῦρος

Πατὴρ δράκοντος, καὶ πατὴρ ταύρου δράκων.

CARITER.

Pro *in Cererem* Codex ms. habet: *inicere Cererem*, unde Jos. Scaliger legendum suspicatur: *Inire Cererem*. Meursius in Appendice: *Inigere Cererem*. ORELL.

Nam genitrix hæc Jovis regionis ejus ab accolis traditur. Ceres nempe, quod vel Græcum ejus nomen arguit, eadem quæ *Terra*, *Vesta*, *Cybele*, unde mater etiam Jovis habita. Proclus, Theol. Platon. v, 11, pag. 267: Κατ' Ὀρφέα τῷ μὲν Κρόνῳ συνοῦσα Ῥέα καλεῖται· τὸν δὲ Δία παράγουσα καὶ μετὰ Διὸς ἐμφαίνουσα τούς τε ὅλους καὶ τοὺς μερικοὺς διακόσμους τῶν θεῶν, Δημήτηρ. Conf. Tz. Spanhem., de Usu et præst. Numism., diss. 6, tom. I, pag. 312. ORELL.

Castitate imminueret genetricem. Sic lib. IV, cap. 16: *Castitatis puræ imminuta es sanctitate.* Ubi vide notas. ORELL.

Subsessoris. Vide supra, ad lib. IV, cap. 23. ORELL.

Agit incestius res suas. Ita Salmasius. Alii: *incestus*. ORELL.

Spumat. ms.: *Exspumat.* Vide ad lib. I, cap. 17. ORELL.

Ex continua passione Brimo deinceps ut appelletur assumpsit. Ita ex Clemente emendavit Arnobium felicissime Guil. Canterus, in Nov. Lectt., lib. I, cap. VI, p. 519, quæ correctio probata a P. Leopardo Emendatt., lib. XVI, cap. 11, in Lampade Gruteri, vol. III, pag. 331, seq., ut testatur Heraldus, confirmatur etiam auctoritate Codicis ms. *Brimo*, Βριμὼ, vocatur tum Ceres, tum Proserpina, tum etiam Hecate (ἀπὸ τοῦ βριμᾶν) ab Apollonio Rhodio et Lycophrone, vers. 1176; ubi vid. Meurs. Conf. C. Barth., ad Statii Silv., vol. I, pag. 221. Antea legebatur: *Ex continua passione primo deinceps*, etc., nullo sensu. Idem vocabulum Propertio, lib. II, eleg. II, vers. 11, restituit A. Turnebus, in Adversar., lib. XI, cap. 16, legens:

> Mercurio et sanctis fertur Boebeidos undis
> Virgineum Brimo composuisse latus,

ubi antea legebatur:

> Mercurioque Sais fertur Boebeidos undis
> Virgineum primo composuisse latus.

Appelletur est ex emendatione Meursii. Ms. habet *appellaretur*. Sabæus: *Appellatur*, male. ORELL.

XXI. — *Bene grandibus cum testiculis. Bene* pro valde (ut Gallorum *bien*) etiam apud optimos scriptores, v. c., Ciceronem, occurrere res notissima. Vide Horat. Tursellin., de Particulis lat., h. v. Apud nostrum et sequioris ævi scriptores nil frequentius. ORELL.

Virilitate pignoris visa. Quintilianus, lib. V, cap. 17: *Mancipiorum negotiatores formæ puerorum virilitate excisa lenocinantur.* Plinius, lib. VII, cap. 4: *Mox barbam et virilitatem provenisse.* Martialis:

> Virilitatis damna mœret ereptæ.

Sic ἀνδρεῖα Græcis, ut docet Artemidorus, lib. I Oneirocrit., cap. 47. ELMENHORST. et HERALD.

Et concepti fœtus revocatur ad curam. Sic edidit Fulv. Ursinus, probante Stewechio et sequentibus editoribus. Antea legebatur: *Et concipit, fœtus revocatur ad curam.* ORELL.

Liberam. Nomen Proserpinæ apud priscos Latinos. Vide Cic., de Nat. deor., lib. II, cap. 23, et intpp., ad Liv. III, c. 55. ORELL.

Verveceus Jupiter. Ita *verveceum caput* ap. Plautum in Pœnulo. Vide Colv. et Oudendorp. in Apulei., Met., lib. VII, pag. 491. ORELL.

Redit ad priores actus. Actus, scil. incestus et adulterii, quorum paulo ante mentio facta. Facile igitur carere possumus conjectura Meursii et Stewechii rescribentium: *Redit ad priores astus.* ORELL.

Sub obtentu fero. Scribo: *Et sub obtutu fero*, sive malis: *Obtentu feri.* Præcedentia enim mihi præ oculis sunt: *In draconis terribilem formam migrat.* Ferum, torvum ac tetricum aspectum ab obtuendo obtutum vocat. Non aliter Apuleius, libro I Floridorum, de Socrate loquens: *Arbitrabatur*, ait, *homines non oculorum, sed mentis acie et animi obtutu considerandos.* STEWECH. — Nil mutandum. *Obtentus*, prætextus, ubi falsum aliquid pro vero obtenditur. ORELL.

ısa Jovialis monumenta pellaciæ. Auctorem aliquis esiderabit rei, tum illum citabimus Tarentinum, otumque senarium, quem antiquitas canit dicens : *'aurus draconem genuit, et taurum draco.* Ipsa novissime acra, et ritus initiationis ipsius, quibus Sebadiis noıen est, testimonio esse poterunt veritati, in quibus ıureus coluber in sinum dimittitur consecratis, et ximitur rursus ab inferioribus partibus atque imis.

XXII. Non esse arbitror necessarium sermone quoıue hic multo, membra ire per singula, quantæque nsint in partibus pravis turpitudinum scatebræ flagiiorumque monstrare. Quis est enim mortalium vel xiguæ humanitatis sensum ferens, qui non ipse per- A videat, qualia sint hæc omnia, quam scelerata, quam fœda, quantasque ignominias dii ferant ex ipsis mysteriorum sacris, et ex sacrorum originibus indecoris? Jupiter, inquit, exarsit in Cererem. Quid tantum, quæso, de vobis Jupiter iste, quicumque est, meruit, quod genus est nullum probri infame, adulterium nullum, quod in ejus non caput velut in aliquam congeratis vilem luteamque personam? Matrimonii prodidit jus Leda : Jupiter esse dicitur auctor culpæ. Virginitatem Danae custodire nequivit : furtum esse narratur Jovis. Ad mulieris nomen properavit Europa, expugnator pudicitiæ idem esse jactatur. Alcmena, Electra, Latona, Laodamia, mille aliæ virgines, ac

COMMENTARIUS.

Pellaciæ. Vide supra, ad lib. IV, cap. 35. ORELL.

Tum illum citabimus Tarentinum notumque senarium : Taurus, etc. Hic erat poetæ alicujus Tarentini senarius. Nam et Clemens Alexandrinus ejus auctorem facit poetam aliquem εἰδωλικόν : ne quis existimet versum esse incerto auctore vulgatum. Quare nolim pro *Tarentinum* substitui a nonnullis (Meursio) *tritum*. Auctor hujus versus erat fortasse Rhinto, Tarentinus, comicus celeberrimus, ἀρχηγὸς τῆς καλουμένης Ἱλαροτραγῳδίας, inquit Suidas. HERALD. — Meursius scil. et Elmenhorstius legendum putant : *Auctorem desiderabit rei tantæ* (hoc est tam atrocis); *tum illum citabimus tritum*, etc. ORELL.

Taurus draconem genuit et taurum draco. Jul. Firmicus, de Errore prof. rel., cap. 27 (pag. 453, ed. Gronov.) : *Sequitur aliud adhuc symbolum, quod pro magno miserorum hominum credulis auribus traditur : Ταῦρος δράκοντος καὶ δράκων ταύρου πατήρ.* ELMENH. — Conf. locum Clementis allegatum ad caput præcedens, et Sainte-Croix *uber die alten Mysterien*, segm. VI, cap. 4, pag. 286, vers. Lenz. ORELL.

Quibus Sebadiis nomen est. Ita ms. Alii *Sabaziis*. Ed. Lugd. Bat., *Sabadiis*. Sed et Jul. Firmicus, de Errore prof. rel. (pag. 426, ed. Gronov.), ubi de eadem re loquitur, scribit *Sebazius*. Verba ejus sunt : *Sebazium colentes Jovem, anguem, cum initiantur, per sinum ducunt.* Ubi vid. Jo. Wower. Et *Sebadius* etiam apud Macrobium I Saturnal, c. 18 : *Item in Thracia eumdem haberi Solem atque Liberum accipimus, quem illi Sebadium nuncupantes magnifica religione celebrant.* Græce Σαβάζιος. Clemens, p. I. : Σαβαζίων γοῦν μυστηρίων σύμβολον τοῖς μυουμένοις ὁ διὰ κόλπου θεός· δράκων δέ ἐστιν οὗτος, διελκόμενος τοῦ κόλπου τῶν τελουμένων, ἔλεγχος ἀκρασίας Διός. Nam ζ Græcorum a Latinis per *d* efferri, pluribus exemplis ostendunt Valesius, ad Harpocration., p. 100; Salmasius, ad Julii Capitolini Antonin. Pium, c. 9; Script. Hist. August., vol. I, p. 269; Meursius, in Critico Arnob., I. V, c. 8, et interpretes ad Apulei. Met., VIII, p. 574. Ita in Glossis *Trapedias..... mensas* pro *trapezas*, *obridum aurum* apud Isidorum pro *obryzo*, *Ladi* pro *Lazi*, etc. De Deo Sabazio ejusque cultu conf. Selden., de Diis Syris, c. 3, et Sainte-Croix, de Mysteriis vet., l. l.; et Ast. V. Cl. ad Theophrast. Charact. XXVII, p. 255. ORELL.

Dimittitur. Fulv. Ursinus mavult *demittitur*. ORELL.

Consecratis. Quos antea *sacratos* appellavit : *In quibus arcana et tacenda res proditur insinuaturque sacratis.* Apuleius, Milesia XI : *Mane factum est et perfectis solemnibus, processi duodecim sacratus stolis.* Et : *Hanc Olympiacam stolam sacrati nuncupant.* Et *sacrari*, τελεῖσθαι. Interpres Irenæi vetus, I. I, c. 18 : *et quasi mysticum conficiunt cum quibusdam profanis dictionibus iis, qui sacrantur.* Verba Irenæi erant : καὶ μυσταγωγίαν ἐπιτελοῦσι μετ' ἐπιρρήσεών τινων τοῖς τελουμένοις. Et paulo post : *Et hæc quidem profantur ipsi,* B *qui sacrant. Qui autem sacratur, respondet.* Scripserat Irenæus : καὶ ταῦτα μὲν ἐπιλέγουσιν οἱ τελοῦντες· ὁ δὲ τετελεσμένος ἀποκρίνεται. HERALD.

XXII. — *Quantasque ignominias.* Fulv. Ursinus, ed. *quantumque ignominiæ.* Sed nihil mutandum. *Quantas* pro quot, ut paulo ante : *Quantæque insint in partibus pravis turpitudinum scatebræ flagitiorumque*, ubi pro *pravis* equidem legendum suspicor *parvis*, hoc est in minimis partibus eorum mysteriorum : *In den kleinsten Theilen derselben.* Et supra, c. 12 : *O Abdera, Abdera, dares quantas vias mortalibus invidendi*, ubi vide notas. ORELL.

Dii ferant. Ita Meursius et cæteri eum secuti. Antea edebatur *differant.* ORELL.

Quod genus est nullum probri infame, adulterium nullum. Stewechius legendum suspicatur : *Quod genus est nullum probri, infamiæ, adulterium nullum*, C probante Heraldo tamquam propius Arnobianum stylum. ORELL.

Ad mulieris nomen properavit Europa. Mulier facta est, cum esset virgo. Ita *mulier* separata a virgine : quod non solum nostrate lingua usurpamus, sed et Græci olim lingua sua usurparunt. Sic rusticula illa apud Theocritum (Idyll. XXVII) devirginata, virginem venisse ait se, redire mulierem, γυναῖκα.

Παρθένος ἔνθα βέβηκα, γυνὴ δ' εἰς οἶκον ἀφέρπω.

Atque hæc distinctio a vulgo proprie frequentata, et quotidiano loquendi usu quasi sancita. Tertullianus de velandis virginibus : *Sed quoniam ita mulieris nomen usurpant, ut non putent competere illud, nisi ei soli, quæ virum passa sit ; probari a nobis oportet, proprietatem ejus vocabuli ad sexum ipsum, non ad gradum sexus pertinere, quo communiter etiam virgines censeantur.* Arnobius, infra, c. 24 : *Quodam, inquiunt, tempore, cum in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondum mulier flores et adhuc virgo Proserpina.* Optatus Milevitanus, l. II : *Inde revertentes Urbanus* D *Formensis, et Felix Idicensis, invenerunt matres, quas de castimonialibus fecerunt mulieres.* HERALD. Conf. Oudend., ad Apulei. Met., VII, p. 486. ORELL.

Electra. Electra Nympha fuit Oceani et Thetidos filia, quæ a Jove constuprata Dardanum, teste Ovidio (Fast. IV, vers. 49), sive, ut Dionysius Halicarn. (Ant. Lib. I, pag. 49) opinatur, Dardanum et Jasum peperit. NOURR., *pag.* 595.—Atlantis filia, quæ Jovi Dardanum peperit. Virgilius, Æn. VIII, 135, seqq.

Dardanus Iliacæ primus pater urbis et auctor,
Electra, ut Graii perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros : Electram maximus Atlas
Edidit, ætherios humero qui sustinet orbes. ORELL.

Laodamia. Bellerophontis filia, ex qua Jupiter genuit Sarpedonem, Lyciæ regem, ut canit Homerus Il. VI, vers. 197, sq.

Λαοδαμείῃ μὲν παρελέξατο μητίετα Ζεύς,
ἡ δ' ἔτεκ' ἀντίθεον Σαρπηδόνα, χαλκοκορυστήν.
NOURR. *ibid.*

mille matres, cumque illis Catamitus puer pudoris A spoliatus est honestate : eadem ubique est Jupiter fabula, neque ullum turpitudinis genus est, in quo ejus non nomen consociatis libidinibus conseratis : ut videatur miserabilis prorsus nullam non esse causam ob aliam natus, nisi ut esset criminum seges, maledictorum materia, locus quidam expositus, in quem spurcitiæ se omnes scenarum colluvionibus derivarent. Quem tamen si diceretis cum extraneis habuisse commercium fœminis, impia res quidem, sed tolerabilis esset maleactionis injuria. Etiamne in matrem, etiamne in filiam efferati pectoris appetitionibus adhinnivit? neque illum sanctitas, aut reverentia genitricis, horror etiam pignoris ex se sati, ab imagine potuit tam fœdæ cogitationis abducere?

XXIII. Vellem itaque videre patrem illum deorum B Jovem, æternam rerum atque hominum potestatem, bubulis esse cohonestatum cornibus : hirsutas agitantem aures, contractis in ungulam gressibus ruminantem [a] pallentes herbas, et ex parte postica caudæ suffragines, talos molli fimo perlitum, atque intestinorum proluvie delibutum. Vellem, inquam, videre, dicendum est enim sæpius, torquentem illum sidera, et qui pallidas nationes fragore perterret et prosternit, consectantem vervecum greges, inspicientem testiculos arietinos, arripientem hos manu censoria illa atque divina, qua vibrare coruscos ignes, et sævire fulminibus suetus est : tum deinde secreta rimantem ferventi smila, summotisque arbitris circumjectis prolibus diripientem membranulas, ferventique adhuc matri velut quasdam infulas eliciendæ miserationis offerentem; deductum, pallidum, saucium, simulantem doloris cruces, et ad fidem facto facien-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Sab.* Rumigantem *ms.*

COMMENTARIUS.

Catamitus. Vide supr., ad lib. IV, cap. 26. ORELL.

In quo ejus non nomen consociatis libidinibus conseratis. Hæc est lectio vetusta, pro qua alii *consecratis*, Salmasius in ed. Lugd. Bat. *inseratis*. Mihi levissima mutatione et transpositione legendum videtur : *quod non ejus in nomen consociatis libidinibus congeratis.* Sic paulo ante : *adulterium nullum, quod in ejus non caput, velut in aliquam congeratis vilem luteamque personam.* ORELL.

Ut videatur prorsus nullam non esse causam. Meursius legendum putat : *ullam non esse causam.* Sed duplicem negationem interdum more Græcorum negare vehementius docuimus supra ad lib. I, cap. ult. ORELL. C

Criminum seges. Sic emendavit Meursius in Crit. Arnob., lib. V, cap. 8. *Criminum seges*, hoc est, ager quasi, e quo innumera vis criminum progerminat. Eodem sensu *scelerum seges* apud Prudentium in Hamartigen., et *stimulorum seges* ap. Plautum Aulul., act. I, scen. I, vers 6, ubi vid. Taubmann., pag. 142. Antea legebatur *criminum sedes*. ORELL.

In quem spurcitiæ se omnes scenarum colluvionibus derivarent. Editor Lugd. Bat. mutavit : *sentinarum colluvionibus*. Male. Respicit enim Arnobius ad ea, quæ supra dixerat, lib. IV, cap. 35, de Jove ejusque adulteriis in theatris saltatione mimica ab histrionibus repræsentatis. ORELL.

Sed tolerabilis esset maleactionis injuria. Prima Arnobii editio habet *malectionis*, inde Gelenius edidit *maleactionis* : quod cum membranæ tueantur, retinendum puto, neque audiendos (v. c., Th. Canterum), qui *maledictionis* nomen supponunt. Nam æque latina sunt, æque scriptori nostro usurpata *maledictio*, D *maleactio*, *maletractio*. STEWECH.—Fulv. Ursinus ed. *maletractationis*. ORELL.

In filiam....... adhinnivit. Vide supra, ad lib. IV, cap 14. ORELL.

XXIII.—*Patrem illum Deorum Jovem, æternam rerum atque hominum potestatem.* Habet a Virgilio, apud quem Venus, lib. X Æneid., vers. 18.

> O pater, o hominum divumque æterna potestas.

ubi *potestas* pro potente, abstractum pro concreto. Legisse autem videtur Arnobius, ut etiamnum legitur in Codd. et editionibus nonnullis :

> O pater, o hominum rerumque æterna potestas!

Vide Heyne V. S. in Var. Lectt. HERALD. et ORELL.

Ruminantem pallentes herbas. Virgilius, Eclog. VI, 54.

> Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas. HERALD.

Suffragines, talos molli fimo perlitum. Hæc est palmaria emendatio Fulvii Ursini. Editio princeps : *suffragine, talo mollissimo perlitum*, nullo sensu, pro quo Gelenius : *talos mollissimos perlitum.* Stewechius : *talos mollissimo fimo perlitum.* *Suffragines* crurum flexuræ in animalibus, ὧν τὰ σκέλη εἰς τὸ ὄπισθεν κάμπτει, ut ait Aristoteles. Vide Plin., Hist. nat. XI, cap. 45. ORELL.

Tum deinde secreta rimantem ferventi smila. Ita Gelenius. In Romano codice legitur *ferventi nullas*. Neutrum mihi placet : sed quid pro eo substitui debeat, doctioribus judicandum relinquo. CANTER.— Stewechius Gelenii conjecturam approbans *ferventi smila* explicat quasi nimia samiatione (samiare antique pro acuere) calente smila, hoc est scalpello, scalpro, ὀξυτόμῳ κοπίδι. Latini *sicilam* vocabant. Vid. Casaubon., ad Sueton. Vitell., cap. 2, pag. 235, vol. III, ed. Wolfii. Salmasius in ed. Lugd. Bat. edidit : *secreta rimantem illa*, deleto *ferventi*, audacius. Magis placet emendatio Heraldi in Curis secundis refingentis : *secreta rimantem vervecis*. Fortasse scripsit Arnobius : *Secreta rimantem vervecina*, vel : *secreta rimantem vervecis ultima*, hoc est, intima, abditissima, ultra quæ nihil reperiri poterat. At judicent doctiores. ORELL.

Summotisque arbitris, circumjectas prolibus diripientem membranulas. Meursius legendum censet : *summotisque arietis........... prolibus*, quod conspirat cum stylo Arnobii verba sic transponere amantis. Malim tamen retinere lectionem vulgatam et *prolibus* accipere in dandi casu. *Proles* quid sint, supra explicavimus ad cap. VI hujus libri. Pro *diripientem* Stewechius more suo antiquissima et obsoleta vocabula aucupandi legendum suspicatur *diribentem*, quod antiqui dixerunt pro dividere, unde *diribitorium* ea pars domus, qua pueri a reliqua familia secludebantur, vel etiam locus, in quo stipendia militibus persoluta. Vid. Stewech. ORELL.

Velut quasdam infulas. Id est velamenta, quibus utebantur supplices. στέμματα Græci dixerunt, verbi causa, Homerus in notissimo versu Il. I :

> Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

Optimus Homeri interpres Ovidius in Arte :

> Audierat laurumque manu, vittasque ferentem
> Pro nata Chrysem non valuisse sua.

Nam laurus, sive olea et vittæ, seu vittata laurus velamentum. Hinc λευκοστεφεῖς ἱκετηρίαι Æschylo in Supplicibus. Heic igitur apud Arnobium *infulæ* sunt στέμματα, velamenta. Glossæ : *infulæ*.... στέμματα. HERALD.

Offerentem. Id est, porrigentem. Velamina enim sua ad eorum, quibus supplicabant, genua protende-

dam, arietino sanguine coinquinatum, et mendacia A vulneris laneis fasceis, linteolisque contectum. Hoccine audiri, et perlegi sub mundi hoc axe? et eo, qui hæc tractant, existimari se velle pios, sanctos, religionumque custodes? Estne aliquod sacrilegium hoc majus; aut ulla gens inveniri tam irreligiosis potest opinionibus prædita [a], quam quæ talia credit, aut accipit, aut sacrorum intimis in mysteriis, prodit? Jupiter ille, quicunque est, si sentiret se esse, aut si ullo sensu afficeretur injuriæ, nonne digna res esset, propter quam iratus, et percitus terram nostris subduceret gressibus, solis lumina extingueret atque lunæ, quinimmo res omnes in antiquæ speciem confunderet unitatis?

XXIV. Sed non sunt, inquit, reipublicæ nostræ hæc sacra. Quisnam istud dicit, aut quis reponit? B Romanus, Gallus, Hispanus, Afer, Germanus, aut Siculus? Et quid adjuvat causam, si vestra hæc non sunt [b], cum qui ea conficiunt, sint vestrarum partium? aut quid refert, utrumne ea probetis, nec ne: cum quæ vestra sint propria, aut simili [c] fœditate, aut turpitudinis genere reperiantur esse majore? Vultis enim consideremus mysteria et illa divina, quæ Thesmophoria nominantur a Græcis: quibus gente ab Attica sancta illa pervigilia consecrata sunt, et pannychismi graves? Vultis, inquam, videamus, quas origines habeant, quasve causas, ut Athenas etiam probemus, ipsas humanitatis artibus, studiisque pollentes, tam in deos dicere contumeliosa, quam dictitent alii: nec minora ab his probra, quam cæteris objiciantur a vobis, religionis sub specie publicari? Quodam, inquiunt, tempore cum in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondum mulier flores, et adhuc virgo Proserpina: cumque illam per floream

LECTIONES VARIANTES.

[a] Prædicata *ms*.
[b] Sint *Sab*.
[c] Aut in simili *ms*.

COMMENTARIUS.

bant; immo quandoque deponebant. Euripides, Iphygen. in Aul., 1216:

Ἱκετηρίας δὲ γούνασιν ἐξάπτω σέθεν.

Etiam aras ipsas, ad quas confugerant, velabant ut hac eas ratione sanctas magis et inviolatas efficerent. Idem in Heraclidis:

Ἱκέται κάθηνται παῖδες οἵδ' Ἡρακλέους,
Βωμὸν καταστέψαντες, ὡς ὁρᾷς, ἄναξ.

HERALD.

Aut ulla gens inveniri tam irreligiosis potest opinionibus prædita. Stewechius inducit *tam*, cujus omissionis plura quidem exempla in illius ævi scriptoribus Nolim tamen quidquam mutare. ORELL.

Qui nimmo res omnes in antiquæ speciem confunderet unitatis. Hoc est *uniformitatis* (ut barbare loquuntur), in qua nullæ partes variarum figurarum discerni possent. Videtur Arnobius hoc loco respexisse ad locum illum Ovidii notissimum Met. I, vers. 6, ubi eodem modo describitur Chaos:

Unus erat toto Naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos. ORELL.

XXIV. — *Sed non sunt, inquit, Reipublicæ nostræ hæc sacra. Inquit* pro *inquiunt* (quod Fulv. Ursinus conj.) ex editione principe rectissime revocavit Heraldus. De qua loquendi ratione supra jam aliquoties observatum. ORELL.

Thesmophoria. De his sacris, quæ celebrare fœminis solummodo licebat, exclusis viris, vid. Meurs., in Græcia Feriata, et St. Croix, *über die alten Mysterien*, segm. VI, cap. I, pag. 236, seqq. Cæterum in his et sequentibus Arnobius Thesmophoria confundit cum Eleusiniis. Nam quæ in sequentibus refert de mysteriorum illorum origine et apparatu omni, hæc omnia ad Eleusiniorum religionem pertinent, ut pluribus ostendit Salmasius ad Solin., pag. 527. Contra Clemens, quem in toto hoc loco ad verbum pene exscripsit, bene distinguit τὰ Ἐλευσίνια ἀπὸ τῶν Θεσμοφορίων, ut mox videbimus. ORELL.

Pervigilia consecrata sunt, et pannychismi graves. Sic emendavit Gelenius monstrum lectionis editionis primæ: *et phanniciis migrave*, cui nullus inest sensus. Nec abhorret hæc emendatio ab Arnobii stylo unam rem eamdemque pluribus verbis exprimentis. Nam *privilegium* et *pannychismus* unum idemque Glossæ: *pervigilium* — παννυχισμὸς, καὶ ἡ διὰ νυκτὸς ἀγρυπνία. *pannychismi graves* itaque essent pannychismi sacrosancti, *die heiligen, mystischen Nächte*. Vide Sainte-Croix, l. l., Segm. V. cap. IV. p. 203. Fulv. Ursinus edidit: *Pervigilia consecrata sunt et pannychia? Ni grave Vultis*. Id est, nisi grave est, vultis, etc. Heraldus legendum conjicit: *Pervigilia consecrata sunt et pannychismi migravere*, hoc est, profecti sunt, a gente scil. attica. Sed si ita legamus, sensus exit plane alienus ab eo quod dicere voluit Arnobius, nimirum alias nationes ab attica gente mutuatas fuisse nocturna hæc sacra. Atque *migravere pannychismi* significaret exularunt, aboliti in attica gente, atque ad alias sunt translocati, quod autem repugnat historiæ. Novimum enim, eleusinia sacra usque ad Theo- C dosii tempora perdurasse. Mihi Codicis lectio depravatissima, *phannyciis migrare*, dubitationem subjecit, annon fortassis scripserit Arnobius: *quibus gente ab attica sancta illa pervigilia consecrata sunt et phallica miracula*, hoc est, turpe phallorum spectaculum, quo sensu *miraculum* occurit capite sequenti: *ludibriorum statuit exhilarare miraculis*, ut mox videbimus. Phallorum publicatio in eleusiniis notissima. vide Sainte-Croix, l. l., pag. 194, vers. Lenz. ORELL.

Athenas....... humanitatis artibus studiisque pollentes. Propertius, lib. II, eleg. VI.

At mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas.

Lib. III, eleg. XXI:

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.

Valerius Maximus, lib. IV, cap. 3.: *Licet Athenæ doctrina sua glorientur*. ELMENH. Locutiones *pollere doctrina, studiis, eloquiis*, pluribus exemplis illustrat Savaro ad Sidon. lib. V, epist. I, pag. 318.

D Et hic ante oculos habuit Arnobius Clementis verba: Καίτι θαυμαστὸν, εἰ Τυῤῥηνοὶ οἱ βάρβαροι αἰσχροῖς οὕτω τελίσκονται παθήμασιν, ὅπου γε Ἀθηναίοις καὶ τῇ ἄλλῃ Ἑλλάδι, αἰδοῦμαι λέγειν, αἰσχύνης ἔμπλεως ἡ περὶ τὴν Δηὼ μυθολογία, etc. ORELL.

Quam dictitent alii. Ita Stewechius e msto, verissime. Alii: *dictent*. ORELL.

Quodam, inquit, tempore, cum in Siciliæ pratulis, etc. Vide Firmic., de Errore prof. Rel., (pag. 419 seqq. ed. Gronov.) Appollodorus, Bibl., lib. I; Hygin., fab. 146; Diodorus. Sic., Biblioth., lib. I, pag. 287 (Rhodom.) Ovidius, lib. IV Fast., 420—620 (qui locus elegantissimus). ELMENH.

Nondum mulier.... et adhuc virgo. Stewechius e cod. msto reposuit *virago*. Non male. Sic infra cap. 37: *In nemore, inquit, Hennensi quondam flores Proserpina lectitabat*. Et eodem capite: *quæ virago jamdudum florum in lectionibus habebatur. Virago* propric mulier fortis, quæ viro similis sit et virilia

messem huc atque illuc passim lectionis cupiditas avocaret, per profundæ altitudinis specum rex prosiliens Manium, raptam virginem secum vehit, et terrarum absconditur successibus rursus. Quod cum factum nesciret Ceres, nec filia esset ubinam gentium, suspicaretur, intendit animum perditam toto in orbe conquirere: sumit faces geminas flammis comprehensas Ætneis, quibus sibi prælucens, pergit ire quæsitum terrarum in regionibus cunctis.

XXV. In istius conquisitionis errore eleusinos A etiam pervehitur fines; pagi istud est nomen regione in Attica constituti: qui illud temporis has partes incolebant terrigenæ, quibus nomina hæc fuerant: Baubo, Triptolemus, Eubuleus, Dysaules, Eumolpus, boum jugator Triptolemus, capellarum Dysaules custos, Eubuleus porcorum, gregis lanitii Eumolpus: a quo et gens fluit Eumolpidarum, et ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, et qui postea floruerunt Caduceatores, Hierophantæ, atque Præ-

COMMENTARIUS.

opera faciat, græce ἀντιάνειρα, proprium epitheton Minervæ et Dianæ. Vide Serv. ad Virgil.; Æn. XII, 468. Sed Arnobius etiam de Proserpina usurpat, B quæ virgo, κόρη, κατ' ἐξοχὴν appellatur a veteribus. Meursius mavult: *sed adhuc virgo*. ORELL.

Per profundæ altitudinis specum. Similiter Lactantius Inst., lib. VI, cap. 4: *Ut non ante quis fraudem perspicere possit, quam præcipitatus in altitudinem profundam cadat*. Ubi hanc loquendi rationem pluribus exemplis illustrat L. Bunemann., p. 713, seq. Alii legunt: *per profundæ altitudinis speluncam*. ORELL.

Successibus. Vide ad lib. I, cap. 50. ORELL.

Sumit faces geminas flammis comprehensas Ætneis. Sic emendarunt Fulvius et Gelenius. Infra cap. 35: *Quid sumptus ignis ex Ætna, comprehensæque isto faces?* Editio princeps habet: *faces geminas flammis onere pressas Ætneis*, nullo sensu. Herald. Conf. Ovid., Met., V. 438. ORELL.

XXV.— *In istius conquisitionis errore eleusinios etiam pervehitur fines, etc.* Clemens (in Protrept., p. 16. ed. Potter.): Ἀλωμένη γὰρ ἡ Δηὼ κατὰ ζήτησιν τῆς θυγατρὸς τῆς Κόρης, περὶ τὴν Ἐλευσῖνα (τῆς Ἀττικῆς δέ ἐστι τοῦτο τὸ χωρίον) ἀποκάμνει, καὶ φρέατι C ἐπικαθίζει λυπουμένη. Τοῦτο τοῖς μυουμένοις ἀπαγορεύεται εἰσέτι νῦν, ἵνα μὴ δοκοῖεν οἱ τετελεσμένοι μιμεῖσθαι τὴν ὀδυρομένην. ᾤκουν δὲ τηνικάδε τὴν Ἐλευσῖνα οἱ γηγενεῖς· ὀνόματα αὐτοῖς Βαυβώ, Δυσαύλης καὶ Τριπτόλεμος· ἔτι δὲ Εὔμολπός τε καὶ Εὐβουλεύς. Βουκόλος ὁ Τριπτόλεμος ἦν· ποιμὴν δὲ ὁ Εὔμολπος· συβώτης δὲ ὁ Εὐβουλεύς· ἀφ' ὧν τὸ Εὐμολπιδῶν καὶ τὸ Κηρύκων, τὸ ἱεροφαντικὸν δὴ τοῦτο, Ἀθήνησι γένος ἤνθησεν. CANTERUS.

Qui illud temporis has partes incolebant, terrigenæ, etc. Legendum videtur: *Atque illud temporis*. ᾤκουν τηνικάδε τὴν Ἐλευσῖνα οἱ γηγενεῖς, ait Clemens Alexandrinus. HERALDUS.

Baubo. Missam vocat Nicander Alexipharm., 130, seqq. et Antonin. Liberal. Metamorph., cap. XXIV; ubi vid. Verheyk. pag. 107, ed. Teucher. Auctor Hymni in Cererem, qui Homero tribuitur, Cererem dicit a Metanira, Celei eleusinii conjuge, primum recreatam potu, postquam ab Iamba, Metaniræ famula, exhilarata esset, vers. 197—208. Conf. D Schott. ad Procli Chrestomath. Poet. pag. 30. Gierig. ad Ovid. Met. v. 447. ORELL.

Boum jugator Triptolemus. De Triptolemo locus classicus est Xenophontis Hellen. VI, 3, § 6: Ἐπεὶ λέγεται μὲν Τριπτόλεμος, ὁ ἡμέτερος πρόγονος, τὰ Δήμητρος καὶ Κόρης ἄῤῥητα ἱερὰ πρῶτος ξένοις δεῖξαι, Ἡρακλεῖ τε, τῷ ὑμετέρῳ (Λακεδαιμονίων) ἀρχηγέτῃ, καὶ Διοσκούροιν, τοῖν ὑμετέροιν πολίταιν, καὶ τοῦ Δήμητρος δὲ καρποῦ εἰς πρώτην την Πελοπόννησον σπέρμα δωρήσασθαι. Servius ad Georg. I, 19: *Triptolemus frumenta divisit. Quod munus ei Ceres dedit propter humanitatem patris Icari* (lege *Rhari*, ex emend. Ruhnkenii ad Homer., hymn. in Cerer., pag. 53), *qui eam, cum Proserpinam raptam in conjugiunda Plutone quæreret, in Attica suscepit hospitio*. Conf. Pausan., att, pag. 13. (Sylb.) Hygin., fab. 227. Hesych., verb. Ῥάρον. Suid., verb. Ραριάς. ORELL.

Triptolemus, Eubuleus, Dysaules, Eumolpus: boum jugator Triptolemus, capellarum Dysaules custos, Eubuleus porcorum, gregis lanicii Eumolpus. Sic e Codice msto supplevit Salmasius. Celebratissima autem hæc in Mysteriis eleusiniis nomina. Vide Sainte-Croix, pag. 108, seq. versionis Lenzii. Pro *Eubuleus*, Εὐβουλεύς, quod Meursius restituit, priores editores habent *Euboleus*, male. Eubuleus frater Triptolemi, Dysaules pater, teste Pausania, lib. I, cap. 14, qui tradit, eos a Cerere frumenta serendi rationem accepisse, quod ex illis primum filiæ raptum cognovisset. ORELL.

A quo et gens fluit Eumolpidarum. In romano Codice legitur: *gens et fluit*, unde suspicor legendum: *gens effluit*. Sic infra: *causæ atque origines effluunt*. CANTER. Ita et Fulv. Ursinus. Hesychius: Εὐμολπίδαι..... οὕτως οἱ ἀπὸ Εὐμόλπου ἐκαλοῦντο, τοῦ πρώτου ἱεροφαντήσαντος. πολλοὶ γὰρ γεγόνασιν ὁμώνυμοι Εὔμολποι. HERALD. Conf. Meurs., Eleusin., cap. 13. ORELL.

Et qui postea floruerunt caduceatores, hierophantæ atque præcones. Videtur caduceatores et præcones appellare τοὺς κήρυκας, atque his duobus vocabulis vocem græcam exprimere voluisse. Sed cum hierophantas interserat, sane suspicio est, *caduceatores* C illum a præconibus distinguere voluisse. Quare existimo, caduceatores hic eos appellari, qui in his sacris σπονδοφόροι dicebantur, quos etiam cum præconibus conjungit Pollux: ἱεροφάνται, δᾳδοῦχοι, κήρυκες, σπονδοφόροι. Et certe σπονδοφόροι sunt caduceatores. Clemens Alexandrinus Protreptico: ὁ σπονδοφόρος καὶ διαλλακτήρ, καὶ σωτὴρ ἡμῶν λόγος. HERALD. Atqui σπονδοφόροι sunt sacerdotes libationes offerentes, ut liquet ex laudato Pollucis loco, lib. I, cap. 1, Segment. 35. Conf. Sainte-Croix, pag. 145, vers. Lenzii. Videtur itaque prior explicatio præferenda. ORELL.

Hierophantæ. Hesychius: ἱεροφάντης... μυσταγωγός, ἱερεὺς ὁ τὰ μυστήρια δεικνύων. Nempe ὁ τὰ ἱερὰ φαίνων, qui sacra et symbola τοῖς τελουμένοις ostendebat. Plutarchus in Alcibiade: Ἀπομιμούμενον τὰ μυστήρια, καὶ δεικνύοντα τοῖς ἑαυτοῦ ἑταίροις ἐν τῇ οἰκίᾳ τῇ ἑαυτοῦ, ἔχοντα στολήν, οἵανπερ ἱεροφάντης ἔχων δεικνύει τὰ ἱερά. Atque hic erat cæterorum sacerdotum antistes. D Ait Plutarchus in Numa Pompilio, Pontificem Maximum apud Romanos eum obtinuisse inter sacerdotes locum, quem προφήτης, vel ἐξηγητής, aut potius, inquit, ἱεροφάντης obtinebat apud Græcos: ὁ δὲ μέγιστος τῶν Ποντιφικῶν, οἷον ἐξηγητοῦ, καὶ προφήτου, μᾶλλον δὲ ἱεροφάντου τάξιν ἐπέχει. Ergo prophetæ et hierophantæ idem erat officium. Sed hoc videtur fuisse discrimen, quod hierophanta ὁ φαίνων τὰ ἱερά, quatenus officio fungebatur, erat etiam προφήτης, quatenus scil. mysticam religionem explanabat: at vero subjectos etiam habebat προφήτας καὶ ἐξηγητάς, quorum opera quandoque utebatur, quorumque officium erat siparia reducere, simulacrum initiatis ostendere, et ea interpretari, quæ in mysteriis obscura sunt. HERALD. Conf. Sainte-Croix, l. l., segm. IV, cap. 1, pag. 132. ORELL.

Præcones. Harpocration: Κήρυκες γένος ἐν Ἀθήναις ὠνομασμένον ἀπὸ κήρυκος Ἑρμοῦ. Diodorus Siculus libro I. ait, Cerycas similes esse Ægyptiorum pastophoris: Eumolpidas autem Ægyptiorum sacerdo-

cones. Igitur Baubo illa, quam incolam diximus eleusini fuisse pagi, malis multiformibus fatigatam accipit hospitio Cererem : adulatur obsequiis mitibus : reficiendi corporis rogat curam ut habeat : sitienti adoris oggerit potionem cinnum, cyceonem quam nuncupat Græcia : aversatur, et respuit humanitatis officia mœrens dea, nec eam fortuna perpetitur valetudinis meminisse communis. Rogat illa, atque hortatur contra, sicut mos est in hujusmodi casibus, ne fastidium suæ humanitatis A assumat : obstinatissime durat Ceres, et rigoris indomiti pertinaciam retinet. Quod cum sæpius fieret, neque ullis quiret obsequiis ineluctabile propositum fatigari, vertit Baubo artes, et quam serio non quibat allicere, ludibriorum statuit exhilarare miraculis. partem illam corporis, per quam secus fœmineum et sobolem prodere, et nomen solet acquirere generi, eam longiore ab incuria liberat, facit sumere habitum puriorem, et in speciem levigari nondum duri atque stricul pusionis : redit ad

COMMENTARIUS.

tibus : atque rem inde Athenas fuisse translatam. Ceryces igitur constituebant quasi sacrosanctum aliquod collegium. Eumolpidæ autem sacerdotes erant. Herald. — Intelligit Arnobius sine dubio Hieroceryces, quorum erat tertia dignitas in elensiniis post Hierophantas et δᾳδούχους. Vid. Sainte-Croix, lib. i. Orell.

Igitur Baubo illa, etc., etc. Hunc locum pene ad verbum expressit ex Clemente Alexandrino Arnobius noster. Clementis verba hæc sunt (in Protrept., pag. 17, ed. Potteri) : Καὶ δὴ (οὐ γὰρ ἀνήσω μὴ οὐχὶ εἰπεῖν) ξενίσασα ἡ Βαυβὼ τὴν Δηὼ, ὀρέγει κυκεῶνα αὐτῇ· τῆς δὲ ἀναινομένης λαβεῖν, καὶ πιεῖν οὐκ ἐθελούσης· πενθήρης γὰρ ἦν· περιαλγὴς ἡ Βαυβὼ γενομένη, ὡς ὑπεροραθεῖσα δῆθεν, ἀναστέλλεται τὰ αἰδοῖα, καὶ ἐπιδεικνύει τῇ θεῷ· ἡ δὲ τέρπεται τῇ ὄψει ἡ Δηώ. καὶ μόλις ποτὲ δέχεται τὸ ποτὸν, ἡσθεῖσα τῷ θεάματι. Ταῦτ' ἔστι τὰ κρύφια τῶν Ἀθηναίων μυστήρια· ταῦτά τοι καὶ Ὀρφεὺς ἀναγράφει. Canter.

Sitienti adoris oggerit potionem cinnum. Sic edidit Salmasius ad vestigia Cod. ms. qui habet *sitienti adori*, unde alii fecerunt *sitienti ardori*; hujusque emendationis rationem reddit in Exercitt. Plinianis, in Solin., pag. 232. *Potio adoris* est cyceon, cui ador sive polenta vel hordei tosti farina erat admixta. Vid. Fest. et Nonius, hoc vers. Quæ correctio confirmatur etiam locis Ovidii et Antonini Liberalis, ubi eadem tractatur fabula. Sic ille Met. v, 449, seq.:

> Prodit anus, Divamque videt, lymphamque roganti
> Dulce dedit, tosta quod coxerat ante polenta.

Liberalis autem Met., cap. 24 : καὶ αὐτὴν ὑπὸ πολλοῦ καύματος ὑποδέχεται Μίσμη, καὶ διδοῖ ποτὸν ὕδωρ, ἐμβαλοῦσα γλήχωνα καὶ ἄλφιτον εἰς αὐτό. Ubi vid. Verheyk. Conf. Scholiast. Euripid. Orest., ad vers. 962. Vulgata lectio *sitienti ardori* defendi quidem posset verbis illis ex capite ii, ejusdem libri de Fauno et Pico : *Sitis aliquando ardore siccatos, atque ut æstum possent irrigare venarum, fluenta isse per fontium.* Sed longe præfero emendationem Salmasii talibus auctoritatibus fultam. Orell.

Cinnum, cyceonem quam nuncupat Græcia. Nonius, verbo *concinnari* : *Cinnus potionis genus ex multis liquoribus confectum dici solet.* Græci cinnum vocant κυκεών. Hesych. et Suidas in κυκεών. Eustath. in Homeri Il. λ. Elmenh. — Potio confecta e tosta polenta, melle, vino floribus herbisque variis. Vid. Heins. et Burmann., ad Ovid., lib. i; Munker. ad Lactant. Argum.; Delrio, ad Senec. Hercul. Œt., vers. 1097; Fischer. Ind. Theophrasti h. v. Verheyk. ad Antonin. Liberal., loco citato; et imprimis doctissimum Creuzer. in comment. i, de Causis rerum bacchicarum, pag. 50. *Cocetum* vocat Tertullianus adv. Valentinianos, cap. 12. *Cinnum* restituit Canterus ex ms. Alii *cynum*, male. Orell.

Nec eam fortuna perpetitur valetudinis meminisse communis. Ita Gelenius et Heraldus in Curis ii., sequentibus cæteris. Editio princeps : *fortunam*, nullo sensu. Orell.

Ne fastidium. Cod. ms.: *ane.* Legendum fortasse : *anus ne.* Herald., *in Curis* ii.

Ineluctabile propositum. Quo quis dimoveri nequeat, ut bene explicat C. Barthius, ad Stat. Theb., v, 45, vol. iii, pag. 30. Orell.

Ludibriorum statuit exhilarare miraculis. Festus : *Miracula, quæ sunt digna admiratione, dicimus, antiqui in rebus turpibus utebantur.* Ubi vid. intpp. Conf. B quæ observavimus ad Caput præcedens et Meursium, lib. v, cap. 9. Orell.

Partem illam corporis, per quam secus fœmineum et sobolem prodere et nomen solet acquirere generi, eam longiore ab incuria liberat. Ita reposuit ex ms. Lud. Carrio. Antea legebatur ; *Per quam sexus fœmineus.* Vide supra ad lib. i, cap. 59. Behotius, in Apophoretis, lib. iii, cap. 5 legendum censet : *Parte illa corporis...... eam* (scil. Cererem) *longiore ab incuria* (ἀθυμία) *liberat*, male, ut mox videbimus. Verba : *Et nomen solet acquirere generi, eam longiore ab incuria liberat*, dedi ex emendatione Gelenii. Cod. ms. habet : *Generi, cum longiore*, etc. Stewechius edidit : *genericum; longiore*, etc. Salmasius : *Nomen generi, tum longiore.* Quid sit *eam partem ab incuria liberare*, ignorare se fatetur Stewechius, pro *incuria* substituens *interula.* At explicat id nobis Artemidorus in loco simillimo Oneirocrit. lib. i, cap. 41 : C Τὸ δὲ λάσιον...... γυναιξὶ χηρείαν μαντεύεται, ἀμελέστερον γὰρ διάγουσι καὶ δασύνονται, ἐπειδὰν μὴ παρῇ δι' ὃν ἀσκοῦσι τὰ σώματα. Ubi vid. Rigalt., pag. 25, vol. ii, ed. Reiff. Partem itaque illam *ab incuria*, hoc est, ἀπὸ τοῦ λασίου, liberat Baubo, pilis in ea silvescentibus vel evulsius, vel detonsis novacula. Igitur maximopere fallitur Behotius verba *eam...... ab incuria liberat* ad Cererem referens. Nam ita si interpretemur, omnia fiunt luxata ac conturbatissimus verborum ordo. *Partem illam...... eam*, etc. scitus est pleonasmus. Similiter Plautus Pseudolo, act. i, scen. v, vers. 114 : *Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit, eam circumducam lepide lenonem.* Livius, lib. i, cap. 19 : *Regno ita potitus urbem novam conditam vi et armis, jure eam legibusque et moribus de integro condere parat.* Iterumque, de Lucretia, lib. i, cap. 58 : *Cultrum quem sub veste habebat, eum in corde defigit.* Quæ loca citavit Gronovius Obss., lib. i, cap. 22, quem virum doctissimum in toto hoc loco illus- D trando et explicando consentire mecum, magno cum gaudio animadverti, cum jam observationes hasce chartæ tradidissem. De v. *sylvescere* et similibus in *asco*, *esco*, *isco* desinentibus multus est Dresemius ad Jos. Iscan., de Bello Trojan. i, vers. 7, pag. 4, ed. Perizonii. Sed jam manum tollo ab rebus hisce obscænis ac turpibus. Orell.

Facit sumere habitum puriorem. Behotius legendum censet : *vadit sumere habitum*, de veste accipiens. Sed hæc verba cum præcedentibus esse conjungenda, sequentia *et in speciem levigari*, etc., aperte ostendunt. Sensus itaque est : *facit sumere* (eam scil. partem) *habitum* (hoc est, adspectum, vultum) *puriorem.* Orell.

Et in speciem levigari nondum duri atque striculi pusionis. Duri, id est, hirti et pilosi. Sic Juvenalis, sat. ii, 11 :

> Hispida membra quidem et duræ per brachia setæ

deam tristem, et inter illa communia, quibus moris est A frangere ac temperare mœrores, retegit se ipsam: atque omnia illa pudoris loca revelatis monstrat inguinibus: atque pubi affigit oculos diva, et inauditi speciе solaminis pascitur. Tum diffusior facta per risum, aspernatam sumit atque ebibit potionem: et quod diu nequivit verecundia Baubonis exprimere, propudiosi facinoris extorsit obscœnitas.

§ XXVI. Calumniari nos improbe si quis forte hominum suspicatur, libros sumat Threicii vatis, quos antiquitatis memoratis esse divinæ: et inveniet nos nihil neque callide [a] fingere [b], neque quo sint risui deum quærere atque efficere sanctitates: ipsos namque in medio ponamus versus quos Calliopes filius ore edidit græco, et cantando per sæcula generi [c] publicavit humano:

Sic effata, sinu vestem contraxit ab imo,
Objecitque oculis formatas inguinibus res,
Quas cava succutiens Baubo manu [d], nam puerilis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Calide *Sab.*
[b] Effingere *Fulv.*
[c] *Juri Sab.* pessime.
[d] Succutiens quas Baubo cava manu *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Promittunt atrocem animum.

et Sidonidus Apollinaris, lib. I, epist. II: *Dura brachia*, hoc est, setis aspera, ubi vide Savaron., pag. B 12. Pro *striculi* Meursius reponit *istriculi* e glossis Philoxeni, ubi *istriculus* exponitur δασύπρωκτος. Sed ut *Spanus* pro Hispanus, *Spalis* pro Hispalis, *strio* pro histrione, ita etiam *strix* pro hystrix (vid. Grot., ad Martian. Capell., lib. VI, pag. 201), et *striculus* pro hystriculus, ὑποκοριστικὸν, ab hystrix, quasi parvus hystrix, cujus animalis nota pilorum densitas et asperitas. Eodem sensu *ericium* pro hirsuto et hispido dicit Varro apud Nonium. *Nondum striculus pusio* est, itaque nondum pilis vestitus. Vide, qui de hoc verbo multus est, Salmasium ad Tertullian., de Pallio, pag. 241, seq., et ad Script. Hist. August., vol. I, pag. 219 et 258. Orell.

Redit ad deam. Cod. ms. habet *redita*, unde Stewechius fecit: *Redit ita ad Deum*, non male. Orell.

Atque pubi affigit oculos diva. *Atque* veteribus sonasse *illico*, *confestim*, significatione temporis, demonstratum est a me lib. I, de Particulis linguæ lat., ubi hæc Plauti Menæchmis explicavi: *Nam ego quidem postquam illam dudum tibi dedi, atque abii ad forum*. C Cicero, lib. II de Legg.: *Si in jus vocet, atque eat*. Virgilius, lib. I Georg., 203:

. . . . Si brachia forte remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.

Si lubet, vide et Nonium et Agellium, lib. X, cap. 29. Stewech. — Conf. J. Fr. Gronov., ad Liv., lib. XXVI, cap. 39; Heyn., V. S., ad Virgili lib. I. Ingratissima quidem est repetitio τοῦ, *atque*, sed Arnobio, scriptori parum polito, facie condonanda: nisi in præcedentibus verbis *atque omnia illa pudoris loca*, etc. pro *atque* malimus legere *adeoque*. *Pubes* pro parte pudenda, ut sæpius. Virgil., Æn. III, 427:

Prima hominis facies et pulchro corpore virgo
Pube tenus. Orell.

XXVI. — *Threicii vatis*. Orphei, quem *vatem* appellat Arnobius, non tantum poetam, sed etiam μυσταγωγὸν significans, quia τὰς Θεῶν τελετὰς. D Deorum cerimonias, instituisse fertur, teste Pausania in Bœoticis, Tatiano Cohort. adv. gentes initio et aliis. Orell.

Et cantando per sæcula generi publicavit humano. *Cantando* est dativus gerundii pro *ad cantandum*, nisi malimus legere: *quos cantandos per sæcula*, etc. Orell.

Sic effata, etc. Versus hos transtulit Arnobius ex Clemente Alexandrino, apud quem in Proptrept., pag. 17, ed. Potteri, et iisdem fere verbis apud Eusebium in Præparat. Evangel., lib. II, cap. 5, ita leguntur:

Ὣς εἰποῦσα, πέπλους ἀνεσύρετο, δεῖξε δὲ πάντα
Σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον· παῖς δ' ἦεν Ἴακχος,
Χειρί τέ μιν ῥίπτασκε γελῶν Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις.
Ἡ δ' ἐπεὶ οὖν μείδησε θεὰ, μείδησ' ἐνὶ θυμῷ,
Δέξατο δ' αἰόλον ἄγγος, ἐν ᾧ κυκεὼν ἐνέκειτο.

In quorum versuum vel lectione vel sententia constituenda multum et forte plus satis elaborarunt viri docti, v. c., Dan. Heinsius ad Clementem, Paul. Leopardus Emendd. lib. VI, c. 25 (in Gruteri *Lampade*, vol. III, pag. 125, seqq.) Salmasius, ad Solinum, pag. 527, seq.; Jo. Cornel., de Pauw. ad Anacreont., pag. 181, et Jo. M. Gesner., ad Orphei Fragmentum XVI, pag. 475, ed. Hermanni. Nos in re turpi et obscœna brevitati studentes ea solummodo adferemus quæ ad Arnobium illustrandum et emendandum proxime spectant. Ante omnia monendum, Arnobium carminis hujus Orphici paraphrasin potius quam strictam interpretationem dedisse, vel potius illos versus aliter legisse, ac Græca habent Eusebii et Clementis exemplaria. Iacchi enim, cujus Orpheus meminit vers. 2, apud nostrum nulla mentio. Et omnino Orphica sonant multo verecundius et honestius quam Arnobiana. Quare probabilis est sententia Dan. Heinsii, homines religiosos, quos verborum pudebat, versus hos interpolasse, Arnobium autem vera et genuina poetæ Græci verba ita legisse:

Ὣς εἰποῦσα, πέπλους ἀνεσύρατο, δεῖξε δὲ πάντα
Σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον, παιδήϊον ἄνθος.
Χειρί τέ μιν ῥίπτασκεν ἑῇ Βαυβὼ ὑπὸ κόλποις.
Ἡπίη οὖν μείδησε θεὰ, μείδησ' ἐνὶ θυμῷ,
Δέξατο δ' αἰόλον ἄγγος, ἐν ᾧ κυκεὼν ἐνέκειτο.

Sed jam singula videbimus. Orell.

Sic effata sinu vestem contraxit ab imo. Sic habet editio Lugd. Bat., e correctione Dionys. Lambini ad Lucret., lib. VI, pag. 784. Alii: *Sic effata simul*, etc. Orell.

Objecitque oculis formatas inguinibus res. Ita expressit Arnobius verba græci poetæ: σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον. Nam talis παρατιλμὸς, qui, *teste* Suida, in deliciis fuit Atheniensibus antiquis, *inverecundæ* mulieris nota. Vide Aristoph., in *Lysistrata*. *res* sensu obscœno. Vide supra. ad lib. III, cap. X, et lib. V, cap. 11. Orell.

Quas cava succutiens Baubo manu. Syllabarum quantitati in hoc versu neglectæ variis conjecturis succurrere conati sunt viri docti. Dan. Heinsius legendum censet: *Quas cava succutiens Baubus manus*, etc., *manu* nominativus Lucretio frequentatissimus pro *manus*. Joannes Auratus mavult: *Quas cava succutiens Bacchi manu*, exprimere volens verba Orphici carminis.... παῖς δ' ἦεν Ἴαχχος· Χειρί τέ μιν ῥίπτεσκε, etc., ut sensus sit, puerum Iacchum sive Bacchum, quem Ceres lactaverat, Baubus pudenda contrectavisse. Sed, ut rectissime docet Heraldus, nihil est mutandum. Numeri enim neglecti apud illius ævi poetas innumera exempla exstant. Quod Orpheus uno verbo ῥιπτάσχειν exprimit, id Arnobius reddidit tribus verbis, *succutere, plaudere, contrectare*. Orell.

Ollis vultus erat, plaudit, contrectat amice.
Tum dea defigens augusti luminis orbes,
Tristitias animi paulum mollita reponit :
Inde manu poclum sumit, risuque sequenti
Perducit totum cyceonis læta liquorem.

Quid Erichtheo sati, quid cives Minervii dicitis? Avet animus scire, quibus sitis eloquiis tam periculosa negotia defensuri, vel artibus habeatis, quibus tam confessis salutem dare personis, vulneribus, atque causis. Non est ista falsa suspectio, nec delatione appetimini calumniosa : Eleusiniorum vestrorum notas et origines producunt turpes [a], et antiquarum elogia litterarum : ipsa denique symbola, quæ rogati sacrorum in acceptionibus respondetis : « Jejunavi, atque ebibi cyceonem : ex cista sumpsi, et in calathum misi, accepi rursus, in cistulam transtuli. »

A XXVII. Ergone, ut promunt sancta illa atque arcana mysteria, rapiuntur, et rapiunt dii vestri? matrimonia copulant fraudibus appetita furtivis? a repugnantibus, et invitis decus virginitatis eripitur? imminentes nesciuntur injuriæ, quidnam raptis acciderit, ignoratur? amissi quæruntur ut homines : et sub sole clarissimo cum lucernis et facibus orbis peragrant vastitatem? afficiuntur, ægrescunt, lugentium sumunt sordes, et miseriarum insignia, atque ut animum commodare alimoniis possint, victuique sumendo, non ratio, non tempus, non sermo aliquis adhibetur gravis, aut affabilitas seria, sed propudiosa corporum monstratur obscœnitas, objectanturque partes illæ, quas pudor communis abscondere, quas naturalis verecundiæ lex jubet : quas inter aures cas-
B tas sine venia nefas est, ac sine honoribus appellare

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Sab.* Produnt urbes *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Nam puerilis Ollis vultus erat. Ita ex ms. reg. reposuit Heraldus, rectissime. *ollis*, scil. rebus, vel partibus, quas Baubo *fecerat sumere habitum puriorem et in speciem levigari nondum duri atque striculi pusionis.* Antea legebatur *olli.* ORELL.

Contrectat amice. Hoc est, leniter palpat. ORELL.

Mollita. Græce ἠπίη. Ita enim legendum in versu 410 orphici carminis pro Ἡ δ' ἐπεί. Ἤπιος i. q. πρᾶος, interprete Hesychio. DAN. HEINS.

Poclum. Ita *gubernaclum* ap. Virgilium, *serracla*, *vernacli*, *fiblæ*, *fiblatoria*, pro serracula, vernaculi, fibulæ, etc., et alia sexcenta. Vid. Salmas., ad Script. Hist. Aug., vol. I, pag. 871. ORELL.

Perducit totum cyceonis læta liquorem. Perducit, id est, ebibit. Juvenalis, sat. VI, 427 :

. . . . De quo sextarius alter
Ducitur ante cibum.

et Plautus, Amphitryon., act. I, scen. I, ME. : *Cadus erat : inde implevi hirneam.* SOS. : *ingressus est.* ME. : *Eam ego ut matre fuerat natum vini eduxi meri* STEWECH. et ELMENH. — Non solum *ducere* et *perducere* ita usurparunt, sed etiam *trahere.* Seneca in Agamemnone :

Merumque in auro veteris Assaraci trahunt.

Sic ἕλκειν et σπᾶν Græcis, v. c. Aristophani et Athenæo. HERALD. — Conf. Lambin., ad Lucret., lib. VI, pag. 784; L. Bunemann., ad Lactant. Inst., lib. VII, cap. 27, pag. 993, et Jo. Rhod., in lexico scriboniano, hoc verbo. ORELL.

Quid Erichtheo sati. Hæc est antiqua lectio, quam mutare invitis codd. non ausim. Salmasius edidit : *Quid Erechthidæ, o cati*, ex emendatione Fr. Pithœi. Similiter Apuleius, lib. X : *Quare autem et illud judicium apud legiferos Athenienses, catos illos et omnis scientiæ magistros.* Ubi vide notas, pag. 747, ed. Oudendorpii. ORELL.

Cives Minervii. Id est Athenienses. Hyginus, Fab. 275; Servius, ad lib. I, Georg., pag. 60, et lib. III, Æneid., pag. 494. ELMENH.

Tam confessis. Ita Livius, lib. V, cap. 11 : *Et tamen eos tot judiciis confessos prædamnatosque venire ad populi judicium.* Ubi vid. Dœring. Metaphora ducta a gladiatoribus. ORELL.

Non est ista falsa suspectio. Sic emendavit J. Lipsius Epistol. Quæst., lib. III, Epist. XV, eamque lectionem confirmat etiam Codex mstus. Antea edebatur *susceptio.* Fulv. Ursinus, ed. *suspicio.* Sed *suspectio* idem significat. Vide P. Burmann., ad Quintilian. Declam. I, 2; Stewech., ad Vegetium, de Re milit., lib. III, cap. 6, pag. 253, seq., ed. Vesal.; Fr. Oudendorp., ad Frontin. Stratagem., lib. I, cap. 8, pag. 105; Munker., ad Fulgent. Mythol. III, prœm.; Ed. Lugd. Bat., dedit *subscriptio.* ORELL.

Eleusiniorum vestrorum notas et origines producunt turpes antiquarum elogia litterarum. Scribo : *Eleusiniorum vestrorum notæ*; vel : *notas et origines producam.* MEURS., *pag.* 169. — Non animadvertit scil. Meursius, *elogia* esse hoc loco nominativum. ORELL.

Ipsa demque symbola. Clemens Protreptico (pag. 18 ed. Potter.) : Τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων· Ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης, ἐργασάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον, καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην.
C Καλά γε τὰ θεάματα καὶ θεᾷ πρέποντα. ELMENH. — Quod appellat *symbolum* hoc loco Arnobius, σύνθημα dicit Clemens Alexandrinus. Erant nempe sacratorum quædam συνθήματα et signa, quibus se invicem internoscebant. Apuleius Apologia : *Cæteris autem clarissima voce profiteor, si qui forte adest eorumdem solemnium mihi particeps, signum dato, et audiat licet, quæ ego asservem. Nam equidem nullo umquam periculo compellor, quæ reticenda accepi, hæc ad profanos enuntiare.* Et quemadmodum in militia signorum duo erant genera, vocalia et muta, ita in his sacris. Ac vocale est, quod habemus heic : muta sunt apud Apuleium quædam, nempe quæ a sacerdotibus accipiebant sacrati. Apuleius eadem Apologia : *Sacrorum pleraque initia in Græcia participavi. Eorum quædam signa et monumenta tradita mihi a sacerdotibus sedulo conservo. Nihil insolitum, nihil incognitum dico. Vel unius Liberi patris symmystæ qui adestis, scitis, quid domi conditum celetis, et absque omnibus profanis tacite veneremini.* Appellat *signa* et *monumenta*, nimirum
D quibus se internoscebant, ut observabam modo, et quibus etiam arcana illa sacramenta in memoriam sibi revocabant. Unde eadem appellat *memoracula* eodem libro; et propter priorem illam causam *crepundia*, id est, γνωρίσματα, ut optime interpretati sunt veteres magistri. HERALD.

Apposite Murrius in commentar. ad Tabulas herculanenses, tom. V, tabula 8, nostrum locum citans, symbola hæc comparat cum notis illis quibus se etiamnum internoscunt collegiorum quorumdam arcanorum sodales (*Freymaurerzeichen*). ORELL.

Jejunavi, atque ebibi cyceonem, ex cista sumpsi, etc. Sic e Clementis verbis emendavit locum Hadrianus Junius Animadvv. lib. VI, cap. 23. Antea legebatur *exta sumpsi*, vitiosissime. Pleniorem harum cerimoniarum descriptionem qui videre cupit, consulat Jo. Meursii Eleusinia, cap. 10; et Sainte-Croix, de Mysteriis vet., segm. V, cap. 1. ORELL.

XXVII. — *Miserorum insignia.* Editio princeps ha-

præfatis. Quidnam, quæso, spectu in tali, quid in pudendis fuit verendisque Baubonis, quod fœminei sexus deam et consimili formatam membro in admirationem converteret, atque risum, quod objectum lumini conspectuique divino, et oblivionem miseriarum daret, et habitum in lætiorem repentina hilaritate traduceret? O qualia, o quanta irridentes potuimus cavillantesque depromere, si non religio nos gentis [a] et litterarum prohiberet auctoritas!

A XXVIII. Jamdudum me fateor hæsitare, circumhiscere, tergiversari, tricas, quemadmodum dicitur, conduplicare Tellenas, dum pudor me habet, Alimontia illa proferre mysteria, quibus in Liberi honorem patris ithyphallos subrigit Græcia, et simulacris virilium fascinorum territoria cuncta florescunt. Quid sit istud, obscurum est forsitan, et qua fiat ratione disquiritur: quisquis istud ignoras, disce, atque admiratus res tantas, puris semper in sensibus meticu-

LECTIONES VARIANTES.

[a] **Noscentis** *ms. Inepte.*

COMMENTARIUS.

bet *miseriarum*. Talem hominem describit Terentius Eunuch., act. II, scen. II, vers 5:

> Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum. Orell.

Quas inter aures castas sine venia nefas est et sine honoribus appellare præfatis. Præfatur honorem, qui turpe aliquid dicturus, excusandi sui gratia, verbis utitur veniam petentibus, ut: Ignosce, pace dicam tua, et similibus; vide P. Manut. in Cic., ad Fam., lib. IX, epist. XXII verba: *Nos autem ridicule si dicimus: Ille patrem strangulavit, honorem non præfamur; sin de Aurelia aut Lollia aliquid, honos præfandus est.* Formulam præfandi honoris in rebus obscœnis conservavit nobis Quinctilianus Declam. III.: *Tuis honor sit habitus sanctissimis auribus.* Respondet nostrum: *mit Respect zu melden.* Orell.

Quidnam quæso in spectu tali, etc. Sic ed. Lugd. Bat. e correctione levissima et felicissima Stewechii. *Spectus, us*, vocabulum antiquum, qualia amat Arnobius. Festus: *Spectu sine præpositione Pacuvius in Duloreste usus est, cum ait: Amplius rubicundo colore, et spectu protervo ferox.* Ubi vid. Dacer. Conf. G. J. Voss., Etymol. Rom., v. *Specio*; et Gesner., in Thesaur. Editio princeps habet *specu*, unde alii refinxerunt *spectaculo*. Orell.

Verendisque. Sic emendavit Th. Canterus pro *reverendisque*, quod antea legebatur. *Verenda* αἰδοῖα, vox aliquoties usurpata Plinio majori et minori. Orell.

Irridentes cavillantesque depromere, mimice illudentes. Prudentius in Martyrio Laurentii,

> Impune tantas furcifer
> Strophas cavillo mimico
> Te nexuisse existimas,
> Dum scurra saltas fabulam?

Glossæ: *cavillatio*, κακοήθεια, εἰρωνεία. Herald. — Vide supra ad lib. IV, cap. 36. Orell.

XXVIII. — *Circumhiscere.* Id est, hiante ore circumspicere, ut bene explicat Gesnerus in Thesauro. Cæterum verbum hoc ἅπαξ λεγόμενον. Orell.

Tricas, quemadmodum dicitur, conduplicare Tellenas. Varro apud Nonium (v. *tricæ*): *Putas eos non citius tricas Atellanas, quam id extricaturos?* Dici videntur *tricæ Atellanæ* mimorum strophæ, quibus tergiversari et effugere consueverunt. At in quibusdam Nonii libris ms. observant legi *tricas Tellenas*, sicque hæc Arnobii lectio confirmatur, et haustum fortasse proverbium e Græcorum fontibus apud quos τὰ τοῦ Τέλληνος ἀείδειν dicuntur, qui ineptam cantilenam identidem inculcant. Herald. — Aliter et, ut mihi quidem videtur, rectius, ac Heraldus et Hadrianus Junius in Supplemento ad Erasmi Adagia, centur. v. proverb. 68, explicat hoc proverbium Ausonius Popma in Notis ad Varronis fragmenta, vol. II, pag. 350, ed. Bipont.: « Tricæ Tellenæ (inquid ille) παροιμιωδῶς dicuntur res impeditæ et intricatæ, a Tellena, urbe antiqua Latinorum, quam Ancus Martius, rex VI cepit. » Conf. A. Turneb. Advers. XVII, 21, et Ruhnken. Epist. Crit. I, in Hymn. Homer., in

B Cer. pag. 203, ed. noviss. Orell.

Dum pudor me habet Alimontia illa proferre mysteria, etc. Clemens Alexandr. in Protrept. (pag. 29 ed. Potteri): Ἀλλὰ τὰ μὲν ἐπὶ Σάγρᾳ μυστήρια, καὶ τὰ ἐν Ἀλιμοῦντι τῆς Ἀττικῆς, Ἀθήνησι περιώρισται· αἶσχος δὲ δὴ κοσμικὸν οἵ τε ἀγῶνες καὶ οἱ φαλλοὶ οἱ Διονύσῳ ἐπιτελούμενοι, κακῶς ἐπινενημένοι τὸν βίον. *Alimontia* edidit Salmasius ad vestigia Codicis msti, qui, teste Cantero, habet: *Alimoniæ illa proferre*, unde Gelenius fecit: *Alma illa proferre mysteria.* Primus veram loci sententiam intellexit Pithœus corrigens: *Alimuntis illa*, etc. Alimus Atticæ pagus. Orell.

Quibus in Liberi honorem patris ithyphallos subrigit Græcia. Lucianus de Dea Syria, cap. XVI: Φαλλοὺς Ἕλληνες Διονύσῳ ἐγείρουσι· ἐπὶ τῶν καὶ τοιόνδε τι φέρουσι, ἄνδρας μικροὺς ἐκ ξύλου πεποιημένους, μεγάλα αἰδοῖα ἔχοντας. καλέονται δὲ τάδε νευρόσπαστα. ἔστι δὲ καὶ τόδε ἐν τῷ ἱρῷ, ἐν δεξιᾷ τοῦ νηοῦ· κάθηται σμικρός ἀνὴρ χάλκεος, ἔχων αἰδοῖον μέγα. Ubi Scholiastes vetus: Τῷ Διονύσῳ ἑορτὴν ἄγοντες οἱ Ἕλληνες φαλλοῖς ἐτίμων αὐτόν. Φαλλὸς δέ ἐστιν ἐκ δέρματος ἐρυθροῦ σχῆμα C αἰδοίου ἀνδρός. καὶ τοῦτο περιετίθουν ἑαυτοῖς, καὶ ἐν τοῖς τραχήλοις καὶ ἐν τοῖς μέσοις μηροῖς, καὶ ἐξωρχοῦντο τιμῶντες ἐκ τούτου τὸν Διόνυσον. cum quo consentit Suidas: φαλλοί... αἰδοῖον σύκινον, ὕστερον δὲ ἐκ δερμάτων ἐρυθρῶν, σχῆμα αἰδοίου εἶχον ἀνδρώου, etc. Elmenh. — Præcedebat in istis pompis et, ut ita dicam, processionibus ἡ κανηφόρος: sequebatur deinde ὁ φαλλοφόρος: subsequebantur postea οἱ ᾄδοντες τὸ φαλλικόν. Totum hujus nefandæ superstitionis mimum habes apud Aristophanem in Acharnensibus. Herald. — *Subrigit* restituit Arnobio Jan. Guilielmius, Quæst. in Plauti Curcul., cap. V (in Lampade Gruteri, vol III, part. II, pag. 367), verissime. Nam hæc emendatio confirmatur iis, quæ infra dicit cap. sequenti: *Totam interroget Græciam, quid sibi velint hi phalli, quos per rura, per oppida mos subrigit et veneratur antiquus.* Glossæ veteres: *Subrigit*, ὑπορθοῖ, ὑποστηρίζει. *subrigo*, ἀναβιβάζω, ἀνορθῶ. Virgilius, de D Fama: *Tot subrigit aures*, significans idem quod Terentius: *Arrige aures, Pamphile.* Antea legebatur *subrugit*, quod explicabant de viris rauca voce et mascula carmina ithyphallica canentibus. Pro *ithyphallos* Salmasius edidit *phallos*, sed mutare equidem nihil ausim. Nam aperte distinguit phallos ab ithyphallis Scholiastes Luciani, l. l.: Φαλλοὶ δέ εἰσιν οὗτοι πάντες, ἰθύφαλλοι δὲ εἰς τοὺς μηροὺς ἐπ' εὐθεῖαν ἀποδεσμούμενοι. Sic etiam diversum erat metrum phallicum et ithyphallicum, ut docet, Jos. Scaliger ad Priapeia, carm. 36. Sensus itaque nostri loci hic erit: Græcia ithyphallos (scil. ἐν μηροῖς) subrigit in honorem Liberi, et icunculis talibus per vicos et oppida positis territoria cuncta florescunt. Orell.

Territoria. Meursius legendum suspicatur *tectoria*, male. Nam infra: *Quos per rura, per oppida mos subrigit.* Orell.

Atque admiratus res tantas puris semper in sensibus meticulosa observatione custodi. Nam sacra illa arcana summa religione et εὐλαβείᾳ cautissima in animo esse

losa observatione custodi. Cum inter homines, inquiunt, esset adhuc Nysius et Semeleïus liber, nosse inferos expetivit, et sub Tartari sedibus quidnam rerum ageretur, inquirere : sed cupiditas hæc ejus nonnullis difficultatibus impediebatur, quod qua iret ac pergeret, inscitia itineris nesciebat. Prosumnus quidam exoritur ignominiosus amator dei, atque in nefarias libidines satis pronus, qui se januam Ditis, atque Acherusios aditus pollicetur indicaturum, si sibi gereret morem deus, atque uxorias voluptates pateretur ex se carpi. Deus facilis jurat potestatis futurum ac voluntatis se ejus, sed cum primum ab inferis compos voti atque expeditionis redisset Viam comiter Prosumnus edisserit, atque in limine ipso prostituit inferorum. Interea dum liber Stygem, Cerberum, Furias, atque alias res omnes [a] curiosa inquisitione collustrat, ex viventium numero index ille decedit [b], atque ex more sepelitur humano : emergit ab inferis Evius, et recognoscit extinctum ducem. Qui ut fidem compleret pacti, et jurandi solveret religione se juris, locum pergit ad funeris, et ficorum ex arbore ramum validissimum præsecans, dolat,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Omni *ms*.

[b] Decidit *alii*.

COMMENTARIUS.

continenda, nec sine magno peccandi metu vulganda existimabant. Jul. Firmicus, lib. IV, Mathes., c. XVI : *Explicaturo mihi nunc doctrinæ hujus veneranda secreta, quæ divini veteres cum maxima trepidatione dixerunt, quæque obscuritatis ambagibus involuta reliquerunt, ne, publicata divina scientia ad profanorum hominum notitiam perveniret, intento animo et quieto, nec aliis rationibus occupato, quidquid illi dixerint, in hoc tractatu facillimis rationibus intimetur.* Hic tantus horror, tamque attonita reverentia in mysteriis præcipue. Generaliter autem in omnibus sacris metus aliquis et attonita reverentia. Unde jubebantur εὐφημεῖν, nec solum favere linguis, sed mentem ipsam tacite custodire. Quintilianus in Declamationibus : *In templo vero, in quo verbis parcimus : in quo animos componimus : in quo etiam tacitam mentem nostram custodimus, pulsare, velut in solitudine, velut in secreto quodam, non est ferendum.* HERALD.

Cum inter homines, inquiunt, esset adhuc Nysius et Semelius Liber. Liberi nomen ab adulterina manu huc accersitum reor, eo quod istiusmodi epithetis solis, nullo adjecto substantivo, libenter usum observo hunc scriptorem. *Semeleium* vocat Bacchum a matre, de quo nos supra notavimus : pariter pro Jove Saturnium cognominavit, non semel. Nysium quoque vocat Liberum ab urbe Nysa, sive ea Arabiæ, seu Indiæ est, ubi a Nymphis educatum fabulantur. STEWECH.—Nysius non ab urbe Arabiæ *Nysa*, sed potius Nyso, illius patre. Nam Cicero (lib. III, de Nat. deor.), post quem auctor noster quinque Dionysos sive Liberos recenset, diserte asserit : *Quintum Nyso natum* et Thione. NOURR., pag. 394.—De Nysa et Baccho Nysio loci classici sunt ap. Diodor., Bibl., I, cap. 15. (ubi vid. Wesseling.) et lib. III, cap. 57-60. ORELL.

Nosse inferos expetivit, etc. Hunc similiter locum a Clemente actor noster mutuatus est (pag. 29, seq. ed. Potter.) : Διόνυσος γὰρ κατελθεῖν εἰς ᾅδου γλιχόμενος, ἠγνόει τὴν ὁδόν· ὑπισχνεῖται δ' αὐτῷ φράσειν Πρόσυμνος τοὔνομα, οὐκ ἀμισθεί. ὁ δὲ μισθὸς, οὐ καλὸς, ἀλλὰ Διονύσῳ καλός· καὶ ἀφροδίσιος ἦν ἡ χάρις ὁ μισθὸς, ὃν ᾐτεῖτο Διόνυσος. Βουλομένῳ δὲ τῷ θεῷ γέγονεν ἡ αἴτησις· καὶ δὴ ὑπισχνεῖται παρέξειν αὐτῷ, εἰ ἀναζεύξοι, ὅρκῳ πιστωσάμενος τὴν ὑπόσχεσιν. μαθὼν ἀπῆρεν· ἐπανῆλθεν αὖθις· οὐ καταλαμβάνει τὸν Πρόσυμνον· ἐτεθνήκει γάρ. ἀφοσιούμενος τῷ ἐραστῇ ὁ Διόνυσος, ἐπὶ τὸ μνημεῖον ὁρμᾷ, καὶ πασχητιᾷ. κλάδον οὖν συκῆς, ὡς ἔτυχεν, ἐκτεμὼν, ἀνδρείου μορίου σκευάζεται τρόπον· ἐφέζεταί τε τῷ κλάδῳ, την ὑπόσχεσιν ἐκτελῶν τῷ νεκρῷ. Ὑπόμνημα τοῦ πάθους τούτου μυστικὸν, φαλλοὶ κατὰ πόλεις ἀνίστανται Διονύσῳ· εἰ μὴ γὰρ Διονύσῳ πομπὴν ἐποιοῦντο, καὶ ὕμνεον ᾆσμα, αἰδοίοισιν ἀναιδέστατα εἴργασται. ὡϋτὸς δὲ Ἀΐδης καὶ Διόνυσος, ὅτεῳ μαίνονται καὶ ληναΐζουσιν, οὐ διὰ τὴν μέθην τοῦ σώματος, ὡς ἐγὼ οἶμαι, τοσοῦτον, ὅσον διὰ τὴν ἐπονείδιστον τῆς ἀσελγείας ἱεροφαντιαν. CANTERUS.

Prosumnus. Variant in nomine auctores, qui eamdem enarrant fabulam. Πρόσυμνον, *Prosumnum* cum nostro et Clemente appellat etiam Gregorius Nazianzenus Στηλιτευτ. β. Pausanias, Corinthiacis, pag. 80, et Nonnus, in Expositione profanarum Historiarum, quarum Gregorius meminit, vocant Πολύμνον. Theodoretus, in Curatione Græc. Affect., et sermone VIII, de Martyribus et Tzetzes, in Lycophron., vers 212. Πολύϋμνον. Phavorinus, v. Ἐνόρχης Πολυσύμνον. Hyginus tandem Poet. Astron., lib. II, cap. 5. *Hypolipnum* vel *Hypolymnum*, mendose; pro quo Munkerus et Jo. Wowerius scribendum existimant *Polyhypnum* et apud Tzetzen Πολύϋπνον. ELMENHORST. et D. HEINS., *ad Clement. Woverius ad Firmic., de Errore prof. Rel., pag. 428. ed, Gron.* Meursius leg. *Polymnus*. ORELL.

Satis pronus. Satis pro nimis, ut supra observavimus ad lib. II. ORELL.

Expeditionis. Ita Stewechius restituit ex Membranis. Verbum familiare Arnobio, mutuatum scil. ac diverse tralatum a re militari. Supra lib. III: *ut venationum præpotens habeatur in expeditionibus Diana.* Antea legebatur *expetitionis*. ORELL.

Ex viventium numero index ille decedit. Sic emendarunt Gelenius et Stewechius. Antiqua lectio erat : *ex viventium numero index inde decidit*, quam tuetur Heraldus, sublata tantummodo particula *inde*, repetita ex præcedenti *index*. ORELL.

Evius. Acron ad Horat. II, Od. XI, 17 : *Ita Liber pater dictus eo, quod, cum dii bellum cum gigantibus gererent, primus in leonem conversus occidit gigantem, ex quo facto eum Jupiter ita laudavit : Euhye, hoc est, bone fili; græce enim υἱὸς filius dicitur; hæc vox etiam Bacchis in sacris trahebatur, ut Virgilius, Euhye.* Conf. H. Columm., ad Ennii Fragment., pag. 407., ed. Hessel., pag. 265. ORELL.

Qui ut fidem compleret pacti, et jurandi solveret religione se juris. Atqui solutus erat jurandi religione juris eo mortuo, cui obsequium promissum erat. Nihilominus ea religiosus Deus vult aliquid etiam præter officium adjicere. Hæc quum εἰρωνικῶς dicit Arnobius, ostendit tamen, quam religiose jusjurandum veteres observarint : qui etiam idcirco, ne se vel tantilla aberratione polluerent, quum jusjurandum concipiebant, verba sua attente considerabant et expendebant; et ne qua tamen calumnia aliter explicari possent, mente se potius quam lingua jurare affirmabant, id est, in ea quæ sentirent tantum, jusjurandum concipere se, non item stricte verba esse capienda. Erat idcirco formula usitata: *Si sciens fallo.* Et quia τὸ δυνατὸν solum præstatur, idcirco et hujus conditionis mentionem quandoque faciebant. Præterea ne post mortem etiam eorum manes tacita vi obligari viderentur, mortem etiam excipiebant. Hinc Achilles, in Iliad. A. vers 88, seq.:

Οὔτις, ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο ;
Σοὶ κοίλῃς παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει.

HERALD.

Observa hic tmesin et transpositionem verborum insolitam : *jurandi solveret religione se juris*, pro *sol-*

runcinat, levigat, et humani speciem fabricatur in A penis: figit super aggerem tumuli et postica ex parte nudatus, accedit, subdit, insidit. Lascivia deinde surientis assumpta, huc atque illuc clunes torquet, et meditatur ab ligno pati, quod jam dudum in veritate promiserat.

XXIX. At ne quis forte a nobis tam impias arbitretur confictas res esse, Heraclito testi non postulamus ut credat, nec mysteriis volumus, quid super talibus senserit, ex ipsius accipiat lectione: totam interrogat Græciam, quid sibi velint hi phalli, quos per rura, per oppida mos subrigit et veneratur antiquus, inveniet causas eas esse quas dicimus: aut si fuerit puditum veritatem simpliciter explicare, quid obscurare, quid tegere causam ritus, atque originem proderit, cum criminatio [a] ipsa religionis in re sit? B Quid dicitis, o gentes, quid occupatæ, quid deditæ templorum venerationibus nationes? Ad hæcne nos sacra, flammis, exiliis, cædibus, atque reliquo [b] genere suppliciorum compellitis, et crudelitatis metu? hoscine nobis deos importatis, insinuatis, infligitis: quorum similes nec vos esse, neque alium velitis quemquam sanguinis vobis gradu, et jure fami-tatis adjunctum? Potestisne impubibus et prætex- vestris, quas Liber induxerit, pactiones suis cum amatoribus indicare? Potestis vestras nurus, quinimo vobis matrimonio conjugatas, ad verecundiam Bo- bonis impellere, atque ad pudicas Cereris voluptates Vultis vestri juvenes sciant, audiant, discant, Jupiter ipse qualis in unam extiterit atque alteram matrem Vultis adultæ virgines, robustique adhuc patres idem iste in filiam qua luserit arte cognoscant? Vultis germani jam fervidi, atque ex iisdem seminibus fratres, eumdem rursus accipiant concubitus lectulo- non esse aspernatum [c] sororis? Ita ergo non protinus ab hujusmodi fugiendum diis longe, ac ne irrepat in animum tam impuræ religionis obscœnitas, audientia tota claudenda est? Quis est enim mortalium tam pudicis moribus institutus, quem non ad hujusmodi furias deorum documenta proritent? Aut quis suas comprimere cupiditates a cognatis valeat reverendisque personis, cum apud superos sanctum nihil in libidinum videat confusione servatum? Ubi enim primam perfectamque naturam intra [d] fines consti-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cum *Fulv. addidit.*
[b] Aliquo *Sab.*
[c] *Ms. inepte:* Aspernaturos.
[d] Inter *Sab.*

COMMENTARIUS.

veret se religione jurisjurandi. Simile exemplum supra jam observavimus. ORELL.

Et ficorum ex arbore ramum validissimum præsecans dolat, runcinat, levigat, etc. Minucius Felix, cap. XXIII: C *Deus enim ligneus, rogi fortasse vel infelicis stipitis portio, suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur.* Ubi vid. Wower., pag. 239, ed. J. Gronov. Tertullianus, Apologet., cap. VII: *At in deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciæ et runcinæ et scobinæ. Runcina* instrumentum fabrile (planulam semibarbari dicebant), quo tabulæ sive asseres raduntur vel poliuntur. Græce ῥυκάνη, gallice *rabot*, Germ. *Hobel*, unde *runcinare*, runcina polire. ORELL.

Subdit, insidit. Stewechius mavult *subsidit*, male, nam *subsidere* et *insidere*, h. l. unum idemque. Contra *subdo, ere*, scil. sibi: *sich etwas unterschieben.* ORELL.

Lascivia deinde surientis assumpta. Verissimam hanc Cod. msti lectionem Arnobio reddidit idem, Stewechius. (De v. *surire* vide supra ad cap. 3, et ad lib. I, cap 2). Antea edebatur: *Lascivia deinde luxuriantis.* ORELL.

Huc atque illuc clunes torquet. scil. ad patiendum stuprum. Glossæ: *Clunes*, πυγαί. Juvenalis, sat. II, D vers 20:

. . . . Et de virtute locuti
Clunem agitant.

Priapeia, epigr. XVIII:

Quæ clunem tunica tegente nulla
Extis aptius altiusque motat. ELMENH.

Conf. P. Burmann., II, in Appendice Notarum ad Anthol. lat., vol. I, pag. 743. ORELL.

Quod jamdudum in veritate promiserat. Veritatem personis vel rebus fictis, simulationi, inani ostentationi exquisite opponi, multis exemplis illustrarunt Gronovius Obss., lib. IV, cap. 7; Markland., ad Stat., v. Silv. v, 39; Salmasius. ad Script. Hist. Aug., vol. I, pag. 821; Ernesti. in Clav. Cic., v. *veritas*, et Ruhnkenius, ad Rutil. Lup., pag. 92. Sic noster infra lib. VI, cap. 10: *Potest ut hic flavus sit, qui in veritate habet oculos cæsios.* ORELL.

XXIX. — *Heraclito testi.* Ita ed. Lugd. Bat. Antea: *Heraclito ut testi.* Vide Clementis locum supra laudatum. ORELL.

Quid sibi velint hi phalli, etc. Sic Stewechius edidit e msto codice, qui habet *hi valli.* Priores editores *ithyphalli.* Vide ad cap. præcedens. Cæterum quid moverit Græciam phallos in honorem Liberi erigere, explicat nobis Scholiastes Aristophanis, ad Acharnenses, vers. 245. Alias causas physicas afferunt mysteriorum interpretes philosophici, Plotinus, Jamblichus, Eusebius. Vide Sainte-Croix, l. l., pag 208, seqq., ed Lenz. ORELL.

Inveniet causas eas esse, quas diximus. Salmasius edidit: *Inveniet causas et eas res esse, quas diximus.* ORELL.

Prætextatis. Id est, pueris prætexta adhuc utentibus. Ita Juvenalis, sat. IV, vers. 78: *Prætextatus adulter.* Vide Macrob. I, Saturn., cap. 6, qui locus de ea re classicus. ORELL.

Quas Liber induxerit pactiones suis cum amatoribus. Similiter Julius Firmicus (qui in toto hoc capite cum nostro conferendus) de Errore prof. Rel., pag. 428: *Muliebria patitur aliquis, et effœminato corpori solatium quærit? Videat Liberum amatori suo post mortem etiam promissæ libidinis præmia imitatione flagitiosi coitus repræsentantem.* ORELL.

Ex iisdem seminibus fratres. Genus masculinum tamquam dignius sæpissime sub se concludere fœmininum, docet R. Bentleius ad Orat., I, Serm. I, 100. Sic Digest., II, 10, 38: *Lucius et Titia fratres.* Tacit., Annal., XII. 4: *Fratrumque* (Silani scil. et Juniæ Calvinæ) *non incestum sed incustoditum amorem ad infamiam traxit.* Liv. XXXVII, 3: *Legati ab Ptolomæo et Cleopatra, regibus Ægypti.* ORELL.

Concubitus, lectulos. Concubitus tamquam glossema delendum existimant Meursius et Heraldus. Equidem nolim delere in Arnobio amante tales sermonis abundantias. ORELL.

Audientia tota claudenda est. Audientia pro aures, ut supra lib. III, cap. 29: *Quem* (Janum) *in cunctis anteponitis precibus, et viam vobis pandere deorum ad audientiam creditis.* ORELL.

Ubi enim primam perfectamque naturam, etc., etc.

..erit justos cupidinem suam non valuisse frænare, cur non in promiscuos appetitus effundat se homo, et ingenita fragilitate præceps datus, et magisterio sanctæ divinitatis adjutus?

XXX. Jamdudum me fateor reputantem mecum in animo rerum hujuscemodi monstra, solitum esse mirari, audere vos dicere quemquam ex his atheum, irreligiosum, sacrilegum, qui deos esse omnino aut negent, aut dubitent; aut qui eos homines fuisse contendant, et potestatis alicujus et meriti causa deorum in numerum relatos: cum si verum fiat atque habeatur examen, nullos [a] quam vos magis hujusmodi par sit appellationibus nuncupari, qui, sub specie cultionis plus in eo ingeratis maledictionum et criminum, quam si aperte hoc facere confessis maledictionibus combibissetis? Deos esse qui dubitat, aut esse omnino qui negat, quamvis sequi sententias immanes opinionum videatur audacia, sine ullius tamen insectatione personæ fidem rebus non accommodat involutis: et qui generis asseverat eos fuisse terreni, quamvis eos privet sublimitate cœlitum, subsicivis tamen accumulat laudibus: siquidem illos divinitatis ad meritum beneficiis autumat, et virtutum admirationibus sublevatos.

XXXI. Vos vero, qui vindices, et eorum contendiditis immortalitatis esse propagatores, num ex his quempiam præteristis, transistis vestris maledictionibus invulneratum? aut genus ullum est probri tam communi existimatione damnabile, quod in eos conferre metueritis, vel nominis saltem auctoritate tardati? Quis caduca et mortalia corpora deos edidit amasse? non vos? Quis illa furta dulcissima in alienis genialibus perpetrasse? non vos? Quis cum matribus liberos, quis cum suis virginibus rursus patres infaustos miscuisse concubitus? non vos? Quis scitulos pusiones, atque adultos venustissimis lineis appetitos esse inhoneste? non vos? Quis abscissos, quis exoletos, quis versipelles, quis fures, quis in vinculis habitos, quis in catenis, quis denique fulminibus appetitos, quis vulneratos, quis obiisse supremos dies, sepulturas etiam meruisse terrenas? non vos? Cur igitur a vobis tot et tanta conflata sint deorum in contumelias crimina, audetis objicere nostri nomi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nullius *Sab.*

COMMENTARIUS.

Respicere videtur Arnobius ad locum illum notissimum Terentii in Eunucho, act. III, scen. v, vers. 38, seqq.:

> Suspectans tabulam quamdam pictam, ubi inerat pictura (hæc, Jovem
> Quo pacto Danaæ misisse aiunt quondam in gremium (imbrem aureum.
> Egomet quoque id spectare cœpi: et quia consimilem (luserat
> Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat (mihi,
> Deum sese in pretium convertisse, et per alienas te- (gulas
> Venisse clanculum, per pluviam fucum factum mulieri.
> At quem Deum? qui templa cæli summa sonitu con- (cutit.
> Ego homuncio hoc non fecerim? ego vero illud fecerim ac lubens. ORELL.

XXX. — *Qui deos esse.* Stewechius conj.: *Qui deos hos esse.* ORELL.

Cum si verum fiat atque habeatur examen. Meursius mavult: *Cum si rerum fiat*, etc. ORELL.

Quam si aperte hoc facere confessis maledictionibus combibissetis. Combibere hoc loco significat penitus sibi in animum inducere. Eodem sensu *imbibere* ap. Lucretium, III, 1009:

> Qui petere a populo fasceis sævasque secureis
> Imbibit.

Et VI, 70:

> . . . . . . Non quod violari summa Deum vis
> Possit, ut ex ira pœnas petere imbibat acreis. HERALD.

Ed. Lugd. Bat. habet *coimbibissetis*, nescio an ex msto. Compositiones verborum ex *con* familiares quidem Arnobio, ut supra ostensum ad lib. II, cap. 18. Sed hoc loco nihil mutare ausim, cum *combibere* translate occurrat etiam, ap. Cic., de Finibb., III, cap. 18. Pro *confessis* Stewechius mavult *contextis*. Cod. ms. habet *contestis*. Et notum litteras *st* et *x* sæpissime permutari ab librariis. ORELL.

Fidem rebus non accommodat involutis. Πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥ τε ἀδηλότης καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου. Perstringit enim Protagoræ sententiam. HERALD.

Subsicivis tamen accumulat laudibus. Ita restituit Canterus, confirmante etiam codice msto, pro *subcisivis*, quod ineditis erat, *subsicivum* vel *subsecivum* dicebant agrimensores, *quod superest extra lineam normalem*, hoc est eam, quæ latus quadrati claudit. Nam limitatio redigebatur ad quadraturam. Vide W. Goesi Antiquitt Agrar., c. 12, in Scriptt. Rei agrariæ, p. 102, seqq. Etiam apud sutores dicebantur *subseciva ea, quæ de materia præcidentes quasi supervacua abjiciebant*, a subseco, are, pro quo antiqui dicebant *subsico, are*. Vid. G. J. Voss., Etymol. rom., v. *subsicivum*, et interpp. ad Cic. Orat. Philipp. II, cap. 8, pag 244, vol. VI, ed. Græv.. Hinc translato *subsecivæ horæ*, *operæ* ap. Cic. l. l., *tempora*, *studia*, et hoc loco *subsicivæ laudes*. hoc est, laudes, quæ hic in censum non veniunt, aliæ, diversæ ab iis, quas vos diis vestris vel tribuitis, vel tribuendas illis exspectatis aut postulatis, *auderweitige Lobsprüche*. ORELL.

XXXI. — *Propagatores.* Fulv. Ursinus ed. *propugnatores*. ORELL.

Num ex his quempiam. Gelenius et Salmasius ediderunt: *Unum ex his quempiam.* ORELL.

Vel nominis saltem auctoritate Meursius conj.: *Vel numinis*, etc. ORELL.

Scitulos pusiones. Vide supra, ad cap. VI, hujus libri, et Oudend., in Apulei. Met., lib. VII, pag. 486. ORELL.

Venustissimis lineis. Lineæ, lineamenta corporum, *Gesichtszühe*. Metaphora ducta a pictoribus. Vide Salmas., ad Solini Prooem. Exercitt. Plinian., pag. 5, et quæ nos supra observavimus ad lib. III, cap. 13. ORELL.

Inhoneste. Ita Elmenhorstius et ed. Lugd. Bat. ex emendatione Meursii. Antea *injuste*. ORELL.

Abscissos. scil. (κατὰ) genitalia. ORELL.

Sepulturas etiam meruisse terrenas. Γηΐνων τάφων τυχεῖν. Hoc enim *mereri* heic, locisque aliis infinitis. HERALD. — Vide ad lib. I, cap. 3. ORELL.

Deorum in contumelias crimina. Ita Canterus ex msto. Antea: *In contumeliis*. ORELL.

nis causa numinum esse offensas mentes, cum jamdudum vos liqueat irarum esse tantarum reos, et divinæ indignationis auctores?

XXXII. Sed erras, inquit, et laberis, satisque te esse imperitum, indoctum, ac rusticum, ipsa rerum in sectatione demonstras. Nam istæ omnes historiæ, quæ tibi turpes videntur, atque ad labem pertinere divinam, mysteria in se continent sancta, rationes miras, atque altas: nec quas facile quivis possit ingenii vivacitate pernoscere. Neque enim quod scriptum est, atque in prima est positum verborum fronte, id significatur, et dicitur, sed allegoricis sensibus, et subditivis intelliguntur omnia illa secretis. Itaque qui dicit [a], cum sua concubuit Jupiter matre, non incestas significat aut propudiosas Veneris complexiones, sed Jovem pro pluvia, pro tellure Cererem nominat. Et qui rursus perhibet lascivias eum exercuisse cum filia, nihil de fœdis voluptatibus loquitur, sed pro imbris nomine ponit Jovem, in filiæ significatione sementem. Sic et ille, qui raptam Dite a patre Proserpinam dicit, non ut reris, in turpissimos appetitus viraginem dicit raptam; sed quia glebis occulimus semina, isse sub terras deam, et cum Orco significat fœdera genitalis conciliare fœturæ. Consimili ratione et in historiis cæteris aliud quidem dicitur, sed intel- A ligitur aliud, et sub vulgari simplicitate sermonis latet ratio secreta, et altitudo involuta mysterii.

XXXIII. Argutiæ sunt, ut apparet, atque acumina hæc omnia, quibus fulcire solemne est malas in judiciis causas. Quinimmo, ut verius dicam, sophismatum disputationum colores, non quibus verum, sed imago et species veri semper, atque umbra conquiritur. Nam quoniam rectas accipere lectiones pudet, dedecet, decursum est in has partes, ut alia subjiceretur res alii, et in speciem decoris, turpitudinis interpretatio cogeretur. Sed quid ad nos istud, aut alii sensus, aliæque sententiæ conscriptionibus variis subsint? Nobis enim satis est, qui deos a vobis scelerate contendimus impieque tractari, quod scriptum est, B quod auditur accipere, nec curare in abdito quid sit cum contumelia numinum non in obscura sensuum mente, sed in verborum eminentium significatione teneatur. Ac ne tamen videamur inspicere, quale sit istud quod dicitur, nolle: primum illud a vobis, si modo commodare patientiam vultis, exquirimus primum, allegorico genere vel scripta hæc esse, vel eodem modo intelligi oportere, unde est vobis cognitum, vel unde intimatum? in consilium scriptores advocare vos scilicet? aut tum [b] in eorum pectoribus

LECTIONES VARIANTES.

[a] Dicet *Sab.*

[b] *Bene* utrum *ms.* Meurs.

COMMENTARIUS.

Nostri nominis causa. Hoc loco confirmatur, supra lib. I, cap. 5, legendum esse: *Nostri nominis effectum est caussa.* ORELL.

XXXII. — *rerum in sectatione.* Equidem puto scribendum una voce *rerum* (hoc est nostrarum religionum) *in insectatione.* ORELL.

Nec quas facile quivis possit ingenii vivacitate pernoscere. Vivacitatem appellat sæpe Arnobius animi promptitudinem et robur: quomodo et *pectus vivum* (supra lib. III, cap. 6, ubi vid. notas), Nam contra tardi homines quasi mortui videntur. Servius, ad lib. VI. Æneid.: *In sano enim corpore alia est vivacitas mentis, in ægro pigrior.* HERALD. — Vid. J. Fr. Gronov. Observat., lib. III, cap. 4, pag. 352, ed. Platneri. ORELL.

Sed allegoricis sensibus, etc. Vid. Plato, in Cratylo; Theodoret., Serm. III. contra Græcos, pag. 44 et 45; Firmicus, de Errore prof. rel.; Clemens, Recognit., lib. X, pag. 163. ELMENH.

Veneris complexiones. Meursius corrigere voluit: *Cereris complexiones* Male, *Veneris complexiones* sunt *complexiones Venereæ, amatoriæ*, περιπλοκαὶ πορνικαί, nil amplius. ORELL.

Jovem pro pluvia, pro tellure Cererem nominat, C. Barthius ad Stat., Theb., IV, 758, pag. 1256, legendum conjicit *Rheam*, cum sequatur statim mentio *filiæ*, Cereris scil. At supra, cap. 20, legimus: *Diespiter cum in Cererem suam matrem libidinibus improbis atque inconcessis cupiditatibus æstuaret, nam genetrix hæc Jovis regionis ejus ab accolis traditur.* Nihil igitur mutandum. ORELL.

Qui raptam Dite a patre Proserpinam. Firmicus l. l. *Frugum substantiam volunt Proserpinam dicere, quia fruges hominibus, cum seri cœperunt, prosunt.* ELMENH.

Non (ut reris) in turpissimos appetitus. Ita Fulv. Ursinus e cod. ms. Editio princeps: *Non ut Cereris*, corruptissime Gelenius: *non vi Cereris.* ORELL.

XXXIII. — *Nam quoniam rectas accipere lectiones pudet, dedecet, decursum est in has partes.* Ita C Salmasius. Codex mstus habet: *Indecorum est in has partes*, nullo sensu. Sabæus et Gelenius correxerunt: *inclinatum est in has partes.* Stewechius supplet: *pudet, dedecet, indecorum est, itum in has partes*, Heraldus: *inde cotum* (antique pro cautum) *est in has partes*, et in Curis II: *Itur in has partes.* Equidem salmasianæ emendationis, vestigia sequens propius ad codicis msti lectionem sic emendaverim: *inde cursum est in has partes. Lectiones* hoc loco sunt scriptorum sententiæ, quo sensu Tertullianus hanc vocem usurpat aliquoties. ORELL.

In verborum eminentium significatione. Stewechius conjecit *emanantium*, male. Nam *verba eminentia* bene opponuntur *obscuræ sensuum menti.* ORELL.

Ac ne tamen videamur inspicere, quale sit istud quod dicitur nolle. Construe: *Attamen ne videamur nolle inspicere, quale sit istud quod dicitur.* ORELL.

Si modo commodare patientiam vultis. Meursius legendum putat: *commodare parientiam*, id est obedientiam. Sed cum hoc vocabulum nulla scriptorum veD terum, sed criticorum tantummodo id in Agellio, Cassiodoro, Salviano, Pandectis, etc., restituentium auctoritate fulciatur, nolim contra codicum fidem mutare *patientiam*, id est aures patientes. ORELL.

Primum allegorico genere. Primum hoc loco prorsus abundat, cum præcesserit: *Primum illud a vobis..... exquirimus.* ORELL.

Unde est vobis cognitum, vel unde intimatum? In consilium scriptores advocavere vos scilicet? aut tum in eorum pectoribus latitabatis, etc. Sic edidi ex interpunctione Heraldi et Oberthurii. Antiqua lectio erat: *Unde est vobis cognitum, vel unde intimatum in consilium scriptores advocare? vos scilicet tum in eorum pectoribus latitabatis*, etc. ORELL.

Intimatum. Glossæ: *Intimare....* γνωρίσαι. Martianus Capella, de Nupt. Philol., lib. VI, p. 192: *Quæ etiam ipsos edocui, quod numquam fere accidit, Romuleis ut potero vocibus intimabo.* lib. VII, p. 136: *Cuncta ejus auribus intimavit.* Usus hac voce Apuleius

ititabatis, cum pro aliis res alias inter veritate capta ubdebant? Deinde si illi rationis alicujus, et religionis metu mysteria illa convolvere tenebrosa obscuritate voluerunt, quantum vobis audaciæ est, ut quod illi noluerunt, vos velitis intelligere : vos scire et cunctorum substernere notioni, quod [a] illi frustra verbis minus verum significantibus occulerunt?

XXXIV. Sed ut vobis assentiamur, in fabulis his omnibus cervas pro Iphigeniis dici, unde tamen vobis liquet, cum allegorias istas vel expanatis, vel panditis, eadem vos interpretari, eademque sentire [b], quæ sub tacitis cogitationibus ipsis ab historicis sensa sunt, nec per voces proprias, significationibus sed aliis explicata? Vos Jovis, et Cereris coitum imbrem dicitis dictum telluris in gremium lapsum : potest alius aliud et argutiis fingere, et veri cum similitudine suspicari : potest aliud tertius, potest aliud quartus, atque ut se tulerunt ingeniorum opinantium qualitates, ita singulæ res possunt infinitis interpretationibus explicari. Cum enim e rebus occlusis omnis ista quæ dicitur allegoria sumatur, nec habeat finem certum, in quo rei, quæ dicitur, sit fixa atque immota sententia, unicuique liberum est, in id quod velit attrahere lectionem, et affirmare id positum, in quod eum sua suspicio et opinabilis conjectura duxerit. Quod cum ita se habeat, qui potestis res certas rebus a dubiis sumere, atque unam adjungere significationem dicto, quod per modos videatis innumeros expositionum varietate deduci?

XXXV. Denique si accommodum ducitis, etiam illud a vobis repetita interrogatione conquirimus, C

A omnes de Diis fabulas existimetis, id est singulas totas ambifarias ac bilingues, et versipellibus esse scriptas modis ; an alias earum partes nihil ambiguum dicere, alias vero multifidas atque allegorici tegminis superjectione velatas? Si enim ad finem a capite textus omnis expositionis et series obtensionibus allegoricis clausa sunt, edissertate, monstrate, quid pro rebus singulis, quas unaquæque eloquitur fabula, supponere debeamus, et promere, quasque in res alias atque intelligentias vocare. Ut enim Jovem pro pluvia, Cererem, verbi causa, pro terra vultis audire, et pro Libera ac patre Dite submersionem seminis atque jactum : ita dicere vos convenit, quid pro tauro debeamus accipere, quid pro indignatione Cereris atque iræ? quid sibi velit Brimo verbum, quid Jovis B sollicita supplicatio? quid allegati cœlites nec auditi? quid exectus aries? quid execti arietis proles? quid satisfactio his facta? quid quæ rursus gesta sunt libidine obscœniore cum filia? consimiliter et in altera fabula Ennææ nemus, et flores quid sint? quid sumptus ignis ex Ætna, comprehensæque isto faces? quid peragratio cum his orbis? quid Atticæ regio? quid eleusinius pagus? quid Baubonis tugurium atque hospitium rusticanum? quid cyceonis significet potio? quid adspernatio potionis? quid novatio et revelatio pudendorum? quid spectaculi flagitiosa dulcedo, et ex remediis talibus orbitatis oblivio comparata? Quod si pro his omnibus, quod oporteat subjici rerum immutatione monstratis, erit ut vobis assensum super tali asseveratione tribuamus : sin autem sin-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quid *Sab.*

[b] Sentiri *Fulv.*

COMMENTARIUS.

et Firmicus, Astron., lib. VI, cap. 12; Prudentius, in Martyrio Romani ; Ælius Spartianus in Pescennio Nigro, cap. 7. ELMENH. — *Cognitum* et *intimatum* differunt. *Intimare*, γνωρίσαι, ἐμφανίσαι, φανερῶσαι : *intimatum* igitur τὸ φανερωθὲν, *cognitum* τὸ γνωσθὲν δι' ἡμῶν. Sic eodem libro *scire* et *cognoscere* distinguit Arnobius, vide, qui de hoc verbo multus est, Herald., Adversar., lib. I, cap. 3, pag. 7. sq., nec non Casaubon. et Salmas., ad Script. Hist. August., vol. I, p. 405, seq. ORELL.

Inter veritate capta. Tmesis familiaris Arnobio pro *intercepta veritate*, ut alii corrigunt, male. Ita *adquæsitum* pro adquisitum, *ædifacere* pro ædificare; etc. STEWECH.

D *Ut quod illi noluerunt, vos velitis intelligere, vos scire*, etc. Meursius hæc ita transponit : *Ut, quod illi noluerunt vos intelligere, velitis vos scire*, etc. Non male. ORELL.

XXXIV. — *Cervas pro Iphigeniis dici*. Proverbialis locutio : *Cervæ pro Iphigeniis*, vel : *Cerva pro virgine*, ἔλαφος ἀντὶ παρθένου. Achilles Tatius, Amor., lib. VI, cap. 2 : κἀκεῖνος, ὡς τὸ εἰκὸς, θέαμα ἰδὼν παραδοξότατον, τῆς κατὰ τὴν ἔλαφον ἀντὶ παρθένου παροιμίας, ἐξεπλάγη καὶ ἔστη σιωπῇ. Ubi vid. Boden., pag. 506 seq. Proverbium dictum in eos, qui vel magna spe excidentes exiguum quid referunt, vel qui criminis puri, rei tamen accusati, liberantur, vel tandem, ut hoc loco quum aliud pro alio, falsum pro vero fraudulenter substituitur. Vid. Hadr. Junii Adag., cent. VI, No. 2. Fundus est notissima fabula de Iphigenia, filia Agamemnonis, quæ Aulide, cum pro salute Græcorum immolanda aræ jam imposita esset a patre, rapta dicitur a Diana, et in ejus locum cerva supposita. Vid. Euripid., Iphigen. in Aul. vers. 1585, seqq.; Ovid. Metam., XII, 34 ; Hygin., Fab. 78 et 261. ORELL.

Panditis. et Lugd. Cat. . *Expanditis*. ORELL.

XXXV. — *Si accommodum ducitis*, *accommodus* idem quod simplex *commodus*. Virgilius Æn., XI, 522, seq. :

Est curvo anfractu vallis, accommoda fraudi
Armorumque dolis. ORELL.

Omnes de Diis fabulas. Ita Salmasius ex emendatione Meursii. Antea legebatur : *omnes de his fabulas*. Heraldus in Curis II, mavult : *Omnesne has fabulas*. ORELL.

D *Id est singulas*. Delet hæc Meursius tamquam interpretamentum τοῦ *omnes*. ORELL.

Totas ambifarias. Sic emendavit Gelenius, sequentibus cæteris. Cod. mstus habet : *An bifarias*, quod tuetur Stewechius. ORELL.

Et pro Libera ac patre Dite, submersionem seminis atque jactum. Verissima hæc emendatio deletur Meursio. *Libera* est Proserpina, ut supra ostensum. Antea legebatur : *et pro Libero et pro patre Dite*, quæ lectio Fulv. Ursinum movit sequentia ita corrigere . *submersionem seminis atque vini jactum*. ORELL.

Brimo. Sic restituit Th. Canterus ex msto, ut supra cap. 20, ubi vide Notas. ORELL.

Comprehensæque isto faces. *Isto*, scil. igne, quæ codicis msti lectio confirmatur verbi præcedentibus, cap. XXIV : *Sumit faces geminas flammis comprehensas Ætneis*. Antea edebatur : *comprehensæque istæ faces*. STEW. et ORELL.

Quid novatio. Verissimam hanc codicis msti lectio-

gula in singulis neque potestis supponere, nec alterum rerum vocare contextum : quid allegoriis obscuratis honestis id, quod simpliciter dictum est, et communem ad intelligentiam publicatum?

XXXVI. Nisi forte dicetis, non toto in historiæ corpore allegorias has esse, cæterum partes alias esse communiter scriptas, alias vero dupliciter, et ambifaria obtentione velatas. Urbana est illa subtilitas, et quibuslibet brutis patens. Nam quia cuncta, quæ scripta sunt, inexpeditissimum vobis est traducere, invertere, derivare, eligitis quædam vestræ convenientia voluntati, et ex ipsis obtinere contenditis nothas atque adulteras lectiones interiori esse superpositas veritati. Quod tamen ut vobis ita sese habere, quemadmodum dicitis, annuamus, qui scitis, aut unde cognoscitis, utra pars sit sententiis historiæ scripta simplicibus, utra vero sit dissonis atque alienis significationibus tecta ? Potest enim fieri, ut quod vos existimatis sic esse, alter se habeat ; aut quod aliter creditis, conceptionibus aliis contrariisque prolatum sit. Ubi enim dicitur in unius materiæ corpore pars esse allegorice scripta, indubitabili altera sermone,

A rectoque, nec inest in re signum, quo differitas judicari ambiguorum possit simpliciterque dictum tam potest quod simplex est, ambiformiter dic existimari, quam quod ambigue scriptum est, re sis esse obtentionibus credi. Quod quidem quo nere aut fiat, aut fieri posse credatur, intelligere confitemur minime nos posse.

XXXVII. Inspiciamus enim quod dicitur hoc modo. In nemore, inquit, Ennensi quondam flores Proserpina virago lectitabat. Integrum adhuc istud est, et recta pronuntiatione prolatum ; nam et nemus et flores quid sint, quid Proserpina, quid virago, cunctis indubitabiliter notum est. Emicuit Summanus e terris curru quadrijugo vectitatus ; simplex et hoc atque est ; B nam quadrigæ, currus, atque Summanus interpretationem desiderant nullam. Improvisus Proserpinam rapuit, et sub terras secum avexit ; seminis, inquit, abstrusio raptione in Proserpinæ nuncupatur. Quid accidit, quæso, ut in aliud subito converteretur historia, ac semen Proserpina diceretur ? ut quæ virago jamdudum florum in lectionibus habebatur, postquam sublata et rapta est, significationem cœperit

COMMENTARIUS.

nem, temere sollicitatam a Stevechio, qui scribendum suspicatur *quid nudatio*, bene defendit Salmasius ad Ælii Lamprid. Heliogabal., cap. 31. Scrip. Hist. Aug., vol. I, p. 871. *Novare* ap. Latinos eleganter pro nitidare et quasi nova facere. Valerius Flaccus :

Hic sale purpureo, vivaque nitentia lympha
Membra novat.

Hinc *barbam novare*, id est expolire et quasi novam facere : *novaculum* instrumentum, quo barba novatur et raditur cutisque expolitur. Bene itaque *novatio*, id est, *levigatio pudendorum*, quæ *fecerat sumere habitum puriorem*, ut supra dixit cap. 25. Orell.

Neque potestis supponere. Ita Meursius pro *opponere*, verissime. Nam antea dicit : *quid oporteat subjici*. Adhæserat. *s* fini præcedentis dictionis, et *o* pro *u* more suo scripserat librarius. Orell.

Nec alterum rerum vocare contextum. Revocavi in textum lectionem hanc editionis primæ proxime accedentem ad scripturam Codicis depravatam : *nec alterutrum..... contextum*. *Alterum*, diversum, mutatum, ut ap. Horat. II, Od. x. 14. :

Sperat infaustis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus.

vocare pro advocare, recipere ad vestram, scil. causam. *Rerum contextus* est rerum continuatio, cum omnia inter se consentiunt et inter se apta sunt. Ita Cic., de Finibb., lib. v. c. 28 : *Et, Hercle, mirabilis apud illos contextus rerum : respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus*. Sensus itaque nostri loci hic erit : nisi potestis alium, plane diversum a vero tenorem rerum nexumque advocare ad vestram causam, *wen ihr nicht einen ganz andern Zusammenhang der Dinge annehmen konnet*. Quod non intelligentes mutarunt Gelenius : *Nec ad rerum vocare contextum*, scilicet singula; Stewechius : *Neque ad alterum rerum vocare contextum;* Heraldus et Meursius : *Neque ad verum rerum vocare contextum*; editor Lugd. Bat. : *Neque ad alterum sensum rerum vocare contextum.* Orell.

Quid allegoriis obscuratis honestis id. Sine dubio legendum *inhonestis*. Nam turpes et obscœnæ hæ fabulæ, quas affert Arnobius. Orell.

XXXVI. — *Cæterum partes alias esse communiter scriptas.* Id est, simpliciter et communem ad intelligentiam. Nescio igitur, cur hunc locum interpolare voluerint. Herald. — Fulv. Ursinus ed. : C *aliter scriptas*. Lugd. Bat. : *communiter conscriptas*, nescio an e codice msto. *Communiter* itaque idem est quod nos dicimus *popular*. Orell.

Urbana est ista subtilitas, et quibuslibet brutis patens. C. Barthius, in Adversar., lib. XXIX, cap. 14, legendum censet : *Urbana est ista subtilitas : at quibuslibet brutis patens*. Putat scil. vir doctus, jocari hic verbisque ludere Arnobium, et quia urbanam dixerat subtilitatem, Bruti, urbani rectoris et primi consulis, nomen ambiguo sensu ponere, quod virum in altera sapientem, stolidum altera significatione indicat. Sed hac emendatione non opus habemus, si *urbanam subtilitatem* interpretemur non facetam et elegantem, sed levem, jocularem subtilitatem (*gemeine, abgedroschne Subtilitat*). Vide Victor. Var. Lectt., IV, 12; J. Fr. Gronov., de Sestert., lib. IV, cap. 9, pag. 318, seqq., et Ernesti, in Clav. Cic., v. *urbanus*. Orell.

Differitas. Sic restituit L. Carrio ex msto. Alii : D *differentia*. Vide supra, ad lib. II, cap. 16. Orell.

XXXVII. — *Flores Proserpina virago lectitabat. Virago* ex msto addidit J. Meursius, probante Heraldo. Orell.

Nam quadrigæ, currus. Meursius conj. : *Quid quadriga currus*, adjective. Sed apud Arnobium haud infrequentes tales sermonis abundantiæ. Orell.

Summanus. Vide supra, ad lib. III, cap. 44, et I. Fr. Gronov., in Lectt. Plaut., pag. 87; Plautus Curc., III, 46, finxit inde verbum *summanare* pro furari, avide rapere. Orell.

Ut in aliud subito converteretur historia. Subito, quod in prioribus editionibus abest, primus e cod. ms. in textum revocavit Th. Canterus. ms. habet *aliud*, quod tuetur Meursius tamquam antiquum et Lucretianum. Vid. Dœring. ad Catull., carm. LXVI. vers. 28. Sed vix credendum Arnobium hoc uno loco usum esse

habere sementis? Jupiter, inquit, in taurum versus, A concubitum matris suæ Cereris expetivit; ut expositum supra est, nominibus his tellus et labens pluvia nuncupatur. Legem allegoricam video tenebrosis ambiguitatibus explicatam. Irata Ceres est, et exarsit, et arietis proles pro pœna atque ultione suscepit. Hoc iterum video communibus in proloquiis promptum: nam et ira, et testes, satisfactio, suis hic moribus, et conditionibus dicta sunt. Quid ergo hic accidit, ut ab Jove, qui pluvia, et ab Cerere, quæ appellata est terra, res transiret ad verum Jovem, atque ad rerum simplicissimam dictionem?

XXXVIII. Aut igitur debent allegorico genere omnia esse scripta, et posita, demonstrandaque universa nobis: aut genere isto conscriptum est nihil; quo- B niam esse quod creditur, quasi parte ex historiæ non videtur. Allegorico genere scripta sunt hæc omnia. Minime istud videtur certum. Quæritis qua ratione, qua causa? quia omne quod gestum est, et in alicujus operis evidentia constitutum [a], conversionem non potest in allegoricam duci: neque enim potest infectum esse, quod factum est; aut rei gestæ natura in alienam potest degenerare naturam. Numquid bellum Iliacum in socraticam verti condemnationem potest? aut pugna illa Cannensis proscriptio fieri crudelitasque Syllana? Potest quidem proscriptio, quemadmodum Tullius ludit, pugna dici, appellarique Cannen- C sis. Sed quæ gesta est dudum, pugna esse non potest eadem, eademque proscriptio; neque enim quod gestum est, potest aliud, ut dixi, quam id esse, quod gestum est; aut in alienam migrare substantiam id, quod in vi propria, atque in sui generis qualitate defixum est.

XXXIX. Unde igitur probamus, historias has omnes rerum esse gestarum conscriptiones? Ex solemnibus scilicet sacris atque initiorum mysteriis; vel quæ statis fiunt temporibus, ac diebus; vel quæ in abdito tradunt gentes [b], moris proprii perpetuitate servata. Neque enim credendum est, sine suis originibus hæc esse, frustra atque inania [c] fieri, nec habere conjunctas primis institutionibus causas. Pinus illa, solemniter quæ in matris infertur sanctum deæ, nonne illius imago est arboris, sub qua sibi Attis virum demessis genitalibus abstulit, et quam memorant divam in solatium sui consecravisse mœroris? Phallorum illa facinorumque subrectio, quos ritibus annuis adorat et concelebrat Græcia, nonne illius facinoris similitudinem refert, quo se a debito Liber liberavit? Eleusina illa mysteria, et sacrorum reconditi ritus, cujus memoriam continent? nonne illius erroris, quo in filiæ conquisitione Ceres fessa, oras ut venit ad atticas, triticeas attulit fruges, nebridarum familiam pellicula cohonestavit hinnulæ, et illud spectaculum maximum Baubonis in inguinibus risit?

LECTIONES VARIANTES.

[a] Constitutum est *Sab.*
[b] Genitis *Sab. male.*
[c] *Ita Sab.* Inaniter *alii.*

COMMENTARIUS.

antiqua hac forma et obsoleta, quæ alibi nusquam occurrit in toto hoc opere. ORELL.

Suis hic moribus et conditionibus dicta sunt. Id est moribus et conditionibus Diis illis propriis. Frustra igitur locum sollicitavit Stewechius legendum suspicans: *Suis hic notionibus et conditionibus dicta sunt*, ut supra lib. I.: *Pestilentiam, grandines qua potuit notione signare.* Fulv. Ursinus conj.: *nominibus et distinctionibus.* ORELL.

Ad verum Jovem. Meursius legendum conjicit: *Ad verbum Jovem.* Male. ORELL.

XXXVIII. — *Conversionem non potest in allegoricam duci.* Sic e msto codice restituit Canterus. Antea legebatur: *In allegoriam.* Quid si legamus cum Elmenhorstio *conversione non potest in allegoriam duci?* ORELL.

Potest quidem proscriptio, quemadmodum Tullius ludit, pugna dici appellarique Cannensis. Cicero pro Roscio Amerino, cap. XXXII: *Te pugna Cannensis accusatorem sat bonum fecit. Multos cæsos non ad Thrasimenum lacum, sed ad Servilium vidimus.* ELMENH.

Quæ gesta est dudum, pugna esse non potest eadem eademque proscriptio. Fulv. Ursinus et Stewechius conj.: *quæ gesta est dudum pugna, pugna esse non potest,* etc. ORELL.

XXXIX. — *Unde igitur probamus historias has rerum esse gestarum conscriptiones.* Etiam hic vox deest. Scribo: *omnes allegoricas rerum,* etc. Lege præcedentia et videbis. MEURS.

Vel quæ in abdito tradunt gentes. Audax est nec necessaria conjectura Salmasii: *vel quæ in abdito traduntur initiatis.* ORELL.

Pinus illa solemniter, quæ in Matris infertur sanctum deæ. Et hoc loco Stewechius corrigere vult *sanctuarium.* Male. Vide supra ad hujus libri cap. VI et XVI, et Ez. Spanh., de Usu et Præst. Numism., diss. VI, tom. I, p. 313. ORELL. — Jul. Firmicus, de Errore prof. Rel. (pag. 457, ed. J. Gronov.): *In sacris Phrygiis, quæ Matris Deum dicunt, per annos singulos arbor pinea cæditur, et in media arbore simulacrum juvenis subligatur.* ELMENH. — Meursius mavult *in matris..... Deum,* recte: nam constanter ita eam appellat noster. ORELL.

Sibi Attis virum..... abstulit. Virum, id est vilia, ut supra observavimus. ORELL.

Phallorum. Ita ms. Alii: *Ithyphallorum.* ELMENH.

Nebridarum familiam pellicula cohonestavit hinnu- D læ. Non memini uspiam legere familiam ullam in Attica hoc nomine fuisse. Sed Arnobius, vel auctor ille, unde sumpsit, quum legisset Νεβριδῶν familiam in Coa insula (vid. Stephan. Byzant. v. Κῶς), eam in Atticam transtulit, quia Cereris sacris qui initiabantur, hinnulei pellicula, quam Græci νεβρίδα vocant, cingerentur. Bacchus vel Iacchus in illis initiis Cereris Atticis simul colebatur, cujus ministri et bacchæ νεβρίδας gestabant, ut ex infinitis auctorum testimoniis patet. In Eleusiniis itaque mysteriis, quæ communia Cereris et Iacchi fuere, νεβρίδες etiam ab initiantibus usurpatæ. Νεβρίζειν hoc vocabant et νεβρισμόν. Vide Harpocrationem in ea voce. Confudit itaque τοὺς Νεβρίδας Coenses (dictos a Nebro, Hippocratis magni avo, ut docet L. Holstenius ad Stephan., l. l., pag. 184.) et τοὺς νεβρίζοντας Atticæ. SALMAS. *Exercit. Plin. in Solin., pag.* 607. Heraldus *Nebridas* dictos putat Cereris mystas, eo quod Ceres filiam quærens et per terrarum vastitates oberrans hinnuli pellicula

aut si alia causa est, nihil ad nos istud, dummodo causa cuncta ista confiant. Neque enim credibile est, nullis antecedentibus causis, suscepta hæc esse ; aut insanire judicandum est Atticos, qui sibi ritum religionis affixerint conflatum rationibus nullis. Quod si liquet, et constat, id est, si rebus actis mysteriorum causæ atque origines effluunt, in allegoricas species nulla possunt conversione traduci. Quod enim factum, gestum est, infectum non potest fieri, rerum prohibente natura.

XL. Et tamen ut vobis ita se habere assentiamur res istas, id est, ut historiæ aliud verbis sonent, nescio quid aliud more hariolantium dicant, ita non animadvertitis, non videtis, quanta istud dicatur et cum ignominia fieri, contumeliaque divorum ? an injuria gravior ulla potis est reperiri, quam terram, et B pluviam, vel quodlibet aliud, nihil enim refert quæ fiat interpretatione conversio, Jovis et Cereris dicere atque appellare concubitum ? et cum deorum criminibus labem imbris e cœlo, et telluris significare madorem ?. Potest irreligiosus quidpiam vel existimari, vel credi, quam semina terris mersa, vel quodlibet aliud, nihil enim similiter refert, raptum Proserpinæ dicere, et cum nota Ditis patris rei rusticæ de opere proloqui ? Nonne millies optatius fuit, elinguem fieri atque mutum, atque scaturiginem C

A istam vocis, et strepitum fœdæ loquacitatis ... quam deorum nominibus res appellare turpes, quinimmo turpibus deorum factis negotia ... vulgaria ?

XLI. Antea mos fuerat, allegoricas dictiones honestissimis sensibus obumbrare, res turpes, et ... prolatu, honestorum convestirier dignitate. ... vobis auctoribus per turpitudinem dicuntur ... ves, et castitate pollentia obscœnis commemorantur in vocibus ; ut quod olim pravitas fœdæ rei ... cundia contegebatur, nunc scurriliter, turpiter... dicetur, dignorum elocutione mutata. Quod in ... rio dicimus Martem, inquit, et Venerem Vulcan... circumretitos arte, cupiditatem dicimus atque ... B vi pressas consilioque rationis. Quid enim prohi... bat, quid obstabat, suis unamquamque rem ver... et suis significationibus promere ? immo quid urge... cum nescio quid indicare per commentarios et scri... pta voluisses, nolle illud intelligi quod *indicaris* ; sed contrarias res simul una expositione suscipere, studium docere cupientis, et nolentis *ostendere* mali... gnitatem ? An deos adulteros dicere periculum habuit ullum ? prolatio cupidinis atque iræ *linguam* e... os fuerant obscœno coinquinatura contactu ? Quod ... C utique fieret, et allegoricæ cæcitatis *obumbratio* ...

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Scribe* : Fœdorum. *Notas*. Fœderum *ms. Mendose.*]

COMMENTARIUS.

contecta fuerit, cujus autem rei, quod sciam, nulla apud veteres mentio. Sed Bacchi et bacchantium insigne hinnuli pellis. Clemens Alexandr. in Protrept. ἧκε, ὦ παραπλὴξ, μὴ θύρσῳ σκηριπτόμενος, μὴ κιττῷ ἀναδούμενος, ῥίψον τὴν μίτραν· ῥίψον τὴν νεβρίδα, σωφρόνησον. Pro *hinnulæ*. Fulv. Ursinus edidit *hinnulea*. Orell.

Si rebus actis, etc. Idem Fulvius : *si e rebus actis?* etc. Orell.

Qui sibi ritum religionis affixerint. Meurs. : *affinxerint*. Male. Sic enim Arnobius infra. lib. VI, cap. 1 : *Consuestis crimen nobis maximum impietatis affigere*. Et cap. 26 : *torpedine in perpetua affigeretur*. Ubi male, D Meursius : affligeretur. Orell.

XL. — *Labem imbris e cœlo*. *Labem* hoc loco idem quod lapsum. Nihil amplius. Orell.

Madorem. Vide ad lib. I, cap. 2. Orell.

Rei rusticæ de opere proloqui. Verissimam hanc lectionem primus e codice msto eruit Stewechius, qui tamen mavult legere : *de opere loqui*. Antea edebatur : *Cum nota Ditis patris rei rusticæ Dei proloqui*, ineptissime. Quis enim umquam dixit Ditem patrem Deum rei rusticæ? Orell. — Scribo : *cum nota Ditis patris et rei rusticæ Dei*, pro *Deæ*. Sic lib. III : *Dianam, Cererem, Lunam caput esse unius Dei triviali germanitate pronuntiant*. Sic Virgilius :

Descendo ac ducente Deo flammam inter et hostes.

Conf. Macrob. Saturn., lib. III, cap. 8. Meurs., *pag*. 174. — Sed in appendice accedit idem lectioni codicis msti. Orell.

Atque scaturiginem istam vocis et strepitum fœdæ loquacitatis amittere, etc. Codex ms. habet : *quam scaturiginem*, etc. ; unde Stewechius locum *sic refinxit* : *quam scaturiginem istam vocis et strepitum fœdæ loquacitatis emittere*. Non male. Orell.

XLI. — *Antea mos fuerat allegoricas dictiones honestissimis sensibus obumbrare, res turpes et fœdas prolatu honestorum convestirier dignitate*. Dedi lectionem antiquam, quæ sensum bonum et expeditum habet, scil. morem fuisse allegoricas dictiones (obscœnas nimirum) honestissimis sensibus sive explicationibus obumbrare. Meursio placet *obumbrari*, quod etiam mihi placet ob sequens *convestirier*. Salmasius autem, nescio an codicis msti nisus auctoritate, sic edidit : *Antea mos fuerat in allegorica dictione, honestissimis sensibus obumbrare res turpes, et fœda prolatu*, etc. Orell.

Commemorantur. Sic optime Meursius et Salmasius pro *commorantur*. Orell.

Ut quod olim pravitas fœdorum verecundia contegebatur, nunc verniliter turpiterque dicatur dignorum elocutione mutata. Dedi lectionem codicis msti merito revocatam a Salmasio, et si postrema verba *dignorum*, etc., exceperis, sanissimam. Primus editor Sabæus omnia mutavit audacissime sic edendo : *ut quod olim pravitas fœdæ rei verecundia contegebatur, nunc scurriliter turpiterque dicatur digna res elocutione mutata*. Qua in lectione, ut alia taceam, *verniliter* pessime mutatum in *scurriliter*. Sed omnia sana erant, modo post v. *dignorum* inseramus unam vocem : *gravitas*, scil. ut opponatur *dignorum gravitas* pravitati fœdorum. Orell.

Voluisses.... indicaris. Ita ed. Lud. Bat. Alii : *voluisset.... indicaret*. Orell.

Periculum habuit ullum? Ita lego cum Meursio pro : *periculum habuit nullum?* Orell.

ur, et facilis ad discendum res esset, et deorum A itas conservaretur illæsa. Nunc vero cum dicitur in Martis et in Veneris vinctione vitiorum esse ificata compressio, perversissimæ res duæ simul em temporibus fiunt, ut et fœdæ rei [a] species in ectum subjiciat [b] honestatis, et prius animum turdo, quam religionis alicujus perstringat auctois.

XLII. Nisi forte dicetis, hoc enim solum restat, od a vobis posse videatur opponi, deos sua myria nolle ab hominibus sciri; et idcirco historias bagibus esse allegoricis scriptas. Et unde vobis t liquidum, quod hominibus superi nolint sua ysteria publicari? Unde illa vos scitis, aut cur ea ssolvere in allegoriarum explanationem curatis? d extremum et ultimum, quid sibi dii volunt, ut B onesta cum nolint, turpissima de se dici atque inecora patiantur? Attidem cum nominamus, solem, nquit, significamus, et dicimus: sed si Attis sol est, uemadmodum connumeratis, et dicitis, quis erit Attis ille, quem in Phrygia genitum vestræ produnt atque indicant litteræ? quem passum esse res certas, fecisse item res certas? quem in spectaculis ludicris theatra universa noverunt? cui inter sacros cultus res videmus fieri specialiter annuas, nominatimque divinas? utrumne ab sole ad hominem, an ab homine ad solem vocabuli hujus facta translatio est? Si enim nomen istud principaliter habet originem solis, quid tandem de vobis sol aureus C meruit, ut ei cum semiviro faceretis vocabulum istud esse commune? sin hirquinum, et Phrygium est, quid Phaetontis genitor, pater hujus luminis et claritatis admisit, ut abscisso ab homine dignus videretur vocari, et augustior fieret evirati corporis nuncupatione signatus?

XLIII. Sed quid sit istud, jam promptum est omnibus: nam quia talium scriptorum, historiarumque vos pudet, nec abolere videtis posse ea, quæ sunt fœde semel in commentarios relata, nitimini cohonestare res turpes, atque omnibus argutiarum modis pro rebus subditis, verborum invertitis corrumpitisque naturas; atque ut olim accidere male sanis assolet, quorum turbida vis morbi sensum atque intelligentiam depulit, confusa atque incerta jactatis, B et inanium per rerum figmenta bacchamini. Esto in Jovis et Cereris cœtu irrigatio sit significata telluris; occultatio seminis patris in Ditis raptu, vina per terras sparsa distractis in visceribus Liberi; cupiditatis et temeritatis compressio, colligatio dicta sit adulteriorum Veneris atque Martis.

XLIV. Sed si fabulas has vultis more allegorico scriptas, quid cæteris fiet, quas non videmus posse versuras in hujusmodi cogi? Quid enim subjiciemus pro illis fustibus, quos super aggerem tumuli Semeleiæ sobolis urigo contorsit? Et quid pro illis Ganymedibus raptis, atque in libidinum magisteria substitutis? Quid pro illa conversione formiculæ, in quam Jupiter maximus vastitatis suæ liniamenta

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ms. iterum:* Fœderum.

[b] *Ita Sab. Alii:* Subeat.

COMMENTARIUS.

Fœdæ rei species. Et hic in msto: *fœdorum.* HERALD.

Subjiciat. Ita Gelenius. Editio princeps: *subeat.* OR.

XLII. — *Aut cur ea dissolvere in allegoriarum explicatione curatis?* Ita ed. Lugd. Bat. verissime. Alii: *in explicationem.* ORELL.

Connumeratis et dicitis. Forsitan legendum: *commemoratis.* CANTER.

Cui inter sacros cultus res videmus fieri specialiter annuas nominatimque divinas. Trajectio verborum familiaris Arnobio pro: *cui inter sacros cultus res divinas annuas videmus fieri specialiter nominatimque* (hoc est ejus Attidis, non solis nomine invocando.) ORELL.

Sin hirquinum et Phrygium est. Supra, cap. 6: *vel quia hircos Phryges suis Attagos elocutionibus nuncupant, inde Attis nomen ut sortiretur, effluxit.* ORELL.

Abscisso ab homine. Meursius legendum suspicatur: *abscissi agnomine.* Male. Nam modo dixerat: *an ab homine ad solem facta translatio est?* scil. nominis Attis. ORELL.

Dignus videretur vocari. Probabilis est conjectura Stewechii: *Divus videretur vocari.* Elmenh. leg.: *dignius.* ORELL.

XLIII. — *In Jovis et Cereris cœtu.* Alii *coitu*, male. Vide supra. ORELL.

Occultatio seminis. Sic restituo pro *occupatio*, quæ lectio hunc locum legenti statim sese offert. ORELL.

XLIV. — *Versuras.* Hoc est, *mutationes*, τρόπους, sensu proprio et primario. Ita *foliorum versura* ap. Varron., de Re rust., I, cap. XLVI, ubi vid. Ind. Schneideri. ORELL.

Quid enim subjiciemus pro illi fustibus. Fustes dicit Arnobius ramum illum ficulneum validissimum, quem in humani speciem penis elaboratum figit Liber super aggerem tumuli, sub quo humatus erat Prosumnus, ut legimus supra cap. 48. Quare non video, quid moverit Salmasium *fustibus* mutare in *fluctibus.* ORELL.

Semeleiæ subolis urigo contorsit. Ita legendum esse pro *origo*, quod habet editio princeps, docuerunt Stewechius et Salmasius ad Solin., pag. 28 et 628. Fulv. Ursinus et Heraldus corrigunt *prurigo.* Sed *urigo* idem significat, scil. pruriginem coitus, κνισμόν, κραῦσιν (*die Brunst*). Sic Apuleius, Met, I: *Illa mox urigine percita, cubili suo (me) applicat.* Ubi vid. Stewech. et D Oudendorp., pag. 35. Plura exempla collegit Meursius pag. 175. Eodem sensu *uri* de amore flagrantissimo usurpant poetæ veteres, verbi causa Virgilius: *Uritur infelix Dido*, etc. Ovidius:

Uror, ut inducto ceratæ sulphure tædæ,
Ut pia fumosis addita thura rogis.

Substantivo *urigo* caret Thesaurus Gesneri. *Contorquere* sensu obscœno, ut simplex *torquere* supra cap. 28: *Huc atque illuc clunes torquet.* ORELL.

Et quid pro illis Ganymedibus raptis. Sic restituit Canterus ex emendatione L. Fruterii. Antea: *Ganymedibus partis.* ORELL.

In libidinum magisteria substitutis. Si sana lectio est, sensus erit, substitutum fuisse Ganymedem, libidines ut doceat Jovem. Ita supra cap. 29.: *Homo. . . . . magisterio sanctæ divinitatis adjutus.* quod falsissimum. Quare amplector conjecturam C. G. Schwarzii ad

contraxit? Quid pro cycnis, et satyris? quid pro aureis imbribus, in quos idem se pellax fraude induit perfida formarum varietatibus ludens? Ac ne de Jove solo loqui videamur voluisse, in amoribus numinum reliquorum esse allegoriæ quæ possunt? quæ in mercenariis conditionibus, ac servitutibus? quæ in vinculis, orbitatibus, planctibus? quæ in cruciatibus, vulneribus, sepulcris? in quo cum unam contrahere possetis culpam conscriptione de superis tali, addidistis, ut dicitur, garo gerrem, cum deorum nominibus appellavistis res turpes, et vocabulis rursus deos rerum conquinastis infamium. Quod si adesse hic eos, aut esse illos uspiam cognitione indubitabili crederetis: in mentione illorum facienda præstringeret vos metus; et tamquam vos audirent, vestrasque acciperent voces, ita credi oportuit, et haberi in cogitatione defixum. Apud enim homines officiosis religionibus deditos non ipsi dii tantum, B verum etiam nomina deberent esse deoru[m] ... renda: quantumque est in ipsis, qui censen[tur] nominibus, tantum esse par est in eorum appe[lla]nibus dignitatis.

XLV. Da veram judicii formam, et in illa es[t] ... prehensionis parte, quod in usu sermonis ... Martem pro pugna appellatis, pro aquis Neptu[num], Liberum patrem pro vino, Cererem pro pan[e], ... nervam pro stamine, pro obscœnis libidinibus [a] ... nerem. Quæ enim est ratio, ut cum suis ... appellationibus res possint, nominibus cognom[inen]tur deorum, et ea fiat numinibus contumelia, q[uam] nec homines sustinemus, si nostra quis nomin[a] ... ducat atque invertat in frivolas? Sed [b] oratio [sor]dida est, verbis fuerit polluta si talibus. Verecund[ia] laude condigna, erubescitis panem et vinum n[omi]nare, et pro coitu Venerem non metuitis dicere.

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic ms. Bene.* Libidinis *Sab.*

[b] *Alii :* Et.

COMMENTARIUS.

Plin. Paneg. legentis: *In libidinum ministeria substitutos.* Vid. Burmann., ad Valer. Flacc, VII, 536, et Sueton. Aug. cap. 11. ORELL.

Pellax. Vide supra ad lib. IV, cap. 56. ORELL.

Conscriptione de superis tali. Fulv. Ursinus ed. *conscriptioni*, etc., male. ORELL.

Addidistis, ut dicitur, garo gerrem. Scripturam hanc codicis msti, ex quo illam protulit Meursius in Appendice, verissimam et elegantissimam Arnobio reddidit N. Heinsius, Adversar., lib. VI, cap. 8, p. 619. (ed. Burmann.), et Salmasius, in ed. Lugd. Bat. *Garo gerrem addere*, proverbium dictum in eos, qui res pretiosissimas et augustissimas inquinant et honore suo privant, res vilissimas et abjectissimas cum illis conjungentes. (Simile proverbium, spurcum quidem ac turpiusculum, etiamnum in usu est apud homines plebeios: D..... *in die Milch machen*) Nam *garum*, liquamen exquisitum ex intestinis piscium (scombrorum præcipue, quorum optimi capiebantur in Hispania) sale maceratis, in pretiosissimis habebatur eduliis. Vide apic. Coel., lib. I, cap. 7, ibique Lister., intpp. ad Petron., cap. 36; Gesner., in Thesauro, et imprimis, Geoponic. lib. XX, cap. 46, ibique Niclas, pag. 1270; it. Heindorf. V. Cl., ad Horat. II, satir. VII, 46, pag. 437. Contra gerres tamquam vilissimos pisciculos commemorant Plinius, Hist. nat., lib. XXXII, cap. 53, (ubi vide Harduin., pag. 594, vol. II) ac Martialis, lib. III, epigr. 76.:

Teque juvant gerres et pelle melandrya cana.

et lib. XII, epigr., 32:

Fuisse gerres, aut inutiles mænas
Odor impudicus urcei fatebatur.

Ausonius, in Proœm,. ad Idyll. XI, pag. 448, ed. Tollii: *Misi itaque ad te frivola gerris Siculis vaniora: ut, cum agis nihil, hæc legas: et ne nihil agas, defendas.* Glossæ: *Gerres*, μαινίδες. Vide Turneb., Adversar., lib. XXIV, cap. ult. Quod non intelligens Sabæus, sequentibus reliquis editoribus usque ad Salmasium, edidit: *addidistis, ut dicitur, gangrænam*, quod Hadr. Junius in Supplementis *ad Erasm.* Adagia centur. VIII, Proverb. 5, exponit: geminastis malum, veterem culpam novæ noxæ additione gravastis. Gangræna enim cancri species. Lucilius in Satyris:

Serpere uti gangræna malo atque herpestica possit.

C Sed multo elegantior et significantior Codicis lectio, quam Oberthurium in editionem suam non *recepisse* valde miror. ORELL.

Conquinavistis. Stewechius mavult: *Coinquinavistis*, ut supra lib. IV, cap. 34.: *Carmen malum conscribere, quo fama alterius coinquinetur et vita*, observans ex Festo, verba *inquinare* et *coinquinare* ducta esse ab antiquo *cunire*, quod significat stercus facere. Sed *conquino* et dici et scribi vult Victorinus de Orthographia, pag. 2467. Collect. Putschii. Conf. *Scaliger.* et Mercer. ad Plauti Pseudol., act III, scen. II, vers 75. ORELL.

Indubitabili. Alii: *indubitabile.*

XLV. — *Da veram judicii formam.* Sic e cod. msto emendavit Stewechius citans locum geminum, lib. II, cap. II: *Da verum judicium*, ubi autem cum Heraldo legendum: *Da puerum judicem. Alii*: *Ad veram judicii formam.* Pro *formam* Meursius conjicit *normam.* ORELL.

Sed oratio sordida est, verbis fuerit polluta si talibus, Verecundia laude condigna, etc. Cod. ms habet: *Verecundia ac laude condigna*, unde Stewechius legendum suspicatur: *Verecundi ac lauti condigne erubescitis*, etc., homines lautos explicans homines ad D gravitatis studium eruditos, quo sensu occurrit libro VII. Meursius, in Appendice legendum censet: *Verecundia hæc laude condigna.* Ed. Lugd. Bat.: *Sed oratio sordida, verbis fuerit polluta si talibus, verecunda ac laude condigna* (per ironiam scil.). Equidem nolim quidquam mutare invitis Cod. ORELL.

LIBER SEXTUS.

INDEX CAPITUM.

I. Nunc quoniam summatim ostendimus, quam impias de diis vestris opinionum constitueritis infamias; sequitur ut de templis, de simulacris etiam, sacrificiisque dicamus: deque alia serie, quæ his rebus annexa est, et vicina copulatione conjuncta. In hac enim consuescitis parte crimen nobis maximum impietatis affingere; quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicujus simulacrum constituamus, aut formam: non altaria fabricemus, non aras, non cæsorum sanguinem animantium demus, non thura neque fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum effusionibus inferamus; quæ quidem nos cessamus non ideo vel exædificare, vel facere, tamquam impias geramus ac scelerosas mentes, aut aliquem sumpserimus temeraria in deos desperatione contemptum; sed quod eos arbitramur, et credimus, si modo dii certi sunt, et nominis hujus eminentia præditi, honorum hæc genera aut risui habere, si rideant, aut indigne perpeti, si motibus exasperentur irarum.

COMMENTARIUS.

I. — *Quam impias de diis vestris opinionum constitueritis infamias.* Proba lectio. Ostendit enim, nullum probri genus esse, quod non diis suis attributum irent. Quorsum igitur *insanias?* Herald.—Fulvii Ursini conjectura *insanias* defendi potest loco gemino, libri II: *Nec per impius vagari suspicionum voluerimus insanias.* Orell.

Crimen nobis maximum impietatis affingere. Sabeus, Gelenius et Salmasius ediderunt *affigere.* Sed lib. I, cap. 26, legimus: *Qui aut summo servientibus regi crimen impietatis affingit.* Nihil igitur mutandum. Orell.

Quod neque ædes sacras, etc. Sic apud Minucium Fel., cap. 10, quærit Cecilius: *Cur christiani nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra?* Ubi vid. intpp. Conf. infra ad cap. 3, hujus libri notam Heraldi. Orell.

Temeraria..... desperatione. Vide supra, ad lib. I, cap. 25 et 55. Non igitur audiendus C. Barthius, Adversar., lib. XXIX, cap. 18, p. 1390, conjiciens: *Temeraria despectatione.* Nam *despectatio* et *contemptus* unum idemque. Orell.

Sed quod eos arbitramur. Sic e codice msto., rescripsit Stewechius. Alii: *Sed quod deos arbitramur.* Or.

II. Ut enim noscatis, quid de isto nomine sentiamus, judiciique simus cujus, existimamus nos eos, si modo dii certi sunt, ut eadem rursus satiateque dicantur, cunctarum esse debere perfectarumque virtutum sapientes, justos, graves, si modo nulla est culpa, quod eos laudibus accumulamus humanis, intestinis pollentes bonis, nec extraneis adminiculis se addicere, quod illis integritas inoffensæ beatitudinis compleatur : ab affectibus cunctis, et cunctis perturbationibus liberos, non ira effervere, non ullis cupiditatibus, excitari, calamitatem irrogare nullis, non ex malis hominum crudelem accipere voluntatem, non terrere portentis, non prodigiosas ostentare formidines, non votorum debitis habere obnoxios et obligatos, nec piaculares hostias signis minacibus postulare, non pestilentias, non morbos corruptione aeris inducere, non adurere siccitatibus fruges, non cædibus interesse bellorum, non urbium stragibus, non adversa his velle, non illorum commoditatibus suffragari : sed quod magnarum est [a] mentium pari pendere cunctos lance, et individuas cunctis benevolentias exhibere. Caduci enim generis, et infirmitatis humanæ est, contrariis egere, eosque, quos tangat affectio, pati, dolere, diminui, sapientium scita et pronuntiata definiunt : nec posse aliter fieri, quin legibus mortalitatis astricti sint, qui sint ullis perturbationibus mancipati. Quod cum ita se habeat, qui possumus judicari deos habere contemptui, quos, nisi sunt recti, et magnarum mentium admiratione laudabiles, deos negamus existere, nec potestatibus posse cœlitibus applicari ?

III. Sed templa illis extruimus nulla, nec eorum effigies adoramus, non mactamus hostias, non thura ac vina libamus. Et quid [b] amplius possumus vel honoris eis attribuere vel dignitatis, quam quod eos in ea ponamus [c] parte, qua rerum caput, ac dominum, summumque ipsum regem, cui debent dii una nobiscum, quod esse se sentiunt, et vitali in substantia contineri ? Numquid enim delubris aut templorum eum constructionibus honoramus ? Num-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Alii :* Esset.
[b] *Alii :* Ecquid.
[c] *Alii :* Ponimus.

COMMENTARIUS.

II. — *Ut eadem rursus satiateque dicantur.* Editio Gelenii habet *sociateque.* Orell.

Nec extraneis adminiculis se addicere. Ita ed. Lugd. Bat. Codex mstus. habet : *Nec extraneis adminiculis addicere.* Stewechius legit : *Nec se extraneis adminiculis addicere.* Gelenius et Fulv. Ursinus ex ingenio refinxerunt : *Adminiculis indigere.* Heraldus conj. *addigere.* Quod verbum frustra quæsivi in Lexicis. Orell.

Inoffensæ beatitudinis. Sic apud Gellium, lib. II, cap. 1 : *Inoffensa valetudo.* Solin., cap. IV : *Inoffensa felicitas.* Ovid., I. Trist., eleg. VIII : *Inoffensa vita.* Plinium junior.: *Inoffensa voluptas.* Tacitum : *Inoffensum iter.* Elmenh.

Non votorum debitis habere obnoxios et obligatos. Horatius II, od. 8, 5 seq.:

> Sed tu, simul obligasti
> Perfidum votis caput, etc. Herald.

Piaculares hostias. Ita dicit lustralia piamenta, quæ portentorum expiandorum vim haberent. Varro, de Ling. lat., lib. V : *Prætor qui tum fatus est, si imprudens fecit, piaculari hostia fœta piatur.* Conf. lib. I, cap. 26 : *Hostias circumforaneas* appellant alii, quod scil. circumferrentur hostiæ, quibus portentorum expiabantur minæ, et loca omnia adversus numinis iram ita munirentur. Apuleius, Milesia IV.: *Tandem pererratis plateis omnibus, et in modum eorum, qui lustralibus piamentis minas portentorum hostiis circumforaneis expiant, circumductus angulatim forum ejusque tribunal astituor.* Elmenhorst. et Herald.

Commoditatibus suffragari. Hoc est, augere felicitatem. Male itaque Fulv. Ursinus conj. : *incommoditatibus suffragari.* Orell.

Pati, dolere, diminui. Id est, corrumpi, φθείρεσθαι. Supra, lib. I, cap. 18 : *Ubi perturbatio est, ibi dolor et ægritudo est. Ubi dolor et ægritudo est, imminutioni et corruptioni jam locus est.* Herald. Ita Codex mstus, Ursinus et editor Lugd. Bat. Gelenius : *pati dolorem, diminui.* Stewechius : *pati, dolore, diminui.* Orell.

Cœlitibus. Ita Salmasius, ms. : *cœlitus.* Gelenius : *cœlitum.* Alii : *cœlestibus.* Orell.

III. — *Cui debent Dii una nobiscum.* Sic edidi ex emendatione Jo. Meursii probata etiam a Jo. Walkero ad Cic., de Nat. deor., lib. I, cap. 13, p. 335, ed. Davis. Codex ms. et editiones omnes habent : *Cui debent divina nobiscum.* Heraldus v. *divina* delendum censet tanquam glossema. C. Barthius, Adversar., lib. XXIX, cap. 18, p. 1391, legendum suspicatur : *Dii vani nobiscum ;* at paulo post idem retractans hanc conjecturam tuetur lectionem vulgatam, probans *divina* pro diis dici exemplo Lactantii Inst., lib. II, cap. 2 : *Si autem dii absentes esse non possunt, qui quoniam divini sunt, in quacumque parte mundi fuerint, vident et audiunt universa.* Et Cypriani, Carm. de Sodoma :

> Quamquam divinos nescius, ultro
> Advocat, appellat, patrio veneratur honore.

Sed ne dicam, in duobus his locis deos *divinos*, non *divina* neutro genere, dici, locus Lactantii nihil probat, cum inibi *divini* dicantur divinandi facultate præditi. Sequi igitur malui correctionem Meursii. Orell.

Numquid enim delubris aut templorum eum constructionibus honoramus. Si templa sunt loca magnifice constructa, in quibus Dei simulacra constituantur, et ubi deus quasi habitare existimetur, quomodo nos ædes ad usum habitationis habemus ; prioribus Ecclesiæ temporibus Christianis templa erant nulla : sed si templa appellanda sunt quæcumque loca, in quibus fideles congregantur, et Deum sociatis votis invocant ac cætera religionis officia celebrant ; profecto Christiani sua semper habuerunt templa, ædes scil. privatas et quascumque ædium partes, cœmeteria, sylvas etiam et cavernas, in quibus ferventibus persecutionibus colligerentur. Persecutionum autem motu consopito conventicula, (οἴκους, οἴκους ἐκκλησιῶν) quidem exstruebant ; non ad ostentationem, non ubi Dei simulacrum aliquod tanquam præsens numen adiretur ; sed humilia et a privatis ædificiis humilitate nihil differentia. Idcirco Gentiles qui exteriorem rerum faciem, quam interiores cordis secessus, pluris æstimabant, identidem inculcabant, nulla esse Christianis templa, delubra nulla. Quod libere fatebantur

quid et hostias cædimus? Numquid alias res damus, quas libare, profundere, non est rationis expensæ, sed tracti per consuetudinem moris? Etenim plena dementia est, necessitatibus tuis potentiora metiri, et quæ tibi sunt usui, datoribus diis dare, et honorem istum, non contumeliam ducere. Templa igitur quærimus in deorum quos usus? aut in rei cujus necessitatem, aut dicitis esse constructa, aut esse rursus ædificanda censetis? Hyemalia sentiunt frigora, aut solibus torrentur æstivis, pluvialibus nimbis perfluunt, ventorum eos aut turbines A vexant? incursionem pati periclitantur hostilem, ferarum aut rabidos appetitus, ut merito illos conveniat tectorum munitionibus claudere, saxorum aut objectione tutari? Templa enim hæc quid sunt? Si humanam infirmitatem roges, nescio quid immane atque amplum: si deorum potentiam metiaris, successus quidam [a] parvi, atque, ut verius eloquar, genus angustissimum cavernarum paupertini cordis excogitatione suspensum. Quorum si quæris audire quis prior fuerit fabricator [b], aut Phoroneus, Ægyptius aut Merops tibi fuisse monstrabitur: aut, ut

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quidem *Sab.*

[b] *Bene ms. addit.* Fuerit constitutor, quis fabricator.

COMMENTARIUS.

christiani; immo et ipsum templorum usum esse non modo supervacuum, verum etiam impium asserebant, Deum autem non in ναοῖς χειροποιήτοις, sed nostra ipsorum mente esse dedicandum. Vid. Minuc. Fel., cap. XXXII; Origen., contra Cels.; Clemens Alexandr., Strom., lib. VII; Lactant. de Ira Dei, cap. ult. Quid quod ipsam templorum appellationem quasi ab idololatria profectam christiani respuebant. Hinc Zeno Veronensis, sermone de Continentia: *Proponimus itaque, ut sæpe contingit, in unum sibimet convenire diversæ religionis diem, quo tibi Ecclesia, illi adeunda sint templa.* Ecclesiam appellat Christianorum conventiculum: templa gentibus tribuit. Hinc et B. Hieronymus epist. ad Riparium presbyterum adversus Vigilantium: *Mortuo cadaveri atque polluto præbebant excubias, ut post multa sæcula dormitantius somniaret, immo eructaret immundissimam crapulam, et cum Juliano persecutore sanctorum basilicas aut destrueret, aut in templa converteret.* Ergo et florentibus rebus christianis, cum essent basilicæ non minus superbæ, quam pleraque gentium templa, ab ista tamen appellatione abstinebant eamque nationibus remittebant. HERALD.—De *delubris* variæ jam antiquorum sententiæ: locus classicus est Asconii in Cic. Divinat. in Cæcil.: *Sunt qui templa esse dicant singulorum diis attributorum locorum, delubra multarum ædium sub uno tecto a diluvio pluviæ munitarum. Alii delubra dicunt ea templa, in quibus sunt labra corporum abluendorum, ut Dodonei Jovis, aut Appollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodesque visuntur. Sunt etiam qui delubra ligna delibrata, id est decorticata, pro simulacris deorum more veterum posita existiment, sed male.* Servius, ad Æn., II, 225, *delubrum* exponit templum pluribus diis consecratum. Conf. G. J. Vossii Etymol. Rom.; Gesner. in Thesaur., hoc verbo, et, qui hac de re multus est, J. Rycquii liber de Capitolio, cap. XII, p. 140, seqq. At Christiani scriptores vocibus *delubrum* et *templum* utuntur promiscue. ORELL.

Numquid et hostias cædimus. Ita ed. Lugd. Bat., cod. ms.: *Numquid hostias cædimus?* Fulv. Ursin.: *Numquid ei hostias cædimus?* ORELL.

Potentiora. ms.: *potiora*, quod tuetur Stewechius. ORELL.

Aut in rei cujus necessitatem. aut a Gelenio est, omittit codex ms. ORELL.

Dicitis. Stewechius mavult: *ducitis.* ORELL.

Successus quidem parvi. Vide ad lib. I, cap 50. Meursius conj.: *Successis quidam parvi.* ORELL.

Paupertini cordis. Paupertinus pauper et inops. Vid. Nonius hoc verbo et Savaro, ad Sidon., lib. II, epist. 10, pag. 155; et lib. VII, epist. 17, pag. 475. Sic *paupertinæ litteræ* apud Gellium, lib. IV, cap. 6. *Paupertina elementa* Tertullian., adv. Marcion., lib. I, cap. 14. *Pannosæ et paupertinæ reculæ* Apulei., Met., lib. IV. ORELL.

B *Quorum si quæris audire, quis prior fuerit fabricator* etc., etc. Clemens, in Protrept., p. 13 (38. ed. Potteri): Ὅθεν ἔπεισί μοι θαυμάζειν, τίσι ποτὲ φαντασίαις ἀπαχθέντες οἱ πρῶτοι πεπλανημένοι, δεισιδαιμονίαν ἀνθρώποις κατήγγειλαν, δαίμονας ἀλιτηρίους νομοθετοῦντες σέβειν, εἴτε Φορωνεὺς ἐκεῖνος ἦν, εἴτε Μέροψ, εἴτε ἄλλος τις, οἱ νεὼς καὶ βωμοὺς ἀνέστησαν αὐτοῖς· πρὸς δὲ καὶ θυσίας παραστῆσαι πρῶτοι μεμύθευνται. CANTER.

Aut Phoronæus, Ægyptius, aut Merops. Sic interpungendum pro: *aut Phoronæus ægyptius, aut Merops.* amat Arnobius particulam istam trajicere atque involvere ad hoc exemplum. HERALD. — Unice vera Heraldi interpunctio. Nec enim ægyptius Phoronæus, sed argivus rex. Eusebius Chronic. ab Hieronymo vers. Nor. 211.: *Phoronæus Inachi filius et Niobæ primus leges judiciaque constituit. Quidam hujus filiam Nioben arbitrantur.* Ubi vid. Jos. Scaliger., C pag. 19; Lutatius, ad Stat. Theb., I, 541, et IV, 589.: *Hic* (Phoronæus) *est, qui primus Junoni sacrificasse dicitur, ut Dardanus Jovi. Phoronænus autem Inachi filius, qui primus mortalium regnavit, cujus filiam Nioben, quia alia Tantali est, Jupiter primam e mortalibus dicitur compressisse.* Idem Phegæo fratri juniori mortuo templum constituit, ubi ei tanquam Deo boves immolarentur, teste Augustino de Civ. Dei lib. XVIII, cap. III; conf. Hygin. fab. 143, 225, 274. Ibique Munker. pag. 211 et 327. Pausan. lib. II, pag. 112. Tatianus adv. Græc. Marscham. in Canon. Chron. p. 83 seq. ed. Franequer. et C. Barth. ad Stat. vol. III, p. 1502. Meursius legendum censet: *Phoronæus Argivus.* Sed omnia sana erunt, restituta interpunctione Heraldi. ORELL.

Ægyptius aut Merops. In Eusebii Chronico ab Hieronymo verso lib. II, prooem. legimus: *Porro iste est Cecrops Diphyes indigena, sub quo primum in arce oliva orta est, et Atheniensium urbs ex Minervæ* D *appellatione sortita nomen. Hic primus omnium Jovem appellavit, simulacra reperit, aram statuit, victimas immolavit, nequaquam istiusmodi rebus in Græcia usquam visis.* Quare Jos. Scaliger in Notis pag. 13, apud Clementem, unde Arnobius sua mutavit, refingit Κέκροψ pro Μέροψ. Sed cum noster quoque habeat *Merops* videtur esse error ipsius Clementis, non librarii. Et omnino intelligendus Cecrops, primus rex Atticæ, quem alii, v. c. Appollodorus Bibl. lib III, 14., αὐτόχθονα faciunt; alii autem Ægytium, ut Scholiastes in Aristoph. Plut. vers. 773.: Κέκροψ δὲ, Αἰγύπτιος ὢν τὸ γένος, ᾤκησε τὰς Ἀθήνας, ὅθεν οἱ Ἀθηναῖοι Κεκροπίδαι, et ex eo totidem verbis Suidas, nec non Tzetzes Chil. v. Hist. 18.:

Ὡς δὲ ἀπὸ τῆς Σάεως, πόλεως Αἰγυπτίας,
Μετὰ τὸν κατ' Ὤγυγον κατακλυσμὸν ἐκεῖνον
Ὁ Κέκροψ παραγέγονεν Ἀθήναις τῆς Ἑλλάδος.

Conf. Meurs. de Regn. Athen. lib. I, cap. 8—12. ORELL.

tradit in admirandis Varro, Jovis progenies Æacus. Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis structa, laquearibus aut renideant aureis, splendeant hic gemmæ, et sidereos evomant variata interstitione fulgores : terra sunt hæc omnia, et ex fæce ultima vilioris materiæ concreta. Neque enim, si vos ea pretiis carioribus penditis, delectari credendum est his deos : nec recusare, nec spernere quo minus se sepiant, et eorum objectibus coerceantur inclusi. Templum, inquit, hoc Martis est, hoc Junonis, et Veneris, hoc Herculis, Apollinis, Ditis : quid est aliud dicere, quam domus hæc Martis est, hæc Junonis et Veneris, Apollo hic habitat, in hac manet Hercules, illa Summanus. Ita non prima et maxima contumelia est, habitationibus deos habere districtos [a]? Tuguriola

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ms.* Distructos. *male.*

COMMENTARIUS.

Aut ut tradit in Admirandis Varro, aut addidit Canterus. Titulus libri Varroniani erat : *Gallus Fundanius de Miris seu de Admirandis.* Vid. Varronis Fragmenta, pag. 253, ed. Bipont. Orell.

Jovis progenies Æacus. Vide Hygin. Fab. 52 et 155. Elmenh.

Laquearibus aut renideant aureis. Plinius Hist. Nat. lib. xxxiv, cap. 3.: *Laquearia, quæ nunc et in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primo inaurata sunt in Capitolio, censura L. Mummii, inde transiere in cameras : in parietes quoque, qui jam et ipsi tanquam vasa inaurantur.* Elmenhorst. Ovidius Fast. i, 223.:

> Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus.
> Aurea, majestas convenit ista Deo.

et vers 77. :

> Flamma nitore suo temporum verberat aurum,
> Et tremulum summa spargit in æde jubar.

Nec solum laquearia, sed januæ quoque aliæque templorum partes auratæ, ac propter hæc ornamenta *templa* appellata *aurea.* Herald.

Splendeant hic gemmæ. Ovidius i Fast., vs. 201 sqq. :

> Jupiter angusta vix totus stabat in æde;
> Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.
> Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis;
> Pascebatque suas ipse Senator oves.

Hinc Lactantius Inst. lib. v. cap. 8.: *Cujus templum est, non lapides, aut lutum : sed homo ipse, qui figuram dei gestat. Quod templum non auro et gemmarum donis; sed æternis virtutum muneribus ornatur.* Herald.

Et sidereos evomant variata interstinctione fulgores. Virgilius, Æn. viii, 619.:

> Miraturque, interque manus et brachia versat
> Terribilem cristis galeam flammasque vomentem.

Orell.

Nec recusare, nec spernere, quo minus se sepiant. Id est: nec minus recusare ac spernere hæc domicilia, etc. Phrasis Arnobiana. Herald.

Et eorum objectibus coerceantur inclusi. Hæc est sincera Membranarum scriptura. Similiter ait Libro vii.: *cujus sese objectu, oppositione prætexerit.* Stewech.— Alii : *objectionibus*, ut paulo ante eodem capite *saxorum aut objectione tutari.* Orell.

Templum, inquit, hoc Martis est, etc. Hinc ipsum etiam Divi nomen templorum foribus inscribebant. Jamblichus lib. i. de vita Pythagoræ cap. ii.: Ἐπεὶ δὲ ἀπεκομίσθη εἰς τὴν Σάμον ἀπὸ τῆς Συρίας ὁ Μνήσαρχος μετὰ παμπόλλου κέρδους καὶ βαθείας περιουσίας, ἱερὸν ἐδείματο Ἀπόλλωνι, ΠΥΘΙΟΥ ἐπιγράψας. Nota formam inscriptionis Πυθίου : sic enim absolute generandi casu. Quare hunc locum ita reddere oportuerat: *Templum construxit Apollini, cum hac inscriptione,* PYTHII. Solemnis ista inscriptionis forma. Dionys. Halic. lib. i. Antiquit. Rom.: Καὶ αὐτῷ κατασκευάζουσιν οἱ Λατῖνοι ἡρῷον ἐπιγραφῇ τοιᾷδε κοσμούμενον, ΠΑΤΡΟΣ ΘΕΟΥ ΧΘΟΝΙΟΥ ὉΣ ΝΟΜΙΚΙΟΥ ῬΕΥΜΑ ΔΙΕΠΕΙ. Plutarchus in Erotico : Ἡ δὲ Βελεστίχη, πρὸς Διός, οὐ βάρβαρον ἐξ ἀγορᾶς γύναιον, ἧς ἱερὰ καὶ ναοὺς Ἀλεξανδρεῖς ἔχουσιν, ἐπιγράψαντες δι' ἔρωτα τοῦ Βασιλέως ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΒΕΛΕΣΤΙΧΗΣ. Sic apud Plinium Hist. Nat. lib. viii. c. 18 : *Qua de causa Libero patri templum in Samo Elpis sacravit, quod ab eo facto Græci* κεχηνότος Διονύσου *appellavere.* Id est : κεχηνότος Διονύσου ἐπέγραψαν. Et lib. x, cap. 3: *Quam ob causam incolæ quod vocant heroum in eo loco fecere, appelatum Jovis et virginis.* Διὸς καὶ Κόρης. M. Tullius lib. iii. de Nat. Deor. cap. 34.: *Jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri* (Dionysius), *in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset, bonorum deorum, uti se eorum bonitate velle dicebat.* Zozimus lib. ii.: βωμὸς εὑρέθη πεποιημένος, ἐν ᾧ γράμματα ἦν ᾍΔΟΥ ΚΑΙ ΠΕΡΣΕΦΟΝΗΣ. Servius ad lib. iii. Æneid.: *Alii in templo Apollinis aram fuisse inscriptam,* ΠΑΤΡΙΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. Sic autem et alia monumenta absolute inscribebant. Plutarchus in Othone: Εἶδον δ' ἐν Βριξιάλῳ γενόμενος καὶ μνῆμα μέτριον, καὶ τὴν ἐπιγραφὴν οὕτως ἔχουσαν, εἰ μεταφρασθείη, δηλώσει, ΜΑΡΚΟΥ ΟΘΩΝΟΣ. In Marcello: Εἰς δὲ τιμὴν αὐτοῦ καὶ μνήμην Ὀκταβία μὲν ἡ μήτηρ τὴν βιβλιοθήκην ἀνέθηκε, Καῖσαρ δὲ θέατρον, ἐπιγράψας ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ. Hinc igitur nata syntaxis, *ad Telluris, ad Dianæ*, etc. Herald.

Hoc Herculis, Apollinis, Ditis : quid est aliud dicere, quam domus hæc Martis est, hæc Junonis et Veneris. Hæc verba, quæ absunt ab editionibus prioribus, e Codice msto supplevit Stewechius. Meursius corrigit : *id Veneris*, non male. Orell.

Apollo hic habitat. Ergo templa quasi deorum domicilia, et idcirco *sacræ ædes.* Sic ναὸς dicitur παρὰ τὸ ναίειν, quia Deus, cui est constructum templum, in eo credebatur ναίειν, habitare. Recte igitur Hesychius : ναὸς..... οἶκος ἔνθα θεὸς προσκυνεῖται. Quare ἱεροὶ δόμοι et ἁγνοὶ passim apud veteres poetas : θεῶν οἶκοι sæpe apud Herodotum, ut sacræ ædes. Cicero lib. ii. de Natura deor. cap. 27.: *Concinneque, ut multa, Timæus, qui quum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagravisse, adjunxit, minime id esse mirandum, quod Diana, quum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo.* Hoc autem nomine templorum constructionem perstringit etiam Lucianus libello de Sacrificiis : ἔπειτα δὲ ναοὺς ἐγείραντες, ἵν' αὐτοὶ μὴ ἄοικοι, μηδ' ἀνέστιοι δῆθεν ὦσιν. Herald.

Ita non, etc. Sic reponit Stewechius ex msto, rectissime. Antea edebatur : *Ista non* etc. Amat Arnobius increpationes suas incipere particula *ita.* Sic libro v.: *Ita non animadvertitis, non videtis, quanta istud dicatur cum ignominia fieri.* Itidem libro vi., in simili increpatione : *Ita enim non videtis spirantia hæc signa quorum plantas et genua contingitis et contrectatis orantes?* Orell.

Habitationibus deos habere districtos. Distringere h. l. sensu rariori pro ligare, constringere, vel potius diversis partibus, quaquaversus stringere, coercere. Ita ap. Cic. de Offic. iii, 32.: *fraus enim distringit, non dissolvit perjurium*, ubi vide intpp. Heusingerus autem edidit : *adstringit.* Statius, Achill. ii, 422 :

his dare, conclavia et cellulas fabricari, et eis existimari necessarias res esse, quæ hominibus, felibus, quæ sunt formiculis, et lacertis, quæ fugacibus, pavidis, atque exiguis muribus ?

IV. Sed non, inquit, idcirco attribuimus diis templa, tamquam humidos ab his imbres, ventos, pluvias arceamus, aut soles : sed ut eos possimus coram et comminus contueri, affari de proximo, et cum præsentibus quodammodo venerationum colloquia miscere. Sub axe enim nudo, et sub ætherio tegmine invocati si fuerint, nihil audiunt ; et nisi de proximo admoveantur his preces, tamquam nihil dicatur, obstructi atque immobiles stabunt. Atquin nos arbitramur, omnem deum omnino, si modo nominis hujus vi pollet, ex quacumque mundi parte, quod A quisque fuerit locutus, tamquam si sit præsens, audire debere : immo quod quisque conceperit sub obscuris sensibus cognitione anticipata præsumere. Atque ut astra, sol, luna, cum supra terras meant, omnibus omnino cernentibus statim sunt et ubique præsentes, ita quoque convenit audientiam numinum nulli esse clausam linguæ semperque esse præsentem ; quamvis ad eam voces regionibus ex distantibus confluant. Hoc est enim proprium deorum, complere omnia vi sua, non partiliter uspiam, sed ubique esse totos : non adesse, non abesse, non cœnatum ad Æthiopas pergere, et post dies bissenos privatum ad domicilium redire.

V. Quod si ita non erit, tollitur omnis spes opis, et erit in dubio, audiamini ab iis, nec ne : siquando

COMMENTARIUS.

. . . . . . Distringeret aera gyro.

ubi vid. C. Barth. vol. III, pag. 1760, et, qui de hoc verbo multus est, L. Bünemann. ad Lactant. Inst. lib. V, cap. 19, pag. 669 seq. ORELL.

Conclavia et cellulas fabricari. In cellulis enim asservabantur deorum simulacra. Cellulas autem istas describit Vitruvius libro IV. Sic igitur in Capitolio, omnium dæmonum consistorio, plures erant cellæ. T. Livius lib. XXXVII : *Castigatum enim quondam ab eo populum ait, quod eum perpetuum consulem et dictatorem vellet facere : prohibuisse statuas sibi in Comitio, in Rostris, in Curia, in Capitolio, in cella Jovis poni.* Græcis σηκὸς dicebatur. Hesychius : σηκὸς... ἐνδότερος τόπος τοῦ ἱεροῦ. Diodorus Siculus, Libro I, ubi de Iside : Ὁμοίως δὲ καὶ ταύτην μεταστᾶσαν ἐξ ἀνθρώπων τυχεῖν ἀθανάτων τιμῶν, καὶ ταφῆναι κατὰ τὴν Μέμφιν, ὅπου δείκνυται μέχρι τοῦ νῦν αὐτῆς ὁ σηκὸς ὑπάρχων ἐν τῷ τεμένει τοῦ Ἡφαίστου. Pollux, lib. I, C § 6. Καὶ τὸ μὲν χωρίον, ᾧ θεραπεύομεν τοὺς θεοὺς, ἱερὸς καὶ νεώς· ἔνθα δὲ καθιδρύομεν, σηκὸς, τέμενος. οἱ μὲν γὰρ ἀκριβέστεροι σηκὸν τὸν τῶν ἡρώων λέγουσιν· οἱ δὲ ποιηταὶ, καὶ τὸν τῶν θεῶν, ὡς οἱ τραγῳδοὶ, Ἁγνὸν εἰς σηκὸν θεοῦ. (Ubi vid. Kühn., p. 5.) Σηκὸς igitur Heroum et Heroidum proprie. Euripides in Bacchis :

Αἰνῶ δὲ Κάδμον, ἄβατον ὃς πέδον τοδὶ
Τίθησι θυγατρὸς σηκόν.

Nempe σηκὸς hoc modo non superbum aliquod templum, qualia in urbibus exstrui solent diis majoribus, sed sacellum potius quam templum Heroi, et in agris præcipue excitatum : quomodo etiam nunc sacella dicimus exiguas illas ædes, quæ veluti divis quibusdam in agris constitui solent. Erant igitur heroum et minorum deorum breviora et angustiora templa : et sacella potius ac cellulæ, quam vera templa. Hinc B. Augustinus lib. IV, de Civitate Dei cap. 23 : D *Quis enim ferat, quod neque inter deos Consentes, quos dicunt in consilium Jovis adhibere ; nec inter deos quos selectos vocant, Felicitas constituta est, ut templum aliquod ei fieret, quod et loci sublimitate et operis dignitate præmineret ?* HERALD. *Cellulas*, i. e. sacella, seu privatas quasdam intra magnifica illa templa ædiculas, ubi aliquod dei cujuspiam simulacrum collocabatur. Ex. A. Gellio (Noct. Att. lib. VII, cap. 1.) siquidem discimus, Scipionem, scilicet Africanum, solitum fuisse sub crepusculum in Capitolium intrare *ac jubere aperiri cellam Jovis, ac ibi solum diu morari, quasi consultantem de Republica cum Jove.* Quod quidem ab Livio (lib. XXVI, c. 19.). Valerio Maximo lib. II, c. 2. § 2. et Aurelio Victore (de Vir. illustr. c. 49.) confirmatur. Si quis tamen probaverit, Arnobium *tugurioli*, *conclavis* et *cellulæ* nomine de parvis ædibus, quæ minoribus diis construi solebant, esse quoque intelligendum ; huic non prorsus refraga-

B bimur. NOURR. pag. 480.

IV. — *Sed non inquit, idcirco.* Et hoc loco Fulv. Ursinus legi vult *inquitis*, male, ut supra jam aliquoties ostensum. ORELL.

Sed ut eos possimus coram et cominus contueri. Hanc præcipuam templorum causam gentiles proponebant, construere nempe se templa, ut inibi deorum simulacra collocarent, et deos ibi affarentur de proximo. Ridet hanc superstitionem Luciani Demonax : Εἰπόντος δέ τινος τῶν ἑταίρων. Ἀπίωμεν, Δημῶναξ, ἐς τὸ Ἀσκληπιεῖον καὶ προσευξώμεθα ὑπὲρ τοῦ υἱοῦ· Πάνυ, ἔφη, κωφὸν ἡγῇ τὸν Ἀσκληπιὸν, εἰ μὴ δύναται ἐντεῦθεν ἡμῶν εὐχομένων ἀκούειν. Et Seneca, Epist. XLI : *Non sunt ad cœlum elevandæ manus, nec exorandus æditums, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat.* HERALD.

Affari de proximo. Affari deos et *alloqui* proprie. C Plautus in Amphitryone :

Numero mihi in mentem fuit
Dis advenientem gratias pro meritis agere, atque alloqui.

Sic Græcis προσειπεῖν. Euripides in Hercule furente :

Χρόνῳ δὲ ἀνελθὼν ἐξ ἀνηλίων μυχῶν
Ἀΐδου κόρης ἔνερθεν, οὐκ ἀτιμάσω
Θεοὺς προσειπεῖν πρῶτα τοὺς κατὰ στέγας. HERALD.

Venerationum colloquia miscere. Supra lib. I.: *Et cum domino rerum Deo supplicationum verba, atque orationum colloquia miscere.* HERALD.

Hoc est enim proprium deorum, complere omnia vi sua. etc. Vide J. Lipsii Physiolog. Stoicor. lib. I, Dissert. XXI. Oper. tom., IV, pag. 892 seq. ed. Vesal. ORELL.

Non cœnatum ad Æthiopas pergere. Homerus Il. A. vers 423 seq.:

D

Ζεὺς γὰρ ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα (θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο)
Δωδεκάτῃ δέ τοι αὖθις ἐλεύσεται Οὔλυμπόνδε.

Conf. Nazianzen. Orat. in Julian. pag. 300, et ibi ejus Scholiastes, Elias Cretensis. Lucianus de Sacrificiis pag. 72. ELMENH. Conf. Stat. Sylv. lib. IV, in Epulo Domitiani. Eustathius ad Iliad. l. l. memorat, in Diospoli, quæ Ægypti est civitas, esse Jovis templum maximum, unde Æthiopes Jovis et aliorum Deorum simulacra accipientes, certo quodam tempore universam Libyam circuire per duodecim dies continuos, quia tot sint apud ipsos dii. Meminit quoque Nicandri Scholiastes Θηριακοῖς addiditque myrica coronatos in hac solemni pompa Æthiopas, incedere consuevisse. MEURS., *pag.* 184.

V. — *Audiamini.* Ita legendum ex emendatione Meursii ob sequens *conficitis*. Editio princeps Sabæi : *audiamus*. Gelenius : *audiamur*. ORELL.

res sacras ceremoniarum conficitis debitis. Constituamus enim noscendæ rei causa, templum numinis alicujus esse apud Canarias insulas, ejusdem apud ultimum Thylem : ejusdem apud Seras esse, apud furvos Garamantas, et si qui sunt alii, quos ab sui notitia maria, montes, sylvæ, et quadrini distermi-nant cardines. Si omnes uno in tempore rebus divinis factis, quod sua quosque necessitas cogitare compellit, poscant de numine, referendi beneficii quænam omnibus spes erit, si non undique ad se missam vocem Deus exaudiet, et erit ulla longinquitas, quo penetrare non possit auxilium poscentis oratio? aut enim nullis erit in partibus præsens, si uspiam poterit aliquando non esse, aut aderit unis A tantum, quoniam præbere communiter suum non potest atque indiscretus, auditum. Atque ita perficitur, ut aut nullis deus opituletur omnino, si occupatus re aliqua ad audiendas voces non quiverit advolare; aut exauditi tantummodo uni abeant soli, nihil egerint cæteri.

VI. Quid quod multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis, et sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa, et functorum esse corporum sepulturas? Nonne patet et promptum est, aut pro diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, quorum delubra et templa mortuorum superlata sunt bustis? In historiarum

COMMENTARIUS.

Si quando res sacras ceremoniarum conficitis debitis. Debita ceremoniarum appellat ut *officia religiosa*, alibi *officium religionis, officium cultionis.* Infra lib. VII, cap. 21 : *Si caper cædatur Jovi, quem patri solemne est Libero, Mercurio mactari : aut bos si sterilis Unxiæ, quam Proserpinæ tribuitis quo ritu atque observatione præcipitur; quid facinoris in hoc erit? quid malorum, scelerisve contractum, cum nihil intersit obsequii, cujus animalis e capite honorarium istud debitum compleatur.* HERALD.—Eodem sensu *luere sacra* et *solvere.* Homines enim tanquam debitores diis censentur natura vel lege vel ex voto proprio, quos propterea, quasi omnium bonorum datores ac creditores suos, sacrificiis placant ac propitiant. Vide Salmas. Exercitt. Plin. in Solin. p. 9. ORELL.

Constituamus enim noscendæ rei causa. Stewechius τὸ *causa* delendum existimat, nubem exemplorum allegans, in quibus ablativi *causa*, *gratia*, *nomine*, per ellipsin omittuntur. Sic Priscianus lib. XVIII, dicit, Latinis frequentatum *populi servandi laborat*, C *reipublicæ defendendæ periclitatur.* Sallustius hac phrasi libenter utitur. Catil. VI, § 7 : *Imperium regium, quod initio conservandae libertatis atque augendæ reipublicæ fuerat.* Et Jugurth. LXXXVIII, 4 : *Quæ postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit.* Ubi vid. Cort., pag. 46 et 818. Noster etiam supra lib. V, cap. 23 : *ferventique adhuc matri velut quasdam infulas elicendæ miserationis offerentem.* Plura dabunt Sanctius Minerv. IV, cap. 4, ibique, Perison. et Heusinger, in Addendis ad pag. 133. Vecchneri Hellenolex. Nolim tamen aliquid mutare invitis Codd. ORELL.

Apud Canarias insulas. Plinius Natural. Hist. lib. VI, cap. 33; Solinus cap. 60. ELMENH.

Apud ultimam Thylem. Virgilium hic noster imitatus : etsi tamen pro consuetudine antiqua *y* pro *u* adhibitum sit : unde confusa passim in vetustis membranis hæc : *gyla* et *gula* (de quo et Sosipatrum D Charisium verba facere memini), *Capya* et *Capua*, *Sylla* et *Sulla*, similia sexcenta. Virgilii versus I, Georg., vers. 30.

Tibi serviat ultima Thule.

Itidem apud Claudianum de Bello Get. 203 seq. :

Et nostro procul axe remotam
Insolito belli tremefecit murmure Thulen. STEWECH.

Vid. Solin., cap. XXV; Mela, lib. III, cap. 6, ibique If. Voss. Mannert. : *Géographie der Griechen und. Römer*, vol. I, pag. 78, et vol. II, pars II, pag. 265, seq. ORELL.

Quadrini cardines. Cardines mundi quatuor. ORELL.

Cogitare compellit. Meursius legendum suspicatur : *Rogitare compellit.* ORELL.

Atque ita, etc. Ita ms. Alii : *At ita.* ELMENH.

Nihil egerint cæteri. Nihil agere pro frustra conari B, frustra laborare, hoc loco frustra precari. Vid. C. Barth., Adversar., lib. XXVIII, cap. 9, pag. 1327. ORELL.

VI.—*Tholis.... aureis.* Statius, lib. II. Theb. :

. . . . Figamque superbis
Arma tholis.

Placidus Lactantius : *Tholum est media templi camera locus, in quo voventium primitiæ suspendebantur.* ELMENH.—Atqui *tholi*, non *thola*, sunt erectiores testudines, templis vel aliis ædificiis addi solitæ, in quibus deorum Dearumve imagines ponebantur. Vid. Philandri Lex. Vitruv., et Gesner., in Thes., hoc verbo, et nos ad Jac. Balde, IV. Lyr., Od. XLV, vers. 25. ORELL.

Ex eo nonne patet et promptum est aut pro diis immortalibus mortuos vos colore, etc. Hunc locum similiter a Clemente auctor noster mutuatus est, cujus hæc sunt verba (in Protrept., p. 39, seq. ed. Potter.) : Εἰκότως ἄρα ἀρχήν ποθεν ἡ δεισιδαιμονία λαβοῦσα, κακίας ἀνοήτου γέγονε πηγή· εἶτα δὲ μὴ ἀνακοπεῖσα, ἀλλ' εἰς ἐπίδοσιν ἐλθοῦσα, καὶ πολλὴ δὴ ῥυεῖσα, δημιουργὸς πολλῶν καθίσταται δαιμόνων, ἑκατόμβας θύουσα καὶ πανηγύρεις ἐπιτελοῦσα, καὶ ἀγάλματα ἀνιστᾶσα, καὶ νεὼς ἀνοικοδομοῦσα· οὓς δή, οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τούτους σιωπήσομαι. πρὸς δὲ καὶ αὐτοὺς ἐξελέγξω νεὼς μὲν εὐφήμως ὀνομαζομένους, τάφους δὲ γενομένους, τουτέστι τοὺς τάφους νεὼς ἐπικεκλημένους. Ὑμεῖς δὲ ἀλλὰ κἂν νῦν δεισιδαιμονίας ἐκλάθεσθε, τοὺς τάφους τιμᾷν αἰσχυνόμενοι. Ἐν τῷ νεῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν Λαρίσσῃ, ἐν τῇ ἀκροπόλει τάφος ἐστὶν Ἀκρισίου· Ἀθήνησι δὲ ἐν ἀκροπόλει Κέκροπος, ὥς φησιν Ἀντίοχος ἐν τῷ ἐννάτῳ τῶν ἱστοριῶν. Τί δὲ Ἐριχθόνιος; οὐχὶ ἐν τῷ νεῷ τῆς Πολιάδος κεκήδευται; Ἴμμαρος δὲ ὁ Εὐμόλπου καὶ Δαείρας, οὐχὶ ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ Ἐλευσινίου, τοῦ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει; αἱ δὲ Κελεοῦ θυγατέρες, οὐχὶ ἐν Ἐλευσῖνι τετάφαται; τί σοι καταλέγω τὰς Ὑπερβορέων γυναῖκας; Ὑπερόχη καὶ Λαοδίκη κέκλησθον· ἐν τῷ Ἀρτεμισίῳ ἐν Δήλῳ κεκήδευσθον· τὸ δὲ ἐν τῷ Ἀπόλλωνος τοῦ Δηλίου ἐστὶν ἱερῷ. Λεάνδριος δὲ Κλέαρχον ἐν Μιλήτῳ τετάφθαι ἐν τῷ Διδυμαίῳ φησίν· ἐνταῦθα τῆς Λευκοφρύνης τὸ μνημεῖον, οὐκ ἄξιον παρελθεῖν, ἑπομένους Ζήνωνι τῷ Μυνδίῳ· ἢ ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀρτέμιδος, ἐν Μαγνησίᾳ κεκήδευται· οὐδὲ μὴν τὸν ἐν Τελμισσῷ βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος, ὃν μνῆμα εἶναι καὶ τοῦτον Τελμισσέως τοῦ μάντεως, ἱστοροῦσι. Πτολεμαῖος δὲ ὁ τοῦ Ἀγησάρχου, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν περὶ τὸν Φιλοπάτορα, ἐν Πάφῳ λέγει, ἐν τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἱερῷ Κινύραν τε καὶ τοὺς Κινύρου ἀπογόνους κεκηδεῦσθαι. Ἀλλὰ γὰρ ἐπιόντι μοι τοὺς προσκυνουμένους ὑμῖν τάφους, ἐμοὶ μὲν οὐδ' ὁ πᾶς ἂν ἀρκέσῃ χρόνος. CANTER.—Eadem iisdemque fere verbis leguntur ap. Euseb. in Præparat. Evangel., lib. II, cap. 6. Conf. Cyrill., adv. Iulian. X, et Athenagoras, in Legat. pro Christ., pag. 258, ed. Rechenberg. ORELL.

Quorum delubra et templa mortuorum superlata sunt bustis. Steavechius legendum existimat : *tuberata sunt bustis*, translata voce ad tumulos humatorum

Antiochus nono Athenis in Minervio memorat Cecropem esse mandatum terræ; in templo rursus ejusdem, quod in arce Larissæ est, conditus scribitur atque indicatur Acrisius: Erichtonius Poliadis in fano: A Dairas et Immarus fratres et Eleusino consepto, quod civitati subjectum est. Quid Celei virgines, non in Cereris Eleusinæ humationis habuisse perhibentur officia? non in Dianæ delubro, quod in Apollinis

COMMENTARIUS.

Male. Nam infra eodem capite: *Polyandria illa Varronis, quibus templis contegantur, quasque in se habeant superlati ponderis moles. Templa mortuorum bustis superlata* sunt itaque templa exstructa super mortuorum bustis. Orell.

In historiarum Antiochus nono. Intelligendus sine dubio Antiochus Syracusius, qui floruit Olympiade XC. sive urbis Romæ 330, scripsitque Historiam Siculam libris novem: de qua Diodorus lib. xii, c. 71: Τῶν δὲ συγγραφέων Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος τὴν τῶν Σικελικῶν ἱστορίαν εἰς τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν (Olymp. LXXXIX, 1.) κατέστρεψεν, ἀρξάμενος ἀπὸ Κωκάλου τοῦ Σικανῶν βασιλέως, ἐν βίβλοις ἐννέα. Ubi vid. Wesseling., pag. 528, vol. v, ed. Bipont., et G. J. Voss., de Hist. Græc., lib. iv, cap. 7. Orell.

In templo rursus ejusdem, quod in arce Larissæ est. Barthius, ad Stat. Theb., i. 382, vol. ii, pag. 132, legendum existimat *in arce Larissa est,* putans intelligi Larissam urbis Argivæ acropolin, de qua Strabo, lib. viii, pag. 370, ed. Casauboni: Ἡ μὲν οὖν πόλις ἡ τῶν Ἀργείων ἐν χωρίοις ἐπιπέδοις ἵδρυται τὸ πλέον· ἄκραν δ' ἔχει τὴν καλουμένην Λάρισσαν, λόφον εὐερκῆ μετρίως· ῥεῖ δ' αὐτῆς πλησίον ὁ Ἴναχος, χαραδρώδης ποταμὸς, ἔχων τὰς πηγὰς ἐκ Λυρκίου τοῖς κατὰ τὴν Κυνουρίαν ὄροις τῆς Ἀρκαδίας. Sed fallitur. Nam ne dicam, in arce Larissa templum non Minervæ, sed Jovis commemorari a Strabone, Pausanias in Corinthiacis lib. ii, narrat disertis verbis Acrisium, de quo hic sermo, Larissam Thessaliæ ad Peneum amnem concessisse. Vide notam sequentem. Orell.

C *Conditus scribitur atque indicatur Acrisius.* Pausanias, l. l., pag. 112, ed. Sylburg.: Οἱ δὲ Ἄβαντος τοῦ Λυγκέως παῖδες τὴν βασιλείαν ἐνείμαντο. Καὶ Ἀκρίσιος μὲν αὐτοῦ κατέμεινεν ἐν τῷ Ἄργει, Προῖτος δὲ τὸ Ἡραῖον καὶ Μίδειαν καὶ Τίρυνθα ἔσχεν, καὶ ὅσα πρὸς θαλάσσῃ τῆς Ἀργείας..... χρόνῳ δὲ ὕστερον Ἀκρίσιος Περσέα αὐτόν τε περιεῖναι πυνθανόμενος, καὶ ἔργα ἀποδείκνυσθαι, ἐς Λάρισσαν ἀπεχώρησε τὴν ἐπὶ Πηνειῷ. Περσεὺς δὲ (ἰδεῖν γὰρ πάντως ἤθελε τὸν γονέα τῆς μητρὸς, καὶ λόγοις δὲ χρηστοῖς καὶ ἔργοις δεξιώσασθαι) ἔρχεται παρ' αὐτὸν εἰς τὴν Λάρισσαν. Καὶ ὁ μὲν οἷα ἡλικίᾳ τε ἀκμάζων, καὶ τοῦ δίσκου χαίρων τῷ εὑρήματι, ἐπεδείκνυτο ἐς ἅπαντας. Ἀκρίσιος δὲ λανθάνει κατὰ δαίμονα ὑποπεσὼν τοῦ δίσκου τῇ ὁρμῇ. Καὶ Ἀκρισίῳ μὲν ἡ πρόρρησις τοῦ θεοῦ τέλος ἔσχεν, οὐδὲ ἀπέτρεψέν οἱ τὸ χρεὼν τὰ εἰς τὴν παῖδα καὶ τὸν θυγατριδοῦν (Danaen et Perseum) παρευρήματα. Pessime itaque nonnulli Acrisium hunc Ulyssi avum faciunt, quem Arcesium, non Acrisium, fuisse docet Stewechius. Orell.

D *Erichthonius Poliadis in fano.* Athenis in templo Minervæ Poliadis, cujus amplam descriptionem vide ap. Pausaniam lib. i, p. 48 seq., ed. Sylburg., humatus rex Erichthonius, quadrigarum inventione nobilitatus, testibus Virgilio, Georg. iii, 113, et Plinio, Hist. nat., vii, cap. 56. Orell.

Dairas et Immarus fratres. Sic emendavit Salmasius e Clemente. Ms. habet: *Immaranchus.* Editio princeps: *Immarnachus.* Variant enim scriptores in hoc nomine. Pausanias, lib. i, pag. 49, et Cyrillus adv. Julian., lib. x, pag. 349, vocant Ἰμμάραδον παῖδα Εὐμόλπου. Eusebio dicitur Ἴσμαρος. Cæterum videtur Arnobius Clementem suum vel non intellexisse, vel aliter legisse, vel etiam e diversis hausisse fontibus. Clemens enim scribit: Ἴμμαρος δὲ ὁ Εὐμόλπου καὶ Δαείρας, quod significat: Immarus filius Eumolpi et Dairæ. Arnobius autem Δαείρας accipiens masculino genere fratrem facit Immari. Dairæ, Δαείρας, filiæ Oceani, quæ a Mercurio compressa peperit Eleusinem heroem, meminit Pausanias, lib. i. pag. 71, ed. Sylb. Orell.

In Eleusino consepto. Sic ed. Lugd. Bat., e Codice Regio. Sabæus et Gelenius ediderunt: *in Eleusinis consepto.* Alii: *in Eleusinio consepto.* Heraldus e Clementis verbis ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ Ἐλευσινίου, conjicit, nostrum scripsisse *in Eleusinii* (id est templi Cereris Eleusinæ) *consepto.* Sed, ut bene observat Salmasius, ad Solin., pag. 8, Arnobius aliter legisse videtur Clementis locum, ita scil. ἐν τῷ περιβόλῳ τῷ B Ἐλευσινίῳ, vertens *in Eleusino consepto* pro Eleusinio. Sic paulo post *in Cereris Eleusinæ* pro Eleusiniæ, et Virgilius, Georg. i, 163:

> Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra.

Conseptum περίβολον Græci vocant certum agri modum circum templa vacantem, vitibus aut arboribus consitum et muro clausum, deoque, cujus id erat templum, dicatum, et sacerdotum usibus proficientem. Pollux, lib. i, § 10: Οἱ ἀνειμένοι θεοῖς τόποι, ἄλση τε καὶ τεμένη, καὶ ἕρκη, καὶ ὁ περὶ αὐτὰ κύκλος περίβολος. Ælianus, Hist. Anim., lib. xvii, cap. 16: Οὐκοῦν ἐν τῷ τοῦ νεὼ περιβόλῳ τιθασσοὺς ὄρνιθας πολλοὺς τρέφεσθαί φησι. Apulejus Met., xi: *Ædibus conductis intra conseptum templi larem temporarium mihi constituo.* Non itaque Dairas et Immarus intra templum sepulti, sed in templi consepto. Vide Herald. ad h. l. Salmas. ad Solin., p. l., et Keuchen. ad Samonic., vers. 936, in Poet. lat. min. P. Burmanni, vol. ii, p. 362. Orell.

Quod civitati subjectum est. Fulv. Ursinus conjicit: *Quod arci subjectum est.* Orell.

Quid Celei virgines, non in Cereris Eleusinæ humationis habuisse perhibentur officia. Hæc lectio, merito in textum recepta a Salmasio debetur Heraldo. Codex ms. et editio princeps: *humationibus perhibentur officia*, nullo sensu unde Gelenius fecit: *humatæ habere perhibentur officia,* quod nihil aliud significare potest, quam: *humatæ ibi perhibentur honore sacrificiorum et parentalium mactari,* quo sensu *officia habere* absolute an dici possit, valde dubito. Fulv. Ursinus conj.: *humationis sortitæ perhibentur officia.* Meursius: *humatæ omnibus perhibentur officiose.* Stewechius: *humatus habere perhibentur officia,* explicans, virgines illas libitinariorum vicem fuisse. Male. Aliud enim est *officia habere,* aliud *officiis fungi.* Atqui *officia habere* significat officium (beneficium) nancisci ab altero. Plinius, lib. vii, epist. 19: *Utramque colui, utramque dilexi: utram magis, nescio, nec discerni volebant. Habuerunt officia mea in secundis, habuerunt in adversis.* Humationis igitur officia habuisse idem est quod sepultas, humatas fuisse, τετάφθαι, ut scribit Clemens. Intelligendæ autem filiæ Celei Eleusinii regis, cujus filius Triptolemus a Cerere hospitio excepta sationem frugum acceperat. Vide Apollodor., i, cap. 5, 1. Earum nomina Διογένειαν καὶ Παμμερόπην καὶ τρίτην Σαισάραν profert ex Homero et Pampho Pausanias, lib. i. pag. 71, ed. Sylburg. Pessime igitur Fulv. Ursinus reponit. *Quid Elei virgines?* a vico Elæo in Argo, cujus incolas Eleusinios fuisse auctor est Stephanus. Atqui *Celei virgines* sunt Κελεοῦ θυγατέρες. Ita *virgo alicujus* pro filia apud optimos scriptores, v. c. Cornel. Nepot., in Epaminond., cap. 3, § 5: *Nam cum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus, aut virgo amici nubilis propter paupertatem collocari non posset, amicorum concilium habebat, et quantum quisque daret, pro cujusque facultatibus imperabat.* Orell.

contraxit? Quid pro cycnis, et satyris? quid pro aureis imbribus, in quos idem se pellax fraude induit perfida formarum varietatibus ludens? Ac ne de Jove solo loqui videamur voluisse, in amoribus numinum reliquorum esse allegoriæ quæ possunt? quæ in mercenariis conditionibus, ac servitutibus? quæ in vinculis, orbitatibus, planctibus? quæ in cruciatibus, vulneribus, sepulcris? in quo cum unam contrahere possetis culpam conscriptione de superis tali, addidistis, ut dicitur, garo gerrem, cum deorum nominibus appellavistis res turpes, et vocabulis rursus deos rerum conquinastis infamium. Quod si adesse hic eos, aut esse illos uspiam cognitione indubitabili crederetis: in mentione illorum facienda præstringeret vos metus; et tamquam vos audirent, vestrasque acciperent voces, ita credi oportuit, et haberi in cogitatione defixum. Apud enim homines officiosis religionibus deditos non ipsi dii tantum, verum etiam nomina deberent esse deorum reverenda: quantumque est in ipsis, qui censentur his nominibus, tantum esse par est in eorum appellationibus dignitatis.

XLV. Da veram judicii formam, et in illa estis reprehensionis parte, quod in usu sermonis vestri Martem pro pugna appellatis, pro aquis Neptunum, Liberum patrem pro vino, Cererem pro pane, Minervam pro stamine, pro obscœnis libidinibus [a] Venerem. Quæ enim est ratio, ut cum suis censeri appellationibus res possint, nominibus cognominentur deorum, et ea fiat numinibus contumelia, quam nec homines sustinemus, si nostra quis nomina res ducat atque invertat in frivolas? Sed [b] oratio sordida est, verbis fuerit polluta si talibus. Verecundia laude condigna, erubescitis panem et vinum nominare, et pro coitu Venerem non metuitis dicere.

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic ms. Bene.* Libidinis *Sab.*

[b] *Alii :* Et.

COMMENTARIUS.

Plin. Paneg. legentis : *In libidinum ministeria substitutos.* Vid. Burmann., ad Valer. Flacc, VII, 536, et Sueton. Aug. cap. 11. ORELL.

Pellax. Vide supra ad lib. IV, cap. 36. ORELL.

Conscriptione de superis tali. Fulv. Ursinus ed. *conscriptioni*, etc., male. ORELL.

Addidistis, ut dicitur, garo gerrem. Scripturam hanc codicis msti, ex quo illam protulit Meursius in Appendice, verissimam et elegantissimam Arnobio reddidit N. Heinsius, Adversar., lib. VI, cap. 8, p. 619. (ed. Burmann.), et Salmasius, in ed. Lugd. Bat. *Garo gerrem addere*, proverbium dictum in eos, qui res pretiosissimas et augustissimas inquinant et honore suo privant, res vilissimas et abjectissimas cum illis conjungentes. (Simile proverbium, spurcum quidem ac turpiusculum, etiamnum in usu est apud homines plebeios : D..... *in die Milch machen*) Nam *garum*, liquamen exquisitum ex intestinis piscium (scombrorum præcipue, quorum optimi capiebantur in Hispania) sale maceratis, in pretiosissimis habebatur eduliis. Vide apic. Coel., lib. I, cap. 7, ibique Lister., intpp. ad Petron., cap. 36; Gesner., in Thesauro, et imprimis, Geoponic. lib. XX, cap. 46, ibique Niclas, pag. 1270; it. Heindorf. V. Cl., ad Horat. II, satir. VII, 46, pag. 437. Contra gerres tamquam vilissimos pisciculos commemorant Plinius, Hist. nat., lib. XXXII, cap. 53, (ubi vide Harduin., pag. 594, vol. II) ac Martialis, lib. III, epigr. 76. :

> Teque juvant gerres et pelle melandrya cana.

et lib. XII, epigr., 32 :

> Fuisse gerres, aut inutiles mænas
> Odor impudicus urcei fatebatur.

Ausonius, in Prœm., ad Idyll. XI, pag. 448, ed. Tollii : *Misi itaque ad te frivola gerris Siculis vaniora : ut, cum agis nihil, hæc legas : et ne nihil agas, defendas.* Glossæ : *Gerres*, *μαινίδες*. Vide Turneb., Adversar., lib. XXIV, cap. ult. Quod non intelligens Sabæus, sequentibus reliquis editoribus usque ad Salmasium, edidit : *addidistis, ut dicitur, gangrænam*, quod Hadr. Junius in Supplementis ad Erasmi Adagia centur. VIII, Proverb. 5, exponit : geminastis malum, veterem culpam novæ noxæ additione gravastis. Gangræna enim cancri species. Lucilius in Satyris :

> Serpere uti gangræna malo atque herpestica possit.

Sed multo elegantior et significantior Codicis lectio, quam Oberthurium in editionem suam non recepisse valde miror. ORELL.

Conquinavistis. Stewechius mavult : *Coinquinavistis*, ut supra lib. IV, cap. 34.: *Carmen malum conscribere, quo fama alterius coinquinetur et vita*, observans ex Festo, verba *inquinare* et *coinquinare* ducta esse ab antiquo *cunire*, quod significat stercus facere. Sed *conquino* et dici et scribi vult Victorinus de Orthographia. pag. 2467. Collect. Putschii. Conf. Scaliger. et Mercer. ad Plauti Pseudol., act III, scen. II, vers 75. ORELL.

Indubitabili. Alii : *indubitabile.*

XLV. — *Da veram judicii formam.* Sic e cod. msto emendavit Stewechius citans locum geminum, lib. II, cap. II : *Da verum judicium*, ubi autem cum Heraldo legendum : *Da puerum judicem.* Alii : *Ad veram judicii formam.* Pro *formam* Meursius conjicit *normam.* ORELL.

Sed oratio sordida est, verbis fuerit polluta si talibus, Verecundia laude condigna, etc. Cod. ms habet : *Verecundia ac laude condigna*, unde Stewechius legendum suspicatur : *Verecundi ac lauti condigne erubescitis*, etc., homines lautos explicans homines ad gravitatis studium eruditos, quo sensu occurrit libro VII. Meursius, in Appendice legendum censet : *Verecundia hæc laude condigna.* Ed. Lugd. Bat.: *Sed oratio sordida, verbis fuerit polluta si talibus, verecunda ac laude condigna* (per ironiam scil.). Equidem nolim quidquam mutare invitis Cod. ORELL.

LIBER SEXTUS.

INDEX CAPITUM.

1. Nunc quoniam summatim ostendimus, quam impias de diis vestris opinionum constitueritis infamias ; sequitur ut de templis, de simulacris etiam, sacrificiisque dicamus : deque alia serie, quæ his rebus annexa est, et vicina copulatione conjuncta. In hac enim consuescitis parte crimen nobis maximum impietatis affingere ; quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicujus simulacrum constituamus, aut formam : non altaria fabricemus, non aras, non cæsorum sanguinem animantium demus, non thura neque fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum effusionibus inferamus ; quæ quidem nos cessamus non ideo vel exædificare, vel facere, tamquam impias geramus ac scelerosas mentes, aut aliquem sumpserimus temeraria in deos desperatione contemptum ; sed quod eos arbitramur, et credimus, si modo dii certi sunt, et nominis hujus eminentia præditi, honorum hæc genera aut risui habere, si rideant, aut indigne perpeti, si motibus exasperentur irarum.

COMMENTARIUS.

1. — *Quam impias de diis vestris opinionum constitueritis infamias.* Proba lectio. Ostendit enim, nullum probri genus esse, quod non diis suis attribuerent. Quorsum igitur *insanias?* HERALD.—Fulvii Ursini conjectura *insanias* defendi potest loco gemino, libri II : *Nec per impius vagari suspicionum voluerimus insanias.* ORELL.

Crimen nobis maximum impietatis affingere. Sabeus, Gelenius et Salmasius ediderunt *affigere.* Sed lib. I, cap. 26, legimus : *Qui aut summo servientibus regi crimen impietatis affingit.* Nihil igitur mutandum. ORELL.

Quod neque ædes sacras, etc. Sic apud Minucium Fel., cap. 10, quærit Cecilius : *Cur christiani nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra?* Ubi vid. intpp. Conf. infra ad cap. 3, hujus libri notam Heraldi. ORELL.

Temeraria..... desperatione. Vide supra, ad lib. I, cap. 25 et 55. Non igitur audiendus C. Barthius, Adversar., lib. XXIX, cap. 18, p. 1390, conjiciens : *Temeraria despectatione.* Nam *despectatio* et *contemptus* unum idemque. ORELL.

Sed quod eos arbitramur. Sic e codice msto., rescripsit Stewechius. Alii : *Sed quod deos arbitramur.* OR.

II. Ut enim noscatis, quid de isto nomine sentiamus, judiciique simus cujus, existimamus nos eos, si modo dii certi sunt, ut eadem rursus satiateque dicantur, cunctarum esse debere perfectarumque virtutum sapientes, justos, graves, si modo nulla est culpa, quod eos laudibus accumulamus humanis, intestinis pollentes bonis, nec extraneis adminiculis se addicere, quod illis integritas inoffensæ beatitudinis compleatur : ab affectibus cunctis, et cunctis perturbationibus liberos, non ira effervere, non ullis cupiditatibus, excitari, calamitatem irrogare nullis, non ex malis hominum crudelem accipere voluntatem, non terrere portentis, non prodigiosas ostentare formidines, non votorum debitis habere obnoxios et obligatos, nec piaculares hostias signis minacibus postulare, non pestilentias, non morbos corruptione aeris inducere, non adurere siccitatibus fruges, non cædibus interesse bellorum, non urbium stragibus, non adversa his velle, non illorum commoditatibus suffragari : sed quod magnarum est [a] mentium pari pendere cunctos lance, et individuas cunctis benevolentias exhibere. Caduci enim generis, et infirmitatis humanæ est, contrariis egere, eosque, quos tangat affectio, pati, dolere, diminui, sapientium scita et pronuntiata definiunt : nec posse aliter fieri, quin legibus mortalitatis astricti sint, qui sint ullis perturbationibus mancipati. Quod cum ita se habeat, qui possumus judicari deos habere contemptui, quos, nisi sunt recti, et magnarum mentium admiratione laudabiles, deos negamus existere, nec potestatibus posse cœlitibus applicari ?

III. Sed templa illis extruimus nulla, nec eorum effigies adoramus, non mactamus hostias, non thura ac vina libamus. Et quid [b] amplius possumus vel honoris eis attribuere vel dignitatis, quam quod eos in ea ponamus [c] parte, qua rerum caput, ac dominum, summumque ipsum regem, cui debent dii una nobiscum, quod esse se sentiunt, et vitali in substantia contineri ? Numquid enim delubris aut templorum eum constructionibus honoramus ? Num-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Alii :* Esset.
[b] *Alii :* Ecquid.
[c] *Alii :* Ponimus.

COMMENTARIUS.

II. — *Ut eadem rursus satiateque dicantur.* Editio Gelenii habet *sociateque.* Orell.

Nec extraneis adminiculis se addicere. Ita ed. Lugd. Bat. Codex mstus. habet : *Nec extraneis adminiculis addicere.* Stewechius legit : *Nec se extraneis adminiculis addicere.* Gelenius et Fulv. Ursinus ex ingenio refinxerunt : *Adminiculis indigere.* Heraldus conj. *addigere.* Quod verbum frustra quæsivi in Lexicis. Orell.

Inoffensæ beatitudinis. Sic apud Gellium, lib. II, cap. 1 : *Inoffensa valetudo.* Solin., cap. IV : *Inoffensa felicitas.* Ovid., I. Trist., eleg. VIII : *Inoffensa vita.* Plinium junior.: *Inoffensa voluptas.* Tacitum : *Inoffensum iter.* Elmenh.

Non votorum debitis habere obnoxios et obligatos. Horatius II, od. 8, 5 seq.:

Sed tu, simul obligasti
Perfidum votis caput, etc. Herald.

Piaculares hostias. Ita dicit lustralia piamenta, quæ portentorum expiandorum vim haberent. Varro, de Ling. lat., lib. V: *Prætor qui tum fatus est, si imprudens fecit, piaculari hostia fœtu piatur.* Conf. lib. I, cap. 26 : *Hostias circumforaneas* appellant alii, quod scil. circumferrentur hostiæ, quibus portentorum expiabantur minæ, et loca omnia adversus numinis iram ita munirentur. Apuleius, Milesia IV.: *Tandem pererratis plateis omnibus, et in modum eorum, qui lustralibus piamentis minas portentorum hostiis circumforaneis expiant, circumductus angulatim forum ejusque tribunal astituor.* Elmenhorst. et Herald.

Commoditatibus suffragari. Hoc est, augere felicitatem. Male itaque Fulv. Ursinus conj. : *incommoditatibus suffragari.* Orell.

Pati, dolere, diminui. Id est, corrumpi, φθείρεσθαι. Supra, lib. I, cap. 18 : *Ubi perturbatio est, ibi dolor et ægritudo est. Ubi dolor et ægritudo est, imminutioni et corruptioni jam locus est.* Herald. Ita Codex mstus, Ursinus et editor Lugd. Bat. Gelenius : *pati dolorem, diminui.* Stewechius : *pati, dolore, diminui.* Orell.

...itibus. Ita Salmasius, ms. : *cælitus.* Gelenius : ...n. Alii : *cœlestibus.* Orell.

III. — *Cui debent Dii una nobiscum.* Sic edidi ex emendatione Jo. Meursii probata etiam a Jo. Walkero ad Cic., de Nat. deor., lib. I, cap. 13, p. 335, ed. Davis. Codex ms. et editiones omnes habent : *Cui debent divina nobiscum.* Heraldus v. *divina* delendum censet tanquam glossema. C. Barthius, Adversar., lib. XXIX, cap. 18, p. 1391, legendum suspicatur : *Dii vani nobiscum ;* at paulo post idem retractans hanc conjecturam tuetur lectionem vulgatam, probans *divina* pro diis dici exemplo Lactantii Inst., lib. II, cap. 2 : *Si autem dii absentes esse non possunt, qui quoniam divini sunt, in quacumque parte mundi fuerint, vident et audiunt universa.* Et Cypriani, Carm. de Sodoma :

Quamquam divinos nescius, ultro
Advocat, appellat, patrio veneratur honore.

Sed ne dicam, in duobus his locis deos *divinos*, non *divina* neutro genere, dici, locus Lactantii nihil probat, cum inibi *divini* dicantur divinandi facultate præditi. Sequi igitur malui correctionem Meursii. Orell.

Numquid enim delubris aut templorum eum constructionibus honoramus. Si templa sunt loca magnifice constructa, in quibus Dei simulacra constituantur, et ubi deus quasi habitare existimetur, quomodo nos ædes ad usum habitationis habemus ; prioribus Ecclesiæ temporibus Christianis templa erant nulla : sed si templa appellanda sunt quæcumque loca, in quibus fideles congregantur, et Deum sociatis votis invocant ac cætera religionis officia celebrant ; profecto Christiani sua semper habuerunt templa, ædes scil. privatas et quascumque ædium partes, cœmeteria, sylvas etiam et cavernas, in quibus ferventibus persecutionibus colligerentur. Persecutionum autem motu consopito conventicula, (οἴκους, οἴκους ἐκκλησιῶν) quidem exstruebant ; non ad ostentationem, non ubi Dei simulacrum aliquod tanquam præsens numen adiretur ; sed humilia et a privatis ædificiis humilitate nihil differentia. Idcirco Gentiles qui exteriorem rerum faciem, quam interiores cordis secessus, pluris æstimabant, identidem inculcabant, nulla esse Christianis templa, delubra nulla. Quod libere fatebantur

quid et hostias cædimus? Numquid alias res damus, quas libare, profundere, non est rationis expensæ, sed tracti per consuetudinem moris? Etenim plena dementia est, necessitatibus tuis potentiora metiri, et quæ tibi sunt usui, datoribus diis dare, et honorem istum, non contumeliam ducere. Templa igitur quærimus in deorum quos usus? aut in rei cujus necessitatem, aut dicitis esse constructa, aut esse rursus ædificanda censetis? Hyemalia sentiunt frigora, aut solibus torrentur æstivis, pluvialibus nimbis perfluunt, ventorum eos aut turbines vexant? incursionem pati periclitantur hostilem, ferarum aut rabidos appetitus, ut merito illos conveniat tectorum munitionibus claudere, saxorum aut objectione tutari? Templa enim hæc quid sunt? Si humanam infirmitatem roges, nescio quid immane atque amplum: si deorum potentiam metiaris, successus quidam [a] parvi, atque, ut verius eloquar, genus angustissimum cavernarum paupertini cordis excogitatione suspensum. Quorum si quæris audire quis prior fuerit fabricator [b], aut Phoroneus, Ægyptius aut Merops tibi fuisse monstrabitur: aut, ut

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quidem *Sab.*

[b] *Bene ms. addit.* Fuerit constitutor, quis fabricator.

COMMENTARIUS.

christiani; immo et ipsum templorum usum esse non modo supervacuum, verum etiam impium asserebant, Deum autem non in ναοῖς χειροποιήτοις, sed nostra ipsorum mente esse dedicandum. Vid. Minuc. Fel., cap. XXXII; Origen., contra Cels.; Clemens Alexandr., Strom., lib. VII; Lactant. de Ira Dei, cap. ult. Quid quod ipsam templorum appellationem quasi ab idololatria profectam christiani respuebant. Hinc Zeno Veronensis, sermone de Continentia: *Proponimus itaque, ut sæpe contingit, in unum sibimet convenire diversæ religionis diem, quo tibi Ecclesia, illi adeunda sint templa.* Ecclesiam appellat Christianorum conventiculum: templa gentibus tribuit. Hinc et B. Hieronymus epist. ad Riparium presbyterum adversus Vigilantium: *Mortuo cadaveri atque polluto præbebant excubias, ut post multa sæcula dormitantius somniaret, immo eructaret immundissimam crapulam, et cum Juliano persecutore sanctorum basilicas aut destrueret, aut in templa converteret.* Ergo et florentibus rebus christianis, cum essent basilicæ non minus superbæ, quam pleraque gentium templa, ab ista tamen appellatione abstinebant eamque nationibus remittebant. Herald.—De *delubris* variæ jam antiquorum sententiæ: locus classicus est Asconii in Cic. Divinat. in Cæcil.: *Sunt qui templa esse dicant singulorum diis attributorum locorum, delubra multarum ædium sub uno tecto a diluvio pluviæ munitarum. Alii delubra dicunt ea templa, in quibus sunt labra corporum abluendorum, ut Dodonei Jovis, aut Appollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodesque visuntur. Sunt etiam qui delubra ligna delibrata, id est decorticata, pro simulacris deorum more veterum posita existiment, sed male.* Servius, ad Æn., II, 225, *delubrum* exponit templum pluribus diis consecratum. Conf. G. J. Vossii Etymol. Rom.; Gesner. in Thesaur., hoc verbo, et, qui hac de re multus est, J. Rycquii liber de Capitolio, cap. XII, p. 140, seqq. At Christiani scriptores vocibus *delubrum* et *templum* utuntur promiscue. Orell.

Numquid et hostias cædimus. Ita ed. Lugd. Bat., cod. ms.: *Numquid hostias cædimus?* Fulv. Ursin.: *Numquid ei hostias cædimus?* Orell.

Potentiora. ms.: *potiora*, quod tuetur Stewechius. Orell.

Aut in rei cujus necessitatem. aut a Gelenio est, omittit codex ms. Orell.

Dicitis. Stewechius mavult: *ducitis.* Orell.

Successus quidem parvi. Vide ad lib. I, cap 50. Meursius conj.: *Successis quidam parvi.* Orell.

Paupertini cordis. Paupertinus pauper et inops. Vid. Nonius hoc verbo et Savaro, ad Sidon., lib. II, epist. 10, pag. 155; et lib. VII, epist. 17, pag. 475. Sic *paupertinæ litteræ* apud Gellium, lib. IV, cap. 6. *Paupertina elementa* Tertullian., adv. Marcion., lib. I, cap. 14. *Pannosæ et paupertinæ reculæ* Apulei., Met., lib. IV. Orell.

Quorum si quæris audire, quis prior fuerit fabricator etc., etc. Clemens, in Protrept., p. 13 (38. ed. Potteri): Ὅθεν ἔπεισί μοι θαυμάζειν, τίσι ποτὲ φαντασίαις ἀπαχθέντες οἱ πρῶτοι πεπλανημένοι, δεισιδαιμονίαν ἀνθρώποις κατήγγειλαν, δαίμονας ἀλιτηρίους νομοθετοῦντες σέβειν, εἴτε Φορωνεὺς ἐκεῖνος ἦν, εἴτε Μέροψ, εἴτε ἄλλος τις, οἱ νεὼς καὶ βωμοὺς ἀνέστησαν αὐτοῖς· πρὸς δὲ καὶ θυσίας παραστῆσαι πρῶτοι μεμύθευνται. Canter.

Aut Phoronæus, Ægyptius, aut Merops. Sic interpungendum pro: *aut Phoronæus ægyptius, aut Merops.* amat Arnobius particulam istam trajicere atque involvere ad hoc exemplum. Herald. — Unice vera Heraldi interpunctio. Nec enim ægyptius Phoronæus, sed argivus rex. Eusebius Chronic. ab Hieronymo vers. Nor. 211.: *Phoronæus Inachi filius et Niobæ primus leges judiciaque constituit. Quidam hujus filiam Nioben arbitrantur.* Ubi vid. Jos. Scaliger., pag. 19; Lutatius, ad Stat. Theb., I, 541, et IV, 589.: *Hic (Phoronæus) est, qui primus Junoni sacrificasse dicitur, ut Dardanus Jovi. Phoronæus autem Inachi filius, qui primus mortalium regnavit, cujus filiam Nioben, quia alia Tantali est, Jupiter primam e mortalibus dicitur compressisse.* Idem Phegæo fratri juniori mortuo templum constituit, ubi ei tanquam Deo boves immolarentur, teste Augustino de Civ. Dei lib. XVIII, cap. III; conf. Hygin. fab. 143, 225, 274. Ibique Munker. pag. 211 et 327. Pausan. lib. II, pag. 112. Tatianus adv. Græc. Marscham. in Canon. Chron. p. 83 seq. ed. Franequer. et C. Barth. ad Stat. vol. III, p. 1502. Meursius legendum censet: *Phoronæus Argivus.* Sed omnia sana erunt, restituta interpunctione Heraldi. Orell.

Ægyptius aut Merops. In Eusebii Chronico ab Hieronymo verso lib. II, prooem. legimus: *Porro iste est Cecrops Diphyes indigena, sub quo primum in arce oliva orta est, et Atheniensium urbs ex Minervæ appellatione sortita nomen. Hic primus omnium Jovem appellavit, simulacra reperit, aram statuit, victimas immolavit, nequaquam istiusmodi rebus in Græcia usquam visis.* Quare Jos. Scaliger in Notis pag. 13, apud Clementem, unde Arnobius sua mutavit, refingit κέκροψ pro Μέροψ. Sed cum noster quoque habeat *Merops* videtur esse error ipsius Clementis, non librarii. Et omnino intelligendus Cecrops, primus rex Atticæ, quem alii, v. c. Appollodorus Bibl. lib III, 14., αὐτόχθονα faciunt; alii autem Ægytium, ut Scholiastes in Aristoph. Plut. vers. 773.: Κέκροψ δὲ, Αἰγύπτιος ὢν τὸ γένος, ᾤκησε τὰς Ἀθήνας, ὅθεν οἱ Ἀθηναῖοι κεκροπίδαι, et ex eo totidem verbis Suidas, nec non Tzetzes Chil. v. Hist. 18.:

Ὡς δὲ ἀπὸ τῆς Σάεως, πόλεως Αἰγυπτίας,
Μετὰ τὸν κατ' Ὤγυγον κατακλυσμὸν ἐκεῖνον
Ὁ Κέκροψ παραγίγονεν Ἀθήναις τῆς Ἑλλάδος.

Conf. Meurs. de Regn. Athen. lib. I, cap. 8—12. Orell.

tradit in admirandis Varro, Jovis progenies Æacus. Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis structa, laquearibus aut renideant aureis, splendeant hic gemmæ, et sidereos evomant variata interstitione fulgores : terra sunt hæc omnia, et ex fæce ultima vilioris materiæ concreta. Neque enim, si vos ea pretiis carioribus penditis, delectari credendum est his deos : nec recusare, nec spernere quo minus se sc- A piant, et eorum objectibus coerceantur inclusi. Templum, inquit, hoc Martis est, hoc Junonis, et Veneris, hoc Herculis, Apollinis, Ditis : quid est aliud dicere, quam domus hæc Martis est, hæc Junonis et Veneris, Apollo hic habitat, in hac manet Hercules, illa Summanus. Ita non prima et maxima contumelia est, habitationibus deos habere districtos [a]? Tuguriola

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ms.* Distructos. *male.*

COMMENTARIUS.

Aut ut tradit in Admirandis Varro, aut addidit Canterus. Titulus libri Varroniani erat : *Gallus Fundanius de Miris seu de Admirandis.* Vid. Varronis Fragmenta, pag. 253, ed. Bipont. ORELL.

Jovis progenies Æacus. Vide Hygin. Fab. 52 et 155. ELMENH.

Laquearibus aut renideant aureis. Plinius Hist. Nat. lib. XXXIV, cap. 3.: *Laquearia, quæ nunc et in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primo inaurata sunt in Capitolio, censura L. Mummii, inde transiere in cameras : in parietes quoque, qui jam et ipsi tanquam vasa inaurantur.* ELMENHORST. Ovidius Fast. I, 223.:

Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus.
Aurea, majestas convenit ista Deo.

et vers 77. :

Flamma nitore suo temporum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit in æde jubar.

Nec solum laquearia, sed januæ quoque aliæque templorum partes auratæ, ac propter hæc ornamenta *templa* appellata *aurea.* HERALD.

Splendeant hic gemmæ. Ovidius I Fast., vs. 201 sqq. :

Jupiter angusta vix totus stabat in æde;
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis;
Pascebatque suas ipse Senator oves.

Hinc Lactantius Inst. lib. V. cap. 8.: *Cujus templum est, non lapides, aut lutum : sed homo ipse, qui figuram dei gestat. Quod templum non auro et gemmarum donis; sed æternis virtutum muneribus ornatur.* HERALD.

Et sidereos evomant variata interstinctione fulgores. Virgilius, Æn. VIII, 619.:

Miraturque, interque manus et brachia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem.
ORELL.

Nec recusare, nec spernere, quo minus se sepiant. Id est: nec minus recusare ac spernere hæc domicilia, etc. Phrasis Arnobiana. HERALD.

Et eorum objectibus coerceantur inclusi. Hæc est sincera Membranarum scriptura. Similiter ait Libro VII.: *cujus sese objectu, oppositione prætexerit.* STEWECH.— Alii : *objectionibus*, ut paulo ante eodem capite *saxorum aut objectione tutari.* ORELL.

Templum, inquit, hoc Martis est, etc. Hinc ipsum etiam Divi nomen templorum foribus inscribebant. Jamblichus lib. I. de vita Pythagoræ cap. II.: Ἐπεὶ δὲ ἀπεκομίσθη εἰς τὴν Σάμον ἀπὸ τῆς Συρίας ὁ Μνήσαρχος μετὰ παμπόλλου κέρδους καὶ βαθείας περιουσίας, ἱερὸν ἱδρύσατο Ἀπόλλωνι, ΠΥΘΙΟΥ ἐπιγράψας. Nota formam inscriptionis Πυθίου : sic enim absolute generandi casu. Quare hunc locum ita reddere oportuerat : *Templum construxit Apollini, cum hac inscriptione*, PYTHII. Solemnis ista inscriptionis forma. Dionys. Halic. lib. I. Antiquit. Rom.: Καὶ αὐτῷ κατασκευάζουσιν οἱ Λατῖνοι ἡρῷον ἐπιγραφῇ τοιᾷδε κοσμούμενον, ΠΑΤΡΟΣ ΘΕΟΥ ΧΘΟΝΙΟΥ ὉΣ ΝΟΜΙΚΙΟΥ ῬΕΥΜΑ ΔΙΕΠΕΙ. Plutarchus in Erotico : Ἡ δὲ Βελεστίχη, πρὸς Διός, οὐ βάρβαρον ἐξ ἀγορᾶς γύναιον, ἧς ἱερὰ καὶ ναοὺς Ἀλεξανδρεῖς ἔχουσιν, B ἐπιγράψαντες δι' ἔρωτα τοῦ Βασιλέως ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΒΕΛΕΣΤΙΧΗΣ. Sic apud Plinium Hist. Nat. lib. VIII. c. 18 : *Qua de causa Libero patri templum in Samo Elpis sacravit, quod ab eo facto Græci* κεχηνότος Διονύσου *appellavere.* Id est : κεχηνότος Διονύσου ἐπέγραψαν. Et lib. X, cap. 3: *Quam ob causam incolæ quod vocant heroum in eo loco fecere, appelatum Jovis et virginis.* Διὸς καὶ Κόρης. M. Tullius lib. III. de Nat. Deor. cap. 34.: *Jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri* (Dionysius), *in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset, bonorum deorum, uti se eorum bonitate velle dicebat.* Zozimus lib. II.: βωμὸς εὑρέθη πεποιημένος, ἐν ᾧ γράμματα ἦν ἍΙΔΟΥ ΚΑΙ ΠΕΡΣΕΦΟΝΗΣ. Servius ad lib. III. Æneid.: *Alii in templo Apollinis aram fuisse inscriptam*, ΠΑΤΡΙΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. Sic autem et alia monumenta absolute inscribebant. Plutarchus in Othone : Εἶδον δ' ἐν Βριξιάλῳ γενόμενος καὶ μνῆμα μέτριον, καὶ τὴν ἐπιγραφὴν οὕτως ἔχουσαν, εἰ μεταφρασθείη, δηλώσει, ΜΑΡΚΟΥ ΟΘΩΝΟΣ. In Marcello : Εἰς δὲ τιμὴν αὐτοῦ καὶ μνήμην Ὀκταβία μὲν ἡ μήτηρ C τὴν βιβλιοθήκην ἀνέθηκε, Καῖσαρ δὲ θέατρον, ἐπιγράψας ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ. Hinc igitur nata syntaxis, *ad Telluris, ad Dianæ*, etc. HERALD.

Hoc Herculis, Apollinis, Ditis : quid est aliud dicere, quam domus hæc Martis est, hæc Junonis et Veneris. Hæc verba, quæ absunt ab editionibus prioribus, e Codice msto supplevit Stewechius. Meursius corrigit : *id Veneris*, non male. ORELL.

Apollo hic habitat. Ergo templa quasi deorum domicilia, et idcirco *sacræ ædes.* Sic ναὸς dicitur παρὰ τὸ ναίειν, quia Deus, cui est constructum templum, in eo credebatur ναίειν, habitare. Recte igitur Hesychius : ναός..... οἶκος ἔνθα θεὸς προσκυνεῖται. Quare ἱεροὶ δόμοι et ἁγνοὶ passim apud veteres poetas : θεῶν οἶκοι sæpe apud Herodotum, ut sacræ ædes. Cicero lib. II. de Natura deor. cap. 27.: *Concinneque, ut multa, Timæus, qui quum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagravisse, adjunxit, minime id esse mirandum, quod* D *Diana, quum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo.* Hoc autem nomine templorum constructionem perstringit etiam Lucianus libello de Sacrificiis : ἔπειτα δὲ ναοὺς ἐγείραντες, ἵν' αὐτοὶ μὴ ἄοικοι, μηδ' ἀνέστιοι δῆθεν ὦσιν. HERALD.

Ita non, etc. Sic reponit Stewechius ex msto, rectissime. Antea edebatur : *Ista non* etc. Amat Arnobius increpationes suas incipere particula *ita.* Sic libro V.: *Ita non animadvertitis, non videtis, quanta istud dicatur cum ignominia fieri.* Itidem libro VI., in simili increpatione : *Ita enim non videtis spirantia hæc signa quorum plantas et genua contingitis et contrectatis orantes?* ORELL.

Habitationibus deos habere districtos. Distringere h. l. sensu rariori pro ligare, constringere, vel potius diversis partibus, quaquaversus stringere, coercere. Ita ap. Cic. de Offic. III, 32.: *fraus enim distringit, non dissolvit perjurium*, ubi vide intpp. Heusingerus autem edidit : *adstringit.* Statius, Achill. II, 422 :

his dare, conclavia et cellulas fabricari, et eis existimari necessarias res esse, quæ hominibus, felibus, quæ sunt formiculis, et lacertis, quæ fugacibus, pavidis, atque exiguis muribus ?

IV. Sed non, inquit, idcirco attribuimus diis templa, tamquam humidos ab his imbres, ventos, pluvias arceamus, aut soles : sed ut eos possimus coram et comminus contueri, affari de proximo, et cum præsentibus quodammodo venerationum colloquia miscere. Sub axe enim nudo, et sub ætherio tegmine invocati si fuerint, nihil audiunt ; et nisi de proximo admoveantur his preces, tamquam nihil dicatur, obstructi atque immobiles stabunt. Atquin nos arbitramur, omnem deum omnino, si modo nominis hujus vi pollet, ex quacumque mundi parte, quod A quisque fuerit locutus, tamquam si sit præsens, audire debere : immo quod quisque conceperit sub obscuris sensibus cognitione anticipata præsumere. Atque ut astra, sol, luna, cum supra terras meant, omnibus omnino cernentibus statim sunt et ubique præsentes, ita quoque convenit audientiam numinum nulli esse clausam linguæ semperque esse præsentem ; quamvis ad eam voces regionibus ex distantibus confluant. Hoc est enim proprium deorum, complere omnia vi sua, non partiliter uspiam, sed ubique esse totos : non adesse, non abesse, non cœnatum ad Æthiopas pergere, et post dies bissenos privatum ad domicilium redire.

V. Quod si ita non erit, tollitur omnis spes opis, et erit in dubio, audiamini ab iis, nec ne : siquando

COMMENTARIUS.

. . . . . . Distringeret aera gyro.

ubi vid. C. Barth. vol. III, pag. 1760, et, qui de hoc verbo multus est, L. Bünemann. ad Lactant. Inst. lib. V, cap. 19, pag. 669 seq. ORELL.

Conclavia et cellulas fabricari. In cellulis enim asservabantur deorum simulacra. Cellulas autem istas describit Vitruvius libro IV. Sic igitur in Capitolio, omnium dæmonum consistorio, plures erant cellæ. T. Livius lib. XXXVII : *Castigatum enim quondam ab eo populum ait, quod eum perpetuum consulem et dictatorem vellet facere : prohibuisse statuas sibi in Comitio, in Rostris, in Curia, in Capitolio, in cella Jovis poni.* Græcis σηκὸς dicebatur. Hesychius : σηκὸς... ἐνδότερος τόπος τοῦ ἱεροῦ. Diodorus Siculus, Libro I, ubi de Iside : Ὁμοίως δὲ καὶ ταύτην μεταστᾶσαν ἐξ ἀνθρώπων τυχεῖν ἀθανάτων τιμῶν, καὶ ταφῆναι κατὰ τὴν Μέμφιν, ὅπου δείκνυται μέχρι τοῦ νῦν αὐτῆς ὁ σηκὸς ὑπάρχων ἐν τῷ τεμένει τοῦ Ἡφαίστου. Pollux, lib. I, C § 6. Καὶ τὸ μὲν χωρίον, ᾧ θεραπεύομεν τοὺς θεοὺς, ἱερὸς καὶ νεώς· ἔνθα δὲ καθιδρύομεν, σηκὸς, τέμενος. οἱ μὲν γὰρ ἀκριβέστεροι σηκὸν τὸν τῶν ἡρώων λέγουσιν· οἱ δὲ ποιηταὶ, καὶ τὸν τῶν θεῶν, ὡς οἱ τραγῳδοὶ, Ἀγνὸν εἰς σηκὸν θεοῦ. (Ubi vid. Kühn., p. 5.) Σηκὸς igitur Heroum et Heroidum proprie. Euripides in Bacchis :

Αἰνῶ δὲ Κάδμον, ἄβατον ὃς πέδον τοδὲ
Τίθησι θυγατρὸς σηκόν.

Nempe σηκὸς hoc modo non superbum aliquod templum, qualia in urbibus exstrui solent diis majoribus, sed sacellum potius quam templum Heroi, et in agris præcipue excitatum : quomodo etiam nunc sacella dicimus exiguas illas ædes, quæ veluti divis quibusdam in agris constitui solent. Erant igitur heroum et minorum deorum breviora et angustiora templa : et sacella potius ac cellulæ, quam vera templa. Hinc B. Augustinus lib. IV, de Civitate Dei cap. 23 : D *Quis enim ferat, quod neque inter deos Consentes, quos dicunt in consilium Jovis adhibere ; nec inter deos quos selectos vocant, Felicitas constituta est, ut templum aliquod ei fieret, quod et loci sublimitate et operis dignitate præmineret ?* HERALD. *Cellulas*, i. e. sacella, seu privatas quasdam intra magnifica illa templa ædiculas, ubi aliquod dei cujuspiam simulacrum collocabatur. Ex. A. Gellio (Noct. Att. lib. VII, cap. 1.) siquidem discimus, Scipionem, scilicet Africanum, solitum fuisse sub crepusculum in Capitolium intrare *ac jubere aperiri cellam Jovis, ac ibi solum diu morari, quasi consultantem de Republica cum Jove.* Quod quidem ab Livio (lib. XXVI, c. 19.), Valerio Maximo lib. II, c. 2. § 2. et Aurelio Victore (de Vir. illustr. c. 49.) confirmatur. Si quis tamen probaverit, Arnobium *tugurioli*, *conclavis* et *cellulæ* nomine de parvis ædibus, quæ minoribus diis construi solebant, esse quoque intelligendum; huic non prorsus refraga-

B bimur. NOURR. pag. 480.

IV. — *Sed non inquit, idcirco.* Et hoc loco Fulv. Ursinus legi vult *inquitis*, male, ut supra jam aliquoties ostensum. ORELL.

Sed ut eos possimus coram et cominus contueri. Hanc præcipuam templorum causam gentiles proponebant, construere nempe se templa, ut inibi deorum simulacra collocarent, et deos ibi affarentur de proximo. Ridet hanc superstitionem Luciani Demonax : Εἰπόντος δέ τινος τῶν ἑταίρων. Ἀπίωμεν, Δημῶναξ, ἐς τὸ Ἀσκληπιεῖον καὶ προσευξώμεθα ὑπὲρ τοῦ υἱοῦ· Πάνυ, ἔφη, κωφὸν ἡγῇ τὸν Ἀσκληπιὸν, εἰ μὴ δύναται ἐντεῦθεν ἡμῶν εὐχομένων ἀκούειν. Et Seneca, Epist. XLI : *Non sunt ad cœlum elevandæ manus, nec exorandus æditiuus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat.* HERALD.

Affari de proximo. Affari deos et *alloqui* proprie. C Plautus in Amphitryone :

Numero mihi in mentem fuit
Dis advenientem gratias pro meritis agere, atque alloqui.

Sic Græcis προσειπεῖν. Euripides in Hercule furente :

Χρόνῳ δὲ ἀνελθὼν ἐξ ἀνηλίων μυχῶν
Αἴδου κόρης ἔνερθεν, οὐκ ἀτιμάσω
Θεοὺς προσειπεῖν πρῶτα τοὺς κατὰ στέγας. HERALD.

Venerationum colloquia miscere. Supra lib. I.: *Et cum domino rerum Deo supplicationum verba, atque orationum colloquia miscere.* HERALD.

Hoc est enim proprium deorum, complere omnia vi sua. etc. Vide J. Lipsii Physiolog. Stoicor. lib. I, Dissertt. XXI. Oper. tom., IV, pag. 892 seq. ed. Vesal. ORELL.

Non cœnatum ad Æthiopas pergere. Homerus Il. A. vers 423 seq.:

Ζεὺς γὰρ ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα (θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο)
Δωδεκάτῃ δέ τοι αὖθις ἐλεύσεται Οὔλυμπόνδε.

Conf. Nazianzen. Orat. in Julian. pag. 300, et ibi ejus Scholiastes, Elias Cretensis. Lucianus de Sacrificiis pag. 72. ELMENH. Conf. Stat. Sylv. lib. IV, in Epulo Domitiani. Eustathius ad Iliad. l. l. memorat, in Diospoli, quæ Ægypti est civitas, esse Jovis templum maximum, unde Æthiopes Jovis et aliorum Deorum simulacra accipientes, certo quodam tempore universam Libyam circuire per duodecim dies continuos, quia tot sint apud ipsos dii. Meminit quoque Nicandri Scholiastes Θηριακοῖς addiditque myrica coronatos in hac solemni pompa Æthiopas, incedere consuevisse. MEURS., *pag.* 181.

V. — *Audiamini.* Ita legendum ex emendatione Meursii ob sequens *conficitis*. Editio princeps Sabæi : *audiamus*. Gelenius : *audiamur*. ORELL.

res sacras ceremoniarum conficitis debitis. Constituamus enim noscendæ rei causa, templum numinis alicujus esse apud Canarias insulas, ejusdem apud ultimum Thylem : ejusdem apud Seras esse, apud furvos Garamantas, et si qui sunt alii, quos ab sui notitia maria, montes, sylvæ, et quadrini disterminant cardines. Si omnes uno in tempore rebus divinis factis, quod sua quosque necessitas cogitare compellit, poscant de numine, referendi beneficii quænam omnibus spes erit, si non undique ad se missam vocem Deus exaudiet, et erit ulla longinquitas, quo penetrare non possit auxilium poscentis oratio? aut enim nullis erit in partibus præsens, si uspiam poterit aliquando non esse, aut aderit unis A tantum, quoniam præbere communiter suum non potest atque indiscretus, auditum. Atque ita perficitur, ut aut nullis deus opituletur omnino, si occupatus re aliqua ad audiendas voces non quiverit advolare; aut exauditi tantummodo uni abeant soli, nihil egerint cæteri.

VI. Quid quod multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis, et sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa, et functorum esse corporum sepulturas? Nonne patet et promptum est, aut pro diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, quorum delubra et templa mortuorum superlata sunt bustis? In historiarum

COMMENTARIUS.

Si quando res sacras ceremoniarum conficitis debitis. *Debita ceremoniarum* appellat ut *officia religiosa*, alibi *officium religionis*, *officium cultionis*. Infra lib. VII, cap. 21 : *Si caper cædatur Jovi, quem patri solemne est Libero, Mercurio mactari : aut bos si sterilis Unxiæ, quam Proserpinæ tribuitis quo ritu atque observatione præcipitur; quid facinoris in hoc erit? quid malorum, sceleris ve contractum, cum nihil intersit obsequii, cujus animalis e capite honorarium istud debitum compleatur.* HERALD.—Eodem sensu *luere sacra* et *solvere*. Homines enim tanquam debitores diis censentur natura vel lege vel ex voto proprio, quos propterea, quasi omnium bonorum datores ac creditores suos, sacrificiis placant ac propitiant. Vide Salmas. Exercitt. Plin. in Solin. p. 9. ORELL.

Constituamus enim noscendæ rei causa. Stewechius τὸ *causa* delendum existimat, nubem exemplorum allegans, in quibus ablativi *causa*, *gratia*, *nomine*, per ellipsin omittuntur. Sic Priscianus lib. XVIII, dicit, Latinis frequentatum *populi servandi laborat*, *reipublicæ defendendæ periclitatur*. Sallustius hac phrasi libenter utitur. Catil. VI, § 7 : *Imperium regium, quod initio conservandae libertatis atque augendæ reipublicæ fuerat.* Et Jugurth. LXXXVIII, 4 : *Quæ postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit.* Ubi vid. Cort., pag. 46 et 818. Noster etiam supra lib. V, cap. 23 : *ferventique adhuc matri velut quasdam infulas elicendæ miserationis offerentem.* Plura dabunt Sanctius Minerv. IV, cap. 4, ibique Perizon. et Heusinger, in Addendis ad pag. 153. Vecchneri Hellenolex. Nolim tamen aliquid mutare invitis Codd. ORELL.

Apud Canarias insulas. Plinius Natural. Hist. lib. VI, cap. 35; Solinus cap. 60. ELMENH.

Apud ultimam Thylem. Virgilium hic noster imitatus : etsi tamen pro consuetudine antiqua *y* pro *u* adhibitum sit : unde confusa passim in vetustis membranis hæc : *gyla* et *gula* (de quo et Sosipatrum Charisium verba facere memini), *Capya* et *Capua*, *Sylla* et *Sulla*, similia sexcenta. Virgilii versus I, Georg., vers. 30.

Tibi serviat ultima Thule.

Itidem apud Claudianum de Bello Get. 203 seq. :

Et nostro procul axe remotam
Insolito belli tremefecit murmure Thulen. STEWECH.

Vid. Solin., cap. XXV; Mela, lib. III, cap. 6, ibique If. Voss. Mannert.: *Géographie der Griechen und. Römer*, vol. I, pag. 78, et vol. II, pars II, pag. 265, seq. ORELL.

..uadrini cardines. Cardines mundi quatuor. ORELL.

..tare compellit. Meursius legendum suspicatur : *.. compellit.* ORELL.

..ita, etc. Ita ms. Alii : *At ita.* ELMENH.

..gerint cæteri. Nihil agere pro frustra conaB ri, frustra laborare, hoc loco frustra precari. Vid. C. Barth., Adversar., lib. XXVIII, cap. 9, pag. 1327. ORELL.

VI.—*Tholis.... aureis.* Statius, lib. II. Theb.:

. . . . Figamque superbis
Arma tholis.

Placidus Lactantius : *Tholum est media templi camera locus, in quo voventium primitiæ suspendebantur.* ELMENH.—Atqui *tholi*, non *thola*, sunt erectiores testudines, templis vel aliis ædificiis addi solitæ, in quibus deorum Dearumve imagines ponebantur. Vid. Philandri Lex. Vitruv., et Gesner., in Thes., hoc verbo, et nos ad Jac. Balde, IV. Lyr., Od. XLV, vers. 25. ORELL.

Ex eo nonne patet et promptum est aut pro diis immortalibus mortuos vos colore, etc. Hunc locum similiter a Clemente auctor noster mutuatus est, cujus hæc sunt verba (in Protrept., p. 39, seq. ed. Potter.): C Εἰκότως ἄρα ἀρχήν ποθεν ἡ δεισιδαιμονία λαβοῦσα, κακίας ἀνοήτου γέγονε πηγή· εἶτα δὲ μὴ ἀνακοπεῖσα, ἀλλ' εἰς ἐπίδοσιν ἐλθοῦσα, καὶ πολλὴ δὴ ῥυεῖσα, δημιουργὸς πολλῶν καθίσταται δαιμόνων, ἑκατόμβας θύουσα καὶ πανηγύρεις ἐπιτελοῦσα, καὶ ἀγάλματα ἀνιστᾶσα, καὶ νεὼς ἀνοικοδομοῦσα· οὓς δὴ, οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τούτους σιωπήσομαι. πρὸς δὲ καὶ αὐτοὺς ἐξελέγξω νεὼς μὲν εὐφήμως ὀνομαζομένους, τάφους δὲ γενομένους, τουτέστι τοὺς τάφους νεὼς ἐπικεκλημένους. Ὑμεῖς δὲ ἀλλὰ κἂν νῦν δεισιδαιμονίας ἐκλάθεσθε, τοὺς τάφους τιμᾶν αἰσχυνόμενοι. Ἐν τῷ νεῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν Λαρίσσῃ, ἐν τῇ ἀκροπόλει τάφος ἐστὶν Ἀκρισίου· Ἀθήνησι δὲ ἐν ἀκροπόλει Κέκροπος, ὥς φησιν Ἀντίοχος ἐν τῷ ἐννάτῳ τῶν ἱστοριῶν. Τί δὲ Ἐριχθόνιος; οὐχὶ ἐν τῷ νεῷ τῆς Πολιάδος κεκήδευται; Ἴμμαρος δὲ ὁ Εὐμόλπου καὶ Δαείρας, οὐχὶ ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ Ἐλευσινίου, τοῦ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει; αἱ δὲ Κελεοῦ θυγατέρες, οὐχὶ ἐν Ἐλευσῖνι τετάφαται; τί σοι καταλέγω τὰς Ὑπερβορέων γυναῖκας; Ὑπερόχη καὶ Λαοδίκη κέκλησθον· ἐν τῷ Ἀρ-D τεμισίῳ ἐν Δήλῳ κεκήδευσθον· τὸ δὲ ἐν τῷ Ἀπόλλωνος τοῦ Δηλίου ἐστὶν ἱερῷ. Λεάνδριος δὲ Κλέαρχον ἐν Μιλήτῳ τετάφθαι ἐν τῷ Διδυμαίῳ φησίν· ἐνταῦθα τῆς Λευκοφρύνης τὸ μνημεῖον, οὐκ ἄξιον παρελθεῖν, ἑπομένους Ζήνωνι τῷ Μυνδίῳ· ἣ ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀρτέμιδος, ἐν Μαγνησίᾳ κεκήδευται· οὐδὲ μὴν τὸν ἐν Τελμισσῷ βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος, ὃν μνῆμα εἶναι καὶ τοῦτον Τελμισσέως τοῦ μάντεως, ἱστοροῦσι. Πτολεμαῖος δὲ ὁ τοῦ Ἀγησάρχου, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν περὶ τὸν Φιλοπάτορα, ἐν Πάφῳ λέγει, ἐν τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἱερῷ Κινύραν τε καὶ τοὺς Κινύρου ἀπογόνους κεκηδεῦσθαι. Ἀλλὰ γὰρ ἐπιόντι μοι τοὺς προσκυνουμένους ὑμῖν τάφους, ἐμοὶ μὲν οὐδ' ὁ πᾶς ἂν ἀρκέσῃ χρόνος. CANTER.—Eadem iisdemque fere verbis leguntur ap. Euseb. in Præparat. Evangel., lib. II, cap. 6. Conf. Cyrill., adv. Iulian. X, et Athenagoras, in Legat. pro Christ., pag. 258, ed. Rechenberg. ORELL.

Quorum delubra et templa mortuorum superlata sunt bustis. Steavechius legendum existimat : *tuberata sunt bustis*, translata voce ad tumulos humatorum

Antiochus nono Athenis in Minervio memorat Cecropem esse mandatum terræ; in templo rursus ejusdem, quod in arce Larissæ est, conditus scribitur atque indicatur Acrisius: Erichtonius Poliadis in fano: A Dairas et Immarus fratres et Eleusino consepto, quod civitati subjectum est. Quid Celei virgines, non in Cereris Eleusinæ humationis habuisse perhibentur officia? non in Dianæ delubro, quod in Apollinis

COMMENTARIUS.

Male. Nam infra eodem capite: *Polyandria illa Varronis, quibus templis contegantur, quasque in se habeant superlati ponderis moles. Templa mortuorum bustis superlata* sunt itaque templa exstructa super mortuorum bustis. ORELL.

In historiarum Antiochus nono. Intelligendus sine dubio Antiochus Syracusius, qui floruit Olympiade XC. sive urbis Romæ 330, scripsitque Historiam Siculam libris novem: de qua Diodorus lib. XII, c. 71: Τῶν δὲ συγγραφέων Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος τὴν τῶν Σικελικῶν ἱστορίαν εἰς τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν (Olymp. B LXXXIX, 1.) κατέστρεψεν, ἀρξάμενος ἀπὸ Κωκάλου τοῦ Σικανῶν βασιλέως, ἐν βίβλοις ἐννέα. Ubi vid. Wesseling., pag. 528, vol. V, ed. Bipont., et G. J. Voss., de Hist. Græc., lib. IV, cap. 7. ORELL.

In templo rursus ejusdem, quod in arce Larissæ est. Barthius, ad Stat. Theb., I. 382, vol. II, pag. 132, legendum existimat *in arce Larissa est*, putans intelligi Larissam urbis Argivæ acropolin, de qua Strabo, lib. VIII, pag. 370, ed. Casauboni: Ἡ μὲν οὖν πόλις ἡ τῶν Ἀργείων ἐν χωρίοις ἐπιπέδοις ἵδρυται τὸ πλέον· ἄκραν δ' ἔχει τὴν καλουμένην Λάρισσαν, λόφον εὐερκῆ μετρίως· ῥεῖ δ' αὐτῆς πλησίον ὁ Ἴναχος, χαραδρώδης ποταμὸς, ἔχων τὰς πηγὰς ἐκ Λυρκίου τοῖς κατὰ τὴν Κυνουρίαν ὅροις τῆς Ἀρκαδίας. Sed. fallitur. Nam ne dicam, in arce Larissa templum non Minervæ, sed Jovis commemorari a Strabone, Pausanias in Corinthiacis lib. II, narrat disertis verbis Acrisium, de quo hic sermo, Larissam Thessaliæ ad Peneum amnem concessisse. Vide notam sequentem. ORELL.

C *Conditus scribitur atque indicatur Acrisius.* Pausanias, l. l., pag. 112, ed. Sylburg.: Οἱ δὲ Ἄβαντος τοῦ Λυγκέως παῖδες τὴν βασιλείαν ἐνείμαντο. Καὶ Ἀκρίσιος μὲν αὐτοῦ κατέμενεν ἐν τῷ Ἄργει, Προῖτος δὲ τὸ Ἡραῖον καὶ Μίδειαν καὶ Τίρυνθα ἔσχεν, καὶ ὅσα πρὸς θαλάσσῃ τῆς Ἀργείας..... χρόνῳ δὲ ὕστερον Ἀκρίσιος Περσέα αὐτόν τε περιεῖναι πυνθανόμενος, καὶ ἔργα ἀποδείκνυσθαι, ἐς Λάρισσαν ἀπεχώρησε τὴν ἐπὶ Πηνειῷ. Περσεὺς δὲ (ἰδεῖν γὰρ πάντως ἤθελε τὸν γονέα τῆς μητρὸς, καὶ λόγοις δὲ χρηστοῖς καὶ ἔργοις δεξιώσασθαι) ἔρχεται παρ' αὐτὸν εἰς τὴν Λάρισσαν. Καὶ ὁ μὲν οἷα ἡλικίᾳ τε ἀκμάζων, καὶ τοῦ δίσκου χαίρων τῷ εὑρήματι, ἐπεδείκνυτο ἐς ἅπαντας. Ἀκρίσιος δὲ λανθάνει κατὰ δαίμονα ὑποπεσὼν τοῦ δίσκου τῇ ὁρμῇ. Καὶ Ἀκρισίῳ μὲν ἡ πρόῤῥησις τοῦ θεοῦ τέλος ἔσχεν, οὐδὲ ἀπέτρεψέν οἱ τὸ χρεὼν τὰ εἰς τὴν παῖδα καὶ τὸν θυγατριδοῦν (Danaen et Perseum) παρευρήματα. Pessime itaque nonnulli Aerisium hunc Ulyssi avum faciunt, quem Arcesium, non Acrisium, fuisse docet Stewechius. ORELL.

D *Erichthonius Poliadis in fano.* Athenis in templo Minervæ Poliadis, cujus amplam descriptionem vide ap. Pausaniam lib. I, p. 48 seq., ed. Sylburg., humatus rex Erichthonius, quadrigarum inventione nobilitatus, testibus Virgilio, Georg. III, 113, et Plinio, Hist. nat., VII, cap. 56. ORELL.

Dairas et Immarus fratres. Sic emendavit Salmasius e Clemente. Ms. habet: *Immarauchus.* Editio princeps: *Immarnachus.* Variant enim scriptores in hoc nomine. Pausanias, lib. I, pag. 49, et Cyrillus adv Julian., lib. X, pag. 349, vocant Ἰμμάραδον παῖδα Εὐμόλπου. Eusebio dicitur Ἴσμαρος. Cæterum videtur Arnobius Clementem suum vel non intellexisse, vel aliter legisse, vel etiam e diversis hausisse fontibus. Clemens enim scribit: Ἴμμαρος δὲ ὁ Εὐμόλπου καὶ Δαείρας, quod significat: Immarus filius Eumolpi et Dairæ. Arnobius autem Δαείρας accipiens masculino genere fratrem facit Immari. Dairæ, Δαείρας, filiæ Oceani, quæ a Mercurio compressa peperit Eleusinem heroem, meminit Pausanias, lib. I. pag. 71, ed. Sylb. ORELL.

In Eleusino consepto. Sic ed. Lugd. Bat., e Codice Regio. Sabæus et Gelenius ediderunt: *in Eleusinis consepto.* Alii: *in Eleusinio consepto.* Heraldus e Clementis verbis ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ Ἐλευσινίου, conjicit, nostrum scripsisse *in Eleusinii* (id est templi Cereris Eleusinæ) *consepto.* Sed, ut bene observat Salmasius, ad Solin., pag. 8, Arnobius aliter legisse videtur Clementis locum, ita scil. ἐν τῷ περιβόλῳ τῷ B Ἐλευσινίῳ, vertens *in Eleusino consepto* pro Eleusinio. Sic paulo post *in Cereris Eleusinæ* pro Eleusiniæ, et Virgilius, Georg. I, 163:

Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra.

Conseptum περίβολον Græci vocant certum agri modum circum templa vacantem, vitibus aut arboribus consitum et muro clausum, deoque, cujus id erat templum, dicatum, et sacerdotum usibus proficientem. Pollux, lib. I, § 10: Οἱ ἀνειμένοι θεοῖς τόποι, ἄλση τε καὶ τεμένη, καὶ ἕρκη, καὶ ὁ περὶ αὐτὰ κύκλος περίβολος. Ælianus, Hist. Anim., lib. XVII, cap. 16: Οὐκοῦν ἐν τῷ τοῦ νεὼ περιβόλῳ τιθασσοὺς ὄρνιθας πολλοὺς τρέφεσθαί φησι. Apulejus Met., XI: *Ædibus conductis intra conseptum templi larem temporarium mihi constituo.* Non itaque Dairas et Immarus intra templum sepulti, sed in templi consepto. Vide Herald. ad h. l. Salmas. ad Solin., p. 1., et Keuchen. ad Samonic., vers. 936, in Poet. lat. min. P. Burmanni, vol. II, p. 362. ORELL.

C *Quod civitati subjectum est.* Fulv. Ursinus conjicit: *Quod arci subjectum est.* ORELL.

Quid Celei virgines, non in Cereris Eleusinæ humationis habuisse perhibentur officia. Hæc lectio, merito in textum recepta a Salmasio debetur Heraldo. Codex ms. et editio princeps: *humationibus perhibentur officia*, nullo sensu unde Gelenius fecit: *humatæ habere perhibentur officia*, quod nihil aliud significare potest, quam: *humatæ ibi perhibentur honore sacrificiorum et parentalium mactari*, quo sensu *officia habere* absolute an dici possit, valde dubito. Fulv. Ursinus conj.: *humationis sortitæ perhibentur officia.* Meursius: *humatæ omnibus perhibentur officiose.* Stewechius: *humatus habere perhibentur officia*, explicans, virgines illas libitinariorum vicem fuisse. Male. Aliud enim est *officia habere*, aliud *officiis fungi.* Atqui *officia habere* significat officium (beneficium) nancisci ab altero. Plinius, lib. VII, epist. 19: *Utramque colui, utramque dilexi: utram magis, nescio, nec* D *discerni volebant. Habuerunt officia mea in secundis, habuerunt in adversis.* Humationis igitur officia habuisse idem est quod sepultas, humatas fuisse, τετάφθαι, ut scribit Clemens. Intelligendæ autem filiæ Celei Eleusinii regis, cujus filius Triptolemus a Cerere hospitio excepta sationem frugum acceperat. Vide Apollodor., I, cap. 5, 1. Earum nomina Διογένειαν καὶ Παμμερόπην καὶ τρίτην Σαισάραν profert ex Homero et Pampho Pausanias, lib. I. pag. 71, ed. Sylburg. Pessime igitur Fulv. Ursinus reponit. *Quid Elei virgines?* a vico Elæo in Argo, cujus incolas Eleusinios fuisse auctor est Stephanus. Atqui *Celei virgines* sunt Κελεοῦ θυγατέρες. Ita *virgo alicujus* pro filia apud optimos scriptores, v. c. Cornel. Nepot., in Epaminond., cap. 3, § 5: *Nam cum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus, aut virgo amici nubilis propter paupertatem collocari non posset, amicorum concilium habebat, et quantum quisque daret, pro cujusque facultatibus imperabat.* ORELL.

constitutum est Delii, Hyperocha, Laodiceque [a], quas advectas illuc esse finibus ex Hyperboreis indicatur? in Didymæo Milesio Clearchum dicit habuisse suprema Leandrius funeris. Leucophrynæ monumentum in fano apud Magnesiam Dianæ esse, Myndius profitetur ac memorat Zeno. Sub Apollinis arula, quæ Telmessi apud oppidum visitur, Telmessum esse conditum vatem, non scriptis constantibus indicatur? Agesarchi Ptolomæus, de Philopatre quem edidit primo [b], Cyniram regem Paphi cum familia A omni sua, immo cum omni prosapia in Veneris templo situm esse, litterarum auctoritate declarat. Infinitum est et immensum, quibus quique in fanis toto sint in orbe describere: nec exactam desiderat curam, quam is [c] pœnam constituerit Ægyptius in eum, qui publicasset, quibus Apis jaceret absconditus, polyandria illa Varronis quibus templis contegantur, quasque in se habeant superlati ponderis moles?

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sab*. Elaudiceque.
[b] *Alii :* Brimo. *Inepte*.

[c] Quamvis *ms*.

COMMENTARIUS.

Non in Dianæ delubro, quod in Apollinis constitutum est Delii, Hyperocha Laodiceque, quas advectas illuc esse finibus ex Hyperboreis indicatur. Gentianus Hervetus in Commentario ad Clementis Protrept.. l. l. Hyperocham illam ac Laodicen suspicatur uxores fuisse illorum Hyperboreorum, quos Delphis opem tulisse adversus Gallos refert Pausanias, lib. I, pag. 7, Hyperochi scil. et Hamadoci, quibus tertius accessit Pyrrhus Achillis filius. Cæterum delubrum hoc loco significare videtur templum angustius, vel potius sacellum Apollinis in majore Artemisio constitutum. Vide supra ad cap. 3. ORELL.

In Didymæo Milesio. Didymæum, in quo fuit sepultus Clearchus, fuit templum Apollinis, qui appellatus fuit Didymus, de quo Orpheus, in Hymno XXXIII, vers. 7:

Βράγχιε καὶ Διδυμεῦ, ἑκάεργος, Λοξία, ἁγνέ.

GENTIAN. HERVET. *ad Clement.*, *l. l.* Utroque nomine Branchidæ et Didymæi Mileti cultum fuisse Apollinem, auctor est Mella, lib. I, cap. 17. Ubi vid. Is. Voss. Conf. Ruhnken., ad Orphei l. l., in editione Hermanni, pag. 295. ORELL.

Clearchum. Ita Ursinus ex Clemente. Editio princeps *Cleomachum*, quomodo et Eusebius Κλεόμαχον. Quis hic fuerit, incertum. Gentianus Hervetus putat, significari Clearchum statuarium Rheginum, cujus meminit Pausanias, lib. VII, pag. 550, ed. Sylb. ORELL.

Leandrius. Leander sive Leandrius Milesius, incertæ ætatis scriptor, commentarium reliquit de Mileto ac Milesiis. Vid. Laert., lib. I, segm. 28, ibique intpp. Meurs., ad Macrob. Saturn., lib. I, cap. 17, et G. J. Voss., de Historicis græc., lib. III. Alii: *Leandrus*. ORELL.

Dicit habuisse suprema Leandrius funeris. Id est: conditum esse et sepultum, τετάφθαι, quod est supremum funeris officium. *Suprema* dicit absolute. Solinus, cap. 15: *Cujus suprema non contentus prosequi sumptu funeris, crinem tonsus est.* HERALD.

Leucophrynæ monumentum. Quænam hæc fuerit, incertum. Ab hac Leucophryne Dianam ipsam Magnesiam cognomen accepisse Λευκοφρύνης Ἀρτέμιδος, (Vid. Pausan., lib. I, pag. 47, et lib. III, pag. 196.) existimat Gentianus Hervetus; de cujus cognomine fuse agit Lips. ad Tacit. Annal., III, cap. 62, p. 338, ed. Oberlin., Conf. imprimis Jo. Selden. Commentar. in marmora Arundel., pag. 176, seqq. ORELL.

Myndius Zeno. Stephanus Byzantius v. Μύνδος.... Ἀπολλώνιος καὶ Ζήνων Μύνδιοι γραμματικοί. VIGER., *ad Clement.*

Sub Apollinis arula, quæ Telmessi apud oppidum visitur, Telmessum esse conditum vatem non scriptis constantibus indicatur? Cicero, de Divinat., lib. I, cap. 41: *Telmessus in Caria est, qua in urbe excellit haruspicum disciplina*, ubi vid. Davis. Idem de Telmissensibus testatur Arrianus, de Exped. Alexandr., lib. II, cap. 3. *Telmessi* autem vatis, a quo forsitan nomen habuit oppidum, apud veteres nulla mentio. ORELL.

B *Agesarchi Ptolemæus de Philopatore quem edidit primo*, etc. Sic ex editione principe restituit T. Canterus, in Var. lect., cap. 2. Gelenius hæc corrupit pessime, primam vocem cum præcedentibus conjungens, et totum locum in editione sua ita rescribens: *Nonne scriptis constantibus indicatur Agesarchi? Ptolemæus Philapator quem edidit primo*, etc. Ignorabat scil., Ptolemæum Agesarchi filium scripsisse historiam de Philopatore, quod tamen ipsum vel unus abunde Athenæus docere potuisset, qui hunc scriptorem aliquoties citat, v. c. Dipnos., lib. VI, pag. 246, et lib. X, pag. 425, ed. Casauboni. Confer. Clementis locum, unde Arnobius hæc assumpsit, et Voss., de Hist. Græc. ORELL.

Cinyram regem Paphi. Vide supra ad lib. IV, cap. 24, et lib. V, cap. 19. ORELL.

Quibus quique in fanis toto sint in orbe conscribere. Haud contemnenda Stewechii conjectura: *Toto siti in orbe.* Sic paulo ante: *cum omni prosapia in tem-* C *plo Veneris situm esse*, et: *Hic situs est*, id est humatus, conditus sepulchro, centies in inscriptionibus. ORELL.

Quam is pœnam constituerit Ægyptius in eum, qui publicasset, quibus Apis jaceret absconditus. C. Barthius in Adversar. Lib. XXIX, cap. 18, pag. 1391, pro *quibus* legendum existimat: *ubi suus.* Sed locus est sanissimus. *Quibus*, scil. sanis, quod supplendum ex præcedentibus verbis: *Infinitum est et immensum, quibus quique in sanis toto sint in orbe, describere.* Cæterum loco nostro lucem affundit Augustinus, de Civ. Dei, lib. XVIII, cap. 5: *Constitutum est etiam de illo* (Apide vel Serapide), *ut quisquis eum hominem dixisset fuisse, capitalem penderet pœnam. Et quoniam sere in omnibus templis, ubi colebantur Isis et Serapis, erat etiam simulachrum, quod digito labiis impresso admonere videretur, ut silentium fieret: hoc significare idem Varro existimat, ut homines eos fuisse taceretur.* D *Ille autem bos, quem mirabili vanitate decepta Ægyptus in honorem ejus deliciis affluentibus alebat, quoniam eum fine sarcophago vivum venerabantur, Apis, non Serapis vocabatur.* Pro *is Ægyptius*, quod resinxit Salmasius, alii habent *Ægyptus*. Equidem nihil definio. ORELL.

Polyandria illa Varronis, etc. Papias: *Polyandrion ..... tumulus mortuorum.* Glossæ: *Strages....* πολυάνδριον, σωρὸς νεκρῶν. Lactantius, Epitome Div. Inst. cap. ultimo: *Et congerentur in ea valle corpora mortuorum, et vocabitur nomem ejus Polyandrion.* Inscriptio vetus:

VIATOR. HUC. PROPIUS. FERTO. OCULOS.
DEINDE. VERBA. MECUM.
FACITO. FUI. SINE. AMORE. VIVA. AMANS. HEU.
MORIOR. DIC. QUÆSO. AMABO. REM. MEN. HUIC.
POLYANDRIO.
DEDI. MORTUAM. OB. AMORIS. INCENDIUM.

VII. Sed quid ego hæc parva? regnatoris in populi Capitolio quis est hominum, qui ignoret, Oli esse sepulchrum Vulcentani? Quis est, inquam, qui non sciat ex fundaminum sedibus caput hominis evolutum non ante plurimum temporis, aut solum sive partibus cæteris, hoc enim quidam ferunt, aut cum membris omnibus humationis officia sortitum? Quod si planum fieri testimoniis postulatis auctorum, Sammonicus, Granius, Valerianus vobis, et Fabius indicabunt, cujus Olus fuerit filius, gentis et nationis cujus, ut a germani servulis vita fuerit spoliatus et A lumine: quid de suis commeruerit civibus, ut ei sit abnegata telluris patriæ [a] sepultura. Condiscetis etiam, quamvis nolle istud publicare se fingant, quid sit capite resecto factum, vel in parte qua rei curiosa fuerit obscuritate conclusum: ut immobilis videlicet atque fixa obsignati ominis perpetuitas staret. Quod cum opprimi par esset, et vetustatis oblitteratione celari, compositio nominis jecit in medium, et cum suis causis per data sibi tempora inextinguibili fecit testificatione procedere: nec erubuit civitas maxima, et numinum cunctorum cultrix, cum vocabulum

LECTIONES VARIANTES.

[a] Patientiæ *ms. male*.

COMMENTARIUS.

PUERI. FLORENTIS.
ÆTATE. FORMOSISS. QUID. INSANIS. AT.
AMANS. VIVEBAS.
PROFECTO. CUM. NOXIE. AMARE. CÆPERAM.
ADOLESCENS.
SPRETO. AMORIS. MUNERE. ABNUIT. CONTABUI.
MORTE. RAPTA.
HIC SUM.
CADAVERIB. AMORE. FURENTIUM.

MISERABUNDIS. POLYANDRION.

Pausanias, Bœoticis, pag. 289; Corinthiacis, p. 65, 67; Ælianus, Var. Hist., lib. XII, cap. 21; Interpres. Biblior. in Ezechiel., cap. XXXIX. ELMENH.

VII. — *Regnatoris in populi Capitolio*. Non contemnenda msti veteris lectio: *in..... Capitolium*. Notum satis illud Terentii Andria: *In memoriam habeo*, itemque hoc Plauti: *in mentem est*. Adeatur Agellius, lib I. cap. 7, itemque lib. XVII, cap. 2. STEWECH.

Oli esse sepulchrum Vulcentani. Ita esse legendum cum editore Lugd., non *Toli*, ut antea edebatur, docet nos Servius ad Æn. VIII, vers. 345: «Quidam dicunt, cum Capitolii, ubi, nunc est, fundamenta jacerentur, caput humanum, quod Oli diceretur, inventum; quo omine sollicitatos conditores, misisse ad Tusciam, ad aruspicem illius temporis nominatum, qui jam indicaverat Argo filio suo, tributum fataliter esse, ut is locus imperaret, in quo illud caput esset inventum. Obvii igitur Argo hi, qui missi erant, ubinam esset pater, interrogaverunt, qui, cognita causa itineris eorum, omne responsum patris prodidit, monuitque, ut caverent, ne ab eo interrogatione deciperentur. Sed cum legati ad eum pervenissent, et de significatione inventi capitis quærerent, volens ille dominatum orbis patriæ suæ potius adscribere, interrogavit: anne hic, suum locum ostendens, invenissent: ilis negantibus, suspicatus, proditum esse responsum, quæsivit, an quemquam obvium fecissent: illis simpliciter confitentibus, occurisse sibi juvenem, tunc aruspex, conscenso equo, secutus Argum occidit eo loco, ubi nunc Roma est; a cujus cæde Argiletum.» Eamdem historiam commemorant Dionysius Halicarn., Ant. rom., lib. IV, pag. 257, edit. Sylb., et Plinius, lib. XXVIII, cap. II, suppresso tamen nomine ejus, qui caput abcissum, derivatoque Capitoli vocabulo non ab Olo, sed a capite, κεφαλῆ. Vid. Suid. v. Καπιτώλιον. Aruspici Tusco nomen Oleni Caleni fuisse, discimus ex Plinio Conf. Inst. Rycquius de Capitolio, cap 10, pag. 113. seqq. ORELL.

Aut solum sive partibus cæteris. Legendum videtur: *sine partibus cæteris*. ORELL.

Sammonicus. Intelligendus Q. Sexenus Sammonicus pater a Caracalla occisus, et plurimorum librorum ad doctrinam spectantium auctor, laudatus ab Ælio Spartiano in vita Caracallæ. Cujus etiamnum su-B perest carmen de medicina. Libros ejus rerum reconditarum, ex quibus sine dubio hæc excerpsit noster, laudat Macrobius Sat. lib. III, cap. 9, ubi vid. Meurs. et imprimis Ackermann V. Cl. in Præfatione ad editionem suam Sammonici. ORELL.

Granius. Vide supra ad lib. III, cap. 31. ORELL.

Valerianus. Fulv. Ursinus conjicit: *Valerius Antias*. Sed intelligendus forsitam Cornelius ille Valerianus, quem Plinius citat Hist. nat., lib. III, cap. 12, et lib. XIV, cap. 2. ORELL. — Eo nomine a Plinio (Hist. Nat., lib. X, cap, 2.) laudatus est *Cornelius Valerianus, qui Phœnicem in Ægyptum devolavisse tradidit*. et alibi) lib XIV, cap. 1): *Villas et domos ambiri singularum palmitibus ac sequacibus lauris memoria dignum inter prima Valerianus quoque Cornelius existimavit*. Utrum vero idem sit atque is, quem Arnobius memorat, aliorum esto judicium. NOURR., *pag*. 159. Eadem Vossius, de Hist. lat., pag. 700. Videtur itaque Valerianus iste libros composuisse C de Rebus sacris vel antiquitatibus. ORELL.

Cujus Aulus fuerit filius. Ex his verbis videmus, in antecedentibus legendum esse *Oli*, non *Toli*. Nam *Olus* et *Aulus* idem. Veteres enim Latini, ut hodie Francogalli, *au* per *o* pronuntiarunt. Vid. Keuchen., ad Frontin., p. 414, et Oudendorp. ad Apulei., Met., V, p. 536, seq. ORELL.

Ut a germani servulis vita fuerit spoliatus et lumine. Ita ed. Lugd. Bat. Editio princeps: *Ut a germani servuli*. Gelenius et ceteri: *ut a germani servulo*, etc. ORELL.

Vel in parte qua rei curiosa fuerit obscuritate conclusum. Sic ex editione principe restituit Canterus. Alii: *in parte qua curiosa fuerit*, omisso *rei*. Cæterum hæc me non intelligere lubens fateor. ORELL.

Ut immobilis videlicet atque fixa obsignati ominis perpetuitas staret. Nam si quando fausta omina offerebantur, venerabantur deos, ea sibi firmarent; et D quidquid ad ea firmanda conferre poterant ipsi, id omne religiose conferebant. Silius Italicus lib. IV, 127:

> Nosco te, summe deorum,
> Adsis o firmesque tuæ pater alitis omen.

Quapropter et sacrificiis ea firmare conabantur. Ammianus Marcellinus, lib. XXIII: *Quo ostenso lætior clamavit, plaudentibus omnibus, Babylona humi procidisse ornamentis omnibus spoliatam: et paullisper detentus, ut omen per hostias litando firmaret, Davanam venit*. HERALD.

Jecit in medium. Εἰς μέσον ἔρριψεν. Vide supra ad lib. IV, cap. 18. HERALD.

Numinum cunctorum cultrix. *Romani* (ut ait Cæcilius apud Minutium, cap. 6.) *universarum gentium deos coluerunt, et undique hospites deos quæsiverunt, et suos fecerunt; aras etiam extruxerunt ignotis numinibus et manibus*. ELMENH.

templo daret ex Oli capite Capitolium, quam ex nomine Jovio nuncupare.

VIII. Satis igitur, ut opinor, ostendimus templa diis immortalibus aut inaniter iis esse constructa, aut contra decus et potentiam creditam contumeliosis opinationibus fabricata. Sequitur, ut de signis aliquid simulacrisque dicamus, quæ multa arte componitis, et religiosa observatione curatis. Qua in parte si fides est ulla, constituere apud nos ipsos considerationibus possumus, utrumne istud serio et cum proposito faciatis gravi, an ridendo res ipsas puerili hallucinatione ludatis. Si enim certum est, apud vos deos esse, quos remini, atque in summis cœli regionibus degere, quæ causa, quæ ratio est, ut simulacra ista fingantur a vobis, cum habeatis res certas, quibus preces possitis effundere, et auxilium rebus in exigentibus postulare? Sin autem non creditis, aut ut mediocriter dicatur, ambigitis; etiam, sic ratio quænam est dubiorum fingere atque instituere A simulacra, et quod esse non creditis, ventosa imitatione formare? An numquid dicitis forte, præsentiam vobis quamdam his numinum sub exhiberi simulacris, et quia deos videre non datum est, eos sic coli, et iis munia officiosa præstari? Hoc qui dicit et asserit, deos esse non credit : nec habere convincitur suis religionibus fidem, cui opus est videre, quod teneat : ne inane forte sit, quod obscurum non videtur.

IX. Deos, inquitis, per simulacra veneramur. Quid ergo? si hæc non sint, coli se dii nesciunt, nec impertiri a vobis ullum sibi existimabunt honorem? Per tramites ergo quosdam, et per quædam fidei commissa, ut dicitur, vestras sumunt atque accipiunt cultiones : et antequam hi sentiant, quibus illud de-
B betur obsequium, simulacris litatis prius, et velut reliquias quasdam aliena ad illos ex auctoritate transmittitis. Et quid fieri potis est injuriosius, contumeliosius, durius, quam deum alterum scire, et rei alteri supplicare? opem sperare de numine, et nullius sen-

COMMENTARIUS.

Cum vocabulum templo daret. Vocabulum idem quod nomen. Sic Tacitus III, Annal., cap. 56 : *Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit.* Cic. ad Fam., lib. X, Epist. VI. : *Crede igitur mihi, Plance, omnes quos adhuc gradus dignitatis consecutus sis....... eos honorum vocabulata habituros, non dignitatis insignia, nisi te cum libertate populi Romani et cum senatus auctoritate conjunxeris.* ubi vid. Corte. pag. 494, et Sitzmann., ad Boeth., de Consolat. Philos., lib. II. Metr. VII, pag. 99, ed. Lugd. Bat. ORELL.

VIII. — *Templa diis immortalibus aut inaniter iis esse constructa.* το *iis* redundat eleganter. Sic sæpe apud hos scriptores. HERALD. — Recte igitur *iis* in textum revocavit Salmasius. Gelenuis et alii delent. ORELL.

Sequitur ut de signis aliquid simulacrisque dicamus. Simulacrum dicit πᾶν ὁμοίωμα : forma est, quod Græcis εἶδος, unde diminutivum εἴδωλον, quare idem quod simulacrum. Tertullianus, de Idolatria, cap. 3 : *Ad hoc necessaria est vocabuli interpretatio. εἶδος Græce formam sonat ; ab eo per diminutionem εἴδωλον deductum æque apud nos formulam fecit. Igitur omnis formula vel forma idolum se dici exposcit.* Εἴδωλα autem quandoque usurparunt Græci pro rebus vanis, et apparentibus potius, quam in rerum natura subsistentibus qualia sunt, quæ apparent quandoque in aërte φάσματα. Eodem sensu etiam Latini dicebant simulacra, species, imagines. Hinc enata falsissima observatio Suidæ aliorumque grammaticorum, qui distinguunt εἴδωλα τά... τῶν οὐχ ὑφεστηκότων μιμήματα, οἷον Τρίτωνες, Σφίγγες, Κένταυροι, et ὁμοιώματα... τῶν ὑφεστηκότων εἰκάσματα, οἷον θηρίων, ἢ ἀνθρώπων. At-
D qui εἴδωλον promiscue omnem formam significat cum rerum in natura existentium tum non existentium. Ita Plutarchus in Sylla: λέγεται δὲ τοσοῦτον πλῆθος ἀρωμάτων ἐπενεγκεῖν τὰς γυναῖκας αὐτῷ, ὥστε ἄνευ τῶν ἐν φορήμασι δέκα καὶ διακοσίοις διακομιζομένων πλασθῆναι μὲν εἴδωλον εὐμεγεθὲς τοῦ Σύλλα, πλασθῆναι δὲ καὶ ῥαβδοῦχον ἔκ τε λιβανωτοῦ πολυτελοῦς καὶ κινναμώμου. HERALD.

Et religiosa observatione curatis. θεραπεύετε. Verbum Græcum exprimit. HERALD.

Puerili hallucinatione ludatis. Vide supra, ad lib. IV, cap. 36. ORELL.

Si enim certum est apud vos deos esse, quos remini, etc. Hoc est primum argumentum, quo probat, simulacra esse inania. Si dii sunt revera, inquit, cum simulacra constituitis, quibus preces fun- Sic igitur argumentatur : deos esse aut cre- ut non creditis. Si creditis, nihil opus est simulacris, quippe cum deos ipsos revera habeatis, quibus preces fundatis; si ambigitis, quorsum dubiorum simulacra constituitis? Hoc argumentum generale est, et ad quælibet simulacra pertinet. HERALD.

Etiam sic. Hoc est, etiam cum res ita se habeat: *auch in diesem Fall.* Abundantia sermonis familiaris Arnobio. ORELL.

An numquid dicitis forte præsentiam vobis quamdam his numinum sub exhiberi simulacris. Hæc erat nationum exceptio : simulacra non esse inania, quia in iis coluntur dii, quorum exhibent veluti præsentiam
C quamdam. Sic Phidias apud Dionem Chrysostomum. sermone XII : Οὐδὲ γὰρ ὡς βέλτιον ὑπῆρχε μηδὲν ἵδρυμα, μηδὲ εἰκόνα θεῶν ἀποδεδεῖχθαι παρ' ἀνθρώποις φαίη τις ἄν, ὡς πρὸς μόνα ὁρᾷν δέον τὰ οὐράνια. Ταῦτα μὲν γὰρ ξύμπαντα ὅ γε νοῦν ἔχων σέβει, θεοὺς ἡγούμενος μακαρίους οὐ μακρόθεν ὁρᾷν· διὰ δὲ τὴν πρὸς τὸ δαιμόνιον γνώμην ἰσχυρὸς ἔρως πᾶσιν ἀνθρώποις ἐγγύθεν τιμᾷν καὶ θεραπεύειν τὸ θεῖον, προσιόντας καὶ ἁπτομένους, etc. HERALD.

Eos sic coli. Ita ed. Lugd. Bat. Editio princeps : *eos insolidi*, corruptissime et nullo sensu. Gelenius : *eos ita coli.* ORELL.

Iis et munia. Iis addidit Heraldus, sequente Salmasio. ORELL.

IX. — *Deos, inquitis, per simulacra veneramur.* Sic editio princeps : ne quis hanc lectionem ab aliis translatam existimet. HERALD.

Per quædam fidei commissa. Fidei commissum species est dispositionis ultimæ voluntatis, qua precatur hæredem aut alium dare aut facere aliquid. Vid. Brisson., de Form. VII, pag. 669, et Heineccii Antiquitt. rom., lib. II, tit. XXIII. Dicere itaque vult Arnobius, deos cultiones hominum accipere per simulacra quasi per quosdam fideicommissarios, cum homines scil. simulacris illis quasi munus injungant ipsorum preces ad deos deferendi. ORELL.

Et quid fieri potis est injuriosius, etc. Ita Stewechius a msto. Alii : *fieri pote est,* pro *et quid* idem Stewechius hoc loco et cap. III. Hujus libri : *Et quid amplius possimus.* Et cæteris locis omnibus, ubi in editionibus Arnobii *et quid* legimus, reposuit *Ecquid.* ORELL.

Et rei alteri supplicare. Codex ms. : *et rei alteræ supplicare,* quod tuetur Stewechius, multis exemplis probans ad Apulei. Met., lib. VIII, pag. 531, ed. Oudendorpii, antiquitus declinatum fuisse *alia, aliæ, una, unæ, illa, illæ, neutra, neutræ, utra, utræ,* etc. Vide Priscian., lib. VI. ORELL.

sus ad effigiem deprecari? Nonne illud est quæso, quod in vulgaribus [a] proverbiis dicitur, fabrum cædere cum ferias fullonem? et cum hominis consilium quæras, ab asellis et porculis agendarum rerum sententias postulare?

X. Et unde novissime [b] scitis, simulacra hæc omnia, quæ diis immortalibus vicaria substitutione formatis, similitudinem referant, habeantque divinam? Potest enim fieri, ut barbatus in cœlo sit, qui esse a vobis effingitur levis: potest ut senectute provectior, cui puerilem commodatis ætatem: potest ut hic flavus sit, qui in veritate habeat oculos cæsios: displosas ut gestitet nares, quem esse vos facitis figuratisque nasicam. Neque enim rectum est dicere aut appellare simulacrum, quod non, pariles lineas principali ab A ore traducat: quod esse planum et certum, manifestis poterit a rebus agnosci. Nam cum omnes homines teretem esse solem indubitabili luminum contemplatione videamus: os illi vos hominis, et mortalium corporum liniamenta donatis. Luna semper in motu est, et ter denas facies in restitutione accipit menstrua: vobis ducibus et figurationibus femina est vultuque est uno, quæ per habitus mille quotidiana instabilitate mutatur. Intelligimus omnes ventos æris esse fluorem pulsi, et mundanis rationibus [c] concitati: per vos hominum formæ sunt buccinarum animantes tortus intestinis et domesticis flatibus. Inter deos videmus vestros leonis torvissimam faciem, mero oblitam minio, et nomine frugiferi nuncupari. B Si simulacra hæc omnia superorum [d] sunt imagines

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ms.* Vulgarils. *Mendose.*
[b] Notissime *Sab.*
[c] Lationibus. *Male.*
[d] Soperiorum. *Sab.*

COMMENTARIUS.

Fabrum cædere, cum ferias fullonem. Alii: *cadere.* Proverbium in eos, qui pro sonte immerentem plectunt et perstringunt. Vid. Hadr. Junii Supplement., ad Erasmi Adagia, Centur. VI, Proverb. 84. Simillima Græcorum proverbia: πταίσαντος ὑφάντου ἠπήτης ἐτύφθη, vapulat sartor lapso textore, et: μαγείρου ἐξαμαρτάνοντος τύπτεται αὐλητής. Vide Athenæum, Dipnos., lib. IX, cap. 7, pag. 381, ed. Casauboni ibique Dalechamp, et Paul. Leopard, Emendd. lib. X, c. 5, in Gruteri Lampade, tom. III, p. 193. ORELL.

Agendarum rerum sententias postulare. C. Barthius, Adversar., lib. XXIX, cap. 18, pag. 1319, *sententias* sortes explicat, adducens locum Plauti e Rudente:

> Paupertatem heri qui et meam sententiam
> Tolerarem.

Atqui *sententiæ* hoc loco sunt consilia rerum agendarum. ORELL.

X. — *Qui esse a vobis effingitur levis.* Codex ms. habet *effigitur.* Quare legendum existimo *effigiatur.* Apuleius: *truncus dolamine effigiatus.* Itidem Minucius loquitur de simulachris agens in Octav. cap. III: *lapides effigiatos et unctos et coronatos.* STEWECH. — Conf. Wower., ad Minuc., l. I, p. 20, ed. Gronovii. Pro *levis* scribendum *lævis*, id est imberbis. Sic infra cap. 12: *uterque enim* (Sol et Mercurius) *a vobis glaber, atque ore confingitur lævi.* Vide Bunemann., Ind. ad Lactant., h. v. ORELL.

Qui in veritate habet oculos cæsios. Vide supra, ad lib. V, c. 28, et lib III, cap. 14. ORELL.

Displosas ut gestitet nares, quem esse vos facitis figuratisque nasicam. Vide ad lib. III, cap. 14. ORELL.

Quod non pariles lineas principali ab ore traducat. Hoc est, quod non traducat lineas pares ori sui principis, numinis scilicet quod repræsentat. *Lineare, lineæ, lineamenta* verba pictorum extremas corporis alicujus circumcæsuras (*die Umrisse*) penicillo suo adumbrantium. Vide, qui hac de re multus est, Salmas., ad Solin., pag. 4 et 5. Eodem sensu *filum* supra lib. III, cap. 13: *filo et adterminatis humano*, ubi vide notas. ORELL.

Teretem esse solem. Teretem proprio sensu, id est, globi ad instar undique sui similem, æquabilem, lævem, perpolitum, *von allen seiten gleich abgerundet.* Sic Horatius in loco notissimo II, serm. VII, 86, de sapiente.....: et in se ipso totus, teres atque rotundus. Ubi vid. Lambin. et Heindorf. V. Cl. ORELL.

Intelligimus omnes ventos æris fluorem pulsi et mundanis rationibus concitati. Verissimam hanc lectionem ex msto. revocavit Stewechius. Antea edebatur: *Ventos aeris esse fluorem pulsos et mundanis rationibus concitatos.* Fulv. Ursinus conj.: *fluores pulsos.... concitatos. Mundanæ rationes* sunt rationes, causæ cœlestes. Sic Avienus, in Arateis vers. 47: *Mundanique ortus mens immemor.* ORELL.

Per vos hominum formæ sunt buccinarum animantes tortus. Optime: quia buccina est tortuosa, ac in semet ipsam æreo circulo flectitur, ac differt a directa tuba, ut docet Vegetius libro III, de re milit., c. 5. Hæc est στρογγύλη σάλπιγξ Græcorum. HERALD. — Venti buccinam inflantis delineationem vide in Montfaucon. Antiquitt., tab. LI, Fig. 9, ed. Schazii. ORELL.

Intestinis et domesticis flatibus. τοῖς οἴκοθεν. Sic dicit ille ap. Plautum: tergum habere se familiare C domi, ne quærat foris. HERALD.

Inter deos vestros leonis (*Cod. ms. leones*) *torvissimam faciem mero oblitam minio et nomine Frugiferi* (*Cod. ms. frugiferio*) *nuncupari.* Mirum quantum obscurus hic locus eruditorum ingenia exercuerit. Latinus autem Latinius (Bibl. sacr. et profan. p. 90.) nodum hujusce difficultatis secare potius quam solvere videtur, cum hæc verba sic corrigi voluit: *Inter deos videmus leones torvissima facie mero oblita minio.* Sed mera est conjectura, quæ nullius Codicis auctoritate fundatur. Quapropter qui in veterum scriptis nihil nisi certissima ratione mutatum volunt, ex iis nonnulli suspicantur, de Sole intelligenda esse hæc auctoris nostri verba. Sed ab illis redarguuntur, quia de Sole privatim locutus est. Probabilius itaque quibusdam videtur ab illo indicari leones, qui in templorum fastigiis quandoque sculpebantur. Verum hæc ad ædificii ornamentum posita potius videbantur, quam ad deorum faciem exprimendam. Nobis D itaque facilius persuadebitur, Arnobium his verbis eadem significare, quæ post Tertullianum (Apologet., cap. 16, et lib. I, ad Nation., cap. 12) Minucius Felix dixit: *De capro et leone deos mixtos et leonum et canum vultus deos dedicatis.* Arnobius siquidem post citata verba adjecit: *Sine reliquo corpore persona est, et facies sola fremebundis hiatibus, torvis rictibus, sanguineo decerolo..... atque fessi canes.* Quis autem facile non concedet, utrumque loqui de simulacris, quemadmodum Panis, Satyrorum aliorumque hujusmodi? Quod vero Arnobius addit *faciem oblitam minio*, ad eum ethnicorum morem plane ridiculum spectat, quo simulacrorum facies minio oblinere solebant. Scriptum quippe a Plinio (Hist. Nat., lib. XXXV, c. 7.) legimus: *Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam.* De Panis vero effigie Virgilius, Eclog. X, 26:

> Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi
> Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.

numinum, ergo et in cœlo habitare dicendus est deus talis, ad cujus formam et speciem simulacri hujus similitudo directa est : et videlicet ut hic iste, ita illic ille, sine reliquo corpore persona est, et facies sola, fremebundus hiatibus torvidis, dirus, sanguineo A decerolo, malum dentibus suis comprimens, atque ut fessi canes linguam ore de patulo potus aviditate projiciens. Quod si utique non est, ita ut omnes existimamus non esse, quænam tanta audacia est, formam tibi quam volueris fingere, ac discere esse si-

COMMENTARIUS.

Quos in versus hæc Servius observat : *Ebulum genus est herbæ sambuco simile. Minio autem ideo, quia facie rubra pingitur Pan, propter ætheris similitudinem.* Nourr., *p.* 486, *seq.*

Inter deos videmus vestros leonis torvissimam faciem, mero oblitam minio et nomine Frugiferi nuncupari. Secutus sum in loco hoc vexatissimo emendationem Salmasii. Codex mstus. sic habet (teste N. Heinsio in Epistola ad Gisb. Cuper. 428. Sylloges Burmann., tom. II, pag. 714) : *Inter deos videmus vestros leones, novissimam faciem, mero oblita minio et de nomine frug.... serio nuncupari.* Unde Sabæus effecit : *Et nomine frugi serio nuncupari.* Gelenius : *Mero oblita nimio et nomine frugi serio nuncupari.* J. Lipsius, Epistol. Quæst., lib. I, Epist XX, conjicit : *Et nomine truci serio nuncupari*, probante Th. Cantero. Heraldus : *Et nomine trucis feræ.* Meursius : *Frugi feræ.* Alii : *Frugi feri.* Fulv. Ursinus : *Mero oblitos nimio*, in cæteris Sabæum sequens. C. Barthius, Adversar., lib. XXIX, cap. 18, pag. 1391 : *Et nomine a frugi ferino nuncupari*, hoc est, ab iis qui frugi sunt. N. Heinsius, in Epistola modo citata : *Inter deos videmus vestros leones torvissimam faciem mero oblitos minio, deæ nomine Frugiæ fere nuncupari*, vel : *de dominæ Frugiæ imperio nuncupari*, ut sit *domina* vel *dea Frugia* archaismus Arnobio familiaris pro *dea Phrygia*, id est Cybele, ut *dea Suria*, dea Syria, Venus; quam tamen conjecturam retractans in Epistola ad J. G. Grævium 260, ejusdem Sylloges Burm., tom. IV, pag. 335 (qui in præcedenti epistola legendum conjecerat : *Leonis torvissimam faciem et ora oblita minio in dominæ Phrygiæ imperio nuncupari*), totum locum ita mutat : *leonis torvissimam faciem, ceroto oblitam minio, et numen e rugitu ferino nuncupari*, vel : *de rugitu ferino nuncupari.* Grævius autem in responsione sua p. 337, sic refinxit : *leonis torvissimam faciem cereo oblitam minio et numen ritu ferino nuncupari*, ubi, et cætera taceam, *cereum minium* dici posse pro cera mixta vel illita minia *rothes Wachs*, maximopere dubito. Nec minus diversæ sunt loci explicationes. « Laur. Pignorius et Elmenhorstius arbitrantur, auctorem loqui de diis, qui capite leonino effingebantur, quales exhibent describuntque Minucius Felix (cap. 28, pag. 292.) et Tertullianus (Apologet. cap. 16), colebantur apud Ægyptios, solis radios significantes. Damnat hoc, modo in hanc modo in illam partem sese torquens nihilque certi statuens, Des. Heraldus, cujus viri doctissimi rationes non examinabo, ne videar aliorum erroribus operose redarguendis gloriam aucupari. Vel igitur describitur homo facie leonina, vel leo animal, quo Solem Græci, Romani, Ægyptii, aliique, licet male neget Heraldus, exprimebant, atque ex ea superstitione totus locus interpretandus est. Hinc puto, faciem ejus minio impleri solere, ut rubrum solis colorem igneosque radios referret, et eamdem ob causam apud Achæos Bacchi statuam cinnabari inunctam fuisse, teste Pausania, lib. VII. Hinc et *frugiferum* nominari, quia sol frugum parens, fœcunditatisque præcipua causa et scaturigo est. Atque ita in Albini Numismatis Mercurius radiatus, Solis insigne, occurrit cum Inscriptione *Sæculo Frugifero* et Statius, lib. I. Thebaid., Osirim sive Solem *Frugiferum* nominat. » Hæc sunt verba Gisb. Cuperi, in Epistola ad Nic. Heinsium, 426 (Syllog. Burm., tom. II, pag. 713), cum quo consentiunt etiam Salmasius, ad Flav. Vopisc. Aurelian., cap. V, putans, ab Arnobio intelligi Solem Mithrem, quem Persæ colebant vultu leonino cum tiara effigiatum (vide Montfaucon. Antiquitt., tab. XLI, fig. 6 et 7, ed Schazii), et Rigaltius ad Artemidor. Oneirocrit., lib. II, pag. 101, ed. Reist. Equidem nomen *Leonis Frugiferi* ortum puto ab Ægyptiis, quorum regionem Nilus inundabat sole leonis signum in Zodiaco intrante, teste Joanne Lydo, de Mensibus, in Julio, cap. II, pag. 121, ed. Schow. : Κατὰ τὸν ἐν λέοντι ἥλιον ἀναχεῖται ὁ Νεῖλος. Sed hunc locum difficillimum doctioribus explanandum relinquo. Orell.

B *Si simulacra hæc omnia superorum sunt imagines numinum.* Ita Meursius, sequente Salmasio. Antea legebatur *superiorum*, etc. Orell.

Sine reliquo corpore persona est, et facies sola fremebundus hiatibus torvidis. Est persona tantum, quia, quemadmodum est depicta sola leonis facies, ita et illic, in cœlo scil., solam faciem, et sic quasi personam tantum esse oportet. Commode autem *persona* : nam personæ sunt quoque fremebundæ hiatibus torvidis. Quare Tatianus contra Græcos : Τί μοι συμβάλλεται πρὸς ὠφέλειαν ὁ κατὰ τὸν Εὐριπίδην μαινόμενος, καὶ τὴν Ἀλκμαίωνος μητροκτονίαν ἀπαγγέλλων; ᾧ μηδὲ τὸ οἰκεῖον πρόσεστι σχῆμα· κέχηνέ τε μέγα καὶ ξίφος περιφέρει. Omitto alia loca ab aliis prolata. Propter hanc deformitatem ῥύγχος quandoque poetæ Græci appellaverunt. Athenæus (l. III, c. 15, p. 95, ed. Casaubon.) : ὅτι δὲ κυρίως λέγεται ῥύγχος ἐπὶ τῶν συῶν, προείρηται. ὅτι δὲ καὶ ἐπ' ἄλλων ζώων, Ἄρχιππος Ἀμφιτρύωνι δευτέρῳ κατὰ παιδιὰν εἴρηκε καὶ ἐπὶ τοῦ C προσώπου, etc. Herald. — Alii legunt *et facie sola.* Conf. W. Worth., ad Tatiani, l. l. Orell.

Fremebundus hiatibus torvidis, dirus. Salmasius in edit. Lugd. Bat. hæc audacius ita refinxit : *Fremebundis hiatibus torvis rectibus.* Sed *torvidus* pro *torvus* supra jam legebatur. Itaque nil mutandum. Orell.

Dirus sanguineo de ceroto. Hæc est emendatio sagacissima N. Rigaltii ad Artemidor Oneirocrit., l. II, p. 100, ed. Reiflii, probata etiam ab Heraldo, cum proxime absit a vitiosa scriptura codicis mss. et editionis principis : *Dirus sanguineo decoroto*, unde Gelenius solemni temeritate effecit *sanguineo de gutture.* Meursius, p. 186, conjicit *sanguine decolorus*, natum decens mendum ex abbreviata scriptura *decolor.* Ita *unicolorus, versicolorus, multicolorus* apud Prudentium. Canterus legendum suspicatur, *sanguineo de colore.* J. G. Grævius in Epistola ad N. Heinsium, 261. Syllog. Burm., vol. IV, p. 337, *sanguineo* D *decolor ore.* Salmasius edidit, *sanguinea* (scil. facies) *de ceroto. Cerotum*, κηρωτὸν, *sanguineum* dicit Arnobius merum minium, quo facies leonis oblinebantur. Et revera homines etiam ψιμμυθίῳ et minio et quasi ceroto vel cerato (nam ceratum et cerotum idem) sanguineo ac rubro linebantur. Ita Camillum minio pictum triumphasse auctor est Plinius, Hist. nat., l. 33, c. 7. Conf. quæ observavimus ad Jac. Balde, III ; Lyr., Od. 31. Proba autem locutio et usitata apud hos scriptores : *Dirus sanguineo de ceroto.* Sic Tertullianus Apologet., cap. 5 : *Tentaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate*, et cap. 9 : *O Jovem Christianum, et solum patris filium de crudelitate*, quæ exempla citavit Heraldus. Orell

Malum dentibus suis comprimens. Tamquam *manducus.* Vide Festum. Herald. — C. Barthius, Adversar., l. XXIX, c. 18, p. 1391, legendum censet *dentibus sævis.* Orell.

Atque ut fessi canes linguam ore de patulo potus

mulacrum dei, quem probare non possis ulla esse in A parte naturæ? .

XI. Ridetis, temporibus priscis Persas fluvios coluisse, memoralia ut indicant scripta, informem Arabas lapidem, acinacem Scythiæ nationes, ramum pro Cinxia Thespios: lignum Icarios pro Diana indolatum; Pessiuuntios silicem pro deum matre: pro Marte Romanos hastam, Varronis ut indicant Musæ: atque, ut Æthlius memorat, ante usum disciplinamque fictorum pluteum Samios pro Junone: et

COMMENTARIUS.

aviditate projiciens. Secutus sum emendationem editoris Lugd. Bat. maxime probabilem. Antea legebatur · *Atque, ut olim fessi canes linguam ore de patulo pituitate projiciens.* Sed particula *olim* hoc loco prorsus aliena, neque *pituitas, atis*, latina vox. ORELL.

Ac dicere esse simulacrum Dei. Sic emendavit Scriverius apud Meursium in Appendice, sequente Salmasio. Cod. ms. *accidere*. Gelenius edidit: *Ac credere esse simulacrum Dei.* ORELL.

B XI. — *Ridetis temporibus priscis Persas fluvium coluisse*, etc., etc. Hæc est sequentia iterum petita ex Clemente Protrept., p. 40, ed. Potter.: Πάλαι μὲν οὖν οἱ Σκύθαι τὸν ἀκινάκην, οἱ Ἄραβες τὸν λίθον, οἱ Πέρσαι τὸν ποταμὸν προσεκύνουν, καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων οἱ ἔτι παλαιότεροι ξύλα ἱδρύοντο περιφανῆ, καὶ κίονας ἵστων ἐκ λίθων, ἃ δὴ καὶ ξόανα προσηγορεύετο, διὰ τὸ ἀποξεῖσθαι τῆς ὕλης. Ἀμέλει ἐν Ἰκάρῳ τῆς Ἀρτέμιδος τὸ ἄγαλμα ξύλον ἦν οὐκ εἰργασμένον, καὶ τῆς Κιθαιρωνίας Ἥρας ἐν Θεσπίᾳ πρέμνον ἐκκεκομμένον· καὶ τὸ τῆς Σαμίας Ἥρας, ὥς φησιν Ἀέθλιος, πρότερον μὲν ἦν σανίς, ὕστερον δέ, ἐπὶ Προκλέους Ἄρχοντος, ἀνδριαντοειδὲς ἐγένετο. Ἐπεὶ δὲ ἀνθρώποις ἀπεικονίζεσθαι τὰ ξόανα ἤρξατο, βρέτη τὴν ἐκ βροτῶν ἐπωνυμίαν ἐκαρπώσατο. Ἐν Ῥώμῃ δὲ τὸ παλαιὸν δόρυ φησὶν γεγονέναι τοῦ Ἄρεως τὸ ξόανον Οὐάρρων ὁ συγγραφεύς, οὐδέπω τῶν τεχνιτῶν ἐπὶ τὴν εὐπρόσωπον ταύτην κακοτεχνίαν ὡρμηκότων. CANTER.

Persas fluvios coluisse. Herodotus (l. I, c. 138): Ἐς ποταμὸν δὲ οὔτε ἐνουρέουσι, οὔτε ἐμπτύουσι, οὐ χεῖρας ἐναπονίζονται, οὐδὲ ἄλλο τι οὐδὲν ποιέουσι, ἀλλὰ σέβονται ποταμοὺς τῶν πάντων μάλιστα. ELMENH.—Conferendus J. Fr. Gronovius, Obss., l. IV, c. 10, p. 638, seq., ed. Platneri religionem istam Persarum pluribus exemplis illustrans. ORELL.

Memoralia ut indicant scripta. Memoralia scripta sunt *memoriæ* apud a Gellium et Tertullianum passim. *Antiquas lectionum memorias* dicit Julius Firmicus, l. VI, Mathes., c. 26. HERALD.

Informem Arabes lapidem. Λίθον simpliciter dicit Clemens. Maximus Tyrius quadratum lapidem dicit: Λίθον τετράγωνον Ἀράβιοι σέβουσι μέν, ὄντινα δέ, οὐκ οἶδα· τὸ δὲ ἄγαλμα, ὃ εἶδον, λίθος ἦν τετράγωνος. Sed Arnobius non sine caussa *informem* adjicit. Sic enim ἄσημον λίθον dicit Dio Chrysostomus sermone XII: Ὥστε πολλοὶ τῶν βαρβάρων, πενίᾳ τε καὶ ἀπορίᾳ τέχνης, ὄρη θεοὺς ἐπονομάζουσι, καὶ δένδρα ἀργά, καὶ ἀσήμους λίθους. HERALD.—Pariter Suidæ in Θεὸς Ἄρης hujusce Dei ἄγαλμα dicitur λίθος μέλας, τετράγωνος, ἀτύπωτος, ὕψος ποδῶν δ', εὐρὺς δύο; quem Petræ in templo pulcherrimo erectum memorat. Sed errare Suidam Martem denotari putantem, et pro Θεὸς Ἄρης legendum esse Δουσάρης, quod nomen fuit Bacchi apud Nabatæos, ostendunt J. Davisius, ad Maximi Tyrii, l. l., dissert. VIII, § 8, p. 142, ed. Reiskii, et, qui ea de re multus est, Sam. Bochartus, in Phaleg, l. II, c. 14, p. 126, ed. Francofurt. Sic hodie quoque Mecchæ in Alcababa lapidem nigrum colunt Arabes et ob reverentiam osculantur. Vid. Bochart., p. l., et Nerreter in l. t. *Neuerossnete Mahometanische Moschea*, p. 282, seqq.; et de lapidum apud antiquos adoratione doctissime disputantem Gisb. Cuper. ad Lactant., de Mortib. persecut., t. II, p. 154, edit. Bauldri. ORELL.

Acinacem Scythiæ nationes. Tametsi ἀκινάκης vocabulum sit Persicum, ensem significans, ut tradit in Polyhymnia Herodotus: καὶ τὸ Περσικὸν ξίφος ἀκινάκην καλέουσι· Græci tamen etiam pro gladio Scythico usurpare solent, quem sicut Deum quemdam gens illa observaret et coleret. Clemens: Σκυθῶν οἱ Σαυρομάται ἀκινάκην σέβουσιν. Ammianus Marcellinus, l. 31: *Nec templum apud eos visitur, aut delubrum, ne tugurium quidem culmo tectum: sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque, ut Martem, regionum, quas circumeunt, præsidem, verecundius colunt.* BRODÆUS, *Miscellan.*, l. V, c. 5, *in Lamp. crit. Gruteri*, vol. II, p. 533. — Idem tradit Herodotus, l. IV, c. 62, qui locus est classicus, et Lucianus in Jove Tragœdo, c. 42, et Toxari, c. 38. ORELL.

Ramum pro Cinxia Thespios. Sic e codice ms. restituit felicissime Janus Guilielmus verba corruptissima editionis primæ: *Ramum procincxia Thespios*, unde Gelenius constanti temeritate fecit: *Ramum Prognes Thespios.* Lilius Gyraldus locum nostrum in libro suo de diis gentilium ita citat: *Ramum proconnesii Athespios*, nullo sensu. Canterus e Clementis, loco supra laudato, καὶ τῆς Κιθαιρωνίας Ἥρας ἐν Θεσπίᾳ πρέμνον ἐκκεκομμένον, legendum suspicatur: *Ramum pro Cithæronia Thespios.* Gentianus Hervetus in notis ad Clementem: *Ramum putatum pro Junone Thespios.* Sed unice verum *pro Cinxia*, quod probat etiam Salmasius ad Solinum, p. 14. Cinxia est Juno, eo nomine a Romanis culta, quod cingulo novæ nuptæ præesset. Vide supra, ad l. III, c. 25. ORELL.

Lignum Icarios pro Diana indolatum. Ita legendum cum Clemente pro *Carios*. Dianæ enim templum apud Icarios fuisse testis est Strabo, l. XIV, p. 639 (ed. Casaubon.): Παράκειται δὲ τῇ Σάμῳ νῆσος ἡ Ἰκαρία, C ἀφ' ἧς τὸ Ἰκάριον πέλαγος· αὐτὴ δ' ἐπώνυμός ἐστιν Ἰκάρου παιδὸς τοῦ Δαιδάλου, ὅν φασι τῷ πατρὶ κοινωνήσαντα τῆς φυγῆς, ἡνίκα ἀμφότεροι πτερωθέντες ἀπῆραν ἐκ Κρήτης, πεσεῖν ἐνθάδε, μὴ κρατήσαντα τοῦ δρόμου. Et paulo post: ἄκρα δ' ἐστὶν ἀνατείνουσα πρὸς ζέφυρον· ἔστι δὲ καὶ Ἀρτέμιδος ἱερὸν καλούμενον Ταυροπόλιον ἐν τῇ νήσῳ. CANTERUS.—Fallitur itaque C. Barthius ad Stat. Theb. IV, 225. T. II, p. 978, legendum existimans *Caryos* a *Caryo*, Laconiæ oppido, a quo Diana Caryatis, quod illic coleretur. ORELL.

Æthlius. Ita lego cum Clemente pro *Ethedius*. Ethedii enim nullibi mentionem fieri inveni. Æthlii autem præter Clementem meminit Athenæus lib. XIV, Dipnosophist. (pag. 650, ed. Casauboni): Ἀέθλιος δὲ ἐν πέμπτῳ ὅρων Σαμίων, εἰ γνήσια τὰ συγγράμματα, ὁμομηλίδας αὐτὰς καλεῖ. Et paulo post eodem libro (pag. 653): Τί οὖν παράδοξον ἱστορεῖν δοκεῖ Ἀέθλιος ὁ Σάμιος ἐν πέμπτῳ Σαμίων ὡραίων (Casaubon. leg. ὅρων) λέγων, Σῦκον καὶ σταφυλὴ καὶ ὁμομηλὶς καὶ μῆλα καὶ ῥόδα D δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐγένετο. Magnopere autem ad hanc lectionem corroborandam facit, quod Athenæus hunc fuisse Samium et de eorum rebus scripsisse testetur. CANTER. Meminit ejus etiam Etymologus Magnus v. Νένωται. Vid. Voss., de Hist. Græcis, lib. III. V. *Æthlius.* ORELL.

Ante usum disciplinamque fictorum. Fictorum a *fictor, is*, id est statuarius, signifex, ut infra appellat Arnobius, Græce πλάστης. Cicero, de Nat. deor., II, cap. 29. *Reliquos deos ea facie novimus, qua pictores fictoresque voluerunt.* ORELL.

Pluteum Samios pro Junone. Verissima hæc et levissima emendatio debetur Ob. Gifanio et Th. Cantero, qui eam protulit in Var. Lect., lib. II, cap. 25. In Lampade Gruteri, t. III, pag. 771. Antea legebatur: *Puteum Samios pro Junone.* Sed unice verum esse *pluteum* liquet ex Eusebio et Clemente, qui de eadem re loquentes exprimunt per σανίς. Gentianus Hervetus mavult: *purum asserem pro Junone*, male. ORELL.

abstinetis a risu, cum pro diis immortalibus sigilliosis A hominum, et formis supplicatis humanis. Quinimmo deos esse sigillaria ipsa [a] censetis, nec præter hæc quidquam vim creditis habere divinam. Quid dicitis, o isti! ergone dii cœlites habent aures, et tempora, cervices, occipitium, spinam, lumbos, latera, poplites, nates, suffragines [b] talos, membraque alia cætera, quibus constructi nos sumus, et quæ prima in parte paulo plenius dicta sunt, et scripto uberiore prolata? Utinam liceret introspicere sensus vestros, recessusque ipsos mentis, quibus varias volvitis, atque initis obscurissimas cogitationes; reperiremus et vos ipsos eadem sentire, quæ nos: neque alias gerere super numinum figuratione sententias. Sed studiis facere quid pervicacibus possumus, quid intentantibus gladios, novasque excogitantibus pœnas? Animantis as- B seritis malam scientissimi causam, et quod semel sine ratione fecistis, ne videamini aliquando nescisse, defenditis; meliusque putatis, non vinci, quam confessæ cedere atque annuere veritati.

XII. Ex hujusmodi causis illud etiam vobis conniventibus consecutum est, ut in deorum corporibus lasciviæ artificum luderent, darent que his formas, quæ cuilibet tristi possent esse derisui. Itaque Hammon cum cornibus jam formatur et fingitur arietinis: Saturnus cum obunca falce, custos ruris ut aliquis, ramorum luxuriantium tonsor: cum petaso gnatus Maiæ, tamquam vias aggredi præparet, et solem, pulveremque declinet: Liber membris cum mollibus et liquoris feminei dissolutissimus laxitate: Venus nuda, et aperta, tamquam si illam dicas publicare, divendere meritorii corporis formam: cum pileo

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Illa ms.*

[b] *Suffraginem Sab.*

COMMENTARIUS.

Quinimmo deos esse sigillaria ipsa censetis. Sigillaria h. l., ut et præcedens *sigilliola*, sensu insolentiore de statuis justæ magnitudinis dici ab Arnobio, pluribus ostendit Gisb. Cuperus in Harpocrate, pag. 86. Pro *ipsa* Ms. *illa*. ORELL.

Membraque alia cætera. Vide supra, ad lib. III, cap. 6. ORELL.

Animantis asseritis malam scientissimi causam. Heic est aliquod vitium. *Scientissimi* est scientes, non autem ignoratione malam causam asseritis. Pro *animantis* igitur an *argumentis?* ut legatur: *argumentis asseritis* etc. HERALD. — Meursius conjicit: *Amentes asseritis*, etc. Equidem legendum conjicio: *Animose asseritis*, etc. id est, summo studio et contentione. ORELL. C

XII. — *Ex hujusmodi causis illud etiam vobis conniventibus consecutum est*, etc. Sequitur jam locus classicus de deorum insignibus et attributis, plura continens, quæ alibi frustra quæsiveris. ORELL.

Quæ cuilibet tristi possent esse derisui. Cuilibet tristi, id est, *gravi, severo, austero*, scilicet homini, vel philosopho, *ein finstrer Sauertopf*, quales erant, verbi causa, Heraclitus et Cato. Ita Lucilius ap. Non., verbo TRISTIS: *Tristis ac severus philosophus.* Ubi vid. Dousa, pag. 404, edit. Censorin. Havercamp, qui apposite citat Afranii versum ex Privigno:

Non ego te novi tristem, severum, serium. ORELL.

Itaque Hammon cum cornibus jam formatur et fingitur arietinis. De diis cornutis majorum gentium locus classicus est apud Porphyrium de Abstinentia, lib. III, (pag. 250, ed. de Rhoer.): Οὕτω δὴ οἱ Ἕλληνες τῷ μὲν τοῦ Διὸς ἀγάλματι κριοῦ προσῆψαν κέρατα, ταύρου δὲ Διονύσῳ, τὸν δὲ Πᾶνα ἐξ ἀνθρώπου καὶ αἰγὸς συνέθηκαν. D De cornibus diis fluviorum attributis res notissima. Conf. intpp. ad Minuc. Fel., cap. 21, et, qui de diis illis docte fuseque disputat et Jovis Hammonis imaginem nitidissime æri incisam repræsentat. Ez. Spanhem. De Usu Numism., dissert. VII, pag. 389 et seq. ORELL.

Cum petaso gnatus Maiæ, tanquam vias aggredi præparet. Martianus Capella, de Nuptiis Philologiæ, lib. I, pag. 2. *Petaso autem ac talaribus concitatis cœpit præire Mercurius.* Conf. Xiphilinus in Vita Commodi et Plaut. Amphitryon., Prolog. 143. ELMENH. Petasi enim et pilei in itinere usus, cum alias raro uterentur pileis, quod ab eruditissimis hominibus pridem observatum (v. c. J. Lipsio de Amphiteatro cap. 19). HERALDUS. *Petasus*, græce πέτασος, galerus erat, seu pileus, sic dictus, quod latos habebat margines. Scribit autem Athenæus (Dipnos. lib. XII, pag. 537), Alexandrum ...m aliquando in conviviis gestasse indumentum ...ii, et τὸν πέτασον ἐπὶ κεφαλῇ, καὶ τὸ κηρύκειον ἐν τῇ χειρί. Plautus vero (in Prolog. Amphitr.) Mercurium sic loquentem inducit:

Ego has habebo hic usque in petaso pinnulas.

Quem in versum Lambini, si lubet, observationes consule. NOURR., pag. 489. *Petasus* capitis tegmen galero persimile, cujus delineationem vide in Montefalconii Antiqq., tab. LXXXV, fig. 9 et 10, ed. Schazii. ORELL.

Liber membris cum mollibus, et liquoris feminei dissolutissimus laxitate. Nam Bacchus λυσιμελής, quemadmodum Venus. Elegantissime autem: *liquoris feminei dissolutissimus laxitate.* Sic feminæ dicuntur molles, et quasi liquescentes ac diffluentes, unde incessus earum laxior et dissolutior. Apuleius, Milesia II: *Incessu perfluo feminam mentiebatur*: ὑγρὸν βάδισμα Græci dicunt. Clemens Alexandrinus, lib. III. Pædagogi: Οὐ γὰρ ὥς τινες τὴν ὑπόκρισιν ζηλοῦσαι τῆς κωμῳδίας, καὶ τὰς κατεαγυίας τῶν ὀρχηστῶν κινήσεις παραφυλάττουσαι, παρὰ τὰς ὁμιλίας σκηνοβατοῦσιν, αὐτοῖς τοῖς κινήμασι τοῖς ἁβροῖς, καὶ τοῖς ὑγροῖς βαδίσμασι, καὶ φωναῖς ταῖς πεπλασμέναις, κλαδαρὸν περιβλέπουσαι, δέλεαρ ἡδονῆς ἐξησκημέναι. Dio Chrysostomus, sermone IV, de Regno τὸ ὑγρὸν καὶ μαλακὸν εἶδος opponit τῷ ἀῤῥενωπῷ καὶ σεμνῷ. Ἆρ' οὖν, inquit, ἀῤῥενωπόν τι καὶ σεμνὸν εἶδος τῷ τοιούτῳ δαίμονι πρέπει, ἢ μᾶλλον ὑγρόν τε καὶ μαλακόν. Hinc ὑγρὸς βίος Græcis, quæ Latinis vita madens ac deliciis diffluens. Optime igitur et elegantissime Arnobius: *liquoris feminei dissolutissimus laxitate. Dissolutus* est διαλελυμένος et deliciis fluens. Tertullianus, de Spectaculis, cap. X: *Et est quoque in artibus scenicis Liberi et Veneris patrocinium, quæ privata et propria sunt scenæ, de gestu et corporis fluxu. Nam mollitiam Veneri et Libero immolant: illi per sexum, isti* (sic enim legendum pro *illi*) *per fluxum dissoluti.* — HERALD. Opp. *corpora sicca, quibus*, ut ait Catullus, *avida cutis siccis hæret ossibus.* Conf. J. Fr. Gronov., in Diatribe ad Statii Silv., cap. XXV, pag. 151, sq. locum nostrum multis exemplis illustrans et Turneb., Advers., lib. XXIII. Male itaque locum hunc sanissimum sollicitavit Meursius legens: *liquoris seminei*, quia liberum veteres masculinis seminibus præficiebant, et pejus etiam C. Barthius, Advers., lib. LVIII, cap. 15, *liquorem femineum* vinum interpretatur. ORELL.

Tanquam si illam dicas publicare, divendere meritorii corporis formam. Id est, τὴν ὥραν ὥσπερ τι ὤνιον πιπράσκειν. *Formam* enim dicit hoic τὴν ὥραν. In eamden sententiam Jul. Firmicus lib. VI, Mathes., cap. 31. *Si vero mulieris fuerit ista genitura, meretricem publicam et famosam nundinato pudore perficiet,*

Vulcanus, et malleo, manu librans dextera, et fabrili expeditione succinctus : cum plectro et fidibus Delius citharistæ gestus servans, cantaturi et nænias histrionis : cum fuscina rex maris, tamqnam illi pugna sit gladiatorii obeunda certaminis : neque ullum est reperire figmentum alicujus numinis, quod non habitus certos ferat fabrorum liberalitate donatos. Ecce si aliquis, vobis nescientibus et ignaris, rex urbanus et callidus ex foribus suis Solem tollat, et in Mercurii transferat sedem : Mercurium rursus arripiat, atque in Solis faciat commigrare delubrum, uterque enim a vobis glaber, atque ore compingitur levi, detque huic radios, Solis capiti petasunculum [a] superponat : quibus modis internoscere poteritis, utrumne Sol iste sit, an ille Mercurius, cum habitus A vobis deos, non oris soleat proprietas indicare? Consimili rursus translatione si nudo Jovi cornua detrahat, et Martis temporibus affigat, Martem armis spoliet, et his rursus circumcludat Hammonem : interstitio quæ fieri poterit singulorum, cum qui Jupiter fuerat, idem possit existimari Mars esse, et qui Mavors fuerat, subintroire speciem Jovis possit Hammonis? Usque adeo ludus est simulacra ista confingere, nomina illis tamquam propria dedicare, quibus si habitum detrahas, tollatur cognitio singulorum : deus pro deo credi, alter videri pro altero, immo pro utroque uterque possit existimari?

XIII. Sed quid ego diis dotas falses et fulcinas rideo? quid cornua, malleos, et galeros, cum simulaB cra quædam sciam certorum esse hominum formas, et

LECTIONES VARIANTES.

[a] Petajoculum *ms. Ridicule.*

COMMENTARIUS.

HERALD.—Innuit autem Arnobius Venerem *Vulgariam*, πάνδημον, de qua Eugraphius ad Terent. Eunuch. I, scen. II, 5 : *Menander aperte dixit, meretrices juxta domum suam, vel in atrio solitas habere arum Veneris Vulgariæ, cui quotidie sacrificarent.* (Conf. Murr. ad Tab. Herculan., tom. 7, pag. 4, tab. 16. ORELL. — *Meritorii corporis.* Quare et ipsum lupanar *meritorium* appellant, ἐργαστήριον. Jul. Firmicus, lib. IV, Mathes., cap. 25 : *Si autem iis Veneris stella accesserit, illustribus viris de meritorio detracta mulier conjugali gratia copulatur.* HERALD.

Cum pileo Vulcanus et malleo, manu librans dextera. In textum recepi correctionem hanc verissimam Cannegieteri, qui aliam quoque proponit emendationem : *Cum pileo Vulcanus et malleo, malleum librans dextera.* Sed priorem longe præfero ob ingratam repetitionem v. *malleus.* Antea edebatur : *Cum pileo Vulcanus et malleo, manu liber sed dextera*, quod videtur esse corruptum, nisi forte Arnobius ad talem imaginem respexit, qualem nobis repræsentat Montfaucon in Antiquitt., tab. 11, fig. 4. Compendii Schaziani, Vulcani scil. liberi dextra manu, sinistra autem obvoluta pallio. Meursius conj. *mancus; liber sed dextera*, quod quid sibi velit, dispicere nequeo, nisi mancus dici possit Græcorum χωλός, qualis erat Vulcanus, cujus autem significationis exempla desidero. Nam *mancus* est proprie manu carens, non pede tortus claudicans. ORELL. Fabros ferrarios pileatos fuisse, ex Arriani Diss. Epictet., lib. IV, cap. 8, jam alii (Heraldus) observarunt. ELMENH.

Et fabrili expeditione succinctus. Id est, περίζωμα περιθέμενος. Arrianus eodem capite : Οὐδεὶς δ' ἐρεῖ, Ἐγὼ μουσικός εἰμι, ἂν πλῆκτρον καὶ κιθάραν ἀγοράσῃ. Οὐδ' Ἐγὼ χαλκεύς εἰμι, ἂν πῖλεον καὶ περίζωμα περίθηται. HERALD. — De voce *expeditione* dubito, significatur id, quod nostro sermone dicimus *ein Schurzfell.* Forte græce scriptum περιζώματι, quod librarius græce nescius mutavit. Possis tamen *expeditionem fabrilem* dicere modum et rationem, qua faber expedit opus suum, quanquam et hoc dicendum, parum aptam esse ei rationi vocem *succinctum.* CANNEGIETER. Insolentissima hæc vocis *expeditio* significatio, neque verosimile est Arnobium scripsisse περιζώματι, cum in toto opere nullum græcum legatur vocabulum. Sed omnia sana erunt, si cum Stewechio legamus. *fabrili expeditioni succinctus*, id est, ad febrilem expeditionem. Talem Vulcanum succinctum vide sis apud Montefalconium in Antiquit., tab. 11, fig. 2 et 3, ed. Schaz. ORELL.

Cum plectro et fidibus Delius citharistæ gestus servans, cantaturi et nænias histrionis. Hæc est lectio omnium editionum, excepta Lugduno-Batava, quæ habet : *Delius citharista*, fortassis operarum vitio. Nam ita si legimus posterius, *et* non habet ad quod referatur. *Nænias* designare non solum carmina funebria, sed quæcumque dicta vulgata, puerilia, nugatoria docent Taubmannus ad Plant. Bacchid., act. 4, scen. 8, et Gesnerus in Thesauro. Sic infra lib. VII, cap. 32, nutricum cantiones, quibus pueris inducunt sommos, næniæ vocantur : *Somni enim quiete solvuntur, occuparique ut possint, lenes audiendæ sunt næniæ.* ORELL.

Cum fuscina rex maris, tanquam illi pugna sit gladiatorii obeunda certaminis. Fuscina enim retiarii in gladiatoriis ludis utebantur. Juvenalis, satyr. II, vers. 143.

C Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi.

Vid. Lipsius Saturnal., lib. II, cap. 8. ELMENH. Quia nimirum gladiatores, ac imprimis retiarii, tridente armati contra myrmillones pugnabant, unde Juvenalis, sat. II, vers. 143 :

Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi,
Lustravitque fuga mediam gladiator arenam.

Vide sis in hos versus variorum observationes et Lipsium, lib. II, Saturn., cap. 8, NOURR., pag. 490.

Rex urbanus et callidus ex foribus suis Solem tollat. Numquam existimassem, posse aliquem (Gelenium, qui conj. *ex ædibus.* ORELL.). De hac lectione dubitare. Sol recte in foribus, unde προστατήριος appellabatur. Sophocles in Electra (vers. 637) :

Κλύοις ἂν ἤδη, Φοῖβε προστατήριε,
Κεκρυμμένην μου βάξιν.

D Scholiastes : Προστατήριε......, ὅτι πρὸ τῶν θυρῶν ἵδρυται. Atque ita Pausanias. Tertullianus de idololatria : *Etiam apud Græcos Appollinem* θυραῖον *et Antelios dæmonas ostiorum præsides legimus.* Προπύλαιον Ἀπόλλωνα dicit Aristides hymno in Minervam. HERALD.

Cum habitus vobis deos, etc. Prudentius :

Formatum Fortunæ habitum, cum simplice cornu.

Insignia appellat Tertullianus libro de Idololatria : *Nec enim differt, an exstruas, vel exornes, si templum, si aram, si ædiculam ejus instruxeris, si bracteam expresseris, aut insignia, aut etiam domum fabricaris.* HERALD.

Interstitio. H. l. idem quod discrimen, ab *intersto are*, cujus significationis aliud exemplum desidero. Alias *interstitio* est cessatio, vacatio. Alii legunt *interstinctio*, quod supra habuimus cap. 3. : *Et sidereos evomant variata interstinctione fulgores.* ORELL.

Nomina illis tamquam propria dedicare. Meursius mavult *numina*, male. ORELL.

infamium liniamenta meretricum? Quis est enim, qui ignoret Athenienses illos Hermas Alcibiadis ad corporis similitudinem fabricatos? Quis Praxitelem nescit, Posidippum si relegat, ad formam Cratinæ meretricis, quam infelix perdite diligebat, os Veneris Gnidæ solertiarum coegisse certamine? Sed sola est hæc Venus, cui de scorti vultu translaticium decus auctum est? Phryne illa Thespiaca, sicut illi referunt, qui negocia Thespiaca scriptitarunt, cum in acumine ipso esset pulchritudinis, venustatis, et floris, exemplarium fuisse perhibetur cunctarum, quæ in opinione sunt Venerum : sive per urbes graias, sive istic quo fluxit amor talium cupiditasque signorum. Itaque artifices omnes, ipsis iisdem qui temporibus existerunt, quibusque primas dabat exprimendarum similitudinum veritas, omni cura studioque certabant, filum capitis prostituti cythereia in simulacra traducere : ardebant artificum scita : alterque alterum vincere contentiosa æmulatione quærebant, non Venus ut augustior fieret, sed ut Phryne pro Venere staret.

A atque ita perducta est res eo, ut pro diis immortalibus sacra meretricibus fierent, et infelix regio signorum fabricationibus falleretur. Inter significes ille memoratus Phidias est primus, cum Olympii formam Jovis molimine operis extulisset immensi, super dei digito PANTARCES inscripsit PULCHER : nomen autem fuerat amati ab se pueri, atque obscœna cupiditate dilecti : neque ullo metu est aut religione commotus, deum nomine prostibuli nuncupare; quinimo exoleto Jovis numen simulacrumque sacrare. Usque adeo ludus est, et puerilis affectio, sigillaria ista formare, adorare pro diis ea, sanctitatibus accumulare divinis : cum ipsos videamus artifices in effingendis his ludere, et libidinum propriarum monumenta sancire. Quid est enim si quæras, cur Phidias ludere ac lascivire

B dubitaret, cum ante paululum temporis Jovem ipsum, quem fecerat, sciret aurum fuisse, lapides, atque ossa informia, disparata, confusa, seque horum omnium congregatorem, atque vinctorem [a], habitus eis per se

LECTIONES VARIANTES.

[a] Junctorem *ms*.

COMMENTARIUS.

XIII. — *Quis est enim qui ignoret Athenienses illos Hermas*, etc. Clemens in Protrept. (pag. 47. ed. Potter.) : ὥσπερ αὖ καὶ οἱ λιθοξόοι τοὺς Ἑρμᾶς Ἀθήνησιν πρὸς Ἀλκιβιάδην ἀπείκαζον. CANTER.

Quis Praxitelem nescit, etc. Idem Clemens (eadem pagina) : Ὁ Πραξιτέλης δὲ, ὡς Ποσίδιππος ἐν τῷ περὶ Κνίδου διασαφεῖ, τὸ τῆς Ἀφροδίτης ἄγαλμα τῆς Κνιδίας

C κατασκευάζων, τῷ Κρατίνης τῆς ἐρωμένης εἴδει παραπλήσιον πεποίηκεν αὐτήν, ἵν' ἔχοιεν οἱ δείλαιοι τὴν Πραξιτέλους ἐρωμένην προσκυνεῖν. CANTER.

Posidippum si relegat. In Romano Codice (editione 1) legitur : *Posidippi si relegat*, scil. scripta. CANTER. — Si sana est lectio editionis Lugd. Bat. : *Posidippi si relegat*, excidit aliquid post v. *relegat*, forte *librum de Gnido*. Nam Clemens, quem et hic exscripsit Arnobius : Ὡς Ποσίδιππος ἐν τῷ περὶ Κνίδου διασαφεῖ. Editiones veteres, v. c. prior Elmenhorstii, habent : *Posidippum si relegat*. De hoc Posidippo vid. Voss. de Hist. græc., lib. III. ORELL.

Solertiarum coegisse certamine, hoc est, summa diligentia et solertiarum contentione, omnibus solertiis (*Kunstfertigkeiten*, *Geschicklichkeiten*), quæ in ipso erant, quasi in certamen vocatis. Quare falsissima est conjectura Fulv. Ursini : *solerti aliarum contentione*. ORELL.

Phryne illa Thespiaca. Clemens l. l. : Φρύνη δὲ ὁπηνίκα ἤνθει ἡ ἑταίρα ἡ Θεσπιακὴ, οἱ ζωγράφοι πάντες τῆς Ἀφροδίτης εἰκόνας πρὸς κάλλος ἀπεμιμοῦντο Φρύνης. CANTER. — Conf. Pausanias in Bœoticis pag. 302 et 330. ORELL.

Qui negotia Tespiaca scriptitarunt. Id est, res Thespiaca, ut docebamus ad lib. I. (cap. 3.) Male igitur Fulv. Ursinus inducit τὸ *negotia*. HERALD.

Cum in acumine ipso esset pulchritudinis. In acumine, id est, ἐν ἀκμῇ ὥρας, κάλλους. Vide interpp. ad Achill. Tat. Amor., lib. III, cap. 8, pag. 260, ed. Boden. Pessime itaque alii mutant *culmine*. ORELL.

Exemplarium. Idem quod exemplar. Rarior formatio obvia tamen in Digestis. Vid. Brisson., de verb. Signif., hoc verbo. ORELL.

Sive istic, quo amor fluxit. Sic edidi ex emendatione Meursii probatissima. Cæteri : *sive iste quo amor fluxit*. ORELL.

Quibusque primas dabat exprimendarum similitudinum veritas. Pro *veritas* Fulv. Ursinus legendum suspicatur *navitas*. Male. Similem locutionem habuimus supra lib. II. : *in quibus nihil ipsa desideraret integritas*. ORELL.

Filum capitis prostituti. Vide supra ad lib. III. cap. 13. init. ORELL.

Ardebant artificum scita. Locus difficilis. *Scita* intelligo de formis conceptis in animis artificum, *die Ideale der Künstler*. Editio Lugd. Bat. Habet : *Ardebant artificium scita. Ardebant*; scil. ob amorem Phrynes : *Sie waren voll Feuer und Leben*. Credo, operarum vitio, nam *ardere aliquem* nihil aliud significare potest, quam impense amare. ORELL.

Inter significes. *Signifex* pro statuario æneæ latinitatis vocabulum, usurpatum præter nostrum ab Apuleio, Martiano Capella et Sidonio, ubi vid. Savaro ad lib. VI, epist. XII, pag. 403. Conf. C. Sciopp. Verosimil. lib. I., cap. 7, pag. 33, et Colv. ad Apulei. Met., I, 22. p. 92. ORELL.

Inter significes ille memoratus Phidias est, etc. Clemens p. l. : Ὁ μὲν Ἀθηναῖος Φειδίας ἐπὶ τῷ δακτύλῳ τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου ἐπιγράψας, ΠΑΝΤΑΡΚΗΣ ΚΑΛΟΣ. Οὐ γὰρ καλὸς αὐτῷ ὁ Ζεύς, ἀλλ' ὁ ἐρώμενος ἦν. CANTER.

D *Super Dei digito Pantarces inscripsit pulcher*. Sic ex emendatione Th. Canteri, in Var. Lectt., lib. II, cap. 14, in Gruteri Lampade, tom. III, p. 752, legendum esse liquet cum ex Clementis loco modo citato, tum ex Pausania, lib. VI, pag. 362, ed. Sylburg. : Μετὰ δὲ Ἴκκον καταπαλαίσας παῖδας Παντάρκης ἕστηκεν ὁ Ἠλεῖος ὁ ἐρώμενος Φειδίου. Conf. pag. 306. Antea edebatur : *Pantauches*. ORELL.

Inscripsit pulcher. Suidas in καλοὶ dicit, amatores amasionum nomina inscripsisse in parietibus vel foliis arborum, addito titulo : Ille est pulcher. Verba ejus sunt : Καλοὶ Ἀριστοφάνης. Ἐν τοῖσι τοίχοις ἔγραφον Ἀθηναῖοι καλοί. Ἴδιον ἐραστῶν ἦν τὸ τὰ ἐρωμένων ὀνόματα γράφειν ἐν τοῖς τοίχοις, ἢ δένδροις, ἢ φύλλοις δένδρων οὕτως· Ὁ δεῖνα καλός. ELMENH. — Conf., qui hac de re multus est, Bœttiger. V. Cl. in Sabina pag. 322 et 346, et ejusd. *Erklarungen alter Vasengemahlde*. Tom. III. pag. 66 seq. ORELL.

Ludere ac lascivire. Vide supra ad lib. V, cap. 1. ORELL.

datos in membrorum similitudine fabricata, et, quod inter omnia primum est, sui esse beneficium muneris, quod natus per se esset, atque in rebus adoraretur humanis?

XIV. Libet in hoc loco, tamquam si omnes adsint terrarum ex orbe nationes, unam facere concionem, atque in aures hæc omnium communiter audienda depromere. Quidnam est istud homines, quod ipsi vos ultro in tam promptis ac perspicuis rebus voluntaria fallitis et circumscribitis cæcitate? Discutite aliquando caliginem, regressique ad lumen mentis intuemini propius, et videte istud, quod agitur, quale sit: si modo retinetis jus vestrum, atque in finibus his [a] datæ rationis consiliique versamini. Simulacra ista, quæ vos terrent, quæque templis in omnibus A prostrati atque humiles adoratis, ossa, lapides, æra sunt, argentum, aurum, testa, lignum sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso: ex ornatibus fortasse meretriciis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex ossibus, aut ex Indici animalis dente, ex caccabulis, ollulis, ex [b] candelabris, et lucernis, aut ex aliis obscœnioribus vasculis congesta, conflata, in has species ducta sunt, atque in formas, quas cernitis, exierunt: fornacibus incocta figulinis, ex incudibus et malleis nata, grosfis rasa, descobinata de limis, serris, furfuraculis, asciis, secta, dolata, effossa terebrarum excavata vertigine, runcinarum levigata de planis. Ita iste non error est? non, ut proprie dicatur, amentia, deum credere, quem tute ipse formaris? supplicare tremebundum fabricatæ abs te rei; B

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Sab. Alii*: vobis, *quod præfero.*

[b] Et *Sab.*

COMMENTARIUS.

Habitus eis per se datos in membrorum similitudine fabricata. Hæc est lectio antiqua merito in textum revocata ab editore Lugd. Bat. Neque opus habemus emendatione Fulvii Ursini: *habitu eis per se dato*, quod elegantius quidem, sed alterum convenientius stylo Arnobii parum limato. Multo minus intelligo, quid sibi velit Heraldi interpunctio: *habitus eis per se datos? in membrorum*, etc. Nam verba, *habitus eis per se datos*, etc. pendent a præcedente *sciret*. ORELL.

Adoraretur. Fulvius Ursinus: *adnotaretur*. Alii: *adornaretur*. Male utrumque. ORELL.

XIV. — *Simulacra ista, quæ vos terrent*, etc. Regreditur ad disputationem de simulacris in genere, atque ex eorum materia argumentatur. Est igitur C argumentum contra omnia simulacra generale. De ista autem adorandi formula, quam tangit Arnobius, diximus ad lib. I. HERALD.

Aut commistum glutinum gypso. Prudentius, libro in Symmachum I:

..... Mollis si bractea gypsum
Texerit, infido rarescit glutine sensim. HERALD.

Indici animalis. Elephanti. ORELL.

Ex caccabulis. Ita scribendum esse, non *cacabulis*, docet Havercampius ad simillimum locum Tertulliani in Apologet., cap. XIII, p. 132: *Domesticos deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis pignerando, venditando, demutando, aliquando in caccabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva*, etc. Ibi caccabulum et trulla designant instrumenta immunda, quibus ventri onus et vesicæ accipitur Sed cum caccabula h. l. conjungantur cum ollulis, candelabris, etc., et paulo post mentio fiat aliorum vasculorum obscœniorum, Gesnerus in thesauro *caccabulum* h. l. rectius interpretatur de culinæ instrumento, D *Küchenkessel, Küchentopf*, quo sensu utitur et Apicius aliquoties. *Caccabulum* itaque deminutivum a *cacabus*, κάκκαβος, vas ubi cibum coquebant, χύτρα, ut explicat Varro de Ling. lat., lib. IV. Erat et pistorum vas. Vid. Casaubon., ad Æl. Lamprid. Heliogabal., cap. 19, p. 828, seq. ORELL.

Aut ex aliis obscœnioribus vasculis. Minucius Felix, cap. XXIII, p. 240, ed. Gronov): *Deus æreus vel argenteus de immundo vasculo, ut sæpius factum, Ægyptio regi conflatur, tunditur malleis, et incudibus figuratur.* ELMENH.

Atque in formas quas cernitis exierunt. Proprie. Horatius (Art. Poet. vs. 22):

..... Amphora cœpit
Institui: currente rota cur urceus exit? HERALD.

Grosfis rasa. Sic emendavit Gelenius pro *grossis*, quod antea legebatur nullo sensu, *grosfus* sive *grosphus, i*, γρόσφος, a Gesnero in Thesauro exponitur hastæ cuspis. Hoc loco significare videtur instrumentum illud, quod Polluci Onom. VII, 113, et X, 146, dicitur ἀρίς, limæ cognatum. Sed aliam hujus vocabuli auctoritatem desidero. Salmasius in ed. Lugd. Bat. dedit: *Tornis rasa, tornus, das Dreheisen, Drechslereisen*, de quo pluribus agit Heyne V. S. in l. t.: *Antiquarische Auffatze*, partic. II, p. 143, seq ORELL.

Descobinata de limis. Hæc est lectio vetus, pro qua Gelenius: *Descobinata limis*. Atqui observavimus antea, particulas istas sæpe πλεονάζειν apud hos scriptores. Servius ad X Æneid.: *Ex more Romanorum, propter porcum, qui de lapide feritur.* HERALD. *Descobinare* a *scobs, is*, ῥίνημα, quod lima abraditur. *Descobinatum*, ἀπορινηθέν. Hinc *scobina lima dicta, quod terendo scobem faciat*, Gloss. Isidor. Vide Salmas. ad Solin. p. 758; et Meurs. in Critico, p. 188. ORELL.

Furfuraculis, asciis. Ita legendum esse docet Salmasius ad Solin., p. 774. Cod. ms. et editio princeps habent: *Furfuribus aculeis, asciis*, corruptissime. Fulv. Ursinus conj: *forcipibus, asciis*. Alii: *perforaculis asciis* Sed *furfuraculis* est vera lectio, et proxime accedens ad scripturam Codicis *furfuraculum* et *perforaculum* unum idemque significant, nempe τὸ τρύπανον, terebræ genus, dictum vel *perforaculum* a perforando, vel apud sequioris latinitatis scriptores *furfuraculum*, quod furfures, in ligno perforando faciat, hoc est scobem furfuribus similem. Glossæ: *furfuraculum*..... τρύπανον Nec refert hilum, quod terebrarum mentio mox additur. Nam terebræ diversæ a furfuraculis vel perforaculis. Ita et Græci distinguunt τέρετρα et τρύπανα. Græcum epigramma de instrumentis fabrilibus:

Τρύπανα δ' εὐδίνητα καὶ ὀκνήεντα τέρετρα.

Terebra est τέρετρον: *Perforaculum* sive *furfuraculum* τρύπανον. Hæc Salmasius. ORELL.

Terebrarum excavata vertigine. Vertigo h. l. circumactus in gyrum, *das Udrehen*, nihil amplius. Ita Propertius, lib. III, eleg. VII, 65.

Subtrahit hæc santem torta vertigine fluctus.

et ipse Arnobius supra, lib. I, cap. 2: *Vertigo hæc mundi*, ubi vid. not. ORELL.

Runcinarum levigata de planis. De *runcina* vide supra ad lib. V. cap. 28, et Turneb. Adversar., lib. XXIII, cap. 28. *Planis* est a *plana, æ*, vocabulo, obsoleto, cujus deminutivum *planula* in Glossis exponitur *runcina*. Conjungit itaque Arnobius more suo duo vocabula idem significantia, nisi *planis* accipere velimus de parte runcinæ lignum levigante. *de* h. l. abundat, ut sæpius. ORELL.

et cum scias, et certus sis tui esse operis, et digitorum artem [a], pronum in faciem ruere, opem rogare suppliciter, adversisque in rebus, atque in temporibus asperis propitii numinis favore succurrere?

XV. Ecce si aliquis ponat in medio æs rude, atque in opera nulla conjectum, argenti massas indomiti, infectum aurum, lignum, lapides, atque ossa, resque alias cæteras, quibus signa consueta sunt et numinum simulacra constare: immo si aliquis ponat in medio collisorum deorum vultus, conflata atque imminuta simulacra; jubeatque vos idem frustis hostias et fragminibus cædere, informibus massis sacra et munia impertire divina: audire a vobis exposcimus, facturine istud sitis, an contra quam imperabitur recusaturi? Fortasse dicetis, qua causa? quia nemo est in rebus humanis tam stolide cæcus, qui argentum, æs, aurum, gypsum, ebur, argillam, deorum in numerum referat, ipsaque per se dicat vim habere atque obtinere divinam. Quænam est ergo ratio, ut si omnia hæc corpora intacta atque infecta permanserint, careant vi numinis atque auctoritate cœlesti; ea formas si accipiant hominum, si auriculas, nasos, A buccas, labra, oculos, cilia, continuo dii fiant, et in ordinem cœlitum referantur, et censum? Novitatis aliquid fictio corporibus his addit, ut adjectione ipsa cogamini aliquid eis credere divinitatis majestatisque collatum? In aurum æs mutat, aut testulæ vilitatem in argenteam cogit degenerare materiam? quæ insensilia fuerunt [b] paulo ante, facit ut sint viva, et spiritali agitatione moveantur? Si quas foris habuere naturas, eas omnes retineant [c] simulacrorum in corporibus [d] constituta; stupiditas quæ tanta est, detrecto enim dicere cæcitatem, rerum existimare naturas formarum qualitate mutari, et accipere numen ex habitu, quod in primigenio corpore iners fuerit et brutum, et sensus mobilitate privatum.

XVI. Itaque immemores et obliti simulacrorum B substantiæ atque originis, quæ sit, rationale homines animal, et sapientiæ munere consiliique donatum coctilibus testis succumbitis, æris laminas adoratis, elephantorum a dentibus secundas poscitis valetudines, magistratus, imperia, potestates, victorias, acquisitiones [e], lucra, messes opimas, feracissimasque vindemias; et cum pateat, luceat, rebus fieri verba cum brutis, exaudiri vos remini, ipsique vos ultro

LECTIONES VARIANTES.

[a] Patrem *Sab.*
[b] Fuerant *Fulv.*
[c] Retinent. *Fulv.*
[d] Corporalibus *ms.*
[e] Acquisitionis *Sab.*

COMMENTARIUS.

Digitorum artem. Editio princeps *partem.* Meursius conj. *partum.* Orell. — Lactantius: *Nam ista mortalium digitorum ludicra et fragilia figmenta.* Et: *Homo igitur illorum quasi parens putandus est; per cujus manus nata sunt: per quem speciem, figuram, pulchritudinem habere cœperunt.* Herald.

Atque in temporibus asperis propitii numinis favore succurrere. Hæc est lectio vetus, pro qua Gelenius: *favores accurrere.* Sed nihil fortasse mutandum. Pendent enim fortasse hæc a verbo *rogare.* Orantur igitur dii in rebus adversis propitii nominis favore *succurrere* et opem ferre, id est, succurrant et opem ferant. Et ita sane *propitium numen*, quod scil. succurrit et prope est, cui respondet ἵλεως apud Græcos; nimirum ὁ πρόθυμος ἐποπτεύειν τοὺς δεομένους. ἱλάω γαρ, inquit Eustathius, τὸ ἵεμαι λάειν, ἤγουν ἐφίεμαι καὶ ὁρμῶ ἐπιβλέπειν. Non poterat igitur Arnobius loqui expressius. Herald. — Constructione scil. Græca, αἰτεῖν, ἀλεξεῖν. Ita Virgilius, Eclog. II, 43:

> Jampridem a me illos abducere Thestylis orat.

Plura exempla vide ap. Vechneri Hellenolex., pag. 354, et Cort. in Sallust. Catil., cap. LII, § 24, Ed. Lugd. Bat.: *Propitii numinis favorem succurrere.* Meursius conj.: *favores acquirere.* Non opus. Orell.

XV. — *Argenti massas indomiti. Indomitum argentum* dicit igni vel cælamine nondum domitum, in formam coactum, quod alias *rude* dicitur. De v. *massa* vid. Savaro ad Sidon., lib. VI, Epist. I, pag. 383. Orell.

Infectum aurum. Isidorus Origg. lib. XV, cap. 17: *Tria sunt autem genera argenti et auri et æris, signatum, factum, infectum. Signatum est, quod in nummis est: factum est, quod in vasis et signis: infectum, quod in massis est, quod et grave dicitur.* Conf. Serv. ad Virgil. Æneid., lib. X, vers. 527, et, qui ea de re multus est, J. Fr., Gronov., de Sestertiis, lib. I, cap. VII, pag. 33, seqq. Orell.

Auriculas. Id est aures. Poeta: *Auriculas asini Mida rex habet*, et Lactantius de Mortib. Persecut., cap. XXXVI, fin.: *Itaque confessoribus effodiebantur oculi, amputabantur manus, pedes detruncabantur, nares et auriculæ desecabantur.* Ubi vid. Gisb. Cuper., par. 214, ed. Bauldr. Orell.

C *In aurum æs mutat aut testulæ vilitatem in argenteam cogit degenerare materiam?* Sic egregie sanavit locum Stewechius. Antea legebatur corruptissime: *In aurum, æs mutata ut testula vilitatem in argenteam cogat degenerare materiam.* Heraldus conj.: *in aurum, æs, mutatæ aut testulæ vilitatem, in argenteam cogat degenerare materiam*, explicans: quid est quod Deos cogat in has materias transire? Male. Nam *mutat* et *cogit* pendent a præcedenti *novitatis fictio.* Orell.

Quæ insensilia fuere paulo ante. Ita Stewechius et ed. Lugd. B. Alii: *insensibilia.* Sed *insensilia*, quod Codex ms. habet, est vocabulum Lucretianum, II, 865, seqq.:

> Ex insensilibus tamen omnia confiteare
> Principiis constare: neque id manifesta refutant
> Nec contra pugnant, in promptu cognita quæ sunt:
> Sed magis ipsa manu ducunt, et credere cogunt,
> Ex insensilibus, quod dico, animalia gigni.

D et vers. 887:

> Ex insensilibus ni credas sensile gigni.

quæ loca citavit Elmenhorstius. Orell.

Facit, ut sint viva. Facit, scil. novitatis fictio. Male igitur Fulv. Ursinus: *faciat.* Orell.

Moveantur. Stewechius conj.: *molentur.* Orell.

XVI. — *Itaque immemores et obliti simulacrorum substantiæ et originis quæ sit.* Heraldus in Curis II, legendum suspicatur: *Itaque immemores et obliti simulacrorum substantiæ et origines quæ sint.* Orell.

Rationale homines animal. Glossæ: *Animal*, ζῶον λογικὸν, ἄνθρωπος. Elmenh.

Æris laminas adoratis. Id est, prostrati adprecamini. Nam *adorare* est precari ad. lib. I (cap. XXXVI). Herald.

Acquisitiones, lucra. Meursius: *Adquisitiones lucri*, contra morem Arnobii talia vocabula ejusdem significationis coacervantis. Orell.

Et cum pateat, luceat rebus fieri verba cum brutis.

credulitatis vacuæ circumscriptione traducitis? O utinam liceret in simulacri alicujus medias introire pendigines! immo utinam liceret, Olympiacos illos et Capitolinos Joves diducere in membra resolutos, omnesque illas partes, quibus summa concluditur corporum, discretas ac singulas contueri. Jamdudum istos videretis deos, quos exterior levitas lenocinio fulgoris augustat, laminarum flatilium esse crates, particularum coagmenta deformium, a ruinarum casibus, et dissolutionis metu subscudibus, et catenis, uncis, atque ansulis retentari; interque omnes sinus, commissurarumque juncturas plumbum ire suffusum, et salutares moras signorum diuturnitatibus commodare. Videretis, inquam, jamdudum solas sine occipitiis facies, manus sine brachiis semiplenas, ventres cum lateribus dimidiatos, plantarum imperfecta vestigia, et quod maxime risum ferat, parte ligneos ex una, at ex altera saxeos inæquabili corporum constructione contractos. Quæ si utique perspici obscuritatis arte non quirent, vel ipsa vos saltem, quæ in medio sita sunt, docere, atque monere debuerunt, agere vos nihil, et circa res cassas officiorum impendere vanitates. Ita enim non videtis spirantia hæc signa, quorum plantas et genua contingitis, et contrectatis orantes, modo casibus stillicidiorum labi, putredinis modo carie relaxari, ut nidoribus, atque fumo suffita ac decolorata nigrescant, quemadmodum sæcli longioris incuria [a] perdant situ speciem, et rubigine convulnerentur exesa? Ita, inquam, non videtis sub istorum simulacrorum cavis [b] stelliones,

LECTIONES VARIANTES.

[a] **Injuria** *Fulv.*

[b] Casis *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Sic Origenes contra Celsum, lib. III: πάντες γὰρ καθ' ἡμᾶς μεθύουσιν οἱ τοῖς ἀψύχοις ὡς θεῷ προσλαλοῦντες· καὶ τί λέγω μεθύουσιν; μᾶλλον γὰρ μεμήνασιν, εἰς τοὺς νεὼς σπεύδοντες, καὶ ὡς θεοῖς τοῖς ἀγάλμασιν προσκυνοῦντες. ORELL.

Credulitatis vacuæ. Fulv. Ursinus mavult: *Credulitatis fatuæ.* Sed *vacuus* hoc loco idem quod vanus, inanis. Sic infra: *vacua imaginatio.* ORELL.

Pendigines. Pendigines sunt cava simulacri interstitia. Vide Gesner. et Schneider. ad Veget. de Mulomed. lib. III, cap. 44, § 1. Alii exponunt velamenta simulacri. Salmasius ad Solinum, pag. 268, interpretatur juncturas et nexus partium, τὰ πήγματα. Plura de h. v. vide in Thesauro Gesneri. ORELL.

Diducere in membra resolutos. Ita legendum esse pro *deducere* docuit J. G. Grævius, in Epistola ad N. Heinsium 261 (Syllog. Burm., tom. IV, pag. 337). Quam correctionem verissimam non dubitavi in textum recipere. ORELL.

Subscudibus. Subscudes, ait Festus, *appellantur tabellæ, quibus tabulæ inter se configuntur; quia, quo immittuntur, succuditur.* Eam vocem Cato lib. de Re Rust. (cap. 18), usurpavit, qua quidem, sicut Arnobius, retinacula significat. NOURR. *pag.* 566.—*Subscudes* dicebantur tabellæ ligneæ cuneatæ ad trabes aliaque committenda. Vide Fest., h. v., ibique intpp. et Schneider, ad Caton. de Re Rust. cap. 18. Haynischius in Indice vertit: *Zungen.* Græce πελεκῖνοι. Germ. *Döbelhölzer.* ORELL.

Ansulis. Ansulæ proprie dicebantur crepidarum vel unci vel annuli, per quos trajecta lora pedem adstringunt. Vide Gesner, in Thesauro et Bœttiger. in Sabina, pag. 275. H. l. significari videntur ligamenta ferrea, quibus firmantur simulacra, *eiserne Bander, Klammern.* ORELL.

Quæ si utique perspici obscuritatis arte non quirent. Fulv. Ursinus legendum conj.: *obscurata arte.* Male. *Ars obscuritatis* est artificiosa obscuritas, ars statuarii scil., quæ illa obscurat, eorum vitia obtegit spectatorum oculis. ORELL.

Agere vos nihil. Vide supra ad hujus libri cap. 5. ORELL.

Officiorum impendere vanitates. Fulvius Ursinus mavult *varitates*, male. *Officiorum vanitates* sunt officia vana, frustranea, quibus nihil efficitur. ORELL.

Spirantia hæc signa. Virgilius (Æn. VI, 848):

Excudent alii spirantia mollius æra. HERALD.

Quorum plantas et genua contingitis et contrectatis orantes. Genua deorum a supplicantibus fuisse contacta, protrita observatio est. Sed non solum genua, verum etiam pedes quandoque ipsos et plantas, ut ait Arnobius, et vestigia comprehendebant, et sæpe osculabantur. Unde Prudentius contra Judæos:

Augustum caput ante pedes curvare Minervæ,
Fictilis et soleas Junonis lambere, plantis
Herculis advolvi, genua incurvare Dianæ.

Nota *Soleas Junonis lambere.* Apuleius, Milesia VI: *Tunc Psyche pedes ejus advoluta et ubere fletu rigans deæ vestigia, humumque verrens crinibus suis;* et Miles. XI: *Exin gaudio delibuti populares, thallos, verbenas, corollas ferentes, exosculatis vestigiis deæ, quæ gradibus hærebant argento formata, ad suos discedunt lares.* Hoc Græci dicunt τοῖς ἴχνεσι τοῦ ἀγάλματος προσφῦναι. Heliodorus, lib. V Æthiop. Hist.: Εἰς τὸ ἄδυτον παρελθὼν, καταλαμβάνει τοῖς ἴχνεσι τοῦ ἀγάλματος προσπεφυκυῖαν. Et lib. VII: Τοῖς δὲ ἴχνεσι προσφὺς τοῦ ἀγάλματος, ὡρῶν τε ἐπιπλεῖστον οὕτως ἔχων, ὀλίγον μὲν καὶ ἐκθανεῖν ἐδέησεν. Sic aliquando in supplicatione humana. Ammianus Marcellinus, lib. XVII: *Manus ad dimicandum aptatas, armorum abjecto munimine pone terga vinxerunt; restareque solam salutem contemplantes in precibus, effusi sunt vestigiis Augusti clementis.* Sed hæc alibi fusius. HERALD.

Fumo suffita. Ita Sidonius, lib. II, epist. XIII.: *Hinc suffita cinnamomo ac thure cœnatio spargeret peregrinos naribus odores;* ubi vide Savaron., pag. 173, qui de hoc verbo multus est. ORELL.

Perdant situ speciem et rubigine convulnerentur exesa. Sic edidi cum Fulvio Ursino. Vetus lectio corruptissima est: *perdant situs specie.* Heraldus, transpositis vocabulis, legendum putat: *perdant speciem, situ et rubigine convulnerentur exesu.* Editio Lugd. Bat. habet: *perdant situs, species*, etc. ut sit *situs perdere*, collabi, moveri e basi sua et fundamento. ORELL.

Sub istorum simulacrorum cavis. Verissima hæc emendatio debetur Gelenio. Antea legebatur *caussis*, nullo sensu. Stewechius mavult *caveis*, intelligens de thecis et armariis, quibus recludi solebant deorum simulacra ut in cavea volucres. Sed ipsa simulacra arrosa a talibus animalculis intelligenda esse liquet e locis simillimis Minucii Felicis, c. XXIV, init.: *Quanta vero de diis vestris animalia muta naturaliter judicant? mures, hirundines, milvi, non sentire eos sciunt, norunt, inculcant, insident, ac, nisi abigatis, in ipso dei vestri ore nidificant. Araneæ vero faciem ejus intexunt, et de ipso capite sua fila suspendunt. Vos tergitis, mundatis, eraditis, et illos, quos facitis, protegitis et timetis.* Et Tertulliani Apologet. cap. XII: *Igitur si statuas, et imagines frigidas mortuorum suorum simillimas non adoramus, quas milvi et mures nec intelligunt, nonne laudem magis quam merebatur repudium agniti erroris.* ORELL.

sorices, blattasque lucifugas nidamenta ponere, atque habitare? spurcitias huc omnes, atque alia usibus accommodata conducere, semirosi duritias panis, ossa in sepem tracta, pannos, lanuginem, chartulas nidulorum in mollitiem scilicet [a], et miserorum fomenta pullorum? Non in ore aliquando simulacri ab araneis ordiri retia, atque insidiosos casses, quibus volatus innectere stridularum possint, impudentiumque muscarum? Non hirundines denique intra ipsos ædium circumvolantes tholos, jacularier stercoris plenas, et modo ipsos vultus, modo numinum ora depingere, barbam, oculos, nasos, aliasque omnes partes, in quascumque se detulerit deonerati proluvies podicis? Erubescite ergo vel sero, atque ab animantibus mutis vias, rationes accipite, doceantque vos eadem nihil numinis inesse simulacris : in quæ B obscœna dejicere neque metuunt, neque vitant leges suas sequentia, et instincta veritate naturæ.

XVII. Sed erras, inquit, et laberis, nam neque A nos æra, neque auri argentique materias, neque alias, quibus signa confiunt, eas esse per se deos, et religiosa decernimus numina; sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra, et fabrilibus efficit inhabitare simulacris. Non improba, neque aspernabilis ratio, qua possit quivis tardus, necnon et prudentissimus credere deos, relictis sedibus propriis, id est cœlo, non recusare, nec fugere habitacula inire terrena; quinimmo jure dedicationis impulsos simulacrorum coalescere junctioni. In gypso ergo mansitant, atque in testulis dii vestri? quinimmo testularum et gypsi mentes, spiritus, atque animæ dii sunt? atque ut fieri angustiores vilissimæ res possint, concludi se patiuntur, et in sedis obscuræ coercitione latitare? Ergo illud a vobis parte in hac primum desideramus et postulamus audire, invitine hoc faciunt, id est, jure dedicationis attracti simulacrorum ineunt mansiones? an proni et faciles, neque ullis necessitatibus irrogatis? Si inviti hoc faciunt, et qui fieri potis est, ut in aliquam necessitatem immi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Mollitie sollicite *Sab. Male.*

COMMENTARIUS.

Sorices. Vide ad lib. II, cap. 59. ORELL.

Nidamenta ponere. Locutio Plautina, Rud. act. III, scen. VI.

> In nervum mille hodie nidamenta congeret.
> NOURR., *pag.* 560.

Ossa in sepem tracta. In textum recepi emendationem hanc palmariam C. Barthii in Adversar. lib. XXIX, cap. 18, p. 1391. Notum enim omnibus, ossi- C bus in nidamentorum munimina abuti ista animantia. Vulgata lectio est : *Ossa in spem tracta*, quam frustra tuetur Heraldus, putans sensum esse, mures, sorices, etc., etsi ossa rodere nequeant, ea tamen trahere nihilominus, sperantes scil. iis posse se vesci, nondum satis tentatis dentium viribus, necdum iis cum ossium duritie compositis. Qualem argutiam in mentem venisse Arnobio maximopere dubito. Fulv. Ursinus legendum existimat : *Ossa in stupam tracta. Stupa, stiva* id quo nidi stipantur, firmantur. Vid. Voss. Etymol. Rom. Meursius conj. : *duritias panis ossu in speciem tracti. . . . . . in mollitiem*, etc., more loquendi antiquo. *Os, osse, ossum, ossu*, ut *testum, testu*, ap. Ovid., Fast. II, 645, V. 519. Salmasius edidit : *famis ossa in spem tracta*, hoc est, *ossa tracta* (in nidum) *in spem famis. Spes* pro expectatione, metu, ut centies apud antiquos. Sed longe præfero correctionem Barthii. Jam vero præfero lectionem antiquam : *In spem tracta.* In spem scilicet futuri, ut habeant quibus vescantur. D Sic Horatius I, serm. I, 35 :

> Pervola, nam exemplo est, magni formica laboris
> Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo.
> Quem struit haud ignara ac non incauta futuri. ORELL.

Nidulorum in mollitiem scilicet, et miserorum fomenta pullorum. Sic editio Lugd. Bat. cod. ms. habet : *Nidulorum in mollitiem sollicite et miserorum fomenta pullorum.* Editio princeps : *Nidulorum in mollitie sollicite*, etc. Cæteri editores v. *sollicite* inducunt. ORELL.

araneis ordiri retia. Ordiri h. l. passiva significatione, quod notandum. *Ordiri* vel antiquum *ordire* ...n verbum telæ et textrini operis. Vid. Nonius h. v. ibique intpp. et Gesner. in Thesauro. ORELL.

...ndines denique, etc. Clemens Alexandrinus p. 46, ed. Potteri : Αἱ δὲ χελιδόνες καὶ πλεῖστα κατεξαιροῦσιν αὐτῶν ἀγαλμάτων εἰσπετόμενα, οὐδὲν φροντίσαντα οὔτε Ὀλυμπίου Διὸς, οὔτε Ἐπιδαυρίου Ἀσκληπίου, οὐδὲ μὴν Ἀθηνᾶς Πολιάδος, ἢ Σαράπιδος Αἰγυπτίου. ORELL.

Inter ipsos ædium circumvolantes tholos. Tholus, testudo, id est, camera rotunda ac convexa, *Kuppel.* vid. Lindenbrog., et Vales. ad Ammian. Marcell., l. XXVIII, c. 4, § 9. p. 241, ed. Wagner. ORELL.

Jacularier stercoris plenas. Laudant interpretes conjecturam Jo. Aurati : *stercoris splenas*, citantes Martialem, l. II, epigr. XXIX, vers. 10 :

> Ignoras quis sit? splenia tolle, leges ;

ubi vide intpp., ut sensus sit, jaculari hirundines stercoris splenas vel splenia, id est emplastra. Sed *splena, æ*, frustra quæsivi in Lexicis, et *splen, is*, cujus accusativus græcus posset esse *splenas*, nulla alia significatione inveni quam *lienis*, sedis risus et tristitiæ, *die Milz.* Vide Voss. in Etymol. Rom Neque video, quare sollicitanda sit vulgata lectio, hoc sensu : hirundines plenas stercoris jaculari, id est ventrem exonerare. *Jaculari* scil. indefinite positum ab Arnobio, verbum honestum pro inhonesto, Fulv. Ursinus conj. : *Jacularier stercoris tela.* ORELL.

Obscœna dejicere. Hæc est palmaria emendatio Fulvii Ursini pro vitiosa lectione Codicis : *obscœna dicere*, unde Gelenius fecerat : *obscœna facere.* Stewechius mavult : *Obscœna digerere.* ORELL.

Instincta veritate naturæ. Codex ms. et editio princeps : *distincta*, vitiose. *Instincta veritate naturæ* est vero proprioque naturæ instinctu. Itaque non necessaria Meursii conjectura : *instincta severitate* (id est necessitate) *naturæ.* ORELL.

XVII. — *Quos dedicatio infert sacra.* Minucius (cap. XXIII, fin.) : *Quando igitur hic nascitur? Ecce funditur, fabricatur, scalpitur. Nondum deus est. Ecce plumbatur, construitur, erigitur. Nec adhuc deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur. Tum postremo deus est, cum homo ille voluit et dedicavit.* HERALD.

Junctioni. Alii : *vinctioni.* ORELL.

Necessitatibus irrogatis. Editio princeps : *necessitatibus irrogati*, vitiose. ORELL.

Si inviti hoc faciunt. Fulvius Ursinus delet *si*, quia in altero orationis membro, *Si voluntariæ obsecutionis assensu, si* deerat in Codice ms. Sed melius additur in utroque loco cum Salmasio. ORELL.

nuta majestate cogantur? si voluntariæ [a] obsecutionis assensu, et quid in testulis dii petunt, ut eas sedibus sidereis anteponant, vinctionis vi propemodum colligati, nobilitent testulas, et cætera quibus signa confiunt? *Si concedamus, ut cœlo et sidereis sedibus eas anteponant, divinitatis suæ perdiderint potestatem.*

XVIII. Quid ergo? in materiis talibus semperne dii mansitant, neque abeunt uspiam, etiamsi res postulaverit maxima? An habent itus liberos, cum libuerit abire quocumque, et ab suis sedibus simulacrisque discedere? Si permanendi necessitatem patiuntur, quid miserius his esse, aut quid infelicius poterit, quam si eos in basibus ita unci retinent, et plumbeæ vinctiones? Sin autem, cum voluerint, evolant, et absolutum jus habent, inania relinquere simulacra; ergo aliquo tempore desinent esse dii signa, et in dubio stabit, quando sacra debeant reddi; quando his conveniat, atque oporteat abstinere. Sæpe numero videmus ab artificibus hæc signa modo parvula fieri, et palmarem in minutiem contrahi, modo in immensum tolli, et admirabilem in amplitudinem sublevari. Ratione hac ergo sequitur, ut intelligere debeamus in sigilliolis parvulis contrahere se deos, et alieni ad corporis similitudinem coarctari; at vero in vastis A porrigere se longius, atque in maximitatem producere. Ergo si hoc ita est, et in sedentibus signis deum sedere dicendum est, et in stantibus [b] stare, in procurrentibus currere, jacularier in jacientibus tela, ad illorum formare, atque aptare se vultus, et ad reliquos habitus figurati corporis similitudinem commodare.

XIX. In simulacris dii habitant, singuline in singulis toti, an partiliter, atque in membra divisi? Nam neque unus Deus in compluribus potis est uno tempore inesse simulacris, neque rursus in partes sectione interveniente divisus. Constituamus enim decem millia simulacrorum toto esse in orbe Vulcani; numquid esse, ut dixi, decem omnibus in millibus potis est unus uno in tempore? Non opinor. Qua causa? quia quæ sunt priva, singulariaque natura, multa fieri ne- B queunt simplicitatis suæ integritate servata; et hoc amplius nequeunt, si hominum formas dii habeant, opinatio ut vestra declarat. Neque enim manus a capite separata, aut pes divisus a corpore summam possunt præstare totius; aut dicendum est, portiones idem posse quod totum, cum consistere nequeat, nisi fuerit partium congregatione conflatum. Si autem in cunctis idem esse dicetur, perit omnis ratio atque integritas veritati, si hoc fuerit sumptum, posse unum

LECTIONES VARIANTES.

[a] Si *Sab. omittit. Fulv. distinguit*: cogantur. Voluntariæ.

[b] Instantibus *Sab. Male.*

COMMENTARIUS.

In aliquam necessitatem...... cogantur. Codex ms. : *In aliqua necessitate...... cogantur*, quod Heraldus in Curis II, defendit more Arnobii ablativum ponendi pro accusativo, quem aliquoties jam observavimus, C v. c., ad l. II, c. 2. ORELL.

Et quid. Et heic Stewechius *ecquid*. ORELL.

Vinctionis vi propemodum colligati. Ita editio Lugd. Bat. Cæteri : *Vincti omnes et propemodum colligati.* ORELL.

Nobilitantes testulas. Ita ed. Lugd. Bat. pro *nobilitatis*, quod scribendi vitium in cod. ms. ortum e *nobilitantis*. Meursius et cæteri editores : *nobilitent testulas*. Heraldus : *Nobilitent ut testulas*. ORELL.

Si concedamus, ut cœlo et sidereis sedibus eas anteponant, divinitatis suæ perdiderint potestatem. Hæc verba, quæ in editionibus cæteris turpiter sunt luxata, et in sequente demum capite leguntur post verba : *Quam si eos in basibus ita unci retinent et plumbeæ vinctiones*, huc revocavit tamquam in locum convenientissimum editor Lugduno-Batavus. Meursius autem rejecit post verba capitis sequentis : *Quando his conveniat atque oporteat abstinere.* At meo judicio glossema sapiunt : quamobrem ea uncinis inclusi. ORELL.

XVIII — *An habent itus liberos*, etc. Recte. Nam *liber* ἀπὸ τοῦ λύειν, ὁ λελυμένος, qui ἐλεύθερος Græcis, quia habet itus liberos. Plautus in Menæchmis : Mess. :

Sic sine igitur, qui tuum negas me esse, abire liberum.

Men. :

Mea quidem Hercule causa liber esto, atque abito, quo voles.

Quare ἀφεῖναι et *amittere liberum*. Ibidem :

Ob eam rem, quia te servavi, me amisisti liberum.

Tum Menæchmus :

Liberum ego te jussi abire.

Et :

Numquid me morare, quin ego liber, ut jussisti, eam?

Men :

Liber esto. HERALD.

Sacra reddi. Vide supra ad lib. IV, cap. 16. ORELL.

At vero in vastis, etc. Ita Meursius et Salmasius, optime. Cæteri : *aut vero*. ORELL.

In maximitatem producere. Editio princeps : *in maximitate*, quod defendi potest stylo Arnobii ablativum ponere amantis loco accusativi, quod aliquoties jam observavimus. *Maximitas* vox est Lucretiana, II, 497 :

Ne quædam cogas immani maximitate
Esse, supra quod jam docui non posse probari.

Et in sedentibus signis deum sedere dicendum est. Deos enim suos ἀντιτύπουν σχήμασι διαφόροις καὶ ἡλικίαις, καθέδραις τε καὶ στάσεσι καὶ ἀμφιάσεσιν, ait apud D Eusebium Porphyrius. HERALD.

XIX. — *Quia quæ sunt priva singulariaque natura.* Ita Fulv. Ursinus et Meursius, probante Stewechio. Alii : *privata singulariaque.* At *priva* veteres dixisse, quæ nos singula, et inde *privata* atque *privilegia* formata, docent nos Festus, Nonius et A. Gellius, lib. X, cap. 20. Vide Scaliger. et Dacer. ad Fest. h. v. pag. 374. Cæterum *privus* etiam vocabulum Lucretianum, cujus noster diligens imitator est. Sic de Rer. Natura lib. III, 722 :

Quod si forte animas extrinsecus insinuari
Vermibus et privas in corpora posse venire
Credis.

Et lib. V, 732 :

Inque dies privos abolescere quæque creata.

Et alibi sæpius. ORELL et STEWECH.

Perit omnis ratio atque integritas veritati. Ita Sabæus et ed. Lugd. Bat. Alii : *veritatis*. ORELL.

in omnibus uno tempore permanere; aut deorum est unusquisque dicendus, ita ipsum semet ab ipso sese [a] dividere, ut et ipse sit, et alter, non aliquo discrimine separatus, sed ipse idem, et alius. Quod quoniam recusat, et respuit, aspernaturque natura; aut innumeros dicendum est, confitendumque esse Vulcanos, si in cunctis volumus eum degere, atque inesse simulacris; aut erit in nullo, quia esse divisus natura prohibetur in plurimis.

XX. Et tamen, o isti! si apertum vobis et liquidum est, in signorum visceribus deos vivere, atque habitare cœlites, cur eos sub validissimis clavibus, ingentibusque sub claustris, sub repagulis, pessulis, aliisque hujusmodi rebus custoditis, conservatis, atque habetis inclusos, ac ne forte fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro, æditiuis mille protegitis, atque excubitoribus mille? Cur canes in Capitoliis pascitis? cur anseribus victum, alimoniamque præbetis? Quinimmo si fiditis deos istic esse, nec ab signis uspiam, simulacrisque discedere; permittite illis curam sui, reserata sint semper, atque aperta delubra; ac si quid a quopiam temeraria fuerit fraude subreptum, vim numinis monstrent, et sub ipso furti atque operis momine [b] sacrilegos pœnis convenientibus figant. Indigna enim res est, et potentiam destruens, auctoritatemque, summorum custodiam numinum canum sollicitudinibus credere; et cum aliquam quæras prohibendis formidinem furibus, non ab ipsis petere, sed in anserum ponere atque collocare gingritibus.

XXI. Antiochum Cyzicenum ferunt quindecim cubitorum Jovem ex delubro aureum sustulisse, et ex ære bracteolis substituisse fucatum. Si in simulacris præsto sunt atque habitant dii suis, quibus negotiis Jupiter, quibus curis fuerat illigatus, quominus privatas persequeretur injurias, et suppositum

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic ms. melius Sab.* Ab ipso se ipse.

[b] Crimine *Fulv.*

COMMENTARIUS.

XX. — *Custoditis, conservatis, atque habetis inclusos.* Cyprianus ad Demetrianum: *Sic illos læsos ultio vestra defendit, quomodo et clausos, ne pereant, tutela vestra custodit. Pudeat te eos colere, quos ipse defendis; pudeat de illis tutelam sperare, quos tu tueris.* HERALD.

Æditiuis mille protegitis atque excubitoribus mille. Tertullianus de Corona Militis: *Jam et stationes aut alii magis faciet, quam Christo? aut et dominica die, quando nec Christo? Et excubabit pro templis, quibus renunciavit?* Servabant autem cum propter delubra et simulacra deorum, tum etiam propter opes, quæ ibi sæpius asservabantur. Plautus in Bacchidibus:

Quin ipsi in æde Dianæ conditum est ibi
Ibidem publicitus servant. HERALD.

Æditui erant, quibus data erat procuratio templi, et in eo vigilias noctu agebant. Veteres autem *æditimum*, recentiores *æditumm* dixisse, testis Varro, de Re Rust., lib. I. Conf. Petr. Daniel ad Pseudo-Plaut. Querol. pag. 64, et Duker. de Latinit. Jureconsultt., pag. 28. ORELL.

Cur anseribus victum alimoniamque præbetis? Codex ms. habet *alimonia* ab *alimonium, ii*, quod antiquius est et aliquoties usurpatum Varroni in libris de Re Rustica. De canum anserumque custodiis videndi Cicero pro Roscio Amerin., cap. XX; Augustinus, de Civ. Dei, lib. II, cap. 22. Vegetius de Re Milit., lib. IV, cap. 26, ibique Collectanea Stewechii. ORELL.

Sub ipso operis momine. Sic emendavit Fulv. Ursinus et Meursius, rectissime. Alii: *nomine.* Vide supra, ad lib. II, cap. 28. ORELL.

Sacrilegos pœnis sufficientibus figant. Emendo *fligant. Fligere* antiquum verbum: hodie composita magis in usu. Livius Ægistho:

Ipse se in terram saucius fligit cadens.

Accius ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ:

Nec perdolescit fligi socios morte, campos contegi.

Et Ægistho:

Heu cujatis stirpem funditus fligi studet.

Lucretius, lib. II, 85.

.....Nam cita superne
Obvia cum flixere, sit, ut diversa repente
Dissiliant. MEURS.

Stewechius legendum existimat *subsigant*, scil. cruci, patibulo, quod proprium sacrilegorum supplicium fuisse docet Justus Lipsius de Cruce, lib. I, cap. 13. ORELL.

Summorum custodiam numinum canum sollicitudinibus credere. Magna enim vigilum istorum et intensa sollicitudo: qui idcirco dormire jubentur interdiu, noctu ut vigilent. Varro, de Re Rustica, libro I: *Canes potius cum dignitate, et acres paucos habendum, quam multos. Quos consuefacias potius noctu vigilare et interdiu clausos dormire.* Quare apud Phædrum canis fab. XLVI (lib. III, fab. VII):

Alligunt me interdiu,
Luce ut quiescam, et vigilem, nox cum venerit.

Hinc igitur ille apud Æschylum in ipso Agamemnonis limine queritur, vigilem se stare continuis noctibus canis instar vigilis:

Θεοὺς μὲν αἰτῶ τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων,
Φρουρᾶς ἐτείας μῆκος, ἣν κοιμώμενος
Στέγαις Ἀτρειδῶν ἄγκαθεν, κυνὸς δίκην
Ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν. HERALD.

Gingritibus. Festus: *Gingrire* — anserum vocis proprium est; ubi vid. Scaligerum nostrum locum citantem. Glossæ: *Gingriunt*, χῆνες ἐκβοῶσι. *Gingrum*, φωνὴ χηνός. Inde γιγγράζειν et γιγγρίζειν. Vide Salmas., ad Solin., pag. 87, et Schneider. in Lexico, hoc verbo. Et omnino vario modo apud veteres exprimitur vox anserum: *gingrire, trinnire, graccitare, gratitare.* Vide Wernsdorf. ad Juventii Eleg. de Philomela vs. 19. in Poet. Lat. min. tom. VI, pag. 391.

Clangere vocem anserum appellat Columella. Græci χηνίζειν. De custodia anserum sic Ælianus, Hist. animal., lib. XII, cap. 33: Φυλάττειν δὲ ἄρα χηνῶν κύνες ἀχρειότεροι, καὶ τοῦτο κατεφώρασαν Ῥωμαῖοι. Vide Gonsal. de Salas. ad Petron., pag. 424 et seq. ORELL.

XXI. — *Antiochum Cyzicenum ferunt*, etc. Clemens in Protrept. (pag. 46. ed. Potter.): Ἀντίοχος δὲ, ὁ Κυζικηνὸς, ἀπορούμενος χρημάτων, τοῦ Διὸς τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν, πεντεκαίδεκα πηχῶν τὸ μέγεθος ὂν, προσέταξε χωνεῦσαι, καὶ τῆς ἄλλης τῆς ἀτιμοτέρας ὕλης ἄγαλμα παραπλήσιον ἐκείνῳ, πετάλοις κεχρυσωμένον, ἀναθεῖναι πάλιν. CANTER. — *Quindecim cubitorum* pro *decem c.*, quod antea legebatur, pessimeque retinuit etiam recentissimus editor Oberthür., primus e Clemente restituit Meursius, pag. 195, sequente. ed. Lugd. Bat. ORELL.

se sibi viliore in materia vindicaret? Dionysius ille, sed junior, cum velamine aureo spoliaret Jovem, et pro illo lanæum subderet, jocularibus etiam facetiis ludens, cum esse illud in rigoribus algidum, hoc vaporum, onerosum illud in æstatibus diceret, hoc rursus sub ardoribus flabile : ubinam fuerat rex poli, ut præsentem se esse formidine aliqua comprobaret, et urbanum scurrulam cruciatibus revocaret ad seria? Nam quid Æsculapii gravitatem ab eo esse commemorem risam? quem cum barba spoliaret amplissima, boni ponderis, et philosophicæ densitatis, facinus esse dicebat indignum, ex Apolline procreatum patre levi et glabro, simillimoque impuberi, ita barbatum filium fingi, ut in ancipiti relinquatur, uter eorum pater sit, uter filius, immo an sint generis et cognationis unius? Quæ cum omnia fierent, et cum

A sacrilegis prædo irrisionibus jocaretur, si suberat numen in statua nomini ejus majestatique sacrata : cur oris contumeliam levigati, et dehonestati vultus non justa et merita persecutus est ultione, demonstravitque hoc facto se esse præsentem, et custodia pertinaci suas ædes simulacraque tutari?

XXII. Nisi forte negligere deos dicitis hæc damna, nec putare esse idoneam causam, propter quam se exerant, et nocentibus pœnam violatæ religionis infligant. Ergo si hæc ita sunt, nec simulacra ipsa habere desiderant, quæ convelli et diripi perpetiuntur impune : immo e contrario perdocent aspernari se illa, in quibus spretos ultione in aliqua significare non curant. Philostephanus in Cypriacis auctor est, Pygmalionem regem Cypri simulacrum Veneris, quod B sanctitatis apud Cyprios et religionis habebatur an-

COMMENTARIUS.

Dionysius ille (*sed junior*), etc. Clemens, pag. laud.: Διονύσιος μὲν γὰρ ὁ τύραννος ὁ νεώτερος, θοιμάτιον τὸ χρύσεον περιελόμενος Διὸς ἐν Σικελίᾳ, προσέταξεν αὐτῷ ἐρεοῦν περιτιθέναι, χαριέντως φήσας, τοῦτο ἄμεινον εἶναι τοῦ χρυσίου, καὶ θέρους κουφότερον, καὶ κρύους ἀλεεινότερον. Canter. — Male igitur verba *sed junior* tamquam glossema expungenda existimant Stewechius et Heraldus, qui tamen ipse suam sententiam retractat in Curis II. Majori Dionysio attribuunt hanc facetiam Cicero, de Nat. deor., III, cap. 34, Lactantius, Inst., lib. II, cap. 4, et Ælianus, Var. Hist. lib. I, cap. 20; ubi vid. Kuhn. Conf. P. Victorii Var. Lectt. lib. XXI, c. 10. Orell.

Cum velamine aureo spoliaret Jovem. Quo eum ornarat ex manubiis Carthaginiensium tyrannus Gelo, ait M. Tullius. Habebant autem dii sua velamenta atque amicula, quibus vestiebantur atque ornabantur. Suetonius in Caligula : *In templo simulacrum stabat aureum iconicum, amiciebaturque quotidie veste, quali ipse uteretur.* Lactantius, lib. II, cap. 4: *Ergo is ludicris, et ornatis, et grandibus puppis et unguenta, et thura, et odores inferunt. His opimas et pingues hostias immolant; quibus est quidem os, sed carens officio dentium : his peplos et indumenta pretiosa, quibus usus velaminis nullus est*, etc. Eleganter Philo in explicatione decalogi observat, significes et simulacrorum artifices sæpissime omnibus miseriis conflictari, cum simulacra ab iis ficta et formata purpura, auro cæterisque pretiosis ornamentis decorentur. Verba Philonis sunt : Καὶ οἱ μὲν τεχνῖται πολλάκις ἄποροι καὶ ἄδοξοι κατεγήρασαν, ἀτυχίαις ἐπαλλήλοις ἀποθανόντες· τὰ δὲ τεχνιτευθέντα πορφύρᾳ καὶ χρυσῷ καὶ ταῖς ἄλλαις πολυτελείαις, ἃς πλοῦτος χορηγεῖ, σεμνοποιεῖται. Erant igitur sæpius ornamenta ista pretiosissima. Vid. Lact. lib. II, cap. 4 et 7, et lib. VI, cap. 13. Herald.

Ludens. Fulv. Ursinus conj. *lusit.* Orell.

In rigoribus algidum. Meursius, pag. 195, mavult : *in frigoribus algidum*, quod valde placet. *Rigor* enim est affectio corporum a frigore. Orell.

Vaporum. Ita ed. Lugd. Bat. Ms. male *vaporem*, unde alii fecerunt *vaporeum*, alii *vaporosum*, *vaporum*, quod multum vaporem edit. Nemesianus, eclog. IV, 63:

> Ter vittis, ter fronde sacra, ter ture vaporo
> Lustravit. Orell.

Urbanum scurrulam. Plautus, Mostell., act. I, scen. I :

> Tu urbanus vero scurra, deliciæ populi.

Trinummo, act. II, scen. I :

> Nihil est profecto stultius, neque stolidius,
> Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
> Neque confidentiloquius, neque perjurius,
> Quam urbani assidui cives, quos scurras vocant. Elmenh.

Scurram autem urbanum poeta aliique veteres appellabant facetum politumque hominem, qui minime sit rusticus. Atque hoc sensu ab Arnobio scurrulæ nomen similiter accipitur. Postea tamen alia sane et contraria significatione usurpatum est. Vid. Turneb., lib. XIX Adversar., cap. 13; Vossium, in Etymologico et alios. Nourr. pag. 565.

Æsculapii gravitatem ab eo risam. Vide Lactant. lib. II, cap. 4; Cic. de Nat. Deor., lib. III, cap. 34; Valer. Max., lib. I, cap. 1, extern. 3. Orell.

Philosophicæ densitatis. Philosophi enim barbati. Prudentius, lib. II, contra Symmachum : *Sophista bar-*
C *batus.* Περὶ στεφάνων : *barbatus Plato.* Juvenalis, sat. XIV, vs. 12: *barbati magistri.* Tatianus, contra Græcos, pag. 287; Theodoret., de Providentia, serm. 1. Elmenh.— Talis philosophus graphice depingitur ab Apuleio, Met. XI.: *Qui pallio baculoque et baxeis et hircino barbitio philosophum fingeret.* Stewech.

Immo an sint. Sic omnes editores post Canterum ex emendatione Meursii. Antea legebatur : *an sit.* Orell.

Jocaretur. Sabæus : *loqueretur.* Male. Orell.

Cur oris contumeliam levigati, etc. Barbæ evulsio cum summo conjuncta erat dedecore. Philostratus de Vita Apollonii, lib. VII, cap. 14. Procopius in Esaiam, pag. 120. Herodianus, in Maxim. et Balbo. Elmenh.— Persius, sat. I, 132. seq. :

> Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
> Si Cynico barbam petulans nonaria vellet.

Atrox hæc contumelia, quam etiam Chanun, Hammo-
D nitarum rex, legatis a Davide missis irrogavit. Lib. II Samuel. cap. X. At mulieres circumtundebantur. Lucianus in Dialogis meretriciis : Εἴ τις δὲ, ὦ Χρυσὶ, μήτε ζηλοτυπεῖ, μήτε ὀργίζεται, μήτε ἐῤῥάπισέ ποτε, ἢ περιέκειρεν, ἢ τὰ ἱμάτια περιέσχισεν, ἔτι ἐραστὴς ἐκεῖνός ἐστιν; Herald.

Suas ædes. Ita Salmasius ex ms. Alii : *suas sedes.* Orell.

XXII. — *In quibus spretos se ultione in aliqua significare non curant. Se* addidit Fulv. Ursinus, sensu flagitante. Orell.

Philostephanus in Cypriacis auctor est, Pygmalionem, etc. Clemens, in Protrept. (p. 50 seq. ed. Potteri) : Οὕτως ὁ Κύπριος ὁ Πυγμαλίων ἐκεῖνος ἐλεφαντίνου ἠράσθη ἀγάλματος. Τὸ ἄγαλμα Ἀφροδίτης ἦν, καὶ γυμνὴ ἦν· νικᾶται ὁ Κύπριος τῷ σχήματι, καὶ συνέρχεται τῷ ἀγάλματι· καὶ τοῦτο Φιλοστέφανος ἱστορεῖ. Ἀφροδίτη δὲ ἄλλη ἐν Κνίδῳ λίθος ἦν, καὶ καλὴ ἦν· ἕτερος ἠράσθη ταύτης, καὶ μίγνυται τῇ λίθῳ· Ποσίδιππος ἱστορεῖ. ὁ μὲν πρότερος, ἐν τῷ περὶ Κύπρου· ὁ δὲ ἕτερος, ἐν τῷ περὶ

tiquæ, adamasse ut fœminam, mente, anima, lumine A rationis judiciique cæcatis; solitumque dementem, tamquam si uxoria res esset, sublevato in lectulum numine copularier amplexibus atque ore, resque alias agere libidinis vacuæ [a] imaginatione frustrabiles. Consimili ratione Posidippus in eo libro, quem scriptum super Gnido indicat, superque rebus ejus, adolescentem haud ignobilem memorat, sed vocabulum ejus obscurat, correptum amoribus Veneris, propter quam Gnidus in nomine est, amatorias et ipsum miscuisse lascivias, cum ejusdem numinis signo genialibus usum toris, et voluptatum consequentium finibus. Ut similiter rursum interrogem, si in ære, atque in materiis cæteris, quibus signa formata sunt, superorum potentiæ delitescunt: ubinam gentium fuerant una atque altera Veneres, ut B impudicam petulantiam juvenum propulsarent ab se longe, et contactus impios cruciabili coercitione punirent? Aut, quoniam mites, et ingeniis tranquillioribus deæ sunt, quantum fuerat, miseris furialia ut restinguerent gaudia, mentemque insanam recreatis reducerent sensibus?

XXIII. Nisi forte, ut vos fertis, libidinis et voluptatum deæ contumelias istas habuere gratissimas; nec ultione facinus existimavere condignum, quod suas quoque mulceret mentes, et quod ab se subdi humanis cupiditatibus scirent. Sed si deæ Veneres ingeniis placidioribus præditæ, gerendum esse morem infortuniis judicavere cæcorum, cum Capitolium toties edax ignis absumeret, Jovemque ipsum Capitolinum cum uxore corripuisset ac filia, ubinam fulminator tempore illo fuit, ut sceleratum illud arceret incendium, et a pestifero casu res suas ac semet, et cunctam familiam vindicaret? Ubi Juno regina,

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Sab. Alii :* vacua. *Melius.*

COMMENTARIUS.

κνίδου. Canter. — Pygmalionem alii non regem, sed statuarium fuisse, et a se factæ statuæ amore arsisse referunt. Conf. Ovid. Metam. x, vers. 245 seqq. Pygmalionis statuarii meminit Philostratus, in Vita Apollonii, lib. v, cap. 5. De Veneris Cnidiæ amoribus, vid. Plinius, Hist. Nat., lib. xxxvi, cap. 4 et 5. Val. Maximus, lib. viii. cap. 11. Philostrat. de Vita Apollonii, lib vi, cap. 40 Similium amorum alia quædam exempla memorat Ælianus, Var. Hist., lib. ix, cap. 39. Potter. *ad Clement. l. l.* — Callimachi Cyrenæi conterraneus et σύγχρονος sive æqualis eidemque familiaris fuit, ut auctor est Athenæus, lib. viii, C pag. 331. De Civitatibus Asiæ scripsisse idem narrat, lib. vii. p. 297; περὶ εὑρημάτων Clemens Alexandr., l. i Strom p. 308; περὶ νήσων Harpocration, v. Στρύμη; περὶ Κυλλήνης Schol. Pindari. Harduin., *Ind. ad Plin.* — De Philostephano Cyrenæo, familiari Callimachi, vid. G. J. Voss, de Hist. Græc., lib. i, cap. 15. Scripsit inter alia opus περὶ Νήσων, cujus pars fuisse videtur liber ille de Cypro. Orell.

Animo. Edit. princeps et Gelenii : *anima.* Orell.

Uxoria res. Fulv. Ursinus : *uxoris.* Orell.

Posidippus. Vid. supra ad hujus libri cap. 13.

Quem scriptum super Gnido indicat. Meurs, p. 196, legendum censet : *indigitat.* Sed nihil opus est mutatione. Nam *indicat* est inscribit, et librorum *index* ἐπιγραφή. Hæc autem historia narrata et a Luciano in Amoribus. Herald.

Superque rebus ejus. Hæc est emendatio Gelenii. Editio princeps : *superque re a se ejus.* Unde efficiebat Canterus : *superque reapse*, quam conjecturam confirmat ms. reg. Herald.

— Stewechius conj. : *superque reatu ejus*, h. e. crimine. Vocabulum jureconsultis frequentatissimum. Equidem præfero lectionem Gelenii : *super rebus ejus*, scil. Gnidi, περὶ τῶν ἐν Κνίδῳ. Orell.

Obscurat. Id est, in obscuro relinquit, omittit. Nil amplius. Orell.

Propter quam Gnidus in nomine est. Ὀνομαστός ἐστιν. Dixit supra *in opinione*, cap. 13 : *Exemplarium fuisse perhibetur cunctarum, quæ in opinione sunt, Venerum* (*Herald.*) Sic etiam *in fama*, ut apud Græcos ἐν φήμῃ, ἐν ὀνόματι. Vid. Salmas. ad Tertullian., de Pallio, pag. 39. Orell.

Genialibus usum toris et voluptatum consequentium finibus. Secutus sum emendationem Meursii valde probabilem. Antea legebatur : *genialibus fusum toris.* Sed *fusum* cum sequenti *finibus* male congruit, possit tamen defendi tamquam zeugma vel syllepsis. *Voluptatum fines* sunt τὰ τέλη τῶν ἀφροδισίων *die Befriedigung des Wollustriebes.* Orell.

Ubinam gentium fuerant una atque altera Veneres, ut impudicam petulantiam, etc Puto legendum : *ut non impudicam petulantiam.* Orell.

Quantum fuerat, miseris furialia ut restinguerent gaudia. Meurs. conj. : *curandum fuerat*, deleo puncto interrogationis post *sensibus.* Male. *Quantum* est pro quantillum, quam parvum, quam facile, ut centies apud veteres. Ita Phædr. lib. ii, Fab. viii, vs. 23 :

> .... Tollere hæc aranea
> Quantum est laboris!

Id est *quam parum laboris.* Et Lucanus, Phars., iii, 392.

> Quantum est, quo fata tenentur!

ubi vid. Burmann. p. 192, et Ernest. ad Tacit. Agricol. c. 15. Sic et Martialis :

> Quantum erat, infelix, pannis fraudare duobus
> (Quid renuis?) non te, Nævole, sed tineas?

quem locum apposite citat Heraldus. Orell.

XXIII. — *Quod ab se subdi.* Fulv. Ursinus conj. *quod se subdi.* Male. Orell.

Cum Capitolium toties edax ignis absumeret, etc., etc. Et hunc etiam locum a Clemente mutuatus est. Ejus hæc sunt verba (in Protrept., pag. 46, seq., ed. Potteri) : Ἀλλ' οὔτι γε τὸ πῦρ καὶ οἱ σεισμοὶ κερδαλέοι, οὐδὲ μὴν φοβοῦνται ἢ δυσωποῦνται, οὐ τοὺς δαίμονας, οὐ τὰ ἀγάλματα, οὐ μᾶλλον ἢ τὰς ψηφῖδας τὰς παρὰ τοῖς αἰγιαλοῖς σεσωρευμένας τοῖς κύμασιν· Οἶδα ἐγὼ πῦρ D ἐλεγκτικὸν καὶ δεισιδαιμονίας ἰατικόν. Εἰ βούλει παύσασθαι τῆς ἀνοίας, φωταγωγήσει σε τὸ πῦρ. Τοῦτο τὸ πῦρ καὶ τὸν ἐν Ἄργει νεὼν σὺν καὶ τῇ ἱερείᾳ κατέφλεξεν Χρυσίδι· καὶ τὸν ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀρτέμιδος, δεύτερον μετὰ Ἀμαζόνας, καὶ τὸ ἐν Ῥώμῃ Καπιτώλιον ἐπινενέμηται πολλάκις· οὐκ ἀπέσχετο δὲ οὐδὲ τοῦ ἐν Ἀλεξανδρέων πόλει Σαράπιδος ἱεροῦ. Ἀθήνησι γὰρ τοῦ Διονυσίου τοῦ Ἐλευθερέως κατήρειψε τὸν νεών· καὶ τὸν ἐν Δελφοῖς τοῦ Ἀπόλλωνος πρότερον ἥρπασεν θύελλα, ἔπειτα ἠφάνισε πῦρ σωφρονοῦν. Τοῦτό σοι προοίμιον ἐπιδείκνυται, ὧν ὑπισχνεῖται τὸ πῦρ. Canter. — Conf. Lactant., lib. iii, cap. 17, § 12 et 13. Orell. — Capitolium sæpius fuisse exustum testantur historiæ. Nam et bello servili fuit exustum, ut videre licet apud D. Augustinum, de Civ. Dei, lib. iii, cap. 17, quod quidem fuit a Sylla restitutum. Vitelliana quoque seditione fuisse exustum, memorant Suetonius et Cornelius Tacitus. Vide Alexandr. ab Alexandro Genial. Dier., lib. v, cap. 11. Gentian. Hervet., *ad Clement.*, *l. l.*

cum inclytum ejus fanum sacerdotemque Chrysidem eadem vis flammæ Argiva in civitate deleret? Ubi Serapis Ægyptius, cum consimili casu jacuit solutus in cinerem, cum mysteriis omnibus, atque Iside? Ubi Liber Eleutherius cum Athenis? ubi Diana, cum Ephesi? ubi Dodonæus Jupiter, cum Dodonæ? ubi denique Apollo divinus, cum a piratis maritimisque prædonibus et spoliatus ita est, et incensus, ut ex tot auri ponderibus, quæ infinita congesserant sæcula, nec unum quidem habuerit scripulum, quod hirundinibus hospitis, Varro, ut dicit Menippeus, ostenderet? Infiniti operis res esset, in toto orbe describere, quæ sint fana convulsa terræ motibus et tempestatibus; quæ incensa ab hostibus, quæ ab regibus et tyrannis, quæ antistites et sacerdotes ipsi suspicione aversa nudaverint; quæ ad ultimum fures, et obserata pandentes remedorum obscuritate Canacheni, quæ tuta utique permanerent, et nullis

COMMENTARIUS.

Ubi Juno regina, cum inclytum ejus fanum sacerdotemque Chrysidem eadem vis flammæ Argiva in civitate deleret. Thucydides Hist. IV, cap. 133: Καὶ ὁ νεὼς τῆς ἥρας τοῦ αὐτοῦ θέρους κατεκαύθη, Χρυσίδος τῆς ἱερείας λύχνον τινὰ θείσης ἡμμένον πρὸς τὰ στέμματα. καὶ ἐπικαταδαρθούσης· ὥστε ἔλαθεν ἀφθέντα πάντα καὶ καταφλεχθέντα. Καὶ ἡ Χρυσὶς μὲν εὐθὺς τῆς νυκτὸς, δείσασα τοὺς Ἀργείους, ἐς Φλιοῦντα φεύγει· οἱ δὲ ἄλλην ἱέρειαν ἐκ τοῦ νόμου τοῦ προσκειμένου κατεστήσαντο, Φαεινίδα ὄνομα. Pausanias, lib. II, cap. 19, pag. 113, et lib. III, c. 86, p. 167, ed. Sylburgii, eamdem historiam referens Chrysidem hanc Tegeam ad Aleæ Minervæ aram confugisse memorat. Aliam itaque traditionem secuti Clemens et Arnobius. Conf. Pauli Leopardi Emendatt. lib. VI, cap. 11. Factum autem hoc incendium Olymp. LXXXIX 2 belli Peloponnesii anno 9 Urbis conditæ, secundum Varronis computum. ORELL.

Ubi Serapis Ægyptius, etc. De Serapidis templi exustione, de ea, inquam, quæ fuit ante tempus Clementis, ne verbum quidem legi. De ejus autem excidio, quod fuit post tempus Clementis, vide Historicos ecclesiasticos. GENTIAN. HERVET.

Ubi Liber Eleutherius, cum Athenis. Templi istius originem et descriptionem vide ap. Pausaniam in Atticis, p. 72, ed. Sylburg. De ejus autem incendio mentio nulla exstat. GENTIAN. HERVET.

Ubi Diana, cum Ephesi. Ita Sabæus, Meursius, etc., rectissime. Gelenius: *Epheso.* Incensum id templum ab Herostrato nullam aliam ob causam, quam ut eo facinore perpetuam sibi famam compararet. Quæ historia tritissima et tironibus nota. ORELL.

Ubi Dodonæus Jupiter, cum Dodonæ? Hæc Arnobius de suo addidit. Quando hoc templum conflagraverit, incertum. Alii legunt: *Dodone.* ORELL.

Ubi denique Apollo divinus, etc. De Delphici templi abolitione Pausanias, lib. X, pag. 618, ed. Sylb.: Οὐ μὴν οὐδὲ τρόπον ὅντινα ἀφανισθῆναι συνέπεσε τῷ ναῷ κατὰ ταῦτα εἰρημένα εὕρισκον. Καὶ γὰρ ἐς χάσμα γῆς ἐκπεσεῖν αὐτὸν καὶ ὑπὸ πυρὸς τακῆναι λέγουσιν. Τέταρτος δὲ ὑπὸ Τροφωνίου μὲν εἰργάσθη καὶ Ἀγαμήδους. λίθου δὲ αὐτὸν ποιηθῆναι μνημονεύουσι. Κατεκαύθη δὲ Ἐρξικλείδου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, πρώτῳ δὲ τῆς ὀγδόης ὀλυμπιάδος ἔτει καὶ πεντηκοστῆς, ἣν Κροτονιάτης ἐνίκα Διόγνητος· Idem multiplicia ejusdem templi fata recenset, p. 620, seqq. ORELL.

Ne unum quidem habuerit scripulum. Cod. *scrypulum.* Veteres *scriptulum* dicebant, ut græcam vocem γράμμα exprimerent: posteriores *scripulum* sine *t.* Sosipater Charisius, lib. I: *Scriptulum, quod nunc vulgus sine t dicit.* Rhemnius Fannius de Ponderibb., vs. 9:

> γράμμα vocant nostri, scriptlum dixere priores.

Glossæ: *Scripulum*..... Γράμμα, σταθμός. Cur autem γράμμα dicatur, docet idem Rhemnius, vs. 24:

> ..... Unde putandum
> γράμματα dicta, quod hæc viginti quatuor in se
> Uncia habet.

Vel legendum: *ne unum quidem habuerit scrupulum.* Ita effert Vitruvius, lib. VII, cap 8: *Centenario sublato, si ibi auri scrupulum imponatur, natat in summo.* Valerius Max., lib. IV, cap. 4: *Eadem gens nullum ante scrupulum argenti habuit, quam Paulus, Perseo rege devicto. Q. Ælio Tuberoni genero suo quinque pondo argenti ex præda donaret.* Et profecto *scrupulum*, non *scripulum*, Arnobium scripsisse adducor ut credam, cum Varronis verbis dicat, qui ita extulit quoque Plutophthoryne et Annali, quod fragmentum exstat apud Charisium, lib. I: *Nummum argenteum conflatum primum a Servio Tullio dicunt, is quatuor scrupulis major fuit, quam numi.* MEURSIUS, *in Crit. Arnob.*, *p.* 197, *seq.* — *Scriptulum*, *scripulum*, *scrypulum*, *scrupulum* idem. Nos dicimus *ein Gran.* Conf., qui de h. v. multus est, Petr. Daniel ad Pseudoplauti Querol. p. 69, ed. Patavin. Sic et scripulos horarum dicit Cornel. Fronto, epist. ad. Marc.Cæs. II, 1, pag. 69, ed. Ang. Maii: *In singulis scripulis horarum frigidius, aut tepidius, aut horridius, fit.* ORELL.

Hirundinibus hospitis. Nihil reconditi hic quærendum, ut Heraldus autumat. *Hospitæ* dicuntur hirundines, quia in templis, domibus aliisque ædificiis, quæ homines inhabitant, nidos suos exstruunt, adeoque cara sunt animalia *diis Penatibus.* Ita ciconia etiam dicitur Petronio Sat., c. 55: ..... *grata*, *peregrina*, *hospita*, ubi vide intpp. Alii: *hospitiis*; alii: *hospitibus.* ORELL.

Varro ut dicit Menippeus. Sic ed. Lugd. Bat. e correctione L. Carrionis Emendd., lib. II, cap. 17. *Menippeus* dicitur Varro propter satyras quas scripsit Menippeas. Vid. A. Gell., Noct. Att., lib. II, cap. 18. Codex ms., et editio romana habent: *Varro ut dicit se Thenipeus ostenderet*, nullo sensu; unde Gelenius effecit: *Varro ut dicit in Menippis.* Meursius, p. 197: *Varro ut dicit satiris Menippeis*, vel: (*Varro ut dicit*) *se denique ostenderet*, scil. Apollo, vel etiam: *se dein deus ostenderet.* Sed omnibus præferenda emendatio Carrionis. ORELL.

Et ipsi suspicione aversa nudaverint. Stewechius mavult: *suspectione*, eodem sensu, scil. ita ut ipsi omnem abs se suspicionem averterent, ut nulla esset suspicio tam sanctos homines sacrilegos exstitisse. ORELL.

Et obserata pandentes remedorum obscuritate Canacheni. Hæc est lectio codicis ms., quam, cum loci hujus obcurissimi vera lectio incerta sit, retinere maluimus cum Salmasio. Quid sunt *Canacheni?* Gesnerus in Thesauro interpretatur fures astutos, forsitan ita dictos a Canacho, subtili artifice, de quo Plinius, Hist. Nat., lib. XXXIV, cap. 8: *Canachus Apollinem nudum, qui Philesius cognominatur, in Didymæo Æginetica aeris temperatura: cervumque una ita vestigiis suspendit, ut linum subter pedes trahatur, alterno morsu digitis calceque retinentibus solum, ita vertebrato dente utrisque in partibus, ut a repulsu per vices resiliat. Idem et Celetizontas* (h. e. κελητίζοντας, equum singularem regentes, desultorios) *pueros fecit.* Fortassis *Canacheni* sunt tales fures et sacrilegi, quales a Canacho illo anaglypho aliquo antiquitus celebrato ad vivum repræsentabantur. Heraldus autem in Curis secundis vocem *Canacheni* suspectam habens legendum suspicatur *Saraceni*, loci hujus explicationem in commentariis uberioribus promittens, autem lucem non viderunt. Certum quidem est racenos jam ante Arnobii tempora Romanis

obnoxia fortuitis, si adessent dii præsides, aut haberent aliquas templorum, quemadmodum dicitur, curas. Nunc vero, quia cassa sunt, et nullis habitationibus tecta, habet in illis fortuna jus suum, et perinde cunctis subjecta sunt casibus, quam sunt omnia cætera motu interiore privata.

XXIV. In parte hac eadem illud etiam dicere simulacrorum assertores solent, non ignorasse, antiquos nihil habere numinis signa, neque ullum omnino inesse his sensum; sed propter indomitum atque imperitum vulgus, quæ pars in populis atque in civitatibus maxima est, salutariter ea consilioque formasse: ut velut quadam specie objecta his numinum abjicerent asperitatem metu; arbitratique præsentibus sese sub diis agere, facta impia deponerent, et ad humana officia morum mutatione transirent. Nec

A propter aliam causam venerabiles formas auro eis argentoque quæsitas, nisi ut adesse vis quædam ipsis in fulgoribus crederetur, quæ non oculorum tantum perstringeret sensum, verum etiam mentes ipsas augustissimæ lucis radiationibus territaret. Quod ratione cum aliqua videretur forsitan dici, si post condita deorum templa, atque instituta simulacra nullus esset in mundo malus, nulla omnino nequitia, justitia, pax, fides mortalium pectora possideret: neque quisquam in terris nocens, neque innocens diceretur, scelerosa opera nescientibus cunctis. Nunc vero cum contra malis omnia plena sint, innocentiæ pene interierit nomen, per momenta, per puncta, examina maleficiorum nova noxiorum improbitate pariantur: dicere qui convenit, ad incutiendas formidines vulgo

B instituta simulacra; cum præter innumeras criminum

COMMENTARIUS.

tuisse. Prima eorum memoratio fit sub Marco Antonino. Vide Ammianum Marcell., lib. XIV, cap. 4, qui eos ita describit: *Saraceni nec amici nobis umquam nec hostes optandi, ultro citroque discursantes, quidquid inveniri poterat, momento temporis parvi vastabant, milvorum rapacium similes, qui si prædam dispexerint celsius, volatu rapiunt celeri, aut si impetraverint, non immorantur......... Apud has gentes, quarum exordiens initium ab Assyriis ad Nili cataractas porrigitur et confinia Blemyarum, omnes pari sorte sunt bellatores seminudi, coloratis sagulis pube tenus amicti, equorum adjumento pernicium graciliumque camelorum per diversa reptantes in tranquillis vel turbidis rebus; nec eorum quisquam aliquando stivam apprehendit, vel arborem colit, aut arva subigendo quæritat victum; sed errant semper per spatia longe lateque distenta, sine lare, sine sedibus fixis aut legibus*, et quæ sequuntur lectu dignissima; ubi conf. notæ Valesii, Reitemeier. ad Zosim., IV, 22, p. 638, et Gothofred. ad vet. orbis descript. sub Constantino Magno, p. 9. Potuit itaque nationis illius celeritas et artificium non tantum in rapinis, sed etiam in clandestinis furtis, effractione domorum, etc., ut hodie *Cingarorum* (*der Zigeuner*), in proverbium abire. Priora verba, *et obserata pandentes remedorum obscuritate*, nolim equidem temere mutare, neque cum Heraldo legere *obserata pandentes remota obscuritate*, neque cum Fulvio Ursino *tenebrarum obscuritate*, neque adeo cum Gesnero corrigere *remediorum* pro *remedorum*, quod dicere potuit Arnobius more scribendi antiquioribus usitato, qui concursum duarum vocalium sedulo vitantes scripserunt verbi causa *alis* pro *alius*, *alimodi* pro *aliusmodi*, ut docet Meursius in Critico Arnobiano, lib. II, cap. 17. Sed judicent doctiores. — Si pro *remedorum obscuritate* cum Heraldo in Curis secundis legamus *remota omni obscuritate*, tolerandum fortasse v. *Canacheni*. Sic enim Arnobius appellare videtur latrones, non furto doloque clandestino, sed vi aperta in domos irrumpentes portasque et januarum claustra effringentes, a *κάναχος*, *tumultus, strepitus*. Opp. *fures*, qui tacite et clanculum domos intrant. Canachenis respondet nostrum *Bramarbas*, *Eisenfresser*. Denique etiam Nourrius intelligit prædones, qui, si *tenebrarum* obscuritate legamus, noctu, vel, si *remedorum obscuritate* præferamus, artibus magicis deorum simulacra aut spoliaverant, aut ex templis abstulerant. *Remedorum* pro remediorum antiquum est. Ita dicebant *vulturus* pro vulturius, etc. ORELL.

Habitationibus tecta. Sic restituit Stewechius, sequente ed. Lugd. Bat. Alii: *habitatoribus*. ORELL.

Subjecta Sabæus: *objecta*. ORELL.

XXIV. — *Sed propter indomitum atque imperitum vulgus.* Hæc est alia simulacrorum excusatio. Dicebant enim nonnulli, scire quidem sapientes, nullam esse in simulacris divinitatem, sed ea inventa, ut eorum contemplatione et aspectu imperitum vulgus in officio contineretur, quasi diis ubique præsentibus. Hanc eamdem doctrinam proponit M. Tullius, lib. II, de Legibus: *Melius Græci atque nostri, qui ut augerent pietatem in deos, easdem illos urbes, quas nos incolere voluerunt. Affert enim hæc opinio religionem utilem civitatibus. Siquidem et illud bene dictum est a Pythagora, doctissimo viro, tum maxime et religionem, et pietatem versari in animis, quum rebus divinis operam daremus. Et quod Thales, qui sapientissimus in septem fuit, homines existimare oportere, omnia quæ cernerent, deorum esse plena: fore enim*

C *omnes castiores, veluti qui in fanis essent, maxime religiosos. Est enim quadam opinione species deorum in oculis, non solum in mentibus.* Dicebant præterea, imagines esse veluti libros plebeculæ, et idcirco earum usum propter imperitum vulgus esse necessarium. Hoc ait apud Eusebium Porphyrius, libro III de Præparat. Evangel.: Σοφίας θεολόγου νομήματα δεικνύς, οἷς καὶ τὸν Θεὸν καὶ τοῦ Θεοῦ τὰς δυνάμεις διὰ εἰκόνων συμφύλων αἰσθήσει ἐμήνυσαν ἄνδρες τὰ ἀφανῆ φανεροῖς ἀποτυπώσαντες πλάσμασι, τοῖς καθάπερ ἐκ βίβλων τῶν ἀγαλμάτων ἀναλέγειν τὰ περὶ θεῶν μεμαθηκόσι γράμματα. Θαυμαστὸν δὲ οὐδὲν ξύλα καὶ λίθους ἡγεῖσθαι τὰ ξόανα τοὺς ἀμαθεστάτους· καθὰ δὴ καὶ τῶν γραμμάτων οἱ ἀνόητοι, λίθους μὲν ὁρῶσι τὰς στήλας, ξύλα δὲ τὰς δέλτους, ἐξυφασμένην δὲ πάπυρον τοὺς βίβλους. HERALD.

Vulgus, quæ pars in civitatibus maxima est. Constructionem hanc notissimam pluribus illustrat L. Bunemann. ad Lactant., lib. IV, c. 16, p. 496, et Corte ad Sallustium aliquoties. ORELL.

Mutatione. Gelenius: *immutatione*. ORELL.

D *Nec propter aliam causam*, etc. Lactantius, lib. II, cap. 7: *Et quanto fuerint ornatiora templa, et pulchriora simulacra, tanto plus majestatis habere creduntur. Adeo religio deorum nihil aliud est, quam quod cupiditas humana miratur.* HERALD.

Quod ratione cum aliqua. Ita Canterus ex editione Romana pro: *ratione in aliqua*, quod interpolaverat Gelenius. Sic Libro VII: *Quod cum ratione aliqua et audiri forsitan potuisset et dici.* ORELL.

Innocentiæ pene interierit nomen. Sic eleganter Græci, quam rem penitus sublatam significare volunt, ejus ne nomen quidem superesse dicunt. Theocritus in Hierone:

ἀράχνια δ' εἰς ὅπλ' ἀράχναι
Λεπτὰ διαστήσαιντο· βοᾶς δ' ἔτι μηδ' ὄνομ' εἴη. HERALD.

Pariantur. Nescio quid in mentem venerit Stewechio hoc deducere a *pario, are*. Atqui contextus docet, *pariantur*, conjunctivum a *pario, ere*, pendere a

et facinorum formas ipsa etiam videamus templa sacrilegis violationibus appeti ab tyrannis, ab regibus, ab latronibus, et nocturnis a furibus; ipsosque illos deos, quos ad metus faciendos, vetus finxit et consecravit antiquitas, vadere in antra prædonum, cum ipsis suis aureis metuendisque fulgoribus?

XXV. Quid enim, si verum, et sine ulla gratificatione perspicias, signa ista quæ dicunt, habent in se magnum, ut merito sperarit atque existimarit antiquitas, conspectu illorum posse frangi hominum vitia, et mores a maleficio temperari? Falx messoria scilicet, quæ est attributa Saturno, metum fuerat injectura mortalibus, vitam vellent ut pacificam degere, ac malitiosas abjicere voluntates; fronte Janus ancipiti, aut dentata illa, qua insignitus est, clavis; riciniatus Jupiter atque barbatus, dextera fomitem sustinens B perdolatum in fulminis morem; Junonius ille cæstus, aut militari sub galea puellula delitescens; deum mater cum tympano; cum tibiis, et cum psalteriis Musæ; Mercurius pinnatus Argiphontes; [a] Æsculapius baculo, Ceres mammis cum grandibus, aut in Liberi A dextera pendens potorius cantharus; Mulciber fabrili cum habitu; aut fortuna cum cornu, pomis, ficis, aut frugibus autumnalibus pleno; semitectis femoribus Diana; aut ad libidinem concitans Venus nuda; Anubis canina cum facie; aut genitalibus propriis inferior Priapus.

XXVI. O species formidinum diræ, metuendique terrores, propter quos genus hominum [b] torpedine in perpetua affigeretur, nihil moliretur, attonitum, ab omnique se actu sceleroso flagitiosoque frænaret! Falciculæ, claves, caliendra, fomites, talaria, baculi, tympaniola, tibiæ, psalteria, mammæ, promptæ, atque ingentes, cantharuli, forcipes, cornuaque pomifera, nuda corpora fœminarum, et veretrorum magnitudines publicatæ. Nonne satius fuerat saltitare, cantare, quam sub titulo gravitatis, et severitatis, obtentu tam frigida, tamque inepta narrare simulacra, ab antiquis ad peccata cohibenda, et ad nocentium formata impiorumque formidines? Usque adeone mortales sæculi illius ac temporis corde

LECTIONES VARIANTES.

[a] Argiforonites *ms. Inepte.*

[b] *Ita Sab. Alii* : humanum.

COMMENTARIUS.

præcedenti *cum*, et in verbis demum *dicere qui convenit*, etc., sequi apodosin. ORELL.

Sacrilegis violationibus. Stewechius mavult : *sacrilegiis violationibus*, quod non abhorret a stylo Arnobii synonyma talia congerentis. ORELL.

XXV. — *Fronte Janus ancipiti aut dentata illa qua insignitus est clavis.* Ovidius, Fast. I, 95. :

Tum sacer, ancipiti mirandus imagine, Janus.

Et vs. 99 :

Ille tenens dextra baculum, clavemque sinistra. ELMENH.

Riciniatus Jupiter. Non togatus viriliter, ut quidam exponunt, sed caliendro tectus, tamquam ricinio, sive lacinia togæ in caput rejecta. Hanc enim veram esse hujus loci explicationem, ostendunt quæ sequuntur postea : *Falciculæ, claves, caliendria, fomites*, etc. Glossæ : *Rica*, μίτρα. Isidorus in Glossis : *Ricinius verticum vocatus est, quod rejectum de toga in verticem.* In his verbis vitii aliquid est. Idem in Originibus. lib. XIX, cap. 25 : *Stola matronale operimentum, quod cooperto capite et scapula a dextro latere in lævum humerum mittitur. Stola autem Græce vocatur, quod superemittitur. Eadem et ricinium latino nomine appellatur, eo quod dimidia ejus pars retro rejicitur, quod vulgo mavortem dicunt. Vocatam autem dicunt mavortem quasi Martem. Signum enim maritalis dignitatis et potestatis in eo est. Riciniatus* itaque *Jupiter* quasi stolatus. HERALD. — Conf. Varro, de Ling Lat., lib. IV, pag. 37, ed. Bipont. Interpretes ad XII Tabulas distinguunt duplex ricinium, alterum muliebre, alterum virile. Vid. Th. Marcilius in S. Leuwii Auctoribus Juris Civilis Romani, pag. 300. ORELL.

Fomitem Fomes est materia sicca et arida, quæ facile ignescit, vel etiam scintillæ sunt, quæ ex candenti ferro excutiuntur. NOUR., *pag.* 490. — H. l. igitur *Feuerkiel.* ORELL.

Junonius ille cæstus. Cæstus non tantum Veneri, sed et Junoni tribuitur. Martialis :

A te Juno petat cæston et ipsa Venus.

TURNEB., *Advers., lib.* XIII, *cap.* 27.

Militari sub galea puellula delitiscens. Prudentius, libro II Contra Symmach. :

Non armata Venus, non tunc clypeata Minerva
Venere auxilio. ELMENH.

Cum psalteriis Musæ. Videtur h. l. Arnobius *psalteria* dixisse, sensu generali, de instrumentis musicis fidibus obductis, adeoque de lyris et citharis, C quæ Musis attribuuntur. Proprie enim *psalterium* differt a cithara decem constans chordis. Vide Isidor, Origg. II, cap. 2; Gesner., in Thes., et Græv., ad Civ. Orat., de Harusp. Respons., cap. 21. ORELL.

Æsculapius baculo. Ovidius, lib. XV Metam., 654 seqq :

.... Sed qualis in æde
Esse solet, baculumque tenens agreste sinistra
Cæsariem longæ dextra deducere barbæ. ELMENH.

Aut Fortuna cum cornu, etc. Vide de cornu pomifero Fortunæ attributo doctissime disputantem Ez. Spanhem., de Præst. et usu numism., dissert. 13, tom. II, pag. 536, et seqq. ORELL.

Anubis canina cum facie. Prudentius contra Unionitas :

Quæve superstitio tam sordida? quæ caniformem
Latrantemque throno cœli præponat Anubim. ELMENH.

XXVI. — *Torpidine in perpetua affigeretur.* Meursius mavult *affligeretur*. Sed *affigi* est multo significantius et torpori proprium. ORELL.

D *Caliendra.* Sic legendum pro *caliendria*, quod habet editio Romana. Glossæ : *Caliendrum*, κόσμιον κεφαλῆς. Horatius, lib. I, sat. VIII, 48 :

Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere.

Ubi Acron : *Caliendrum dicitur ornatus capitis mulierum, sive suppositus crinis, quem pro naturalibus capillis accipiebant.* MEURS. *pag.* 198. — Conf. Auson. Popm. ad Varronis Fragment., pag. 396, ed. Bipont. qui *caliendrum* exponit velamentum capitis instar galeri altum atque elatum. Videtur autem h. l. Arnobius intellexisse ricinium, quod Græci vocabant κρήδεμνον vel θέριστρον, cum in præcedenti capite riserit Jovem riciniatum. Vide Baxter. Ad Horatii l. l. G. Cuper., Obss., lib. III, cap. 14, et Turneb., Adversar., lib. VII, cap 20. ORELL.

fuerant vacui, rationis sensusque nullius, ut ab actionibus improbis tamquam parvuli pusiones, personarum monstruosissima torvitate sannis etiam constringerentur et maniis? Et unde est in contrarium res versa, ut cum tam multa in civitatibus templa sint plena omnium simulacris deorum, tot legibus et generibus suppliciorum tantis, iri obviam nequeat multitudini noxiorum : neque ullis remediis audacia possit abscidi : tantoque se magis maleficia congeminata multiplicent, quanto legibus judiciisque contenditur imminuere facta crudelia, et pœnarum coercitione sedare? Quod si metus aliquos infligerent simulacra mortalibus, legum latio cessaret, nec tam diversæ cruces facinorosorum constituerentur audaciæ. Nunc vero quia constitit, comprobatumque est, reipsa inanem esse opinionem timoris, qui ab signis dicatur effluere, ad legum decursum est sanctiones :

A a quibus formido esset certissima etiam fixa, constitutaque damnatio : quibus debent et ipsa simulacra, quod incolumia adhuc perstant, et honoris alicujus concessione munita.

XXVII. Sed quoniam satis, ut res tulit, quam inaniter flant simulacra, monstratum est : de sacrificiis deinceps, de cædibus atque immolationibus hostiarum, de mero, de thure, deque aliis omnibus, quæ in parte ista confiunt, possit ordo quam paucis et sine ullis circumlocutionibus dicere. In hac enim consuestis parte, invidias nobis tumultuosissimas concitare, appellare nos atheos ; et quod minime attribuamus diis, pœnas etiam capitis belluarum crudelitatibus irrogare. Quod quidem nos fatemur non contemptu facere, atque aspernatione divina ; sed quod existimeB mus, hujus potentias nominis nihil tale deposcere, neque rerum hujusmodi cupiditatibus attineri.

COMMENTARIUS.

Corde fuerunt vacui. Meursius conj. : *corde fuerant vacui*. Orell.

Personarum monstruosissima torvitate, sannis etiam constringerentur et maniis. Secutus sum emendationem felicissimam Salmasii. Editio princeps habet inquinatissime : *monstruosissimas torvitates annis etiam constringerentur et manus* e cod. ms., qui pro *annis* habet *annuis*, nullo sensu ; unde Gelenius et Fulv. Ursinus fecerunt : *Monstruosissima torvitate animos etiam constringerentur et manus*. Meursius in Appendice legendum putat : *monstruosissima torvitate animis etiam constringerentur et manibus*. (De formis *monstruosus* et *monstrosus*, *hirtuosus* et *hirtosus* vid. Oudend. ad Apulei. Met. v, p. 350.) Sed verissima et lenissima simul emendatio est Salmasii, quam optimus sui interpres ipse explicat in Commentario ad Tertullian. de Pallio, pag. 300. Hæc afferens : C « *Manias* turpes deformesque personas esse, aut larvas, quas nutrices minitantur pueris, ex Festo sciunt docti. *Sannæ* sunt ridiculæ aut etiam horribiles vultus distortiones, quas *grimacias* (*Fratzengesichter*) vulgo dicimus, quibus puerili terrentur. Hinc *sanniones*, qui facie magis quam facetiis ridiculi sunt. » Hancque correctionem felicissimam probat etiam Ruhnkenius ὁ μακαρίτης ad Timæi Lexic. Platon. v. μερμορύττει, pag. 181 ed. novæ, nisi quod pro *sannis* mavult legere *Lamiis*, citans Casaubonum ad Strabon. i, pag. 36, qui tales puerorum terriculas recenset, Lamiam, Gellonem, Gorgonem, Maniam. Sed equidem multum præfero *sannis*, quæ est vera ms. codicis lectio (excepta tantum prima litera retracta ad præcedentem vocem *torvitate* ab inscio librario), et contextui accommodatissima. Eodem sensu *sannæ* apud Persium Sat. v, vs. 91 .

Disce ; sed ira cadat naso, rugosaque sanna.

Sententiam quod attinet, conferri meretur cum nostro Seneca, de Const. Sap., cap. 4 : *Ut non dolore tantum, sed doloris opinione vexemur, more puerorum, quibus metus incutit umbra et personarum deformitas et depravata facies*. Conf. Ruhnken. ad Timæi l. l. Orell.

Nec tam diversæ cruces, etc. *Cruces* pro suppliciis in genere supra habuimus, lib. i, cap. 17. Orell.

Etiam fixa constitutaque damnatio. Sic restituit Stewechius e cod. ms. pro *affixa*, quod antea legebatur; *fixa*, id est rata, certa, indubia. Orell.

XXVII. — *Circumlocutionibus*, Fulv. Ursinus conj. *circumlationibus*. Male. Orell.

Attribuamus. Ita Meursius ex ms. Alii : *tribuamus*. Orell.

Appellare nos atheos. Ad sacrificia scilicet coacti sunt christiani, quia nullum evidentius signum erat deos colendi ; unde et pietas in nummis cernitur cum instrumentis sacrificio adhiberi solitis, quod quia facere recusabant, *athei* audiebant. *Gisb.* Cuper., *ad Lactant., de Mortib. persecut., cap. 10, pag. 152, ed. Bauldri*.

Pœnas etiam capitis irrogare. *Pœnas*, supplicia, bellum, arma, manus, vim, mortem, etc., *irrogare* pro *inferre* latinitatis esse ecclesiasticæ, docent J. Fr. Gronov., monobibl., in script. eccles., cap. 1, pag. 15, et P. Bauldri, ad Lactant., de Mortib. persecut. cap. 1, pag. 13. Orell.

Quod quidem nos fatemur. Ita Meursius, sequente Lugd. Bat. Antea : *quod quidem non nos fatemur*. Orell.

Hujus potentias nominis. Meursius : *numinis*. Male. Orell.

LIBER SEPTIMUS.

INDEX CAPITUM.

batur, validius ethnicorum propugnaculum, quo ii ex variis prodigiorum, sicut aiebant, historiis probare nitebantur, deos peccatis hominum offensos ira exarsisse, sed eorum satisfactione postea placatos, et primum quidem ludorum Circensium restitutionem in Jovis honorem excutit; qua rite peracta lues cessasse ferebatur. C. 35, 36, 37.

Transit deinde ad historiam Capitolii fulmine icti et simulacri Jovis de sede sua deturbati; quo demum ex haruspicum responsis altiore in loco ad orientem solem collocato tum patuisse res abditas existimabant, hisque relatis palam facit, nihil posse umquam excogitari, quod summa deorum amplitudine atque etiam nomine sit magis indignum. Cap. 37-41.

Deinceps ad examen revocat narrationem de Æsculapii simulacro in insulam Tiberinam translato: unde subito sedatam esse putabant diram luem, quæ iniquis reipublicæ temporibus grassabatur. Cap. 41-45.

Sermonem instituit de simulacro Matris deum ex Phrygio Pessinunte Romam advecto: quo tempore hostem ab Italia pulsum, decus urbis pristinum restitutum, fines imperii longe lateque propagatos aliaque in Romanam gentem collata beneficia dictitabant. Quibus in medium adductis demonstrat Arnobius, nihil esse aut fingi posse, quod veritati magis repugnet quodque fidem minus mereatur. Cap. 46-48.

Postremo secum comparat ac sibi invicem opponit ethnicorum Christianorumque opiniones, atque hinc concludit, Christianos pios esse, gentiles vero dementis impietatis, quam illi exprobrabant, reos esse revera ac conscios. Cap. 49, 50, 51.

1. Quid ergo, dixerit quispiam, sacrificia censetis nulla esse omnino facienda? Ut vobis non nostra, sed Varronis vestri sententia respondeamus, nulla. A Quid ita? Quia, inquit, dii veri neque desiderant ea, neque deposcunt: ex ære autem facti, testa, gypso, vel marmore multo minus hæc curant; carent enim sensu: neque ulla contrahitur, si ea non feceris, culpa: neque ulla, si feceris, gratia. Sententia reperiri nulla potest integrior, verior, et quam quivis possit, quamvis ille sit scævus et difficillimus, occupare. Quis est enim pectoris tam obtusi, qui aut rebus nullum habentibus sensum hostias cædat et victimas, aut eis existimet dandas, qui sunt ab his longe natura et beatitudine disjugati?

II. Qui sunt, inquitis, dii veri? Ut communi vobis et simplici respondeamus verbo, non scimus. Quos enim vidimus numquam, qui sint, scire quemadmodum possumus? Ex vobis audire consuevimus, deos B esse quam plurimos, et nominum in serie computari: qui si sunt, ut dicitis, uspiam, verique, ut Terentius credit, eos esse consequitur sui consimiles nominis, id est tales, quales eos universi debere esse conspicimus, et nominis hujus appellatione dicendos. Quinimmo, ut breviter finiam, qualis dominus rerum est, atque omnipotens ipse, quem dicere nos omnes Deum scimus atque intelligimus verum, cum ad ejus nominis accessimus mentionem. Deus enim ab altero in eo, quo Deus est, nulla in re differt: nec quod unum est genere, suis esse in partibus minus aut plus potest, qualitatis propriæ uniformitate servata. Quod cum dubium non sit, sequitur, ut geniti numquam, perpetuique ut debeant esse, extrinsecus appetentes nihil, nec carpentes aliquas terrenas C ex materiæ opibus voluptates.

III. Ergo si hæc ita sunt, primum illud a vobis expetimus noscere, quæ sit causa, quæ ratio, sacrificia ut ista faciatis: quid deinde ex hoc lucri ad deos ipsos perveniat, atque in eorum commoditate subsidat.

COMMENTARIUS.

I. — *Varronis vestri sententia.* Qui docuit hæc e Stoicorum placitis. Huc pertinet præstantissimus ille Persii locus Sat. II. 71 seq.:

> Quin damus id superis, de magna quod dare lance
> Non possit magni Messalæ lippa propago,
> Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus
> Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.
> Hæc cedo, ut admoveam templis, et farre litabo.

Ubi novissimus editor Kœnig in eamdem sententiam laudat Plat. in Alcib. II, tom. V, pag. 99, ed. Bip.; Horat. III, od. XXIII, 17, seq.: Virgil., Æn. VIII, 102; Propert., III, El. III, 17; Ovid., I Trist., II, 75; ex Ponto IV, Ep. VIII, 29; Valer. Max., lib. II, cap. V, 5. Add. Lucret., lib. V, vs. 1197, seq. Plura vide ap. Elmenhorst, et Jo. Saubertum, de Sacrificiis, cap. I, pag. 3, seqq, ed. Crenii. ORELL.

Integrior, verior. Ita Meursius et ed. Lugd. Bat. e ms. Alii omittunt postremam vocem. ORELL.

Scævus. Ita legendum, non *sævus*. *Scævus*, σκαιὸς, ἐπαρίστερος, qui res accipit tarde et præpostere. Athenæus, lib. IV, ἀγροῖκον et ἐπαρίστερον copulat, proque eodem accipit. HERALD.

Et difficillimus occupare. Occupare pro simplici capere. *Difficilis* autem ἀνεργητικῶς, qui res difficulter capit: vel simpliciter, cui res, et si vero simillimæ dissuadentur, quique non facile manus dat. HERALD.

Est enim pectoris tam obtusi. Ita Lactantius, Inst., lib. II, cap. 5, § 4: *Quidam hebetis obtusique cordis.* Opp. *cordati*, *sapientes.* Vide Bünemann., pag. 375. ORELL.

Disjugati. Idem quod disjuncti. ἅπαξ λεγόμενον. Vide C. Barth., in Adversar., lib. XLV, cap. 8, pag. 2071. ORELL.

II. — *Et nominum in serie computari.* Ita ed. Lugd. Bat. Alii: *Numinum in serie.* Fulv. Ursinus: *In seriem computari.* ORELL.

Ut Terentius credit. M. Terentius Varro.

In eo quo Deus est. Ita ed. Lugd. Bat. ex ms. Alii: *In eo quod Deus est.* ORELL.

Terrenas ex materiæ opibus voluptates. Ita Lugd. Bat., ex editione Rom. Alii: *Terrenæ ex materiæ*, etc. ORELL.

III. — *Atque in eorum commoditate subsidat.* Alii: *subsideat.* Stewechius corrigit: *in eorum commoditates subsidat*, explicans: perveniat ad numinum substantiam. Sed equidem sequi malui lectionem Salmasii. Ablativum enim pro accusativo poni ab Arnobio supra jam aliquoties vidimus. Eodem sensu verbo *subsido* utitur Virgilius Æn. XII, 835:

> Commixti corpore tanto
> Subsident Teucri.

Id est remanebunt, latebunt, ut explicat Servius. Proprie de iis, quæ in commixtione infimum locum occupant. Itaque dicere vult Arnobius: Quæro, quidnam lucri perpetuæque ac permanentis commoditatis ex hisce sacrificiis affluat ad Deos. ORELL.

Quidquid enim geritur, debet habere causam sui : neque ita esse ab ratione sejunctum, ut in operibus feratur cassis, et in vacuis ludat inanitatis erroribus. Numquid forte dii cœlestes aluntur his sacris, et ad eorum compaginem retinendam nonnullius opus est suffectione materiæ? Et quis ita est hominum, deus prorsus qui sit, ignorans, ut eos existimet contineri alicujus alimonii genere; et cibi esse munus, quod eos faciat vivere, et immensa in perpetuitate durare? Quidquid enim causis et rebus fulcitur extraneis necesse est esse mortale, et habere ad periculum viam pronam, ubi aliquid cœperit deesse, quo vivitur. Tum quod ex his rebus, quæ admoventur altaribus, nihil videmus accedere, atque ad numinum substantias pervenire. Aut enim thus datur, et liquefactum carbonibus disperit : aut animalis est hostia, et ab canibus abliguritur sanguis : aut si aliquod viscus aris fuerit traditum, ratione ardescit pari, et dissolutum in cinerem labitur; nisi forte hostiarum deus animas devorat, aut ex aris ardentibus nidorem consectatur et fumos, pasciturque de cnissis, quas evomunt ardentia viscera, adhuc uda de sanguine, et prioribus humecta de succis. Sed si Deus, ut dicitur, nullius est corporis, omnique est incontiguus tactu, qui fieri potis est, ut corporalibus rebus nutriatur incorporeum, quod mortale est, ut immortale sustineat, subdatque salutem rei, quam contingere nequeat, et motus subministrare vitales? Cessat ergo, ut apparet, sacrorum hæc ratio; neque dici a quopiam potis est, ea causa sacrificia celebrari, quod alantur his numina, et eorum sustineantur e pastu.

IV. Numquid, si forte hoc non est, voluptatis alicujus, animique, ut dicitur, causa, cæduntur diis hostiæ, et succensis adjiciuntur altaribus? Et quisquam est hominum, qui deos sibi persuadeat voluptatum diffusione mollescere, gestire in libidinis gaudium, et velut animal vile blandis sensibus affici, et dulcedinis labilis volucri titillatione mulceri? Quod enim voluptate dissolvitur, id contraria necesse est tristitia contrahatur : nec immune existere ab anxietate mœroris, quod lætitia trepidat, et levitatibus extollitur gaudiorum. Utroque autem affectu debent esse dii liberi, si eos esse perpetuos, et mortalium volumus fragilitate privatos. Quid quod omnis voluptas quasi quædam est adulatio corporis, notisque illis sensibus assumitur quinque : quam si superi sentiunt, et eorum necesse est esse participes corporum, per quæ via est sensibus, et accipiendis voluptatibus janua. Postremo quod gaudium est, innoxiorum animantium mactatione lætari : miserabiles sæpe exaudire mugitus, rivos sanguinis cernere, animas cum cruore fugientes, patefactisque secretis provolvi et intestina

COMMENTARIUS.

Et habere ad periculum viam pronam. Periculum hoc loco pro interitu, ut supra lib. I, cap. 3 : *Nutant usque ad periculum civitates*, ubi vide notam Meursii. ORELL.

Aut enim thus datur. Habes heic sacrificiorum divisionem. Et sane ita est. Diis offeruntur aut animales hostiæ aut inanimales. De his agit prius quam de aliis : quia creduntur esse antiquiores, ut ex Theophrasto, Porphyrio et aliis docet Eusebius. *Thus datur* signata locutio. Ovidius :

> Et pia thura dedi pro te, cumque omnibus unus
> Ipse quoque adjuvi publica vota meis.

Thus igitur dabant quandoque simpliciter, nulla animali hostia adjecta. Certe vix precabantur Deos, quin, si facultas esset, iisdem thus incenderent. Ovid., lib. IV, de Ponto :

> His ego do toties cum thure precantia verba,
> Eoo quoties surgit ab orbe dies. HERALD.

Aut animalis est hostia. Aliter Macrobius animalem hostiam eam esse dicit, cujus sola anima Deo consecratur, quæ quidem observatio non caret vanitate. HERALD.

Dissolutum in cinerem labitur. Vide Bunemann ad Lactant. de Ira Dei, cap. 13, pag. 1061. ORELL.

Pasciturque de cnissis. Glossæ : Κνίσσα, *nidor*. Κνίσσα vel κνίσα ustura est carnium et fumus in sacrificio. Usus Homerus, Il. A, 66. Plurima græca vocabula usurpavit in hoc opere Arnobius, quæ ille et Latio et urbe donare gaudet. Hinc *plani* pro sycophantis, lib. II, et lib. VI, dixit *simulacra grosphis rasa*, et lib. VII, tibicines appellavit *salpinctas* (ubi nos legimus *salapittas*). Similia per se eruditus lector in eo facile observet. STEWECH. — Conf. Lindenbroch. ad Priapei. Epigr. LXXII, in Antholog. Lat. P. Burmanni, tom. II, pag. 542. ORELL.

Quas evomunt ardentia viscera. Amat hoc verbum Arnobius sensu metaphorico. Ita lib. VI, cap. 3 : *Sidereos evomant variata interstinctione fulgores*. ORELL.

Adhuc uda de sanguine. Editio princeps : *Adhuc suda de sanguine*, quod revocavit Salmasius, et bene habet, si *sudus, a*, accipiamus pro *subudus*, ut explicat Servius ad Æn. VIII, vs. 529. Equidem nihil definio. ORELL.

Et prioribus humecta de succis. Forte : *Et cruoris humecta de succis.* Temere tamen mutare nolim. MEURSIUS, pag. 205.

Qui fieri potis est. Ita ms. Alii : *pote est*. ORELL.

Hæc ratio. Ms. *hic*, non male. MEURS.

Potis est. Ita ms. MEURS.

Et eorum sustineantur e pastu. e addidit ex ms. Stewechius. Solita apud nostrum præpositionum abundantia. ORELL.

IV. — *Et succensis adjiciuntur altaribus.* Stewechius legendum suspicatur : *Et succensis adjiciuntur thura altaribus.* ORELL.

Dulcedinis labilis. Dulcedo labilis, quæ cito perit, evanescit. Glossæ : *Labile*, ... εὐόλισθον. Ammianus Marcellin., lib. XXVII, cap. 10 : *Labilis limus.* OUDENDORP., *in Apulei. Met.* IV, p. 243.

Quod enim voluptate dissolvitur, etc. Boethius de Consol. Philos., lib. II, Metr. VII :

> Habet omnis hæc voluptas :
> Stimulis agit ferventeis,
> Apiumque par volantum,
> Ubi grata mella fudit,
> Figit, et nimis tenaci
> Ferit icta corda morsu. ELMENH.

Quod lætitia trepidat. Persius, sat. I, 20 :

> Ingentes trepidare Titos, etc.

Ita exprimit Arnobius motum effusiorem et constanti homine indignum. Quare lætitiam dicit potius quam gaudium. HERALD.—Conf. Casauboni ad Persii. l. l., et Barth. in Statii Theb., II, 476, t. II, p. 522. ORELL.

Levitatibus extollitur gaudiorum. Non dicit *gaudii*, quia hoc πάθος lenius. Recte item *extollitur*. Lætitiam enim et gaudium elationem esse dixerunt Stoici, ἔπαρσιν : sed *lætitiam* elationem ἄλογον, *gaudium* elationem μετὰ λόγου. Vid. Cic., IV Tusc., c. 6; et Augustin., in ep. ad Galat., c. 5. HERALD.

cum stercore, et ex residuo spiritu exultantia adhuc corda, tremebundasque palpitantes in visceribus venas? Semiferi nos homines, quinimo, potius ut pronuntiemus, quod est verius atque apertius dictu, feri, quos infelix necessitas, et malus usus edocuit cibos ex his carpere : miseratione interdum commovemur illorum : arguimus nos ipsi, penitusque re visa atque inspecta damnamus : quod, humanitatis jure deposito, naturalis initii consortia ruperimus [a]. Deos aliquis credit pios, beneficos, mites, cæde pecorum delectari, diffundique [b] lætitia, si quando sub his concidunt, et spiritum miserabiliter ponunt? Et voluptatis, ut cernimus, nulla est in sacrificiis causa, nec cur fiant, ratio est : quoniam nec voluptas est ulla [c], ac si forte est aliqua, in deos eam cadere nulla posse ratione monstratum est.

V. Sequitur, ut illam quoque inspiciamus partem, quam jactari audimus vulgo, et populari in persuasione versari : sacrificia superis ea fieri diis causa, ut iras atque animos ponant, reddanturque mites et placidi, fervidorum pectorum indignatione sedata.

A At [d] si definitionem teneamus illam, quam pertinaciter meminisse convenit nos semper, universos animorum affectus ignotos diis esse, consectaneum est credere, numquam deos irasci : quinimmo nullum affectum magis esse ab his longe, quam qui feris et belluis proximus, turbat tempestatibus patientes, et ad periculum interitionis inducit. Quidquid enim vexatur rei alicujus e motu, passibile esse constat et fragile : quod passioni fragilitatique subjectum est, id necesse est esse mortale : ira autem vexat, et patientes se solvit : ergo esse mortale dicendum est, quod passionibus subjectum est iræ. At quin deos scimus esse oportere perpetuos, et naturam immortalitatis tenere : quod si constat, et liquidum est, ira ab his longe et ab eorum conditione disjuncta est. Nullis ergo B rationibus convenit, id in superis velle placare, quod posse non videas in eorum beatitudinem convenire.

VI. Sed concedamus, ut vultis, perturbationem hujusmodi familiarem diis esse, placandæque ejus causa res divinas fieri, et sacrorum solemnia celebrari : quando ergo conveniat [e] adhiberi hæc munia,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Reperimus *Sab. Male.*
[b] Di.findique *Sab.*
[c] Una *Sab.*
[d] Et, *quod recipit Ed. Lugd. B.*
[e] *Ita Sab. Alii :* conveniet.

COMMENTARIUS.

Provolvi et intestina cum stercore. Proba lectio : nam hæc copula *et* abundat sæpe reapse apud hos scriptores et involute construitur. HERALD. — Male itaque Fulv. Ursinus inducit *et*. ORELL.

Tremebundasque palpitantes in visceribus venas. Neque heic quidquam mutandum. Nam συνώνυμα ita copulare amat Arnobius, ut antea observabamus. HERALD. — Fulv. Ursinus et Stewechius conj. : *tremebundis*. ORELL.

Potius ut pronuntiemus. Ita Salmasius. Antea *prius*. Editio princeps *apertius*. ORELL.

Quod, humanitatis jure deposito, naturalis initii consortia ruperimus. Philosophice admodum hæc ab Arnobio dicta sunt. Quoniam enim nulla proprie juris communio hominibus cum animantibus brutis, non dicit simpliciter Arnobius *jure rupto* aut quid simile, sed *humanitatis jure deposito.* Humanitatis jure scil. quia homo, natura mite animal, a cæteris animantibus abstinere debuisse videtur, quæ pythagoreorum et aliorum postea nonnullorum sententia fuit. Hanc humanitatem Græci appellant χρηστότητα : fatentur enim, nulla juris communione homines cum brutis sociari, sed esse aiunt quamdam χρηστότητα, quæ adversus infirmiora ista animalia justitiæ loco est. Plutarchus in Catone majore, ubi censorium illum senem D reprehendit, quod servos debiles atque ætate confectos vendendos censeret : Καί τοι, inquit, τὴν χρηστότητα τῆς δικαιοσύνης πλατύτερον τόπον ὁρῶμεν ἐπιλαμβάνουσαν, νόμῳ μὲν γὰρ καὶ τῷ δικαίῳ πρὸς ἀνθρώπους μόνον χρῆσθαι πεφύκαμεν· πρὸς εὐεργεσίας δὲ καὶ χάριτάς ἐστιν ὅτε καὶ μέχρις ἀλόγων ζώων. Vide sis quæ sequuntur ibidem. HERALD.

Deos aliquis credit pios. Appellat deos *pios*, clementes, ut docebamus ad l. I, c. 49. Notanda in hanc sententiam B. Augustini observatio, quam proponit, l. X de Civit. Dei, c. 1 : *Pietas quoque proprie dei cultus intelligi solet, quam Græci εὐσέβειαν vocant. Hæc tamen et erga parentes officiose haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur : quod ideo arbitror evenisse, quia hæc fieri præcipue Deus mandat, eaque sibi vel pro sacrificiis, vel præ sacrificiis placere testatur. Ex qua loquendi consuetudine factum est, ut et Deus ipse dicatur pius : quem sane Græci nullo suo sermonis usu εὐσεβῆ vocant ; quamvis εὐσέβειαν pro misericordia illorum etiam vulgus usurpet. Unde in quibusdam Scripturarum locis, ut distinctio certior appareret, non εὐσέβειαν, quod ex bono cultu ; sed θεοσέβειαν, quod ex Dei cultu resonat, dicere maluerunt.* Græci tamen, sed C recentiores, et θεὸν εὐσεβῆ quandoque dixerunt. Sic Themistius Euphrades Orat. V : οὐδεὶς γὰρ ἐν ταῖς ἐπικλήσεσι τοῦ Θεοῦ τὸν νικητὴν, ἤτοι θριαμβευτὴν ἀνακαλεῖται, ἢ τὸν Γερμανικὸν, ἢ τὸν Σκυθικὸν, ἀλλὰ τὸν φιλάνθρωπον, καὶ τὸν εὐσεβῆ, καὶ τὸν σωτῆρα. Ergo Deus heic εὐσεβὴς est *pius* et φιλάνθρωπος, qua voce pium exprimere volebat Themistius. HERALD.

Beneficos. Εὐεργέτας, σωτῆρας sæpe conjungebant. HERALD.

Si quando sub his concidunt. Id est, sub eorum oculis atque altaribus, ut loquitur infra. Quare mutandum nihil. HERALD.

Et voluptatis ergo, ut cernimus, nulla est in sacrificiis causa. Sic edidit et interpunxit Salmasius, rectissime. Antea ita legebatur : *et voluptate. Ergo*, etc. ORELL.

V. — *Ut iras atque animos ponant.* Vide supra, ad l. V, c. 2, extr. ORELL.

Definitionem. Alii : *diffinitionem*, quæ sæpissime permutata a librariis. Ita *designare* et *dissignare*. ORELL.

Quam pertinaciter meminisse convenit nos semper. Pertinaciter hoc loco in bonam partem pro *constanter*. Ita Lactantius, Inst., l. IV, c. 18, § 16. *Item de silentio ejus* (Christi). *quod usque ad mortem pertinaciter tenuit, Esaias iterum sic locutus est*, etc. : ubi vid. Bünemann., p. 509. Conf. Pitisc. ad Curt. V, c. 9, 4. Ita *contumax* pro *constans* ap. Prudent. Peristeph. X, 714, et Mamertin. in Genethliac., c. 11. Ubi vid. Schwarz., p. 185, t. II, ed. Jæger. ORELL.

Consectaneum est credere. Ita Stewechius et Salmasius ex ms. pro *consentaneum*. ORELL.

Ad periculum interitionis inducit. Interitio vox antiqua. Vid. Nonius, supra, lib. II, c. 62 : *Multum postea pœnitebit fuisse irrisui, cum ad sensum cœperit interitionis accedi.* ORELL.

Quidquid enim vexatur, etc., etc. Eodem modo argumentatur, supra, l. I, c. 18. ORELL.

VI. — *Placandæque ejus causa.* Sic edidi cum Meursio pro *placandique ejus causa*. ORELL.

vel in tempore quo dari? antequam sunt irati et perciti? an cum fuerint moti, ipsisque in indignationibus constituti? Si, ne sumant animos, occurendum est his ante: feras nobis proponitis, non deos, quibus, ne sæviant concitatæ, et cavearum discutiant claustra, objectari moris est escas, in quas rabidæ sæviant, et cupidinem vexationis inclinent. Sin autem jam fervidis atque indignatione flagrantibus satisfactio ista sacrificiorum oggeritur: non inquiro, non exigo, an illa læta et sublimis magnanimitas numinum, homunculorum offensione moveatur; habeatque pro vulnere si quid animal cæcum, atque in nubibus semper ignorationis incedens, dissignaverit, dixerit, quo illorum minueretur auctoritas.

VII. Sed neque illud dici, aut audire deposco, quas irarum in homines habeant dii causas, ut sacrificiis debeant contracta offensione mulceri: numquid aliquas leges aliquando sanxere mortalibus, constitutumque est ab his umquam, quid eos agere convenirel, vel quid non: quid consectari, quid fugere, vel coli se saltem quibus rationibus cuperent, ut aliter, quam imperaverant gesta ultionibus persequerentur A irarum; contemptique se vellent de audacibus et transgressoribus vindicare? Ut opinor, ab his numquam neque constitutum est aliquid, neque sanctum: quoniam nec visi aliquando, neque si sunt ulli, apertissima potuit cognitione dignosci. Quænam est ergo justitia, ut eis ob aliquas causas irascantur dii cœlites, quibus neque se esse monstrare aliquando dignati sunt, neque ullas dederint, aut imposuerint leges, quas coli ab his vellent, et inviolabili obsecutione servari?

VIII. Sed hoc, ut dixi, prætereo, et silentio patior abire donatum: unum illud præ omnibus quæro, quæ causa est, ut si ego porcum occidero, deus mutet affectum, animosque et rabiem ponat: si gallinulam, vitulum, sub illius oculis atque altaribus concremaro, B oblivionem inducat injuriæ, et ab sensu penitus offensionis abscedat? Quid ad ejus dolorem ex opere hoc migrat, aut remedii cujus est anser, caper, aut pavus ut ex ejus cruore medicina adhibeatur irato? Ergone injurias suas dii vendunt, atque, ut parvuli pusiones, ut animis parcant, abstineantque ploratibus, passerculos, pupulos, [a] equuleos, panes acci-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Scribe:* pupulas. *Vid. Not.*

COMMENTARIUS.

An illa læta et sublimis magnanimitas. Rescribi volunt (Fulv. Ursinus) *lauta*. Non placet. Legendum existimo *elata*. Sic interpretatur μεγαλοφροσύνην. Atque ita negat convenire deorum μεγαλοφροσύνῃ exactam C offensionem vindictam. Et revera μέγα μέρος μεγαλοψυχίας ἀνεξικακία, quod ait in Pelopida Plutarchus. Hinc Lactantius, libro in Ira Dei, c. v: *Favorabilis ac popularis oratio, non cadere in Deum hanc animi pusillitatem, ut ab illo se læsum putet, qui lædi non potest.* HERALD.— Nihil omnino mutandum. Respicit Arnobius ad deorum vitam perpetuis agitatam lætitiis. ORELL.

Habeatque pro vulnere. Id est, *pro offensione, injuria gravissima.* Sic Eutropius, l. x, c. 16: *Fuerunt enim nonnulli, qui vulnera gloriæ ejus inferrent.* Vide, qui de hac locutione multus est, C. Barth. ad Claudian. Mamert. de Statu animæ, p. 302, seq. Possis etiam interpretari *habeatque pro scelere, delicto*, quo sensu *vulnus* passim occurrit apud scriptores ecclesiasticos, verbi causa, Juvenc., Hist. evangel. IV, 114:

Hæc inter si quis protectum a vulnere pectus
Ad finem servare queat, sublimia lucis
Æternis vitæ sertis redimitus abibit.

et ibid., II, 434, seq.:

.... Non septem crimina tantum,
Sed decuplata super donentur vulnera fratri.

Ubi vid. Omeis., p. 305, ed. Reusch. ORELL.

Dissignaverit. Alii, *designaverit.* Vide supra, ad l. I, c. 63. ORELL.

VII. *Quas irarum in homines habeant dii causas.* Ita Gelenius, acute. Editio princeps, *qua si parum*, etc. HERALD.

Neque, si sunt ulli, apertissima potuit cognitione dignosci. Ita codex ms., teste Stewechio, quam lectionem equidem temere mutare nolim. Meursius ita distinguit: *Neque, si sunt, ulli apertissima*, etc. Editiones omnes: *Neque, si sunt visi. Si* pro *an*, ut sæpissime. ORELL.

Quibus neque se esse, etc. *Esse* addidit Stewechius ex msto. Alii: *quibus neque sese monstrare. se* pro *sese* est ex emendatione Salmasii. ORELL.

VIII. — *Silentio patiar abire donatum.* Cod. ms. et editio princeps habent *obire*, quod tuetur Heraldus more antiquorum præpositiones *ab* et *ob* sæpissime permutantium. Hinc fortassis enata significatio τοῦ *obire* pro *mori*. ORELL.

Si gallinulam, vitulum sub illius oculis atque altaribus concremaro. Infra: *Quod est istud honoris genus, vervecem, arietem, taurum dei sub ore connectere conspectuque in ejus occidere?* Stabant enim ad aras simulacra, et ad eorum faciem hostiæ conversæ mactabantur. Lucretius, II, 352:

Nam sæpe ante deum vitulus delubra decora
Thuricremas propter mactatus concidit aras.

Hinc θεῶν δεξίμηλα ἀγάλματα appellat Euripides in Phœnissis παρὰ τὸ δέχεσθαι τὰ μῆλα: quemadmodum δεξίμηλον δόμον et δεξίμηλον ἐσχάραν appellat in Andromacha. HERALD. — Pro *vitulum, vel pullum* legend. conj. F. Ursinus. ORELL.

Pavus. Hæc est forma antiquior, usurpata Varroni ap. Gellium, lib. VII, cap. 16, pro qua aureæ latinitatis scriptores dixerunt *pavo, pavonis.* Antiquam for- D mam præter nostrum, habet etiam Tertullianus de Anima cap. XXXIII: *pulcherrimus pavus, et quo velit colore cultissimus.* ORELL.

Atque ut parvuli pusiones, ut animis parcant abstineantque ploratibus. Sic emendavit Heraldus. Editio princeps: *atque ut parvuli pusiones animis parcant*, etc. Gelenius: *atque ut parvuli pusiones, quo animis parcant*, etc. Editio Lugd. bat.: *ut animosis parcant*, etc. Colvius ad Apulei. Metam. VIII, pag. 448, ed. Oudendorp. putat legendum: *Quo lacrymis parcant*, vel, *quo animos pascant.* Male. *Animis parcere* idem est quod supra dixerat *iras atque animo ponere*, quod bene monet G. J. Vossius. de Idolol., lib. III, cap. 98, pag. 464. ORELL.

Passerculos, pupulas, equuleos, panes accipiunt, etc. Talia puerulorum ludrica memorant etiam Plinius lib. IV, epist. 2, et Apuleius Met., lib. VIII, pag. 448. ORELL.

Pupulas. Pupus et *pupa* pro pusionibus, puerulis

piunt, quibus avocare se possint : ita dii immortales placamenta ista sumunt, quibus iras atque animos ponant, et in gratiam suis cum offensoribus redeant? Atquin ego rebar deos, si modo rectum est credere, quod motibus exagitentur irarum, sine ullis præmiis, nullisque mercedibus, iras atque animos ponere, et peccatoribus delicta donare. Hoc est enim proprium numinum, liberales venias, et concessiones habere gratuitas. Quod si fieri non potest, sapientius multo est, pertinaciter eos in offensione durare, quam munerum corruptione mitescere. Crescit enim multitudo peccantium, cum redimendi peccati spes datur : et facile itur ad culpas, ubi est venalis ignoscentium gratia.

IX. Ecce si bos aliquis, aut quodlibet ex his animal, quod ad placandas cæditur mitigandasque [a] numinum furias, vocem hominis sumat, eloquaturque his verbis : Ergone, o Jupiter, aut quis alius deus es, humanum est istud et rectum, aut æquitatis alicujus in æstimatione ponendum, ut cum alius peccaverit, ego occidar, et de meo sanguine fieri tibi patiaris satis, qui numquam te læserim, numquam sciens aut nesciens tuum numen [b] majestatemque violarim, animal, ut scis, [c] mutum, naturæ meæ simplicitatem sequens, nec multiformium morum varietatibus lubricum? Numquid aliquando tuos ludos minus sancte diligenterque perfeci? numquid aliquem præsulem, tuum numen qui offenderet, ante te traduxi? numquid juravi per te falso? numquid sacrilegis furtis tua rapui, spoliavique donaria? numquid erui sacratissimos lucos, aut religiosa quædam loca substructionibus pollui profanavique privatis? Quænam est ergo causa, ut alienum crimen meo luatur e sanguine, et in nefas extraneum mea vita et innocentia perducatur? An quod animal vile sum, nec rationis, nec concilii particeps? quemadmodum pronunciant isti, qui se homines nominant, et ferocitate transiliunt belluas. Nonne primordiis iisdem eadem et me genuit informavitque natura? Nonne spiritus unus est, qui et illos et me regit? Non consimili ratione respiro, et video, et cæteris afficior sensibus? Habent jecora, pulmones, corda, intestina, ventriculos : et mihi membrorum non idem est numerus attributus? Amant suos fœtus, et gignendis conveniunt liberis : non et mihi prolis, et subrogandæ est cura, et dulcedo, cum fuerit procreata? Sed rationales illi sunt, et articulatas expromunt voces : et unde illis notum est, an et ego, quod facio, meis rationibus faciam, et vox ista,

LECTIONES VARIANTES.

a Mitigandasque ad sic ms.
b Nomen *Sab*.
c Ut scitis *ms*.

COMMENTARIUS.

et puellulis nota. Varro, lib. VI *pusam* vocat. Ab his pupis *pupulus* et *pupula* eadem ratione deminuta sunt Catullo, Apuleio et aliis. Ea nomina antiquitus etiam *εἰκόνια* sigillaria seu imagunculas, quæ hodieque in usu nutricibus ac pueris, designabant; a quibus etiamnum nostrate idiomatismo denominantur *Puppen*; de quibus est Persianum illud, sat. II, 70.

. . . . . . Veneri donatæ a virgine puppæ.

Scribendum itaque duobus vel unico *p*, si lubet. Varro Aborig. : *Magna pars in desiderium puparum et sigillorum veniebat*. STEWECH.

Panes. Intelligendi, ut rectissime observat Heraldus, non *ἄρτων κλάσματα*, sed sigillariola formata ad imaginem paniscorum quæ erant puerorum ludrica, ut puellarum *pupæ*, quas etiam *νύμφας* appellabant. Quare scripsi *Panes* littera majore. ORELL.

Concessiones habere gratuitas. Fulv. Ursinus conj. : *concessiones tribuere gratuitas*. Sed nil mutandum. Sensus est : habere Deos, quæ gratuito concedant. ORELL.

IX. — *Ecce si bos aliquis*, etc. Sequitur jam allocutio victimæ ad Jovem, qui locus est pulcherrimus. ORELL.

Quod ad placandas cæditur mitigandasque ad numinum furias. Eodem sensu *furiæ* supra lib. IV, cap. ult. : *Sin autem ab hujusmodi furiis deorum genus est immune*. ORELL.

Qui numquam te læserim. Suavior ad aures hæc veteris Codicis lectio, quam quod ediderunt : *quod numquam te læserim*. STEWECH. — Alii : *cum numquam*, male. ORELL.

Numquid aliquem præsulem, tuum numen qui offenderet, ante te traduxi. Sic emendavit Stewechius, verissime. Codex ms. habet : *ante traduxi*, pro quo Gelenius : *aut te traduxi*. Tangit scil. Arnobius historiam servuli furciferi per circi aream mediam traducti, quam narrat infra cap. 36, editionis nostræ. ORELL.

Numquid erui sacratissimos lucos? Quo quidem facinore ac plusquam sacrilegio deorum iras atque offensas inexpiabiles contrahi existimabant. Quare cæsariani milites, quum Massiliensem lucum antiquæ religionis horrore sanctissimum ad bellica tormenta et cætera obsidionis instrumenta cædere juberentur; rem agressuri pavide substiterunt, veriti ne in se suæ secures resilirent. Hanc militum superstitionem vivis coloribus exprimit Lucanus libro III :

Hanc jubet immisso silvam procumbere ferro :
Nam vicina operi, belloque intacta priore
Inter nudatos stabat densissima montes.
Sed fortes tremuere manus : motique verenda
Majestate loci, si robora sacra ferirent,
In sua credebant redituras membra secures.
Implicitas magno Cæsar torpore cohortes
Ut vidit : primus raptam vibrare bipennem
Ausus et aëriam ferro proscindere quercum, etc. HERALD.

Substructionibus pollui profanavique privatis. Lucos diis consecratos, quemadmodum cætera omnia loca *θεοῖς ἀνειμένα*, substructionibus aut alio usu profano polluere grande piaculum erat. HERALD. — Eodem sensu Cicero dixit (pro Milone) : *Vos, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque obtestor, Vosque, Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi rom. sociæ et æquales, quas ille præceps amentia, cæsis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat : vestræ tum aræ, vestræ religiones viguerunt, vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat*. NOURR., p. 567.

Meo luatur e sanguine. Fulvius Ursinus præpositionem *e* inducit, male. ORELL.

Producatur. Ita editor Lugd. Bat. e ms. Alii : *perducatur*. ORELL.

Articulatas expromunt voces. Sic edidi e correctione Fr. Oudendorpii ad Apulei. Met., lib. X, p. 711. Alii : *exprimunt*. Sed *exprimere vocem* est sive alteri extorquere, sive imitatione fingere et sic declarare, quod a nostro loco alienum est. ORELL.

Et unde illis notum est, etc., etc. Veteres philosophos, Stoicos imprimis, statuisse, rationem et orationem imperfecte animalibus cum homine esse com-

quam promo, mei generis verba sint, et solis intelligantur a nobis? Interroga pietatem, utrumne sit æquius me occidi, me confici, an hominem venia, et commissorum impunitate donari? Quis in gladium formavit ferrum? non homo? Quis cladem gentibus, quis nationibus imposuit servitutem? non homo? Quis parentibus, fratribus, quis uxoribus, quis amicis mortiferas subdidit, commiscuitque potiones? non homo? Quis maleficia reperit, aut commentatus est tanta, quanta vix explicari decem millibus queant vel annalium, vel dierum? non homo? Ita istud non ferum, non immane, non sævum est? non tibi, o Jupiter, injustum videtur et barbarum, me occidi, me cædi, ut fias tu placidus, et ut scelerosis contingat impunitas? Ergo ob hanc causam, id est, numina ut placentur irata, inaniter fieri sacrificia constitit, cum docuerit nos ratio neque deos irasci aliquando, neque alterum velle pro altero confici, cædi, nec innoxii sanguine abolitionem dissignationibus comparari.

X. Sed fortasse aliquis dicet : idcirco diis hostias, et cætera impendimus munera, ut familiares quodammodo nostris supplicationibus facti, res tribuant prosperas, avertantque a nobis mala, cum gaudiis faciant agere nos semper, tristitias vero propellant, et ex casibus imminentia fortuitis. Non exiguam curam locus iste desiderat, nec quod dicitur facile, tam consuetum est vel audiri, vel credi. Advolabit enim continuo universus ille doctissimorum chorus, qui asseverans et comprobans, fato fieri quæcumque fiunt : eripiat vobis e manibus opinionem istam, et inanibus vos urgeat persuasionibus fidere. Quidquid in mundo, inquiet, gestum est, geritur, et geretur, olim definitum et fixum est; habetque immobiles causas, per quas sibi

A res nexæ inexpugnabilem conserant præteritorum cum imminentibus necessitatem. Si definitum et fixum est, quid obtingere singulis mali debeat bonive, jam certum est. Quod si certum est et fixum, vacant omnia deorum auxilia, vacant odia, vacant benignitates. Tam enim præstare non possunt, id quod non potest fieri, quam prohibere, ne fiat id quod necesse est evenire : nisi quod validius premere opinionem istam si voluerint, quibunt : ut etiam ipsos deos frustra dicant a vobis coli, et supervacaneis supplicationibus adorari. Cum enim ordinem vertere, et fatalia nequeant constituta mutare, quid rei, quid causæ est fatigare, et obtundere eorum aures velle, quorum auxiliis nequeas supremis in necessitatibus fidere?

B XI. Postremo si tristia atque importuna dii pellunt : si ea, quæ sunt læta atque amica, largiuntur : unde sunt mundo tanti, tamque innumerabiles miseri? unde tot infelices lacrymabilem vitam in extrema sorte ducentes? cur immunes a calamitatibus non sunt, qui momenta per singula, qui per puncta sacrificiis onerant atque accumulant aras? Nonne alios, inquiunt, videmus ex illis domicilia esse morborum; extinctis luminibus, atque auribus obseratis, pedum carere processu, truncos sine manibus degere, incendiis, naufragiis, et ruinis mergi, obrui, confici : patrimoniis ab ingentibus evolutos mercenario sese labore fulcire : stipes emendicare supremas, exterminari, proscribi, semper esse in luctibus liberorum orbitatibus fractos : vexari per infortunia cætera, C quorum species et formas nulla potest enumeratio definire? Quod utique non fieret, si propulsare, si flectere mala ista dii possent sacrorum meritis obli-

COMMENTARIUS.

munes, pluribus docet Arbr. Willet ad Galen. Protrept. ad Artes, cap. I, pag. 60, seq. ORELL.

Quis in gladium formavit ferrum, etc. Juvenalis Sat. XV, vs. 160 :

> Ast homini ferrum lethale incude nefanda
> Produxisse parum est, cum rastra et sarcula tantum
> Assueti coquere, et marris et vomere lassi
> Nescierint primi gladios extundere fabri. ELMENH.

Commiscuitque potiones. Ovidius, Met. I. 147 :

> Lurida terribiles miscent aconita novercæ. HERALD.

Commentatus est tanta. Fulv. Ursinus mavult : *commentus est tanta*, a *comminiscor*. ORELL.

Quanta vix explicari decem millibus queant vel annalium vel dierum. Id est μυριάσιν. Sed quod ephemeridas appellat *dies*, novum est, et vereor, ut nothum. HERALD.—J. G. Grævius, in epistola 258, ad N. Heinsium Syllog. Burmann. tom. IV, p. 332, corrigit : *vel diurnorum*, intelligens acta diurna urbana, *in quibus annotabantur crimina et maleficia*. Posset defendi vulgata lectio loco simillimo lib. V, cap. 15 : *Esse illam in diebus et a vobis in commentariis relatam*. Sed hic *diebus* fluxisse videtur ex interpolatione Fulvii Ursini, non e Codice ms. Itaque nihil definio. Pro *queant* Gelenius ed. *nequeant*, constructione Græca vehementius negante. ORELL.

Dissignationibus. Ita ms. Alii : *designationibus*, eodem sensu. Vide Notam amicissimi Ochsneri ad lib. I, c. 63, *dissignationibus*, scil. victimarum. ORELL.

X.— *Cum gaudiis..... agere*. χαίρειν, εὖ πράττειν. Purus putus Græcismus. ORELL.

Et ex casibus, etc. Abest *et* in ms., probante Meursio, tamquam concisum loquendi genus. ORELL.

Si voluerint. Ita Gelenius, sensu flagitante. Editio princeps, : *si noluerint*, vitiose. ORELL.

Ut etiam ipsos deos frustra dicant a vobis coli. Hoc argumentum pluribus nodis nectit Lucianus in Jove Tragœdo. HERALD.

XI. — *Postremo si tristia atque importuna dii pellunt*. Temere sollicitavit Meursius lectionem hanc verissimam, conjiciens *atque infortunia*. ORELL.

D *Vitam in extrema sorte ducentes*. Notissimam phrasin *vitam ducere* multis illustrat Bunemann. ad Lactant. lib. VII, c. 9, pag. 909, seqq. ORELL.

Inquiunt. Fulv. Ursinus : *inquient*. ORELL.

Obrui, mergi, confici. Sic ordinavit hæc verba Stewechius, sequente Salmasio. Alii : *mergi*, *obrui*, *confici*. ORELL.

Patrimoniis ab ingentibus evolutos. *Evolutos* id est dejectos, deturbatos. Sic Tacitus Annal. XIII, 15 : *Ille constanter exorsus est carmen, quo evolutum eum sede patria rebusque summis significabatur*. Et Seneca Epistol. 75 : *Occurrent acti in exilium et bonis evoluti*. ORELL.

Stipes emendicare supremas. Quæ est suprema et extrema miseria. Jul. Firmicus Astron. lib. V, cap. 8: *Ad tantam venient aliquando rerum inopiam, ut ab aliis cogantur necessaria vitæ subsidia miserabiliter postulare*. ELMENH.

gati. Nunc vero quia casibus nullus est in his locus, A sed ineluctabili omnia necessitate confiunt, agit sese ordo præscriptus [a], et quod semel decretum est, perficit.

XII. Aut ingrati esse dicendi sunt cœlites, si cum habeant jura prohibendi, patiuntur infelix genus tot pœnis et calamitatibus implicari. Et fortasse aliquid dicant magnum, nec quod auribus debeat frustratoriis, levibus, et contemnentibus sumi. Quas tamen nos partes, quia res nimium longi est multique sermonis, inexplicatas transcurrimus atque intactas : solum illud posuisse contenti, inhonestas vos famas adjungere diis vestris, si eos aliter negatis præstare quæ bona sunt, atque inimica transvertere, nisi prius empti capellarum fuerint atque ovium sanguine, et cæteris quæ admoventur altaribus. Indignum enim pri- B mum est, ut illa vis numinum sublimitasqne cœlestium beneficia credatur sua habere venalia, prius sumere, atque ita præstare. Tum, quod fœdius multo est, nisi acceperint, prodesse nulli, perpetique miserrimos discriminum subire fortunas, cum prohibere possint ac subvenire. Si ex duobus facientibus res sacras honestus unus et locuples, alter angusto lare, sed innocentia fuerit et probitate laudabilis : centum ille cædat boves, totidemque cum agniculis suis matres, thus pauper exiguum, et odoris alicujus unam concremet glebulam : nonne erit consequens, ut debeat credi, si modo nihil numina, nisi præmiis antecedentibus præstant, ut favorem suum et auxilium commodent locupleti, avertant a pauperculo lumina, quem restrictum non animus, sed familiaris rei C necessitas fecit? Ubi enim venalis et mercenarius dator est, ibi necesse est gratiam pro magnitudine muneris tribui, et eo inclinare suffragium, unde ad eum, qui præstat, mercedis plus multo, et indecoræ corruptionis affluxerit. Quid si populi rursus duo hostilibus dissidentes armis, sacrificiis paribus superorum locupletaverint aras, alterque in alterum postulent vires sibi atque auxilium commodari : nonne iterum necesse est credi, si præmiis sollicitentur, ut prosint, eos partes inter utrasque hæsitare, defigi, nec reperire quid faciant, cum suas intelligant gratias sacrorum acceptionibus obligatas? Aut enim auxilia hinc et inde præstabunt, id quod fieri non potest : pugnabunt enim contra ipsos se ipsi, contra suas gratias, voluntatesque nitentur : aut ambobus populis opem subministrare cessabunt, id quod sceleris magni est, post impensam acceptamque mercedem. Itaque ergo ab diis longe infamia est ista tota pellenda : neque est omnino dicendum, præmiis eos ac mercedibus allici, bonas ut res conferant, dimoveantque contrarias, si modo dii veri sunt, atque in nominis hujus exceptione ponendi. Aut enim fato fiunt, quæcumque fiunt, et ambitionis et gratiæ nullus locus in diis est : aut si excluditur et ejicitur fatum, non est superæ dignitatis, boni operis favorem [b] et collatas munificentias venditare.

XIII. Satis, ut opinor, ostendimus, frustra diis immortalibus hostias rebus cum consequentibus admoveri : quod neque alantur his, neque ullam percipiant voluptatem, neque iras aut animos ponant, neque ut res tribuant faustas, neque ut abigant averruncentque contrarias. Sequitur, ut illam quoque inspiciamus partem, quæ ab nonnullis consueta est asseri, et causis cerimonialibus applicari. Aiunt enim sacra hæc honorandis esse instituta cœlestibus, et ea, quod faciant, honoris ergo facere, et his numinum potentias auctitare. Quid si similiter

LECTIONES VARIANTES.

[a] Perscriptus *Sab.*

[b] Favores *ms.*

COMMENTARIUS.

Sed ineluctabili omnia necessitate confiunt. Ita Canterus. Sab. : *conficiunt.* Fulv. Ursinus : *conficiant. Confieri* verbum Arnobio frequentatissimum, ut observavimus supra. ORELL.

Agit sese. Fulv. Ursinus leg. : *aut agit*, hæc cum sequentibus : *Aut ingrati esse*, etc. conjungens. Non male. ORELL.

XII. — *Si cum habeant jus prohibendi.* Id est, D ἐξουσίαν, ut observabamus ad librum I. HERALD.

Honestus unus et locuples. Ita *honestus* a jurisconsultis dicitur locuples et opponitur egeno l. LII, § 15. D. de furtis. Opponitur vulgari personæ l. V. D. de legit. tutor. HERALD. — *Honestus* hoc loco est bono loco et parentibus natus honestis. Ita enim *honestatem* et *honestum* observabam *humilitatis* et *humilis* ἀντίθετα fere conlocari solita, deficiente præsertim latini sermonis puritate. Justinianus Imperator : *Pœnam autem* (inquit) *eadem lex irrogat stupratoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum : si humiles, corporis coercitionem cum relegatione. Honestum* pro viro honorato Cicero non una epistola usurpat, et Vegetius, lib. I, Rei Milit. cap. VII. STEWECH.

Hæsitare, defigi. Defigi expressissime de iis, qui immobiles stant, in neutram partem se inclinant. Hinc *figere, defigere*, Græce πῆξαι, pro devincire, ligare, immobilem præstare. Et *stupore defigi* dicuntur, qui præ admiratione in stuporem dati in vestigio hærent. Conf., qui de hoc verbo multus est, Salmas. in Solin., p. 765. ORELL.

Si modo dii veri sunt, atque in nominis hujus exceptione ponendi. Id est, si digni sunt hac exceptione verorum deorum. Qui igitur rescribi volunt *acceptione* (v. c. Fulv. Ursinus), falluntur. HERALD.

Et ambitionis et gratiæ nullus locus in diis est. Ambitio hic pro gratia et favore, quod minime notarem, nisi id viderem homines, qui optimos scriptores emendare audent, turpissime ignorare. Cornel. Tacitus initio Agricolæ : *Ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam, sine gratia et ambitione, bonæ tantum conscientiæ pretio ducebatur*, id est, οὐδενὶ χαριζόμενος, καὶ μηδεμίαν αὐτὸς χάριν μνώμενος. Sic ambitio dicitur nimia ἀρέσκεια, qua auræ populari velificamur, et apud omnes ordines gratiosi esse volumus. T. Livius lib. XLIII : *Exercitum consulis infrequentem commeatibus vulgo datis per ambitionem esse.* Ibidem : *Non consulibus, sed ambitiosis consulibus dilectum difficilem esse.* Alibi : *Carminaque a militibus ea in Imperatorem dicta, ut appareret, in ducem indulgentem ambitiosumque ea dici.* Et *decreta ambitiosa*, id est, gratiosa. L. III. D. de Minorib. HERALD.

XIII. — *Frustra diis immortalibus hostias rebus cum consequentibus admoveri.* Proprie. Supra : *Nisi prius empti capellarum fuerint atque ovium sanguine,*

dicant evigilare sese, atque dormire, deambulare, subsistere, conscribere aliquid et lectitare, ut honorem diis habeant, et dignitatibus eos faciant ampliores? Quid enim cruore de pecorum? Quid sacrorum confectione de cætera superadditur his rei? quid apponitur atque adjicitur potestatis? Etenim honos omnis, qui haberi ab aliquo dicitur, et reverentiæ potioris attribui, relativi est ad alterum generis, et constans partibus duabus, ex concessione tribuentis, et amplificatione sumentis. Ut si quispiam viso potentissimi nominis atque auctoritatis viro, via decedat, assurgat, caput revelet, vehiculoque desiliat: tum deinde salutet acclinis: ancillatum servuli pavibunda trepidatione imitatus: video, quid agatur in hujusmodi venerationis officio: summissione alterius datur alteri plurimum: efficiturque, ut videatur magnus, quem suspectio minoris extulerit, et suis anteposuerit rebus.

XIV. Sed concessio hæc omnis, et honoris, de qua loquimur, attributio, solis habet in hominibus sedem: quos naturalis infirmitas, et amor in altioribus standi docet gaudere de fastibus, et aliorum comparationibus anteponi. At quæro [a], in superis ubi est honoris [b] locus, vel quas eis eminentias accedere [c] sacrorum ex confectionibus invenitur? Augustiores, potentiores mactatis pecudibus fiunt: additur illis ex hoc quidquam, aut esse dii magis divinitate incipiunt [d] ampliata? Atqui ego contumeliæ proximum, quinimmo esse plenam contumeliam judico, cum honorari ab homine deus dicitur, et muneris alicujus oblatione mactari. Etenim si honos auget, ejusque accumulat dignitatem, cui fuerit attributus, sequitur, ut auctior deus fiat ab homine, a quo fuerit munere et honoris collatione donatus: atque ita perducitur res eo, ut inferior deus sit, qui honoribus mactatur humanis; homo vero sublimior, qui auget potentiam numinis.

XV. Quid ergo, inquiet aliquis, honorem diis dandum nullum esse omnino censetis? Si deos nobis proponitis tales, quales, si sunt, debent esse, quosque dicere nos omnes in istius nominis prædicatione sentimus, quemadmodum possumus honorem his non habere vel maximum; cum etiam colere homines potentioribus acceperimus imperiis, cujuscunque ordinis fuerint, cujuscumque fortunæ? Quisnam iste est maximus? Officiosior multo, quam habetur a vobis, et potentiore in genere constitutus. Dicite, inquitis, quæ sit opinio de diis digna, recta, et honesta, nec

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Ms. et Sab. Alii:* At vero.
[b] *Ita Sab. Alii:* honori.
[c] Addere *Fulv.*
[d] Concipiunt *ms. Male.*

COMMENTARIUS.

et cæteris, quæ admoventur altaribus. Lucanus (I, 608.):

Sacris tunc admovet aris
Erecta cervice marem.

Θυσίαν βωμῷ προσάγειν Græci dicunt. HERALD.

Evigilare. Oudendorpius ad Sueton. Vespas. cap. 21. p. 559, legendum suspicatur *vigilare*. Sed composita pro simplicibus nostrum aliquando usurpare supra vidimus. ORELL.

Ut si quisquam viso potentissimi nominis viro via decedat, assurgat, caput revelet, vehiculoque desiliat, etc. Sallustius apud Nonium: *Quibus de causis Syllam in victoria dictatorem, sibi equo descendere, surgere de sella, caput aperire solitum.* HERALD. Moris scil. erat venienti magistratui vel principi assurgere, caput aperire, equo aut curru descendere, sive soli, sive cum uxoribus sederent, ferrum ponere, et quam equo verberando virgam gestabant, eam e dextra in manum lævam transferre. Vid. Senec., epist. LXX, Apulei. Florid. III, et quos citat Stewechius ad h. l., et, qui hac de re multus est, Justus Lipsius Elect., lib. I, cap. 23. Op. Tom. I, pag. 725, ed. Vesal. Peculiaris de veterum salutationibus liber est Jac. Claudii editus Ultraject. 1702. forma min. ORELL.

Assurgat. Virgil., Georg. II, v. 97, seq.:

Sunt et amineæ vites, firmissima vina,
Tmolus et assurgit quibus, et rex ipse Phanæus

Servius hic: *Tractum est a sedentibus, qui in honorem alicujus assurgere consueverunt.* ORELL.

Tum deinde salutet acclinis. Sic e codice msto correxit Stewechius pro *acclivis*, quod antea edebatur. *acclinis* i. q. pronus, subnixus in genua. ORELL.

Ancillatum servuli pavibunda trepidatione imitatus. Secutus sum emendationem hanc verissimam Tib. Hemsterhusii ad Luciani Timon., cap. 5, tom. I, pag. 344, ed. Bipont., et Gesneri in Thesauro v. *ancillatrum*. Cod. ms. et editio princeps habent: *Ancillarum servuli pavundas trepidationes imitatus*, ex quo Gelenius, solita mutandi licentia, fecit: *ancillæ aut servuli pavibundas trepidationes imitatus.* Salmasius in ed. Lugd. Bat. et ad Solin., p. 804, sic edidit: *Ancillatrum servuli pavibundis trepidationibus imitatus*, v. *ancillatrum* explicans *ancillationem*, ab *ancillor, ari.* Sed vellem hujus formæ nobis exempla dedisset. Quamobrem prætuli *ancillatum*, quod ἐμφατικῶς dicit Arnobius indicans statum, conditionem ancillarum, quæ erat humilior et abjectior, quam servorum conditio. ORELL.

Pavibunda trepidatione. Eleganter. Sic τὸ ἀθαρσὲς καὶ καταπεπληγμένον dicit Plutarchus in Nicia: ὑποδηλοῖ δὲ καὶ Φρύνιχος τὸ ἀθαρσὲς αὐτοῦ καὶ καταπεπληγμένον ἐν τούτοις·

Ἦν γὰρ πολίτης ἀγαθὸς ὡς, εὖ οἶδ' ἐγώ,
Κοὐχ ὑποταγεὶς ἐβάδιζεν ὥσπερ Νικίας. HERALD.

Quem suspectio. Ita Salmasius ex emendatione Meursii, rectissime. Nam *suspicere* in veneratione proprium. Alii: *quem susceptio.* ORELL.

XIV. — *Gaudere de fastibus. De* abundat, ut sæpissime ap. nostrum. ORELL.

Vel quas eis eminentias accedere. Ita Fulv. Ursinus. Alii: *addere*, male. ORELL.

Sacrorum ex confectionibus. Hæc est emendatio Meursii verissima et proxime accedens ad scripturam codicis: *conjectionibus*. Alii: *collationibus*. Scriverius ap. Meurs. in Append. mavult *collectionibus*. ORELL.

Muneris alicujus oblatione mactari. Vide supra ad lib. I, cap. 41. ORELL.

Homo vero sublimior, etc. Hæc e ms. reg. addidit Meursius. ORELL.

XV. — *Cum etiam colere homines potentioribus acceperimus imperiis.* Fulv. Ursinus mavult: *Cum etiam colere homines potentioris acceperimus imperii.* Male. Sensus est: *cum nos* (Christiani) *potentioribus imperiis* (hoc est imperio, jussu potentioris, dei scil. vel Christi) *acceperimus, homines quoscumque colendos esse.* ORELL.

turpitudinis alicujus deformitate culpabilis. Primum ut neque illos credas quidquam hominis habere consimile, nec quidquam expectare, quod sit ab se foris, atque extrinsecus veniens : tum [a] quod sæpius dictum est, non ardescere irarum flammis, non gestire corporea voluptate, non exambiri ut prosint, non præmiis ne noceant proritari, benignitatem et gratiam non habere venalem, non gaudere honore collato, non indignari et affici non dato; sed, quod rei divinæ est proprium, sua se vi nosse, nec se alienis adulationibus æstimare. Et tamen, ut videamus istud, quod dicitur, quale sit, quod est istud honoris genus, vervecem, arietem, taurum dei sub ore connectere conspectuque in ejus occidere? Quod est honoris genus, deum invitare ad sanguinem, quem cum canibus videas eum sumere, atque habere communem? Quod est honoris genus, lignorum struicibus incensis cœlum fumo subtexere, et effigies numinum nigrore offuscare ferali? Quod si ea, quæ fiunt, propria vi pendere, non ante sumptis placet æstimationibus æstimare, aræ istæ, quas dicitis, altariaque hæc pulchra infelicissimi animalium generis ustrinæ, rogi sunt, et busticeta in opus structa fœdissimum, atque in sedem fabricata fœtorum.

XVI. Quid dicitis, o isti! ergone ille putor, qui ex coriis tollitur atque expirat ardentibus, qui ex ossibus, qui ex setis, ex agnorum lanitiis, gallinarumque de plumis, dei munus et honor est? mactaturque hoc illis, quorum templa cum adire disponitis, ab omni vos labe puros, lautos, castissimosque præstatis? Et quid esse his potest coinquinatius, infelicius, spurcius, quam si ita facti sunt sensus sui natura, ut in

LECTIONES VARIANTES.

[a] Tunc *Sab.*

[b] Æstimari *ms.*

COMMENTARIUS.

Dicite, inquitis, quæ sit opinio de diis digna, recta et honesta, nec turpitudinis alicujus deformitate culpabilis. Primum, ut neque illos credas. Ita locum hunc lacunosum et vitiatum ad vestigia codicis msti optime restituit editor Lugd. Bat. Editio princeps et Gelenii habent : *dicite, inquitis. Ne sit opinio de his deformitate culpabilis, ut neque* etc., codex ms. : ***Dicite, inquitis. Ne sit opinio de his primum digna, recta et honesta, nec turpitudinis alicujus deformitate culpabilis, ut neque*** etc. Quam lectionem defendit Meursius in Appendice, *ne sit* accipiens pro *sitne*, ut sæpius apud hos scriptores. Stewechius ita legit et disposuit hæc verba : ***Quæ sit opinio de his primum digna, recta et honesta, nec turpitudinis alicujus deformitate culpabilis, ut neque illos***, etc. ORELL.

Quod sit ab se foris, atque extrinsecus veniens. Bene interpungitur commate post *foris*, quod minime conjungendum cum sequenti ***veniens. Quod est foris a nobis*** sunt res extraneæ, dona fortunæ, τὰ οὐκ ἐφ' ἡμῖν ex Stoicorum sententia. ORELL.

Non præmiis ne noceant proritari. Recepi in textum correctionem hanc Th. Canteri maxime probabilem. Alii : ***non præmiis ut noceant proritari***, quod significaret : non præmiis proritari, ut noceant, scil. hostibus, inimicis nostris. ORELL.

Et affici non dato. Fulvius Ursinus legendum putat : *et affligi*, male. ***Affici*** est in gen. mutari, moveri. ORELL.

Rei divinæ. Fulv. Ursinus legendum suspicatur : ***naturæ divinæ***, cum ***res divina*** alias dicatur pro sacrificio. Sed videtur ita Arnobius interpretatus fuisse τὸ θεῖον Græcorum. ORELL.

Dei sub ore connectere. Meursius mavult *convertere*, hoc est, ore ad cœlum convertere, resupinare, quod Homerus αὖ ἐρύειν dicit Il. A, 459. Equidem nihil definio, cum, an victimæ fuerint ante aras ligatæ quandoque, adhuc sub judice lis sit inter viros doctos. Vide Saubert. de Sacrif., cap. XIX, p. 401, seqq. ed. Cren. Possit fortassis et explicari : vittis, infulis, sertis redimiri, quibus ornari solebant hostiæ. Vide eumdem Saubert. cap. XVIII, pag. 385. Sed desidero exempla verbi *connectere* hac significatione absolute positi. ORELL.

Lignorum struicibus incensis. Ita Meursius et ed. Lugd. Bat. ms. : ***structibus.*** Alii : ***struitibus.*** Sed rescribendum ***struicibus***, a *struix*, *icis*. Ita ***instruix*** ab ***instruere*** legitur ap. Solin. cap. XXVIII. Ubi vid. Salmas., p. 268. ORELL.

Ustrinæ. Glossæ : ***ustrina***, καύστρα νεκρῶν. Servius ad Æn. III, 22 : ***Apparatus mortuorum funus dici solet, extructio lignorum rogus, subjectio ignis pyra, crematio cadaveris bustum, locus ustrina.*** ELMENH. — *Ustrinat — Ubi combustus quis tantummodo, alibi vero est sepultus, is locus ab urendo ustrina vocatur.* Fest. v. ***Bustum.*** Quæ significatio hic apud Arnobium obtinet. NOURR. pag. 570.

Busticeta. Vide supra ad lib. I, cap. 41. ORELL.

Atque in sedem fabricata fœtorum. Meursius, pag. 207, legendum suspicatur : *atque in sedem fabricata pecorum.* Sed ipse mox retractat conjecturam hanc minime necessariam. ORELL.

XVI. — *Ex agnorum lanitiis. Lanitium* designat cum ipsam lanam, ut h. l., tum lanatum pecus, ut lib. I, cap. 11 : ***Numquid in culpa natura est, quod lanitiis extulit importunissimam belluam?*** Et cap. 21 : *Lanitia curent vestra numerosis fœtibus multiplicari.* Vid. Turneb., Adversar., lib. XV, cap. 21, et Taubmann., ad Virgil., Georg. III, 384. ORELL.

Mactaturque hoc illi. Vide ad lib. I, cap. 41. ORELL.

Ab omni vos labe puros, lautos, castissimosque præstatis. Etiam labe corporis. ***Purus*** et ***castus*** conjunguntur, proque re una et eadem sæpe usurpantur et quod ***castum*** dicitur appellatur alibi ***purum*** ; καὶ ἐξ ἀντιστρέφοντος. Et ***puri***, ***casti*** ac ***lauti.*** Quare et λελουμένοι sacrorum causa dicuntur etiam Græcis ἁγνοί. Ut igitur ***castos***, ***puros*** Latini copulant sic Græci ἁγνούς, καθαρούς. Hique idem sunt ***loti***, λελουμένοι, etc. HERALD. — Tangit Arnobius in verbis illis morem veterum, qui templa accessuri et vota facturi se lavabant. Insignis super eo locus apud Justinum martyrem, Apolog. II : Τὸ λουτρὸν δὴ τοῦτο ἀκούσαντες οἱ δαίμονες διὰ τοῦ προφήτου κεκηρυγμένον, ἐνήργησαν καὶ ῥαντίζειν ἑαυτοὺς τοὺς εἰς τὰ ἱερὰ αὐτῶν ἐπιβαίνοντας, καὶ προσιέναι αὐτοῖς μέλλοντας, λοιβὰς καὶ κνίσας ἀποτελοῦντες. Τέλεον δὲ καὶ λούεσθαι ἀπιόντας, πρὶν ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ἱερά, ἔνθεν ἵδρυνται, ἐνεργοῦσι. Apud Lactantium quoque lib. V, cap. 20 : *At illi infelices, nec ex sceleribus suis intelligunt, quam malum sit, quod colunt, quandoquidem flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum : et se pie sacrificasse opinantur, si autem laverint, tamquam libidines infra pectus inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent.* Et passim. MEURS., pag. 207, *seq.* Conf. Brisson. de Form. lib. I, p. 6 et 7. ELMENH.

Coinquinatius, ***infelicius***, ***spurcius.*** Meursius conj. : ***coinquinatius***, ***fœtidius***, ***spurcius.*** Sed recte Heraldus ***infelicius*** explicat *pejoris ominis.* ORELL.

Quam si ita facti sunt sui natura. Sic ediderunt ex emendatione Fulv. Ursini. Editio princeps habet : ***quam si ita facti sunt sensus natura.*** Quam lectionem,

amoribus habeant tam sæva, sintque illis in voluptate putores: quos neque ipsi sacrificantes ferre, nec ingenuæ sustinere tractos valeant per spiritum nares? Quod si animantium cruore honorari, et affici superiorum animos existimatis, cur non eis et mulos, et elephantos mactatis, et asinos? cur non et canes, ursos, et vulpes, et camelos, et belbas, et leones? et quoniam volucres bestiarum quoque in numeris ponitis, cur non vulturios, aquilas, ciconias, immussulos, buteones, corvos, accipitres, noctuas, cumque illis salamandras, natrices, viperas, solifugas? Nempe subest et his sanguis, et consimili ratione vitali agitantur spiritu? Quid in illis majoris est operis, aut solertiæ in his minus, ut ista non augeant, superorum illa amplificent dignitatem? Quia rebus ex his, A inquit, par est honorare cœlestes, quibus ipsi alimur, sustentamur, et vivimus, et quas nobis ad victum sui numinis tribuere benignitate dignati sunt. Sed et cuminum, nasturtium, rapa, bulbos, apium, carduos, radices, cucurbitas, rutam, mentam, ocimum, pulejum, porrumque sectivum, iidem tribuere dii vobis, esseque in usibus vestris alimoniarum in parte jusserunt. Quid ergo cessatis altaribus et hæc dare, rebusque his omnibus cunilam superspergere bubulam, et acrimonias intermiscere ceparum?

XVII. Ecce si vos canes, necesse est enim quædam fingi, perspici ut liquidius res possint, si, inquam, canes et asini, si motacillæ cum his simul, si hirundines garrulæ, pariterque cum his porci sensu aliquo humanitatis accepto, deos putarent atque existima-

COMMENTARIUS.

si e codice msto fluxit, temere eliminare nolim, *sensus*, scil. deorum. Orell.

Cur non eis et mulos et elephantos mactatis et asinos? Atqui immolabant mulos Romani in consualibus Conso deo sacris. Vide Plutarch. Problemat. XLVIII, ibique Boxhorn. *Asinis* litabatur Priapo, teste Ovid. Fast., lib. I, vers. 391. *Elephanti* etiam quandoque immolabantur. Vide Juvenal., sat. XII, vers. 111, et Jo. Saubert., de Sacrificiis, cap. 23, pag. 513, seqq. Orell.

Cur non et canes et ursos, et vulpes et camelos? « Certe canem immolatum fuisse Hecatæ in Samothracia, in sacris expiatoriis ap. Græcos, Romæ in Lupercis, mense Februario, qui a februando, id est purgando, est dictus, Genitæ Manæ, generationis præsidi deæ, et denique in lustrationibus, ex Lycophrone, Plutarcho, Plinio, Livio et aliis docuerunt Bochartus, lib. II, Hierozoic., cap. 56, et Reinesius, Var. Lect., lib. I, cap. 15. Quibus addi potest Suidas in vv. Ζηρυνθία, Ἀλλ' εἴ τις, Σαμοθράκη et Ἱππαρικὸν, necnon Ovidius, lib. I, Fast., vers. 389:

> Exta canum vidi Triviæ libare Sapæos,
> Et quicumque tuas accolit, Hæme, nives.

« Verum cum sacra illa non tam superos, quam inferos respiciant, Arnobius possit videri vera docuisse, maxime quia Plutarchus in Quæst. rom. scribit, veteres putasse hoc animal nullo modo purificasse, ac proinde Ὀλυμπίων οὐδενὶ θεῶν fuisse immolatum. Certe duodecim diis majoribus rarissime vel nusquam inveniemus apud Græcos et Romanos canem fuisse immolatum. » Hæc et plura alia Gisb. Cuperus, qui de hac re multus est in Harpocrate, p. 67, seqq. *Camelos* pingues et saginatos Arabes in ara Dei ignoti sacrificasse, docet Gyraldus, Synt. XVII, p. 493. Orell.

Et belbas. Sic edidi cum editore Lugd. Bat. Alii: *et belluas*, quod absolute positum proprie et κατ' ἐξοχὴν dicitur de elephantis. Vid. Græv. ad Flor., lib. II, cap. 6, p. 348, ed. Dukeri. Tamen hoc loco alienum est, cum elephantorum modo facta sit mentio. Scribendum itaque *belbas* vel *belvas* cum *l* simplici. Glossæ: ὕαινα, ζῶον, *bellua*. Scribe *belva* vel *belba*. Dicunt autem utrumque, *belbus* et *belba*, ut *merulus* et *merula*, *luscinius* et *luscinia*, *simius* et *simia*, *ferus* et *fera*. Julius Capitolinus in Gordian., c. 33: *Fuerunt Sub Gordiano Romæ elephanti* triginta et duo, *quorum ipse duodecim miserat*, *Alexander* decem, *alces* decem, *tigros* decem, *leones mansueti* sexaginta, *leopardi mansueti* triginta, *belbi* (*id est hyænæ*,) decem, etc., ubi vide Salmas., qui de hac v. multus est in Script. Hist. Aug., tom. II, p. 133, *benuas* vocat Clemens Romanus Recognit., lib. VIII, p. 124: *Sed ne, ut putant homines, viderentur hæc naturæ quodam ordine et non dispensatione fieri conditoris, pauca quæ-* B *dam ad indicium et documentum providentiæ suæ, mutato ordine, genus servare jussit in terris, verbi gratia, ut per os conciperet corvus, et per aurem mustela generaret; ut aves nonnullæ, sicut gallinæ, interdum ova vel vento, vel pulvere concepta parerent: alia quædam animalia marem vicibus alternis in fœminam verterent, et sexum per annos singulos commutarent, ut lepores et hianæ, quas benuas vocant.* Quem locum citavit Elmenhorstius. A *belbus* vel *belba*, *belva*, videntur fluxisse recentiorum linguarum vocabula lupum significantia, v. c. Anglosax. *hwelp*, *hwylp*, Franc. *welf*, Angl. *whelp*, Suec. *hwalp*, German. *Wolf*. Vide Wachter. Glossar. Germ. v. *Wolf*. De varia vocis scriptura, *belba*, *benua*, conf. Schneider. V. Cl. ad Aristotel. Hist. Animal. lib. VIII, c. 7, t. 2, p. 605. Orell.

Et leones. Tales enim a Maximino sacrificatos, tes- C tatur Jul. Capitolinus in ejus vita. Vide Saubert., de Sacrif., XXIII, p. 515. De ursis autem et vulpibus sacrificatis nihil compertum habemus. Orell.

Immussulos, buteones. Vide supra ad lib. II, cap. 59. Buteo Dianæ sacer, sed an etiam immolatus quandoque, non constat. Orell.

Solifugas. Vide ad lib. II, cap. 23. Orell.

Carduos. Sativos scil. *Artischoken*. Vide ad lib. II, cap. 23. Orell.

Radices. Ita κατ' ἐξοχὴν dicitur raphanus. Rettig. Vid. Schneider. Lex. Rei rust. Orell.

Ocimum. Herba odoris acris, quam et βασίλειον Græci dixerunt. Vide Casaubon. ad Pers. Sat. IV, 22; Gesner. et Schneider., ad Varron., de Re rust., lib. I, cap. 31, et in Lexico rustico, h. v. Orell.

Porrum sectivum. Id est porrum, quod in culinæ usum secatur. (Schnittlattich.) Juvenal., sat. XIV, 133:

> Filaque sectivi numerata includere porri.

Vide sis Plinium, Hist. nat., lib. XIX, cap. 6. et Co- D lumell., de Re rust., lib. I, cap. 3, et, quid porrum sectivum a capitato differat, intelligas. Noua., pag. 561.

Iidem. Ita Gelenius, rectissime. Editio rom: *idem*. Orell.

Rebusque his omnibus cunilam superspergere bubulam. *Cunila bubula*, id est origanum sylvestre, *bubula* dicta, quod boves a scabie sanos præstaret. Vide Bodæus a Stapel ad Theophrast. Hist. Plant., lib. VI, cap. 2, p. 564; Schneider, V. C. ad Columell., lib. VI, c. 31, p. 355; et in Lexico rust. Ast. ad Theophrast., charact. 10, pag. 115, et præ cæteris Salmas. ad Solin., cap. 56, p. 900, seq. qui de hac planta multus est. Nostri appellant *Wohlgemuth*. Orell.

XVII. — *Si hirundines garrulæ.* Virgilius Georg., IV, 307:

> ....Ante
> Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.

Græcorum proverbium est: χελιδόνος λαλίστερος. Herald.

rent vos esse: sacraque vobis intenderent honoris ergo facere, non ex materiis aliis, aliisque de rebus, sed quibus ali moris est illis, et naturali appositione fulciri: audire a vobis exposcimus, utrumne hunc honorem, an contumeliam potius esse judicaretis amplissimam: cum hirundines vobis muscas, motacillæ cæderent consecrarentque formiculas: cum altaribus vestris darent asini fœnum, paleasque libarent: cum imponerent canes ossa, et humani stercoris proluviem concremarent: cum ad ultimum porculi cœnum vobis profunderent ex volutabris horrentibus, lutosis et voraginibus sumptum? Ita ergo non despui vestras inflammaremini dignitates, stercoribusque vos accipi inter atroces computaretis injurias? Sed taurorum corporibus honoratis vos deos, et aliorum animantium cædibus: et quid hoc ab illo differt, cum et ipsa si nondum, mox tamen futura sunt stercora, et exigui temporis contracta interjectione putescant? Denique desinite supponere aris ignem, jam profecto cernetis viscera illa taurorum sacra, quibus honor a vobis auctificatur deorum, fervescere vermibus et fluctuare, vitiare et corrumpere statum cœli, et ex odoribus morbidis regiones consauciare vicinas: quæ A si vobis præcipiant dii curam in vestram, in valetudinem vertere; prandia inde, vel cœnas solemni ex more conficere, longe fugiatis, execratique odoris genus veniam poscatis a superis, facturosque vos eis numquam talia sacra juretis. Ita istud non ludere est, non confiteri, non pandere, quid sit deus nescire, nec cui potentiæ debeat nominis hujus vis subdi, appellatioque supponi? Cibis novis auctificatis deos, nidoribus cohonestatis et succis: et qnia vobis jucunda et grata sunt ea, quæ vos alunt, deos etiam creditis in eorum affluere voluptates, latratorum et canum ritu ossis sævitias ponere, atque alludere porrigentibus sæpius?

XVIII. Et quoniam nobis in manibus hostiarum sermo versatur: quæ causa, quæ ratio est, ut cum B dii immortales, sint enim et per nos licet, quicumque esse creduntur, sint unius sententiæ, vel unius debeant esse naturæ, generis, et qualitatis unius, non omnibus omnes hostiis, sed quibusdam quidam sacrorum mulceantur legibus[a]? Quæ est enim causa, requiram, ut eadem rursus ut ille tauris deus, hædis alius honoretur, aut ovibus: hic lactentibus porculis, alter intonsis agnis: hic virginibus buculis, capris

LECTIONES VARIANTES.

[a] E legibus *ms.*

COMMENTARIUS.

Sacraque vobis intenderent honoris ergo facere. Sic emendavit acutissimus Guilielmus (in Quæst. Plautin. in Curcul. cap. v. in Lampade Gruteri, tom. III, parte II, pag. 367), lectionem veterem corruptissimam: *Sacraque vobis intenderent honores ergo facerent. Honoreis*, inquit ille, Arnobius hic quoque scripserat gignendi casu, quod inscientes librarii accusandi acceperunt, ideoque immutarunt, ut convenirent cætera. Nihil usitatius hac formula: *honoris ergo sacra facere*, non item: *sacra intendere, honores facere*, quæ ne Latina quidem. Cato in Libro de Re rust. Jano ait: *Ejusdem rei ergo macte vino inferio esto*; et noster infra ait: *Honoris ergo Dis vinum dare.* STEWECH.

Naturali appositione. Fulv. Ursinus: *naturali appetitione.* ORELL.

Cæderent. Ita ed. Lugd. Bat. Gelenius: *cederent.* O.

Cum altaribus vestris darent asini fœnum paleasqae libarent. Proprium asinorum pabulum. Unde Philemon in Excerptis Athenæi: ὄνος βαδίζεις εἰς ἄχυρα τραγημάτων, de lurcone, qui non magis verberibus absterreri potest a bellariis, quam asinus a paleis et pastu. Nam proverbium erat apud Græcos: ὄνος εἰς ἀχυρῶνας ἀπέδρα. HERALD.

Stercoribusque vos accipi inter atroces computaretis injurias. Juriscons. l. 1. Digest. de extraord. crim.: *Fit injuria contra bonos mores, veluti, si quis fimo corrupto aliquem perfuderit.* Adde l. XXVII, § 17. D. ad leg. Aquil. Sic populi Romani, legatos a Tarentinis lotio respersos *per obscœnam turpemque dictu contumeliam* dicit Florus. Atque hæc contumelia malis ingentibus postea fuit expiata. Eamdem Achaici belli, quo urbs nobilissima et florentissima Corinthus eversa est, causam fuisse scribit Strabo. HERALD. Conf. Valer. Max., lib. II, cap. 2; Livius, lib. XII; Dionysius Halicarn., in excerpt. de Legat., p. 21. ELMENH. De verbo *accipere* vide supra ad lib. III, cap. 15, et C. Barth., Advers., lib. XIX, cap. 15. ORELL.

Putescant. Ita ms. Sabæus et Salmasius. Gelenius et alii: *putrescant.* Sed, ut bene observat Stewechius, *putesco* est inchoativum a *puteo.* Vide supra ad lib. V, cap. 12. ORELL.

Cernetis. Alii: *cernitis.* ORELL.

Auctificari. Auctificare vel, ut Nonius habet, *augificare*, i. q. augere, verbum antiquum et obsoletum. Ennius Andromeda: *Quid sit? Seditio tabetne, an nume-* C *ros augificat suos*? Et *auctificus* apud Lucret., II, 571:

> Nec porro rerum genitales auctificique
> Motus perpetuo possunt servare creata. NOURR., p. 531.

Quæ si vobis præcipiant dii curam in vestram, in valetudinem vertere. Hæc est emendatio Salmasii egregia, et ut mihi quidem videtur unice vera. Antiqua lectio est: *quam si vobis præcipiant dii curam, vestram in valetudinem vertere*, sed v. *curam* in præcedentibus non habet, ad quod referatur: optime contra *quæ*, id est, viscera illa vitiata. Fulv. Ursinus corrigit: *quam si nobis præcipiant dii culturam vestram in voluptatem vertere*: audacius, quam verius. ORELL.

Nidoribus cohonestatis et succis. Meursius, pag. 208, legendum suspicatur: *nidoribus cohonestatis et fumis*, cum antea dixerit Arnobius: *aut ex aris ardentibus consectatur et fumos.* At nil mutandum. *Succi* sunt vapores carnium tostarum. ORELL.

Ea quæ vos alunt. Ita Meursius et reliqui eum secuti. Antea edebatur: *eaque vos alunt*, quod retinuit D etiam Oberthürius, male. ORELL.

Alludere porrigentibus sæpius. Alludere est adblandiri blanditiis captare, προσπαίζειν, et de canibus σαίνειν Homer., Odyss. K. 216 sq.:

> Ἀμφὶ ἄνακτα κύνες..... σαίνωσ'.

quod Scholia interpretantur κολακεύωσιν. Nost. *wedeln.* Ita Lactantius, Inst., lib. III, cap. 10: *Summum igitur bonum hominis in sola religione est. Nam cætera, etiam quæ putantur homini esse propria, in cæteris quoque animalibus reperiuntur. Cum enim suas voces propriis inter se notis discernunt atque dignoscunt, colloqui videntur; ridendi quoque ratio apparet in his aliqua, cum demulsis auribus, contractoque rictu, et oculis in lasciviam resolutis aut homini adludunt, aut suis quisque conjugibus aut fœtibus propriis.* ubi vid. Bünemann., pag. 319. et 1021. ORELL.

XVIII. — *Ut ille tauris deus. Deus* h. l. collective de diis et deabus. ORELL.

Hic virginibus buculis. Ita Fulvius Ursinus. Editio princeps: *bubulis.* Stewechius scribendum censet *vitulis*, cum Arnobius infra cap. 22, dicat: *Minervæ*

ille cornutis : hic sterilibus vacculis, at ille incientibus scrofis : hic albentibus, ille tetris, alter feminei generis, alter vero animantibus masculinis? Si enim honoris et reverentiæ causa mactantur diis hostiæ, quid refert aut interest, cujus animalis e capite luatur hoc debitum, cujus ira offensioque ponatur? An numquid alterius alteri minus gratior et jucundior sanguis est? alter vero alterius voluptatem infundit et gaudium? aut, ut fieri moris est, observationis alicujus et religionis metu ille caprina abstinet se carne, porcinum alius execratur attactum, huic ovilia fœtulenta sunt viscera; ac, ne stomachum fatiget invalidum, hic bubulam duritiem vitat, et lactentium lenitatem, quo digerat expeditius, sumit?

XIX. Sed erras, inquit, et laberis : nam diis feminis feminas, mares maribus hostias immolare, abstrusa et interior ratio est, vulgique a cognitione dimota. Non inquiro, non exigo, quid sacrorum præcipiant, vel quid contineant leges; sed si vicerit ratio, atque obtinuerit veritas, differentiam generum nullam in diis esse, neque ullis sexibus eos esse A discretos : nonne solvi necesse est rationes has omnes, et stultissimis creditas opinationibus comprobari, inveniri? Sapientium virorum non advocabo sententias, qui risum nequeunt continere, cum discrimina sexuum diis audiunt immortalibus attributa : unoquoque ab hominum quæro, an ipse apud se credat, sibique ipse persuadeat, distinctum esse deorum genus, mares ac feminas hos esse, et ad generandos fœtus convenientium membrorum dispositione formatos? Sed si sexibus sexus pares, id est feminas feminis, mares autem hostias diis maribus immolari sacrificiorum jura præscribant[a] : quæ in coloribus ratio est, ut merito his albas, illis tetras conveniat nigerrimasque mactari? Quia superis diis, inquit, atque ominum dexteritate pollentibus color B lætus acceptus est, ac felix hilaritate candoris. At vero diis lævis, sedesque habitantibus inferas color furvus est gratior, et tristibus suffectus e fucis. Sed si rursus obtinuerit ratio, inferorum penitus cassum esse nomen et vacuum, neque ulla sub terris regna esse domiciliaque Plutonia, opinionem necesse est id

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Fulv. Sab.* Perscribunt.

COMMENTARIUS.

virgini virgo cæditur vitula, nullis unquam stimulis, nullius operis exercitata contacta. Orell.

Incientibusscrophis. Egregia hæc emendatio et lectio unice vera debetur Fulv. Ursino et Scriverio ap. Meursium. *Incientes scrophæ* sunt parturientes. Infra cap. 22. : *Telluri, inquiunt, matri scropha inciens immolatur et forda.* Festus in *gravida* : *inciens propinqua* C *partui, quod incitatus sit fœtus ejus.* Conf. Schneider. V. Cl. ad Varron., de Re rust., lib. II, cap. 2, pag. 408, et Lex. Rust. h. v. Editio princeps habet : *ingentibus scrophis.* Orell.

Ille tetris. Ita ms. bene. Sic paulo post cap. 20 : *Cur non omnia cætera, quæ illorum inferre sacrificii: moris est, sint nigra et fumigata tetreque ut colorata, curatis?* Alii : *ille atris.* Meurs.

An numquid alterius alteri minus gratior et jucundior sanguis est. Secutus sum emendationem hanc Gelenii verissimam. Alii : *an numquid alterius alteri animalis gratior et jucundior sanguis est*, quod cum sequentibus verbis, *alteri vero alterius voluptatem infundit*, etc., meram efficeret tautologiam. *Animalis*, quod rectissime aberat in codice ms., addidit Fulvius Ursinus. Orell.

Minus gratior. Particulæ *magis* et *minus* redundant sæpissime apud hos scriptores. Sic lib. I, cap. 19 : *ratio magis fortior*, et lib. IV : *magis ignominiosus.* Zeno D veronensis sermone I, de Psalmo CXXX : *Deus noster, Fratres, humilis corde est; et ineffabilis vis illa sapientiæ, ac virtutis potestas intra hominem susceptum jacet magis admirabilior, quia tantus est et talis.* Et sermone de Pudicitia : *Si ergo exultat gloria ejus sæpe in gentibus, quanto magis debet esse gloriosior in populo Christiano?* Sed exempla hujus pleonasmi apud veteres non infrequentia. Plautus in Sticho (Act. V. Scen. IV, vers. 21) : *Immo enim hic magis est dulcius*; et sæpius. Apud Græcos μᾶλλον sæpissime πλεονάζει hoc modo : ut μᾶλλον ὀλβιώτερος apud Aristophanem et similia. Herald. — Plura exempla affert Vechnerus in Hellenolex, pag. 166 seq. Sic *minus* abundat ap. Florum, lib. IV, cap. 2, § 47 : *Nec minus admirabilior hujus exitus belli.* ubi vid. Duker. et Freinshem. in Ind. et Mercer. ad Nonium Marcellum, pag. 88. Orell.

Observationis alicujus aut religionis metu ille caprina abstinet se carne. Spartianus in Didio Juliano : *Nam Julianus tantæ parcimoniæ fuisse perhibetur, ut per triduum porcellum, per triduum leporem divideret, si quis ei forte misisset, sæpe autem nulla existente religione, oleribus leguminibusque contentus, sine carne cœnaverit.* Proprie ergo hic *religio.* De *observatione* dicebamus ad lib. I (cap. XLIII). Herald.

XIX. — *Si vicerit ratio.* Ita ms. Sabæus : *jusserit.* Fulv. Ursinus : *evicerit.* Orell.

Comprobari, inveniri. Fulv. Ursinus pro *inveniri* mavult *iniri.* Orell.

Quæ in coloribus ratio est, ut merito his albas, illis atras conveniat nigerrimasque mactari. Aperte distinguit hostias *nigras, atras, albas, candidas.* Servius ad Virgil. Æn. III, 118 : *Ratio enim victimarum sit pro qualitate numinum. Nam aut hæ immolantur, quæ obsunt eorum muneribus, ut porcus Cereri, quia obest frugibus : hircus Libero, quia vitibus nocet : aut certe a similitudine, ut inferis nigras pecudes, superis albas immolent : item tempestatis atras, candidas serenitati.* Quare C. Barthius ad Stat. Theb., IV, 445, tom. II, pag. 1086, legendum suspicatur : *his albas, illis atras conveniat nigrasque aliis mactare.* Attamen equidem non ausim mutare lectionem vulgatam, cum Arnobio familiare sit talia congerere idem significantia, et paulo post cap. seq. legamus : *Ut tetræ his hostiæ nigerrimique admoveantur coloris.* Orell.

Atque ominum dexteritate pollentibus. Docuerunt pridem eruditi homines (Meursius, Grotius, Canterus), ita esse scribendum pro : *atque hominum* etc. Herald. — A superis enim fausta omina ac prospera, hoc est *dextra*, sumebant : inferos et manes rebus infaustis et lævis præsidere credebant. Porro quid omen ab augurio distet, docemur a Festo : *Omen velut oremen, quod fit ore; augurium, quod avibus, aliove modo fit.* De hostiis atris adeundus Macrobius Saturn. lib. III, cap. 4, et Festus in voce *furvum.* Stewech.

Diis lævis. Vide supra ad lib. IV, cap. 5. Conf. A. Gell., lib. V, cap. 12. Orell.

Color furvus. Valerius Max., lib. II, cap. 4,5 : *Hostiæ nigræ antiquitus furvæ dicebantur.* Perpetuum epitheton rerum inferarum. Vid. Bronkhuf., ad Propert., lib. IV, Eleg. I, 5, pag. 477, et Mitscherlich., ad Horat., lib. II, Od. XIII, 17. Orell.

Neque ulla sub terris regna esse domiciliaque Plutonia, Juvenalis Sat. II, vs. 149 :

Esse aliquos manes et subterranea regna,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur. Elmenh.

quoque frustrari, quam super atris pecudibus habetis, divisque subterreis. Quod si inferi nulli sunt, deos etiam Manium necesse est esse nullos. Fieri enim qui potest, ut cum loca sint nulla, eorum, quæ non sunt, ulli perhibeantur esse cultores?

XX. Sed assentiamur, ut vultis, et esse inferos, et esse manes, et habitare nescio quos in his deos hominibus minus faustos, et tristioribus præpositos rebus; et quæ causa, quæ ratio est, ut tetræ his hostiæ, nigerrimique admoveantur coloris? quia nigra nigris conveniunt, et tristia consimilibus grata sunt. Quid ergo? non videtis, ut vobiscum et nos stolide similiterque laudamus, albas esse hostiarum carnes, ossa, dentes, pinguitias, omenta cum cerebris, mollesque in ossibus medullas? Sed vellera nigra sunt, B nigræque animantium setæ. Solas ergo immolate diis lanas, vulsasque ex hostiis setulas, relinquite infelicissimas pecudes spoliatas licet ac tonsas, cœli [a] animam ducere, et pastibus innocentissimas incubare. Quod si grata numinibus inferis ea, quæ sunt nigra, furvique existimatis [b] coloris; cur non omnia cætera, quæ illorum inferre sacrificiis moris est, sint nigra et fumigata, tetreque ut colorata curatis? Inficite thura, si dantur: salsas fruges, atque universa libamina, lacti, oleo, sanguini, hic ponat ut purpureum colorem, illa ut sint lurida, fuliginem infundite cum favillis. Quod si vobis religio nulla est, alba quædam C ferre, et suos retinentia candores: ipsi vestras religiones rationesque dissolvitis, cum sacrorum in opere nihil unum, perpetuumque servatis.

XXI. Sed et illud hoc loco consentaneum est ex vobis addiscere [c]: si caper cædatur Jovi, quem patri solemne est Libero, Mercurio mactari: aut bos si sterilis Unxiæ, quam Proserpinæ tribuitis, quo ritu atque observatione præcipitur: quid facinoris in hoc erit, quid malorum, scelerisve contractum; cum nihil intersit obsequii, cujus animalis e capite honorarium istud debitum compleatur? Confundi hæc, inquit, fas non est nec piaculi parvi est, officia rituum procurationemque miscere. Causam oro edissere. Quia generis certi hostias certis jus est consecrare numinibus, certaque est supplicamenta præstari. Et quæ iterum causa est, ut generis certi hostias certis jus sit consecrare numinibus, certaque et supplicamenta præstari? et hoc enim jus ipsum debet habere suam causam, certisque ab rationibus exoriri, duci. Antiquitatem, consuetudinemque dicturus es? Hominum mihi scita pronuntias, et cæci animalis inventa. Ego autem, cum postulo causam mihi depromi, audire desidero, aut cœlo aliquid lapsum, aut quod magis res poscit, quid applicitum Jupiter ad tauri habeat sanguinem, ut ei debeat immolari, non debeat Mercurio, Libero? Aut natura quæ capri est, ut his rursus accommoda, Jovialibus conveniens sacrificiis non sit? Animalium

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cœlo *Meurs.*
[b] Nigri furvique æstimatis *Fulv.*
[c] Discere *ms.*

COMMENTARIUS.

XX. — *Nigerrimique admoveantur coloris.* Ita Meursius et cæteri eum secuti. Ante edebatur: *colores.* Orell.

Quid ergo? non videtis. Stewechius interpungit: *Quid? Ergo non videtis.* Orell.

Pastibus incubare. Pastus h. l. pro ipsis pascuis, ut apud Tacit. Annal., lib. IV, cap. 25: *Præpeditis Numidarum equis, aut diversos pastus pererrantibus*: et Solin. cap. 29: *Si recta ad pastus ora dirigunt.* Oudendorp., ad Apulei., lib. v, pag. 353.

Tetreque ut colorata. Sic egregie emendavit Salmasius. Antea: *tetraque et colorata.* Orell.

Illa ut sint lurida, fuliginem infundite cum favillis. Meursius *lurida* mutat in *furva*, pessime. Nam *luridus* proprius color cadaverum putrescentium optime D opponitur sanorum sanguini purpureo. Orell.

Quod si vobis religio nulla est alba quædam ferre. Ita ms. Qui legi volunt *inferre* (Fulvius Ursinus et Stewechius), falluntur. Usi enim sunt simplici *ferre* hac in re optimi scriptores. Sic *thura ferre* ap. Ovid. de Ponto lib. I, epist. V:

> Thuraque Cæsaribus cum conjuge Cæsare digna
> Dis veris memini debita ferre manu.

et lib. II, epist. IX:

> Irrita Neptuno cur ego thura feram?

Lib. III, eleg. I:

> Thura fer ad magnos vinaque pura deos.

Lib. IV, eleg. VIII:

> Denique thura feram rapidis solemnia flammis.

Sic *preces ferre.* Virgilius, Æn. VIII, 60:

> Junoni fer rite preces; irasque minasque
> Supplicibus supera votis.

ubi Servius: *Sic fer preces, quemadmodum sacra ferri dicimus.* Herald.

XXI. — *Quem patri solemne est Libero, Mercurio mactari* Ita ed. Lugd. Bat. e ms. Non necessaria itaque Gelenii correctio: *Mercurioque.* Nam Arnobium nostrum amare omittere copulam jam aliquoties observavimus. De capris Libero mactatis res notissima. Sed Mercurio etiam κατ' ἐξοχὴν sacratos apud alios legisse non memini. Orell.

Unxiæ. Vide supra ad lib. III, cap. 25. Orell.

Honorarium istud debitum. Lib IV: *Si quando res sacras ceremoniarum conficitis debitis.* Elmenh.

Officia rituum procurationemque miscere. Meo animo rectius futurum est *procurationumque.* Neque enim eadem semper et ubique *procuratio*, id est expiatio: neque in unum solum finem. Verba senatusconsulti romani sunt apud Agellium: *Consul hostiis majoribus Jovi et Marti procuraret.* Lib. IV, Noctium, cap. 6, ubi vide plura. Perinde *procurationem fulminis* pro expiatione constituit Arnobius sæpe in uno libro V, et inibi illius expiandi ritum publicat. Stewech. — Cum Stewechio consentit etiam Meursius. Orell.

Certaque est supplicamenta præstari. Ita ed. Lugd. Bat. ex ms. bene, nam abundanter ponit Arnobius non solum particulas, sed etiam verbum auxiliare. Alii: *Certa et supplicamenta.* Meursius: *certaque supplicamenta præstari.* Orell.

Aut cœlo aliquid lapsum. Id est verissimum, et de quo nullus ambigere amplius possit. Lib. I: *Neque enim de cœlo aliquis deus lapsus est, aut suis res vestras commentatus est manibus.* Lactantius, libro III, cap 19: *Non enim descendit aliquis de cœlo, qui sententiam de singulorum opinionibus ferat.* Elmenh.

facta est inter deos divisio, transactionis alicujus pactione convenit, ut ille contineret ab hujus se hostia? hic ut usurpare desineret alieni sanguinis jura? an, ut zelotypi pusiones, communicare gustatum suarum pecudum nolunt? aut, ut gentibus fieri moris diversissimi fama est, quæ habentur his esui, aliarum eadem rejiciuntur ab victibus?

XXII. Ergo si hæc cassa sunt, nec rationis alicujus habentia firmitatem, sacrificiorum et ipsa inanis est ratio. Etenim qui potis est habere idoneam id, quod sequitur, causam, cum ipsum illud primum, a quo defluit secundum, inanissimum esse reperiatur et vacuum, et nulla soliditate firmatum? Telluri, inquiunt, matri scrofa inciens immolatur et fœta, at Minervæ virgini virgo cæditur vitula, nullis umquam stimulis, nullius operis exercitata conatu. Atquin nos arbitramur, nec virginem virgini oportuisse mactari, ne virginitas violaretur in pecude, qua dea plurimum pollet: nec Telluri gravidas atque fœtas ob honorem fœcunditatis ipsius, quam cuncti expetimus et optamus inextinguibili semper virginitate procedere. Nam si, quia virgo Tritonia est, idcirco ei convenit virgines hostias immolari: et quod Tellus est mater, consimiliter gravidis accipienda est scrofis; ergo et musicis Apollo, quod musicus: et quod medicus Æsculapius, medicis: et quod faber Vulcanus est, fabris: et quod Mercurius eloquens, eloquentibus debet disertissimisque mactari. Quod si dicere istud insanum est, aut, ut mediocriter pronuntiem, brutum: multo illud majoris amentiæ est fœtas jugulare Telluri, quod sit fœtibus gravior: Minervæ castas et virgines, quod, sit pura, virginitatis intactæ.

XXIII. Nam quod dici a vobis accipimus, esse quosdam ex diis bonos, alios autem malos, et ad nocendi libidinem promptiores: illisque ut prosint, his verone noceant, sacrorum solemnia ministrari: quanam istud ratione dicatur, intelligere confitemur non posse [a]. Nam deos benignissimos dicere, lenesque habere naturas, et sanctum, et religiosum, et verum est: malos autem et lævos, nequaquam sumendum est auribus, ideo quoniam divina illa vis ab nocendi procul est dimota et disjuncta natura. Quidquid autem potis est causam calamitatis inferre, quid sit primum videndum est, et ab dei nomine longissima debet differitate seponi. Itaque ut vobis commodemus assensum, dextrarum sinistrarumque rerum deos esse fautores: ulla nec sic ratio est cur alios alliciatis ad prospera, alios vero, ne noceant, sacrificiis, commulceatis et præmiis. Primum, quod dii boni male non queant facere, etiam si nullo fuerint honore mactati: quidquid enim mite est placidumque natura, ab nocendi procul est usu et cogitatione discretum: malus vero comprimere suam ferociam nescit, quamvis gregibus mille, et mille alliciatur altaribus: neque enim in dulcedinem vertere amaritudo se potest: aut ariditas in humorem, calor ignis in frigora: aut quod rei cuicumque contrarium est, id quod sibi contrarium est, in suam sumere, atque immutare naturam. Ut si manu viperam mulceas, venenato blandiaris aut scorpio: petat illa te morsu, hic contractus aculeum figat: nihilque illa prosit allusio, cum ad nocendum res ambæ non

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nos non posse. *ms. Bene*. Meurs.

COMMENTARIUS.

Transactionis. Transactio vocabulum forense de conventione, qua a lite jam mota vel movenda, aliquo dato, retento promisso receditur: *ein Gütlicher Vergleich*. Vid. Brisson., de Verb. Sign., hoc verbo et Heinecc. Antiquitt. Rom. ad Instit., lib. VI, tit. VI, tom. II, p. 217, seq. ORELL.

Pactione convenit, ut, etc. Ita ed. Lugd. Bat. Alii distinguunt: *pactione? Convenit, ut*, etc. ORELL.

Hic ut usurpare desineret alieni sanguinis jura. Ita Gelenius, probante Heraldo in Curis II. Alii *desideret*. ORELL.

XXII. — *Sacrificiorum et ipsa inanis est ratio*. Codex ms. habet *datio*, quod probat Stewechius. ORELL.

Etenim qui potis est. Ita ms. Alii: *pote est*. MEURS.

Telluri, inquiunt, matri scrofa inciens immolatur et fœta. Ita Salmasius et Vossius l. V. Instit. Orat. c. 2, Sect. 4. Alii omittunt *et*. ms.: *ut fœta*. Meursius in Appendice: *ut fœtæ*. Ant. Augustinus ad Fest. v. *plena sue* legendum suspicatur: *Scrofa inciens immolatur et forda*, scil. bos. Ovidius Fast., IV, 631:

Forda ferens bos est fecundaque dictaferendo.

Cæterum causam, cur scrofa immolabatur Telluri, explicat Festus l. I: *Plena sue Telluri matri sacrificabatur, quod pecudis id genus, cum seritur, satis inimicum, quia rostro semen fodiendo corrumperet*. Pro *inciens*, quod debetur Fulv. Ursino, ms., Sabæus et Gelenius habent *ingens*, quod defendit Heraldus loco Virgilii Eclog. I, 50:

Non insueta graves tentabunt pabula fœtas.

Ubi Servius explicat *fœtas et gravidas et partu liberatas*, sed male. Vide supra, ad c. 18. ORELL.

Gravidas atque fœtas. Antonius Augustinus: *gravidas atque fordas*. Vide notam præcedentem. ORELL.

Quam cuncti expetimus. Ita ed. Lugd. Bat. e ms. Alii: *quoniam cuncti expetimus*. ORELL.

Consimiliter gravidis accipienda est scrophis. Vide supra ad l. III, c. 15. ORELL.

Virginitatis intactæ. Id est, *integræ virginitatis*. Euripidi virgines intactæ sunt ἄζυγες κοῦραι. ELMENH. — Fulv. Ursinus conj.: *Et virginitatis intactæ*. ORELL.

XXIII. — *Placidumque natura, ab nocendi procul est usu*. Sic e codice ms. restituit Canterus. Alii omittunt *ab*. ORELL.

Hic contractus aculeum figat. Hæc est verissima lectio, quam Gelenius temere mutaverat. Scripserat enim *contactus*. At Fulv. Ursinus vocem istam prorsus tollendam existimat. Falluntur omnes egregie. Sane contractus scorpius aculeum figit. Graphice Tertullianus in Scorpiaco: *Proinde scorpii series illa nodorum venenata intrinsecus venula subtilis, arcuato impetu insurgens, hamatile spiculum in summo tormenti ratione restringens. Unde et bellicam machinam retractu tela vegetantem de scorpio nominant*. HERALD.

Nihilque illa prosit allusio. Qua alludebat scilicet et adulabatur feris illis bestiis. Tractum a canibus. Supra (c. 18): *Latratorum et canum ritu offis sævitias ponere, atque alludere porrigentibus sæpius*. Quod igitur dixerat antea *manu mulcere* et *blandiri*, *allusionis* vocabulo nunc significat. *Mulcere* est πράως ἅπτεσθαι, ut inter-

stimulis exagitantur irarum, sed quadam proprietate naturæ. Ita nihil prodest promereri velle per hostias deos lævos, cum sive illud feceris, sive contra non feceris, agant suam naturam, et ad ea, quæ facti sunt, ingenitis legibus, et quadam necessitate ducantur. Quid quod isto modo utrique dii desinunt esse suis in viribus, et suis in qualitatibus permanere. Nam si bonis ut prosint, res divina conficitur, aliis autem, ne noceant, iisdem rationibus supplicatur : sequitur, ut intelligi debeat, nihil dexteros profuturos, nulla si acceperint munera : malos autem si acceperint, nocendi posituros mentem, fierique ex hoc bonos : atque ita perducitur res eo, ut neque A hi dexteri, neque illi sint lævi, aut quod fieri non potest utrique ipsi sint dexteri, et utrique iterum lævi.

XXIV. Esto, concedatur infelicissimas pecudes non sine aliquo religionis officio divorum apud templa mactari, et quod ex usu consuetudinis factum est, rationis alicujus causam aliquam continere : sed si magnificum videtur, atque amplum, jugulare diis tauros, si illibata, si solida concremari animantium viscera, quid sibi reliqua hæc volunt magorum cohærentia disciplinis, quæ in sacrorum reconditis legibus pontificalia restituere mysteria, et rebus inseruere divinis? Quid inquam, sibi hæc volunt, apexanes, hirciæ, silicernia, longavi? quæ sunt no-

COMMENTARIUS.

pretatur in Camillo Plutarchus. Unde et *multare* dictum; nempe mollire aliquem pugnis aut fustibus, quomodo ludunt Comici. Quare falluntur, qui *mulcare* scribendum putant. Sic enim a supino *mulsum* fit *multo*, ut a *confusum* fit *confuto*, et similia. HERALD.

Cum ad nocendum res ambæ non stimulis exagitantur irarum. Hæc est lectio vetus, quam in cæteris editionibus mutarunt, et *exagitentur* ediderunt. Sane particula ista hunc sibi modum quandoque assumpsit. Lucretius, l. VI, 129 :

Nec mirum, cum plena animæ vesicula parva
Sæpe ita dat pariter sonitum displosa repente.

M. Tullius pro Quinctio : *Quod cum ita est, ex edicto bona possessa non sunt.* Tertullianus Apologet. c. IX : *Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverabat.* Τῶν ἀλλοτρίων μηδὲν φειδόμενος διετέλει. Hellenismus est. Idem c. XXII : *Cum ergo utraque pars concurrit in confessionem deos* C *esse negans, agnoscite unum genus esse*, etc. His omnibus locis *cum* est quoniam. Nihil igitur mutandum est hoc ejusdem scriptoris loco Apologet. c. II : *Cum igitur in omnibus nos aliter disponitis.* Ἡμᾶς ἄλλως διατίθεσθε. Neque reformandus igitur hic ejusdem Tertulliani locus l. de patientia, c. X : *Ego rubori locum non facio, cum plus de detrimento ejus acquiro : cum ipse hominem quodammodo exhortatur, ne me respexeris dicens.* HERALD.

Stimulis exagitantur irarum. Virgilius Æn. XI, 452 :

Arrectæ stimulis haud mollibus iræ.

Et 728 :

Stimulis haud mollibus incitat iras. HERALD.

Itaque nihil prodest promereri velle per hostias deos. Ita Lactantius, l. VI, c. 19 fin. : *Huic* Deo *pareamus, huic devotissime serviamus, in eo promerendo actus omnis et cura et opera collocetur.* Ubi vid. Bunemann. D qui de hoc verbo multus est, p. 743. ORELL.

Et ad ea quæ facti sunt. Πρὸς ἃ ἐγενήθησαν, πρὸς ἃ ἔφυσαν. Nam idcirco dixit *agant suam naturam*. Hellenismus igitur est et nihil mutandum. HERALD. — Canterus legendum suspicatur : *ad ea quæ facti sunt*, quod equidem longe præfero. Nam durissima est constructio *ad ea quæ facti sunt* pro *ad ea, ad quæ facti sunt*, neque aliud simile exemplum in nostro auctore reperisse memini. ORELL.

XXIV. — *Sed si magnificum videtur atque amplum.* Id est, μεγαλοπρεπὲς καὶ μεγαλόψυχον. Sallustius Conjur. Catil. : *In suppliciis deorum magnifici, domi parci.* Atque in hoc deorum honore magnificentiam suam enitescere præcipue debere existimabant. Aristoteles, l. VI. Nicomach. : Καὶ ἔστιν ἀρετὴ ἔργου, μεγαλοπρέπεια ἐν μεγέθει· ἔστι δὲ τῶν δαπανημάτων, οἷα λέγομεν τὰ τίμια, οἷον τὰ περὶ τοὺς θεοὺς ἀναθήματα, καὶ κατασκευαὶ καὶ θυσίαι. HERALD.

Si illibata, si solida concremari animantium viscera. B *Illibata, solida viscera* sunt integra, quibus nihil detractum est ὁλόκαυστα. Opp. *proficiæ*, θυμάτων ἀπαρχαί. Vid. Taubmann. ad Virgil., Æn. VI, p. 502; Salmas., ad Solin. p. 90, et P. Colv., ad Apulei. Met., lib. X, pag. 707, ed. Oudendorp. *Viscera*, carnes, proprie quidquid inter ossa et cutem est, quod notissimum. ORELL.

Quid sibi reliqua hæc volunt magorum cohærentia disciplinis. Reliqua hæc, scil. proficiæ variaque farciminum et liborum genera, quæ diis solebant offerri et in ara comburi. *Magorum disciplinis cohærere* dicit Arnobius, qui non solida et illibata taurorum viscera diis concremabant, sed omentorum tantum partem et proficias. At viri docti (Heraldus), ita verba Arnobii accipiunt, quasi proficiarum illa vocabula, quæ in sequentibus enarrantur, tenebrosa et barbara essent, qualia erant ea, quibus Magi utebantur. Nihil tam menti Arnobii contrarium. Catullus, Carmine XC, de disciplina Magorum :

Gnatus ut accepto veneretur carmine divos
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

Si pulchrum est, inquit Arnobius, et magnificum tauros diis immolare, et solidas eorum carnes *iis* concremare, quid sibi volunt reliqua hæc, *Magorum cohærentia disciplinis*, hæ particulæ nimirum extorum et viscerum, quas separatim diis offertis et in ara ponitis? SALMAS., ad Solin., p. 90.

Apexanes. Sic edidit Salmasius. Cod. ms. habet *apexabones*. Alii : *apexabo*. Sed ut *longanones* (vide notam mox sequentem Elmenhorstii), ita et *apexabones, apexaones, apexanes*, ab *apexabo*. Varro de Ling. lat., lib. IV, pag. 32, ed. Bipont. : *Hila ab hilo dicta, id est minimo...... Quod id hoc farcimine summo quiddam eminet : ab eo, quod ut in capite apex, apexabo dicta.* ORELL.

Hirciæ. Ita ed. Lugd. Bat. ex ms. Antea edebatur *isicia*, de quibus vide supra ad lib. II, cap. 42. Meursius in Appendice et Stewechius corrigunt *hircei* sive *ircei.., genus farciminis in sacrificiis*, interprete Festo. Sed *hirciæ* tuetur Salmas. ad Solin., pag. 90, explicans ipsis Arnobii verbis sequentibus : *genus farciminis hirquino sanguine inculcatum.* Conf. N. Heinsii, Adversar., lib. IV, cap. 9, p. 621. ORELL.

Silicernia. Glossæ : *silicernium* — περίδειπνον. Festus : *Silicernium erat genus farciminis, quo fletu familia purgabatur.* (Ubi vide intpp.) ELMENH.

Longavi. Ita Salmasius ad vestigia codicis msti, qui habet *longævi*, nullo sensu. Gelenius : *longavo*. Alii : *longabo*; alii tandem : *longano*. Varie hæc vox scribitur. Glossæ : *longano*, κωλέντερον. Varro de Ling. lat. lib. IV : *Tertium sartum est longabo, quod longius quam duo hila.* Apicius, lib. IV, cap. 2 : *longanones porcinos.* Vegetius, de Mulemod., lib. I, cap. 14 : *Longanon intestinum vocatur, per quod stercus egeritur* (ubi vid. Schneider, V. Cl. et in Lexico Rust.). Cælius Aurelianus, de tardis passionib. lib. II : *Lon-*

mina, et farciminum genera, hirquino alia sanguine, A comminutis alia inculcata pulmonibus. Quid tædæ? quid næniæ? quid offæ? non vulgi, sed quibus est nomen appellatioque penitæ: ex quibus quod primum est, in exiguas arvina est miculas, catillaminum insecta de more: quod in secundo situm est, intestini est porrectio [a], per quam proluvies editur; succis perexsiccata vitalibus: offa autem penita est, cum particula visceris cauda pecoris amputata. Quid polimina? quid omenta? quid palasea, sive, ut quidam cognominant, plasea? ex quibus est nomen omenti pars quædam; quo receptacula ventrium circumretita finiuntur. Bovis cauda est plasea, siligine et sanguine delibuta. Polimina porro sunt ea, B quæ nos proles verecundius dicimus: a vulgaribus autem assolent cognomine testium nuncupari. Quid fitilla, quid frumen, quid africia, quid gratilla, catumeum, conspolium, cubula? ex quibus duo, quæ prima, sunt pultium nomina, sed genere et qualitate diversa. Series vero, quæ sequitur, liborum significantias continet: et ipsis non est una eademque formatio. Non enim placet carnem strebulam nominare, quæ taurorum e coxendicibus demitur, pulpamenta non assa, quæ in verubus exta sunt, animata prius et torrefacta carbonibus: non salsamina denique, quæ sunt una commixtio quadrinis copulata de frugibus. Non similiter fendicas, quæ et ipsæ sunt hiræ, quas plebis oratio ilia solet, cum eloquitur, nuncupare.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Prosectio. *Petr. Daniel.*

COMMENTARIUS.

none cum sphinctere atque podice. Et noster tandem format *longavus, i.* Conf. Jansson, Lexic, Cœlian. et Martin., Lexic. Etymol. ORELL.

Quid tædæ. Hæc est lectio vetus, pro qua Gelenius *tuæta*, temere. Nam quorsum hic *tuceta* inter obscura vocabula et sacrorum propria? Quid autem pronuntiandum sit, necdum liquet. HERALD. Meursius in Appendice legendum conjicit: *Quid codæ?* antique pro *caudæ*. Salmasius ad Solin. p. l. refingit: *Quid taxiæ*, quod ortum a vitiosa scriptura *tæciæ* aut *tacciæ*, unde *tædæ* ab imperitis factæ. *Taxia* vel *taxea* est arvina, vel lardum. Afranius in Prosa:

> Gallum sagatum pingui pastum taxia. ORELL.

Quid næniæ. Festus h. v.: *Quidam aiunt næniæ ductum nomen ab extremi intestini vocabulo*, ad quod C probandum testimonio utitur Plauti, Bacchid. IV, scen. VIII, 48:

> Qua quidem ego te reddam, ubi me irritaveris,
> Confessionem soricina nænia.

ubi autem Scaliger næniam interpretatur de voce, quam emittit confessus sorex. Dacerius autem ad Fest. l. l. tuetur significationem intestini. Salmasius in ed. Lugd. Bat. dedit: *quid tæniæ.* Sed cum ipse capite sequente in loco gemino ediderit: *nisi sibi adoleri paratas conspexerint nænias*, malui et hic retinere, et rem integram relinquo doctiorum judicio. ORELL.

Quid offæ, non vulgi, sed quibus est nomen, appellatioque penitæ. Festus: *Penem antiqui codam vocabant, a qua antiquitate etiamnum offa porcina cum cauda in cœnis puris offa penita vocatur.* Idem: *Penitam offam Nævius appellat absegmen carnis cum coda. Antiqui* D *enim codam vocabant abscissum globi forma, ut manu glomeratam pultem.* Cæterum hæc offa penita etiam extra sacrificia; quare a Plauto in milite inter convivii scitamenta numeratur. HERALD.

In exiguas arvina est miculas catillaminum insecta de more. Transpositio verborum nostro frequentissima pro: *arvina in exiguas insecta miculas de more catillaminum. Catillamen* a *catillo, are*, 1, q. ligurrire in genere cuppedia et deliciosa mattea. Sed propria ita videntur vocasse farcimina aut botulos minutis carnibus inculcatos, quod avide a catillonibus expeterentur (*Salmas. ad Solin., pag.* 90). Supra lib. II, cap. 42, vocavit *catillamenta*, ubi vide notas. Cæterum palmaria hæc Meursii et Salmasii emendatio Codex ms. habet: *in exiguas arvina est miculas catilla minuam insecta de more.* Sabæus: *At illa minutim insecta de more.* Gelenius: *aut ilia minutim insecta de more.* Heraldus: *Aut hila minutim insecta: dein ordine quod in secundo situm. est* ORELL.

Ex quibus est nomen omenti pars quædam, etc. Id est, quibus nomen omenti est pars quædam; sive, ut clarius dicam, ex quorum numero omentum est pars quædam. Hoc qui non intelligebant, mutare voluerunt. HERALD. — Potius ita interpretandum: ex quibus id quod nominavimus omentum, est pars quædam. Male igitur Fulv. Ursinus inducit τὸ *nomen*. ORELL.

Polimina porro sunt ea, quæ nos proles verecundius diximus. Polimina ait Festus appellari porcorum testiculos, quos ita appellari existimo, non a poliendo, quod ei placet, sed a pelle. Nam *poliones* pro *pelliones*. Polimentorum porcorum meminit etiam Plautus in Milite. HERALD.

Quid fitilla, quid frumen, quid africia, quid gratilla, catumeum, conspolium, cubula? De *fitilla* vide supra ad. lib. II, cap. 21. Pro *frumen* Meursius conjicit *frama* pro *forma*, quæ erat puls ex melle et milio, teste Festo: quomodo *Tharsomenos* veteres multi pro *Thasymenos* dictitarunt, teste Quintilliano Instit. Orat., lib. I, c. V. et *precula* Tinra Placentinus pro *pergula*. Cætera nulli veterum memorata cum ipse Arnobius explicet, hoc Catone contenti erimus. *Cubula* dicta fortassis a forma cubica. ORELL.

Carnem strebulam. Caro strebula, χρέας στρεβλόν, circum coxendices in bobus, a curvatura et versura ita dicta. Στρεβλὸς enim curvus et pravus: unde *striblligo*, depravata oratio, ὁ σολοικισμός. Vide Varon., de Ling. lat., lib. VI, pag. 93, ed. Bipont. ibique Scaliger. Festus autem ait, Plautum in Frivolaria *strebulas*. Umbrorum lingua appellasse partes carnium sacrificatarum. ORELL.

Pulpamenta. Pulpamentum h. l. idem quod *pulpa*, hoc est, caro sine ossibus, a palpitando dicta, mollis scil. ac tremula. Vide Casaubon. ad Persii Sat. II, vs. 63. ORELL.

Quæ in verubus exta sunt. Meursius legend. censet: *non quæ in verubus*, etc. Repetitum *non* facile elabi potuit. ORELL.

Animata prius. Vide supra ad lib. II, cap. 68 et Semler., Ind. Lat ad Tertulian. h. v. ORELL.

Non similiter fendicas, quæ et ipsæ sunt hiræ. Ita verissime emendarunt Scriverius, Meursius, Heraldus, Salmasius. Festus, *hira, quæ diminutive dicitur hilla, quam Græci dicunt νῆστιν intestinum est, quod jejunum vocant.* Vide supra ad lib. II, cap. 42, verba: *suminatam cum his carnem.* Antea legebatur: *quæ et ipse sunt diræ*, nullo sensu. *Fendicarum* vocabulum alibi frustra quæsivi. Gesnerus in Thesauro derivat a *findo, ere*, quod e fissis carnibus fierent. ORELL.

Quas plebis oratio ilia solet, cum eloquitur, nuncupare. Ita Scriverius, rectissime. Antea legebatur: *quas plebis oratio illa solet, etc.* Scaliger conj. *illas*

Non ratione eadem ærumnas, quæ sunt prima in gurgulionibus capita, quæ dejicere cibos et referre natura est ruminatoribus sæculis. Non magmenta, non augmina [a], non mille species, vel farciminum, vel fitillarum, quibus nomina indidistis obscura, vulgoque ut essent angustiora, fecistis.

XXV. Si enim quæcumque ab hominibus fiunt, maximeque in re sacra, debent habere suas causas, nec sine ratione est quidquam in negotiis omnibus, atque in omni administratione faciendum; edissertate nobis, et dicite, quæ sit causa, quæ ratio, ut hæc etiam diis dentur, sacrisque adoleantur altaribus? In hoc enim diutius loco huic causæ vel maxime necessario immoramur, insistimus, inhæremus, cupientes addiscere, quid cum pultibus Deo sit, quid cum libis, quid diversis cum fartibus, confectionis jure multiplici [b] atque impensarum varietate conditis? Opiparis numina cœnis afficiuntur, aut prandiis, ut innumeras conveniat excogitare his dapes? aversionibus stomachorum laborant, et ad expellenda fastidia saporum varietas quæritur, ut modo his assa, modo cruda ponantur, semicocta modo et semicruda? Quod si omnes has partes, quas præsicias dicitis, accipere dii amant, suntque illis gratæ, vel voluptatis alicujus vel dulcedinis sensu; quid intercedit, quid prohibet, ut non semel hæc omnia totis cum animantibus inferatis? Quæ causa, quæ ratio est, ut caro strebula separatim, ruma, cauda et plasea separatim, hiræ solæ, omentum solum, augmentorum adjiciatur in causam? Pulmentorum va-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Augmenta *Fulv.*

[b] Jure et multiplici *ms. inepte.*

COMMENTARIUS.

pro *hillas*, probante Heraldo. Sed *hilla*, deminutivum τοῦ *hira*, vocabulum est non vulgare, sed usitatum in sacris. *Hillæ* sunt partes carnosæ interiores farturæ aptæ, *des Tripes*. Vid. Oudendorp., ad Apulei., Met. II, 25, p. 102. Orell.

Ærumnas. Ita ed. Lugd. Bat. e Cod. ms. Canterus: *rumas. Ruma eminens pars gutturis, per quam demissus cibus a certis revocatur animalibus*, ut explicat Servius in Virgil. Eclog. VI, 54. *Rumen* vocatur a Festo et Isidoro Origg. lib. XI, cap. 1, et lib. XII, cap. 1. Conf. G. J. Voss. Etymol. Rom. *Ærumnas* hoc sensu alibi legisse non memini, nolim tamen propterea eliminare. Nam videtur hoc nomen fuisse obscurum et sacrum, *ruma et rumen* vulgare. Orell.

Ruminatoribus sæculis. Ita e Cod. ms. optime restituit L. Carrio, lib. II Emendd. cap. 17. *Sæcula ruminatores* sunt animalia ruminantia. Nihil amplius. Hoc sensu *sæcula* pro stirpe, genere, multitudine cujuscumque rei, γενεά, sæpissime apud Lucretium, quem in toto hoc opere imitatur Arnobius. Ita, lib. V, vers. 864;

Lanigeræ simul pecudes et bucera sæcla;

et I, vers. 58:

Inque brevi spatio mutantur sæcla animantum.

Vide supra ad lib. I, cap. 25. Stewech. h. l. et præcipue Vechner. Hellenolex. lib. II, cap. 5, pag 494. Abeat itaque Gelenius cum suis *ruminatoribus vituli.* Orell.

Non magmenta, non augmina. Vide ad caput sequens. Orell.

Non mille species vel farciminum vel fitillarum. Secutus sum in loco obscurissimo et depravatissimo emendationem Salmasii. Antiqua lectio est: *non mille species velamen sanguinum vel fitillarum;* ubi Fulv. Ursinus distinctis vocibus legendum censet; *non mille species vel amen sanguinum vel fitillarum. Amen sanguinum* quid sibi velit, nescire se Meursius et Heraldus fatentur ingenue. Elmenhorstius intelligit liborum sive placentarum genus quoddam, citans Hesychium: Ἀμεν.... εἶδος πλακοῦντος. Gesnerus in Thesauro interpretatur, vinculum, nexum sanguinum, ab ἅμμα, ἅπτω, unde et *amentum. Amen sanguinum* esset itaque sanguis condensatus, coagulatus, qualis in botulis. Sed nominativus locum habere non potest ob præcedens *species* et sequentia *vel fitillarum*, quæ genitivum aliquem flagitant. Lego itaque: *vel farciminum*, nisi malis: *vel catillaminum vel fitillarum.* Pro *fitillarum* Meursius et Scaliger legendum existimant *fritillarum.* Orell.

XXV. — *Quid diversis cum fartibus.* Ita edit. Lugd. Bat. Sabæus habet *fratribus*, id est prolibus, testiculis, (vide supra ad lib. V) probante Heraldo. Fulv. Ursinus mavult *frattibus*, novum et inauditum vocabulum, a græco φράττειν. Orell.

Confectionis jure. Oudendorpius in Apulei. Met. lib. II, pag. 103, mavult: *consectionis jure.* Orell.

Impensarum varietate conditis. Impensa quævis stipatio et farctura. Quo sensu sæpius usurpavit Apicius, ut: *indes impensam præscriptam*, id est farcturam. Palladius de Re rust., lib. I: *Impensa pumicea farciri muros*, id est stipari acervato ex pumice tuso. Scaliger *ad Varron., de Ling. Lat.* IV, pag. 118, *ed. Bipont.* — Conf. intpp. ad Fest. v. *Impensa.* Theodorus autem Marcilius ad Horat. I, epist. 19 interpretatur *condimentum ciborum*, pag. 135. Orell.

Ut innumeras conveniat excogitare his dapes. Codex ms.: *ut numeras*, etc. quod probat Stewechius explicans *numeratas.* Orell.

Aversionibus stomachorum laborant. Similiter Petronius, cap. 141: *Neque enim ulla caro per se placet, sed arte quadam corrumpitur et stomacho conciliatur averso.* Ubi vid. Gonsal. de Sal., pag. 249, ed. Burmann. Aversionem illam stomachi ἀπεψίαν vocat Galenus de Composit. med., lib. VII, cap. 3. Orell.

Quas prosicias dicitis. Hæc lectio assertione non eget. Dicit autem *accipere dii amant*, quia hæc erant quæ diis offerebantur. Quare leno Plautinus in Pœnulo, quum se litare non posse videret, exta prosicari vetat, quippe deæ, quam exorare et propitiam sibi reddere non poterat, iratus:

Nam ego hodie infelix dis meis iratissimis
Sex agnos immolavi; nec potui tamen
Propitiam Venerem facere, uti esset mihi.
Quoniam litare nequeo; abii illinc illico
Iratus, vetui exta prosicarier,
Neque ea adspicere volui; quoniam illa non bona
Aruspex dixit, deam esse indignam credidi. Herald.

prosicias est ex emendatione Adr. Turnebi. Antea edebantur *præsicias.* Festus: *prosicium, quod prosecatum projicitur*, ubi vid. Dacer. et notam sequentem. Conf. Grot. ad Martian. Capell., lib. I, pag. 5. Orell.

Quæ causa, quæ ratio est, ut caro strebula separatim, ruma, cauda et plasea separatim, hiræ solæ omentumque solum augmentorum adjiciantur in causam? Ita corrigendus locus ac distinguendus. Ergo et caro strebula et ruma et cauda et plasea et hiræ et omentum in causam augmentorum altaribus superimponebantur cum jecore hostiæ immolatæ. Quas omnes partes ex hostia præsecatas vocaverunt *prosicias* vel etiam *præsicias.* Si quid plus adjiceretur, id *magmentum* appellabant, quasi majus augmentum: ut mactus est magis auctus. Varro, lib. IV de Ling. Lat.: *Magmen-*

rietatibus afficiuntur dii cœlites, ut fieri mos est post cœnarum ditium et locupletium saginas frustilla hæc [a] parvula pro suavibus mateolis sumunt, non quibus famem sedeant, sed ut palati admoneant otium, seque ipsos plenæ appetitu voracitatis instigent? O deorum magnitudo mirabilis, o nullis hominum comprehensa, nullis intellecta naturis! siquidem ut prosint, testiculis pecudum redimuntur et rumis, neque prius iras atque animos ponunt, nisi sibi adoleri paratas conspexerint nænias, offasque redemptas.

XXVI. Sequitur, ut de thure, deque mero aliquid sine ulla nimietate dicamus. Copulata enim, et mixta sunt cerimoniarum et hæc genera, cultumque adhibentur in plurimum. Ac primum illud a vobis iste ipso quærimus percontamurque de thure; unde aut quo tempore nosse illud aut scire potueritis, ut merito existimetis aut esse diis dandum, aut eorum

A acceptissimum voluntati. Novella enim propemodum res est, neque annorum inexplicabilis series, ex quo ejus notitia profluxit in has partes, et delubris meruit interesse divinis. Nam neque temporibus, quemadmodum creditur et perhibetur, heroicis, quidnam esset thus, scitum est, scriptoribus ut comprobatur a priscis, quorum in libris nulla posita ejus mentio reperitur; neque genitrix et mater superstitionis Hetruria opinionem ejus novit aut famam, sacellorum ut indicant ritus; neque quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in usum cuiquam venit, sacra cum res fieret; neque ipse Romulus, aut religionibus artifex in comminiscendis Numa, aut esse scivit, aut nasci; ut pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum solemnium munia. Unde igitur cœpta est B usurpatio ejus assumi; aut in antiquam et veterem consuetudinem quænam irruit novitas, ut quod tem-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ac *Fulv*.

COMMENTARIUS.

tum a magis: quod ad religionem magis pertinet. Ita propter hoc magmentaria cana (id est canistra) *constituta locis certis, quod id imponeretur.* SALMAS., *ad Solin.*, *pag.* 91. — Scaliger autem ad Varron. l. I, et ad Fest. h. v. *magmentum* interpretatur dapem, quæ profanabatur a rusticis Jano, Sylvano, Marti, Jovi dapali, quæ tamen significatio aliena est a nostro loco. Pro *cauda* codex ms. habet *coda* antique. Pro *omentum solum augmentorum* etc. in editione Lugd. Bat. legitur: *nomenque solum augmentorum*. Meursius conjicit: *omenque solum*. *Omen* pro *omentum*. Nic. Heinsius in Adversar. lib. IV, cap. 10, pag. 620: *abdomenque solum*. « Hunc autem sacrificii morem a Prometheo originem duxisse volunt, quo partem hostiæ in ignem conjicere soliti sunt, partem ad suum victum abuti, quum antea tota hostiarum et illibata viscera igne consumerentur. Partem igitur extorum prosicatam aræ superimponebant, et diis adolebant, parte vescebantur, qui sacrificio intererant. Et exta quidem prius mandebant, quam reliquam carnem. Unde illud de pinariis, qui in sacrificio Herculis, extis jam adesis, ad cæteram venerunt dapem. Vide Livium. Quapropter institutum, ut Pinarii deinceps arcerentur extorum communione, et ad reliquam admitterentur viscerationem, » Hæc Salmasius p. I. ORELL.

Frustilla hæc parvula pro suavibus mateolis sumunt. Fulv. Ursinus: *frustilla ac parvula*, etc. *Mateola*, *macteola*, *mattea*, *mactea*, Græce ματτύα, omne scitamentum, lautumque ac pretiosum edulium. Vide intpp. ad Varron., pag. 78, seq., ed. Bipont.; Bentley ad Aristophan. Nubb., vs. 450; et Turneb. Adversar., lib. XXII, cap. 6. ORELL.

Sed ut palati admoneant otium. Ita emendavimus ex codice regio. Editur in vulgatis: *Ut palatis admoveant otium*, nullo sensu. *Admonere* pro instigare vel monere cum aculeo et sensu quodam doloris. Ita Martialis: *Admonere flagello equos.* SALMAS., *ad Solin.*, *pag.* 21. Conf. Cortium ad Ruil, Lin., lib. I, vers. 20, et Gronov. Diatrib. ad Stat. Silv., lib. V, Od. II, pag. 322, seq. Ita Lucanus, IV, 241:

Admonitæque tument gustato sanguine fauces.

Et Cicero in Verr., lib. I, cap. 24: *Ut eum suæ libidines flagitiosæ facere admonuerant*, ubi alii Codices male legunt *admovebant*. Non igitur opus habemus correctione Heraldi, in Curis II: *Ut palati amoveant otium*, nec Passeratii: *Ut palatis admoveant orexim.* ORELL.

Instigent. Stewechius conj. *Infligant* vel *infligent*. Male. ORELL.

Et rumis. Stewechius *rumas* mammas interpretatur e Nonio. Sed vide caput præcedens. ORELL.

Nænias. Et hic Scaliger reposuit *tænias* ORELL.

Offasque redemptas. *Offasque penitas.* HERALD.

Salsamina. Intelligendæ sunt, ut ipse Arnobius explicat in proxime sequentibus verbis, salsæ fruges vel mola salsa, quam in sacrificiis adhibebant, non autem, quod alias significat h. v., carnes vel pisces sale conditi, τάριχοι. ORELL.

XXVI. — *Mixta sunt.* Sic emendavit Meursius. C Antea: *Mixta fiunt.* ORELL.

Potueritis. Ita Fulvius. Antea *poteritis*, quod defendit Heraldus et Meursius per archaismum. Ita *moneris* dixit Pacuvius, *tetinero* Plautus. Sic *voleris* in vetere formula in auspiciis usitata: *Sponsis bene beneque voleris.* ORELL.

Temporibus..... heroicis. Iliacis temporibus, ut et apud Romanos temporibus Romuli et Numæ, thuris usum incognitum fuisse, et *pium far*, id est far tostum et sale sparsum, ejus loco fuisse, docent præter nostrum Festus in *mola*, in *ador*, in *immolare*, et Plinius Hist. Nat. lib. XIII, cap. 1. STEW. — Idem testatur Plinius Hist. Nat., lib. XIII, cap. 1: *Quis primus (unguenta) invenerit, non traditur, neque Iliacis temporibus ture supplicabatur.* Et Theophrastus ap. Porphyr. de Abstinent., lib. II, et Euseb., lib. I Præparat. Evangel., cap. 9: Ἀνάριθμος μέν τις ἔοικεν εἶναι χρόνος ἀφ' οὗ γε τό γε πάντων λογιώτατον γένος, ὥς φησι Θεόφραστος, καὶ τὴν ἱερωτάτην ὑπὸ τοῦ Νείλου κτισθεῖσαν χώραν κατοικοῦν, ἤρξατο πρῶτον ἐφ' ἑστίας D τοῖς οὐρανίοις θεοῖς θύειν, οὐ σμύρνης, οὐδὲ κασίας καὶ λιβανωτοῦ κρόκῳ μιχθέντων ἀπαρχάς· πολλαῖς γὰρ γενεαῖς ὕστερον παρελήφθη καὶ ταῦτα, καὶ πλάνης ἐρευνητὴς μαστὴρ ὁ ἄνθρωπος γιγνόμενος, τῆς ἀναγκαίας ζωῆς, μετὰ πολλῶν πόνων, καὶ δακρύων, σταγόνας ἀπήρξατο τοῖς θεοῖς· οὐ τούτων οὖν ἔθυον πρότερον, ἀλλὰ χλόης, οἱονεί τινα τῆς γονίμου φύσεως χνοῦν ταῖς χερσὶν ἀράμενοι. NOURR. *pag.* 518.

Genetrix et mater superstitionis Etruria. Ex Etruria enim acciti primi haruspices, et qui portenta feliciter interpretarentur. Cicero de Divinat., lib. I, de Harusp. Respons.; Tertullianus de Spectaculis cap. IV; Dionys. Halicarn., lib. IX; Livius, lib. I. ELMENH.

Pium far. Virgilius, *Æn.*, v. 744:

Pergameumque Larem et canæ penetralia Vestæ
Farre pio et plena supplex veneratur acerra. ELMENH.

Horatius III, Od. XXIII, 19:

Non sumptuosa blandior hostia

pestatibus tantis necessarium non fuit, locum sumeret A in cerimoniis primum? Nam si sine thure religionis officium claudicat, necessariaque vis ejus est, quæ propitios faciat mitesque hominibus cœlites, peccatum est ab antiquis, quinimmo piaculis plena vita omnis illorum fuit, qui, quod maxime conveniens deorum fuerat voluptati, per incuriam neglexere libare. Sin autem temporibus priscis neque homines, neque dii hujus thuris expetivere materiam, comprobatur et hodie frustra illud inaniterque præstari, quod neque antiquitas necessarium credidit, et sine ullis novitas rationibus appetivit.

XXVII. Denique ut illam semper regulam definitionemque teneamus, qua demonstratum et fixum est, quidquid fiat ab homine, habere oportere suas causas, et in ista quoque retinebimus parte, ut requi- B ramus ex vobis, quæ sit causa, quæ ratio, ut ante ipsa numinum signa thura injiciantur altaribus, et ex eorum incendio familiaria fieri existimentur et mitia: quid ex hujus modi facto acquiritur his rei aut eorum ad animos quid accedit, ut merito judicemus recte ista dependi, et non frustra atque inaniter concremari? Ut enim vos debetis ostendere, cur thura diis detis, sic et deos sequitur ut debeatis expromere habere aliquam causam, cur ea non respuant, quinimo cur ea tam familiariter concupiscant. Honoramus, inquiet aliquis fortasse, his deos. Sed nos non vestrum, sed numinum requirimus sensum: nec quid fiat a vobis, sed pendatur ab his quanti, quod in præmium datur favoris interrogamus. Sed tamen o pietas, quantus iste est honor, aut qualis, qui ex ignis odore [a] conficitur, et resina C ex arboris comparatur? Nam ne forte ignoretis, quid aut unde sit thus istud: viscum est ex corticibus profluens, ita ut ex amygdalo, ceraso, lachrymabili destillatione coalescens. Hoccine ergo superas honorat et auctificat dignitates, aut offensa si aliquando contracta est, thuris vapore dissolvitur, et temperata indignatione sopitur? Quid ergo cessatis, cujuslibet arboris viscum sine ulla passim differitate comburere? Nam si honorantur hoc numina, nec indigne sustinent Panchaicas sibi ardere resinulas: quid interest, unde fumus altaribus conficiatur in sanctis; vel ex visci quo genere nubes suffitionis exæstuent?

XXVIII. At numquid aliquis dicet, idcirco superis thus dari, quod odoratus habeat suaves et narium commulceat sensum; reliqua vero sint aspera, et ob causam offensionis exclusa? Habent enim dii nares, quibus ducant aerios spiritus, accipiunt auras, et remittunt: ut penetrare illos possint nidorum differentium qualitates? Quod si damus ut fiat, mortalitatis eos adjungimus legi, et excludimus divinitatis a finibus. Quidquid enim spirat, et reciprocos halitus auris commeabilibus ducit, id necesse est mortale, quia cœli sustinetur e pastu. Quidquid autem cœli sustinetur e pastu, si recursus abstuleris, quibus alternatio redditur abstrabiturque vitalis, oblidi ejus necesse est animam, et rationem subrui atque interire vivendi. Ergo si et dii spirant, odoremque ad se attrahunt auris comitantibus involutum, non est ab re dicere et alienis eos suffitionibus vivere, et interclusis posse spiraminibus interire. Et unde novissime scitis, an si odorum suavitate capiuntur, eadem sint eis jucunda, quæ vobis, et parili sensu vestras mulceant afficiantque naturas? Nonne fieri potis est, ut quæ vobis afferunt voluptatem, contra illis aspera videantur et tristia? Cum enim deorum sint sententiæ dispares, substantiæque non unæ: quibus effici

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ardore *Fulv.*

COMMENTARIUS.

Mollivit aversos Penatis.
Farre pio et saliente mica. Herald.

Locum sumeret in cerimoniis primum. Ita res est. Ignem accendebant; tum in aram thus ingerebant; victimas postea mactabant. Seneca in Œdipode:

M.:

Opima sanctas victima ante aras stetit.

T.:

Invita superos, voce sublimi voca,
Arasque dono thuris Eoï exstrue.

M.:

Jam thura sacris cœlitum ingessi focis, etc. Herald.

XXVII. — *Aut ad eorum animos quid accedit.* Ita Gelenius, bene. Editio princeps: *Accidit.* Orell.

Cur ea tam familiariter concupiscant. Annon legendum: *Cur ea tam ferventer concupiscant*, vel etiam *famelice concupiscant*, aut simile quid? Orell.

Lacrymabili destillatione coalescens. Id est, coalescens humoribus vel succis destillantibus lacrymarum adinstar. Ita *plantarum lacrymæ, vitis, papaveris*, etc. Lacrymæ de succo, quem exsudant hæ plantæ. Et Tertullianus Apologet., cap. 30: *Grana thuris unius assis, Arabicæ arboris lacrymas*, ubi vide Havercamp., pag. 278. Orell.

Panchaicas sibi ardere resinulas. Lucretius, lib. II, vers 417:

Araque Panchæos exhalat propter odores.

Servius ad Virgil., Georg. II, 115: *Panchaia Sabæorum gens est, apud quam thus nascitur.* Elmenh. A Panchæa videlicet, Arabiæ Troglodytanæ parte, quæ D ostio sinus Arabici adjacet. De illa Servius in suis ad Virgilii II Georg., vers 115, commentariis: *Panchaia*, inquit, *Sabæorum gens est, apud quam thus nascitur, ut: Solis est thurea virga Sabæis, itemque:*

Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.

Similiter Ovidius, lib. X Metam., fab. 9:

Sudataque ligno
Thura ferat floresque alios Panchaia tellus.

et Lucretius, lib. II, vers 417:

Araque Panchæos exhalat propter odores.

Consule adhuc, si velis, Tibull., lib. III, Eleg. 2, et Claudian., de tert. conf. Hon. in fin. Nourr., p. 517.

XXVIII. — *Suffitionibus.* Codex ms.: suffectionibus. Male. Orell.

Cum enim deorum sint sententiæ dispares. Fulvius Ursinus delet τὸ *deorum*. Male. Orell.

rationibus potest, ut quod qualitate diversum est, unum sentiat accipiatque contactum? An non quotidie cernimus et inter animantia terris orta, esse aliis eadem vel amara vel dulcia: mortifera his esse, quæ illis nata in perniciem non sunt: ut quæ alios mulceant odoribus lætis, eadem pestiferos halitus aliorum corporibus spirent? Sed hoc ut fiat et accidat, non in rebus est causa, quæ simul esse mortiferæ simul salutares, simul dulces nequeunt, simulque amaræ consistere; sed, ut quisque est factus ad extrinsecus rei venientis attactum, ita afficitur: qualitatem non accipit ex rerum impulsionibus natam, sed ex sui sensus contagiique [a] natura. Verum omnis hæc ratio longe est ab diis sita, nec exigui limitis interjectione discreta. Nam si verum est, ut ab sapientibus creditur, incorporales hos esse, B neque [b] validitatis alicujus eminentia sublevari, inanis apud hos odor est, nec sensibiliter commovere aura eos potis est nidoris alicujus: non si mille tu pondera masculi thuris accendas, cœlumque hoc totum redundantium vaporum nebulositate cludatur. Quod enim non habet robur et substantiam corporalem, contrectari a substantia non potest corporali: odor autem corpus est, tactis sicut naribus indicatur: a deo ergo sentiri ratione non potest ulla, qui A caret re corporis, atque omni sensu et cogitatione privatus est.

XXIX. Merum thuris est socium, quod explanari consimiliter poscimus, cur ei superfundatur incensioni. Si enim ratio, cur fiat, non ostendetur, nec habebit expositam sui causam, non jam istud errori objiciendum est ludicro, sed, ut dicatur expressius, insaniæ, dementiæ, cæcitati. Ut enim jam sæpius dictum est, debet omne, quod geritur causam sui habere perspicuam, nec caliginis alicujus obscuritate contectam. Si ergo fiditis facto, aperite, monstrate, liquor iste cur detur, id est, vinum superfundatur altaribus. Numquid enim numinum corpora sitim sentiunt aridam, et eorum necesse est siccitates humore aliquo temperari? Numquid nobis ut mortalibus mos est, cœnis intermiscere potiones: pari etiam more post solidos victus liborum, et pultium, hostiarumque cæsarum, quo putrefiat facilius et percoquatur cibus, frequentissimo irrigant accipiuntque se vino? Date quæso immortalibus diis bibant, scyphos, brias, pateras, sympuviaque depromite: et quoniam tauris pinguibusque se dapibus, atque opimis inferciunt escis: ne quod in stomachi tramite male transvoratum substerit viscus: succurrite, properate, Jovi optimo maximo merum, ne præfocetur, date: cupit,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Compagiique *Fulv.*

[b] Nec *Sab.*

COMMENTARIUS.

Ut quæ alios. Ita ed. Lugd. Bat. Editio princeps: *et quæ alios*, quod defendi posset enallage generum et modorum his scriptoribus haud infrequenti. Gelenius: *ut quæ illos.* ORELL.

Sed ut quisque est factus ad extrinsecus rei venientis attactum, ita afficitur. Sic ediderunt Gelenius et Salmasius, rectissime. Editio princeps: *attactum ita efficit*, nullo sensu. ORELL.

Nec validitatis alicujus eminentia sublevari. Hæc est lectio vetus, pro qua Gelenius: *nec soliditatis alicujus*, etc. male. Mox: *Quod enim non habet robur et substantiam corporalem*, etc., HERALD.—Alii: *nec oliditatis alicujus eminentia.* ORELL.

Non si mille tu pondera masculi thuris incendas. Virgilius Eclog. VIII, 65.:

Verbenasque adole pingues et mascula thura. HERALD.

Masculum thus vocabant veteres optimum ac præstantissimum: idem stagonias appellatum, in guttæ speciem rotundum, ut constat ex Dioscoride et Plinio Hist. Nat. lib. XII, cap. 14. Religioni tributum, ne sexus alter usurparetur. Vid. Heyn. V. S. et Voss. ad Virgilii l. l. ORELL.

XXIX. — *Merum thuris est socium.* Ita est: injecto in aram accensam thure, vinum statim ingerebatur et infundebatur. Ovidius lib. V Trist., Eclog. 5:

Da mihi thura, puer, pingues facientia flammas,
Quodque pio fusum stridat in igne merum. HERALD.

Solebant scil. vinum in thus flammis datum profundere, vel, sicut loquitur Lactantius, odorati ac veteris vini profusione madefacere focos. Quo de ritu Horatius, lib. I, Od. XIX:

Verbenas, pueri, ponite thuraque,
Bimi cum patera meri
Mactata veniet lenior hostia. NOURR.

Cur ei superfundatur incensioni. Meursius., pag. 213 C conj.: *cur ejus superfundatur incensioni.* Non male. ORELL.

Siccitates. Fulv. Ursinus *siccitatem.* ORELL.

Post solidos victus liborum et pultium. Solidos pro *solitos*, quod antea legebatur, restituerunt Meursius et Stewechius e Cod. msto, rectissime. Sed fallitur Stewechius putans, Arnobium his verbis respicere ad opinionem illam veterum, qua ex libis, pultibus cæterisque eduliis oblatis nihil debebat superesse. Atqui cibi solidi sunt firmi, *feste, nahrhafte Speisen.* Nihil amplius. ORELL.

Hostiarumque cæsarum. Vinum enim fundebant non tantum initio sacrificii, accensa ara et thure imposito, sed mactatis etiam atque illatis victimis. Homerus, Il. III.:

Ἤ, καὶ ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέϊ χαλκῷ,
Καὶ τοὺς μὲν κατέθηκεν ἐπὶ χθονὸς ἀσπαίροντας,
Θυμοῦ δευομένους, ἀπὸ γὰρ μένος εἵλετο χαλκός·
Οἶνον δ' ἐκ κρητῆρος ἀφυσσόμενοι δεπάεσσιν
Ἔκχεον, ἠδ' ηὔχοντο θεοῖς αἰειγενέτησιν. HERALD.

D *Brias.* Glossæ: *bria*..... εἶδος ἀγγείου. HERALD. — Bria erat quoddam mensuræ liquidorum, seu vasis et poculi genus. Vetus Glossarium latino-græcum: *Bria*, εἶδος ἀγγείου, mensura quædam. Vide sis Lexicon Martinii et Cangii Glossarium. NOURR. *pag.* 521. — Ab hoc vocabulo derivant grammatici τὸ *ebrius* et *sobrius.* Vide Gesner. In Thesaur. ORELL.

Sympuviaque. Ms.: *sympubiaque.* Sabæus *sympiniaque.* Vide supra, ad lib. IV, cap. 31. ORELL.

Ne quod in stomachi tramite male transvoratum substiterit viscus. Pessime C. Barthius, in Adversar., lib. IV, cap. 1, pag. 2576. *Viscus* intelligit de glutinosa materia, humore moroso, tenaci, qualis occludit meatus. Atqui distinguendum *viscus, i*, vel *viscum, i*, significans proprie gummi quoddam et glutinum aucupum, a *viscus, eris*, tertiæ declinationis; quod est *caro*, quidquid est inter ossa et cutem, unde *viscera* in plurali. Vide Oudendorp., qui de his vocibus multus est, ad Apulei., Met. II, pag. 103. ORELL.

eructare, nec potis est: ac ni illa labatur et dissolvatur obstructio, periculum maximum est, ne oblisus interrumpatur spiritus, et viduatum remaneat sine suis administratoribus cœlum.

XXX. Sed frustra, inquit, inequitas nobis: non enim nos superis ob eas profundimus merum causas, tamquam illos existimemus aut sitire, aut bibere, aut suavitatis ejus affectione lætari. Honoris eis ergo datur, quo fiat illorum elatior, amplior, augustiorque sublimitas, altaria super ipsa libamus, et venerabiles muscos carbonibus excitamus extinctis et quæ gravior infligi contumelia diis potest, quam si eos credas accepto mero propitios fieri: aut honorem existimes habitum his magnum, si modo vini exigui rores super vividam jeceris atque instillaveris prunam? Non nobis est sermo cum hominibus rationis expertibus, neque quibus non sit communis intelligentiæ veritas: inest et vobis sapientia, inest sensus, verumque nos dicere apud vos ipsi interiori judicio scitis. Sed quid facere possumus considerare nolentibus penitus res ipsas, secumque ipsos loqui? Facitis

A enim, quod fieri cernitis, non quod fieri oportere confiditis: nimirum quia apud vos plus [a] valet nullam habens consuetudo rationem, quam rerum inspecta natura veritatis examinatione ponderata. Quid est enim Deo cum vino, aut in ejus materia vis qualis, aut quanta est, quod cum effusum fuerit, sublimitas ejus augescat, et honorata existimetur auctoritas? Quid, inquam, Deo cum vino est, Venereis re proxima, nervos omnium debilitante virtutum, verecundiæ, pudoris, et castitatis inimica? quod in insanias et furores mentes sæpius præcipitavit excitas, ipsosque illos deos maledictis compulit exauctorare dementibus. Itane istud non nefas et plenum sacrilegii crimen est, honori hoc dare, quod si tu id avidius sumpseris, quid facias, nescias: quid loquaris, ignores:

B ad extremum tumulenti, luxuriosi, et perditi convitium infamiamque merearis?

XXXI. Operæ pretium est, etiam verba ipsa depromere, quibus, cum vinum datur, uti ac supplicare consuetudo est: *Mactus hoc vino inferio esto.* Inferio,

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Abest in ms.*

COMMENTARIUS.

Sine suis administratoribus cœlum. Stewechius legendum suspicatur: *sine suis administratibus cœlum*, quia de solius Jovis obstructione sive oblisione tractetur, qui unus cœlis administrator est. *Administratus, us*, quidem nusquam comparet in lexicis: sed apud nostrum tales formationes haud infrequentes. Vide ad lib. II, cap. 20. ORELL.

XXX. — *Et venerabiles muscos carbonibus excitamus extinctis.* Dedi locum ex emendatione Salmasii, cujus ipse rationem reddit in Commentariis in Solinum pag. 232, his verbis: Liber Regius habet *et venerabiles miscus*, unde fecerunt *venerabile miscus*, quod quid sit, velim mihi quis explicet. Extra controversiam est legi debere: *venerabiles muscos carbonibus excitamus extinctis.* Ubi *muscus* εὐωδία est et flagrantia. Pro quo scriptum erat *miscus* ut *Thile* pro *Thule*, *Bitiæ* pro *Bituæ*, *Titinus* pro *Tutunus*. Glossæ nostræ: *muscus*, εὐωδία. Aliæ Glossæ: *muscus*, βρύον, φῦκος, μοῦσχος. Per μοῦσχον intelligit quod diximus. Græcolatinæ Glossæ: μοῦσχος, *muscus*. Apuleius, multo antiquior Arnobio, etiam ea voce usus est. Verba ejus ita legenda sunt ex x Milesia: *Et hercule Orchium bigam perteretem mysci flagrantis et Chiæ rosaceæ lotionibus expurgavit.* Male in florentinis, unde illa addidit Elmenhorstius legitur *hyaci* pro *mysci* (Oudendorpius, pag. 717. emendat *Lyæi*). Cum hic et Arnobius, ne de Hieronymo dicam, *muscum* pro flagrantia usurparit, satis inde constat, cognitum veteribus animal fuisse, quod muscum fert: si non ipsum animal, certe odoramentum novisse eos oportet. Μόσχον vocant Aetius et Paulus, unde et μόσχατα, compositiones, quæ ex eo fiunt. Placet viris doctissimis *muscum*, cujus inter odores meminit D. Hieronymus non esse animalis ullius ἄρωμα; sed odoratum muscum, quod Græci βρύον vocant et βρύον ἀρωματικόν. Ita censet Hermolaus in corollario suo. Si verum est, quod ille opinatur, quis non et apud Arnobium et Apuleium de hoc musco censeat accipiendum? Verba Hieronymi hæc sunt ex lib. II adversus Jovinianum: *odoris autem suavitas, et diversa thymiamata, et amomum, et cyphi, et œnanthe, et muscus, et peregrini muris pellicula.* Plinius, Hist. Nat., lib. XII, cap. 28, species aromaticas enumerans, ex quibus unguenta conficiuntur: *Eodem et bryon pertinet, uva populi albæ, optima circa Cnidum, aut Cariam, in sitientibus,*

C *aut siccis asperisque; secunda in Lyciæ cedro. Eodem et œnanthe pertinet.* Βρύον latine est *muscus*. Glossæ: *Muscus*, βρύον, φῦκος. Ergo *œnanthe* et *muscus* similiter apud Hieronymum conjunguntur, ut apud Plinium *bryon et œnanthe*. Dioscorides βρύον addi unguentis βαλανίνοις tradit, et odoribus ad vaporandum, quæ θυμιάματα Græci appellant. Non tamen *muscus* in illis auctorum locis est βρύον, sed μόσχος vel μοῦσχος, odoramentum extractum ab animali gazellæ simili in India. Quia id fragrantissimum idcirco et *muscum* pro qualibet fragrantia vel odoris suavitate posuerunt Arnobius et Apuleius, etc., etc. Hæc Salmasius. Gelenius edidit: *et venerabiles cnissas.* etc. sequentibus reliquis omnibus (excepto Salmasio), probante etiam Stewechio. ORELL.

Vini exigui rores. Gelenius: *rorem.* ORELL.

Nimirum quia apud vos plus valet. Ita Gelenius et cæteri. Editio princeps: *primum quia*, etc. *plus* deest in ms., probante Stewechio. ORELL.

Venereis re proxima. Ita editio princeps, quam lectionem sanissimam mutarunt perperam alii: *Veneri re proxima*, alii: *Veneris re proxima*, ed. Lugd. Bat.: *Veneri is re proxima*, ubi quid τὸ *is* sibi velit, equidem nescire me fateor cum ignarissimis. Atqui

D optime vinum appellat Arnobius rem proximam Venereis, id est, τοῖς ἀφροδισίοις. In eamdem sententiam Valerius Maximus, lib. I, cap. 1: *Vini usus olim Romanis feminis interdictus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit.* Quem locum apposite citavit Elmenhorstius. ORELL.

Exauctorare. Id est auctoritatem diis adimere vel eripere. NOURR., pag. 553. — Annon legendum *exauctorari?* Ridet scil. Arnobius deos ebrios et maledictis se incessentes. ORELL.

Et perditi convicium. Recte dicti *perditi*. Nam idcirco ἄσωτοι Græcis dicti, quod spei sunt deploratæ. Aristoteles ἄσωτον ait perire, eo quod ejus facultates pereant. Sic ille Nicomach., l. IV: Βούλεται γὰρ ἄσωτος εἶναι, ὁ ἕν τι κακὸν ἔχων, φθείρειν τὴν οὐσίαν. ἄσωτος γὰρ ὁ δι' αὐτὸν ἀπολλύμενος. HERALD.

XXXI. — *Mactus hoc vino inferio esto.* Vide supra ad l. IV, c. 16. Conf., qui de hac formula multus est

inquit Trebatius, verbum ea causa est additum, eaque rationc profertur; ne vinum omne omnino, quod in cellis atque apothecis est conditum, ex quibus illud, quod effunditur, promptum est, esse sacrum incipiat, et ex usibus eripiatur humanis. Addito ergo hoc verbo solum erit, quod inferetur, sacrum, nec religione obligabitur cæterum. Qualis ergo hic honor est, in quo imponitur quasi lex deo, ne plus quærat, quam datum est? aut cujus ipse est aviditatis deus, qui nisi verbi fuerit præscriptione submotus, cupiditatem suam protendat ulterius, et apothecis suis supplicem privet? *Mactus hoc vino inferio esto :* injuria est ista, non honor. Quid enim si divus amplius hoc volet, neque erit contentus illato? nonne insigniter dicendum est lædi, qui honorem accipere cum conditione cogatur? Nam si exceptione non addita B sacrum necesse est fieri omne omnino, quod in cellis est, vinum, manifestum est et deo contumeliam fieri, cui modus constituatur invito : et vos ipsos in re sacra cæremoniarum officia violare, qui non tantum tribuitis vini, quantum deum videtis sibi velle præstari. *Mactus hoc vino inferio esto :* quid est aliud quam dicere, tantum esto mactus, quantum volo : tantum amplificatus, quantum jubeo : tantum honoris assumito, quantum te habere decerno, et verborum circumscriptione definio. O deorum sublimitas præA potens, quam venerari, quam colere officiis omnibus cæremonialibus debeas : cui legem venerator imponit, quam cum pactionibus adorat et formulis : quæ per unius formidinem verbi ab immodicis vini cupiditatibus arcetur.

XXXII. Sed sit, ut vultis, honor in vino, sit in thure, immolatione et cædibus hostiarum iræ numinum offensionesque placentur. Etiamne dii sertis, coronis afficiuntur, et floribus? etiamne æris tinnitibus, et quassationibus cymbalorum? etiamne tympanis? etiamne symphoniis? Quid efficiunt crepitus scabillorum, ut cum eos audierint numina, honorifice secum existiment actum, et ferventes animos irarum oblivione deponant? An numquid ut parvuli pusiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exterrentur auditis : eadem ratione et omnipotentia numina tibiarum stridore mulcentur, et ad numerum cymbalorum mollita indignatione flaccescunt? Quid sibi volunt excitationes istæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigilias debeant? Quid dormitiones illæ, quibus bene ut valeant, auspicabili salutatione mandatis? Somni enim quiete solvuntur, occuparique ut hoc possint, lenies audiendæ sunt næniæ? Lavatio, inquit, deum matris est hodie. Sordescunt enim divi, et ad sordes

COMMENTARIUS.

Cujacius Obss. Jur., l. II, c. 12, p. 52, seqq. ORELL.

Trebatius. Incertæ ætatis scriptor. Libri ejus X religionum citantur a Macrobio. Vide G. J. Voss., de Hist. lat., l. III, hoc verbo. ORELL.

Nec religione obligabitur cæterum. Qualis ergo, etc. Ita rectissime interpunxit Gelenius et cæteri eum secuti. Antea legebatur : *Nec religione obligabitur. Cæterum qualis ergo.* ORELL.

Qui honorem accipere cum conditione cogatur. Veteres cum aliquid consecrabant, caute et accurate loquebantur legesque semper et conditiones expresse addebant, ne qua se tacita religione obligarent; quod ex pluribus inscriptionibus patet, verbi causa :

JUPITER. OPTIME. MAXIME. QUANDOQUE. TIBI. HODIE.
HANC. ARAM. DABO. DEDICABOQUE. OLLIS. LEGIBUS.
OLLISQUE. REGIONIBUS. DABO. DEDICABOQUE. QUAS.
HIC. HODIE. PALAM. DIXERO.

HERALD.

XXXII. — *Etiamne diis sertis, coronis adficiuntur et floribus.* Deos coronis, sertis et floribus fuisse ornatos, passivâ observatio est. Fiebat id proprie, cum prosperum aliquid acciderat aut malum aliquod depulsum fuerat : aut in magnis et festivis solemnitatibus. Lactantius, l. II, c. 1 : *Postquam metus deseruit, et pericula recesserunt; tam vero alacres ad deorum templa concurrunt : his libant, his sacrificant, hos coronant.* Hinc Artemidorus, l. II; Oneirocrit., c. 34 : Στεφανοῦν θεοὺς ἄνθεσι καὶ κλάδοις τοῖς προσήκουσι καὶ νενομισμένοις. σημαίνει ἀγαθὸν πᾶσιν οὐκ ἄνευ μὲν φροντίδων ἀποβησόμενον. Atque hoc nomine damnatæ olim christianis coronæ. HERALD.

Etiamne æris tinnitibus. In sacris Isidis præcipue cymbala, tympana, et ejusmodi organa. HERALD.

Etiamne æris tinnitibus et quassationibus cymbalorum? etiamne tympanis? Hæc conjungit etiam Lucretius, II, 618, seqq. :

Tympana tenta tonant palmis, et cymbala circum
Concava rancisono minantur cornua cantu,
Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes.

C Et Ovidius, l. IV Fast. :

Ibunt semimares et inania tympana tundent
Æraque tinnitus ære repulsa dabunt. NOURR., p. 523.

Quid efficiunt crepitus scabillorum. Vide supra, ad l. II, c. 42. ORELL.

Tibiarum stridore mulcentur. Cum diis sacrificia offerentur, et preces conciperentur, tibiæ et varia instrumenta musica simul perstrepebant : sed tibiæ præcentoriæ proprie et fides, quas deorum pulvinaribus præcinere solitas, nemo, opinor, ignorat. Unde etiam tibias a christianis olim reprobatas docebamus ad librum II, c. 42. HERALD.

Quid sibi volunt excitationes illæ, etc. Ejusmodi excitationes maxime usitatæ in sacris Isidis et Serapidis. Prima hora sacerdotes Isidis templum aperiebant, idque apertio vocabatur, deinde salutabant deam, quod salutationem et excitationem vocabant, post totum diem stipem emendicabant : inde ad octavam redibant, deam componebant, templumque claudebant. Testes Apuleius Miles., l. XI (ubi vid. D Oudendorp.), p. 795, Porphyrius, de Abstinentia ab animalibus. Plura collegerunt Jos. Scaliger., ad Tibull., l. I, Eleg. III, v. 31, et J. Lipsius, in Electis, l. II, c. 18. ORELL.

Dormitiones. Ita codex ms. et editio princeps. Gelenius edidit *domuitiones,* quod probant Canterus et Stewechius tamquam vocem antiquam et probissimæ notæ, qua usi Pacuvius, Lucilius, Plautus, Apuleius, etiam Cicero, l. I, de Divinat. : *Classi propinquum reditum ac domuitionem dari.* Nihil tamen equidem mutare ausim. De *dormitionibus,* id est, carminibus, quibus magna dea Isis ad somnum capiendum invitata, et *excitationibus,* quibus summo mane excitata fuerat e somno, multus est Bœttiger V. Cl. in scripto suo *die Isisvesper,* inserto l. t. *Minerva Taschenbuch fürs Jahr* 1809, p. 131 et 136. ORELL.

Lavatio..... Deum Matris est hodie. Sexto scilicet kalendas aprilis, quemadmodum his Ammiani Marcellini (l. XXIII, c. 3) verbis discimus : *Ante diem sextum*

eluendas laventibus aquis opus, atque adjuncta antiqua cineris frictione. Jovis epulum cras est. Jupiter enim cœnat, magnisque implendus est dapibus, jamdudum inedia gestiens, et anniversaria interjectione jejunus. Æsculapii geritur, celebraturque vindemia: colunt enim dii vineas, et ad suas usiones contractis exprimunt vindemiatoribus vinum. Lectisternium Cereris erit idibus proximis: habent enim dii lectos atque, ut stratis possint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur atque excitatur impressio. Telluris natalis est: dii enim ex uteris prodeunt, et habent dies lætos, quibus eis adscriptum est auram usurpare vitalem.

XXXIII. Ludi vero, quos facitis, quibus Floralibus

COMMENTARIUS.

kal., *quo Romæ Matri deorum pompæ celebrantur annales, et carpentum, quo vehitur simulacrum, Almonis undis ablui perhibetur* (eo scil. loco ante portam Capenam, ubi Almo fluvius in Tiberim influit), ubi doctissimus Valesius (p. 10, t. III, ed. Wagner.) hæc observat: sex dies durabat festum Magnæ Matris. Primo die, qui erat IX kal. april., Galli comam jactantes crebris ictibus lacertos cruentabant, atque is dies sanguinis dicebatur, teste Tertulliano in carmine ad Senatorem, Trebellio Pollione in Claudio et Augustino in Tractatu VII, in Joannem. Proximus dies magna omnium lætitia celebratur eoque *Hilaria* dictus, teste Macrobio, l. I Saturn. Tertio quiescebant. Quarto demum die, qui erat ante diem VI kal. april., simulacrum Cybelæ carpento impositum Almonis aqua abluebant; hic dies lavatio, ille requietio dicebatur, ut docet calendarium romanum Constantini ævo exaratum, quod Georgio Herwartio debemus: X *Arbor intrat*, X *Tubilustrium*, IX *Kal. Apr. sanguen*, VIII *Hilaria*, VII *Requietio*, VI *Lavatio*. Cæterum de hoc ritu cecinerunt Ovidius Fast. IV, 337, seqq.; Martialis, l. III, Epigr. 47, et Prudentius, in Martyr. S. Romani. Conf. Augustin., de Civ. Dei, l. II, c. 4. NOURR, p. 54, et ORELL.

Laventibus aquis est opus. Ita editio princeps, sine dubio e codice msto. Rectissime. Nam veteres *lavere* tertia conjugatione pronuntiabant, ut docet Meursius, pag. 213. Exempla apud Lucretium, Plautum, Virgilium, Horatium, alios innumeros. Vide Nonium Marcellum. Gelenius edidit: *lavantibus aquis*. Cantero placet: *labentibus aquis*. ORELL.

Atque adjuncta antiqua cineris frictione. Rescribo: *antiqui cineris* vel *antiquæ cineris frictione*. *Cinis* enim non tantum masculine, verum etiam feminine usurpatum fuisse antiquis, notat ex Cæsare, Catulo et Calvo, Nonius Marcellus, item Charisius, libro I. Calvi duobus testimoniis adductis. Ad lixiviam autem conficiendam usui esse veterem cinerem, non est, puto, qui nesciat: eum Plinius cinerem lixivum vocabat. Scribonius autem lixivam cinerem. STEWECH. — Fulv. Ursinus corrigit: *aliqua cineris frictione*. ORELL.

Jovis epulum cras est. Id incidisse observavi ipsis Idibus novembris. Kalendarium rusticum Romanum in dicto mense manifeste collocat JOVIS EPULUM. Fasti kalendares ipsis illis idibus adscribunt et vocant EPULUM INDICTUM; quod quid fuerit et unde dictum, docebit nos Festus. Is *epolones* dixisse antiquos ait, quos postea *epulones* vocarunt: datum autem eis nomen, quod epulas indicendi Jovi cæterisque Diis potestatem haberent. STEWECH. — Nimirum idibus novembris, uti in kalendario rustico annotatur. Haud vero infrequens hujus epuli apud varios scriptores mentio. Livius, lib. XXV, cap. 2: *Ludi plebeii per biduum instaurati et Jovis epulum fuit ludorum caussa.* Cicero autem (de Orat. lib. III) docet hoc epulare sacrificium et tres epulones, qui ei præessent, a Numa institutos. *Pontifices veteres*, inquit, *propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, cum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti.* Livius autem lib. XXXIII, cap. 42. Triumviros Epulones primum Romæ a Romuleio seu Romulio creatos fuisse tradit. De iis et Jovis epulo Valerius Maximus, lib. II, cap. I, § 3. Tertullianus Apologet., c. 13, et alii sermonem fecerunt. Plura de illis vid. ap. Guther., lib. IV, de Vet. Jure Pontif., cap. 23. NOURR., pag. 524.

Æsculapii geritur celebraturque vindemia. Locus obscurus et difficilis. Non enim de festis vinalibus ibi loquitur Arnobius, quæ prima Jovi, posteriora Veneri sacra fuisse Varro (lib. V de Ling. lat.), Festus (v. *Vinalia*), Ovidius (lib. IV Fast.) aliique testantur. At observandum est, alia fuisse festa, quæ Meditrinalia vocabantur; de quibus Varro (l. V de Ling. lat., p. 48, ed. Dordr.): *Meditrinalia, dies*, inquit, *dictus a medendo, quod, ut Flaccus, flamen Martialis, dicebat, hoc die solitum vinum novum et vetus libari, et degustari medicamenti causa. Quod facere solent etiamnunc multi, cum dicant: Novum vetus vinum bibo, novo veteri morbo medeor.* Sed Festus (ad v. *Meditrinalia*), qui hæc ultima verba retulit, Meditrinalia a Meditrina dea nomen accepisse asseverat. Plutarchus autem memorat (Sympos. Quæst., lib. III, 9), olim eos, qui vinum novum gustabant, vota fecisse, ut illius usus innoxius medicamentumque salutare foret. Verum id dicit ea die factum, quam *Pithoegiam* appellabant. At hoc festum, uti docet Meursius (lib. I Græciæ feriat.), in Bacchi honorem celebrabatur. Utrum vero medicamenti ratione id quoque Æsculapio sacrum fuerit, aliorum esto judicium. Nos porro non fugit, unum a Theodoreto (serm. 3, de sacrificiis) Æsculapii festum notari, quod ille Ἀσκλήπια vocat. Sed illud idem fuisse atque Æsculapii vindemiam, si recte probaveris, tibi illico subscribemus. NOURR., pag. 525.

Et ad suas usiones contractis. Hæc est sagacissima emendatio Salmasii in ed. Lugd. Bat., et ad Solin., pag. 176. *Usio* pro usu frequentatum Catoni, Varroni, aliis. Codex Regius habet: *et ad suasionibus contractis*, nullo sensu; unde Gelenius fecit: *et ab suasionibus contracti*, quod quid sibi velit, non magis intelligo. Stewechius legendum censet: *et longis ab vasionibus* (id est *itionibus*) *contracti*. ORELL.

Lectisternium Cereris erunt idibus proximis. Tale commemorat Livius, lib. XXII, cap. 10: *Cum Hannibal agros Italiæ depopularetur, inspectis Sibyllinis libris ac voto rite nuncupato, Lectisternium per triduum, habitum, decemviris sacrorum curantibus: sex pulvinaria in conspectu fuere, Jovi et Junoni unum, alterum Neptuno ac Minervæ, tertium Marti et Veneri, quartum Apollini ac Dianæ, quintum Vulcano ac Vestæ, sextum Mercurio ac Cereri.* NOURR., pag. 525. Intelligit Cerealia, quæ celebrabantur Romæ VII iduum aprilis. Vide Ovid., Fast. IV, 395, seqq. De Lectisterniis nota res. ORELL.

Telluris natalis est. Kalendarium vetus: *Ad XVII kalend. maias* (15 aprilis) *forda litatur Tellari*. ORELL.

XXXIII. — *Floralibus.* In vetusto kalendario romano videmus incidisse hos ludos in IV kalendas maias: cui videtur adstipulaturus Plinius. Ovidius tamen:

> Exit et in maias festum florale kalendas.

Impudicitiam floralium describunt Augustinus, de Civ. Dei, lib. II, cap. 26, et Lactantius, lib. I, cap. 20. Conf. Lips., lib. I Elect., et Novellam Justiniani CV. STEWECH. — *Florales* sive *floralia*, quemadmodum observavit Macrobius (Saturn. lib. I, cap. 4), ludi et festa erant, quæ nomen et originem duxerunt

et Megalensibus nomen est, cæterique omnes alii, quos esse sacros voluistis, et religionum inter officia deputari, quam rationem habent, quam causam, ut institui condique debuerint, et ex numinum appellatione signari? Honorantur, inquit, his dii, et si quas ab hominibus continent offensionum memorias illatarum, abjiciunt, excludunt, redduntque se nobis redintegrata familiaritate fautores. Et quæ causa est rursus, ut tranquilli, placidi efficiantur, et mites: ineptæ si res fiant, et ab hominibus otiosis multitudine spectante ludatur? Ponit animos Jupiter, si Amphitryo fuerit actus pronuntiatusque Plautinus? aut si Europa, si Leda, Ganymedes fuerit saltatus, aut Danae, motum compescit irarum? Tranquillior, lenior mater magna efficitur, si Attidis conspexerit priscam refricari ab histrionibus fabulam? oblitterabit B offensam Venus, si Adonis in habitu gestum agere viderit saltatoriis in motibus pantomimum? indignatio relanguescet Alcidæ, si tragœdia Sophoclis, cui Trachiniæ nomen est, Euripidis aut Hercules actitetur? Existimatve tractari se honorifice Flora, si suis in ludis flagitiosas conspexerit res agi, et migratum ab lupanaribus in theatra? Itane istud non est deorum imminuere dignitatem, dicare et consecrare turpissimas reis eis, quas censor animus respuat, et quarum actores inhonestos esse jus vestrum, et inter capita computari judicavit infamia? Mimis nimirum dii gaudent, et illa vis præstans, neque ullis hominum comprehensa naturis, libentissime commodat audiendis his aures, quorum symplegmatibus [a] plurimis intermixtos se esse, derisionis in materiam norunt: delectantur, ut res est, Stupidorum capitibus rasis, sa-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Implegmatibus *ms.*, *mendose.*

COMMENTARIUS.

a famosa meretrice, quæ prius Chloris nuncupata, hos ludos ex pecunia, turpi corporis quæstu coacta, institui voluit. Sed ut infamis adeo originis memoria oblitterari facilius posset, eam mutato nomine Floram appellaverunt, finxeruntque, eam præsidere floribus. Conf. Ovid. Fast., lib. IV, 946. Agebantur autem, ut ex Plinio liquet (Hist. nat., lib. XVIII, cap. 19), quarto calendas maii. In Fastis autem calendariis notantur 6 kalend. junii et in kalendario rustico sub maii mensis finem. Plura vide ap. Varron., de Ling. lat., lib. IV, p. 18; Ciceronem, Orat. IV, in Verrem, Suetonium (Galb., cap. 6), Martialem (lib. I, Epigr. 3 et 36) et Valerium Max., lib. II, C cap. 10, § 8, atque in primis Lactantium. NOURR., pag. 436.

Et Megalensibus. Festus: *Megalesia ludos Matris magnæ appellant.* Inscript. 133 (Gruteri). Augustin., de Civ. Dei, lib. II, c. 4, ELMENH. —Hos ludos, qui celebrabantur a Romanis II non. (4 aprilis), more instituoque maxime castos, solemnes, religiosos appellat Cicero in Orat. de Harusp. Resp. cap. XII, ubi vide intpp. ORELL.

Et si quas ab hominibus continent offensionum memorias illatarum, abjiciunt. Sic restituit editor Lugd. Bat., optime. Antiqua lectio est: *si quas ab hominibus continent offensionum memorias illatas.* Sed *memoriam inferre offensionum* Latinorum sermonem non admittere bene docet Meursius corrigens: *offensionum memorias, illas abjiciunt.* Juretus ad Symmach. lib. I, Epist. XL, pag. 50. ed. Lectii locum sanare vult interpunctione tantum mutata, distinguens scil.: *et si quas ab hominibus continent offensionum memorias, illatas* D *abjiciunt*, etc. Equidem præfero emendationem Salmasii. ORELL.

Ponit animos, id est θυμοὺς, *iram, iracundiam.* Alio sensu de audacia usurpat hanc locutionem Seneca Troad., vers 745: *Ipse post Trojam pater posuisset animos.* ORELL.

Priscam refricari ab histrionibus fabulam. Refricare, id est, repetere. Vide Colv. et Oudendorp. in Apulei. Met., lib. IV, pag. 292. ORELL.

Si Adonis in habitu gestum agere viderit saltatoriis in motibus pantomimum. Cicero (de Orat II, cap. 57): *Quamquam soleo sæpe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena gestum, spectante Roscio.* Sic *gerere* simpliciter. Apuleius: *Hic incinctus balteo militem gerebat.* HERALD. — *Gestus* igitur idem quod σχῆμα. Vid. Ernesti in Clav. Cic. ORELL.

Existimatve tractari se honorifice Flora. Sic edidi ex emendatione Meursii. Alii leguut: *Existimatur*, etc. Sed sequens activam formam flagitat. Heraldus conjicit: *Existimabit.* Stewechius: *Existimatur tractarier honorifice Flora.* ORELL.

Et quarum actores inhonestos esse jus vestrum, et inter capita computari judicavit infamia. Augustinus, de Civ. Dei., lib. II, cap. 14: *Romani ab honoribus omnibus repellunt homines scenicos...* et cap. 27: *Hanc talium numinum placationem petulantissimam, impurissimam, nequissimam, immundissimam, cujus actores laudanda Romanæ virtutis indoles honore privavit, tribu movit, agnovit turpes, fecit infames.* Tertullianus, Apologet., cap. 51, mimos *capita ignominiosa et famosa* appellat. ELMENH. — Dicit Arnobius: *quarum actores inhonestos.* Sic agitatores appellantur *inhonestæ personæ.* l. IV Cod. de Spectacul., qui tamen ab infamia immunes dicuntur l. IV Dig. de his qui notantur infamia. Sic inhonestum separat ab infami hoc eodem in argumento Æmilius Probus (Cornelius Nepos) in Proœm.: *In scenam vero prodire, et populo esse spectaculo nemini in iisdem gentibus fuit turpitudini: quæ omnia partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur.* HERALD. —Exemptos tamen ab hac inhonestatis nota fuisse Atellanarum actores docet Valerius Maximus, lib. II, cap. 9. Conf. Meursius, in Crit., lib. II, cap. 9, et, qui hac de re multus est, Sam. Petitus, Commentar. ad Legg. Att., p. 75, seqq., ed. Paris. ORELL.

Quorum symplegmatibus plurimis intermixtos se esse, etc. *Symplegmata* appellare videtur mimorum strophas, quas diversis modis συμπλέκουσιν et συστρέφουσιν. HERALD. —Videntur potius intelligendi gestus, saltationes, copulationes obscœnæ histrionum incestos deorum amores repræsentantium (*obscœne, unanständige Gruppierungen*). Quales depictæ et descriptæ fuisse videntur in famosis illis libellis Elephantidis, τύποις Ἐλεφάντιδος. Vide Boettiger. V. Cl. in Sabina pag. 329. ORELL.

Ut res est. Formula, qua statum præsentem significant. Vide Schwarz. ad Mamertini Panegyr. cap. 9, pag. 171, ed. Jæger., et Oudendorp., ad Apulei. Met., lib. II, pag. 169. Vertendum itaque hoc loco: *comme chez nous.* ORELL.

Stupidorum capitibus rasis. Rasa enim mimorum et γελωτοποιῶν capita: unde μωρὸς φαλακρὸς apud Epigrammatarios. Artemidorus, lib. I Oneirocrit., cap. 23: Ξυρᾶσθαι δὲ δοκεῖν τὴν κεφαλὴν ὅλην, πλὴν Αἰγυπτίων θεῶν ἱερεῦσι καὶ γελωτοποιοῖς, καὶ τοῖς ἐξ ἔθους ἔχουσι ξυρᾶσθαι, ἀγαθόν· πᾶσι δὲ τοῖς ἄλλοις πονηρόν. Hinc Juvenalis Satira V:

Omnia ferre
Si potes et debes pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput; nec dura timebis

lapittarum sonitu atque plausu, factis et dictis turpibus A cæstibus, certare hos spiritu, buccas vento distendere, fascinorum ingentium rubore. Jam vero si viderint in femineas mollitudines enervantes se viros, vociferari hos frustra, sine causa alios cursitare, amicitiarum fide salva contundere se alios, et crudis mutilare se votisque inanibus concrepare, manus ad cœlum tollunt, rebus admirabilibus moti prosiliunt, exclamant, in gratiam cum hominibus redeunt. Hæc si diis immortalibus oblivionem afferunt simultatum, si ex co-

COMMENTARIUS.

Flagra pati, his epulis et tali dignus amico.

Proprie autem hac in re *stupidi*. Nam in γελωτοποιοῖς quidam stupidorum partes agebant; tarditatem simulabant, et idcirco salapittis quandoque objurgabantur. Capitolinus in M. Antonino: *Crimini ei datum est, quod adulteros uxoris promoverit, Tertullum et Vitilium et Orphitum et Moderatum, ad varios honores: cum Tertullum etiam prandentem cum uxore deprehenderit: de quo mimus in scena præsente Antonino dixit, quum stupidus nomen adulteri uxoris a servo quæreret, et ille dixerit ter Tullus, et adhuc stupidus quæreret, respondit ille: Jam dixi ter, Tullus dicitur.* In hoc mimo partes suas agebat stupidus, ut in mimis pene omnibus. Inde factum, ut *stupidos* appellet heic Arnobius ridiculos et scurras istos. HERALD. — Equidem rescripsi *Stupidorum* littera majori secutus doctissimum Maffeium in Museo Veronensi pag. 137. Hunc enim titulum in honore ducentes, tamquam artis quam profitebantur, ipsi s bi tribuebant tales scenici: quibus ex asse respondent nostri *Harlekins*, *Hannswurste*. Inscriptio apud Maffeum p. 1.:

D. M.
ÆMILIÆ.
IRENE. QUÆ.
VIXIT. ANN. XXVI.
DIEBUS. XIIII.
AURELIUS EUTYCHES STUPIDUS
GREG. URB. CONJUGI. KARISSIMÆ.

ubi *Stupidus gregis urbani* est Stupidus scenicorum urbanorum. ORELL.

Salapittarum sonitu. Ita legendum esse pro *salpinctarum sonitu*, docet Jos. Scaliger ad Virgilii Catalect. pag. 1302, ed. Masvic. « Non enim, inquit, σαλπικτῶν intelligendum, sed salapittarum, hoc est ῥαπισμάτων, ut explicant glossæ veteres. Nam ad excitandum risum histriones sibi os percidi et batui alapis patiebantur. Martialis:

Os tibi percisum est, quantum non ipse Latinus
Vilia Panniculi percutit ora so..o.

Idem:

O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini.
Te successurum credo ego Panniculo.

Tertullianus Libro de Spectaculis: *Insuper contumeliis alaparum sic os objicit, quasi de præcepto Domini ludat.* Cyprianus item de Spectaculis innuit: *Ictibus infelix facies locatur.* Inde fluxit proverbialis loquendi mos. *os præbere alicui*, hoc est, morigerum esse, Terentio et Livio. » Hæc Scaliger, probante Heraldo et Salmasio. Alii, in his etiam novissimus editor Oberthürius, prætorunt antiquam lectionem *salpictarum*, ut habet codex ms. mendose pro *salpinctarum*, id est tubicinum, τῶν σαλπιγκτῶν. Sic Julius Firmicus, lib. VIII, Mathes: *Salpinctas reddet, si qui in bello confossi moriantur.* ORELL.

Si viderint in fœmineas turpitudines enervantes se viros. Columella, libro I de Re rust.: *Attonitique miramur gestus effœminatorum, quod a natura sexum viris denegatum muliebri motu mentiuntur, decipiuntque oculos spectantium.* Graphice Cyprianus, lib. II, epist. II: *Evirantur mores. Omnis honor et vigor sexus enervati corporis dedecore mollitur: plusque illis placet, quisquis virum in fœminam magis fregerit.* Elegantissime Clemens Alexandrinus in Pædagogi libro II, cap. 10: Οὐδὲ τῶν καταγότων, τούτων δὴ τῶν τὴν κιναιδίαν τὴν ἄφωνον ἐπὶ τὰς σκηνὰς μετιόντων ὀρχηστῶν, etc. Vide sis Lucianum περὶ ὀρχήσεως. HERALD. — Conf. Rittershus. ad Salvian., de Gubern. Dei, lib VI, § 193, p. 58, ed. Bremens. ORELL.

Vociferari hos frustra. Notat tragœdos, qui huic uni rei vel maxime studebant, ut vasta voce vociferarentur potius quam loquerentur. Quare eos ἀπελέκητον φωνὴν ἔχειν καὶ φλοιοῦ μεστὴν dicebat Crantor, ut B scribit Diogenes Laertius. Hinc etiam Demosthenes φωνασκίας ἐπίδειξιν objicit Æschini, quem histrionem fuisse et τριταγωνιστὴν, docet idem περὶ στεφάνου et περὶ παραπρεσβείας. Tertullianus de Spectaculis: *Sed tragœdo vociferante exclamationes ille alicujus prophetæ retractat.* Eos ait ὀξὺ καὶ διάτορον βοᾶν Dio Chrysostomus sermone IV, de Regno. — HERALD. N. Heinsius ad Petron., cap. XL, p. 176, ed. Burmanni legendum conjicit: *vociferari hic frustra*. Male. Nam ita si legamus, sequens *alios* non habet ad quod referatur. ORELL.

Sine causa alios cursitare. Ita Gelenius. Cod. ms. habet: *sine culpa alios cursitare*, mendose procul dubio: unde N. Heinsius ad Petronium p. l. conjectura sagacissima legendum suspicatur: *in pulpito alios cursitare*. Præfero tamen emendationem Gelenii ob præcedens: *vociferari hos frustra*. Arnobius scilicet respicere videtur ad sua tempora, quibus res scenica a pristina simplicitate jam dudum degeneraverat in C nimiam affectationem et inanem verborum strepitum. Meursius conj.: *sine causa alios quiritare*. Male. ORELL.

Et crudis mutilare se cæstibus. Codex ms. habet: *de cæstibus*, quod defendit N. Heinsius l. l, cum *se* modo præcesserit. Abundantiam talium præpositionum jam aliquoties observavimus. ORELL.

Certare hos spiritu. Heinsius l. l. legendum conjicit: *artare os spiritu*, quod fit inflando venas. Sed nihil mutandum arbitror. *Certare spiritu* est, ni fallor, certare in loquendo vel cantando spiritu continenti, non intermisso: *wetteiseru, wer es länger aushalten könne, in Einem Athem fortzureden oder fortzusingen*. ORELL.

Votisque inanibus concrepare. Liber Regius: *votisque immanibus concrepare*. « Salmasius (ubi? nescio): *cavatisque manibus concrepare*. Sed de manibus mox subsequitur, ut iis hic non sit locus. Suspicari licet dictum ab Arnobio, *stlopisque inanibus* ad imitationem Persiani loci, sat. V, 13:

Nec stlopo tumidas intendis rumpere buccas.

D (*Stlopus* scil. est sonus qui ex inflatione buccarum erumpit). » Hæc Heinsius. Fortasse mutatione unius litteræ legendum: *volisque immanibus concrepare* (a *vola, æ*, media parte manus, sive, ut h. l., pedis) et vertendum: *mit mächtigen Fersen stampfen*. Potius: *mit gewaltigen Händen Klatschen* loquitur enim Arnobius de plaudentium strepitu. ORELL.

Manus ad cœlum tollunt, etc. Heraldus ineptum putans, deos, qui in cœlo sunt, manus ad cœlum tollere, totum locum invertendum censet, ita scil.: *votisque inanibus concrepare, manus ad cœlum tollere, rebusque admirabilibus motos prosilire, exclamare; in gratiam cum hominibus redeunt.* Male, opinor. Nam dii illi, de quibus loquitur Arnobius, non in cœlo versantes, sed in terram descendentes ad visendos ludos scenicos, possunt manus ad cœlum tollere (qui est gestus admirantium). Sic infra, cap. XXXVIII nostræ editionis, Jupiter *de cœlo proficiscitur ad spectandos cantherios replicantes gyros septem*. Immo, si

mœdiis, atellanis, mimis ducunt lætissimas voluptates : quid moramini, quid cessatis, quin et ipsos dicatis deos ludere, lascivire, saltare, obscœnas compingere cantiones, et clunibus fluctuare crispatis? Quid enim differt, aut interest, faciantne hæc ipsi, an ab aliis fieri in amoribus atque in deliciis ducant?

XXXIV. Unde igitur fluxit, vel ex quibus enata est causis opinionum hæc pravitas? Ex eo scilicet maxime, quod nequeuntes homines, quidnam sit deus, scire, quidnam sit vis ejus, natura, substantia, qualitas : utrumne habeat formam, an nulla sit corporis circumscriptione finitus, agat aliquid, an non agat : vigiletne perpetuo, an aliquando solvatur in somnos : currat, sedeat, ambulet, an ab hujusmodi motibus, et cessione sit liber? Hæc omnia, ut dixi, nequeuntes scire, neque ratione aliqua pervidere, in eas sunt opinationes lapsi, ut deos ex se fingerent, et qualis sibi natura est, et illis talem darent actionum, rerum, voluntatumque naturam. Quod si animal cernerent nullius esse se pretii, nec inter formiculam plurimum seseque esse discriminis, profecto desinerent arbitrari quidquam se habere commune cum superis, et intra suos fines humilitatis suæ modestiam continerent. Nunc vero quia cernunt ora, oculos, capita, buccas,

A auriculas, nasos, cæterasque se alias membrorum genere ac viscerum portiones, et deos existimant eadem ratione formatos, habitumque illos suum compagine in corporea continere : et quia gaudere, lætari, mœstosque se fieri tristioribus conspiciunt causis, arbitrantur et numina ex rebus hilarioribus gaudere, et ex minus lætis animorum contractione conduci : affici se ludis putant et cœlitum mentes ludorum delectatione mulceri. Et quia illis se voluptas est lavacrorum refovere caldoribus, et superis ducunt lavationum esse munditias gratas. Vindemiamus nos homines, et deos rentur, et credunt suas ducere atque agitare vindemias : dies nobis natalitii sunt, et potentias cœlites diis autumant habere natales. Quod si possent adscribere valetudines, ægritudines, et cor-
B porales diis morbos, non dubitarent eos lienosos, lippulos, atque enterocelicos dicere, eo quod ipsi et lienosi et lippi sunt sæpe, et ingentium herniarium [a] magnitudine ponderosi.

XXXV. (*Oberth.* XXXVIII.) Sed si dii immortales nequeunt, inquit, irasci, neque ullis animorum affectibus eorum quatitur concutiturque natura : quid historiæ sibi volunt, quid annales, quorum in conscriptionibus legimus nonnullis offensionibus deos

LECTIONES VARIANTES.

[a] Gruenarum *ms.*, *pessime*.

COMMENTARIUS.

de cœlo spectarent illos, esset ironia acerbissima et lepidus jocus, similis illi, quo Lucianus in Jove Tragœdo Jovem precantem inducit pro Timocle deorum defensore contra Damidem atheum. Neque verba, *rebus admirabilibus moti prosiliunt*, histrionibus conveniunt, sed diis spectantibus. ORELL.

Si ex comœdis, atellanis, mimis, etc. Scribere conabar *comœdis*. Atellanæ erant fabulæ severiores, eoque histriones illarum (atellanos nominabant) personam creduntur non posuisse. Auctor Festus in *Personata*. Certe ab infamia immunes erant reliquorum scenicorum, de qua jam ante dictum. Histriones omnes præter Atellanos a militia prohibitos fuisse, alibi docui ex Livio et Valerio Maximo. STEWECH.

Et clunibus fluctuare crispatis. Probissima lectio. Vide quæ notavimus ad lib. II, cap. 42, verba : *lumborum crispitudine fluctuarent*. Talis saltatricis imaginem videsis in tabulis herculanensibus, tom. IV, tab. 26, ubi Murrius observat, obscœnam hanc saltationem Græcis dictam fuisse ἀπόκινον. ORELL.

XXXIV. — *Fluxit*. Ita Scriverius et cæteri omnes, sensu flagitante. Antea : *fluxi*. ORELL.

Substantia, qualitas. Ed Lugd. Bat. habet : *substantia qualis*. ORELL.

Cessatione. Ita ms. Sabæus : *cessione*. Fulv. Ursinus : *sessione*. ELMENH.

Et quia gaudere, lætari, mœstosque se fieri tristioribus conspiciunt causis. Non videatur mendum esse, et tamen est quod penitus consideranti facile apparebit. Cur enim lætitiæ causas omittat, tristitiæ ponat? cum postea non prætereat dicens : *arbitrantur et numina ex rebus hilarioribus gaudere et ex minus lætis* etc. Emendo itaque : *et quia gaudere læta re mœstosque se fieri* etc. MEURS. — Egregia hæc Meursii correctio et merito in textum recipienda. ORELL.

Conduci : affici se ludis, etc. *Affici* pendet a præcedente : *quia conspiciunt*. Mala itaque interpunctio Salmasii : *conduci. Affici se ludis*, etc. ORELL.

Enterocelicos. Glossæ : *Ramex.... ἐντεροκήλη. Ente-*
C *rocela herniæ species dicitur, cum intestinum cæcum delabitur in scrotum, ut Epiploocele, cum omentum, Hydrocele, cum in alterum e testibus humor confluit.* Vide Cels., de Med., lib. VII, cap. 18. Conf. Munker. ad Fulgent. Mythol., lib. III, cap. 7. pag. 122, et Gesner., in Thesauro. ORELL.

Et ingentium herniarum magnitudine ponderosi. Ponderosi a pondere genitalium : vulgo gravedinem appellant a gravitate oneris. Augustinus, libro ultimo de Civitate Dei, cap. 8 : *quidam ab informi pondere genitalium salvus effectus est*. Juvenalis *herniam* appellat. Et Moses, Levit., cap. XXI, ubi describit, qualis debeat esse minister Dei : *Nec accedat ad ministerium, si fuerit ponderosus*. Ita antiquus interpres in Cod., pro quo vetus versio *herniosus*. *Hernia* autem pondus dicitur propter rupturam pondere factam, cum intestina rupta tunica descendunt in vesicam. *Pondus* etiam pro testiculis usurpavit Catullus (Carm. LXIII, 5) :

D Devolvit ipse acuto sibi pondera silice.

et Martiales, lib. VI., epigr. :

Judæum nulla sub cute pondus habet.

Idcirco *testiculos bilibres* appellat Juvenalis. Ovidius autem pro pondere *onus inguinis* dixit lib. IV. Fast. PETR. DANIEL *in Pseudo. Plauti Querol. pag.* 59. *ed. Patav.*

Secuti conjecturam anonymi Francogalli (vide supra, in Schœnemanni Notitia litteraria) locum sequentem satis amplum a verbis : *Age nunc summatim*, usque ad : *alimenta sunt ignium et parentalibus conjunctissima mortuorum*, in quibus Arnobius apte concinneque opus finiisse putandus est, qui continetur capitibus editionis Oberthürii XXXV - XXXVII, hujus libri, ad editionis nostræ calcem rejecimus. Sequens itaque caput incipiens a verbis : *Sed si dii immortales*, nostræ editionis est XXXV. Oberthürianæ XXXVIII.

XXXV. — *Sed si dii immortales*. Ita Fulvius

motos, pestilentias, sterilitates, ac frugum inopias, aliaque intulisse civitatibus nationibusque discrimina: eosque rursus sacrorum satisfactione placatos, indignationum posuisse fervores, et in habitum lætiorem statum cœli, tempestatumque mutasse? Quid terrarum fremitus, quid motus, quos esse accepimus factos, quod essent acti per indiligentiam ludi, nec ad suam formam conditionemque curati? instauratis his tamen, et curiosa observatione repetitis, superorum conquievisse terrores, et ad hominum curam familiaritatemque revocatos. Quoties vatum jussis, haruspicumque responsis, postquam divina res facta est, et ex gentibus transmarinis acciti dii quidam, delubraque his facta, et in altioribus columnis signa quædam et simulacra sunt constituta: et imminentium aversi sunt periculorum metus, et gravissimi hostes pulsi, et amplificata res publica est, et victoriarum frequentibus gaudiis, et provinciarum possessione complurium? quod utique non fieret, si sacrificia, si ludos, cæterosque aspernarentur dii cultus: neque se honorari eorum procurationibus ducerent. Si ergo his datis calor omnis numinum, indignatioque frigescunt, vertunturque in prospera ea, quæ videbantur afferre terrores, manifestum est, hæc omnia non sine cœlitum fieri voluntate, et quod ea tribuantur a nobis, inaniter et cum tota imperitia reprehendi.

XXXVI. (*Oberth.* XXXIX.) Ventum est ergo, dum loquimur, ad ipsum articulum causæ, ventum rei ad cardinem, ventum ad veram atque adjunctissimam quæstionem: in quam convenit ut debeamus inspicere, formidine superstitionis amota, et gratificatione deposita, utrumne hi dii sint, quos sævire asseratis offensos, reddique sacrificiis mites; an sint longe aliud, et ab hujus vi debeant et nominis et potentiæ segregari. Non enim imus inficias, in annalium scriptis contineri hæc omnia, quæ sunt a vobis in oppositione prolata: nam et ipsi pro modulo, ingeniique pro captu et legimus, et esse positum scimus, ludis quondam ipsis circensibus, qui Jovi maximo fierent, patremfamilias quemdam, antequam inciperent res agi, servum pessime meritum per circi aream mediam transduxisse cæsum virgis, et ex more mulctasse post patibuli pœna. Ludis deinde jam terminatis, profligatisque curriculis, non multi post temporis spatium civitatem occepisse pestilentia vastari. Cumque dies adderet malum malo gravius, catervatim et populus interiret: rusticulo cuidam sorte humilitatis obscuro Jovem per insomnium dixisse, uti ad consules vaderet, præsulem sibi dis-

COMMENTARIUS.

Ursinus, verissime. Alii: *Sed dii.* Heraldus conj.: *Si dii*, omisso *sed*. ORELL.

Et in habitum lætiorem statum cœli tempestatumque mutasse. Ita ed. Lugd. Bat. Antea legebatur: *statum cœli tempestatem mutasse*, quæ quidem est constructio vere Arnobiana, temere mutata a Meursio in *statum cœli tempestatem*. ORELL.

Et in altioribus columnis signa quædam et simulacra sunt constituta. Nam simulacra eorum, quos honoratissimos esse volebant, columnis superimponebant. Suetonius in Galba: *Senatus, ut primum licitum fuit, statuam, ei decreverat rostratæ columnæ superstantem in parte fori, qua trucidatus est.* Scribunt primis temporibus columnas pro simulacris erectas, easque simulacrorum loco cultas. Clemens Alexandrinus Stromate I: Πρὶν γοῦν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ, ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ. Idem observat Eusebius libro I de Præparatione Evangelica. HERALD.

Calor omnis numinum indignatioque frigescunt. *Calor* h. l. pro ira, iracundia, ut sæpius. Vide C. Barthii Adversar., lib. VII, cap. 19, pag. 351. ORELL.

Non sine cœlitum fieri voluntate. Meursius mavult: *voluptate*. ORELL.

Et cum tota imperitia reprehendi. Μετὰ πάσης ἀπειρίας. HERALD.

XXXVI. — *Ad ipsum articulum causæ. Articulus causæ idem quod caput causæ, rei.* Vid. Ol. Borrich. Cogitt. p. 49. ORELL.

Ventum veram atque adjunctissimam quæstionem. Hæc est lectio vetus, merito in textum revocata a Salmasio. *Adjunctissima causa*, nempe scopo, consilio operis. Simillimus locus Ciceronis pro Cluentio cap. 10 (quem apposite comparat cum nostro Gesnerus in in Thesauro): *Acervatim jam reliqua, judices, dicam, ut ad ea, quæ propiora hujus causæ et adjunctiora sunt, perveniam.* Male itaque interpolaverunt, Gelenius: *atque junctissimam;* Fulv. Ursinus: *atque justissimam;* Meursius: *atque invictissimam*. ORELL.

Formidine superstitionis amota. Optime Nascitur enim superstitio ab immani divinitatis metu, quo deum horremus, ut asperitate nimia truculentum, et idcirco omnes divinæ culturæ minutias, quæ nobis in mentem veniunt, studiose persequimur, nec quidquam omittimus. Hoc πάθος Græci δεισιδαιμονίαν idcirco appellant, quam definit Plutarchus δόξαν ἐμπαθῆ καὶ δέους ποιητικὴν ὑπόληψιν ἐκταπεινοῦντος καὶ συντρίβοντος τὸν ἄνθρωπον οἰόμενον εἶναι θεοὺς, εἶναι δὲ λυπηροὺς καὶ βλαβερούς. Hanc formidinem Cicero appellat inanem deorum timorem libro I de Natura deorum: *Horum enim sententiæ omnium non modo superstitionem tollunt, in qua est timor inanis deorum*, etc. Hinc igitur Varro, *deum a religioso vereri, a superstitioso timeri*, ait apud B. Augustinum. Hæc formido hominem ἐκταπεινοῖ καὶ συντρίβει, ait Plutarchus ex veterum sophorum sententia, quam exprimit Lucretius lib. VI, vers. 49, seqq.:

Cætera, quæ fieri in terris cœloque tuentur
Mortales, pavidis quum pendent mentibu' sæpe,
Efficiunt animos humiles formidine divum,
Depressosque premunt ad terram, etc.

Quare eleganter ait Maximus Tyrius Sermone IV pium esse amicum Deo, superstitiosum esse Dei adulatorem: ὁ μὲν εὐσεβὴς φίλος θεῷ· ὁ δὲ δεισιδαίμων κόλαξ θεοῦ. HERALD.

Et nominis. Meursius mavult: *et numinis*. ORELL.

Ludis et sacrificiis. Ludis addidit Fulv. Ursinus. ORELL.

Et legimus et esse positum scimus, ludis quondam ipsis circensibus, etc, etc. Eamdem historiam narrant Macrobius, lib. I Saturn., cap 11; Augustinus, de Civ. Dei, lib. IV, cap 26; Livius, lib. II, cap. 36; Dionysius Halicarn, lib. VII, pag. 742 (Sylb.); Plutarchus Coriolano; Lactantius, lib. II, cap. 7; Valerius Maximus, lib. I, cap. 8. ELMENH.—Add. Cic., de Divinat, lib. I, cap. 22, et Minuc. Fel. Octav., cap. VII. Pro *et esse positum* Fulv. Ursinus leg.: *hæc eadem et esse posita*. ORELL.

Multasse post patibuli pœna. Sic restituit Canterus ex editione Romana principe. Antea *pœnam*, pessime. Pro *multasse* cod. ms. *mulcasse*. ORELL.

Uti ad consules vaderet, præsulem sibi displicuisse monstraret, posse melius fieri civitati, etc. Sic emen-

plicuisse monstraret, posse melius fieri civitati, si ludis sua religio redderetur, et ex integro rursus curiosa observatione procederent. Quod cum ille facere minime curasset; vel quod esse vanum suspicaretur insomnium, nullamque habiturum apud audituros fidem: vel quod ingenitæ humilitatis memor potestatis tantæ fugeret et formidaret accessum: cunctatori redditum inimicum Jovem, filiorum obitus irrogavisse pro pœna. Mox cum et ipsi proprium minaretur interitum, ni præsulis pergeret nuntius improbati: obeundi formidine territatum, cum jam et ipse contactus pestilentiæ flagraret incendio, de sententia propinquorum perlatum ad curiam patrum, insomniique exposita visione, flammas evolavisse contagii: ludorum deinde instauratione decreta, et spectaculis adhibitam gravem curam, et priorem populo redditam sanitatem.

A

XXXVII. (*Oberth.* XL.) Sed neque illud æque nos negabimus scire, temporibus quondam civitatis et reipublicæ duris, vel quæ lues infesta faciebat continua populum contage conficiens: vel quæ hostes validi, et ad periculum libertatis auferendæ præliorum prosperitate jam proximi: jussis et monitis vatum, transmarinis ex gentibus quosdam deos accitos, magnificisque honoratos templis, et luis sedasse flagrantiam, et viribus hostium fractis frequentissime triumphatum, et auctos imperii fines, innumerasque provincias sub leges vestri cecidisse dominatus. Sed neque hoc nostram conscientiam fugit, lectum et positum, ictum cum esset Capitolium fulmine, multaque in hoc alia: Jovis etiam simulacrum, sublimi quod in culmine stabat, suis esse ab sedibus provolutum. Responsum deinde ab haruspicibus editum, res sævas tristissimasque portendi, ab incendiis, cædibus, ab legum interitu, et ab juris occasu, maxime tamen ab domesticis hostibus, atque ab impia conjuratorum manu. Sed flecti hæc posse, immo aliter publicari scelerata non posse consilia, nisi Jupiter rursus altiore in culmine figeretur, orientalem conversus ad cardinem, radiisque oppositus solis. Affuisse dicto fidem: nam subrecto culmine conversoque ad solem signo, patuisse res abditas, et reserata in maleficia vindicatum.

B

XXXVIII. (*Oberth.* XLI.) Habent quidem miraculi speciem, quinimmo habere creduntur cuncta ista, quæ dicta sunt: si ita, ut sunt prompta, humanum veniant ad auditum: nec diffitemur inesse his quiddam, quod in prima positum, quemadmodum dicitur, fronte perstringere [a] aures possit, et veritatis similitudine circumvenire. Cæterum si penitus intueri res factas, personas, et personarum volueris voluntates, [b] nihil esse reperies diis dignum, et quod sæpe jam dictum est, quod ad hujus nominis speciem dignitatemque referatur. Quis est enim primum, qui deum illum fuisse credat, qui currentibus frustra delectaretur equuleis, evocarique se genere hoc ludicri jucundissimum duceret? Imo illum fuisse quis est qui assentiatur Jovem, quem deum principem

C

LECTIONES VARIANTES.

[a] Præstringere *Fulv.*

[b] Voluptates *ms.*, *male.*

COMMENTARIUS.

davit Lipsius Epistol. Quæst. lib. III, Epist. XV. Antea legebatur: *uti ad consules suaderet*, etc., nullo sensu. Meursius verbum utrumque retinere vult legendo: *uti ad consules vaderet, suaderet, præsulem sibi displicuisse monstraret, posse melius fieri civitati*, etc. ORELL. — *Præsulem.* Livius (lib. II, cap. 36) *præsultatorem*, Valerius Max. et Lactantius locis modo laudatis *præsultorem* habent. Plutarchus et Dionysius Halicarn. ὀρχηστήν. Glossæ, *præsultor.* ..ὁ ἐν τοῖς ἱεροῖς ὀρχούμενος. ELMENHORST. — Hunc autem furciferum servum præsulem sive præsultorem appellabat dæmon, quod, qui virgis cæduntur, convertunt se et trepidant saltantium more, atque idcirco dicuntur quandoque per similitudinem saltare. Quapropter scribit Artemidorus, multas plagas servo portendi, si saltare se somniarit. Sic ille, lib. I Oneirocrit, cap. 78: Ὅπως δ' ἂν ὀρχήσεται δοῦλος, καὶ ὅπου ἂν πολλὰς λήψεται πληγάς. Καὶ ὁ πλέων ἤτοι ναυαγήσει, ἢ καὶ μόνος ἐκπεσὼν κολυμβήσει. Ὁ μὲν γὰρ παιόμενος, ὁ δὲ νηχόμενος κινηθήσεται δι' ὅλων τῶν σωμάτων. HERALD.

Cunctatori. Ita Fulvius Ursinus. Antea: *contatori.* ORELL.

XXXVII. — *Contage. Contages* antique pro contagio. Lucretius IV, 337:

Quæ contage sua palloribus omnia pingunt. ORELL.

Ictum cum esset Capitolium fulmine. Vide liv. lib. XXVII, cap. 4. ELMENHORST. — Jovem hunc alium fuisse a Jove Capitolino et stetisse eum in columna extra ædem Jovis Capitolini, pluribus docet Oudendorpius ad Jul. Obseq. de Prodig. c. 122, p. 209, qui factum hoc evenisse scribit Coss. Marco Cicerone et Cai. Antonio anno Urbis cond. 690. ORELL.

Res sævas tristissimasque portendi. Meursius et Stewechius legend. putant: *Res scævas*, etc. Vide supra ad lib. I, cap. 16. ORELL.

Sed flecti hæc posse, immo aliter publicari scelerata non posse consilia. Meursius verbum *posse* male bis inculcatum credens, corrigit: *Sed flecti hæc, immo aliter*, etc., quod probo. ORELL.

Subrecto culmine. Ita Guillelmus pro *subrepto*, quod antea legebatur pessime, eamque correctionem confirmat etiam codex ms. teste Stewechio. *Subrectum culmen* est altius erectum. Ita Virgilius de Fama:

Tot subrigit aures. ORELL.

D

XXXVIII. — *Cæterum si penitus intueri res factas, personas*, etc. Interpungo atque restituo: *Cæterum si penitus intueri res, facta, personas.* Consimili scriptura consimilem locum, lib. II Arnobii corrigendum puto: *Quod si homines penitus se nossent, aut intellectum Dei suspicionis exciperent aura*, ubi legendum: *penitius se nossent*, et supra hoc libro: *penitius re invisa* pro *penitus*. STEWECH. — Quæ correctio Stewechii probatur etiam doctissimo Oudendorpio in notis ad Jul. Obsequent. de Prodigiis cap. 118, pag. 194, ed. Kapp. Derivatur autem *penitius* non a *penitus*, sed a *penite*, quo usus est Catullus in Nuptiis Juliæ et Manlii vers. 178:

Illi non minus, ac tibi,
Pectore uritur intimo
Flamma, sed penite magis. ORELL.

Ad hujus nominis speciem. Meursio placet *numinis.* ORELL.

dicitis, et rerum, quæcumque sunt, conditorem : qui spectatum proficisceretur e cœlo, cantherios de velocitate certantes, replicantes gyros septem, et quos dissimiles ipse corporum esse in mobilitate voluisset, eos tamen gaudere, transire, transiri, pronos et cernuos ruere, cum curribus resupinos verti, trahi alios cruribus et claudicare præfractis, et ineptias nugis et crudelitatibus mixtas summis in voluptatibus habuisse, quas homo quivis lætus, nec ad studium plenæ gravitatis ac ponderis eruditus puerilia duceret atque aspernaretur ut ludicra ? Quis est, inquam, qui credat, repetamus ut assidue hanc vocem, generis eum fuisse divini, qui quoniam ludis actus per circi est spatium, meritorum pœnas et supplicia redditurus, ira exacerbatus ardesceret, seseque ad vires accingeret ultionis ? Si enim nocens servus, atque illa fuerat animadversione puniendus : qui debuit Jupiter indignatione aliqua commoveri, cum ageretur injuste nihil, imo cum nocens caput pœnis convenientibus plecteretur ? Sin autem immunis ab scelere, neque ulli obnoxius crimini, vitiosi præsulis ipse fuit in causa, cui cum subvenire potuisset, non fecit, immo ipse quæsivit, et pati quod improbabat, et ab aliis pœnas suæ permissionis exigere : et cur læsum deinde illo se questus est et pronuntiavit in præsule, quia crucis ad pœnas per circi actus est medium, virgis dilaceratus et flagris ?

XXXIX. (*Oberth.* XLI.) Et quid ex hoc facto labis potuit et fœditatis effluere, quod aut circum faceret minus purum, aut Jovem contaminatum, cum per exigua momenta, per puncta, tot in orbe conspiceret millia mortis in generibus variis, et cruciatibus interire diversis ? Ante, inquit, est actus, ludi quam inciperent confici. Si sacrilego pectore, religionisque contemptu, est ut ignoscere debeamus Jovi indignanti se spretum, nec circensibus propriis sollicitiorem adhibitam curam. Sin autem errore vel casu, latens illud non est animadversum et cognitum vitium, nonne fuerat rectum, Jovique conveniens, ut humanis ignosceret lapsibus, et imprudentiæ cæcitatem veniali concessione donaret ? Sed vindicanda res fuit. Et post hæc ali quis fuisse illum deum credet, qui puerilis incuriam ludicri, civitatis ultus est et persecutus interitu ? gravitatis, ac ponderis, aut ullius habuisse constantiæ firmitatem, qui ut sibi ex integro voluptatis in gaudia curreretur, venenatam in perniciem aeris haustus vertit, et pestilentiæ morbo stragem mortalitatis indixit ? Si ludorum exhibitor ma-

COMMENTARIUS.

Cantherios de velocitate certantes, replicantes gyros septem. Numerum imparem, ut magis faustum adamasse antiquos etiam in re militari, docui non uno loco Commentarii mei ad Vegetium. Attamen præter ternarium etiam septenarium religioni maxime commodum fuisse, liquet in verbis Apuleii II libro de Asino : *Meque protinus purificandi studio, marino lavacro trado, septies submerso fluctibus capite : quod eum numerum præcipue religioni aptissimum divinus ille Pythagoras prodidit.* De gyris aurigarum septem res notissima. Septies enim circuibant pernicissimo cursu metas, quæ constitutæ in Circo. Sidonius Apollinaris in laude urbis Narbonensis, ubi inter alia multa hac de re ita canit :

> Tu conamine duplicatus ipso
> Stringis quadrijugos, et arte summa
> n gyrum bene septimum reservas.

STEWECH.

Hinc Plautus in Persa :

> Age, puere,
> A summo septenis cyathis committe hos ludos ; move ma-
> [nus, propera.

Et Lanctantius opus suum concludens : *Quoniam decursus ny positi operis septem spatiis ad metam profecti sumus.* HERALD.

Cernuos ruere. Cernuus, in caput ruens. Prudentius Cathemerin., hymn. VII :

> Irrigatum pulverem ore pressit cernuo.

Vide, qui de hoc vocabulo multus est, Elmenhorst. Ind. in Apulei. et Oudendorp. ad Apulei Met. I, 15, pag. 62 seq. ORELL.

Trahi cruribus et claudicare præfractis. Vide Sophoclem in Electra, ubi fictam Orestæ mortem describit. HERALD. — Fulv. Ursin. leg. : *Debiles cruribus*, etc. Male. ORELL.

Habuisse. Meursius conj : *Habuisset*, et in præcedentibus : *eos tamen gauderet*, pro *gaudere*. Pessime. ORELL.

Quas homo quivis lætus. Ita ms. Quæ lectio confirmatur sequentibus verbis : *Nec ad studium plenæ gravitatis et ponderis eruditus.* Quare non necessaria correctio Gelenii : *Quas homo quivis lautus*, id est λαμπρόβιος, ἐπαινετὴς μέγας, ut explicant Glossæ. Vide Elmenh. ORELL.

Gravitatis et ponderis. Pondus, idem quod gravitas, auctoritas, græce τὸ βάρος, βαρύτης, ὄγκος. Ita Sil. Ital., vers. 428 et seq. :

> Frontique coma squalente sedebat
> Terribilis decor, atque animi venerabile pondus.

Et VIII, v. 609 :

> Læta viro gravitas, ac mentis amabile pondus.

Sic etiam Trebellius Pollio in XXX tyrannis, cap. 5 : *Sed privata virtute clari, non nobilitatis pondere vixerunt.* Ubi vide Salmas., qui de hoc verbo multus est, in Script. Hist. August., tom. II, pag. 263, edit. Hack. Hinc pro superbia, arrogantia cum fastidio juncta, usurpavit Ammianus Marcell., lib. XXVII, cap. 9 : *Horum flatus et pondera inventores juris antiqui mollientes etiam insontes quosdam aliquoties suppliciis aboleri censuere lethalibus.* Ubi vid. Wagner., tom. III, pag. 198. ORELL.

XXXIX. — *Est ut ignoscere debeamus.* Sic editio princeps, probantibus Cantero et editore Lugd. Bat. Gelenius et alii : *Est cur ignoscere debeamus.* ORELL.

Veniali concessione. Id est concessione veniæ, concessa venia. ORELL.

Aeris haustus. Simillimus locus Vegetii de Re Milit., lib. III, cap. 2 : *Si autumnali æstivoque tempore diutius in iisdem locis militum multitudo consistat, et contagione aquarum et odoris ipsius fœditate vitiatis haustibus et et aëre corrupto perniciosissimus nascitur morbus.* Plura exempla collegit N. Heinsius, in Adversar., lib. I, cap. 17, pag. 183. ORELL.

Pestilentiam, morbos, stragem mortalitatis indixit. Fulv. Ursinus conj : *Induxit.* Male. Vide ad lib. I, cap. 3. N. Heinsius in Adversar., pag. 183, mavult : *Stragem mortalitati* (id est mortalibus) *indixit.* Non necessaria correctio. *Mortalitas* enim pro strage notio Arnobii ævo non nova. Sic etiam Salvianus de Gubern. Dei, lib. VII, p. 153, ed. Brem. (quem locum apposite citat Meursius) : *Sicut ex furto Achar populus ruit, sicut ex zelo Saulis orta est pestilentia, sicut ex sancti David dinumeratione mortalitas.* ORELL.

gistratus minus curavit ediscere, quisnam esset illo A die circi actus per medium, contractaque est ex hoc culpa : quid infelix commeruerat populus, ut aliena delicta capitis sui dissolveret pœnis, pestilentibusque contagiis crudeliter expelleretur e vita ? immo quid fœminarum genus, quas ab negotiis publicis conditio fragilitatis excepit ? quid adultæ [a] virgines, quid parvuli fecere pusiones ? quid denique adhuc parvi nutricum sub alimonia constituti, ut in eos immitteretur par et una sævitia, priusque acerbitatem mortis, quam dulcedinem aliquam perciperent luminis ?

XL. (*Oberth*. XLIII.) Si sibi [b] Jupiter ludos scrupulosius fieri, restituique quærebat, si fideliter reddere suam populo sanitatem, nec malum, quod fecerat, prorogari ulterius et augeri : nonne rectius fuerat, consulem ut ad ipsum veniret, sacerdotum ad aliquem publicorum, pontificem maximum, aut ad Flaminem suum Dialem, eique per somnium, et præsulis vitium, et funesti causam temporis indicaret ? Quæ fuerat ratio, ut ruri hominem suetum, obscuritate incognitum nominis, urbanarum inscium rerum, quid sit præsul fortasse nescientem, voluntatis suæ deligeret [c] nuntium, et expetitæ satisfactionis auctorem ? Quem si utique sciebat, divinus modo si fuerat tergiversatorem in obsequio futurum : nonne fuerat pronius, et Deo conveniens, mentem hominis vertere, et parendi subigere voluntatem ; quam vias aggredi sæviores, et latrocinii ritu sine ulla passim ratione sævire ? Si enim rusticus, senior, inexpeditus in rebus obeundis, cunctabatur in re jussa causis C superioribus retardatus : quid infelices ejus commeruerant liberi, ut in eos ira et indignatio verteretur, offensasque alterius luminis sui spoliatione pensarent ? Et quisquam est hominum, qui fuisse illum Deum credat tam injustum, tam impium, nec mortalium saltem constituta servantem, apud quos nefas haberetur magnum, alterum pro altero plecti, et aliena delicta aliorum cervicibus vindicari ? Sed et ipsum fecit pestilitatis sævitia comprehendi. Nonne ergo præstantius, quinimmo æquius fuerat, si hoc esse videbatur faciendum, ut ab ipso patre terror coercitionis inciperet, apud quem causa tanti fuerat motus, et inobœda cessatio, quam in ejus dolorem vim liberis facere, et innoxias urere atque abolere personas ? Quænam illa sævitia, crudelitas fuit quæ tanta, ut,extincta sobole intestinis periculis post territaret patrem? Quod jamdudum si facere, id est, loco B priore voluisset ; nec germanitas conficeretur innoxia, et voluntas numinis cognosceretur offensa. At enim completo annuntiationis officio statim morbus evanuit, et sanitati homo est continuo restitutus. Et quid habet admirationis res ista, si malum, quod inspiraverit, repulit, seseque inani ostentatione jactavit ? Quod si penitus res pendas, magis illa crudelitas, quam beneficium salutis fuit ; siquidem hominem miserum, et interire post filios cupientem, non gaudia servavit ad vitæ, sed ut suam solitudinem disceret, et orbitatis cruciamenta sentiret.

XLI. (*Oberth*. XLIV.) Consimili ratione per alias ire licebit historias, et ostendere in his quoque longe aliud, quam esse dii debeant, de his ipsis dici, et earum in expositionibus indicari : velut in hac ipsa quam deinceps ponam, una ei duabusve conjunctis, fastidium ne immoderatione pariatur. Post advectos, inquitis, transmarinis ex gentibus deos quosdam,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Adulteræ *Sub*.
[b] Se *Sab*.
[c] Diligeret *Sab*.

COMMENTARIUS.

Minus curavit ediscere. Lectio sanissima et minime mutanda. *Ediscere* h. l. sciscitari, percontari. Consequens pro antecedente, ut sæpissime. Male itaque Pighius et Stewechius conj. *edicere*, interpretantes de edicto ejus qui munus edebat, sive titulo quo notatum, cui deo, cui deæ, cui rei ludi futuri essent. Quod h. l. minime quadrat. ORELL.

Quas ab negotiis publicis conditio fragilitatis excepit. Ulpianus, lib. I, ad Sabinum : *Feminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ sunt*. Livius, l. XXXIV, c. 2, in oratione Catonis : *Majores nostri nullam ne privatam quidem rem feminas sine auctore voluerunt : in manu esse parentum, fratrum, virorum*. ELMENH.

XL. — *Si sibi Juppiter*. Ita Meursius in Append. et ed Lugd. Bat. Cod. ms. : *Sibi Jupiter*. Gelenius et cæteri : *Si Jupiter*. ORELL.

Reddere. Editio princeps : *redderet*. ORELL.

Prorogari ulterius et augeri. Ita Stewechius ex ms. Ed princeps: *prorogaret*. .. *augeret*. Alii : *prorogare*.... *augere*. Meursius in Append. *augere* intelligit παθητικῶς, ut *movere* pro movere se. ORELL.

Consulem ut ad ipsum. Alii : *consulem aut ad ipsum*. ORELL.

Nonne fuerat pronius. Meursius legendum suspicatur : *nonne fuerit probius*. Sed bene habet vulgata lectio. *Pronius* id est facilius, *leichter, weniger gewaltthatig*. ORELL.

Subigere voluntatem. Meursius et Stewechius malunt : *subjicere voluntatem*. Sed *subigere* est gravius et expressius. ORELL.

Sed et ipsum fecit pestilitatis sævitia comprehendi. Vox antiqua. Lucretius, VI, 1096 :

> Atque ea vis omnis morborum, pestilitasque.

Et vers. 1123 :

> Hæc igitur subito clades nova pestilitasque. HERALD.

D *Et inobœda cessatio*. Ita Salmasius ex ms. et ad Solin. p. 24. *Obœdio, obœdus, inobœdus*, qui non obedit. Cujus autem adjectivi nullam aliam auctoritatem præter nostram agnoscunt lexica. Meursius in Append. scribendum putat *in obedientia cessatio*, quod a librariis per compendium scriptum inobeda errori originem dederit. Gelenius et cæteri ediderunt *in obeundo cessatio*. ORELL.

Quænam illa sævitia, crudelitas fuit quæ tanta. Ita Meursius et ed. Lugd. Batavorum Alii : *Quænam illa sævitia crudelitas fuit? quæ tanta*. Male. Stewechius mavult : *Quænam illa sævitia fuit? Crudelitas quæ tanta?* ORELL.

Repulit. Ita Gelenius et cæteri cum secuti, optime. Editio princeps : *retulit*. ORELL.

Inani ostentatione. Et hæc emendatio verissima debetur Gelenio. Cod. ms. : *in alia ostentatione*. Fulv. Ursinus : *in mali ostentatione*. Meursius : *in mala ostentatione*. ORELL.

XLI. — *Fastidium immoderatione pariatur*. Post

postque condita his templa, post cumulatas sacrificiis aras, male habens sese recreatus convaluit populus, et pestilentes morbi inducta sinceritate fugerunt. Qui, effamini, dii, quæso? Æsculapius, inquitis, Epidauro bonis deus valetudinibus præsidens, et Tiberina in insula constitutus. Si esset nobis animus, scrupulosius ista tractare, vobis ipsis obtineremus auctoribus, minime illum fuisse divum, qui conceptus et natus muliebri alvo esset : qui annorum gradibus ad eum finem ascendisset ætatis, in quo illum vis fulminis, vestris quemadmodum litteris continentur, et vita expulisset et lumine. Sed quæstione ab ista discedimus : Coronidis filius sit, ut vultis, ex immortalium numero, et perpetua præditus sublimitate cœlesti. Ex Epidauro tamen quid est aliud allatum, nisi magni augminis coluber? Fidem si annalium sequimur : et exploratam eis attribuimus veritatem, nihil, ut conscriptum est, aliud. Quid ergo dicemus? Æsculapius iste, quem prædicatis, deus præstans, sanctus deus, salutis dator, valetudinum pessimarum propulsator, prohibitor, et extinctor, serpentis est forma et circumscriptione finitus : per terram reptans, cœno natis ut vermiculis mos est, solum mento radit et pectore, tortuosis voluminibus se trahens, atque ut pergere prorsus possit, partem sui prostremam conatibus prioris adducit.

XLII. (*Oberth.* XLV.) Et quoniam legitur usus cibis etiam, quibus vita in corporibus immoratur, habet patulas fauces, quibus cibos transvoret, oris hiatibus appetitos : habet receptaculum ventris, et ubi mansa et vorata decoquat viscera, sanguis detur ut corpori, et viribus redintegratio subrogetur : habet et extremos tramites, per quos immunda fæx eat, aversabili corpora fœditate deonerans. Siquando mutat loca, et ab aliis transgredi in alias regiones parat : non ut deus obscure per cœli evolat sidera, punctoque in temporis, ubi causa postulaverit, sistitur : sed velut animal brutum vehiculum, quo sustineatur, petit : undas pelagi vitat; atque ut tutus possit incolumisque præstari, cum hominibus navem ascendit, et ille publicæ sanitatis deus fragili se ligno, et tabularum compagibus credit. Non arbitramur evincere, atque obtinere vos posse, Æsculapium illum fuisse serpentem : nisi hunc colorem volueritis inducere, ut in anguem dicatis convertisse se deum, quo mentiri se posset, quisnam esset, aut quales homines intueri. Quod si fuerit a vobis dictum, quam infirmiter invalideque dicatur [a], ipsa rerum inæqualitas indicabit. Si enim se deus videri ab hominibus evitabat, nec in forma serpentis velle debuit conspici : cum in qualibet forma non ab ipso se alius, sed ipse esset futurus. Sin autem intenderat cernendum se dare, non debuit oculorum negare conspectui : cur non talem videri se præbuit, qualem sciebat se esse qualemque se noverat sui numinis in potentia contineri? Erat enim hoc potius, multoque præstantius, augustæque conveniens dignitati, quam fieri belluam, horrentisque animalis in similitudinem verti, et dare ambiguis contradictionibus locum : esset ne verus Deus, an nescio quid aliud, longeque ab supera sublimitate sejunctum.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Edicantur *Sab.*

COMMENTARIUS.

hæc verba romana editio et ms. interserunt paginam totam, quam nos tamquam spuriam et meram repetitionem eorum, quæ præcesserunt, cum Stewechio, Nourrio aliisque post finem textus Arnobiani imprimendam curavimus. ORELL.

Æsculapius, inquitis, Epidauro etc. Lactantius, l. II, c. 7 : *Illud æque mirum, quod lue sæviente Æsculapius Epidauro accitus, urbem Romam diuturna pestilentia liberasse perhibetur.* Valerius Max., lib. I, c. 8; Ovid., Met. XV, 622; Augustinus, de Civit. Dei. l. III, c. 17; Livius, lib. X; Orosius, lib. III. c. 22. ELMENH.

Magni augminis coluber. Sic probabiliter correxit Meursius e Lucretio, qui *augmen* pro mole usurpat, lib. I, 434 seq. :

Nam quodcumque erit, esse aliquid debebit id ipsum,
Augmine vel grandi vel parvo denique, dum fit.

Item libro III, 269 :

Et tamen ex his
Omnibus est unum perfecti corporis augmen.

Et aliis locis. Vulgata tamen lectio *agminis* defendi potest loco Ausonii in Mosella 138, ab ipso Meursio citato :

Sic per freta magnum
Laberis, et longi vix corporis agmina solvis.

ubi *agmina* sunt, quæ *volumina* Virgilio, Apuleio. ORELL.

Quid ergo dicemus. Ita ms. ut infra: *Quid ergo dicemus? Hannibalem illum*, etc. Alii *dicimus*. STEWECH.

Tortuosis voluminibus se trahens. Germanicus Arateis Phænomenis, vs. 48, seq. :

Has inter medias, abrupti fluminis instar,
Immanis serpens sinuosa volumina torquet. ELMENH.

Zeno Veronensis sermone de Patientia : *Tamen extremorum pallido ex recursu voluminum, quasi jus terræ cognoscens, ac violare devitans mira patientia in se frangitur, iisdemque fluctibus, quibus cogitur, refrænatur.* HERALD.

XLII. — *Aversabili corpora fœditate deonerans.* Sic ex editione romana restituit locum Th. Canterus, rectissime. Alii : *deoneratis*. ORELL.

Quo mentiri se posset, quisnam esset, aut quales homines intueri. Illud postremum sane languidum et falsum. Quid enim? non poterat videre, quales homines essent, ut necesse habuerit propterea anguis formam induere? Neque in sequentibus tale quid habes. Emendo : *quo mentiri se posset et quisnam esset aut qualis hoc minus intueri.* Passive autem *intueri.* dixit, quomodo *tueor* non semel Lucretius. MEURS. *pag* 219. — Sagax est conjectura Meursii. Lectio, quam dedimus, profecta a Gelenio. Editio princeps habet : *quisnam esset aut qualis homines intueri*, nullo sensu. Ful. Ursinus conj. : *nec quisnam aut qualis possent homines intueri.* ORELL.

Non debuit oculorum negare conspectui. Equidem delenda censeo hæc verba, a sciolo fortassis librario assuta, qui oppositionem aliquam desiderabat ad verba præcedentia : *nec in forma serpentis velle debuit conspici.* Certe omissis illis omnia melius fluunt. ORELL.

XLIII. (*Oberth.* XLVI.) Sed si deus, inquit, non erat, cur, e navi postquam extulit sese, tiberinam ad insulam repsit: nusquam statim comparuit, et viderier ut ante desiit? Possumus enim scire, utrumne aliquod obstaculum fuerit, cujus sese objectu atque oppositione protexerit, an hiatus aliquis? Vos pronuntiate, vos dicite, quidnam illud fuerit aut cuinam rerum generi debuerit applicari, si personarum officia sunt certa certarum vestra. Cum res ita sit, deque vestro numine, vestraque et religione tractetur, vestrum est potius edocere, vestrumque monstrare, quid illa res fuerit, nostras velle quam exaudire sententias, nostraque expectare decreta. Nam nos quidem quid aliud possumus dicere, nisi quod fuit, et visum est: quod historiæ prodidere omnes, et oculorum sensibus est comprehensum? Hanc tamen scilicet colubram validissimi corporis, et prolixitatis immensæ; aut si nomen hoc sordidum est, anguem dicimus [a], serpentem nominitamus; aut si quod aliud nobis usus vocamen obtulerit, aut ampliatio sermonis effinxerit. Si enim repsit ut coluber, non pedibus se ferens, neque suas subexplicans itiones, sed ventre nixus ac pectore: si ex materia formatus carnis longitudinem porrigebatur in lubricam, caput si habuit atque caudam, si obsita squamis terga, si macularum suffectionibus varia, si os dentibus horridum, et ad infligendos instructum morsus: quid aliud possumus, quam generis eum dicere fuisse terreni; quamvis fuerit immanis et nimius, quamvis illum ab Regulo exercitus vi cæsum, longitudine corporis et roboris anteiret? Sed aliud nos remur, et labefacimus et destruimus veritatem. Ergo vestrum est explicare, quidnam ille fuerit, vel cujus generis, nominis et qualitatis cujus. Nam deus esse qui potuit, cum haberet ea, quæ diximus, quæ dii habere non debent, si cogitant dii esse, et vocaminis hujus eminentiam possidere? Tiberinam postquam ad insulam A repsit nusquam continuo apparuit: qua ex re numen fuisse monstratur? Possumus enim scire, utrumne istic aliquod rei fuerit alicujus obstaculum, cujus sese objectu acque oppositione protexerit, an hiatus aliquis, aut ex molibus inæqualiter aggeratis successus quidam, et fornices, in quos intulit se raptim, circumscripto tuentium visu? Quid enim si flumen transilivit? quid si transnatavit? quid si sylvarum densitatibus se dedit [b]? Argumentatio flaccida est, ea re suspicari deum illum fuisse serpentem, quod ab oculis sese properata omni festinatione subtraxit: cum deum non fuisse eadem rursus possit argumentatione monstrari.

XLIV. (*Oberth.* XLVII.) Sed si deus præsens anguis ille non fuit, cur post illius adventum pestilentiæ vis fracta est, et populo salus reddita [c] romano? B Referimus et nos contra: si ex libris fatalibus, vatumque responsis invitari ad urbem deus Æsculapius jussus est, ut ab luis contagio morbisque pestilentibus tutam eam incolumemque præstaret, et venit non aspernatus ut dicitis, colubrarum in formam conversus: cur toties romana [d] civitas mali hujus afflicta est cladibus? toties aliis aliisque temporibus dilacerata, vexata est, et innumeris stragibus civium minor facta est millibus? Cum enim deus accitus in hoc esse dicatur, ut omnino omnes causas, quibus pestilentia conflabatur, averteret: sequebatur, ut civitas intacta esse deberet, flatuque a noxio immunis semper innocuaque præstari. Atquin videmus, ut superius dictum est, sæpenumero his morbis cursus C eam vitæ habuisse funestos: nec dispendiis levibus esse populi fractas, debilitatasque virtutes. Ubi ergo Æsculapius fuit, ubi ille promissus oraculis venerabilibus? Cur templa post condita, sibique exædificata delubra, diutius habere perpessus est bene meritas civitates [e] luem, cum in id esset accitus, ut et malis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Dicamus *Fulv.*
[b] *Ita Fulv. Ursinus supplet.*
[c] Salus est reddita *ms.*
[d] Roma *Sab.*
[e] Meritæ civitatis *ms.*

COMMENTARIUS.

XLIII.— *Protexerit.* Ita Canterus ex editione Romana, Alii : *protexit.* ORELL.

Si personarum offi ia sint certa certarum. Vestra cum res ita sit. Sic distinguo cum Meursio. Alii interpungunt : *si personarum officia sint certa certarum vestra. Cum res ita sit.* ORELL.

Vestraque et religione. Meursius delet *et.* Male. ORELL.

Hanc tamen scilicet, colubram. Meursius conjicit: *Hanc tamen, si licet, colubram*, bene. Sequitur enim : *aut si nomen hoc sordidum est*, unde dicimus, *colubræ* vel *colubri* vocabulum fuisse Latinis sordidius et abjectius quam anguis vel serpentis. ORELL.

Sed ventre nixus. Ita ms. Alii : *nisus.* ORELL.

Obsita squamis terga. Ita Fulvius Ursinus. Codex ms., et editiones priores : *oblita.* ORELL.

Illum ab Regulo exercitus vi cæsum. Vid. Flor., lib. II, cap. 2, § 20, Livii Epitom., lib. XVIII; A. Gell., lib. VI, cap. 3; Valer. Max., lib. I, cap. 8, 19, text.; Plin., Hist. Nat., VIII, cap. 14; Obsequens, Prodig., cap. XXIX. ORELL.

Longitudine corporis et roboris anteiret. Offendit Meursium *longitudo roboris*, placetque illi corrigere vel : *longitudine corporis et roboris magnitudine an-* D *teiret*, vel : *longitudine corporis et robore anteiret.* Sed vulgata lectio defendi potest per zeugma sive syllepsin, figuram optimis scriptoribus frequentatam. ORELL.

Quidnam. Ita ed. princeps ex ms. Alii : *quisnam.* ORELL.

Protexerit. Sic Canterus ex editione Rom. Alii : *protexit.* ORELL.

Successus. Vide supra ad lib. VI, cap. 52. ORELL.

XLIV. — *Si ex libris fatalibus.* Romani malis oppressi vel morbis impliciti libros fatales consulebant. Livius, lib. V : *Deos pestis arcendæ causa placandos esse in libris fatalibus inventum est :* et aliquoties. ELMENH.

Mali hujus afflicta est cladibus? toties aliis aliisque temporibus dilacerata, vexata est, et innumeris stragibus civium minor facta est millibus? Cum enim, etc. Ita e codice ms. supplent Meursius et Stewechius, sequentibus cæteris. Antea : *mali hujus afflicta est millibus? Cum enim,* etc., nullo sensu. Pro *temporibus* legunt alii *speciebus.* ORELL.

Diutius habere perpessus bene meritas civitates luem. Hæc meo saltem judicio sanissima nescio qua

mederetur instantibus, nec sineret in futurum tale aliquid, quod metueretur irrepere?

XLV. (*Oberth.* XLVIII.) Nisi forte aliquis dicet, minoribus et consequentibus sæculis idcirco dei talis defuisse custodiam, quod impiis jam moribus et improbabilibus viveretur : opem autem contulisse majoribus, quod innoxii fuerint, atque ab omni scelerum contagione dimoti; quod ratione cum aliqua et audiri forsitan potuisset, et dici, si aut in temporibus priscis omnes essent usque ad unum boni, aut sequentia tempora malos omnes generarent, et nulla diversitate discretos. Cum vero res ita sit, ut in magnis populis, nationibus, quinimmo et in civitatibus cunctis mixtum sit humanum genus naturis, voluntatibus, moribus, tamque potuerint in prioribus sæculis, quam in novellis ætatibus boni simul malique existere : stultum satis est dicere, propter malitias posteros auxilia numinum non meruisse mortales. Si enim propter malos sequentium sæculorum boni non sunt protecti temporum novellorum, et propter antiquos malos boni æque ac majores non debuerant merere benevolentiam numinum. Sin propter bonos priscos mali etiam conservati sunt prisci : et propter bonos minores ætas debuit sequens, quamvis esset improbabilis protegi. Aut ergo jam fracta atque immunita vi morbi anguis ille perlatus famam Conservatoris assumpsit, cum nihil omnino commoditatis attulisset : aut fatalia dicenda sunt carmina, multum veris aberravisse præsagiis, cum remedium ab his datum non deinceps cunctis, sed auxilio fuisse uni tantum reperiatur ætati.

XLVI. (*Oberth.* XLIX) Sed et Magna, inquit, Mater accita ex Phrygio Pessinunte, jussis consimiliter vatum, salutaris populo et magnarum causa lætitiarum fuit. Nam et diu potens hostis ab Italiæ possesA sione detrusus est, et gloriosis illustribusque victoriis decus urbis restitutum est pristinum, et imperii fines longe lateque porrecti, et innumeris gentibus, civitatibus, populis libertatis jus raptum est, et jugum servitutis impositum; multæque res aliæ foris domique perfectæ ineluctabili firmitate gentis nomen majestatemque fundarunt. Si verum loquuntur historiæ, neque ullas inserunt rerum conscriptionibus falsitates, allatum ex Phrygia nihil quidem aliud scribitur missum rege ab Attalo, nisi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis sine ulla impressione qui posset : coloris furvi atque atri, angellis [a] prominentibus inæqualis : et quem omnes hodie ipso illo videmus in signo oris locum positum, indolatum et asperum, et simulacro faciem minus expressam B simulatione præbentem.

XLVII. (*Oberth.* L.) Quid ergo dicemus? Hannibalem illum pœnum, hostem potentem ac validum, sub quo anceps et dubia res romana contremuit, et magnitudo trepidavit, lapis ex Italia depulit, lapis fregit, lapis fugacem ac timidum, suique esse dissimilem fecit? Et quod rursus exilivit ad imperii columen, et regium principatum, nihil consiliis actum est, nihil hominum viribus : nec ad reditum sublimitatis antiquæ tot tantisque ab ducibus quidquam est scientia militari aut rerum experientia collatum? Lapis aliis vires, aliis roboris infirmitatem dedit : hos secundis præcivitavit ab rebus, aliorum extulit stratas desperatione fortunas? Et quis hominum C credat [b] terra sumptum lapidem sensu agitabilem nullo, fuliginei coloris atque atri corporis [c], deum fuisse matrem? aut quis [d] rursus accipiat, hoc enim solum restat, numinis alicujus habitasse in silicis fragmentis more [e] subjectam, venisque in ejus ab-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita Sab. Ms.* angallis, *male.*
[b] Credit *Sab.*
[c] *Delet. hoc verbum Fulvius.*
[d] Qui *Sab.*
[e] Molem *Fulv.*

COMMENTARIUS.

causa mutavit editor Lugd. B. : *Diutius haberi perpessus est bene meritæ civitatis luem.* Orell.

XLV. — *Si aut in temporibus priscis*, etc. Ita ed. Lugd. Batav. Alii delent *in.* Orell.

Mereri. Ita ms. Alii *merere*, quæ forma antiquioribus usitata. Orell.

Famam Conservatoris assumpsit. Σωτῆρος. Nam græcam appellationem, qua insigniebantur sive dii, sive homines, qui a cæteris pericula propulsasse credebantur; exprimere voluit. Sic Castor et Pollux εὐεργέται ἀνθρώπων καὶ σωτῆρες appellantur a Plutarcho in Thesæo. Sed hæc alibi fusius. Herald.

Aberravisse. Ita edit. Romana. Alii : *Aberrasse.* Canter.

XLVI. — *Sed et Magna, inquit, Mater accita ex Phrygio Pessinunte.* Livius, lib. xxix, cap. 11 et 14 ; Augustin., de Civ. Dei, lib. III, cap. 12 ; Tertullian. Apologet., cap. 25; Minucius Felix; Lactant., lib. II, cap. 7 ; Cicero, de Harusp. Resp. Elmenh et Orell.

Coloris furvi atque atri. Prudentius, περὶ Στεφάνων, *nigellum lapidem* dixit. Elmenh.—Conf. Bronkhus. ad Propert., pag. 477. Orell.

Angellis prominentibus inæqualis. Deminutivum *angellis* Arnobio ex ms. restituit Stewechius, sequente ed. Lugd. Bat. Alii *ungulis:* Orell.

D XLVII. — *Ad imperii columen.* Ita Stewechius. Alii *culmen.* Vide supra ad lib. I, cap. 8. Orell.

Fuliginei coloris atque atri corporis. Fulv. Ursinus τὸ *corporis* delet. Orell.

Et quis hominum. Sabæus *qui*, quod apud hos scriptores nonnunquam pro *quis* usurpari supra ostendimus. Orell.

Numinis alicujus habitasse in silicis fragmentis more subjectam venisque in ejus abstrusam. Hæc est codicis ms. lectio, in textum revocata a Stewechio et Salmasio. Sed quid hoc sibi velit, equidem me nescire ingenue fateor. Gelenius edidit : *Numinis alicujus habitasse in silicis fragmentis molem subjectam.* Stewechius mavult *humorem* seu potius *materiam subjectam.* Sed quid est *humor* vel *materia* numinis? Magis placet Fulv. Ursini emendatio : *Majestatem subjectam.* Quid si legamus : *Numinis alicujus habitasse vim (pro in) silicis fragmentis mire* (θαυμαστῶς) *subjectam*, etc.? Orell.

strusam? Et unde parta victoria est, si Pessinuntio lapidi nullum inerat numen? Sedulitate possumus dicere, ac virtute pugnantium, usu, tempore, consilio, ratione, fato etiam possumus, et reciproca varietate fortunæ. Sed si auxilio lapidis res facta est melior, et felix recuperata [a] victoria est, ubinam mater illa Phrygia tempore illo fuit, cum tot tantisque exercitibus cæsis inclinata est res summa, et ad ultimæ labis periculum venit? Cur non minaci fortiter se obtulit? Cur impetus tantos belli non prius fregit, ac repulit, quam immanes inciderent plagæ, quibus omnis effunderetur sanguis, et exhaustis rueret vita ipsa pene vitalibus? Advecta enim nondum, nec favorem [b] fuerat ut commodaret, rogata. Sed bonus auxiliator numquam rogari se poscit, spontanea semper opitulatione subveniens. Hostem pellere, ac fugare non potuit, multo adhuc mari, terrisque habitabilibus discreta. Sed deo, si deus est, longum nihil omnino est, cui punctum terra est, et sub nutu omnia constituta.

XLVIII. (*Oberth.* LI.) Sed fuerit præsens, ut exposcitis credi, illo ipso numen in lapide : et mortalium quisquam est, quamvis ille sit credulus, et facillimas aures quibuslibet fictionibus præbeat, qui eam judicet fuisse aut tempore illo deam, aut hodie dici appellarique debere? quæ modo hæc appetat, modo illa deposcat, suos deserat fastidiatque cultores : provinciis ab humilioribus migret, potentioribus populis, ditioribusque se jungat. Verum bellicas res amat, interque esse desiderat pugnis, cædibus, mortalitatibus, et cruori. Si deorum est proprium, si modo sunt veri, et quos deceat nuncupari vi vocis istius, et potentia numinis, nihil facere malitiose, nihil injuste, hominibusque se cunctis una et parili gratia sine ulla inclinatione præbere : generis eam fuisse divini quisquam ne hominum credat, aut habuisse æquitatem diis dignam, quæ, humanis sese discordiis inserens, aliorum opes fregit, aliis se præbuit exhibuitque fautricem, libertatem his abstulit, alios ad columen dominationis evexit : quæ, ut una civitas emineret, in humani generis perniciem nata, orbem subjugavit innoxium.

XLIX. (*Oberth.* XXXV.) Age nunc summatim, quoniam sermo prolatus est, et perductus in hæc loca, singularum partium oppositionibus comparemus, utrumne vos melius rebus de superis sentiatis, an potius nos multo et honoratius opinemur et rectius, quodque rei divinæ suam præstet atque attribuat dignitatem. Ac primum vos deos, quos in rerum natura vel arbitramini esse, vel creditis, quorumque in templis omnibus simulacra constituistis et formas, profitemini esse natos, et ex masculorum fœminarumque seminibus conventionum progenitos lege. At vero nos contra, si modo dii certi sunt, habentque hujus nominis auctoritatem, potentiam, dignitatem, aut ingenitos esse censemus, hoc enim religiosum est credere, aut si habent nativitatis exordium, dei summi est scire quibus eos rationibus fecerit, aut sæcula quanta sint, ex quo eis attribuit perpetuitatem sui numinis inchoare. Vos habere sexus deos, aliosque ex his mares, fœminei generis alios esse censetis : nos potentias cœlites discretas esse sen-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Reciperata *ms.*

[b] Pavorem *Sab.*

COMMENTARIUS.

Venisque in ejus abstrusam. Habet a Virgilio Georg. I, 135 :

Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem. HERALD.

Cur non minaci fortiter se obtulit. Sententia inversa, et verba detorta ab ineptis et sciolis : quorum temeritatem et inscitiam produnt membranæ, dum legunt : *Cur non minaci forti se obtulit? Fors*, *fortis*, *forti* declinabatur antiquis pro fortuna, forte. Neque in solo Arnobio eam vocem depravatam scio : tribus minimum locis in Codice Justinianeo eam restituendam observo, notoque ad l. *Si cum*, cod. de Donationibus ante nuptias. In lapidibus et nummis antiquis nusquam non sese offert hæc inscriptio : FORTI FORTUNÆ. Terent. Phormione : *Quod fors feret, feremus æquo animo.* A nomine *fors* variarum figurarum adverbia faciunt Grammatici, ut *forsan, forsitan, fortasse, fortassis*, etsi ipsum *fors* adverbialiter quoque ponitur, ut ap. Virgil. Æn. V, 232 :

Et fors æquatis cepissent præmia rostris.

Vide Nonium. Charisium, alios. STEWECH.

Numquam rogari se poscit. Id est vult, cupit. Sic Ovidius Met. VIII, 707 :

Esse sacerdotes, delubraque vestra tueri
Poscimus.

Eodem sensu *postulare* familiare comicis. Vide J. Fr. Gronov. ad Gell., IV, 1, et Ruhnken, ad Rutil. Lup., pag. 134. ORELL.

XLVIII. — *Mortalitatibus.* Notanda verbi *mortalitas* pro strage notio nova; isto tamen ævo non nova. Apud Salvianum quoque libro VII : *Sicut ex furto Achan fugit populus, sicut ex zelo Saulis exorta est pestilentia; sicut ex David numerationes mortalita.* Ita etiam *mortalis* pro exitiosus, pestiferus, apud Cyprianum, lib. I, epist. 7 : *Nec audiant eos, qui se fallaci et mortali circumventione decipiunt.* Et de Bono patientiæ : *Adulterium, fraus, homicidium mortale crimen est.* MEURS., *pag.* 221. — *Mortalitas* itaque h. l. quod nos dicimus : *Ein Sterben.* ORELL.

Credat. Tò *credat* Fulvius addit, sensu flagitante. ORELL.

Ad columen dominationis erexit. Proba lectio, ut ostendebamus ad lib. II. Modo : *Et quod rursus exilivit ad imperii columen, et regium principatum. Erexit* scil.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
HERALD.

Orbem subjugavit innoxium. His verbis in cæteris editionibus finitur totum opus, unde, quia nimis abruptus hic exitus libri, Fulvius Ursinus concludit, mancum hunc librum esse et imperfectum. Nos relegatis ad finem capitibus aliarum editionum XXXV — XXXVII, finem libro dabimus convenientissimum et opere præstantissimo dignissimum. Vide quæ annotavimus supra ante c. XXXVIII. ORELL.

XLIX. — *Singulorum partium oppositionibus comparemus.* Lego : *singularum partium.* HERALD.

Quodque. Alii : *quod.* ORELL.

sibus abnegamus; quoniam discrimen hujusmodi terrenis animantibus datum est, quas coire, quas generare auctor voluit rerum, substituendis per libidinem prolibus. Vos hominum similitudinem gerere, et mortalium vultibus existimatis esse formatos : nos effigies remur submotas esse ab his longe, quoniam forma mortalis est corporis : et si forte est ulla, comprehendere neminem posse indubitabili asseveratione juramus. A vobis artificia singuli opificum more habere perhibentur : ridemus cum audimus nos ista; quoniam diis artes necessarias ducimus arbitramurque non esse, et eas constat [a] et liquidum est paupertatis ad subsidium comparatas.

L. (*Oberth.* XXXVI.) Discordiarum alios ex his vos, alios dicitis qui pestilentias irrogent, alios qui amores, qui furias, alios vero qui præsint bellis et sanguinis effusione lætentur : at vero nos contra ab ingeniis numinum judicamus esse disjunctas : aut si sunt, qui hæc mala miserrimis inferant subjiciantque mortalibus, ab deorum contendimus procul esse natura, nec sub hujus nominis prædicatione ponendos. Irasci et perturbari vos numina, cæterisque animorum affectibus mancipata esse atque obnoxia judicatis; nos hujusmodi motus alienos existimamus ab his esse : sunt enim ferocium generum, et mortalitatis obeuntium functiones. Vos pecorum sanguine, vos cædibus et mactationibus hostiarum gaudere, lætari, et in gratiam cum hominibus remini offensionibus redire sopitis : nos amorem sanguinis nullum esse in cœlitibus ducimus : nec esse tam duros, ut miserorum animantium cæde saturatas abjiciant iras. Vos mero, vos thure honorem arbitramini diis addi, et eorum augescere dignitates : nos monstrum et prodigium judicamus, quod quisquam hominum credit aut augustiorem fieri deum fumo, aut ex roribus exiguis vini ipsum sibi ab hominibus ducere satis sancte atque honorifice supplicatum. Vos æris tinnitibus, et tibiarum sonis, vos equorum curriculis, et theatralibus ludis persuasum habetis deos et delectari, et affici, irasque aliquando conceptas eorum satisfactione molliri : nos inconveniens ducimus, quinimmo incredibile judicamus, eos, qui gradibus mille genus omne virtutum perfectionis transierint summitate, in voluptatibus habere, atque in deliciis res eas, quas homo sapiens rideat, et quæ non aliis videantur continere aliquid gratiæ, quam infantibus parvulis, et trivialiter et populariter institutis.

LI. (*Oberth.* XXXXII.) Hæc cum ita se habeant, cumque sit opinionum tanta nostrarum vestrarumque diversitas, ubi aut nos impii, aut vos pii : cum ex partium sensibus pietatis debeat atque impietatis ratio ponderari? Non enim simulacrum qui sibi aliquod conficit, quod pro deo veneretur : aut qui pecus trucidat innoxium, sacrisque incendit altaribus, is habendus est rebus deditus esse divinis. Opinio religionem facit, et recta de diis mens; ut nihil eos existimes contra decus præsumptæ sublimitatis appetere. Cum enim cuncta, quæ his dantur, sub oculis hic nostris videamus absumi, quid ad eos aliud ab nobis dicendum est pervenire, nisi opiniones diis dignas et eorum convenientissimas nomini? Hæc sunt dona certissima, sacrificia hæc vera : nam pulticulæ, thura cum carnibus rapacium alimenta sunt ignium, et parentalibus conjunctissima mortuorum.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Esse et eas constat *ms.*

COMMENTARIUS.

Indubitabili asseveratione juramus. Fulv. Ursino placet *firmamus* vel *judicamus.*

Quoniam diis artes necessarias ducimus arbitramurque non esse, et eas constat et liquidum est paupertatis ad subsidium comparatas. Ita lego ex romana editione pro: *arbitramurque non esse eas, constat et liquidum est*, etc. Elegantius autem multo esset, si cum Lipsio nostro (Epistol. Quæst. lib. III. epist. XV.) pro *et eas* legamus *quas*, et forsitan ita ab auctore scriptum fuit. CANTER. — Lipsii emendationem probat etiam Meursius. ORELL.

L. — *Discordiarum alios ex his vos.* Scribo, *Discordiam alios ex his vos.* MEURS. — Fortassis in mente habuit Arnobius scribere : *Discordiarum auctores aliis ex his vos.* Fulv. Ursinus mavult : *Discordias.* ORELL.

At vero nos contra. Alii : *at hæc nos contra*, et in sequentibus, *disjuncta* pro *disjunctas.* ORELL.

Obeuntium. Ita Gelenius rectissime. Antea : *obeuntibus*, Meursio placet : *obeuntis.* ORELL.

Et in gratiam cum hominibus remini offensionibus reddire sopitis. Verissimam hanc Codicis msti et editionis principis lectionem temere corrupit Gelenius edendo : *et in gratiam cum hominibus remissis offensionibus redire opinatis.* ORELL.

Credat. Salmas : *credit.* ORELL.

Aut ex roribus exiguis vini. Proprie. Silius Italicus, lib. XI, vers. 299, seqq.:

Ante omnes ductor honori
Nominis augusto libat carchesia ritu;
Cætera quem sequitur, Bacchique e more liquorem
Inorat mensis turba, ardescitque Lyæo. HERALD.

Vos æris tinnitibus et tibiarum sonis, vos equorum curriculis, etc. Ludos inter alia cœlestis iræ placamina institutos testantur Livius aliquoties, Censorinus, de Die Nat., cap. 12; Valerius Maximus, liv. II. cap. 4, et alii. Vide Stewech., ad Veget., de Re Milit., lib. II, cap. 24. ORELL.

Et delectari. Et addidi cum Stewechio. ORELL.

Molliri. Ita Codex ms. et editio princeps. Alii, *Mollire.* ORELL.

In voluptatibus habere atque in deliciis res eas. Sic edidi ex emendatione Stewechii et Heraldi. Alii : *In voluptatibus habere atque in deliciis esse res eas.* Tò *esse* deest in cod ms. ORELL.

LI. — *Cum ex partium sensibus.* Id est sententiis, placitis. ORELL.

Ut nihil eos existimes contra decus præsumptæ sublimitatis appetere. In manuscripto erat : *promperæ sublimitatis.* Ursini editio romana retinuit : *promptæ sublimitatis.* Apud eumdem hunc scriptorem obvia sunt ista : *expeditum ac promptum est; manifestum ac promptum est; facere promptum libris*, etc. STEWECH.

Nam pulticulæ, thura cum carnibus rapacium alimenta sunt ignium, et parentalibus conjunctissima mortuorum. Nempe quia, quemadmodum ista in rogum injiciebantur, sic, et in sacrificiis in aram accensam consumenda imponebantur de his parentalium inferilibus dicam obiter aliquid, quia rem video nondum satis explicatam. Primum igitur, quum mortuus cremaretur, cœna feralis in rogum inferebatur. Sic enim inferilia ista appellant. Apuleius Florid. IV : *Procul igitur faces*

COMMENTARIUS.

abigerent; procul ignes amolirentur; cœnam feralem a tumulo ad mensam referrent. Cœnam simpliciter dicit Catullus, LIX:

> Uxor Meneni, sæpe quam in sepulcretis
> Vidistis ipso rapere de rogo cœnam,
> Quum devolutum ex igne prosequens panem
> Ab semiraso tunderetur ustore.

De hac ferali cœna intelligendus etiam Tertullianus, libro de Resurrect. carnis, cap. I: *At ego magis ridebo vulgus tunc quoque, qui ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem ignibus et promerens et offendens.* Hunc enim locum ad novendialem cœnam eruditissimi homines male referunt. Tum igitur cremata cœna et in rogum injecta, cum defunctus cremaretur. Sed et postea in parentalibus. Rem totam explicat Ovidius, lib. II. Fastorum (vers. 533), cujus verba proponemus, eaque obiter illustrabimus:

> Est honor et tumulis. Animas placate paternas
> Parvaque in exstructas munera ferte pyras.
> Parva petunt Manes, pietas pro divite grata est
> Munere. Non avidos Styx habet ima Deos.
> Tegula porrectis satis est velata coronis
> Et sparsæ fruges, parvaque mica salis.
> Inque mero mollita Ceres, violæque solutæ:
> Hæc habeat media testa relicta via.
> Nec majora veto. Sed et his placabilis umbra est:
> Adde preces positis et sua verba focis.
> Hunc morem Æneas, pietatis idoneus auctor,
> Attulit in terras, juste Latine, tuas.
> Ille patris genio solemnia dona ferebat;
> Hinc populi ritus edidicere pios.

Agit Ovidius de parentationibus, quæ mense Februario quotannis mortuis persolvebantur, et ad quas animæ defunctorum excitari credebantur. His igitur verbis: *Est honor et tumulis. Animas placate paternas* —ostendit, unde parentationes appellatæ sint; nempe quia parentibus persolvebantur a nepotibus, et eorum Manes ita placabantur. Idcirco tumuli inscripti, ut quisque sciret, ubi situs esset is quem placare volebat. Lucanus, lib. VIII (vs. 771, seqq.):

> Interea parvo signemus littora saxo,
> Ut nota sit busto. Si quis placare peremptum
> Forte volet, plenos et reddere mortis honores,
> Inveniat trunci cineres, et norit arenas,
> Ad quas, Magne, tuum referat caput.

Nam bustum ipsum quandoque stipite signabant, et ne moveretur stipes, concremati nomen ibi inscribebant. Hinc eodem libro, vs. 791:

> Nautaque ne bustum religato fune moveret,
> Inscripsit sacrum semiusto stipite nomen:
> Hic situs est Magnus.

Inscribebant igitur tumulis defunctorum nomina, ut inibi Manes eorum placari possent; quam ad causam et alia accessit, ut eorum memoria ita conservaretur et in posteros propagaretur: quare res ab iis gestæ, A honores, cæteraque hoc genus alia addebantur. Lucanus eodem libro (vs. 806, seqq.):

> Quod si tam sacro dignaris nomine saxum,
> Adde actus tantos, monimentaque maxima rerum,
> Adde truces Lepidi motus, Alpinaque bella, etc.

(et vs. 816):

> Quis capit hæc tumulus? Surgit miserabile bustum
> Non ullis plenum titulis, non ordine tanto
> Fastorum; solitumque legi super alta deorum
> Culmina, et exstructos spoliis hostilibus arcus,
> Haud procul est ima Pompeii nomen arena
> Depressum tumulo, quod non legat advena vectus,
> Quod nisi monstratum Romanus transeat hospes.

Ut autem ad rem propius accedamus, mense Februario defunctorum Manibus parentabant, et ad epulas illas propinquorum animas invitabant: unde scribit Artemidorus memoriam ejus qui laqueo B vitam sibi abrupisset, ita damnatam et tanta ignominia afflictam fuisse, ut nec in parentationibus inter cæteros propinquos nominaretur. Artemidori verba sunt Oneirocrit., lib. I, cap. 5: Ἄτιμός τε καὶ φυγὰς γενόμενος, ἀναρτήσας ἑαυτὸν, ἐτελεύτησε τὸν βίον, ὡς μηδ' ἀποθανὼν ἔχειν ὄνομα. Τούτους γὰρ μόνους ἐν νεκρῶν δείπνοις οὐ καλοῦσιν οἱ προσήκοντες. Eorum igitur, qui deformi eo leto sese polluerant, nomina propinqui in parentalibus præteribant; tunc enim vocabantur ad epulas cæteri, et eorum nomina ciebantur, ut loquitur Ausonius penult. Carm. Professorum, ubi de primis inferiis agit:

> Grammatici in studio, vel Rhetoris, aut in utroque
> Quos memorasse mihi morte obita satis est.
> Viventum incelebra est laudatio: nomina tantum
> Voce ciere suis sufficiet tumulis.

Eos igitur, qui præteribantur, ὄνομα οὐκ ἔχειν recte ait Artemidorus. Addit Ovidius: *Parvaque in exstruc-* C *tas munera ferre pyras.* Nam et in parentalibus rogi exstruebantur, in quos inferiæ mitterentur, quod etiam apertissime docet Lucianus Ἐπισκοποῦσιν. Quare in Glossis: *Parentat*—ἀποχαίει νεκροῖς νεκύσια. Hinc igitur Arnobius hoc loco ait, pulticulas et thura cum carnibus in aram accensam ingesta parentibus mortuorum esse conjunctissima. Thura igitur etiam in rogos missa: quod de primis quidem rogis minime dubium est: sed in parentalibus quoque idem factitatum arguit hic locus. Sed de his satis. HERALD.—Conf. Lips. ad Tacit. Annal., VI, 5, pag. 486, seq., ed. Oberlin. ORELL.

Thura cum carnibus, etc. Antiquis siquidem mos erat, ut suis parentantes, mortuorum corpora thure perfunderent, sive ea cremarentur, sive mandarentur sepulturæ. Testis Virgilius, ubi describit funus Miseni, Æn. VI, vs. 224 et seq.:

> .....Congesta cremantur
> Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.

NOURR., *pag.* 520.

APPENDIX

AD ARNOBII AFRI DISPUTATIONUM ADVERSUS GENTES

LIBROS SEPTEM,

AUCTORE J. CONRADO ORELLIO.

Operis Arnobiani, cujus novam hanc, benevole lector, editionem tibi offero, hocce elogium legitur in editione illius hactenus plenissima, Lugduno-Batava: « Reconditæ hoc sapientiæ promptuarium, quo fatua gentilium religio exploditur, vera confirmatur, omni laude majus est. Quis enim, eloquentiæ nervos, rationum pondera, exquisitas sententias cum perlegit, non abripitur in amorem et desiderium tanti auctoris? Ubique triumphat florentissima ejus dictio, atque ipsi adeo gentiles suo jugulantur gladio. Calamus ille simul omnes tacentes gentilium deos perfodit, confecit. Ipsi dii, si tales dii essent, erubescerent, ubi audirent hic sua crimina, atque insulsas de se confictas fabulas. Libro quidem secundo auctor noster gnosticorum sequitur opinionem de immortalitate animarum, et aliis in locis de veritate christiana nonnihil recedit. Sed hoc condonandum ei, qui ex ethnicismi tenebris recens ad veritatem christianam pervenerat. Idem huic auctori evenit, quod iis solet, qui e carcere tenebricoso in lucem perducti visum adhuc dubium habent. In cæteris subtilis, disertus, ingenio et facundia pollens, ethnicismi debellator fortissimus. »

Quam laudem si nimiam fortassis egressamque veritatis limites atque ab editore auctoris sui amore velut insaniente profectam putaveris, ipse, quæso, ἔρχου καὶ βλέπε: perlege totum opus doctissimum æque ac eloquentissimum; et admiraberis Varronem istum Ecclesiæ latinæ, quo verissimo nomine Arnobius ornatur a viris eruditis, vel lege tantum partes ejus lucidiores, verbi causa, quæ libro I, de Jesu Christo, ejus ingenio, moribus, operibusque miraculosis disserit, et intelliges inter antiquos neminem prorsus, inter recentiores paucissimos veriora et meliora de divino Sotere locutos, adeo ut non veteris Ecclesiæ scriptorem inter veritatem superstitionemque nutantem adhuc et vacillantem, sed ex hodiernis theologis sapientissimum aliquem legisse tibi videare. Vel perlustra quæ libro II, de humani animi imbecillitate, vel quæ libro III, de Martis et Veneris, hoc est bellorum ac voluptatis, malis effatur eloquentissime, vel quæ in eodem et sequentibus libris in irrisionem deorum dearumque gentilium Luciani ingenio digna profert, vel quæ de inani templorum aut idolorum magnificentia deque sacrificiorum apparatu vanitatis pleno disserit egregie: et fateberis, etiam ingenii et eloquentiæ, unum fortassis Origenem in libris suis contra Celsum si exceperis; nullum fere scriptorem ecclesiasticum ipsi palmam præripere, discipulumque illius Lactantium, Patrum, ut appellant, Ciceronem, quantum præceptorem suum antecellat latini sermonis puri tersique elegantia, tantum ab eodem superari ingenio, eruditione veraque, nec aliunde ascita, sed ex ipso pectore fluente facundia. Et, quæ non minima ejus laus est, sapiens est scriptor et sobrius: nullæ hic subtiles argutiæ, nulli otiosi ingenii lusus, nulla luxuriantis imaginationibus somnia, nullæ metaphoricæ et allegoricæ insulsæ et e longinquo petitæ, in quibus mirifice sibi placent alii Ecclesiæ Patres vel celebratissimi, ut Tertullianus, Hieronymus, Ambrosius, et in Exegeticis Origenes, neque purum ab illis immunemque plane se servavit ipse aureo ore fluens divinus Joannes. Quod autem in secundo libro quædam habet veritati contraria, eque gnosticorum, cui addictus erat, doctrina petita, verbi causa de animalibus brutis aliunde quam a summo rerum opifice originem trahentibus, deque ipsa hominis anima ob imbecillitatem suam pravitatemque a Deo Optimo Maximo non creata, sed sanctificata tantum et immortalitatis dono ornata, id, spero, facile condonabis homini ex ethnicismi tenebris recens ad christianam lucem emerso, memor quippe, in doctrina de optimo mundo plerosque vel maximi nominis philosophos ante Leibnizium cæcutiisse.

Hujus itaque præstantissimi scriptoris ante hos octo annos (quo tempore primum ad illum legendum accesseram) incredibilem quemdam amorem cum concepissem, subiit cogitatio in illo vires meas qualescumque tentare novamque ejus editionem parare, quæ cum eorum quæ priores interpretes in emendando illo explicandoque præstitissent delectum, tum eorum quæ isti intacta reliquissent illustrationem continens viam ad intelligendum scriptorem difficilem sane et reconditæ eruditionis expeditiorem redderet sacrarum æque ac humanarum litterarum cultoribus, præsertim cum, una excepta Oberthuriana (quæ tamen destituta est omnibus interpretationis subsidiis in hoc scriptore vel maxime necessariis), cæteras ejus editiones plerasque raras admodum et magno pretio constantes cognovissem: neque etiam (ut dicam quod res habet) ulla earum justis legentium desideriis satisfacere mihi visa est: alias enim (ut Lugduno-Batavam) commentariorum multa quidem bene docteque explicantium, at non pauciora, quæ vel maxime indigere viderentur illustratione, intacta prorsus relinquentium, alia contra leviuscula et vel tironibus nota, vel adeo ἀπροσδιόνυσα et ad alia potius omnia quam ad Arnobium pertinentia attingentium mole nimia; alias, ut priorianam eorumdem defectu laborantes inveni: neque, unum Heraldum si excipias, omnium qui in emendando illo explicandoque operam posuerunt, ullus omnino omni ex parte defunctus videtur officio interpretis: Gelenius enim, qui, post editionem principem romanam fœdissimis erroribus contaminatam, primus textum Arnobii recensuit, nimia abusus ingenii fiducia, auctorem suum plerisque in locis corrupit potiusquam emendavit, et Arnobium nobis dedit sui dissimillimum. Plura præstitit Theodorus Canterus, vir exacti judicii et diligentiæ accuratæ, qui loca haud pauca cum acute correxit, tum docte illustravit, sed longe plura eaque difficillima præteriit: optandumque fuisset, ut promissis suis de altera locupletiore editione Arnobii adornanda stetisset vir doctissimus: Fulvius etiam Ursinus nonnulla emendavit egregie. Meursius in Critico suo proprio marte et juvenili audacia emendavit Arnobium et, ut ipse fatetur, haud raro extra propositos excurrit limites attamen locis aliquot medelam attulit verissimasque lectiones nonnullas neglectas a primo editore, Fausto Sabæo, e codice manuscripto revocavit et, quod præcipuum ejus meritum est, antiquiorem latinitatem,

quam, ut Apuleius aliique scriptores Afri, etiam affectavit Arnobius, e Plauto, Lucretio, aliis docte illustravit. Godescalcus Stewechius haud pauca quidem habet docta bonaque, at vero archaismo ultra modum velificatur, nimioque antiquorum more loquendi pruritu abreptus, quoties vocem aliquam vel locutionem priscam et obsoletam inque latinæ linguæ infantia ortam in Fragmentis ennianis aut pacuvianis vel in inscriptionibus vel glossariis antiquis reperisse sibi videbatur, illam, velit nolit, intrudere conatur Arnobio suo. Elmenhorstius quamquam in animadversionibus suis brevitati se studuisse fateatur, constat tamen, in commentariis illius multa inveniri supervacanea prorsus atque inutilia, quibus sæpe res clarissimæ atque notissimæ absque ulla necessitate exponuntur confirmanturque, plura etiam extra oleam et auctoris propositum. Maxime autem vir iste sibi placuisse videtur in explicandis rebus obscœnis atque turpibus, quibus, si quæ ejus generis Arnobius tangit, verbi causa, in libro II, c. 42, super verbis *ad oris stuprum paratæ*, plures sæpe paginas complet. Omnium autem interpretum Arnobii facile princeps verusque illius sospitator dicendus est Desiderius Heraldus, qui vir doctissimus multa acute correxit, plura docte explicuit, difficillimorumque locorum plerorumque verum sensum primus aperuit. Nec etiam contemnendus est Nicolaus le Nourry, vir eruditionis eximiæ et antiquitatum peritissimus, qui plurima ad res mythologicas et antiquarias spectantia doctissime exposuit locisque haud paucis, quæ priores interpretes intacta reliquerant, primus lucem attulit. Maximopere autem dolendum est Salmasii commentarium, quo vir eruditionis immensæ Arnobium illustrare voluerat, vix inchoatum, nedum absolutum fuisse, nihilque nobis a tanto viro in hunc scriptorem superesse, nisi emendationes quasdam quantivis pretii, quas Thysius recepit in editionem suam plenissimam Lugduni-Batavorum anno 1651 excusam.

Horúm itaque interpretum e commentariis omnia quæ bonæ frugis ad Arnobium ipsis inesse viderentur, sedulo excerpsi. Ac primo quidem consilium erat annotationes Heraldi, ut quæ doctissimæ essent et multa aliorum scriptorum loca egregie cum emendarent, tum illustrarent, omnes integras dare. At mutavi consilium, veritus ne hac ratione libri moles ac pretium nimis augeretur, præsertim cum intellexissem, omnia fere aut pleraque, quæ in illius animadversionibus alios scriptores, Lucianum maxime, Artemidorum et T. Livium attingunt, ab istorum auctorum editoribus, Reitzio, Drakenborchio, Reiffio, jam fuisse in usum adhibita; quamobrem illas partim integras dedi, partim in brevius contraxi, alias licet paucas plane omisi, ubi alii interpretes meliora dedissent. At vero his omnibus, quæ ex prioribus Arnobii interpretibus delibare licuerat, vix dimidia pars laboris absoluta erat: etenim restabant plurima vel emendanda vel illustranda, quæ illi altissimo prætermiserunt silentio. Aliunde itaque lux quærenda Arnobio. Legendi et alii permulti, qui obiter et alia agentes illi lucem aliquam attulerunt. Excutiendi Salmasianæ eruditionis thesauri in Solinum, Tertullianum de Pallio et scriptores Historiæ Augustæ, ubi plures in Arnobio nodi solvuntur egregie; perlustrandæ editiones veterum scriptorum Heinsianæ, Burmannianæ, Gronovianæ, Davisianæ, Oudendorpianæ, aliique libri philologici, verbi causa, Epistolarum collectio burmanniana, Justi Lipsii Opera, Barthii et Heinsii Adversaria, Gronovii Observationes in scriptores cum sacros tum profanos, etc., etc., in quibus haud pauca eaque minime contemnenda in Arnobium. Verum et sic supererant loca permulta vel obscura vel ulcerosa, quibus proprio marte vel lux affundenda vel medela adhibenda. Excurrendum in omnem fere qua patet eruditionis campum, artesque et disciplinæ multifariæ, quas attingit in opere suo doctissimus scriptor, philosophia cum antiqua omnium fere scholarum sectarumque, tum gnostica primorum christianorum, mathesis, arithmetica, astronomia, historia porro, geographia, mythologia, archæologia, jurisprudentia, medicina, physica, historia naturalis, res rustica et herbaria, ars theatralis, immo nonnunquam ipsa ars culinaria, omnes erant in auxilium vocandæ; percurrendi auctores latinitatis tum priscæ illius et obsoletæ, quorum, ut et Apuleius, imitator est Arnobius, tum recentioris et ecclesiasticæ, cujus subinde vitia traxit; ut brevi dicam, sexcenti omnis generis libri evolvendi, donec prodiret editio, quam aliquo saltem modo probatum iri a viris doctis sperare possem.

Tandem post integrum biennium, æstate scilicet anni 1808, absolutum opus, haud paucis lucubratum noctibus statim cum adversis tempestatum procellis confligtari cœpit et per septem amplius annos infesto adeo sidere usum est. Apographum enim per omnes fere Germaniæ provincias iter faciens portumque sibi quærens librariam aliquam, in qua typis expressum exiret in lucem, iterum iterumque in littus quasi rejectum, infecta re, ad patrios editoris sui lares rediit. Nam turbæ bellicæ per tot annos in Germania grassantes infestaque rei librariæ tempora impediebant, quo minus redemptorem inveniret, qui ejus imprimendi curam susciperet. Quid quod et opinio falsissima omnino haud parum nocuisse videtur Arnobio meo, esse scilicet hunc scriptorem minime auctoribus classicis, sed potius patribus ecclesiasticis accensendum, cumque istorum studium jam pridem deferbuerit in Germania, paucissimos ideo inventurum lectores. Quæ temporis mora, quantumvis tædiosa editori ipsa fuerit, haud parum tamen ipsi Arnobio fuit proficua, quippe quæ, quoties ad me rediret Apographum, plus sexies mihi occasionem dederat auctorem meum retractandi, plurima vel conjectata male vel præter rem annotata emendandi, multisque, quæ interim nancisci licuit, interpretationis subsidiis illum augendi, inprimis Nourrii annotationibus doctissimis, cujus Apparatum cum in omnibus fere Helvetiæ bibliothecis frustra quæsivissem, tandem commodatum accepi benevolentia duumvirorum humanissimorum, Januarii Frey, abbatis cenobii rhenovencis in pago turicensi, viri summe venerandi, et Blasii Hautingeri, ejusdem cœnobii bibliothecarii plurimum reverendi. Tandem cum jam omnem spem Arnobium meum typis expressum videndi prorsus abjecissem, fructuque, quem ipse ex ejus pertractatione perceperam, eximio, scientiaque mea qualicumque antiquarum litterarum per eum haud parum adaucta atque laborum præstantissimo scriptori tributorum recordatione dulcissima me consolari cœpissem, ecce benevolentia G. H. Schæferi, viri clarissimi, cujus humanitatis et amicitiæ verissimæ in me manifestata documenta sentire possum, verbis exprimere dignisque laudibus prædicare non possum, inventus est, qui ejus imprimendi curam susciperet, Fred. Christ, Guil. Vogelius, vir honestissimus pluribusque auctoribus classicis in sua libraria, cum accuratissime editis tum nitide impressis, de humanioribus litteris optime meritus.

Jam quid in hac editione præstitum sit, paucis accipe. Textum dedi maxime editionis Oberthurianæ (cujus etiam capitum distinctionem secutus sum), pluribus tamen in locis ex Salmasii potissimum in editione Lugduno-Batava exhibitis aliorumque virorum doctorum correctionibus, ubi res flagitare videretur, emendatiorem. Annotationum, ut dixi, delectum tantum exhibere volui lectorum sumptibus consulens, non autem integrum apparatum Arnobianum (qualem a doctissimo viro Guil. Te Water, professore Ultrajectino, aliquando exspectari post absolutam demum editionem meam ab amico quodam comperi), quo editio hæc duobus voluminibus satis spissis constans ad numerum sex septemve ejusdem magnitudinis voluminum facile excrevisset. Præmisi cum notitiam litterariam Arnobii plenissi-

mam e Schœnemanni Bibliotheca patrum latinorum, A tum conspectum operis singulorumque capitum argumentum ex Gallandi Collectione patrum Ecclesiasticorum Venetiis 1765 seq. excusa. Indices tandem adjeci tres plenissimos auctorum ab Arnobio citatorum, rerum ac verborum, vel potius indices editioni Lugduno-Batavæ adjectos pluribus vocabulis auxi. Gratissimum porro auctarium huic editioni accedit annotationibus in primum Arnobii librum doctis et acutis, quas benevolentissime mecum communicavit civis meus, Jacobus Ochsnerus, professor catechetices et historiæ sacræ in gymnasio turicensi, vir doctissimus et accurata latinæ linguæ cognitione cum paucis comparandus, jamque de Nicolao meo Damasceno optime meritus. Cui et alteri civi amicissimo, Leonhardo Kellero, professori matheseos in schola artium turicensi, qui Gœttingæ versatus Heraldi observationes in Salmasii Jus atticum et romanum curas ejus secundas in Arnobium continentes, Behotii Apophoreta aliosque libros rariores et in B alma patria non inveniendos in usum meum benevolentissime excerpsit, hac occasione gratissimi animi sensa testificari liceat.

At nolo te longiore præfamine morari, benevole lector. Igitur quæ bona fortassis et ad rem pertinentia in nova hac editione Arnobii inveneris, hæc quæso boni consulas: in quibus autem erratum fuerit quæ ne permulta sint, maximopere vereor, his, spero, ignoscas, memor quippe, quam facile sit labi in scriptoribus multo facilioribus, nedum in tali, qui e difficillimis sit et plurimis in locis a librariis pessime habitus, cujusque in toto terrarum orbe, quod sciam, unus extet codex manuscriptus bibliothecæ regiæ parisiensis, ex quo omnes omnium editiones fluxerunt. Viros doctos imprimis, qui in Ephemeridibus litterariis Arnobio meo censendo operam daturi sunt, rogatos velim, ut æquum justumque de illo judicium ferant, utque, quod maximopere optaverim, sententiam suam de duobus locis difficillimis, de quorum C vera lectione et interpretatione etiamnum dubius hæreo, lib. III, cap. 40: « Hos Consentes et Complices Etrusci aiunt et nominant, quod una oriantur et occidant una, sex mares et totidem fœminas nominibus ignotis et miserationis parcissimæ; » et lib. VI, cap. 23: « Et obserata pandentes remedorum obscuritate Canacheni, » candide aperiant. Quibus si novum hoc laboris mei in hoc litterarum genere specimen non displicuerit, aliquando, si Deus Optimus Maximus vitam viresque concesserit, reliquos etiam christianæ fidei defensores latinos, Minucium Felicem, Julium Firmicum, Cyprianum, Tertulliani Apologeticum et adversus Nationes libros II, fortassis etiam Græcorum præcipuos, Clementem Alexandrinum, Justinum Martyrem, Tatianum, Athenagoram, Hermiam, eadem cura recensitos et illustratos luci daturus sum.

Scripsi mense novembri MDCCCXV. Turici Helvetiorum.

ORELLIUS.

Versiones Arnobii nusquam me commemoratas invenire memini præter Belgicam, interprete Joachimo Oudæn Harling., 1677, in-8°, apud Fabricium, Bibl. Lat., lib. IV, cap. 3, p. 291, ed. Venet.

Codex tantummodo unicus hactenus repertus est, ex quo primum fluxit, et iterum iterumque Arnobius emendatus est, qui jam in bibliotheca regia parisiensi extat. Optandum vero esset, ut Doctus aliquis, cui aditus ad Cod. hunc regium patet, eum accurate describeret, quo sæculo scriptus esse videatur, rationibus justis probaret, imprimis vero num fœdis adeo characteribus aut scripturæ compendiis exaratus sit, ut toties a viris insigniter eruditis, quos *suo loco* nominamus, nec umquam sine nova variarum lectionum messi exerceri potuerit. Nam licet Gelenii judicium de editoribus primæ romanæ nequaquam contemnamus, nec hi tamen fucum nobis facere voluisse putandi sunt; immo verum sit, quod universim de hoc libro ms. testati sunt: « Scatebat Arnobius antea tot mendis, quot litteræ insunt. Innumera sustulimus, quædam de industria præteriimus, quæ vel nullo modo intelligerentur vel omnino desiderarentur: arrogantis enim ingenii esset, ea restituere velle, quæ omnino ignores. »

De Flacii Illyrici, postea Petræi Codice, quem in Stewechii usum Franciscus Modius contulit, nescio utrum scriptum alicubi legerim, an ipse primus animadverterim, eum nihil aliud quam apographum Regii fuisse. Certe plane jam persuasum illud habeo, postquam curiosius Cod. hujus lectiones, quas diserte in margine ed. suæ Stewechius exhibuit, cum excerptis a Scaligero Cod. Parisini lectionibus ad calcem Meursii Critici Arnobiani contulimus; quo miram quamdam inter utrumque convenientiam deprehendimus; quamquam non eadem prorsus, sed pro diverso arbitrio diversa loca Modium et Meursium, et illum quidem multo parcius elegisse et excerpsisse simul apparuit.

INDEX PRIMUS

SCRIPTORUM QUI AB ARNOBIO CITANTUR.

NUMERUS MAJOR LIBRUM, MINOR CAPUT INDICAT.

INDEX II

RERUM.

A

L.

M.

INDEX III

VOCUM AC LOCUTIONUM PRÆCIPUARUM.

N.

O.

P.

PRÆFATIO.

Quæ causa fuerit hujus Arnobii mei appendicis, quidque in ea præstitum sit, paucis accipe, benevole lector. Quum scilicet nundinis anni præteriti vernalibus editionem meam Arnobii e prelis Vogelii viri honestissimi emissam accepissem, nihil ex eo tempore neque potius neque antiquius habui, quam ut cum textum hujus editionis, tum annotationes ipsi adjectas denuo attentius perlustrans singula, quæ in iis vel commissa vel omissa essent, mihi notarem, simulque vel ipse vel per amicos sedulo conquirerem, quæcumque ad emendationem aut illustrationem scriptoris ob reconditam doctrinam difficillimi facientia in aliis libris philologicis dispersa, eo tempore, quo in Arnobio edendo occupatus fueram, meam effugissent notitiam. Hoc per aliquot menses facienti mihi errorum quidem graviorum haud ita larga seges compa-

ruit, nisi illis annumerare velis 12-15 emendationes priosum interpretum verissimas, quas in annotationibus meis probatas in textum recipere oblitus fueram, jam vero in errorum indiculo huic appendici ad calcem adjecto notatas. Sed eo amplior novorum subsidiorum, quibus uti antea non licuerat, copia quærenti sese obtulit, imprimis cum (quod, qui hactenus mihi unus innotuit idemque æquissimus Arnobii mei Censor in Ephemeridibus litterariis Lipsiensibus desiderabat) eum in finem perlustrassem opera quædam splendidissima et ex parte raro obvia, quæ antiquæ artis monumenta continent, v. c. Viscontii Museum Pio-Clementinum et Museum Clermontanum, Gorii Museum Etruscum, antiquitates et picturas ex Herculano erutas (quarum in edendo Arnobio usus fueram nonnisi editione Augustæ Vindelicorum excusa instructaque nonnullis Murrii notulis fatis exilibus), Zoegæ porro Opus doctissimum de anaglyphis antiquis Romæ repertis (*Li Bassirilievi antichi di Roma*), novam etiam editionem Operum Winkelmanni a triumviris doctissimis, Fernovio, jam ante aliquot annos acerbo fato litteris humanioribus, quarum insigne decus et ornamentum fuerat, erepto, a Meiero et Schulzio curatam. Quorum virorum doctissimorum et antiquitatis peritissimorum laboribus plus quam triginta iisque difficilioribus Arnobii mei locis lucem jam redditam fuisse, est quod gratissimi animi sensu profiteor. At vero his copiis haud contentus denuo perlegi priorum Arnobii interpretum, Heraldi imprimis, Stewechii et Elmenhorstii commentarios, et Nourrii Apparatum (ex quo antea, cum autographum Arnobii mei jam Lipsiam missum fuisset, paucas tantummodo quasi spicas legere licuerat) benevolentia eorumdem virorum humanissimorum, quos in Præfatione ad Arnobium laudavi, iterum mihi concessum, ut, si quæ bonæ frugis in illis invenirem, quæ in edendo Arnobio vel diligentiam meam fugissent, vel quæ ipse, propterea quod aliqua mihi jam pridem notissima continere viderentur, aliis fortassis ignota futura non suspicans, silentio prætereunda censuissem, ea jam in curas hasce secundas reciperem. Adii præterea aliquas veterum scriptorum editiones ad edendum Arnobium nondum adhibitas, nec non varios libros philologicos diversissimi generis, v. c. Casauboni Exercitationes ecclesiasticas, Salmasii Epistolas, Phil. Caroli Animadversiones in Agellium et Q. Curtium haud contemnendas, Cb. Cellarii libellum de Barbarismis linguæ latinæ bonæ frugis plenissimum, Schellingii brevem quidem, sed doctrina multifaria reconditaque refertam, Dissertationem de Diis Samothraciis (cui, ut mihi quidem videtur, unice veram explicationem debeo loci omnium difficillimi lib. III, cap. 40, de Diis Consentibus, de quo judicia virorum doctorum expetiveram in Præfatione ad Arnobium; porro Creutzeri viri, quem nominasse laudasse est, opus præstantissimum inscriptum: *Symbolik und Mythologie der alten Völker:* aliosque libros complures. Denique haud ingrata accessio facta est conjecturis nonnullis beati Heumanni, quas adscriptas margini exemplaris editionis Elmenhorstii Hamburghi, anno 1610, excusæ, quod asservatur in amplissima Bibliotheca Georgiæ Augustæ, mecum communicavit Benekius, professor Goettingensis, vir doctissimus æque ac humanissimus, et jam de editionibus meis cum Epistolarum Socraticarum, tum Memnonis Heracleotæ et Chionis optime meritus. His itaque omnibus excerptis, collectis, dispositis atque ad singulas editionis meæ paginas adaptatis, meisque qualibuscumque adjectis, correctis denique, quotquot iterata ejus lectione investigare licuerat, cum calami errantis, tum typorum vitiis, extitit tandem ultimum hocce ad Arnobium meum spicilegium, quod tibi jam offero, benevole lector, sperans, in illo, quamvis breve sit, et paucis tantum plagulis constet, plura tamen non plane contemnenda, neque, ut aiunt, e trivio petita te inventurum, neque, si illud cum editione mea comparaveris, adeo multa, quæ sive crisin, sive explicationem Arnobii juvare possint, amplius esse desideraturum. Cui jam extremum vale dico tamquam amico gratissimo, cum quo per annos haud paucos arctissima mihi fuerat familiaritas, optans maximopere, ut inter sacrarum humanarumque disciplinarum cultores, quamplurimos lectores nanciscatur auctor lectu dignissimus, doctrina et acumine pollens Patrumque Ecclesiæ latinæ nemini secundus.

Scripsi Turici Helvetiorum, 11 Februarii 1817.

SEGMENTUM.

Quod codex ms. Regius Arnobianus, ex eoque romana editio adtextum habet ad initium capitis 41, *libri* VII, *nostræ editionis post verba*: Fastidium ne immoderatione pariatur.

Non imus inficias in annalium scriptis contineri hæc omnia, quæ sunt a vobis in oppositione prolata: nam et ipsi pro modulo, ingeniique pro captu, et legimus hæc eadem, et esse posita scimus; sed quæstionis in hoc, summa est, utrumne hi dii sint, quos sævire asseveratis offensos, reddique ludis et sacrificiis mites? an sint longe aliud, et ab hujus vi debeant et nominis et potentiæ segregari. Quis est enim primum qui eos deos existimet aut esse qui credat, qui motibus et saltationibus scenicis, qui canteriis frustra currentibus, voluptatum solvuntur in gaudia, ineptas et frigidas actiones spectatum proficiscuntur e cœlo?

offendique se doleant et suis honoribus derogatum, si paulisper constiterit ludius aut tibicen modice interquieverit fessus? qui præsulem sibi displicuisse pronuntient, si per circi medium pergat nocens aliquis, meritorum pœnas et supplicia redditurus? Quæ si penitus cuncta et sine ulla gratificatione cernantur, non tantum ab diis esse reperientur aliena, verum ab homine quovis lauto, nec ad summos apices gravitatis ac ponderis instituto. Quis est enim primum deos illos qui existimet fuisse aut esse qui credat, qui nocendi habeant sæviendique naturam, easque abjiciant rursus cyatho uno sanguinis, et turis suffitione moliti? Qui motibus scenicis et saltationibus histrionum festos dies ducant et hilaritatis plenissimas voluptates; qui cantherios frustra et sine ulla ratione currentes spectatum proficiscantur e cœlo: gaudeantque ex his alios transire pronos et cernuos ruere, cum curribus resupinos verti, trahi alios debiles et cruribus claudicare præfractis; qui præsulem sibi displicuisse pronuntient, si per circi medium pergat nocens aliquis meritorum pœnas et supplicia redditurus; qui offendi se doleant et suis honoribus derogatum, si paulisper constiterit ludius, interquieverit tibicen fessus, puer ille matrimus decidat fortuito alicujus instabilitate prolapsus? Quæ si penitus cuncta et sine ulla partium gratificatione pendantur, non tantum longe longeque ab diis esse reperiantur aliena, verum a quovis homine sentiente communia, nec ad studium veri rationum cognitionibus erudito (1).

(1) In hoc segmento plura, quæ prius dispersis in locis dicta fuerant, totidem verbis iterum descripta sunt. Cur vero librarius hoc assumentum in textum Arnobii intrudere ausus fuerit, haud facile dictu. Ut ut sit, hæc non esse Arnobii monuisse sufficiat. NOURRIUS.

SUPPLEMENTUM ADNOTATIONUM

IN ARNOBII AFRI LIBROS VII ADVERSUS GENTES.

LIBER PRIMUS.

Col. 718, ad notam *Et velut quiddam.....* adde: — Etiam Maximinus imperator, Christianis infensissimus, in illa quam ad civitates persecutionem illorum postulantes rescripsit epistola quamque servavit nobis Eusebius, Hist. Eccles., lib. IX, cap. 7, asserit acerbiores calamitates contigisse *διὰ τὴν ὀλέθριον πλάνην τῆς ὑποκένου ματαιότητος τῶν ἀθεμίτων ἀνθρώπων ἐκείνων, ἡνίκα κατὰ τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἐπεπόλαζε, καὶ σχεδὸν εἰπεῖν τὰ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης αἰσχύναις ἐπίεζε*. Postea adhuc Symmachus (ap. Ambros., tom. II, pag. 631 et seq.) sterilitatem terræ famemque publicam abrogatis Vestalium sacerdotumque ethnicorum privilegiis adscribere non dubitavit: *Nemo me putet solum causam religionum tueri: ex hujusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda...... Secuta est hoc factum fames publica, et spem provinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum...... sacrilegio annus aruit: necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur.* NOURRIUS, *pag.* 324.

Col. 719, ad notam *Hostilibus condignos...* adde: — Cæterum *condignus* antiquum vocabulum Plauto aliquoties usurpatum. Vide I Fr. Gronov. ad Cassin., act. I, v. 43. ORELL.

Col. 721, ad notam *Calore, exarsit...* adde: — Heumannus conj. *aut intepuit.* Sed tales particulæ copulativæ sæpissime omittuntur ab Arnobio. ORELL.

Col. 722, ad notam *Nec madidata...* adde: — Doctissimus Arnobii mei Censor Ienensis (*Jenaische Litteraturzeitung Januar* 1817. *Nr.* 11, 12), cujus judicium, cum autographum hujus Appendicis jam Lipsiam missum fuisset, mecum communicavit amicus quidam, legendum conjicit *arva succrescunt.* ORELL.

Col. 723, in nota *Inhabitabiles,* post v. HERALD., insere hæc: — Sic infra, lib. VII, cap. 47, fin. (col. nostræ edit. 1285, lin. 17) *terrisque inhabitabilibus discreta.* Ita enim e Codice msto et edit. rom. reponendum pro *habitabilibus.* Nec igitur audiendus Heumannus legendum conjiciens: *per habitabiles oras.*

Col. 723, ad notam *Et studiosæ....* adde: — At jam meliora edoctus a doctissimo Censore Ienensi muto sententiam et unice veram puto lectionem vulgatam: *studiosæ nativitatis.* Respicit scil. Arnobius ad opinionem Platonis aliorumque veterum philosophorum, qui statuebant, artium ac disciplinarum semina non extrinsecus accipi, sed a prima nativitate ac summo Creatore menti humanæ insita cum ipsa crescere et augeri, vel etiam degenerare. Insignis hanc in sententiam locus est Tertulliani in libro de Anima, cap. 20, init.: *Et hinc itaque concludimus, omnia naturalia animæ, ut substantiva ejus ipsi inesse, et cum ipsa æque proficere, ex qua ipsa censetur. Sicut et Seneca sæpe noster. Insita sunt nobis omnium artium et ætatum semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia, ex seminibus scilicet insitis et occultis per infantiam, quæ sunt et intellectus. Ex his enim producuntur ingenia. Porro ut frugum seminibus una generis cujusque forma est, processus tamen varii. Alia integro statu evadunt, alia etiam meliora respondent, alia degenerant pro conditione cœli et soli, pro ratione operis et curæ, pro temporum eventu, pro licentia casuum; ita et animam licebit, semine uniformem, fœtu multiformem* et quæ sequuntur lectu dignissima. Eodem libro cap. 24 legimus: *Et si immortalem (animam agnoscimus), ut hoc sit divinitatis, tamen passibilem, ut hoc sit nativitatis* (id est nativæ indolis). Dicit itaque Arnobius *studiosæ nativitatis usuras* usuras studiorum a prima nativitate hominibus insitorum. ORELL.

Col. 724, post notam *Tenorem...,* insere hanc sequentem:

Veritatis absconditæ sacramenta patefecit. Sacramenta, id est *μυστήρια.* Nil amplius. Sic enim non modo de sacris christianorum ritibus, sed de omnibus religionis arcanis usurpant hanc vocem scriptores ecclesiastici. Ita Zeno Veron., serm. de Juda, *sacramentum numeri ternarii* (Trinitatis); et Fulgentius de

Incarnat. C., *redemptionis sacramentum*. Vide, qui de hı. v. multus est, Is. Casaubon., Exercitt. ad Baronii Annal. xvi, sect. 43, pag. 478 et seqq. ORELL. A

Col. 724, ad notam *Quibus negotia*..., pro verbo HERALD., adde : — Nam quod est apud Plautum (Asinar., act. I, scen. I, v. 21) βωμολόχευμα decantatissimum, indidem sumptum est :

> Apud fustitudinas, ferricrepidinas insulas,
> Ubi vivos homines mortui incursant boves. HERALD.

Ibid., in nota *Felicitate*..., ad fin., pro loco : — ed. Kapp. Conf. Gierig., — lege : — ed. Kapp. et Munker. ad Fulgent. Mythol., lib. II, cap. 5, pag. 672, ed. van Staveren. Conf. Gierig.

Ibid., post notam *Felicitate*... insere hanc :

Si enim nos sumus in causa. Ita Cicero, lib. I, epist. I ad Lentulum : *in causa hæc sunt*. ELMENH.

Ibid., post notam *Irrupisse*..., adde sequentem :

Majorum in temporibus factitatas. Heumannus *in* delendum censet. Sed Arnobius tales præpositiones περιττῶς ponere amat. Vide infra ad cap. 5, verba *Chaldæorum ex reconditis disciplinis* notam Heraldi. ORELL. B

Col. 725, post notam *Vastitate*, adde sequentem :

Quantæ quoties et *quæ gentes famam senserint horridam.* Hujus rei plurima exempla occurrunt apud antiquos Historicos. Ita Livius, lib. IV, cap. 12. Procul Geganio et L. Menenio Lanato Coss. tantam narrat Romæ fuisse frugum inopiam, ut *multi ex plebe, spe amissa, potius quam ut cruciarentur trahendo animam, capitibus obvolutis, se in Tiberim præcipitaverint.* Sic etiam ab Eusebio in Chronico ad annum 2022 et post natum Christum octavum notatur *fames Romæ ita ingens facta, ut quinque modii venderentur denariis* XXVII *semis*. Tunc autem christianum nomen neque ibi neque alibi auditum adhuc fuerat. Conf. Dionys. Halicarn., lib. I Antiquitt., pag. 21, Sylb. et Augustin. lib. III. de Civ. Dei, cap. 17. NOURR. *pdg.* 327. — *Quantæ gentes* pro *quot gentes*. Vide Annot. ad lib. V, cap. 12, tom. II, pag. 290. ORELL.

Ibid., in nota *Accidunt*..., post v. *adierunt*, insere hæc : — Multo minus audiendus Heumannus corrigere volens *adurunt*, quod quamvis sensu nocendi (vide col. seq.) adeo de pluvia audacissimo zeugmate dixerit Virgilius, Georg. I, vers. 93 seq.: C

> Ne tenues pluviæ, rapidive potentia solis
> Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

Maximopere tamen dubito, an dici possit etiam de grandine vi et impetu plantas collidente.

Col. 726, in nota *Indicunt*, pro loco : — Fulv. Ursinus leg. *inducunt*, lege : — Fulv. Ursinus et Heumannus leg. *inducunt*.

Ibid., post notulam *Historia*..., insere sequentem :

Quoties prior ætas affecta sit. Conf. Tertullian. Apologet., cap. 40 ; Augustin., de Civ. Dei, lib. III, cap. 1, et lib. IV, cap. 2. S. Aurelius Victor in Trajano. ELMENH.

Col. 727, post notam *Quando*..., insere sequentem :

Cum feris bella. Vid. Gell. Noct. Att., lib. VI, c. 3, de Reguli prælio apud Bagradam fluvium in Africa cum serpente immensæ magnitudinis. ORELL. D

Ibid., ad notam *Ab insulā*... adde : — Conf. Plin., Hist. Nat. lib. II, cap. 10 ; Strabo, Géogr., lib. II, pag. 101 ; Casaub., Seneca, lib. VI ; Nat. Quæst., cap. 24 ; Tertullian., Apologet., c. 40 ; adv. Nationes, cap. 9, et de Pallio, cap. 2 ; Ammian. Marcellin., lib. XVII, cap. 7. NOURR., pag. 330.

Col. 728, ad notam *Captivitati*..., pro verbo ORELL., adde : — Cæterum ipsum verbum *subjugare* tanquam cadentis latinitatis vocabulum notat Cellarius in Curis posterioribus de Barbarismis ling. lat., Ienæ, anno 1687, editis pag. 126 et seq. ORELL.

Ibid. post notulam *Possimus*, insere sequentem :

Sed sunt omnia vetera. Heumannus : *sed sint*, etc., quod magis placet ob præcedentia verba *cum novi fiat nihil*. ORELL.

Ibid., post notam *Bella*..., adde sequentes :

Malum malo rependi non oportere. Hoc Salvator noster ipse præcipit Matth., v, 38-39. ELMENH.

Injuriam perpeti quam irrogare esse præstantius. Matth., V, 39 et seqq. Conf. Lactant. Inst., l. VI, cap. 22. ELMENH.

Hostiles manus. Heumannus absque ulla necessitate corrigere vult *hostilis manus*, ut sequens *cohibere* sit pro *cohibere se*. ORELL.

Col. 732, post notam *Vocare*... insere sequentem :

IX. — *Quia vectoribus impediat vota.* Heumannus mavult : *Quia vectoris*, etc. ORELL.

Ibid., post not. *Quid si sole*... insere sequentem :

Dicenda sunt nubila inimica obductione pendere. Imitatus est illa Virgilii Georg., I, vers. 214 :

> Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent. ELMENH.

Ibid., post not. *Commodulis*..., insere sequentem :

X. — *Fovit*. Heumann. *fovet*. ORELL.

Col. 734, post notam *Genituris*..., adde sequentem :

Cur tam sæva prodigia genituris sperantibus addiderunt. Cur perniciosa animalia crearit Deus, docet Augustinus de Genesi, contra Manichæos, t. II, lib. II, cap. 16 ; Lactantius, Inst., lib. VII, cap. 4, et Basilius, Homil. IX. in Hexaemeron. ELMENH.

Col. 735, post not. *Sine ullis*..., insere sequentem :

Numquam omnino respirasse mortalia. Dionysius Alexandrinus : Βραχυτάτης δὲ ἡμῶν καὶ αὐτῶν τυχόντων ἀναπνοῆς, ἐπικατέσκηψεν ἡ νόσος αὕτη. HERALD.

Col. 736, in nota *Quemadmodum*..., pro verbo ORELL., insere : — Meursius conjicit : *Quemadmodum enim res aliæ, et usque ad hoc tempus genus qui duraret mortalium*. ORELL. — Bona est...

Col. 737, post notam *Si apud*..., adde sequentem :

Ariditatemque miserunt. Suadeo scribam *ariditatemque immiserunt*, quod probat Arnobius ipse hoc eodem libro cap. 45 : *Aut mortiferam immittere quibus libuerit tabem* ; et eodem capite : *Inconcessi amoris flammas et furiales immittere cupiditates*. Neglecta est geminatio syllabæ. STEWECH. — Cæterum *mittere* pro *immittere* apud scriptores cum argenteæ tum æneæ ætatis frequentatissimum esse docet Munker. ad Hygin. Fab. 29. ORELL.

Col. 738, ad notam *Cur ut*..., adde : — Canterus *ut irasci*, etc. omisso *cur*, comparans simillimum Arnobii locum infra lib. V, cap. 40, init. : *Et tamen, ut vobis ita se habere assentiamur res istas, id est, ut historiæ aliud verbis sonent, nescio quid aliud more hariolantium dicant, ita non animadvertitis, non videtis quanta*, etc. Sed heic alia est constructio, *ut* scil. conjunctivo junctum, non indicativo, ut in nostro loco. ORELL.

Ibid., ad notam *Quid est*..., adde : — Cæterum verba hæc : *Quid est enim aliud irasci...... bacchari ?* tanquam glossema delevit Heumannus. ORELL.

Col. 742, in nota *At ex*..., pro loco : — Quæ conjecturæ fere omnes fluxerunt, — lege : — Quæ conjecturæ ex parte fluxerunt.

Col. 744, post notam *Non nosse*..., insere sequentem :

Et in hac rerum materia crassiore conditionis suæ exsortes versari. De his dæmonibus ita Apuleius libro dogmate Platonis : *In aeris* (ait) *plagis terræ conterminis, nec minus confinibus cælo, perinde versantur ut in quacumque parte naturæ propria sunt animalia, et in æthere volantia, et in terra gradientia* ; et Minucius Felix, cap. 25 : *Spiritus sunt insinceri, vagi, a cœlesti vigore terrenis lapibus et cupiditatibus degravati.* Adeundus quoque Lactantius lib. II, cap. 25. STEWECH. — In eamdem sententiam Augustinus de Civ. Dei, l. VII, cap. 6 : *Inter lunæ gyrum, et nimborum et ventorum cacumina aerias esse animas, sed eas animo, non oculis, videri et vocari heroas et lares et genios.* Τὰ πνεύματα

τικὰ τῆς πονηρίας ἐν ἐπουρανίοις vocat D. Paulus ad Ephes. VI, 12; ubi vid. Wetsten. ORELL.

Col. 748, pro loco : — ad Vib. Sequestr. pag. 265, qui hac de re multus est. ORELL.,— lege : — ad Vib. Sequestr. pag. 265, et Schneider. ad Nicandr. Alexipharm. v. 11, pag. 80 et seq. qui hac de re multus est. ORELL.

Ibid., ad notam *Philesius*, pro verbo ORELL., adde: — Immo extat apud Plinium, Hist. nat., lib. XXXIV, cap. 19 : *Canachus Apollinem nudum fecit, qui Philesius cognominatur, in Didymæo Æginetica aeris temperatura.* Ubi Harduinus eumdem esse putat hunc Apollinem cum Apolline in Branchidis, ubi oraculum ejus erat, ære facto a Canacho, cujus meminit Pausanias in Bœot. IX, pag. 557, Sylb. Conf. Nourr., pag. 537. ORELL.

Col. 749, not. *Aut amet...*: — *tot millia in venerationem.* ORELL.,— lege : — *tot millia in venerationem.* Heumannus : *Aut amet substerni, et tot millium venerationem videre.* ORELL.

Col. 751, ad notam *Pausos...*, adde : — « *Pausus* apud Etruscos *Pase.* Παῦσος Græcis cessationem significat, quod et Latinis *pausa.* Intellexerunt tamen sub hoc nomine Romani præcipuum deum Pacis comitem seu ipsam Pacem. Attamen religio Etrusca *Pausum* a Pace videtur distinxisse. » Hæc doctissimus Gorius in Dissertatione de Hellenismo Etruscorum Symbol. Literar, tom. II, p. 65. Videntur itaque Pauso armistitiorum, Paci autem pacis solidæ et solemnibus fœderibus stabilitatæ præsidatum tribuisse veteres Etrusci. ORELL.

Ibid., post notam *Pausos...*, adde sequentem :

Bellonas. Romæ versus portam Carmentalem templum huic bellicæ deæ, sicut Augustinus lib. III de Civ. Dei, cap. 25, et lib. IV, cap. 11. Ab Appio ædificatum fuit, ac pridie nonas Julii consecratum, de quo Ovidius Fast. VI, 198 et seqq. ita cecinit :

Hac sacrata die Tusco Bellona duello
Dicitur, et Latio prospera semper adest.
Appius est auctor : Pyrrho qui pace negata
Multa animo vidit, lumine captus erat.
Prospicit a templo summum brevis area Circum.
Est ibi non parvæ parva columna notæ.
Hinc solet hasta manu, belli prænuntia, mitti,
In regem et gentes cum placet arma capi.

Hujus autem templi et senatus in eo habiti frequens apud Livium, X, 19; XXVI, 21; XXVIII, 9. Aliosque ac præsertim poetas, Horatium, Lucanum Tibullumque mentio. NOURR., *pag.* 413.

Col. 752, post notam *Sortiti...*, adde sequentem :

Et in rerum numero recognoscunt. Editio Elmenhorstii habet *et in rerum numero cognoscunt.* Heumannus mavult *et in deorum numero*, etc. Sed hæc esset mera repetitio verborum præcedentium : *a quo ipsam deitatem.... sortiti esse sentiunt*, et omnino bene habet vulgata lectio *in rerum numero*, i. e. *in rerum existentium* vel, ut barbare dicitur, *in entium numero, in der Zahl, Reihe der existirendem Wesen.* Sensus itaque est : *cui Deo summo dii vestri, si sunt tales, ipsam suam et deitatem debent et existentiam.* ORELL.

Ibid., post notulam *Cujus voluntate...* adde hanc :

Unum esse principem solum. Ms. *Solem* aperto vitio. STEWECH.

Ibid., post notam *Ortus sui...*, insere sequentem :

Interitionibus. Probatum et aureæ latinitatis vocabulum. Ita Cicero, in Verr., III, cap. 54, *aratorum interitio.* Sic enim legendum esse pro *internecio* discimus ex Nonio Marcello (Conf. Victor. lib. III, Var. Lect., cap. 2). Utitur eadem voce etiam incertus scriptor de Bello Hispan. Cæsari additus cap. 24 : *Ita pridie duorum Centurionum interitio hac adversariorum pœna est litata.* Ubi vid. Mor., pag. 760, ed. Oberlin. ; et noster infra, lib. II, cap. 63 : *Cum ad sensum cœperit interitionis accedi.* ORELL.

Col. 753, ad notam *Cæcitate...* adde : — *Hujus in*
A *corporis* pro *hoc in corpore*, quod antea legebatur, restitui ex romano exemplari. CANTER.

Col. 754, post notam *Solem Deum...* insere sequentem :

Luna cum apud vos Dea sit. Orpheus ad Lunam :

Κλῦθι θεὰ βασίλεια, φαεσφόρε, δῖα Σελήνη.

Cicero de Nat. Deorum, lib. III, cap. 20 : *Si Luna Dea est, ergo etiam Lucifer cæteræque errantes numerum deorum obtinebunt.* Inscriptio vetus :

SOLI. INVICTO. ET. LUNÆ. ÆTERNÆ.

Conf. Lactant., lib. II, cap. 5. ELMENH.

Col. 756, ad notam *Locus rerum...*, adde : — In eamdem sententiam Tertullianus etiam advers. Praxeam, cap. 16 : *Est Deus omnipotens, qui totum orbem manu apprehendit velut nidum, cui cœlum thronus et terra scabellum, in quo omnis locus, non ipse in loco, qui universitatis extrema linea est.* NOURR., pag. 341.

B Ibid., post notam *Nulla...* adde sequentem :

De quo nihil dici et exprimi mortalium potis est significatione verborum. Gregor. Nazianz. de Fide Orat. 49, Rufino interprete : *Hoc est Deus, quod cum dicitur, non potest dici ; cum æstimatur, non potest æstimari ; cum definitur, ipsa definitione crescit.* ELMENH.

Col. 757, ante notam *Averruncetur...* insere hanc :

Plebeia atque humiliora. Subaudi *numina.* HEUMANN.

Ibid., ad notam *Si in ling...* adde : — Stewechius scribendum conjicit : *Sensu animali vocis sonitum quirent*, etc. Cum infra cap. 38, dixerit Arnobius : *Animalibus causis lucem semper obscuritatemque resumens.* Sed nulla prorsus mutandi necessitas. ORELL.

Col. 760, post not. *Qui flumen...* insere sequentem :

Coronide ille natus. Hyginus Fab. CCII : *Apollo Coronidem gravidam percussit et interfecit* (ob adulterium scil., commissum cum Ischye, Elati filio. ORELL.), *cujus ex utero exsectum Æsculapium educavit.* ELMENH. — Conf. Apollodor. Bibl. III, cap. 10, § 7 10, ibique Heyne, V. S. Obss., pag. 277, ed. nov. ORELL.

C Ibid., not. *Arcitenentes...*:— Sed hoc verbo uti si voluisset Arnobius, scripsisset sine dubio *circulantes*, non *circulati*, etc. — Delenda hæc verba. Nam verbo *circulor, ari*, pro *vagari* utitur etiam Seneca Ep. 88... *Appion Grammaticus, qui sub C. Cæsare tota circulatus est Græcia*, ubi vide Lips. Alias *circulari* est consistere in circulis colloquendi causa, ut ap. Cæsar. Bell. Civ. I, 64: *Totis vero castris milites circulari et dolere, hostem ex manibus dimitti, bellum non necessario longius duci.* Ubi vid. Oberlin. in Ind. Conf. P. Victor. Var. Lect. VIII, 13. ORELL.

Col. 761, post not. *Tyndaridæ...* adde sequentem :

Et crudo inexsuperabilis cestu. Infra lib. VII, cap. 33, *amicitiarum fide salva contundere se alios et crudis mutilare se cestibus.* Virgilius Georg., III, 20 :

. . . . . et crudo decernet Græcia cestu. HERALD.

Servius : *duro quod ex cario duro sint cestus.* ORELL.

Col. 764, post notam *Sed concedamus...* insere se-
D quentes :

Quod panis, Cererem. Lucretius, lib. V, v. 14:

Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse.

Inscript. vetus : CERERI. FRUGI. SACRUM. Sic ELMENH.

Si Triptolemum, quod aratri. Virgilius, Georg. I, vs. 19 :

. . . uncique puer monstrator aratri.

Ubi Servius : *Alii Triptolemum, alii Osirim volunt, quod magis verum est.* ELMENH.—Conf. imprimis, qui doctissime illustrat fabulam de Triptolemo, *Bottiger in Vasengemahld.*—tom. I, p. II, pag. 193, seq. ORELL.

Col. 765, not. *Cur luna....* : — *Semper in motu ne quis creditur*, — lege : — *Semper in motu idem ne quis creditur.*

Ibid., ead. not., post v.— male audiente,— insere hæc :—(At jam iterata hujus loci lectione meliora edoctus retracto hanc conjecturam et proxime accedens ad emendationem Gelenii, scribendum censeo : *Cur luna semper in motu indemnisque redditur*, etc. ?)

Col. 706, not. *Elatas...*, ad fin., pro loco : — Itaque nil mutandum,—lege :—Et omnino in nostro loco nil mutandum esse liquet ex loco simillimo Zenonis Veronensis Serm. de Præcepto. Attende tibi (quem Heraldus citat) : *Intuere namque mihi ambitiosum quempiam, et ingenti supercilio honestatis elatum imaginem quamdam sobrietatis habitu exteriore gestantem.* Orell.

Col. 768, post notulam *Trunco*, insere sequentes : *Et eos ipsos divos quos esse mihi persuaseram.* Interpungendum cum Meursio, *et eos ipsos, divos quos esse mihi persuaseram.* Orell.

Digna de dignis sentio. Meursius mavult : *digna de divis sentio.* Sed vulgata lectio multo est significantior. Orell.

Col. 770, not. *Vivum...* : — Mihi videntur hæc verba profecta,— lege :— Mihi verba *post pœnas* profecta videntur.

Col. 771, ad notam *Quæ ab...* adde : — Ejusmodi formulas loquendi, v. c. *in memoriam habere*, *in potestatem habere*, *in possessionem esse*, *in fugam esse*, *in servitutem remanere*, etc., ex antiquis scriptoribus plures collegit Ph. Carolus in Animadversionibus suis ad Agellii Noctes Atticas, Norimbergæ, 1663, editis, lib. VI, cap. 14, pag. 350. Orell.

Col. 775, notam *Nominis...*, ad fin. :— in Thesauro, — lege :— in Thesauro et imprimis Munker. ad Fulgentii Mythol., lib. II, Fab. VI, p. 675, ed. van Staveren. Orell.

Col. 777, post not. *Cujus vocem...* adde sequentem : *Pedem ferebat inlutum.* Heumannus conj. *in tutum.* Male. Dicitur utrumque *illotus* et (rarius id quidem) *illutus*, *inlutus* propr. sordidus. h. l. primario sensu intactus aquis, *unbenetzt, nicht nass.* Sic invenimus *illutibilis* ap. Plautum, *illutibarbus* ap. Apulei., Florid. I, 3. Orell.

Ibid., ad notam *Calcabat...*, post v. Elmenh., adde : — Confer. Schoettgen. ad Juvenc. Histor. Evang. I, vs. 637, p. 114. ed. Reusch. Orell.

Col. 779, ad notam *Quid esset...*, post v. Herald., adde : — Heumannus conj. *quod esset Deus verus*, scil. Christus. Orell.

Ibid., ad notam *Cum ea...*, post v. Orell., adde:— Cæterum respicit Arnobius h. l. Stoicorum dogma, qui nullo modo fata posse mutari dicunt. Ammianus Marcellinus, Hist. lib. XXIII, cap. 5: *Nulla vis humana vel virtus meruisse umquam potuit, ut quo præscripsit fatalis ordo non fiat.* Cf. Augustin., de Civit. Dei, lib. V, cap. 8, et Firmic., Astron. lib. I, cap. 3. Elmenh.

Col. 782, post notam *Nec reputare...* insere sequentem.

Cum naturalis infirmitas peccatorem hominem faciat, non voluntatis seu judicationis electio. Sic ed. Lugd. Bat. Antea legebatur *sed judicationis;* pro quo Heumannus rescripsit *et judicationis.* Vulgatam lectionem *sed judicationis* defendere conatur Heraldus hæc annotans. « Hoc ait Arnobius, nos infirmitate humana peccare, non voluntatis, sed judicationis electione ; quia re vera nolumus malum nec eligimus ; sed id bonum judicamus naturali cæcitate, quod tamen reapse malum est ; quæ fuit nonnullorum sententia, quam confutat Aristoteles libro Nicomacheorum tertio. Et falsissimum sane est nos peccare non voluntatis electione, sed sola judicii cæcitate, quam sententiam e Platonicorum schola hauserat Arnobius, in christiana doctrina nondum satis tritus. Lactantius, lib. V, cap. 14 : *Itaque dicunt eos, qui mali videantur, non sua sponte peccare, nec mala potius eligere, sed bonorum specie lapsos incidere in mala, dum bonorum ac malorum discrimen ignorant.* Hanc autem sententiam defendit acerrime Arianus, dissert. Epictet. locis compluribus, et præcipue lib. I, cap. 27. Totum enim caput in hoc argumento occupatur.» Hæc Heraldus. Sed videtur Arnobius h. l. naturalem infirmitatem, qua affectibus occæcati et quasi abrepti in vitia labimur, opponere electioni voluntatis seu judicationis, *der Wahl des freyen selbstständigen Willens und der prüfenden und urtheilenden Vernunst.* Orell.

Ibid., post notam *Non meriti...* adde sequentem : *Sed infirmitate.* Verissima hæc emendatio debetur Th. Cantero. Antea *sed firmitate*, pessime. Orell.

Col. 783, post notam *Ne qua...* adde sequentem : *Verminantium membrorum cruces...... vermina passionum. Verminare* et *vermina* antiquæ et probatæ latinitatis vocabula. Festus : *Vermina dicuntur dolores corporis cum quodam minuto motu, quasi a vermibus scindatur.* Ubi vid. Scalig., pag. 588, ed. Dacer. Lucretius, V, 995. :

Donicum eos vita privarunt vermina sæva.

Hinc *verminari*, tormina pati. Vide Nonium, de propr. serm. pag. 40, ed. Mercer. Orell.

Col. 791, not. *Ipsi faciant...*, ad finem :— et quidem, ut mihi videtur ad posterius. Nam *fremorem verborum colligere* dici vix posset Orell.— Delenda hæc verba, quæ incuria fudit. Nam constructio est : *adjiciant..... colligant* (omne) *quidquid malefici graminis nutricant terrarum sinus, quidquid virium continet fremor ille verborum*, etc.

Col. 792, not. *Nunquam...*, ad finem, pro verbo Orell., lege : — *Credulitatis*, i. e. fidei. Vide Corrigenda et Addenda ad tom. II, pag. 462. Orell.

Col. 793, post not. *Aut pueriii*, insere sequentem : *Unanimiter viverere. Unanimiter* mediæ ætatis adverbium, quo cum primis usi sunt christiani scriptores : etiam Vospiscus in Tacito, cap. 4 : *Quod me unanimiter delegistis*, i. e. uno animo et voce una. Conf. qui plura exempla collegit, Cellarius de Latinitate mediæ et infimæ ætatis, pag. 103. Orell.

Col. 794, not. *Sed conscriptores....* — *Conscriptor* familiare Arnobio. Vide caput sequens. *Conscriptor* familiare Arnobio l. (*Conscriptores οἱ συγγραφεῖς*, ut bene Heumannus in margine). Vide caput sequens.

Col. 795, not. *Aut appreh...*, post v.— quin in textum reciperem,— adde : — V. *locum* tamquam glossema delere vult. Heumannus. Orell.

Col. 796, post notam *Sed ab...* adde sequentes : *Vide ne magis hæc fortior causa sit.* Heumannus : *Videte*, etc. Idem (quod semel monuisse sufficiat), pro *inquit* (scil. adversarius), constanter reponere vult. *inquiunt.* Male, ut sæpius jam observatum in Annotationibus nostris. Orell.

Ampliare. Heumann. *ignara* (scil. *scripta*) *ampliari.* Bene. Orell.

Col. 797, post not. *Inflectatur...* adde sequentem. *Pompa ista sermonis.* Ita Cassiodorus, lib. XI, epist. I : *Romani eloquii pompa resplendet*, et, qui nostrum fortassis ante oculos habuit, Minucius Felix Octav., cap. 16, fin : *Atque etiam quo imperitior sermo, hoc illustrior ratio est, quoniam non fucatur pompa facundiæ et gratiæ, sed, ut est, recti regula sustinetur.* Ubi vid. Cellar., pag. 49. Orell.

Col. 798, ante notam *Et sophistica...* insere sequentem :

Ne corrumperent scilicet gravitatis rigorem. Clemens Alexandr. Stromat. I :... εὐτελῆ γάρ οὐ μόνον δίαιταν, ἀλλὰ καὶ λόγον ἀσκητέον ἀπέριττον καὶ ἀπερίεργον τῷ τὸν ἀληθῆ βίον ἐπανῃρημένῳ, εἴγε τὴν τρυφὴν ὡς δολεράν τε καὶ ἄσωτον παραιτοίμεθα, etc. Plura vide sis ibidem in eamdem sententiam. Tractat. autem hoc argumentum ex professo Seneca in quibusdam epistolis. Herald.

Col. 799, ad notulam *Hic sanguis...*, post v. El

MENH., adde : — Sic Ennius etiam apud Ciceronem, A de Finibb. v, cap. 11 :

Refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu.

Conf. qui plura exempla collegit, Phil. Carolus in Animadv. ad Agell. Noct. Att., lib. III, cap. 7, pag. 200. ORELL.

Col. 800, not. *Intentissimæ*..., ante v. ORELL. adde : — Mecum consentit Heumannus. ORELL.

Col. 801, ante notam *Vel qualitate*... insere sequentem :

Assumpsit igitur hominis formam. Causas ἐνσαρκώσεως τοῦ Χριστοῦ enumerat Arnobius, at veram et principem causam omittit, quæ quidem ignoratio Arnobio adscribenda est, non sæculi doctrinæ. Optime igitur Origenes contra Celsum, corpus humanum, ait, a Christo assumptum, ut in terris versaretur, et mortem pro nostra redemptione pateretur, ac verus homo pro humano genere justitiæ divinæ satisfaceret : Ἀλλ' ἡμεῖς σῶμα αὐτὸν λέγομεν ἀνειληφέναι, ὡς ἀπὸ B θηλείας, τῷ βίῳ ἐπιδημήσαντα, ἀνθρώπινον, καὶ θανάτου ἀνθρώπου δεκτικόν, etc., lib. I. HERALD. — Atqui minime omittit Arnobius veram causam τῆς ἐνσαρκώσεως divini Soteris verbis sequentibus : *atque omnes res exsequeretur eas*, etc.; cum facta ejus divina, tum mortem innuens, quam passus est pro salute hominum. ORELL.

Ibid., not. *Latent*...;—*latentes involutæ*. Stewechius. —lege :— *latentes, involutæ*. Bertius apud Meursium : *et illo genere noluit? Latenter involutatæ*. Stewech.

Ibid., post notam *Homo*... adde sequentes :

Non cæcum est. H. e. non occultum, cujus causa nesciatur. Ita *cæcus* sæpissime apud optimos scriptores, v. c. Cicero II de Oratore, cap. 87 : *Res cæcæ et adspectus judicio remotæ*. Ovid. Metam. IX, 174 :

Cæcaque medullis
Tabe liquefactis. ORELL.

Et similitudini proxime constitutum. H. e. proxime C accedit ad similitudinem (scil. sequentem Sibyllæ, Bacidis et Heleni), *es hat grosse Æhnlichkeit mit folgenden Beyspielen*. ORELL.

Col. 803, not. *Et in*..., post v. — et consignati, — adde :—Sic in Pythagoræ familia quidam erant ἀκούοντες, aliis philosophiæ mysteria in interiori thesauro aperiebantur. Origenes libro contra Celsum I : Τὸν δ' εἶναί τινα οἷον μετὰ τὰ ἐξωτερικά, μὴ εἰς τοὺς πολλοὺς φθάνοντα, οὐ μόνον ἴδιον τοῦ Χριστιανῶν λόγου, ἀλλὰ καὶ τῶν φιλοσόφων, παρ' οἷς μὲν ἦσαν ἐξωτερικοὶ λόγοι, ἕτεροι δὲ ἐσωτερικοί· καὶ τινες μὲν ἀκούοντες Πυθαγόρα, ὡς αὐτὸς ἔφα, ἄλλοι δ' ἐν ἀπορρήτῳ διδασκόμενοι τὰ μὴ ἄξια φθάνειν εἰς ἀκοὰς βεβήλους, καὶ μηδέπω κεκαθαρμένας. HERALD.

Ibid., post not. *Durissisimisque*... adde hanc :

Nec imputandum putavit. In romano codice legitur *hæc reputandum*. Ego lego *nec reputandum putavit*. CANTER.

Col. 807, post notam *Cruentis*... adde sequentes :

Nec si video causam. Stewechius ad l. VII, p. 142, D ed. Lugd. Bat., leg. conjicit *nec hic*, etc. ORELL.

Securioris quinimo expectationis impleret. Annon legendum *implerent ?* Cæterum *implere* cum genitivo usitatissimum optimis scriptoribus, constructione scil. Græca. Sic Virgilius, Æn. I, 219 :

Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinæ.

Et Cicero ad Divin., l. IX, epist. XIX : *Ollam denariorum implere*, ubi vid. Cort., p. 467. Conf. qui nubem exemplorum congessit, Vechner. in Hellenolex., l. I, part. II, c. 24, p. 324, seq., ed. Heusinger. ORELL.

LIBER SECUNDUS.

Col. 814, ad notam *Ut non in*....., pro verbo ORELL., adde : — Antea legebatur : *Ut non omnium amore in cunctos lumen et prætenderit vitæ*. Sed verba *omnium virtutum amore* consulto tamquam Glossema expunxisse videntur editor Lugd. Bat. et post eum Oberthurius, idque, ut mihi quidem videtur, rectissime. Non enim bene Christus omnium virtutum amore, quem animis hominum instillabat, sed potius salutaribus suis præceptis, quæ tradebat de Deo rebusque divinis, dici potest *ignorationis periculum* ab hominibus amovisse. At si legamus *periculum interitionis*, tum verba illa bene habent, nec sunt sollicitanda. ORELL.

Ibid., ad not. *Et fons*..., pro verbo ORELL., adde : — Censor Ienensis defendit lectionem vulgatam *res perpetuas*, explicans res continuo nec interrupto ordine se sequentes, credens Arnobium hoc loco loqui de creatione illa, quam theologi appellant *secundam*. ORELL.

Col. 815, ante notam *Quid si*... insere sequentem :

III. — *Honoris impartitione viduatos.* Sic editiones omnes, excepta Lugd. Batava, ubi legimus *impertitione*. Sed dicitur utrumque. *impartior* (vel antique *impartio*) et *impertior* : hinc etiam *impartitio* et *impertitio*. Quod vocabulum tamquam ἅπαξ λεγόμενον citatur in Thesauro Gesneri. ORELL.

Col. 816, ante notam *Id est*... insere sequentem :

Ut teneri et comprehendi nullius possint anticipationis attactu. Possint pro *possit*, quod habent editiones veteres, bene restituit Salmasius, sequente Heumanno. *Anticipatio*, πρόληψις, *das Vorerkennungsvermögen*. Vide Ernesti Clav. Cic. v. Πρόληψις. ORELL.

Ibid., post notam *Immensi*... insere sequentem :

Quod nulla natio est tam barbari moris. Origenes, contra Celsum : Καὶ γενόμενος τοσούτων ἀνταγωνιστῶν ἰσχυρότερος, ἐπὶ πλεῖον δὲ τῆς βαρβάρου ἐκράτησε, καὶ μετεποίησε μυρίας ὅσας ψυχὰς ἐπὶ τὴν κατ' αὐτὸν θεοσέβειαν. HERALD.

Col. 817, post notam *Quibus statuerint*... insere sequentem :

Cum genera pœnarum tanta, etc. Heumannus in margine *tanta* accipit pro *tot*. Vide Annotatt. ad l. v, c. 12, p. 290. Sed hoc loco *tanta* videntur esse *tam atrocia* pœnarum genere. ORELL.

Col. 818, ante notulam *Unde*... insere hanc :

Ea quæ nobis promittimus. Annon legendum *quæ vobis promittimus*. ORELL.

Ibid., not. *Marsyam*..., ad fin., pro v. ORELL., pone : —Marsyas ab antiquis cultus tamquam libertatis vindex, teste Servio ad Virgil., Æn. III, 20 : *In liberis civitatibus simulacrum Marsyæ erat, qui in tutela patris Liberi est.* Et Æn., IV, 58 : *Liber apte liberis urbibus libertatis est Deus, unde etiam Marsyas, minister ejus, civitatibus in foro positus, libertatis indicium est, qui erecta manu testatur, urbi nihil deesse.* Adeoque statuæ Marsyæ in foro romano positæ antiqui Romani affixisse videntur schedas dicteriis, σκώμμασι, plenas vel adeo carmina mala (*Pasquills*), ut hodierni romani statuæ Pasquini. Hinc Pomponii Marsyas ab Arnobio memoratus videtur fuisse poema aliquod refertum jocis obscœnis. Cæterum notissimam Marsyæ ab Apolline excoriati fabulam pluribus illustrant commentatores Picturarum Herculanensium, t. II, tab. XIX, p. 122 et seqq. ORELL.

Col. 819, post not. *Sapientiam*... insere sequentem :

Primum et ipsi. In romana editione legitur : *Primum et quæ ipsi*, etc. Forte legendum, ut sequamur antiqua vestigia *primum itaque ipsi*. CANTER. — Ed. Lugd. Bat. habet *primum ecquid ipsi*, etc. ORELL.

Col. 820, ad notam *Naturalia*..., post v. HERALD., adde : — Sic Ovid. Metam. XV, 145 : *Augustæ reservabo oracula mentis*, et Valerius Flacc., l. II Argonaut., versus 437 :

Obvius et Minyas terris adytisque sacerdos
Excipit, hospitibus reserans secreta Thyotes.
ELMENH.

Col. 822, not. *Ipse*...., post v. ORELL., adde : —

Præter hos *animum* Deum statuunt Pythagoras apud Minucium (Octav., c. XIX), Plato, de Legib., c. 5, et Augustinus, l. VII de Civ. Dei, c. 5. ELMENH.

Ibid., ad notulam *Cur in*..., post v. HERALD., adde : — Similiter Servius ad Virgil., Æn. VI, vs. 724 : *Corpora, prout fuerint vel vivacia, vel torpentia, ita et animos faciunt : quod potest etiam in uno eodemque corpore probari. In sano enim corpore alia est vivacitas mentis, in ægro pigrior, in insanis invalida et ratione carens, ut in phreneticis cernimus : adeo cum ad corpus venerit anima, non sua natura utitur, sed ex ejus qualitate mutatur.* Vide Galenum in tractatu pereleganti, ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη ταῖς τοῦ σώματος κράσεσι ἕπεται. ELMENH.

Col. 825, post notam *Sed Officiant*... insere sequentem :

Plurimum quo minus habeatis. Plurimum, etsi tolerari potest, suspicione tamen non caret. Et certe videtur esse glossema imperfectum. Notaverat fortasse ad oram libri sui aliquis insignem locutionem, quæ proxime sequitur, *plurimum habere* ; unde remansit *plurimum* et textui tandem adjectum est. Et est sane notabilis locutio *plurimum* (id est *plus* more Arnobii. Vide in hac Notarum Appendice supra ad tom. I, p. 300, lin. 12. ORELL.) et *minus habere* et e Græcorum elegantia translata. Dicunt autem hi πλεῖον ἔχειν et μεῖον ἔχειν sive ἔλαττον ἔχειν. Arrian., l. II, Dissert. Epictet., c. 6 : Μηδ' ἀγανακτῇς, εἴ τινες ἄλλοι πλεῖόν σου ἔχουσιν ἐν ἐκείνοις. HERALD.

Col. 826, post not. *Et judicare*... insere sequentem :

Et quod levissimum multo est. Pro *et quod levius multo est.* Superlativus pro comparativo, ut haud raro apud hos scriptores. Sic Trebellius Pollio in XXX Tyrann., c. 11 : *Jam ego faxim, ut Gallienus sordidissimus feminarum omnium duces sui patris intelligat.* Ubi vide Casaub. Conf. G. J. Voss., de Constructione, p. 382. ORELL.

Col. 828, ad notam *Res patrias*... post v. ORELL. adde : — Numæ leges de sacrificiis, auspiciis, sepulturis, etc., etiam in hodiernum conservatæ in fragmentis XII Tabularum. Libros ejusdem de jure pontifico repertos et combustos ex senatus decreto, Cornelio Balbo et Bebio consulibus, id memoriæ prodidit Lactantius, l. I, c. 22. Lego autem *ritibus* pro *artibus*. Nomen enim *ritus* rebus sacris peculiari esse, qui nescit, et inde denominatos Hetruscorum libros rituales, is legat Pompeium Festum. STEWECH.

Col. 829, post notam *Superfundendi*... insere sequentem :

Eripiendæ vobis fidei. Heumannus legendum conjicit *eripiendæ nobis fidei*. Sed bene habet vulgata lectio. Sensus est : *Dedistis illis (circumscriptoribus) locum impediendi vos, quominus credatis, fidem habeatis religioni christianæ.* Quid quod sic legendum esse verba etiam sequentia, *subjiciendi contemptus*, docent, quæ aperte respiciunt gentiles, non christianos. ORELL.

Ibid., post notulam *Inequitare*... insere hanc :

Quæ nobis dici pronuntiarique ridetis. Heumannus conj. *quæ a nobis dici*, etc. Sed tolerari potest vulgata lectio, constructione scil. græca, quales amat Arnobius noster. ORELL.

Col. 830, ad notam *Quam quidem*..., pro verbo ORELL., adde : — Pro *dicere* Heumannus mavult *docere*, Sed *dicere* est affirmare quod sit, græce φάναι. ORELL.

Ibid., post notul. *Ad incunabula*..., insere hanc :

Id est ipsi nobis. Heumannus, *ipsis nobis*. ORELL.

Col. 831, not. *Trabalibus*... ad fin., pro v. ORELL., adde : — Elmenhorstius cum Cruquio ad Horat., l. I, od. XXXV, *clavos trabales* interpretatur palos acutos ab ima corporis parte usque ad summam in noxiorum corporibus adactos, sed absque exemplo. ORELL.

Ibid., post notam *Trabalibus*... insere sequentem ;

Quid illi sibi volunt secretorum artium ritus. Infra, c. 62 : *Neque quod Magi spondent, commendatitias habere se preces, quibus emolitæ nescio quæ potestates vias faciles præbeant ad cœlum contendentibus subvolare.* HERALD.

Ibid., post notam *Quid Plato*... insere sequentem :

Et homo prudentiæ non pravæ. Canterus : *parvæ*. Male. Opponit scil. Arnobius veram Platonis prudentiam falsæ seu pravæ prudentiæ Sophistarum ORELL.

Col. 833, post notam *Quod a*... insere sequentes :

Et immoderata sui opinione sublatis. Verissima hæc emendatio debetur Gelenio. Antea legebatur : *et immoderata sibi opinione sublatis.* Heraldus conj. *et immoderata sub opinione sublatis*, citans verba Arnobii supra cap. 7 allata : *et in opinionem scientiæ sub inflati pectoris opinione tollamur.* Sed exemplum hoc nil probat. Nec enim ibi *sub* παρέλκει sed, ut edidimus, legendum *subinflati* una voce. *Immoderatam* autem eorum *opinionem* (ut bene explicat idem Heraldus) appellat Arnobius, quia eos existimat animæ dignitatem extendere, quam par erat, longius. ORELL.

Deo verum ac principi gradu proximas dignitatis, etc. Animam hominis divinæ naturæ partem esse, et ejusdem cum Deo essentiæ, docuerunt Manichæi, quos confutat Augustinus contra Adamant. Manichæum, cap. 22, et contra Faust. Manich., lib. III, cap. 6. ELMENH.

Ibid., not. *Dehonestamenta*..., post. v. ELMENH., adde :—*Dehonestamentum* bona vox et optimis scriptoribus probata. Sallustius, Hist. lib. I, in Oratione Lepidi, § 21 : *Fufidius, ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum.* Apuleius *inhonestamentum* posuit in Apologia : *Sedulo laboro, ne quid maculæ aut inhonestamenti in me admittam.* Conf. qui nubem exemplorum citat, Ph. Carolus in Animadv. ad A. Gell., lib. II, cap. 26, pag. 168. ORELL.

Col. 834, not. *Aut non*..., post v. Gruteri, pro ORELL., pone : — *Aut non* pro *ut non* est e correctione Heraldi. ORELL.

Ibid., post notulam *Ossibus*... insere hanc :

Comparili ratione. Formam rarissimam *comparilis* pro *compar* legimus etiam apud Ausonium, Eclog. II, 38 :

Nescit compariles laterum formare figuras. ORELL.

Col. 835, post not. *Cura illis*... insere sequentem :

Morborum incommoditatibus. Incommoditas sæpissime pro morbo apud scriptores ecclesiasticos, v. c. Hegesipp. de Excid. Hierosol., lib. I, cap. 45: *Cedebat prope jam tantæ incommoditatis suppliciis.* Vid. Gronov. Monobibl. ad Script. eccl., cap. 1, pag. 15. Nost. *Unpässlichkeit.* ORELL.

Col. 836, not. *Artificiosa*..., pro loco : — *navitate.* Sed non opus, — lege : — *navitate* probante Heumanno, sed non opus.

Col. 837, post not. *Aut rerum*..., insere sequentem ;

Ex assidua reprehensione. Reprehensio h. l. sensu insolito videtur accipiendum de ipso errore vel facto reprehensione digno, *Fehlgriff*, *Missgriff*, non de vituperatione. Consequens pro antecedenti. ORELL.

Col. 828, ad notam *Suppara*... pro verbo ORELL., adde : — De *supparis* ita Lucanus Phars. II, 362 :

Humerisque hærentia primis
Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.

Feminarum vestimentum fuisse supparum, docent nos Picturæ Herculanenses, ubi tom. I, tab. XXII, feminam supparo indutam elegantissime depictam videmus. Vide ibi Commentatores, pag. 118, et tom. IV, pag. 260. ORELL.

Ibid., ad notam *Trabeas*, pro verbo ORELL., adde : — Trabeam describit Joannes Lydus de Magistratibus Rom., lib. I, c. 7, ed. Haas. : Ἡ μέντοι τραβαία μόνου τοῦ ῥηγὸς ἐτύγχανε παρατοῦρα (*la pariture*),

οἱονεὶ στολὴ ἐπίσημος. Χιτὼν δὲ ἦν καὶ περιβόλαιον ἡμικύκλιον, ὃ πρῶτον Ἀγαθοκλέα τὸν Σικελίας τύραννον ἐξευρεῖν λόγος. ORELL.

Col. 839, ante notam *Quia grammaticam...*, insere sequentem :

Summitati. Ita lib. I, cap. 25 : *Deum summitatem omnium summorum obtinentem adorare.* Vide de hoc cadentis latinitatis vocabulo Ch. Cellar., in Cur. post. de Barbarismis et Idiotismis sermonis latini, pag. 155. ORELL.

Ibid., post notam *Ut terrarum...* insere sequentem :

Uniformiter. Sic infra cap. 64 hujus libri : *Qui sublimibus, infimis, servis, feminis, pueris uniformiter potestatem veniendi ad se facit.* Conf. Cellar. Cur. post. de Barbarism. lat. pag. 233. ORELL.

Ibid., not. *Neque divinas...*, pro loco : — *divine eruditas.* ORELL., lege : — *divine eruditas* vel etiam *divinas, eruditas*, id est neque divinas, neque eruditas. ORELL.

Col. 840, post not. *Quod si ea...*, insere sequentem :

B *Manifestum et promptum est.* Hoc etiam e Lucretii penu. Lib. II, 246 :

Namque hoc in promptu, manifestumque videmus.

HERALD.

Col. 842, ad notam *Ex cinere...*, post v. HERALD., adde : —Conf. Plin. Hist. Nat., v, 16 ; et Broukhus., ad Tibull., II, vs. 138, pag. 215. ORELL.

Col. 843, not. *Ævitutem*, pro verbo ORELL., adde : —Ævitas, ἡλικία, χρόνος. Hinc per syncop. *ætas.* Vide Herald., Adversar., lib. I, cap. 1, pag. 2. ORELL.

Col. 844, not. *Solifugas*, ad fin., pro verbo ORELL., adde : — Vulgatam lectionem *solifugas* defendit Censor Ienensis, tanquam epitheton viperarum, ut infra lib. VII, cap. 16 : *cumque illis salamandras, natrices, viperas, solifugas.* ORELL.

C Col. 845, ad notam *Mitra*, pro verbo ORELL., adde : — Mitra, ut docet Servius (ad Æn. IV, vers 215. et IX, 216), pileus incurvus erat, ex quo pendebat baccarum tegimen, quo Phryges et Lydii utebantur, et Trojani imitati sunt. Addit autem quibusdam visum, mitram meretricum esse, et iis adscriptam, quibus effeminatio crimini dabatur. Mulierum autem erat integumentum, uti liquet ex his Plinii verbis Hist. Nat., lib. XXXV, cap. 9 : *Polygnotus Thasius primus mulieres lucida veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit.* Isidorus vero, Orig. lib. XIX., cap. 31 : *Mitra est pileum Phrygium caput protegens, quale est ornamentum capitis devotarum. Sed pileum virorum est, mitra autem feminarum.* NOURR. *pag.* 559. — Conf. Comment. ad Pict. Herculan., tom. II, tab. XVIII, pag. 116 ; et Visconti in Museo Pio-Clementino, tom. III, pag. 29. ORELL.

Col. 846, ad notam *Manete*, pro v. ORELL., adde : — Tale mantele elegantissime depictum videsis in Pictur. Herculan., tom. V, tab. LXVXV, Conf. ibi Commentar. pag. 372. ORELL.

D Ibid., ad not. *Mastruca*, pro v. ORELL., adde : — Conf. Dempster., de Etruria regali, tom. I, lib. III, cap. 54, etiam H. Meyer et J. Schulze in Obss. ad Opera Winkelmanni, tom. III, pag. 463. ORELL.

Col. 847, post notam *Tribula*, insere sequentem :

Vannus. Servius ad Virgil. Georg. I, vers 166, verba : *et mystica vannus Iacchi*, hæc observat : *Mysticam vannum sic accipiunt, ut vannum vas vimineum latum dicant, in quod ipsi propter capacitatem congerere rustici primitias frugum solent et Libero et Liberæ sacrum facere.* Figuram vanni apud veteres diversa nonnihil ab ea qua hodie utuntur rustici ; vide in Pictur. Herculan., tom II, tab. XXVIII (Comment. p. 170) et tom. V, tab. LXXV (pag. 335). ORELL.

Col. 848, ad not. *Polubrum*, pro verbo ORELL., adde : — Cupidinis trulla aquam infundentis in polubrum figuram nitidissimam habet Tabula Herculanensis tom. III. Nr. XXXV. ubi vide Commentar, pag. 168. Conf. Nourr. pag. 561. ORELL.

Ibid., ad not. *Radius*, pro verbo ORELL., adde : — Feminam (fortassis Musam Uraniam) radium dextra, sinistra vero sphæram solidam gestantem, qualem describit Martianus Cappella de Nupt. Philol., lib. II, nitidissime depictam vide sis in Pict. Herculan., tom. II, tab. VIII, ubi vide Commentar. pag. 50. et 51. ORELL.

Col. 849, ad notam *Quid sit...*, pro v. ORELL., adde : — Jos. Scaliger in libro de Re nummaria, pag. 8, putat, Arnobium v, *dibus* significare voluisse deuncem vel dibussem h. e. duas assis tripertiti partes. Censor Ienensis defendit *dibus* ob sequentia verba : *bis bina, bis terna.* Equidem prælerrem *cubus* ob proxime sequens *aut dynamis*, cui minus bene responderet *dibus.* ORELL.

Col. 851, ad not. *Cum altero...*, post verb. ORELL., adde : — Auctor de differentiis vocum : *Sermocinamur, quando cum aliquo sermonem conserimus.* ELMENH.

Ibid., not. *Ex crateribus...* Dele notam ad hæc verba et loco illius sequentia insere : — Respicit Arnobius ad verba illa Platonis in Timæo : Πάλιν ἐπὶ τὸν πρότερον κρατῆρα, ἐν ᾧ τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν κεραννὺς ἔμισγε ; quæ Cicero ita vertit : *Ad temperationem superiorem, in qua* (Deus) *omnem animum universæ naturæ temperans permiscebat.* Conf. *Tennemonn's Geschichte der Philosophie*, tom. II, pag. 416 et seq. ; et Annot., ad cap. 52, pag. 78. ORELL.

Ibid., not. *Demoretur...*, pro loco : — *aere*, nullo sensu, — lege : — *aerio*, nullo sensu.

Ibid., id. : —in Curis secundis : *velut in ære*,—lege : — in Curis secundis : *valeat velut in ære.*

Col. 855, ante notam *Non est..* insere sequentem :

Quem teneant in rebus gradum. Ed. Rom. *quem teneant*, etc., quod frustra defendit Canterus. Nam constructio est : *Quemadmodum sciunt........ quem teneant*, etc. Delenda itaque in textu sequentia interrogationis puncta, excepto illo post *attraxerint.* ORELL.

Ibid., ad notam *Desinite...*, pro verbo ORELL., adde : — Canterus locum sic distinguit : *Desinite hominem ... adscribere ordinibus, primis cum sit inops,* (*primis*, scil. bonis), *da es ihm an dem erstem und hauptsächlichsten mangelt.* ut ap. Ciceronem in de Clar. Orat. cap. 70 : *non tardus sententiis, non inops verbis*, vel, si, quia *inops* cum genitivo construi solet, *primis* accipere malis in dandi casu : *primis* (scil. ordinibus) *cum sit inops* (*da er für die ersten Classen zu arm ist*). Sed præfero lectionem vulgatam. ORELL.

Col. 857, ad notam *Quamvis...*, pro verbo HERALD., adde : — Proprie et philosophice quoque loquitur Arnobius, cum ait *indolis.* Quia verecundia, qua a flagitiis prohibemur, non est proprie laus constantis hominis et firmis radicibus in virtutis proposito fundati, sed potius juvenis εὐφυοῦς et ingenii ad virtutem propensi, estque magis πάθος quam ἕξις. Docet hoc Aristoteles, lib. IV, Eth. Nicom. cap. ult. Lege sis et Plutarchum περὶ Δυσωπίας. HERALD.

Ibid., ad notulam *Supernæ...* post v. ORELL. adde : — Ita Arnobius infra lib. IV. *Siccine apud vos quæso supernarum nascitur eminentia potestatum.* ELMENH.

Ibid., post eamd. not. insere sequentem :

Nec in alterius altera, etc. Meursius conjicit : *nec vi alterius altera* etc. Male. Constructio : est *nec in conditionis æqualitate alterius* (animæ scil., quod intelligendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ) *altera* (anima) *possit vexari.* ORELL.

Col. 859. post not. *Nec in...* insere sequentem :

Eas passivas atque interibiles invenitur. Annon legendum : *atque interibiles esse invenitur. Esse* absorptum videtur ab ultima syllaba v. *interibiles.* Cæterum *interibilis* pocabylum est latinitatis ecclesiasticæ, Tertulliano aliquoties usurpatum. Vid. Gesner. in Thesaur. ORELL.

Col. 861, ad notam *Protegimus...* adde : — « Suspicantur quidam, Græcos *Africæ Psyllis*, ἀπὸ τῶν ψύλλων, a pulicibus nomen indidisse, quia pulicum more

sanguinem exsugebant, nempe ut a serpentibus percussos ita sanarent. De his ita Celsus lib. III, cap. 27, ubi de serpentium morsu : *Homo adhibendus est, qui vulnus exsugat, neque Hercules scientiam propriam habent qui Psylli nominantur, sed audaciam usu ipso confirmatam.* » Hæc Bochartus in Hierozoic. lib. IV, 19, t. II, pag. 477, ed. Rosenmuller. ORELL.

Col. 862, post not. *Institoribus*..., insere sequentem: *Atque planis. Plani* sunt iidem ac sycophantæ, fallaces seductores et impostores (*Gaunerstreichenpack*). Cicero pro Cluentio, cap 26 : *Hic ille planus improbissimus, quæstu judiciario pastus* ; et Horatius, lib. I, epist. 17, vers. 52 :

Nec semel irrisus triviis attollere curat
Fracto crure planum.

Conf. A. Gell., lib XVI, cap. 7. NOURR. *pag.* 561.— Glossæ: *planum, fallacem; ἀπὸ τοῦ πλανᾶν πλάνον* quoque Græci dicunt. Vid. Salmas. ad J. Capitolin. Antonin. Philos. c. 13 ; et Ernesti Clav. Cicer. h. v. ORELL.

Ibid., post notam *Quid non*..., insere sequentem: *Quod eum, qui nobis spondet.* Editio I. vitiosissime: *quam cum qui nobis spondet.* Meursius : *cum eum*, etc. Fulv. Ursin. : *quin eum.* Heraldus: *quod eum etc.* ORELL.

Ibid., not. *Vos cum*...: — *abieritis senodes*, nullo sensu. Ad hanc autem, — lege : — *abieritis senodes*, nullo sensu. Stewech. *abieritis senodes*, h. e. nodis soluti. Ad hanc autem.

Col. 863, not. *Si ejus*... :— Meursius et Stewech., — lege : — Meursius et Stewech. cum Heumanno.

Col. 865, ad notam *Non esse*... post verbum ORELL., adde : — Sed Carpocratis Hæresin, quæ partim e prioribus illis conflata fuit, partim pecularia sua monstra habuit, Arnobius præcipue secutus videtur. Manifestum hoc et promptum ex Tertulliano de Præscript., cap. 48 : *Carpocrates præterea hanc tulit sectam. Unam esse dicit virtutem in superioribus principalem ; ex hac prolatos angelos atque virtutes : quas distantes longe a superioribus virtutibus, mundum istum in inferioribus partibus condidisse ; Christum non ex virgine Maria natum, sed ex semine Joseph, hominem tantummodo genitum, sane præ cæteris justitiæ cultu, vitæ integritate meliorem ; hunc apud Judæos passum, solam animam ipsius in cælo receptam, eo quod firmior et robustior cæteris fuerit : ex quo colligeret tentata* (l. *retenta*) *animarum sola salute nullas corporis resurrectiones.* Hoc igitur a Carpocratianis, Marcionitis et aliis istiusmodi hæreticis acceperat Arnobius. Animarum autem creationem Seleucus quoque et Hermias ac postea Messaliani angelis tribuerunt. Vide Philastrium. HERALD.

Col. 86?, ad notam *Desultores*... pro v. ORELL., adde : — *Desultores* græce *κέλητες*, quorum artes elegantissimis versibus jam Homerus descripsit, Il. XV, 679. Conf. et Liv. XLIII, cap. 29 ; et Sueton. Cæsar. cap. 39. Ejusmodi desultoris imaginem ostendunt etiam Picturæ Herculanenses, t. III, tab. XXIV. Vide ibi Commentar. pag. 229 seq. et Nourr., pag, 554. ORELL.

Ibid., ad notam *Funiambulos*, pro verbo ORELL., adde : — De funambulis elegantissime Manilius Astron. lib. V :

Et si forte aliquas animo consurgit in artes,
In prærupta dabit studium, vinceteque periclo
Ingenium : aut tenues ausus sine limite gressus
Certa per extentos ponit vestigia funes
Et cœli meditatus iter vestigia perdet.

Ubi vid. Scaliger., pag. 421 ed. Bœcler. Cæterum de funambulorum, petauristarum aliorumque id genus hominum artibus adi lis Commentarium ad Pict. Herculan., tom. III, tab. XXXII, duo funambulos petasatos funique insistentes exhibentem pag. 1?8 et seq. ORELL.

Col. 870, ad notam *Quid fullones*..., post v. ELMENH. et ORELL., adde : — Juvenalis Sat. VII, vers. 224, seqq. :

Media quod noctis ab hora
Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet,
Qui doce obliquo lanam deducere ferro.

Id est *lanarius*, ut interpretatur vetus scholiastes. HERALD.

Ibid., ad notam *Phrygiones*, pro v. ORELL., adde :— Vide infr. in Corrigend. et addend. p. 463. Conf. Commentar. ad Pictur. Herculan., tom. V, tab. LXVIII, p. 303, et imprimis Salmasius ad Fl. Vopisc. Carin., cap. 20. Hist. Aug., tom. II, p. 850 et seq. ORELL.

Col. 871, post not. *Exugerent*... insere sequentem : *Proluvie linerent et madidarent se sua.* Glossæ : Proluvies... *κοιλίας ὑπερέκτρωσις*. Infra, lib. VI, cap. 16 : *In quascumque se detulerit deonerati proluvies podicis.* Virgilius Æn. III, 217 :

Virgineæ volucrum facies, fœdissima ventris
Proluvies. HERALD.

Ibid., not. *Ut ad*...:— Legi volunt nonnulli (Meursius) *vocibus.* Sed vulgata lectio, — lege : — Legi volunt nonnulli, Meursius *vocibus*, Heumannus *nutibus.* Sed vulgata lectio.

Col. 873, post not. *Rubigine*..., insere sequentem : *Vi famis humanis cadaveribus incubarent.* Petronius Sat., cap. 141 : *Saguntini oppressi ab Hannibale, humanas edere carnes, nec hæreditatem expectabant. Petavii idem fecerunt in ultima fame.... Cum esset Numantia a Scipione capta, inventæ sunt matres, quæ liberorum suorum tenerent semesa in sinu corpora.* Conf. Senec., lib. IV Controvers. XXVII, et Juvenal. Sat. XV, ibique intpp. ORELL.

Col. 876, ad notam *In gratiam*... adde hæc : Liceat in eamdem sententiam adscribere elegantissimum Prudentii locum contra Symmach., lib. II, vers. 189 et seqq. (de virgine Vestali ludos gladiatorios spectante) :

Inde ad confessum caveæ pudor almus et expers
Sanguinis it pietas hominum visura cruentos
Congressus, mortesque et vulnera vendita pastu
Spectatum sacris oculis. Sedet illa verendis
Vittarum insignis phaleris fruiturque lanistis.
O teneram mitemque animum ! Consurgit ad ictus ;
Et quotiens victor ferrum jugulo inserit, illa
Delicias ait esse suas, pectusque jacentis
Virgo modesta jubet converso pollice rumpi,
Ne lateat pars ulla animæ vitalibus imis
Altius impresso dum palpitat, ense secutor.

Conf. Cyprian., Epist. II, ad Donat. ELMENH.

Col. 878, ad notam *Vigorem*... pro verbo ORELL., adde : — *Exponere* pro *deponere* frequentatissimum scriptoribus ecclesiasticis et Arnobio nostro. Vide Annot. ad lib. IV, cap. 21, pag. 221. ORELL.

Col. 879, ad notam *Ut spirulas*, adde hæc : In emblemate Pict. Herculan., tom. V, tab. XIV, agnoscere sibi visi sunt commentatores bonum botulum et pag. 383, derivant v. *botulus* a *botones*, i. e. *tumores aggesta terra excitati* (Gloss. Agrimens. ap. Rigaltium), quasi *botonuli.* Modum conficiendi *botulos* vel *botellos* docet nos Apicius de Art. Coquin., lib. II, cap. 3 : *Botellum sic facies : ex ovi vitellis coctis, nucleis pineis concisis, cepam addes, porrum concisum, jus crudum misces* (scil. *pulpæ bene tunsæ et fricatæ*, quod repetendum ex præcedenti § de vulvula), *piper minutum, et sic intestinum farcies, adjicies liquamen et vinum, et sic coques*, ubi vid. Hummelberg., p. 65, ed. Jansson. ORELL.

Ibid., not. *Catillamenta*..., post verba : — a lingendis catillis (*Tellerlecker*), — adde : — Mazocchius ad Pict., Herculan., tom. V, p. 382, præfert *castellamenta* et comparat cum castellulis illis, quæ pueri ludentes ædificant tribus nucibus infra, una supra pos-

itis (nos Helveti dicimus *ein Hoc Nüsse*, Ital. *casteletto*).

Ibid., eadem not., ad finem, pro verbo Orell., adde : — Apicius l. l. *Lucanicarum confectio... teritur piper, cuminum, satureia, ruta, petroselinum, condimentum, baccæ lauri, liquamen, et admiscetur pulpa bene tunsa, ita ut denuo bene cum ipso subtrito fricetur cum liquamine admixto, pipere integro et abundanti pinguedine et nucleis; farcies intestinum perquam tenuatim productum et sic ad fumum suspenditur.* Conf. Nourr., p. 558, et Rader. ad Martial., lib. xiii, epigr. 35, p. 859. Orell.

Col. 881, ad notam *Scabillorum*... pro v. Orell., adde : — Conf. *Le Pitture antiche di Ercolano*, tom. iv, tab. xiii, p. 62, et *I Bronzi di Ercolano*, tom. ii, tab. xli, p. 155. Orell.

Col. 882, ad notam *Sambucistriæ*..., pro v. Orell., adde :— Has conjungit etiam Livius, qui post devictum Syriæ regem Antiochum, vulgo magnum, ait lib. xxxix, cap. 7 : *Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu asiatico in Urbem invecta est..... tum psaltriæ sambucistriæque et convivalia ludorum oblectamenta.* Ubi Doeringius sambucam instrumentum tam forma quam usu similem fere ei dicit quod apud nos dicitur *Harfe*. Conf. Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Del., vers. 253 (p. 541 ed. Ernesti) et qui de his et aliis similibus instrumentis musicis doctissime disputant Commentatores ad Pictur. Herculan., tom. ii, tab. vi, p. 35–38. Orell.

Col. 885, not. *Ut ferarum*..., ad fin.: — Idololatr., lib. iv, cap. 96, p. 599. Orell.,—lege :— Idololatr., lib. iv, cap. 46, p. 599, et qui testimonia medicorum veterum ac recentiorum de cantharidibus earumque veneno diligentissime collegit Schneider. V. Cl. ad Nicandri Alexipharm., vers. 115, pag. 114 et seqq. Orell.

Col. 887, ad not. *Non enim*..., post v. Elmenh., adde : — Hieronymi verba sunt l. i : *Quod si non putant eorum esse parva, quorum et magna sunt, alterum mihi conditorem juxta Valentinum. Marcionem et Apellem formicæ, vermium, culicum, locustarum : alterum cœli, terræ, maris et angelorum debent introducere.* Bochartus Hierozoic., *lib. iv, cap. 6, tom. ii, pag.* 325 *ed. Rosenmuller.*

Col. 888, post not. *Et obtinere*... adde sequentem :

Tam vana i. e. nullius usus. Orell.

Col. 889, not., *Scævitate*...:— Vid. supra ad lib. i. Orell.—lege :—Vid. supra ad lib. i, cap. 22. Stewechius mavult : *Servitute innumerabili vitiorum.* Orell.

Ibid., post not.: *Scævitate*... insere sequentem :

Audaces, temerarios, præcipites, cæcos. Coacervat hic more suo Arnobius plures dictiones, quæ etsi rem unam et eamdem significare videntur, differunt tamen aliquo modo, et proprietates quasdam singulæ ajunctas habent, quæ non insunt cæteris. *Audacia* est fons et caput temeritatis; ex eo enim, quod ad pericula imperterritus et paulo audacior aliquis est, nascitur *temeritas*, i. e. προπέτεια, ut recte interpretantur glossæ veterum, quæ *cæcitatem* etiam adjunctam habet, unde *temerarios, præcipites, cæcos* bene conjungit Arnobius. Nam quando præcipites aliquo ferimur, oculorum aciem infigere non possumus, ut idcirco alia videmus imperfecte, alia ne videmus quidem. Quare et Seneca Tragicus *temeritatem cæcam* pronuntiavit in Agamemnone, vers. 145. Her. Sic et nos : *Kur verwegen, blind und tolldreist.* Orell.

Ibid., post notulam *Invalidos*... insere sequentem :

Generositas principalis, id est originalis. Heumann. Immo a Deo, omnium rerum principe, profecta, ut bene explicat Heraldus. Vide notam sequentem. Sic infra, cap. 64 : *Aut ab indulgentia principali quemquam repellit.* Orell.

Col. 894, post notam *Cumque*... insere sequentem :

Cujus animam fecerat universitatis istius. Meursius, pag. 75, hæc verba mutila putat. Sed omnia optime cohærent. Sensus est : *noluit* (Plato) *ejusdem sinceritati mixturæ* (vel sinceræ mixturæ) *esse animas generis humani, cujus sinceritatis fecerat* (vel docuerat esse in Timæo suo) *animam universitatis istius* (sive animam mundi). Orell.

Col. 895, ante notam *Parvarum*... adde sequentem :

LIII. — *Utpote a rebus non principalibus editas.* Variæ diversorum Gnosticorum opiniones de origine animarum, quas in tota hac disputatione sequitur Arnobius, in breve compendium redegit Tertullianus in libro de Anima, cap. 23, quem locum, cum scriptori nostro lucem, affundat integrum hic exscribere liceat. « Quidam, » inquit ille, « de cœlis devenisse credunt homines, tanta persuasione, quanta illuc indubitate regressuros repromittunt, ut Saturninus, Menandri Simoniani discipulus, induxit, hominem affirmans ab angelis factum, primo opus futile et invalidum et instabile, in terra vermis instar palpitasse, quod consistendi vires deessent, dehinc ex misericordia summæ potestatis, ad cujus effigiem, nec tamen plene perspectam, temere structus fuisset, scintillulam vitæ consecutum, quæ illum exsuscitarit et erexerit et constantia animarit, et post decessum vitæ ad matricem relatura sit. Sed et Carpocrates tantum sibi de superioribus vindicat, ut discipuli ejus animas suas jam et Christo, nedum apostolis et peræquent, et cum volunt præferant, quas subinde de sublimi virtute conceperint despectrice mundi potentium principatuum. Apelles sollicitatus refert animas terrenis escis de supercœlestibus sedibus ab igneo angelo Deo Israelis et nostro, qui exinde illis peccatricem circumfinxerit carnem. Examen Valentiniani semen Sophiæ infulsit animæ, per quod historias atque milesias æonum suorum ex imaginibus visibilium recognoscunt. Doleo bona fide Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum, etc. » Vide ibi Pamelium. Orell.

Col. 896, post notam *Mali*... insere sequentem :

Nesciente, ignaro, ac nescio. Malim *insciente*, cum sequatur *nescio*. Orell.

Ibid., post notulam *Puncta*... insere hanc :

Uritur et laceratur. Vide not. ad lib. i, cap. 3, tom. i, pag. 284. Pro *laceratur* Stewechius mavult *lancinatur*. Orell.

Col. 897, ad notam *Quam sine*... post v. Orell., adde : — Lego ? *Quinimmo potius magis in inscientiæ finibus atque ignorantiæ permanere, quam scire dicere Dei nihil fieri præter voluntatem.* Meurs., *pag.* 75.

Col. 899, not. *Aut nulla*... : — *ut nulla*, — lege : — *at nulla*.

Col. 900, ante notulam *Mundus*... insere hanc :

LVIII. — *Quæ causa hominem finxerit.* Meursius, pag. 76, mavult *qua causa*. Male. *quæ causa* i. q. quis auctor, conditor. Orell.

Col. 903, post not. *Quid venas*... insere sequentes :

Oculis nos illuminare. Heumannus *illuminari*. Optime. Orell.

Ad periculum cæcitatis. Idem Heumannus *ob periculum*. Orell.

Col. 906, not. *Sapor*...:— sensu. Equidem autem Heraldo,—lege :— sensu, unde Stewechius audacius totum locum sic refinxit : *Ipsa deinde hæc quid sint, sapor, odor, idem sapor, et cæteræ qualitatum distantiæ quibus ex rationibus ducantur.* Equidem autem Heraldo.

Col. 907, post not. *Auras* .. insere sequentem :

Rebus enim ex omnibus, quas augustæ continet divinitatis obscuritas. Lectio si vera est, sensus erit : *rebus ex omnibus, quas augusta divinitas continet tenebris* (vel *obscuritatibus*) *involutas*, (*von allen den Dingen, welche das erhabenste Wesen den Sterblichen verborgen hält, in Dunkelheit hüllt*). At legendum puto : *Rebus enim ex omnibus, quas angustæ continet divinationis obscuritas*; hoc sensu : *rebus ex omnibus, quas ratio nostra angusta* (h. e. *arctis circumscripta limitibus*) *divinans magis quam perspiciens verum, comprehendere potest.* At judicent doctiores. Orell.

Col. 909, post notam *Qui longæ vas*... insere hanc :

Ut alii præstare id quod ipsi sunt valeant. Verissima hæc correctio debetur Stewechio. Antea : *ut alii præstare vel quod ipsi sunt*, etc., nullo sensu. Orell. A

Col. 910, notul. *Deponite...*:— *exponite*, ex msto. Orell.— lege :— *exponite*, ex msto quod, probante etiam Cantero, recipiendum fuisset. Vide ad lib. IV, cap. 21, verba : *ut fletam exponeret ineptissime tractum.* Orell.

Col. 911, post notam *Si aut...* adde sequetem :

Quid est enim tam injustum, etc. Horatius in Arte poet., vs. 467 :

Invitum qui servat, idem facit occidenti. Elmenh.

Col. 914, post notulam *Constiterit*, insere hanc :

Lœtius. Heumannus *lectius.* Non male. Orell.

Col. 919, post notam *Sacras...* insere sequentem :

Et simulacris deorum. Eorum scil. in quorum procul dubio tutela erant vel sacræ mensæ vel aliæ, quibus ethnici, invocatis antea diis, accumbebant. Nonne vero ex hisce diis ille unus est, de quo canit Statius IV, Sylv. VI, vs. 32 : B

. . . castæ genius tutelaque mensæ.

Et paulo post, v. 50 :

. . . Pallæus habebit.
Regnator, lætis numen venerabile mensis.

Verum ethnici hæc tanquam aniles superstitiones postea rejecerunt. Nourr., *pag.* 317.

Col. 920, ad notam *Matres....*, post v. Elmenh. *et* Orell. — adde : — Mulieres autem non infimi vel medii, sed primi etiam ordinis, nec tantum in reipublicæ nascentis, verum etiam in reipublicæ ad unius dominationem cedentis temporibus sic institutas fuisse discimus ex Suetonio, qui cap. 64, de Augusto hæc narrat : *Filiam et neptes ita instituit, ut etiam lanificio assuefaceret, vetaretque loqui, aut agere quidpiam, nisi propalam, et quod in diurnos commentarios referretur.* Item cap. 73 : *Veste non temere alia, nisi domestica usus est, ab uxore et filia neptibusque confecta.* Nourr., *pag.* 318. — Conf. Phil. Carol. Animadv. in Q. Curt. pag. 613. Orell. C

Col. 921, ad not. *Potionibus*, post v. Orell., adde : — Causam interdicti vini Valerius Maximus reddit l. I, *ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit.* Cæt. vid. qui hac de re multus est, Phil. Carolus in Animadv. ad A. Gell. lib. X, cap. 23, pag. 435 et seq. Athenæus Deipnos. lib. X, cap. 13, narrat, vinum prohibitum fuisse mulieribus, quia Herculi potum petenti aquam pro vino mulier porrexerit. Orell.

Ibid., ante notam *Nonne sub...* insere sequentem :

LXVIII. — *In Albano antiquitus monte*, etc. Narrat scil. Livius lib. I, cap. 31, sub Servio Tullio, Romanorum rege, in Albano lapidibus pluisse, ac tunc, inquit, *visi audire vocem ingentem ex summi cacuminis loco, ut patrio ritu sacra Albani facerent, quæ, velut diis quoque simul cum patria relictis, oblivioni dederant.* Idem, lib. V, cap. 52, Camillum hæc ad Romanos verba facientem inducit : *Videte, quid inter nos ac majores intersit. Illi sacra quædam in monte Albano Lavinioque nobis facienda reliquerunt.* Litteris quoque a Dionysio Halicarnass., lib. IV, p. 250, proditum legimus, ut ictum a Tarquinio cum Volscis et Hernicis fœdus perpetuum esset, uno omnium consensu decretum, ferias quotannis in monte alto, Albæ imminente, celebrandas, ubi sacra Jovi Latiari fierent, et communis omnium victima taurus cæderetur. Nonne autem Arnobius taurum hunc fuisse album innuit ac de hujus ritus immutatione conqueritur? Nourr. *pag.* 318 *seq.*—Vim boves ex rufis reddendi niveos Clitumno Faliscorum fluvio tribuunt Propertius lib. II, eleg. 19, et Plin., Hist. Nat., l. II, cap. 3, qua virtute vanescente rufulos tauros cœptos fuisse immolari putat Dausqueius ad Sil. Ital. l. VIII, pag. 359. Orell. D

Ibid., ad notam *Et hunc...*, post verbum Orell., adde : — Totam hanc fraudem his verbis retegit explicatque Macrobius l. I. : « Cum diu humanis capitibus Ditem et virorum victimis Saturnum placare se crederent, propter oraculum, in quo erat :

Καὶ κεφαλὰς Ἅιδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Herculem ferunt postea cum Geryonis pecore per Italiam revertentem, suasisse illorum posteris, ut faustis sacrificiis infausta mutarent, inferentes Diti non hominum capita, sed oscilla ad humanam effigiem acte simulata, et aras Saturnias non mactando viros, sed accensis luminibus excolentes quia non solum virum, sed et lumina φῶτα significat : inde mos per Saturnalia missitandis cereis cœpit. » Nourr., *pag.* 319.

Col. 923, post not. *Theutin...* insere sequentem :

Tibicinem. Tibicen, teste Paulo (ap. Fest. v. *tibicines*), sumitur aliquando pro columine aut sustentaculo, quo ædificium aliquod aut domus, aut aliud aliquid fulcitur. Et certe eo sensu Juvenalis dixit, sat. III, vers. 203 :

Nos urbem colimus, tenui tibicine fultam.

Ovidius quoque IV Fast., vers 695 :

Hæc modo verrebat stantem tibicine villam.

Nourr., *p.* 321.—Glossæ : ... *tibicines*... ἀντηρίδες, δοκοί. Causam nominis exponit Festus : *a similitudine tibiis canentium, qui ut canentes sustinent, ita illi ædificia.* Conf. Commentar. ad Pictur. Herculan. tom. V, tab. LXX., pag. 314, et Herald., in Adversar., lib. I, cap. 8, pag. 43. Orell.

Col. 926, ad notam *Quis picum...* post v. Orell., adde : — De his elegantissimis versibus Virgilius cecinit Æn. VII, vers. 45 et seqq. :

. . . . . Rex arva Latinus et urbes
Jam senior longa placidus in pace regebat.
Hunc Fauno et Nympha genitum Laurente Marica
Accipimus, Fauno Picus pater, iisque parentem
Te, Saturne, refert : tu sanguinis ultimus auctor.

Col. 927, post notam *Vultis...* insere sequentem :

Trecenti ergo sunt pleni et sexaginta post hos anni Hoc temporis intervallum in Eusebii Chronico multo magis his verbis contrahitur (ad ann. 838) : *Primus rex Romanorum post captam Trojam Æneas. Ante eum Janus, Saturnus, Picus, Faunus regnaverunt annis circiter* 150, nimirum annis ut minus totidem, quam Arnobius gentilibus gratis concessit. De his primis Latinorum regibus vide sis Dionysium Halicarnass., lib. I Antiquitt. p. 24 et 34; Lactant., lib. I, cap. 22; Augustin., lib. XVIII, cap. 15, et alios. Nourr. *p.* 312.

Ibid., post notam *Æneæ...* insere sequentem :

Albani oppidi conditoris. Regum Latii veteris ab Ænea usque ad Amulium incognita hactenus historia nuperrime lucem accepit ex insigni fragmento Chronici Eusebiani, quod integrum extat in codice Armenico Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana servato, quodque tamquam promulsidem operis desideratissimi latine versum cum aliis nonnullis edidit Angelus Ma jus vir doctissimus, in l. tit. : *Philonis Judæi, Porphyrii Philosophi et Eusebii Pamphili Opera inedita, Mediolani*, 1816, octonis. Quod fragmentum, cum paucis tantum plagulis constet, integrum hic exscribere liceat, pag. 65 — 69.

De Roma condita.

« Maxima controversia est de Urbe condita, nempe de tempore ejusque auctoribus, atque, ut mihi videtur, nullus historicus rem satis bene tradidit. Quæ quum sint explorata, innuisse sufficiat. Sed enim Cephalion Gergesenus (l. *Gergethius*) scriptor et vir egregius altera ætatepost Iliacum bellum ædificatam ait Urbem ab iis, qui Ilio incolumes superfuerunt seque comites Æneæ adjunxerunt, etc. »

Paginæ quatuor, quarum editionem in integro opere expectamus. Ex libro VII *Diodori de veterum Romanorum Origine.*

« Nonnulli historici arbitrari sunt, Romulos (i. e. Romulum et Remum, qui Romam condidere, natos esse ex Æneæ filia. Id autem a veritate longe abhorret : ingens enim annorum series intercedit inter regna Æneæ et Romuli, a quo Roma anno altero tertiæ Olympiadis fundata est. Quare urbis ædificatio posterior est Troico bello annis plus quam CCCCXXXIII. Namque Æneas tertio post captam Trojam anno Latinorum regnum occupavit, quod et tribus annis tenuit, donec e conspectu hominum sublatus est et divinos honores sortitus. Qui hujus imperium excepit Ascanius filius, Albam condidit, quæ nunc Longa appellatur : eique urbi nomen fecit a fluvio, qui tunc Alba appellabatur : nunc est Tiberis.

« Sed ad nomen ejus urbis quod attinet, Fabius, Romanarum rerum scriptor, alias fabulas fingit. Oraculum, ait, Æneæ fuit editum, fore ut aliquis quadrupes locum condendæ urbis illi præmonstraret. Jam vero cum forte Æneas albam suem prægnantem sacrificio admoveret, illa manibus sacrificantis elapsa in collem quemdam fuga evasit, ibique triginta fœtus enixa est. Tunc Æneas admiratione perculsus, oraculique exsequendi studiosus, urbem eo loco condere decrevit : verum in somnis ab eo incepto deterritus est monitusque, ut triginta post annos, pro numero nempe fœtuum, urbem strueret. Itaque Æneas a frequentanda civibus urbe abstinuit. »

« Ænea vita erepto, Ascanius, ejus filius regnique hæres, triginta post annis collem ædificiis occupavit, nomenque fecit urbi Albæ de suis colore. Latini enim sua lingua *album* appellant, quod nos λευκόν. Addidit et nomen Longam, propterea quod latitudine esset minima, in longitudinem autem nimiam porrigeretur. Ait insuper (*Fabius*), Albam ab Ascanio regno sedem optatam, multosque finitimos populos ab eo deletos. Quibus rebus Ascanius bene gestis inclaruit, extinctusque est anno regni sui XXXVIII. »

« Ascanio fatis functo, populi tumultus exortus est propter duos de regno invadendo certantes. Nam et Julius, Ascanii filius, paternum imperium sibi vindicabat, et Silvius, Ascanii frater, ex Ænea Silviaque prima conjuge Latini, genitus, idem regnum affectabat. (Scilicet, Ænea mortuo, Ascanius puerum, quem perdere cupiebat, abjecerat in montes, qui tamen ibi a pastoribus nutritus est, ideoque Silvii nomen obtinuit a loci nomine.) Tandem post plurimam partium altercationem, vulgi suffragio regnum Silvius adeptus est. Julius, ab imperii spe dejectus, summi tamen pontificatus honore auctus est, fuitque secundus a rege. Ab hoc aiunt gentem Juliam propagatam, quæ ad hanc usque diem Romæ superest.

« Rex Silvius nihil memorabile gessit, mortuusque est XLIX regni anno. Successit ei filius Æneas, cui factum est agnomen Silvius : isque imperavit annis plus XXX. Postea regnavit Latinus, qui item appellatus est Silvius, annis L. Is plurimis rebus gestis præliisque bellatis nobilis evasit. Hic et oppida adjacentia sustulit, et antiquas Latinorum urbes XVIII fundavit, nempe Tibur, Præneste, Gabios, Tusculum, Coram, Pometiam (*Cod. Arm.* Comediam), Lanuvium, Labicum, Scaptiam, Satricum, Ariciam, Tellenas, Crustumerium, Cæninam, Fregellas, Cameriam, Medulliam, Boilum, quam alii dicunt Bolam. (*Conf. Virgil. Æn.* VI, 768 *et seqq.*) Latino extincto, creatus est rex ex eo genitus Alba Silvius, qui regnum tenuit annis XXXVIII. Hinc Capetus Silvius annis XXVI, cui successit Capys annis XXVIII. Mox Calpetus, filius ejus, annis XIII. Tum Tiberinus filius annis VIII. Hic Tyrrhenos armis aggressus est, quumque exercitum Albam amnem trajiceret, mersus est, eoque casu factum flumini nomen Tiberino. Hinc imperavit Latinis Agrippa annis XLI. Tum Aulus Silvius annis XIX. Hic adeo elatus superbia dicitur, ut et ipsi Jovi adversaretur atque minaretur. Et quidem aliquando tempore fructuum, cum ingentia tonitrua sæpe ederentur, ipse suos milites jussit simul omnes ad unius nutum clipeos gladiis verberare, quo scilicet tonitruum fragor ea re superaretur. Itaque ejus superbiam haud impunitam dii passi sunt, periitque fulminibus, mersus cum universa domo in lacum Albanum. Rei documentum Romani accolæ lacus adhuc demonstrant columnam ex aquarum superficie eminentem ad eum locum, ubi mersa est regia familia. (*Vid. Dionys. Hallicarn. Antiq.* I, 71, *qui regem illum dicit* Ἀγρίππαν Ἀλλάδην *vel* Ἀλλώδιον *pro varietate lectionum. Conf. etiam Syncellum, p.* 185, *ed. Goar.*) Hunc consecutus est Aventinus, qui annis XXXVII regnavit. Is bello suburbanarum gentium victus, coactus est fugere ad Aventinum collem, qui ab eo scilicet tunc primum id nomen traxit. Deinde in imperium suffectus est Proca Silvius annis XIII; eo mortuo, Amulius, ejusdem filius junior, tyrannidem occupavit, dum Numitor, major natu frater, procul peregrinaretur. Is Amulius regnavit annis plusquam XLIII, donec a Romulo et Remo, qui Romam condiderunt, interfectus est. » Hæc Eusebius. Regnaverunt ergo Albæ :

Ascanius annis	37.
Silvius . .	49.
Æneas Silvius	30.
Latinus . .	50.
Alba Silvius .	38.
Capetus Silvius	26.
Capys . . .	28.
Calpetus . .	13.
Tiberinus. .	8.
Agrippa. . .	41.
Aulus Silvius.	19.
Aventinus. .	37.
Proca Silvius.	13.
Amulius.	43.
	432.

Quod nonnihil excedit computum Arnobii. ORELL.

Col. 929, ad not. *Quid? vos...*, pro verbo ORELL., adde : — Conf. *H. Meyer und J. Schulz Anmerk. zu Winkelmanns Geschichte der Kunst.* II. *Buch. Nr.* 399. *Werke Winkelmanns tom.* III, *pag.* 349. ORELL.

Col. 930, ad not. *Apollinis...* pro v. ORELL., adde : — Conf. A. Gell. XIII, 22; Voss. de Idol. I, 12; Guther., de Vet. Jur. Pontif. I, 20; Brisson., de Form., I, 103; et Commentar. ad Pictur Herculan., tom. IV, tab. XVII, pag. 84. *Indigitamenta* erant itaque Libri Rituales, quos Numa Pompilius ab Etruscis sumpserat, in quibus, ut ait Festus, *præscriptum erat, quo ritu condantur urbes, aræ, ædes sacrentur, qua sanctitate muri, quo jure portæ, quo modo tribus centuriæ distribuantur* etc. ORELL.

Col. 933, post not. *Cum ergo...*, insere sequentem : *Perquiramus et nos contra*, etc. Augustinus de Civ. Dei lib. I, cap. 29 : *Pagani, qui probitati Christianorum insultant, illisque dicunt, cum forte in aliqua temporalia mala devenerint: ubi est Deus tuus? ipsi dicant : Ubi sint dii eorum, cum talia patiuntur, pro quibus evitandis eos vel colunt, vel colendos esse contendunt.* ELMENH.

Ibid., ad not. *Acerras...* pro verbo ORELL., adde: — Et jam in posteriorem explicationem inclino de arca thuraria. Nec quidquam mutandum. *Conficiatis* i. e. *consumatis* (*warum ihr alle eure Weyhrauchkastchen auf die vollen altare ausschuttet, ausleert*). In Pictura Herculanensi tom. II, tab. XXXIII, conspicitur mulier *aceram* h. e. arcam thuriferam cum lauro gestans. Vide ibi commentatores doctissimos, pag. 197, et Visconti in Museo Pio Clement., tom. IV, pag. 5. ORELL.

Col. 934, post not. *Amissionem...* insere sequentem: *Sublatis ingenuitatibus. Ingenuitas* apud Romanos eorum erat qui liberis erant parentibus nati : hinc

jus ingenuitatis, cujus signa erant in viris toga pura, in pueris bulla et toga prætexta : ingenuus enim civis optimo jure. Cicero in Verrem I, cap. 58 : *Vestitus enim neminem commovebat is, quem illi mos et jus ingenuitatis dabat*, scil. toga prætexta. Conf. Sigon. de antiquo Jure Pop. Rom. I, cap. 6, tom. I, pag. 75, ed. Lips. ORELL.

LIBER TERTIUS.

Col. 937, ante notam primam pone sequentem :

I. — *Jam dudum quidem criminibus his omnibus, maledictionibus potius.* Crimina appellat accusationes, quæ sine maledictionibus et conviciis stare possunt. Quoniam igitur gentium criminationes non erant simplices et nudæ accusationes, sed omni acerbitatis felle tinctæ, idcirco addit *maledictionibus potius.* Similia sunt Origenis ista contra Celsum, lib. III : Ἤρκει μὲν οὖν καὶ ταῦτα πρὸς τὰς Κέλσου λοιδορίας μᾶλλον ἢ κατηγορίας. HERALD.

Col. 939, ante notulam *Ad fidem*... insere hanc :

Aut eo esse comprobabitur vera. Aut, id est neque ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. HEUMANN. *in marg.* — Sic Cicero ad Div. II, epist. ult. : *Neque unde, neque quo die datæ essent litteræ, aut quo tempore te expectarem, significabant.* ORELL.

Ibid., post eamd. notul. adde sequentem :

Consensionis unitæ. Unire, unitus, vocabula latinitatis ecclesiasticæ. Neronis ætate nondum erant in usu, nisi in philosophorum circulis. Seneca Quæst. Nat. lib. II, cap. 2 : *Expedire me non poteram, si philosophorum lingua uti voluissem, ut dicerem unita corpora.* Vid. Cellar. de Barbarism. l. lat., p. 148, et in Addend., p. 156. Apud nostrum nil frequentius, ORELL.

Ibid., post notam *Possumus*... insere sequentem :

Divinorum omnium quæcumque sunt. Heumannus conj. *quicumque*, v. *divinorum* accipiens genere masculino. Sed eodem sensu pro *diis* utitur Arnobius lib. VI, cap. 3, *cui debent divina nobiscum*, quod nollem jam a me mutatum fuisse in *dii una nobiscum.* ORELL.

Col. 941, not. *An hæc*..., post verba : — Sed unice vera Meursii emendatio, —adde :—Heumannus conj. *an ipsi hæc sibi* (i. e. ipsis diis scil.) *diebus imposueritis lustricis.* Male. ORELL.

Col. 944, post notam *Neque*... adde notulam :

Quinam isti sunt divi. Heumannus *sint*, bene. ORELL.

Col. 945, ad notulam *Verborum*... adde : — Heumannus *luculentia.* Sed nil mutandum. Vide Corrigenda et Addend., pag. 466. ORELL.

Ibid., not. ult. : — *De hoc.* I. e. propter hoc, ut sæpe. Vide,—lege :—*Ab hoc*, i. e. propter hoc ut sæpe (Heumannus conj. *ob hoc*). Vide.

Col. 946, not. *Erroris*...:—*dictave*,—lege :—*dictare.*

Ibid., post notam *Erroris*... insere sequentem :

VIII. — *Pronuntiamus genere masculino.* Hieronymus ad Damasum papam Epist. 143 : *Nec putandum sexum esse in virtutibus Dei cum etiam ipse Spiritus sanctus secundum proprietates linguæ hebreæ femino genere proferatur RUHA; græcæ neutro* τὸ πνεῦμα; *latinæ masculino genere spiritus. Ex quo intelligendum est, quando de superioribus disputatur, et masculinum aliquid seu femininum ponitur, non tam sexum significari, quam idioma sonare linguæ : siquidem ipse Deus invisibilis et incorruptibilis omnibus pene linguis effertur genere masculino, cum in eum non cadat sexus.* ELMENH.

Ibid., not. *Nam consuestis*... post med. : — et solemn. Pop. Rom. verbis. Cæterum,— lege : — et solemn. Pop. Rom. verbis, nec non Phil. Carolus Animadv. in A. Gell. l. l. pag. 171 et seqq., qui hac de re multus est. Cæterum.

Col. 949, ad notulam *Aboriri*... post v. ORELL., adde : — Papias : *aboriri... male nasci.* Nonius : *aboriatur, abortiat... Varro... vinum, quod ibi natum sit in quodam loco, si prægnans biberit, fieri, ut aboriatur.* ELMENH.

A Col. 950, ad not. *Hespontiacum*, post v. ORELL., adde :— Etymol. Magn. v. Ἀβαρνὶς πόλις Λαμψάκου. ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ τοιαύτης αἰτίας. Διονύσου ἐρασθεῖσα Ἀφροδίτη, ἐμίγη αὐτῷ· ἀναχωρήσαντος δὲ τούτου εἰς τὴν Μηδικὴν (l. Ἰνδικὴν, ut habet Scholiastes Apollonii), ἐγαμήθη Ἀδώνιδι· Ὕστερον δὲ ἐπανελθόντος Διονύσου, στέφανον πλέξασα ἡ Ἀφροδίτη ἀπήντησεν αὐτῷ· ᾐτεῖτο δὲ ἀκολουθῆσαι αὐτῷ διὰ τὸ ἤδη γεγαμῆσθαι· εἰς δὲ Λάμψακον ἀναχωρήσασα, τὸν ἐξ αὐτοῦ κυοφορούμενον ἐβούλετο ἀνελεῖν. Ἡ δὲ Ἥρα ζηλοτυπήσασα μεμαγευμένῃ τῇ χειρὶ ἐφήψατο τῆς γαστρὸς αὐτῆς, καὶ ἐποίησεν αὐτὴν τεκεῖν παῖδα· ὃν Πρίηπον ὀνομασθῆναι, ἄσχημον καὶ βαθυαιδοῖον· καὶ τοῦτον ἀπαρνηθῆναι αὐτὴν τὴν Ἀφροδίτην· καὶ ἀπὸ τούτου Ἀπαρνίδην κληθῆναι, κατὰ δὲ ἐναλλαγὴν τοῦ στοιχείου Ἀβαρνίδην. Eadem iisdem fere verbis habet Scholiastes ad Appollon. Rhod. I, 932. Conf. turpem hanc fabulam doctissime illustrantem Zœgam in l. l. *Li Bassirilievi antichi di Roma*, t. II, tab. LXXX, p. 165, et seqq. ORELL.

B Col. 951, ad not. *Tortari*, pro v. ORELL., adde : — Heumann. conj. *plorare.* Male. ORELL.

Col. 953, post notam *Aut si*... insere sequentem :

Coagmenta. Emendandus in hac voce Nonius : *Coagmenta dicta sunt conjunctiones arctæ et compares* (leg. *compages*) *a cogendo, id est, stringendo.* MEURS., *pag.* 93.

Col. 955, ad notam *Cum arteriis*, pro v. ORELL., adde : — Heumann. *Spiralibus.* Male. ORELL.

Col. 956, ad notam *Cilunculos*, pro verbo ORELL., adde : — Conf. Dausqueium, ad Sil. Ital. pag. 2, qui præfert *silunculos* et comparat cum v. σιμιχίδας ap. Theocritum : quod vero potius convenit iis, quos paulo post Arnobius appellat *illos resimis naribus.* ORELL.

Col. 963, ad notam *Cæteri*, post v. HERALD., adde : —Heumannus construit : *Cæteri enim dii non sunt* (*divini*), quod ex antecedentibus repetendum. ORELL.

Col. 964, ad notam *Sunt in*... pro verbo ORELL., adde : — Andreas Cirino in Commentatione de Urbe C Roma, cap. 24, inserta Sallengrii Thesauro Antiquitt. Rom. tom. II, pag. 266, putat, aut recipiendam C. Barthii conjecturam *in sidereis sedibus*, aut legendum : *in sidereis sedibus*, *montibus silvæ* (more Arnobii copulam omittere solentis), hæc observans : « Enimvero opinionem Anaxagoræ et Democriti sequitur, qui, teste Plutarcho, *de Facie in orbe lunæ* et *in Philosophorum Placitis*, docuerunt, lunam esse firmamentum ignitum, quod in se contineat planities, montes et convalles. Heraclitus terram caliginosam nube contectam existimavit : Philolaus cum Pythagoricis similia effutiunt. Fortasse symbolica virtutum momenta cœlorum in vertice collocata demonstrant, et cum Orion inter sidera præstet, venator et lepus hanc sedem venatoribus ostentarunt, illustrium laborum finem et immortale decus. » ORELL.

Ibid., ad notam *Ut difficiles*, pro v. ORELL., adde : — Heumannus conj. *corrigatque.* Male. ORELL.

D Col. 965, ante notulam *Scienda*, insere hanc :

XXII. — *Atque ut vita sit instructior.* Lego : *atque ut vita sit his instructior.* MEURS., p. 93.

Col. 970, ante notam *Et nisi*... insere sequentem :

XXIV. — *Tutelaribus diis.* Arnobius infra, l. IV : *Si et has dicitis partes suis agere sub tutelaribus divis.* Dionysius Halicarn., lib. IV Antiquitt. Rom., p. 220 : Βωμοὺς ἐκέλευσεν αὐτοῖς ἱδρύσασθαι, θεῶν ἐπισκόπων τε καὶ φυλάκων τοῦ πάγου; lib. VI, pag. 393 : Καπιτώλιε Ζεῦ, καὶ θεοὶ πόλεως ἐπίσκοποι. Hieron., tom. IV, in Esai. cap. LVIII : *Roma orbis domina in singulis insulis domibusque Tutelæ simulacrum cereis venerans et lucernis, quam ad* (l. *ob*) *tuitionem ædium isto appellant nomine.* Inscriptio vetus :

DEO. TUTELARI. ÆMILIUS. SEVERIA.
MIMOGRAPHUS. POSUIT.

* * *

MERCURIO. ET. MINERVÆ. DIIS. TUTELARIBUS.

ELMENH.

Col. 971, not. *Unctionibus...*, ad fin., pro loco : — Herculeo (id est arctissimo) vinctum erat cingulum, — lege : — Herculeo (id est arctissimo, de quo multus est Bœttiger. V. Cl. in *Griechischen Vasengemahlden*, tom. I, part. II, pag. 103) vinctum erat cingulum.

Col. 975, ante not. *Alius...*, insere sequentes :

XXIX — *Dissolventiaque se ipsa. Se* deest in Cod. ms. Herald. *dissolventia ipsa se.* ORELL.

Quos esse singulos semper, etc. *Singulos* h. l. sensu insolentiori dixisse videtur Arnobius pro *numero definitis*, (*von einer bestimmten eingeschrankten Anzahl.*). Opp. *innumeri.* ORELL.

Ab Jano..... patre, etc. Servius ad Æn. VIII, vs. 605: *Alii Janum dici dominum volunt, in quo ortus est et occasus.... Alii anni totius, quem in quatuor tempora constat esse divisum. Anni autem esse deum illa res probat, quod ab eo prima pars anni nominatur. Nam a Jano Januarius dicitur. Alii Janum mundum accipiunt, cujus caulæ ideo in pace clausæ sunt, quod mundus undique clausus est, belli tempore aperiuntur ad auxilium petendum, ut pateant.* Addit illum ab aliis, quemadmodum a Cicerone, Janum seu Eanum ab eundo vocitari, eumque esse Martem, ab aliis vero Clusivium aut Patulcum aut Janonium, atque etiam Quirinum appellari. Macrobius vero lib. I Sat., cap. 9, hunc ipsum a quibusdam, uti a Nigidio, eumdem dici atque Solem et Apollinem, a nonnullis vero mundum et cœlum, atque iisdem, quæ Servius recenset, nominibus ab aliis vocatum, imprimisque Janonium, *quasi*, inquit, *non solum mensis Januari, sed mensium omnium ingressus tenentem.* Conf. Augustin., VII de Civ. Dei, c. 7. NOURR., p. 140.—Conf. Joann. Lyd. de Mensibus pag. 55 et seqq., et imprimis doctiss. Creutzer. in l. l. *Symbolik und Mythologie der alten Völker*, t. II, p. 450. seqq. ORELL.

Col. 976, ad not. *Patrem*, post v. ORELL., adde :— Deum *Fontum* seu *Fontinalem* Latinorum Tusci dixere *Fontir* a φυτεύω, *producere* et *emittere*, unde Latinis *fons*, quemadmodum apud eosdem a *scateo* formatur *scaturigo*. GORIUS, *Dissert. de Hellenismo Etrusc. in Symbol. Litter.*, *tom.* II, *pag.* 66.

Ibid., ad notam *Juturnæ*, sub fin., post v. ORELL., adde : — Lacuum dea apud veteres Latinos, teste Virgilio, Æn. XII, 138 :

> Extemplo Turni sic est affata sororem
> Diva deam stagnis quæ fluminibusque sonoris
> Præsidet : hunc illi rex ætheris altus honorem
> Jupiter erepta pro virginitate sacravit.

Conf. Commentatt. Pict. Herculan. in Obss. ad calcem additis. Tom. I, pag. 171. ORELL.

Col. 980, ad notam *Æthereum*, pro verbo ORELL., adde : — Ægyptiorum dogma teste Diodoro Siculo, lib. I, cap. 12, cujus verba servata etiam ab Eusebio Præparat. Evangil. lib. III, cap. 3, cum sint in hanc rem classica, juvat integra exscribere : Τὸν δ' ἀέρα προσαγορεῦσαί φασιν Ἀθηνᾶν, μεθερμηνευομένης τῆς λέξεως, καὶ Διὸς θυγατέρα νομίσαι ταύτην, καὶ παρθένον ὑποστήσασθαι διά τε τὸ ἄφθορον εἶναι τῇ φύσει τὸν ἀέρα, καὶ τὸν ἀκρότατον ἔχειν τόπον τοῦ σύμπαντος κόσμου· διόπερ ἐκ τῆς κορυφῆς τοῦ Διὸς μυθολογηθῆναι ταύτην γενέσθαι· ὠνομάσθαι δὲ αὐτὴν Τριτογένειαν ἀπὸ τοῦ τρὶς μεταβάλλειν αὐτῆς τὴν φύσιν κατ' ἐνιαυτὸν, ἔαρος καὶ θέρους καὶ χειμῶνος, λέγεσθαι δ' αὐτὴν καὶ Γλαυκῶπιν, οὐχ, ὥσπερ ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων ὑπέλαβον, ἀπὸ τοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχειν γλαυκοὺς (τοῦτο μὲν γὰρ εὔηθες ὑπάρχειν), ἀλλ' ἀπὸ τοῦ τὸν ἀέρα τὴν πρόσοψιν ἔχειν ἔγγλαυκον. NOURR., pag. 443. *seq.*

Col. 981, ad notam *Nulla est...*, pro finali verbo ORELL., adde : — Equidem Mentem et Victoriam deas habitas scio, quarum hanc consecravit primo Attilius Regulus, postea Æmilius Scaurus, illam vero bello Samnitico Attilii collega in consulatu, M. Posthumius Megellus. Sed hoc Romæ, non in Græcia, ubi nata hæc dea. Attamen Victoria etiam Athenis culta, ubi et simulacrum alis privatum habuit. MEURS., *pag.* 99.

Col. 982, ad notulam *Stygii...* adde : — Heuman. conj. *nullius dei est nomen Neptunus.* ORELL.

Col. 983, ad not. *Mercium...* adde :—*Merces* et *commercia*, (*Handel und Wandel*). ORELL.

Col. 984, ad not. *Quam Nigidius...* post v. OCHSN.. adde :—Celebris scriptor fuit, vir prætorius, liberalium artium, philosophiæ, astrologiæ et medicinæ consultissimus. Extat autem Ciceronis Fragmentum (p. 25), ubi hujus P. Nigidii doctrina, sicut a Macrobio VI Sat., c. 5; A. Gellio, lib. XIX, cap. 16, et Servio, in Æn. X, 583, commendatur. Conf. Cic. IV, ad Div., Ep. XIII. Ab A. Gellio, lib. VI, cap. 6, Figulus cognominatur (de quo cognomine vid. Augustin, lib. V de Civ. Dei, cap. 3), quo nomine etiam a Lucano, lib. I, vs. 693 :

> At Figulus, cui cura deos secretaque cœli
> Nosse fuit, quem non stellarum Ægyptia Memphis
> Æquaret visu, numerisque moventibus astra.

Eusebius in Chron. ad ann. 1973 : *Nigidius Figulus, Pythagoricus et magus, exilio moritur.* NOURR. *p.* 545.

Ibid., ad not. *Quem esse...* adde :—Varro etiam lib. IV de Ling. lat., p. 18 : *Ab ignis jam majore vi ac violentia Vulcanus dictus*, et adhuc expressius Servius ad Æn VIII, vs. 414 : *Vulcanus, ut diximus, ignis est : et dictus Vulcanus, quasi Volicanus quod per aerem volet; ignis enim e nubibus nascitur : unde etiam Homerus dicit eum de aere præcipitatum in terras, quod omne fulmen de aere cadit.* NOURR., *pag.* 449.

Col. 985, ad not. *Proserpinam*, pro verbo ORELL., adde : — Hinc Proserpina numinibus agricolarum accensita. Idem Varro ap. Augustin., de Civ. Dei lib VII, cap. 24 : *Tellurem putant esse Opem, quod opera melior fiat. Matrem, quod plurima pariat; Proserpinam, quod ex ea proserpant fruges; Vestam, quod vestiatur herbis.* Conf. Græv. Lectt. Hesiod., cap. 11, et, qui hac de dea multus est, Munker. ad Fulgent. Mythol. lib. I, cap. 9, pag. 635, ed. van Staveren. ORELL.

Col. 988, post not. *In unius...* insere sequentem :

Nullis propriis adficiatur e motibus. E παρέλκει, ut supra, lib. I, cap. 39, *in incudibus deos et e malleis fabricatos*, ubi vid. notam Heraldi, tom. I, pag. 323. ORELL.

Ibid., post notulam *Ut neque...* adde sequentem :

Unus Deus constituatur mundus. V. *Mundus* delere vult Heumannus. Male. Loquitur enim Arnobius de iis, qui mundum sive animam mundi Deum statuebant. ORELL.

Col. 990, not. *Novilenses...* pro loco : — excussit, Cum Pisone, —lege : — excussit. Conf. Creutzer. V. Cl. in l. l. *Symbolik und Mythologie*, tom. II, p. 476. Cum Pisone.

Col. 991, ante not. *Concessum...* adde sequentem :

Apud Trebiam constitutos. Trebia fluvius est, non procul a Placentia, qui ex Apennino, ut scripsit Strabo lib. V, pag. 217 (Casaub.), in Padum incidit. Ad hunc porro fluvium Hannibal Scipionem consulem, ut narrat Polybius, lib. III, pag. 220, et seq. (Casaub.), clade maxima profligavit, unde hic Lucani cantus lib. II, vs. 448.

> O miseræ sortis quod non in Punica nati
> Tempora Cannarum fuimus, Trebiæque juventus.
> (NOURR., *pag.* 452.)

Ibid., ad eamdem not. post v. HERALD. adde : — Plura vide ap. Nourr., p. 537 et seq. ORELL.

Ibid., ad notam *Cornificius...* adde : — Fortassis idem est, de quo Eusebius in Chronico ad annum 1576, sic loquitur : *Cornificius poeta a militibus destitutus interiit, quos sæpe fugientes galeatos lepores appellabat. Hujus soror Cornificia, cujus extant insignia Epigrammata.* NOURR. *pag.* 546.

Col. 993, ad not. *Nigidius...* adde : — Conf. Comment. ad Pict. Herculan. tom. IV, tab. XXXI, pag. 147, et in primis Creutzer. V. Cl. in l. l. *Symbolik*

und Mythologie, tom. II, p. 306 et seq., 439. Orell.

Col. 994, ad notam *Genium*... adde sequentia : — At vero optime locum hunc difficillimum illustravit doctissimus Creutzerus in lib. I, tom. II, pag. 441, ubi de religione veterum Hetruscorum agit (nam ad eorum doctrinam de geniis respicit hoc loco Arnobius). Cujus verba integra hic exscribere liceat : *Jeder Gott, jeder Mensch, jedes Haus, jede Stadt hatte nach dieser Lehre ihren Genius; die der Götter hiessen Penates, und es gab uberhaupt 4 Classen von Genien, die des Tina (Jupiter), des Neptunus, der unterirdischen Gotter, und der Menschen. Es war ein System von Wesen, die in herabsteigender Ordnung die hohern Götter mit den niedrigern, und die Gottheit mit den Menschen verbanden, eine grosse Pyramide gleichsam, deren Spitze sich in dem Weltregierenden Mittelpunk Tina (Jupiter) verlohr, und deren breite Basis nach allen 4 Weltgegenden auf Erden ruhte.* Hæc Creutzerus. Et omnino hoc observandum. Deorum omnipræsentium vel in duobus locis simul agentium apud Græcos nulla vestigia : nisi fortassis huc referre velis Homeri verba in Necyomantia Odyss. XI, vs. 600, et seq. de Hercule :

Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,
Εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην.

Ipsi quando vel bonos afficere præmiis vel malos punire statuissent, relicto Olympo, invisunt terras. (Vide fabulas de Deucalione, de Lycaone, de Philemone et Baucide.) Aliud Hetrusci statuerunt. Secundum eorum doctrinam (quæ fontem suum in Ægypto habuit, quamque ab illis acceperunt et Romani aliique Italiæ populi) Jupiter cæterique Deorum nunquam sedem suam, cœlum, relinquunt, sed habent singuli suos genios, comites simul et ministros, per quos cum hominibus communicabant : quorum summus erat genius Jovis Arnobio nostro memoratus et in Inscriptione apud Muratorium p. DLXXXVII, Jovi. Libero. aut. Jovis. Genio. Quid quod Jovi tres genios assignatos fuisse ab Etruscis docet Gorius in Museo Etrusco, tom. II, pag. 319. Sic conspicimus genium Minervæ forma pueri alati cum Ægide elegantissime depictum in Pict. Herculan., tom. I, tab. XI; genium Dianæ (puerum alatum cervæ cibum ministrantem in patella) ibid., tab. LX, ubi vide Commentatores de hac re doctissime disputantes, p. 263 et seqq. De populorum, urbium, singulorumque hominum geniis, sive Penatibus, Prudentius adv. Symmachum II, 370 et seqq. ita cecinit :

At solers orator ait, fataliter urbem
Sortitam quoniam genio proprium exigat ævum :
Cunctis nam populis, seu mœnibus inditur, inquit,
Aut fatum aut genius nostrarum more animarum,
Quæ sub dispari subeunt nova corpora forte. Orell.

Ibid., ad notam *Ac Palem*..., pro verbo Orell., adde : — Servius ad Æn. III, 325 : *Tusci Penates Cererem, Palem et Fortunam dicunt.* Calis effigiem caput spicis redimitam videbis in Pictur. Herculan., tom. V, tab. V. Conf. ibi doctissimum Mazocchium Orell.

Col. 995, ad notam *Hos consentes*..., pro finali verbo Orell., adde :—De diis Consentibus doctissime disputat Salmasius in Epistola ad Menagium ad calcem addita Epistolarum, libro I, post mortem ejus Lugd. Bat. 1656 edito, pag. 15. Orell.

Col. 996, ad notam *Quod una*... adde : — Potius ortus et occasus XII signorum Zodiaci. Sed nec hoc ibi locum habet, *oriri* et *occidere* idem quod *nasci* et *mori* : nihil amplius. Vide quæ mox citabimus, verba doctissimi Schellingii. Orell.

Ibid., ad notam *Et miseratione*. ., pro finali verbo Orell., adde sequentia :—At lux jam reddita est loco vexatissimo a Schellingio V. Cl. in l. t. uber *die Gottheiten von Samothrace. Stuttg.* 1815, in-8°. Legit itaque vir doctissimus, cum F. Ursino, *memorationis parcissi*-

A *mæ*, hoc sensu : quorum nulla vel parca mentio (ap. Etruscos scil.) erat in precibus et sacrificiis, quippe qui nullum prorsus vel minimum imperium habebant in res humanas summo Jovi tamquam consiliarii additi. *Ein Gotterath also* (hæc sunt ejus verba, pag. 59, coll. pag. 115), *ein zusammengehorendes Ganzes von Gottern findet sich bey den alten Etruscern : unbekannt waren die einzelnen Nahmen; aber sie alle zusammen hiessen Consentes und Complices, welches nur Erklarung, ja wortliche Ubersetzung des Cabiren-Nahmens ist. Es waren ihrer 6 mannliche und 6 weibliche Wesen, ausser diesen aber, dem sie gemeinschaftlich untergeordnet waren, Jupiter (in der Etruscersprache Tina). (Hiernach waren sie also nur Mittelwesen, die Jupiter bey der Weltregierung als senine Diener und Dienerinnen gebrauchte.) Verschiedne Gotter sind sie doch zusammen, wie einer Dorthin nach dem Tuscerlande hatten, wie geschichtlich bekannt ist, Pelasgische Pflanzer ihre Gotter gebracht; an Laviniums Kuste* B *schiffte Æneas die Trojanischen Penaten aus. Und von eben diesen Tuscischen Gottern versichert Varro, Complices seyen sie genennt worden, weil sie nur mit einander leben und mit einander sterben konnen. Unmoglich ware zu diesem Ausdruck etwas hinzuzusetzen, oder den wahren Gedanken jener vereinigten Gotter trefflicher zu bezeichnen.* Cæterum deos Consentes Etruscorum eosdem putat doctissimus Schellingius cum Samothracum diis Cabiris, quod vel nomen *Consentes* significet, quod exactissime respondet nomini Cabirorum תבר *consociavit*, תבר *socius*, תברים *socii*, v. c. Indic. XX, 11. כאיש אחד חברים *omnes in unum consociati*, *verbunden, alle fur einen Mann. Hinc græcum* κάϐειροι et κάϐιροι, *Consentes*, *Complices*. Vid. Schelling. ibid. pag. 107 et seqq. Cum quo in explicandis Arnobii verbis consentit etiam Creutzerus V. Cl. in l. t. *Symbolik und Mythologie*, tom II, pag. 439 et seq. Orell.

Col. 999, ad notam *Nunc esse*... adde : — Schellingius in l. l. p. 93 et seqq. putat *Digitos*, Δακτύλους antiquitus appellatos fuisse hos deos ob staturam C parvissimam ac digitalem, qua effingebantur a Samothraciis. *Digiti*, quasi *Nani*, *Pygmæi*, *Daummenschen*, *Liliputer*, *Bergmannlein*. Idem citat Glossam veterem in Scherzii Glossar. Germ. med. ævi II, p. 2011, *Wichtelein*, *Wichte*, *Schretlein*; *Penates*. Orell.

Ibid., not. *Larvas*... : — *Larvam nuncupant*. Hos, lege :—*Larvam nuncupant*. (Si incertum esset, quid mererentur, dicebantur *Manes*, Vide Augustin. de Civit. Dei, lib. IX, cap. 10 et Nourr., pag. 458.) Hos...

LIBER QUARTUS.

Col. 1005, ad notam *Salutem*, post v. Elmenh., adde :—Livius, lib. X, cap. 1... : *C. Junius Bubulcus... ædem Salutis, quam consul (bello Samnitium) voverat, censor locaverat, dictator dedicavit* (Coss. L. Genucio et Ser. Cornelio, anno U. C. 451). Orell.

Ibid., post notam *Virtutem*, insere sequentem :

Honorem, *Virtutem*. Livius, lib. XXVII, cap. 25, D (cui Plutarchus suffragatur) auctor est, Marcellum bello Gallico ad Clastidium *Honori* et *Virtuti* vovisse ædem, cujus dedicatio impedita est a Pontificibus, qui negabant, unam cellam amplius quam uni deo rite dedicari. At Valerius Maximus, lib. I, cap. 8, testificatur, memorata illa Pontificum admonitione effectum, *ut Marcellus separatis ædibus Honoris ac Virtutis simulacra statueret*. Utriusque autem templi mentionem fecit Vitruvius, lib. III, cap. 1, et lib. VII, in procem. nec non Symmachus, qui lib. I, Epist. 14, ad Ausonium hæc scripsit in verba : *Bene ac sapienter majores nostri, ut sunt aliæ ætatis illius, ædes Honori ac Virtuti gemellas junctim locarant, commenti, quod in te vidimus, ibi esse præmia honoris, ubi sunt merita virtutis*. Plinius vero Hist. Nat., lib. XXXV, cap. 10, hanc Honoris et Virtutis ædem a Vespasiano Augusto restitutam fuisse tradidit. Denique ex Livio, lib. XXIX, cap. 11, rursum discimus aliud templum Virtutis a M. Marcello, memorati a nobis Marcelli filio, ad Por-

tam Capenam consecratum. Nourr., pag. 483, seq.

Col. 1007, ad notam, *Pax*, post v. Elmenh., adde : — Discimus præterea ex Suetonio (Vesp. cap. 9) conditum a Vespasiano imperatore templum Pacis foro proximum, cujus Plinius H. N., lib. xii, cap. 19; Xiphilinus, Josephus de Bell. Jud. vii, 24, et alii meminere. Chimenis autem statua, attestante Pausania lib. vi, pag. 179, Romam in *Pacis* templum deportata est. Nourr., pag. 484.

Col. 1008, post lineam ult. insere notulam:

Quod illis adversum est. Est ex editione romana supplevit Canterus. Reliquæ et ed Lug. Bat. non habent. Orell.

Col. 1009, post not. *Luperca*... insere sequentem:

Inquit. Heumannus *inquitis*. Quod hunc locum omnino reponendum videtur. Nec enim heic, ut antea, Arnobius alloquitur adversarios christianæ fidei in genere, sed specialim Romanos rerum dominos, quorum dea erat Luperca. Orell.

Col. 1013, post not. *Dictusque*... adde sequentem :

Quod ex laterculis crudis, etc. Vide Plin. Hist. Nat., lib. xxxv, cap. 14. Orell.

Ibid., in not. *Quid ergo*... pro v. Herald., insere hæc :—Græci appellabant, ἔστι δὲ αὔτη, ἡ τὴν κάπνην, φασὶν, ἔχουσα, inquit Eustathius, κεραμὶς igitur, sive e testa, sive e laterculis. Nam reapse parum est discriminis. Herald.

Ibid., ad notul. *Coquinas*, post v. Elmenh., adde : — Nonius : *Culinam veteres coquinam dixerint.* Etsi quæ profert ibi exempla, arguere videntur scriptum ab eo *colinam*, non *coquinam*. Herald.

Foculis. Plautus in Persa : *Nam jam intus ventris fumant focula.* Idem Capt. act. iv, scen. ii, vers. 65 :

Juben' an non jubes astitui aulas ? patinas elui ?
Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus?

Sed foculus *arula*, qua de re dicebamus antea (ad lib. iii, cap. 24). Herald. et Orell.

Dol. 1014, ad not. *Prægustatoris*..., post v. Orell., adde : — *Prægustator*, qui primitias ciborum delibat. Suetonius Claudio, cap. 44 : *Et veneno quid occisum convenit : quidam tradunt, epulanti in arce cum sacerdotibus per Halotum spadonem prægustatorem* (ubi vid. Burmann. pag. 805. Orell.). Inscriptio vetus :

VOTUM. SILVANO. SOLVIT.
LIBENS. MERITO. T. F.
DIADUMENUS. LURNESIANUS.
PRÆGUSTATOR.
AUGUSTI. Elmenh.

Col. 1016, ante notam *Et quæ*... insere parvulam :

Quia ad nodos. Scribendum cum Meursio *qui ad nodos*. Orell.

Col. 1018, ad notam *Libentinam*... adde :— Nourrius pro *Libentinam* legendum putat *Liberam*, quæ, teste Augustino de Civ. Dei, lib. vii, cap. 2, libidini quoque præposita censebatur. Orell.

Col. 1022, ad notam *Patres*..., adde : — Conf. et Hottinger. V. Cl. ad Epistolæ D. Jacobi cap. i, vers. 17, verba : Ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, p. 31. Orell.

Ibid., ad notam *Quia non*... post final. v. Orell., adde :— Conf. Commentatores doctissimos ad Pictur. Herculan., tom. iii, tab. 39, pag. 178, et seqq. et ad Antiquitt. Herculan. (Bronzi) tom. ii, tab. 94, pag. 382. Orell.

Col. 1024, ante not. *Vel quod*, insere sequentem :

Et invocati ab haruspicibus parent. Jul. Firmicus, lib. ii, Mathes., cap. ult.: *Hæc ratio et haruspices turbat. Quodcumque enim ab iis invocatum fuerit, quia minoris est potestatis, quæ est in imperatore, non poterit explicare substantiam.* Herald.

Col. 1031, ad not. *Jovis quarta*... post v. Orell., adde : — Et hæc Ἱππεία a Cræcis appellatur. Coryphæ autem nomen apud Suidam quoque corruptum : Ἱππεία Ἀθηνᾶ. ταύτην Ποσειδῶνος εἶναί φασι θυγατέρα καὶ Κορύφης (sic enim legendum pro Πολύφης) τῆς
A Ὠκεανοῦ· ἅρμα δὲ πρώτην κατασκευάσασαν διὰ τοῦτο Ἱππείαν κληθῆναι. Meurs., pag. 100. — Vide ibi Kuster., tom. ii, pag. 141. Orell.

Col. 1032, post notam *Aut si*... adde sequentem :

Ut hæsitet religio conturbata. Lectio hæc unice vera debetur Salmasio. Ed. princeps rom. *ut hæc sit et religio conturbata.* Gelen. *ut hæc sit religio*, etc. Orell.

Col. 1034, ad notam *Quorum*... adde :— Cæterum de hoc aliisque Minervæ nominibus apud veteres Ægyptios, Græcos, Etruscos (quibus dicebatur *Tana* et *Menerva*), Romanos etc., eorumque etymo multus est doctissimus Commentator ad Antiquitt. Herculan., tom. vi (Bronzi ii), tab. v, pag. 17, et seq. Orell.

Col. 1039, ad notam *Usu*... post verbo Nourrius., adde : — Ms., *usu farreo*. Stewech. conj. *usu, farreatione*, citans Ulpian. in Fragment. Institut., tit. 8, et Boethium in Topicis. Opp. *diffareatio*. Orell.

Col. 1040, ad notam *Et quod*..., post Herald.,
B adde :—Fr. Modius e libro veteri hanc mihi suppeditavit lectionem : *et quod participes, et quid fescenninorum non essent*. Restituo : *et quod participes æque fescenninorum non essent*. Stewech.

Col. 1046, post not. *Quod flectere*... insere hanc :

Lynceus ille. Lynceus notissimus ex Argonautarum historia. De quo Valerius Flaccus, lib. i, vers. 462 seqq. :

At frater (Idæ) Lynceus magnos servatur in usus ;
Quem tulit Arene : possit qui rumpere terras,
Et Styga transmissa tacitam deprendere visu.

Conf. Orph. Argonaut., vers. 175; Hygin., Fab. xiv; et qui omnia de illo veterum testimonia diligentissime collegit P. Burmann. in Catalogo Argonaut. præmiss. Valerio Flacco. Orell.

Col. 1048, notam *Numquid cupidinis*, med., dele verba bis posita : — Et Tertullianus...... *fulmine judicatum*.

C § Col. 1051, not. *Quis ei*..., ad fin. :— Fragmentum, pag. 394 sq. ed. nov. Orell.;—lege : — Fragment., pag. 394, seq. ed. nov. et Bochart. in Hieroz., lib. ii, cap. 19, et cap. 56, ubi ex Plutarcho Quæst. Rom. 111, docet, Spartanos etiam Carum exemplum imitatos, quinimmo omnes Græcos canem immolasse in sacris expiatoriis, et teste Plinio, Hist. Nat. lib. xxix, cap. 4. Romæ etiam Lupercos mactare canem mense Februario, qui a *februando* seu purgando dictus est, pag. 798 ed. Rosenmuller. Orell.

Col. 1055, post notam *Arsinoa*... insere sequentem :

Inconsulti pectoris appetisse fervoribus. Hoc ait, quia *consultus* dicitur Apollo, σύμβουλος, ut eum appellat Clemens Alexandrinus hoc ipso loco, quem Arnobius expressit. Herald.

Ibid., ad notam *Jupiter*..., pro v. final. Orell., adde : — Cæterum de Jovis amoribus vide elegantissimum locum Ovidii Met. vi, 102-114, ibique Gierig. Orell.— De iisdem cecinit etiam Gregorius Nazianzenus, tom. ii, carm. 61, pag. 152. (Bill.) :

D
Ἄθρει δὴ πρώτιστον, ὅσ' ἔπλετο μαργοσύνῃσι,
Ταῦρος, κύκνος, χρυσός, ὄφις, πόσις, ἄρκτος, ἅπαντα
Ὅσσα μιν ὠκὺς ἄνωγεν ἔρως, κοῦρός τ' ἐλαφαδνός.
Ὡς αὐτοί γ' ἐνέπουσι θεῶν πλαστῆρες ἀκιδνῶν.
Nourr., *pag.* 395.

Col. 1056, post notam *Modo in*... adde sequentem :

In satyrum ludricrum. Cum Antiopa scil., Nyctei filia, rem habens, ex qua nati sunt gemini Amphion et Zethus. Ovidius Met. vi, vers. 110. seq. :

Addidit ut Satyri celatus imagine pulchram,
Jupiter implerit gemino Nycteida fœtu.

Conf. Hygin., fab. viii; Apollodor., iii, cap. 5; Schol. Apollon. Rhod. iv, 1090; Lutat., ad Stat. Theb. ix, 423. Orell.

Col. 1057, ad notam *Hercules*..., post verb. Orell.,

adde : — Varronis verba sunt l. l. : *Ælius Gallus Dium fidium dicebat Diovis filium*, Διόσκουρον *Castorem, et putabat hunc esse Sanctum ab Sabina lingua, et Herculem a Græca.* MEURS., pag. 136.

Ibid., ad not. *Hylam*..., post finale verbum. ORELL., adde : — De Hyla vid. Valer. Flacc. III, 530 et seqq. Hyginus, fab. 270. Prudentius lib. I, contra Symmachum. ELMENH.

Col. 1059, ad notam *Matrem*..., pro v. ORELL., adde : — Conf. imprimis doctiss. Creutzer. in l. t. *Symbolik und Mythologie*, tom. II, pag. 319, seqq.; et tom. III, pag. 566 et seqq. ORELL.

Col. 1063, post not. *Specioso*..., insere sequentes :

XXX. — *Vel operulam. Operula* rarior forma diminutivi pro *opella*. Habet tamen et Apuleius Metam. lib. I, pag. 105, ed. Elmenh. : *Operulas etiam* (*in eam contuli*), *quas adhuc vegetus sagariam faciens merebam.* Ubi vid. Elmenhorst. in Ind., et Gesner. in Thesauro h. v. ORELL.

Magis.... ignominiosius. Duplex comparativus more Arnobii : et *ignominiose*, pro quo probatæ latinitatis scriptores dixerunt *cum ignominia*, adverbium est cadentis latinitatis. Eutropius, lib. IV, cap. 24 et 26, *ignominiose pugnavit*; et Orosius lib. VII, cap. 7 (de Nerone), *ignominiosissime fugiens*. Vid. Cellar. Cur. posterior. de Barbarism. ling. lat. pag. 146, et in Ind. ad Eutropium. ORELL.

Col. 1070, not. *Majestatis*..., init. : — revocavit. Antea legabatur :—lege : — revocavit. Idem, *obministraverit* ex ms. male. Antea legebatur.

Ibid., ead. not., post verb. final. ELMENH., adde : — Hanc legem postea Theodosius Magnus mitigavit. Videsis in Justinianeo Cod. lib. I, tit. 7 et 8; et Theodosiano (tom. III, pag. 41) Codice leges de maledictis in principem, et quæ in eas Gothofredus animadvertit. NOURR., pag. 433.

Ibid., ante notam *Senatorem*... insere sequentem :

Magistratum in ordinem redigere. Alii dicunt eodem sensu *in ordinem cogere* (i. e. auctoritatem vel dignitatem ejus minuere, *demüthigen, herabsetzen.* ORELL.) Livius, lib. XXV, cap. 4 : *Posthumium concilium plebis sustulisse, tribunos in ordinem coegisse*; et lib. XLIII : *Eo facto avocatam a se concionem Tribunus questus et in ordinem se coactum, abiit.* Conf. Plin. lib. I, epist. XXVIII (GUIL. RONCHINUS, *Var. Lectt., lib.* I, *cap.* 12, *in* I *Herrm. Schminkii Syntagmate Critico Var. Auctorum. Marburg.*, 1717, *edito*, *pag.* 23). — Conf. Doering. ad Liv., lib. VI, cap. 38, pag. 93. ORELL.

Col. 1072, post notam *Quindecim*... insere sequentem :

Nec non et castæ virgines, etc. Prudentius libro contra Symmachum posteriore :

Inde ad consessum caveæ pudor almus..... HERALD.

Quem locum supra citavimus in hac Appendice. ORELL.

Col. 1074, ad notam *Ab officiis*..., pro v. final. ORELL., adde : — Sensu malo pro nota criminis *elogium* frequentissime occurrit apud scriptores ecclesiasticos. Tertullianus de Coron. Milit., cap. 5 : *Elogium sacrilegii*; Apolog. cap. 24 : *Irreligiositatis elogium*; de Monogam., cap. 9 : *Adulterii elogium.* Hieronym. Epist. Select. (a Canisio ed.) I, 8 : *Maledicti hominis distulerat elogium.* Glossator apud Barth. Adversar., lib. XXXVII, cap. 12 : *Elogium.... textus gestorum malorum cum ignominia.* Conf. Casaubon. ad Vulcat. Gallic. Hist. August., tom. I, p. 470, et imprimis Munker. et van Staveren ad Fulgent. Mytholog., lib. I, cap. 1, pag. 623, nec non Perizon. ad Ælian., lib. XIV, Var. Hist., cap. 43. ORELL.

Col. 1076, ad notam *Cur immaniter*..., post v. HERALD., adde : — De conventionibus hisce christianorum antelucanis lectu dignissima est Plinii junioris epistola ad Trajanum lib. X, ep. 97, cujus meminere Orosius lib. VII, Tertulianus in Apologetico et Eusebius in Chronicis. Quinimmo et hæreticis quoque omnibus ab Arcadio et Honorio Augustis memini interdictum *ad litaniam faciendam noctu vel die profanis coire conventionibus.* Ex qua constitutione liquet, Plinium prædicta sua epistola his verbis *carmenque Christo quasi Deo dicere* non aliud quam λιτανείας et supplicationes christianorum publicas designasse. Pertinet ad Plinii epistolam, quemadmodum ad constitutionem imperialem, lex antiqua in XII tabulis : NE QUIS IN URBE CŒTUS NOCTURNOS AGITET. Meminit Porcius Latro Oratione in Catilinam, neque abs re fuit, quod veteres *noctem intempestivam* appellarint, ut notat Varro ex Bruto et Ælio, lib. V de Ling. lat., eo quod tunc tempus agendi nullum; idemque notavit Censorinus, libro de Die natali, cap. 10. STEWECH.

Col. 1077, ad notam *Et cum*..., post v. ORELL., adde : — Solens id christianis, ut libenter audirent seu dicerentur *fratres*. Testes B. Pauli et aliorum Epistolæ; item Minucius Felix in Octavio, ubi inter alia : *Ac se promiscue appellant fratres et sorores.* STEWECH. — Arnobius junior in Psalm. CXXXIII : *Modo dicite mihi, quid convenistis in unum vos, qui fratres nominamini, aut unde estis omnes fratres? ostendite. De uno, inquit, patre Christo, et de una matre Ecclesia.* ELMENH. — Conf. et Tertullian. Apologet., cap. XXXIX, pag. 324, ed. Havercamp. ORELL.

Col. 1078, ante not. *Et propter*... insere sequent. :

Propter præsules non probatos. Præsul proprie dicebatur apud Romanos princeps Saliorum, ὁ ἐξάρχων τοῦ ὀρχεῖσθαι, ad quem pertinebat cura carminum Saliarium et axamentorum. Vide Turneb. Adversar. lib. XIX, cap. 10, et imprimis Casaubon., et Salmas. ad I Capitolin. Antonin. Philos., cap. 4 Hist. August., tom. I, pag. 302. Hoc loco autem in genere accipiendum pro *præsultor* sive, ut glossæ veteres vocant, *prosaltor*. Respicit enim Arnobius procul dubio ad historiam illam, quam narrat infra lib. VII, cap. (nostræ editionis) 36, de servo a domino suo virgis per circum agitato. ORELL.

Ibid., post notulam *Corrupisse*, insere sequentem :

Auras temporum. Monstrum ! Lego : *auras ventorum.* MEURS. pag. 143. — Mihi præferenda videtur vulgata lectio. *Auras temporum* dicit Arnobius ventos per vices temporarias, i. e. quatuor anni tempestates terram perflantes. ORELL.

LIBER QUINTUS.

Col. 1081, ad notam *Egeriæ*.... adde sequentem :

Egeriæ monitu. Augustinus, lib. VII de Civ. Dei, cap. 35, narrat Numam hydromantiæ usum, testemque citat Varronem, a quo ille dicitur Nympham Egeriam duxisse uxorem, quia aquam, unde hydromantiam faceret, egesserat, seu exportaverat. Valerius autem Maximus, lib I, cap. 2; Florus, lib. I, cap. 2; Aurelius Victor, de Vir. illustr., cap. 2; Dionysius Halicarnasseus, Antiquitt. lib. II, pag. 122, aliique tradunt, eum simulasse se omnia facere uxoris suæ Egeriæ monitu et consiliis. NOURR., p. 463.

Col. 1082, post notam *Sed cum*... insere sequent.

Avidiler. Ἀρχαϊκῶς. Ita *duriter* ap. Terent. Andr. act. II, scen. I, vs. 47; *blanditer*, Plaut. Asin. act. I, scen. 3, vs. 69; *præclariter*, Quadrigar. Fragm. Annal.; *Et ita rebus præclariter gestis domum revertemur : duriter*, Catull., carm. LXXV, 19, ubi vid. Vulp., pag. 441. ORELL.

Ibid., ad notam *Injecisse*..., pro v. ORELL., adde : — Conf. et Broukhus. ad Tibull. I, Eleg. II, vs. 45, p. 45. ORELL.

Col. 1083, not. *Expiabis*...:— editor Lugd. Bat. *Fulgurita.* — lege : — editor Lugd. Bat. (Ita *cresse, cesse*, pro *crevisse, cessisse*, ap. Lucret. III, 683, et I, 1104. Ita *divisse, produxe, promisse, sumpse, consumpse.* Vid. Auson. Popm. de usu antiquæ locut., lib. I, cap. 12, p. 770, ed. Messerschmid. Et fortassis sic scripsit Valerius Antias, e quo Arnobius sua hausit.) *Fulgurita*,

Col. 1085, ad not. *Et sacrorum*, pro v. fin. Orell., adde : — In primis familiaris hic usus scriptoribus ecclesiasticis. Vide Munker. ad Fulgent. Mythol., lib. II, c. 6, pag. 674, ed. van Staveren. Orell.

Col. 1087, ad not. *Puerilium*..., pro v. fin. Orell., adde : — Pro *in promptu est*. Stewechius mavult *in promptum est*, more antiquorum. Orell.

Col. 1090, post not. *Mugitibus*... insere sequentem :

Materno ab nomine cognominatus Acdestis. Nempe ab Agdo petra, in quam libidinem suam Jupiter fudit. At vero ipsam deorum matrem apud Phrygas *Agdistin* fuisse appellatam testis est Strabo, lib. XII, pag. 567 (Casaub.) : Πεσσινοῦς δ' ἐστὶν ἐμπορεῖον τῶν ταύτῃ μεγίστων, ἱερὸν ἔχον τῆς μητρὸς τῶν θεῶν σεβασμοῦ μεγάλου τυγχάνον. καλοῦσι δ' αὐτὴν Ἀγγιδίστην (sic. leg. Ἀγδίστιν). Οἱ δ' ἱερεῖς τὸ παλαιὸν δυνάσται τινὲς ἦσαν, ἱερωσύνην καρπούμενοι μεγάλην· νυνὶ δὲ τούτων μὲν αἱ τιμαὶ πολὺ μεμείωνται· τὸ δ' ἐμπορεῖον συμμένει, etc., cum quo consentit etiam Hesychius : Ἀγδίστης... ἡ αὐτὴ τῇ μητρὶ τῶν θεῶν. Ubi vide interpp. pag. 39, ed. Alberti et Nonnus ad Gregor. Nazian. Στηλιτ. I, 59 : Ἡ παρὰ Φρυξὶ μήτηρ τῶν θεῶν ἀπετμήθη παρὰ τῶν Κορυβάντων τὴν κύστιν διὰ τὰς πολλὰς αὐτῆς πορνείας. Nec abludit Pausanias Achaic. vel lib. VII, cap. 17. Cujus verba integra quidem, sed tribus locis dispersa, dedimus p. 273, 275 et 279 (coll. 1090-92-95), licet non expressis verbis dicat, Agdestin eamdem fuisse cum deorum Matre. Alium itaque fabulæ fundum sequitur Arnobius noster. Cæt. vid. Creutzer. V. Cl. *Symbolik und Mythologie*, tom. II, pag. 37, et seqq.; et in primis qui omnia veterum testimonia et antiquitatis monumenta de Matre deorum ejusque cultu doctissime illustravit Zœga in l. l. *Li Bassirilievi antichi di Roma* tom. I, not. ad Tab. XIII, p. 100, et seqq. Orell.

Col. 1091, ad notam *Exhalata*..., post v. Orell., adde : — Corrigo : *Exultans ille vehementi corripit*, etc., vel etiam : *Excitatus ille*, etc. Nam *ci* facile potuit in *a* migrare et *l* ex *t* duplicato nasci. Meurs., pag. 153. — At unice vera Scaligeri emendatio.

Col. 1092, ad notam *Repertum*..., pro verb. fin. Orell., adde : — Bochartus in Hierozoico, lib. II, cap. 53, legendum censet : *Repertum nescio quis formis lactis alit hirquini*, id est caseis, ubi Rosenmullerus, tom. I, pag. 741, in nota citat Menagii Gall. Orig. in voce *Fromage*. Idem Bochartus nomen *Attidis* derivat ab Hebraico עתוד *athoud*. Orell.

Col. 1093, ad notam *Vel quia*..., post v. Ἀδαγοούς, adde : — Conf. Iablonski de lingua Lycaonica, p. 64, ed. Te Water. Orell.

Ibid., post notam *Et qua*... insere sequentem :

Et ab eo donis sylvestribus honorari. Proprio et accurate. Dona enim honoris signum. Eleganter Philosophus, lib. I Rhetor., cap. 5 : Δῶρα παρ' ἑκάστοις τίμια· καὶ γὰρ τὸ δῶρόν ἐστι κτήματος δόσις, καὶ τιμῆς σημεῖον· διὸ καὶ οἱ φιλοχρήματοι, καὶ οἱ φιλότιμοι ἐφίενται αὐτῶν· ἀμφοτέροις γὰρ ἔχει ὧν δέονται· καὶ γὰρ κτῆμά ἐστιν, οὗ ἐφίενται οἱ φιλοχρήματοι· καὶ τιμὴν ἔχει, οὗ οἱ φιλότιμοι. Herald.

Col. 1094, ad not. *Ac ne scævus*, pro v. fin. Orell., adde : — Sic Orosius, Hist., lib. IV, cap. 6 : *Sicut etiam inter nos sæpe inimicorum oculis videri solet, eos quos exsecrantur, nihil non pravum, nihil non turpe, nihil non subsecivum* (ita enim cum Havercampo legendum pro *subsicivum*), *nihil non in vulnus suum dicto factove agere*, ubi vid. Havercamp., p. 231. Orell.

Ibid., post notam *Fecit*..., adde sequentem :

Quod esse turritum ratione ab hac cœpit. De Matre deorum turrita locus classicus est apud Lucretium, lib. II, vers 599 et seq. :

Quare magna Deum mater, materque ferarum
Et nostri genetrix hæc dicta est corporis una.
Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ
Sublimem in curru bijugos agitare leones

. . . .

. . . .

Muralique caput summum cinxere corona,
Eximiis munita locis quod sustinet urbeis.

Conf. Phurnut. de Natur. deor., cap. 6, et qui rem doctissime illustrat Zœga in *Bassirilievi antichi* tom. I, p. 93. et seq. Orell.

Col. 1095, ad notam *Rapit*..., pro v. Orell., adde : — Fistulas, tibias aliaque id genus instrumenta cum cymbalis et tympanis usitatissima fuisse in sacris Cybeles, pluribus docet Zœga l. l. tom I, pag. 104. Orell.

Col. 1097, ad notam *Pausatæ*..., pro v. Orell., adde : — Heumannus in margine explicat : *terræ ita infixæ ut staret firmiter*. Orell.

Ibid., ad notam *Digitorum*..., pro v. Orell., adde : — Talium superlativorum insolentiorum, v. c. *assiduissimus* (Sueton. Octav. cap. 71), *parissimus* (Plaut. Curcul., act. IV, scen. II), *noxiissimus* (Senec. de Clement. I, 26), *celerissimus* (Ennii ap. Priscianum), *egregiissimus* (ap. Pacuvium), *postremissimus*, *piissimus*, *crebrissimus*, nec non et comparativorum, *idoneior*, *Pœnior*, *Neronior*, *necessarior*, *tenuior*, *extremior*, *noxior*, etc., plura exempla collegit Phil. Carolus in Animadvv. ad Agell. lib. II, cap. 30, pag. 178 et seq. Orell.

Col. 1099, ad notam *Pausam*... post v. Elmenh., adde : — Conf. Cellar. de Barbarism. *ling.* lat. pag. 252. Orell.

Col. 1106, ad not. *Idcirco*..., pro v. Orell., adde : — « *Sufficere*, *officere*, *inficere*, *conficere* (inquit Salmasius in epistola CVIII ad. I. Fr. Gronov. Epist. posthum. pag. 24) tinctorum sunt verba, in diverso tamen tincturæ genere et gradu, quæ omnia minutissima ad Arnobium dispunximus. » Cum vero commentarii viri doctissimi lucem hactenus non viderint, nos pro virili ea explicare tentabimus. *Inficere* itaque est generale verbum, cum pannum tingimus in colorem quemcumque. *Sufficere*, ut supra explicuimus, est substernere colorem, cui alius deinde inducitur, quemadmodum v. c. albi panni rubro colore inducendi prius tinguntur cæruleo, ut rubens color eo firmius inhæreat. *Conficere* videtur esse pannum duobus vel pluribus inducere coloribus, ita ut omnes simul in superficie compareant (*meliert*, *mélange*). *Officere* contra pannum duobus simul coloribus ita inducere, ut, prout vel ad solem vel ad umbram spectes, unus alterum obscuret (*Schillerfarbe*). Orell.

Ibid., ad notam *Quod ex*..., pro v. Orell., adde : — Bochartus in Hierozoic. P. II. Lib. IV, cap. 12, legit *ex sanguine saporato*, docens hac occasione, *saporatum* pro *condito* præter nostrum dixisse etiam Tertullianum et Ammianum Marcellinum, nullum vero Augustei ævi scriptorem. Orell.

Col. 1110, post not. *Priusquam*... insere sequentem :

Lavit utique balsamis atque unxit. Meursius, pag. 161, mavult : *lavit utique atque balsamis unxit*. Sed talis particularum trajectio familiaris Arnobio. Orell.

Col. 1112, ad not. *Quid enim*..., pro v. fin. Orell., adde : — Conf. quos citat doctissimus Zœga in *Li Bassirilievi antichi*, tom. I, pag. 102. Not. No. 117. Orell.

Col. 1114, ante not. *Cur more*... insere sequent. :

Quo se numen ab Cereris fruge. Scribo : *quo se numen Cereris ab fruge*. Meurs. *p.* 162.

Col. 1115, ad not. *Faunam*..., post v. fin. Orell. adde : — Macrobius, lib. I Saturnal., cap. 12, hæc paulo enodatius Arnobio, non aliquo tamen sine discrimine, huncque in modum retulit. Fauna, inquit, et Fatua a quibusdam, ac potissimum Cornelio Labeone, et in Pontificum libris eadem dicitur atque Maia, Bona Dea, Ops, Terra et Magna Mater, cui mense Maio ipsis hujusce mensis kalendis res divina agitur, ab aliis tamen eadem ac Fauni filia censetur, quæ cum patris sui a quo perdite amabatur, voluntati obstitisset, virga myrtea ab illo verberata est. Tum ille addit : *Horum omnium hoc proferunt indicii, quod virgam myrteam in templo haberi nefas sit ; quod super caput ejus extendatur vitis, qua maxime eam pater ejus decipere tentavit ; quod vinum in templum ejus non suo nomine soleat inferri, sed vas, in quo vinum inditum sit, mellarium nominetur, et vinum lac nuncupetur, ser-*

pentesque in templo ejus nec timentes appareant. Nourr., pag. 466. — Conf. Gierig. ad Ovid. Fast. v, vers 148, et in Ind. v. *Bona Dea*, et doctiss. Creutzer. in *Symbolik und Mythologie*, tom. II, pag. 488. Orell.

Col. 1117, ad notam *Quem cum...*, post v. Elmenh. adde : — Eamdem fabulam turpem elegantissimis versibus enarrat Ovidius, Fast. VI, 627—636; ubi vid. Gierig. p. 358. Orell. — Confer. Plinius, lib. XXXVI, cap. 27. Meurs., pag. 164.

Col. 1118, ad not. *Quibus ..*, post v. Orell. adde : — De his Omaphagiis et Ophiophagiis multus est doctissimus Visconti in l. l. *Museo Chiaramonte*, tom. I, pag. 96, docens, cum antiquitus in memoriam Penthei dilacerati a Mænadibus Baccho humanis capitibus litatum fuisset, postea, cum abolitum esset immane hoc sacrificium, institutum fuisse, ut Bacchi Mystæ statis diebus in ejus memoriam carnibus juvencorum crudis vescerentur, citansque elegantissimos Catulli versus, Carm. LXIV de Nupt. Pelei et Thetid., vers. 255 et seqq. :

Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
Evoe bacchantes, Evoe capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos :
Pars e divulso raptabant membra juvenco :
Pars sese tortis serpentibus incingebant;
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia quæ frustra cupiunt audire profani.

Conf. Senec., Phœniss., vers. 365; Troad., v. 674. Nec minus docte rem illustrat Creutzerus, v. cl. in *Symbolik und Mythologie*, tom. III, p. 341. Orell.

Col. 1121, post not. *Invocatus*.... insere sequent. : *Grassatores.* Gloss. : ... *grassator... qui cædem molitur vel ex lubidine vel propter præmia.* Sic scil. dicebatur apud Romanos genus latronum, quod in urbe vicos obsidebat et obvios injuriæ opportunos verberabat, spoliabat et morte territabat, *Banditen*, *Strassenrauber*. Cicero, de Fato, cap. 15 : *Hoc enim modo viator quoque bene vestitus causa grassatori fuisse diceretur, cur ab eo spoliaretur* ; et Petron., Satyr., c. 82 : *Notavit me miles, sive ille planus fuit, sive nocturnus grassator.* Ubi vide intpp. p. 406, ed. Burm. ; Conf. Torrent. et Casaubon. ad Sueton., August., cap. 32, et Ernesti Clav. Cic. h. v. Hoc loco autem Arnobius *grassatores* in genere dixisse videtur pro maleficis, *Frevler*, *Bosewichte*. Orell.

Ibid., not. *Cujus rei...*, med. :— Bacchæ gerebant. nam sacra ; — lege : — Bacchæ gerebant. (Vid. Comment. ad Pict. Herculan., tom. III, tab. XXXVIII, p. 190.) Nam sacra.

Col. 1124, post notam *Bene grandibus...* insere sequentem :

In gremium projicit et jacit hos ejus..Verba *et jacit* mihi delenda videntur tamquam glossema. At tale quid fortassis ferendum in Arnobio. Orell.

Col. 1125, ad notam *Quibus...*, post v. Orell., adde sequentia : — Inscriptio vetus :

SI. METIUS. ZETUS.	IOVI. SEBAZ.
IOVI. SEBAZIO.	Q. NUNNIUS.
D. L. D.	ALEXANDER.
	V. S. L. M.

Elmenh. — A pluribus annotatum fuit, Bacchum vocari *Sabasium* ac mysteria ejus *Sabasia*. Apud Ciceronem quippe (de Nat. deor., III, 23) scriptum legimus : *Tertium Dionysium* (seu Bacchum) *Caprio patre natum eumque regem Asiæ præfuisse dicunt, cujus Sabasia sunt instituta.* Scribit etiam Diodorus Siculus (lib. IV, cap. 4) alterum proferri Dionysium sive Bacchum Jove et Proserpina ortum, τὸν ὑπό τινων Σαβάσιον ὀνομαζόμενον, οὗ τήν τε γένεσιν καὶ τὰς θυσίας καὶ τιμὰς νυκτερινὰς καὶ κρυφίους παρεισάγουσι, διὰ τὴν αἰσχύνην ἐκ τῆς συνουσίας ἐπακολουθοῦσαν· λέγουσι δὲ αὐτὸν ἀγχινοίᾳ διενεγκεῖν καὶ πρῶτον ἐπιχειρῆσαι βοῦς ζευγνύειν, καὶ διὰ τούτων τὸν σπόρον τῶν καρπῶν

A ἐπιτελεῖν, ἀφ' οὗ δὴ καὶ κερατίαν αὐτὸν παρεισάγουσι. (Vid. Pict. Herculan. v, tab. v. Orell.) Unde rursus Cicero (de Legib. II, 18) : *Novos vero deos, et in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes, facetissimus poeta veteris comœdiæ, vexat, ut apud eum Sabazius et quidam alii dii peregrini judicati, e civitate ejiciantur.* Denique, ut Strabonem aliosque missos faciamus, Suidas v. Σεβάσιος aperte declarat. Sebasium eumdem esse ac Dionysium seu Bacchum. Cur ergo, inquies, ipsa quoque mysteria, quibus Jupiter in primis colebatur. *Sabasia* vel *Sebasia* appellantur ? Numquid idcirco, quia Jovi etiam Sabasio cognomen fuit. Nam Gruterus varias exhibet inscriptiones : Jovi Sabasio. At nonnulli, quemadmodum Vossius lib. II de Orig. Idolol., cap. 14, existimant, Jovem eumdem esse, ac Bacchum seu Liberum. Quid ergo mirum, si turpissima illa mysteria, quibus duplex Jovis adulterium celebrabatur, Sabasia vocarentur ? Huc illud accedit, quod in his mysteriis, uti Clemens Alexandri-

B nus annotavit, Corybantum et Bacchi mentio fieret. Nourr., pag. 469. — Juvat hanc in rem afferre verba doctissimi Gœrenzi, ad Cic. de Leg. l. l., p. 159. « De hoc deo, scribit ille, nondum satis quæsitum est. Quæ enim de eo ejusque cultu in veteribus passim leguntur, velut disjecta membra in unum corpus componentis manum non sine maturo judicio desiderant. Hujus dei cultus et a Phrygibus et a Thracibus (Vid. Schol. ad Aristophan. Vesp. vs. 9. Orell.) origo et a Caprio rege, et a Jove repetitur. Nomine autem vel Jupiter dicitur, vel Iacchus ; nam hos diversos statuere, rem accuratius ponderanti, non licet. *Sabazii* denique cognomen item modo a Thracibus, modo a Phrygibus manasse traditur, apud quos σαβάζειν idem cum εὐάζειν esse haud parvo numero grammatici et scholiastæ perhibent. Vix tamen dubium est, a Phrygibus ad Thraces hujus dei sacra transisse. Diversa autem ejus origo et nomen inde esse videtur, quod Græci Romanique, qui peregrinis diis suorum nomina aptare solent, in hoc deo et

C Jovis et Bacchi attributa cum deprehendissent, tum hoc, tum illo nomine eum appellarunt. » Hæc Gœrenzius. Conf. Comment. ad Pict. Herculan., tom. III, tab. XXXVIII, pag. 190, et qui doctissime rem illustrat Creutzer. v. cl. in l. l. *Symbolick und Mythologie*, tom. III, pag. 360 et seqq. Orell.

Col. 1126, post not. *Quod genus*... insere sequent. : *Luteamque personam.* Id est vilissimam et nullius pretii. Plautus, Truculent., act. IV, scen. 4, 1 : *Blitea et lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam.* Idem in Pœnulo, act. IV, scen. II, 3 :

Neque perjurior neque pejor alter est usquam gentium,
Quam herus meus est, neque tam luteus, neque tam cœno [collitus.

Cicero in Verrem III, cap. 14: *Deinde in hoc homo luteus etiam callidus ac veterator esse vult.* Ubi vid. Hotomann. p. 28. ed. Græv. Elmenh. et Orell.

Col. 1129, notam *Pervigilia...*, init. ; *Nam privilegium* — lege : — Nam *pervigilium*.

D Ibid., ead. not., post med. : — Novimum — lege : — Novimus.

Col. 1133, ad not. *Ludibriorum*..., post v. Orell., adde : — Inde etiam *Miraculæ* meretrices apud Plautum Nervolaria :

Diabolares, schœniculæ, miraculæ. Meurs. p. 168.

Col. 1137, post not. *Jejunavi*.... insere sequent. : *Jejunavi.* Jejunare qui extra Ecclesiam dixerint, non apparet. Tertullianus de Jejun., cap. 2: *Indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ.* Hieronymus, epist. XXII, c. 13 : *Lecturus Tullium jejunabam.* Prudentius Hymn. jejunantium vers. 177 :

Pridem caducis cum gravatus artubus
Jesus dicato corde jejunaverit.

Licet enim Arnobius h. l. hoc verbum ad Eleusinia

sacra transferat, per id tamen e censu ecclesiasticorum vocabulorum non eximendum, quia ille, utpote homo christianus, græca verba græcanici ritus ex suo ingenio latine vertit. Pro hoc verbo Cornelius Nepos Attic. cap. 22, eleganter dixit *cibo se abstinere*. CELLAR., *Antibarbar*. pag. 47 *et Cur. poster*.pag. 266.

Ex cista sumpsi. De cista mystica sive arcula, quæ in sacris Eleusiniis circumferebatur a Cistophoris et in qua præter alias res frivolas nemini nisi initiatis usurpandas præcipue reconditus erat phallus, cui accinebant religiosi τὸ φαλλικὸν; vide Spanhem. ad Callim. Hymn. in Cerer., vers. 3; Wesseling., ad Diodor. Sic. I, 22; Ernest. Clav. Cic v, Cistophorus; Doering., ad Catull., carm. LXIV, vers. 260; Comment. ad Pict. Herculan., tom. II, tab. XXVIII, pag. 270; et Visconti, in l. t. *Museo Chiarumonte*, tom. I, tab. XXXIV, pag. 83. ORELL.

In calathum misi. De calatho in Cereris Eleusiniæ festo a nobilissimis virginibus in capite gestato videsis Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Cerer., vers. 1, pag. 735 seq. ed. Ernesti, ubi ejus iconem nitidissime ære excusam conspicimus, et Comment. ad Pict. Herculan. l. l. Cæterum, ut vel ex hoc Arnobii loco liquet, *calathus* ille minime confundendus cum cista mystica. Calathus enim non ἐν ἀποῤῥήτοις. ORELL.

Col. 1141, ad notam *Prosumnus*..., pro v. ORELL., adde : — Conf. Verheyk. ad Anton. Liberal., cap. 41, pag. 282 et *Creutzer Symbolik*. tom. IV, pag. 43. ORELL.

Col. 1144, ad notam *Heraclito*..., post v. ORELL., adde : — Heraclitos quinque Laertius recenset lib. IX, quibus tres alios addidit Menagius. Quæ autem ex Heraclito auctor noster retulit de Liberi et Prosumni fabula, magis convenire videntur aut Heraclito Allegoriarum Homericarum auctori, aut Heraclito poetæ lyrico, qui duo decim deorum laudes decantaverat. NOURR. pag. 543.

Col. 1143, post notulam *Vel nominis*... insere sequentem :

Cum suis virginibus.... patres. Virginibus pro *filiabus*, ut ap. Cornel. Nep. Epaminond., cap. 3 : *Nam cum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus, aut virgo amici nubilis propter paupertatem collocari non posset, amicorum concilium habebat*, etc. ORELL.

Col. 1154, ad notam *Nebridarum*..., pro verbo finali ORELL., adde: — Νεϐρίς, Baccharum insigne. Seneca Œdip. 435 :

Nunc Cadmeas
Inter matres impia Mænas
Comes Ogygio venit Iaccho
Nebride sacra præcincta latus.

(Ubi vid. Delrio p. 109.) Sidonius Epithal. Ruric. Præfat. vs. 15:

Alcides clava, Mavors tum lusit in hasta,
Arcas tum virga, Nebride tum Bromius.

Vid. Pict. Herculan., tom. III, tab. XXXVII, ubi Mænas nebride induta, ibique Commentatores doctissimos, pag. 183, seq. ORELL.

Col. 1155, ad notam *Atque scaturiginem*..., post v. ORELL., adde : — Sic Prudentius περὶ στέφαν.

Ipse rumpatur locus,
Scaturientis perdat ut loquacitas
Sermonis auras. ELMENH.

Col. 1160, ad nat. ult. pro v. ORELL., adde : — Pro *sed oratio sordida est*. Vet. edd. habent : *Et oratio sordida sit;* quod Heumannus correxit : *Et oratio sordida fit*. Optime. ORELL.

LIBER SEXTUS.

Col. 1161, ad notam *Crimen*..., pro verbo ORELL., adde : — Valesius tamen et Gronovius ad Ammian. Marc., lib. XIV, cap. 1, præferunt *affigere*, quod scriptoribus ecclesiasticis, Hieronymo, Facundo, Bœ-
A thio, etc., frequentatissimum. Sic etiam Macrobius, lib. VII Saturn., cap. 2, dicit a censoribus *notas alicui affigi* vel *affixas* esse. ORELL.

Col. 1163, post not. *Inoffensæ*... insere sequent. :

Non prodigiosas ostentare formidines. Nihil poterat expressius dici. Sic enim prodigia et ostenta simul complectitur. Et ait *prodigiosas formidines*, quia ostenta et monstra nuntiantur numquam aut offeruntur, quin inde hominum animis formido illabatur. Atque ita res est, ut quamvis portenta non sint perpetuo male signata, pestem tamen et calamitatem sæpius portendere videantur. Cedrenus : Λέγεται δὲ σημαίνειν μὴ ἀγαθὰ ταῖς πόλεσιν, ἐν αἷς γίνεται ταῦτα. HERALD.

Col. 1170, post not. *Hoc est*... insere sequentem :

Non partiliter uspiam. Glossæ Isidori : *Partiliter... divise, per partes, distribute*. Sic Firmicus, Astron., lib. II, cap. 18, *partiliter exposita;* et Fulgentius, Mythol., lib. III, cap. 2 : *Melius est enim labore partiliter securiore doceri, quam ex necessitate veniente*
B *repentaliter perterreri*, ubi vid. Munker., pag. 707, ed. van Straveren. Sic et *partile* pro divisibili posterior ætas posuit. Claudian. Mamert. de Statu anim., lib. I, cap. 18 : *Tunc localem mihi eamdem vel partilem persuadebis*, ubi vid. C. Barth. in Ind. ORELL.

Ibid., not. *Non cœnatum*... : Scholiastes Θηριακοῖς addit : — l. — Scholiastes Θηριακοῖς vs. 612, addit.

Col. 1172, ad notam *Tholis*..., pro v. ORELL. adde : — Hesychius : Θόλος... κυρίως μὲν καμάρα, καταχρηστικῶς δὲ οἶκος εἰς ὀξὺ ἀπολήγουσαν ἔχων τὴν στέγην κατεσκευασμένος. Videtur itaque *tholi* usus et significatio antiquissima fuisse de tecto rotundo imposito et sustentato a columnis (*la cuppola*, ut bene interpretantur Commentatores doctissimi ad Pict. Herculan., tom. III, tab. LX, pag. 315, et tom. I, tab. XLIV, pag. 231). Servius ad Æn. IX, vs. 408 : *Tholus, inquit, proprie est veluti scutum breve, quod in medio tecto est, in quo trabes coeunt : ad quod dona suspendi consueverunt. Alii tholum ædium sacrarum dicunt ge-*
C *nus fabricæ Vestæ et Panthei simile. Ædes autem rotundas tribus diis dicunt fieri debere, Vestæ, Dianæ, Herculi vel Mercurio*. Postea vero *tholi* videntur appellati fuisse tecta templorum fastigiata, sive illa rotunda sive quadrata essent. Nec vero templorum solummodo, sed aliorum etiam ædificiorum, v. c. balnearum, erant tholi. Vid. Vales. ad Ammian. Marcellin., XXVIII, cap. 4, tom. III, pag. 241, ed. Wagner.; et in primis qui de h. v. doctissime disputat, Schneider. V. S. ad Vitruv., lib. IV, cap. 8, pag. 294 et seqq. ORELL.

Col. 1184, ante not. *Si simulacra*..., ad not. præced., pro v. ORELL., adde : — Aliam loci hujus obscurissimi explicationem attulit Ian. Broukhusius ad Tibull. l. II, eleg. 1, v. 55, pag. 219 et seq. : « Alludit (inquit ille) Arnobius ad fabulam, qua Bacchus cum gigantibus decertasse perhibetur leonis specie induta, eosque unguibus ac dentibus discerpsit. Vid. Horat., lib. II, od. XIX, vs. 21, ubi Scholiastes ineditus in marg. cod. Græviani : *Fabulam tangit. Dum*
D *gigantes per montes montibus impositos peterent regna Jovis, Liber Pater, filius Jovis, inducta pelle leonis, cum unguibus et mala retorsit unum gigantum Rhœtum nomine, ac retro præcipitavit illum. Quæ pellis fertur fuisse Nemæi leonis, quam Hercules dedit illi*. Bacchum autem cur Frugiferum nominarit, non est obscurum ex Diodoro Siculo, lib. I, cap. 11, quem sequitur in Georgicis Maro et Tibullus I, eleg. VII, 29. Tamen si quis Arnobii verba ad Solem referri malit, non ego pertinaciter repugnabo : nam solem eumdem esse quem Bacchum, et leonis nonnunquam effigie designari, docent nos veteris sapientiæ magistri. (Vid. Diodor l. l. ORELL.) Bacchi statua apud Phellœnses lignea conspiciebatur minio illita : aliam habebant Phigalenses itidem minio inluminatam, auctore in Achaicis et Arcadicis Pausania. » Hæc Broukhus. De more antiquorum minio tingendi deorum, in primis agricolarum, Bacchi, Panis, Priapi, statuas

vid. Dalecamp. et Harduin. ad Plin. Hist. Nat., lib. xxxiii, cap. 7 (36 Hard.) et Comment. ad Pict. Herculan., tom. iv, tab. lii, pag. 253, et de Sole sub leonis specie culto a Persis Munker. ad Albric. de Deor. imag., cap. 5, pag. 901, ed. van Staveren. Orell.

Col. 1187, ad not. *Itaque Hammon* adde sequentem : *Hammon*. De forma et habitu Jovis Hammonis locus classicus est ap. Curtium, lib. iv, cap. 7, § 23 : *Id quod pro deo colitur, non eamdem effigiem habet, quam vulgo diis artifices accommodaverunt, umbilico tenus arieti similis est, habitus smaragdo et gemmis coagmentatus*. Ubi vide intpp. et icones Jovis Hammonis in nummis expressas in ed. Snakenburgii pag. 215 seq. Conf. Sil. Ital. lib. iii, vs. 8 seqq. :

Prisca fides adytis longo servatur ab ævo.
Qua sublime sedens Cyrrheis æmulus antris
Inter anhelanteis Garamantas corniger Hammon
Fatidico pandit venientia sæcula luco.

Ubi vid. Dausqueium p. 101. Macrob., Sat. 21, putavit Hammonem solem esse occidentem. Conf. Corrig. et Addend, p. 476. Orell.

Col. 1188, post notam *Liber...*, insere sequentem : *Venus nuda et aperta*. Clemens Alexandr. Adhort. p. 38 : κἂν ἴδῃ τις ἀνάγραπτον γυναῖκα, τὴν χρυσῆν Ἀφροδίτην νοεῖ. De illa autem et Baccho Theodoretus, serm. 3, de angel. et dæmon., tom. iv, p. 520 : Ἀφροδίτην τὴν τούτων διδάσκαλον γυμνὴν καὶ οἱ ἀνοριαντοποιοί, καὶ οἱ ἀγαλματογλύφοι κατασκευάζουσι, καὶ οὐδὲ χιτωνίσκῳ καλύπτουσι..... καὶ μέντοι καὶ ὁ Διόνυσος λυσιμελής τε καὶ γυμνὸς ὑπὸ τούτων κατασκευάζεται. Nourr. p. 489.

Col. 1197, post notulam *Diducere...*, insere sequentem :

Augustat. Id est augustos reddit. Verbum ἅπαξ λεγόμενον. Vid. Gesner. in Thesaur. Orell.

Col. 1198, post not. *Sub istorum...* insere sequent. : *Stelliones*. *Stellio* animal e lacertarum genere in ædificiis nidificans. Græce ἀσκαλαβώτης. Phavorinus : Σκαλαβώτης... ζωΰφιον ἐοικὸς σαύρα ἐν τοῖς τοίχοις τῶν οἰκημάτων ἀνέρπον ; de quo multus et Bochartus in Hierozoic. lib. iv toto capite 7, ubi Rosenmullerus in nota tom. ii, pag 515, descriptionem hujus animalculi ex Hasselquistii Itinerario subjungit. Italis vocatur *Gekko*. Conf. Schneider. ad Nicandr. Alexipharm. pag. 260, seq. Orell.

Col. 1202, ante notam *Sacra...*, ad not. præced., post v. Herald., adde : — Etiam *itus*, *us*, antiquum vocabulum et Lucretianum, v. c. iii, vs. 589. seq. :

Nec repentis itum cujusviscumque animantis
Sentimus, nec priva pedum vestigia quæque.

Utitur tamen eo et Suetonius Tiber. cap 38. Conf. Lauremberg. Antiquar. h. v. Orell.

Col. 1203, not. *Sub ipso...* : — Alii *nomine*. Vide supra — lege : — Alii *nomine*, Heumanmus *molimine*. Vide supra.

Col. 1206, post notam *Cur oris...* insere sequent. : *Cur oris contumeliam levigati... non justa persecutus est ultione ?* In eamdem sententiam Ambrosius, lib. ii de Virginib. cap. 5 : *Dii*, inquit, *ita ludibrio habiti sunt, ut neque Jupiter vestem suam defendere potuerit, nec barbam Æsculapius, nec Apollo adhuc pubescere cœperit, neque omnes qui dicuntur dii retrahere potuerint pateras, quas tenebant, non tam furti reatum timentes, quam sensum non habentes. Quis igitur eos colat, qui nec defendere se quasi dii, nec abscondere quasi homines possunt ?* Nour., *p.* 498.

Col. 1208, post notam *Cum Capitolium...* insere sequentem :

Jovemque ipsum Capitolinum cum uxore corripuisset et filia. Præter ædem Junoni a Camillo dicatam in Aventino, præter eam, quæ Junoni Monetæ posita, fuit alia in Capitolio communiter cum Jove et Minerva, ubi tria numina diversis cellis colebantur junctim et invocabantur, ut ap. Silium Ital., lib. x, vs. 433, et seqq.; Cic., Or. pro Domo, cap 57, et in Verr. v, 72; Valer. Max., v, 10 ex. 2. Conf. Lactant., lib. i, cap. 11, et Augustin. de Civ. Dei lib. iv, c. 10. Plura vide sis ap. Dausque ium, ad Sil. l. l. pag. 435, et Ruperti tom. ii, pag. 89. Orell.

Col. 1210, ad notam *Varro...* pro v. fin. Orell., adde : — *Menippeum* Varronem appellat etiam Symmachus in Epistola ab eodem Carrione, l. i, primum vulgata : *Studium quidem Menippei Varronis imitaris, sed vincis ingenium*. Conf. Havercamp. ad Tertullian. Apologet., c. 14, p. 146. Orell.

Col. 1211, ante notam *Habitationibus...* ad notam præced., prov. Orell., adde : — « Fortasse legendum *Chanabeni*. *Chanabeni* vox orientalis corrupta ex Hebr. גנבים *fures*. Eodem sensu etiam *Saraceni* dicere potuisset Arnobius ab Arab. *sarak*, furatus est, rapuit. » Hæc doctissimus Censor Ienensis. Etiam Censor Lipsiensis putat, hac voce Arnobium significare voluisse fures clandestinos, non raptores vi et impetu januarum claustra effringentes. Orell.

Col. 1213, ad not. *Riciniatus...*, pro v. fin. Orell., adde : — Cicero de Legg. ii, 23, testatur, ricinium fuisse pallium muliebre, quo in adversis rebus et luctibus utebantur. Conf. Ernest. in Clavi h. v. et qui rem more suo doctissime illustrat, Salmas. ad Vopisc. Aurelian. 45, Hist. August. tom. ii, p. 541 et seqq. Orell.

Col. 1214, ante notam *Cum psalteriis...* insere sequentem :

Deum Mater cum tympano : cum tibiis et cum psalteriis Musæ. Dubito, annon interpungendum sit : *Deum Mater cum tympano, cum tibiis : et cum psalteriis Musæ*, ut tibiæ attribuantur Deorum Matri. Tibia enim Phrygum inventum. Pollux, lib. iv, § 74 : Αὐλῶν δὲ εἴδη, πλάγιος, λώτινος, Λιβύων τὸ εὕρημα......... ἔλυμος τὴν μὲν ὕλην πύξινος, τὸ δὲ εὕρεμα Φρυγῶν· κέρας δὲ ἑκατέροις τοῖς αὐλοῖς ἀνανεῦον πρόσεστιν, αὐλεῖ δὲ τῇ Φρυγίᾳ θεῷ. Et tibiæ usitatissimæ in Cybeles sacris. Ovidius Fast. vi, 189 (de festo Matris Idææ) :

Quærere multa libet, sed non sonus æris acuti
Terret, et horrendo lotos adunca sono.

Conf. qui rem doctissime illustrat, Zœga in *Bassirilievi antichi*, tom. i, p. 104 (et de tympano Cybeles, p. 91, et Commentat. ad Pict. Herculan., tom. ii, tab. xxix, p. 175). Quid quod et ipsa Cybele in antiquis monumentis nonnumquam conspicitur tibia ornata, v. c. in Antiquitt. Montefalconii, tab. i, fig. 5, Compend. Schaz. Sed cum Arnobius dixerit *tibiis* plurali numero, nolim deserere lectionem vulgatam. Orell.

Ibid., ad eamdem notam *Cum psalteriis...*, pro v. final. Orell., adde : — De differentia psalterii et citharæ exscribere juvat Isidori verba Origg., l. iii, c. 21 : *Psalterium*, inquit, *quod vulgo canticum dicitur, a psallendo nominatum, quod ad ejus vocem chorus consonando respondeat. Est autem similitudo citharæ barbaricæ in modum Δ literæ : sed psalterii et citharæ hæc est differentia, quod psalterium lignum illud concavum, unde sonus redditur, superius habet, et deorsum feriuntur cordæ et desuper sonant, cithara autem e contra concavitatem ligni inferius habet*, etc. Musam cum cithara elegantissime delineatam spectamus in Pict. Herculan., tom. ii, tab. v, et Musam cum psalterio, tab. vi; ubi vide annotationes vel potius disputationes doctissimi Mazocchii, p. 33 et seqq. Cæterum h. l. Arnobius voce psalteriorum comprehendisse videtur etiam lyram, citharam et id genus alia instrumenta, quæ Musis tribuuntur. Conf. qui doctissime de his instrumentis disputant, Commentatores ad Pict. Herculan., tom. ii, tab. vi, p. 34 et seqq. Orell.

Ibid., post notam *Æsculapius...* insere sequentem :

Aut in Liberi dextra pendens potorius cantharus. *Cantharus* erat genus vasis potorii majoris et ansati, unde vinum infundebatur in minora pocula vel pateras, de cujus figura vid. Scaliger. ad Auson. Epigr. xxx, p. 26, ed. Tollii; et Drakenborg. ad Sil. Ital. vii

vers. 196 : *Plenis cantharis bibere* (ut nos dicimus *aus vollen Humpen trinken*) bibonum erat, ut ex Plauto liquet Pers. act. v, scen. II, vers. 40 :

> Age, circumfer mulsum ; bibere da adusque plenis can-
> [tharis

Hinc *cantharus* perpetuum Bacchi et Sileni insigne. Virgilius Eclog. VII, 17 :

> Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.

Macrobius, l. v Saturn., c. 21 : *Scyphus Herculis poculum est, ita ut Liberi patris cantharus* Iconem Bacchi cum cantharo vide sis in Montefalconii Antiq., tab. XXVIII, fig. 9; Compend. Schaz. ORELL.

Ibid., post notulam : *Anubis*... insere sequentem :

Aut genitalibus propriis inferior Priapus. Inferior, id est minor, brevior. HEUMANN., *in marg.*

Ibid., post notam *Caliendra* insere sequentem :

Talaria. Sic vocantur κατ' ἐξοχὴν alata Mercurii calceamenta. Virgilius Æn. IV, 249 et seqq. :

> Ille patris magni parere parabat.
> Imperio ; et primum pedibus talaria nectit
> Aurea, quæ sublimem alis, sive æquora supra,
> Seu terram, rapido pariter cum flumine portant.

De quibus doctissimam disputationem memini me legisse in Vossi, v. cl. *Mythologiscen Briefen*, quem librum jam ad manus non habeo. ORELL.

Col. 1215, not. *Personarum*..., post versum citatum Persii, insere hæc : — Ubi scholiastes ad Sat. I : *Tria genera sannarum, aut manu significare ciconiam, aut opposito temporibus pollice auriculas asininas, aut linguam sitientis canis. Sanna autem dicitur os distortum cum vultu, quod facimus, cum alios deridemus. Inde sanniones dicti, qui non rectum vultum habeant.* Conf. Comment. ad Antiquitt. Herculan., t. VI (*Bronzi*, t. II), p. 379.

LIBER SEPTIMUS.

Col. 1221, ante notam primam *Et habere*... insere sequentem :

Alicujus alimonii genere. Supra, l. IV, c. 21, et infra, l. VII, c. 16 et 39, habemus *alimonia, æ.* Sed occurrit utrumque jam apud vestustissimos scriptores, Plautum, Lucretium, etc. ORELL.

Ibid., ad notulam *Aut animalis*..., post v. ORELL., adde : —Verba Macrobii sunt, l. III Sat., c. 5 : *Trebatius, lib.* I *de Religionibus docet, hostiarum genera esse duo, unum, in quo voluntas dei per exta disquiritur ; alterum, in quo sola anima deo sacratur, unde etiam haruspices animales has hostias vocant.* Sic etiam Strabo, l. XV, p. 732 (Casaub.), de Persis ait : Τῆς γὰρ ψυχῆς φασι τοῦ ἱερείου δεῖσθαι τὸν Θεὸν, ἄλλου δὲ οὐδενός. NOURR., p. 501. — Sed hoc loco *animalis hostia* est victima, vel hostia ex cæso animali, nil amplius. ORELL.

Col. 1223, ad notam *Deos*..., post v. final. HERALD., adde : — Pro *credit* annon legendum *credat? Sollte jemand wohl glauben konnen ?* ORELL.

Col. 1226, ad notam *Silentio*..., pro v. ORELL., adde : —Heumannus conj. *silentio patior abire damnatum.* Male. Significat enim Arnobius, se gratificari velle adversariis, quod hæc missa faciat et silens prætergrediatur. Itaque *donatum* minime sollicitandum. ORELL.

Ibid., ad notam *Pavus*... pro v. ORELL., adde : — Sic Ausonius aliquoties, verbi causa, epigr. LXIX, vs. 4 :

> Pavaque de pavo constitit ante oculos.

Et epist. XX, 10 :

> Vincit centum oculos, regie pave, tuos.

Ad eumdem modum dixerunt etiam *capo* et *capus.* Vid. Munker. ad Fulgent. Mythol. II, c. 3, p. 668, ed. van Staveren. ORELL.

Ibid., ad notam *Passerculos*... adde sequentem :

Passerculos. Passerculi puerorum ludicrum usitatissimum apud antiquos, cujus jam mentio facta in Veteri Testamento, Job. XL, 24 : Παίξῃ δὲ ἐν αὐτῷ ὥσπερ ὀρνέῳ, ἢ δήσεις αὐτὸν ὥσπερ στρουθίον παιδίῳ. Et cui non noti suavissimi Catulli versus :

> Passer, deliciæ meæ puellæ.

Conf. qui hac de re multus est Bochart. in Hieroz., p. II, l. I, c. 22, t. II, p. 727 et seq., ed. Rosenmuller. ORELL.

Col. 1227, ad notam *Numquid*..., pro v. ORELL., adde : — Heumannus conj. *tuum numen qui ostenderet, aut te traduxi.* Pessime. ORELL.

Col. 1229, not. *Dissignationibus*... : — *Dissignationibus* scil. victimarum. — Dele hæc verba et adde : — *dissignationes* (ut bene explicat Heumannus in margine) sensu prorsus insolito dixit Arnobius pro peccatis, quæ paulo ante *commissa* vocavit. Cæterum v. *dissignatio* ἅπαξ λεγόμενον. Vid. Gesner. in Thesauro.

Col. 1230, post notulam *Et ex*... insere sequentes :

Universus ille doctissimorum chorus. Stoicos intelligit. Vid. J. Lips. de Constantia, l. I, c. 18 ; Opp., t. IV, p. 553, seqq., ed. Vesal. ORELL.

Vacant odia. Vacant id est nullius sunt usus. Sic Tertullianus in Apologet., c. 2 : *Et jam si confessione præveniantur (tormenta), vacabunt.* Ubi vid. Havercamp., p. 41, nostrum quoque locum citantem. ORELL.

Ibid., post notulam *Si voluerint*... insere sequent. :

Quibunt. Hoc futurum alibi legisse non memini. *Nequibunt* habet Lucretius, I, vs. 380 :

> Concedere porro
> Quo poterunt undæ, cum pisces ire nequibunt?

Col. 1231, ad notam *Sed ineluctabili*, pro v. ORELL., adde : — Vid. Ernesti Clav. Cic. hoc verbo ; Oudendorp., ad Sueton. Cæs., c. 20, qui docet *confici* et *confieri* sæpissime confundi a librariis ; et van Staveren ad Hygin. Poet. Astronom., l. IV, c. 1, p. 545. ORELL.

Ibid., post notulam *Si cum*... insere sequentem :

Frustratoriis. Frustratorius Afrorum est. Sic Tertullianus, de Anima, c. 47, somnia vocat : *Vana et frustratoria et turpida et ludibriosa et immunda.* Conf. Cellar. Antibarb., p. 41. ORELL.

Col. 1232, ad not. *Si modo*..., post v. HERALD., adde : — Heumannus conj. : *Neque in hujus nominis exceptione ponendi.* Male. Sensus est : *Si digni sunt, qui excipiantur ab iis, quos vos nominatis deos, qui non sunt dii veri.* ORELL.

Col. 1233, not. *Ut si*..., sub fin. : — Vesal. Pecularis — lege : — Vesal. et Ph. Carol, ad Agell. lib. II, cap. 2, pag. 114. et seqq. Pecularis.....

Ibid., post. eamd. not. *Ut si*... insere sequentem :

Via decedat. Hoc admonebant populum lictores consuli præeuntes hac formula, quam conservavit nobis Plautus Aulul., act. III, scen. I :

> Date viam consuli, facite plateæ pateant.

Conf. Senec. Epist. XCIV. Vid Phil. Carolus Animadvv. in A. Gell. pag. 115, et Brisson. de Formul. lib. VIII, 34, pag. 700. ORELL.

Col. 1234, ad notam *Cum etiam*..., pro v. ORELL., adde : — Respicit fortassis Arnobius ad verba illa Christi Marc. X, 42, 43. ORELL.

Col. 1236, ad notam *Ab omni*..., post v. final. HERALD., adde : — De hac ablutione Macrobius lib. III Saturn. cap. 1 : *Constat diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari : cum vero inferis litandum est, satis actum videretur, si aspersio sola contingit.*

NOURR. *pag.* 509.

Col. 1238, post not. *Immussulos*... insere sequentes :

Salamandras. De salamandris sic Entecnius in Paraphrasi ad nicandri Theriac. vs. 818 : Χαλεπὸν δὲ ἐστι θηρίον καὶ ἡ καλουμένη σαλαμάνδρα· ἀδικεῖται δ' οὖν ὑπὸ πυρὸς οὐδέν, ἀλλὰ ἐν τούτῳ διαιτᾶται, καὶ μένει παρὰ τῷ πυρί, καὶ διέρχεται ἀβλαβῶς, καὶ τὸ δέρμα ἡ σαλαμάνδρα πᾶν κατάστικτον ἔχει. Scoliastes addit : Τὰ δὲ ἔντερα αὐτῆς ψιλοῖ τὰς τρίχας· ἔστι δὲ τὸ ζῶον ὅμοιον σαύρᾳ, τετράπουν, βραχύκερκον. Ubi vid. Schneider.

pag. 267, et, ubi antiquorum medicorum de animaculo hoc venenato testimonia collegit ad Alexipharm., vs. 538, pag. 260 seq. ORELL. A

Viperas solifugas. Sic ut, verissime judicat doctissimus Censor Ienensis, legendum, non *solipugas.* Nam h. l. ut et lib. II, cap. 23, de amphibiis, non de insectis, sermo, et amat Arnobius talia epitheta. Sic dixit lib. VI, cap. 16, *blattas lucifugas.* ORELL.

Ibid., ante notulam *Carduos* insere notam :

Bulbos. Bulbi proprie dicebantur radices omnes rotundæ, tunicatæ, quales sunt lilii, crossi, narcissi, colocasiæ et arundinum. Vide Gesner. in Thes. H. l. autem videtur peculiare quoddam genus designari ab Arnobio, ab antiquis ad cibos adhibitum, præcipue in cœnis nuptialibus, quia venerem stimulabant, teste Martiali, lib. XIII, Epigr. 34, et Apicio, qui modum bulbos ad cibum præparandi indicat, de Arte Coquin. lib. VII, cap. 12. Ubi M. Listerus, pag. 207, ed. Ianssonii intelligit vel orchidarum quamdam speciem vel radices tuliparum, quæ edules et suavissimi bulbi sunt, et in Asia Græciaque valde frequentes atque ad cibos adhibiti. Conf. Schneider. v. cl. in Lex. Rust. h. v. ORELL. B

Ibid., post notulam *Radices* adde notas :

Cucurbitas. Cucurbitæ inter gratissimos cibos apud antiquos. Intelligendæ autem, ut observat M. Listerus ad Apic., lib. III, cap. 4, pag. 79, istæ prælongæ et tenues, quæ etiamnum in magno et quotidiano usu sunt in Italia et calidioribus regionibus, nostris vero olitoribus prorsuis ignotæ. Earum condimentum apud Romanos, teste eodem Apicio l. l., erant *mentha, apium, pulegium,* de quibus h. l. disserit Arnobius noster. ORELL.

Rutam. Ruta, imprimis *bacca rutæ,* h. e. folliculus cum semine ; inter usitatissima ciborum condimenta laudatur ab Apicio aliquoties, v. c. lib. VI, cap. 2. ORELL.

Mentam. Menta sive *mentha.* Dioscorid., lib. III, cap. 41, *μίνθη.* Plinius, lib. XIX, cap. 8 : *Menthæ nomen suavitas odoris apud Græcos mutavit, cum alioqui mentha vocaretur, unde veteres nostri nomen declinaverunt.* Dicebatur scil. Græcis *ἡδύοσμος.* Strabonem vero, lib. VIII, secutus Jul. Pollux Onomast. lib. VI, cap. 10, notat mentham dici a Mintha Plutonis pellice in hanc plantam transformata. Jo. RHODIUS, *in Lexic. Scribon. h. v.*— Idem Plinius, lib. XX, cap. 14 : *Stomacho accommodata est mentha et in condimentorum usum multifariam recipitur.* Erat autem duplex menthæ genus, agrestis scil. et hortensis, cujus posterioris, qua Judæi imprimis utebantur ad pavimenta ædium et synagogarum aspergenda, *ἡδύοσμου* mentio etiam facta a D. Sotere ap. Matth., XXIII, 23. Vide Schleusner., qui de h. v. multus est, in Lexic. N. Test. et Lister. ad Apic. I, cap. 29., pag. 44. Nostr. *Münze, Gartenmünze.* ORELL. C

Ibid., post notam *Ocimum* insere sequentem :

Puleium. Puleium vel *pulegium* (vid. Rhod. Lex. Scribon.), nostr. *Poley, Poleymünze,* hodiernis est planta officinalis, antiquis autem erat cibus vel potius ciborum, in primis olivarum, condimentum frequentatissimum, teste Palladio Novembr. c. 22. Vid. Schneider. v. cl. in Lex. rust. et Lister. ad Apic. III, 5, pag. 79. ORELL. D

Col. 1240, post notul. *Ea quæ...* insere sequentem :

Offis sævitias ponere. Annon legendum *offix oblatis sævitias ponere?* ORELL.

Col. 1242, ad notam *Color furvus* adde hæc :

Cæterum de diverso genere hostiarum immolandarum diis superis et inferis et de modo, quo singulis litari oporteat, extat celeberrimum oraculum Apollinis, quod ex Porphyrio nobis servavit Eusebius in Præparat. Evangel., lib. IV, cap. 9, quodque cum Eusebii opus in paucorum manibus sit, integrum exscribere liceat. Sic scil. fatur Apollo :

Ἐργάζευ, φίλε, τήνδε θεόσδοτον ἐς τρίβον ἐλθὼν,'
Μηδ' ἐπιλήθεο τῶν μακάρων θυσίας ἐναρίζων
Πῆ μὲν ἐπιχθονίοις, πῆ δ' οὐρανίοις, ποτὲ δ' αἴθρης
Αὐτοῖσιν βασιλεῦσι, καὶ ἠέρος ὑγροπόροιο
Ἠδὲ θαλασσαίοις, καὶ ὑποχθονίοισιν ἅπασι·
Πάντα γὰρ ἐνδέχεται φύσεως μεστώματα τῶνδε.
Ζώων δ', ὡς θέμις ἐστὶ, τελευτῆσαι καθαγισμοὺς
Ἀείσω, δέλτοις δὲ χαράσσετε χρησμὸν ἐμεῖο.
Τρεῖς μὲν ἐπιχθονίοις, τρεῖς δὲ οὐρανίοισι θεοῖσι.
Φαιδρὰ μὲν οὐρανίοις, χθονίοις δ' ἐναλίγκια χροιῇ
Τῶν χθονίων διάειρε τριχῇ θυσίας ἐναρίζων,
Νερτερίων κατάθαπτε, καὶ εἰς βόθρον αἷμα ἴαλλε.
Χεῦε μέλι νύμφῃσι Διονύσοιό τε δῶρα,
Ὅσσοι δ' ἀμφὶ γαῖαν ποτώμενοι αἰὲν ἴασι,
Τοῖσδε φόνου πλήσας πάντη περικληθέα βωμὸν,
Ἐν πυρὶ βάλλε δέμας, θύσας, ζώοιο ποτανοῦ,
Καὶ μέλι φυρήσας, δηῷ ἀλφίτῳ ἔνθεν
Ἀτμούς τε λιβάνοιο, καὶ οὐλοχύτας ἐπίβαλλε.
Εὖτε δ' ἐπὶ ψαμάθοισιν ἴῃς, γλαυκὴν ἅλα χεύας
Καχχεφαλῆς θυσίαζε καὶ εἰς βαθὺ κῦμα θαλάσσης
Ζῶον ὅλον προΐαλλε. τελευτήσας τάδε πάντα
Ἐς πλατὺν ἠερίων χορὸν ἔρχεο οὐρανιώνων.
Ἀστραίοις δ' ἤπειτα καὶ αἰθερίοις ἐπὶ πᾶσιν
Αἷμα μὲν ἐκ λαιμῶν κρουνώμασιν ἀμφὶ θυηλὰς
Λιμνάζειν· τὰ δὲ γυῖα θεοῖς ἐν δαιτὶ πονεῖσθαι·
Ἄκρα μὲν Ἡφαίστῳ δόμεναι, τὰ δὲ λοιπὰ πάσασθαι,
Ἀτμοῖσιν λαροῖσιν ἐνιπλήσαντες ἅπαντα
Ἠέρα ῥευσταλέον· ἐπὶ δ' εὐχὰς πέμπετε τοῖσδε.

NOURR., *pag.* 507 *et* ORELL.

Col. 1243, post not. *Tetreque...* insere sequentem :

Lacte, oleo sanguini. Legendum videtur : *Lacte, aleo sanguinem.* Sensus est : *Inficite omnia quæ diis offertis thura, salsas fruges, et libamina, sanguinem, hunc quidem lacte et oleo, ut ponat colorem purpureum ; in illa autem (cum flavi sint coloris), ut nigra fiant, fuliginem infundite cum favillis.* Constructio nonnihil impeditior et intricatior errori ansam dedit. ORELL.

Col. 1244 ad notam *Certaque..*, pro verb. ORELL., adde : — Cæterum *supplicamentum* (pro quo veteres Romani, v. c. Livius, lib. XXII, cap. 57, et Sallustius Catil., cap. 9, dixerunt *supplicium*), vocabum est cadentis latinitatis et Afris scriptoribus, Apuleio (Met. XI, p. 265), Tertulliano imprimis usitatum, et designat tam victimas et sacrificia, quam preces et supplicationes, in genere omnem cæremoniarum apparatum, quibus dii propitii redduntur. ORELL.

Col. 1245, post notul. *Hic ut...* insere sequentem :

Aliarum eadem rejiciantur ab victibus. Meursius, p. 211, conj. *aliorum eadem*, etc. Male. Præcessit enim : *ut gentibus fieri moris diversissimi fama est.* ORELL.

Col. 1246, post not. *Quam cuncti...* insere sequent.:

Virgo Tritonia. Minervam Tritoniæ nomen meruisse fabulantur, quod in ripa lacus Tritonis in Africa primitus visa sit, temporibus Ogygii regis, quod notovit Festus. STEWECH. — Pomp. Mela, lib. I, c. 8 : *Super hanc* (Syrtim) *majorem ingens palus amnem Tritoni recepit, ipsa Tritonis, unde et Minervæ cognomen inditum est, ut incolæ arbitrantur, ibi genitæ : faciantque ei fabulæ aliquam fidem quod quem natalem ejus putant, ludicris virginum inter se decertantium celebrant.* Ubi vide intpp. Conf. Serv., ad Æn., II, 171, et Broukhus., ad Lucan. phars., IX, 354, p. 699, ed. Oudendorp. ORELL.

Col. 1247, ad notam *Et ad...*, pro v. fin. ORELL., adde : — At jam iterata horum verborum lectione meliora edoctus reprobo Canteri conjecturam *quæ fati sunt ;* hoc scil. esset i. q. *minati.* Sed Arnobius noster h. l. non loquitur de minis deorum, sed de natura illorum ad iram et vindictam prona. Nec etiam bene dicere potuisset, deos necessitate irresistibili duci ad id quod minati fuissent. Quare donec Græcismus ille, quem Heraldus assumit, exemplis probari possit, malo sequi Heumannum legentem *ad ea, ad quæ facti sunt.* ORELL.

Col. 1249, post notam *Quid offæ* insere sequent. :

Ex quibus quod primum est. Tæda scil. (nam singula, quæ antea nominaverat, jam explicat Arnobius). Erant itaque *tædæ* botuli minuti farti arvina vel adipe in exiguas miculas dissecta. *Speckwürste.* ORELL.

Ibid., post notam *In exiguas...* insere sequentem :

Suxis perexsiccata vitalibus. Næniam jam describit

Col. 971, not. *Unctionibus*..., ad fin., pro loco : — A Herculeo (id est arctissimo) vinctum erat cingulum, — lege : — Herculeo (id est arctissimo, de quo multus est Bœttiger. V. Cl. in *Griechischen Vasengemahlden*, tom. I, part. II, pag. 103) vinctum erat cingulum.

Col. 975, ante not. *Alias*..., insere sequentes :

XXIX — *Dissolventiaque se ipsa. Se* deest in Cod. ms. Herald. *dissolventia ipsa se*. ORELL.

Quos esse singulos semper, etc. *Singulos* h. l. sensu insolentiori dixisse videtur Arnobius pro *numero definitis*, (*von einer bestimmten eingeschränkten Anzahl.*). Opp. *innumeri*. ORELL.

Ab Jano..... patre, etc. Servius ad Æn. VIII, vs. 605: *Alii Janum dici dominum volunt, in quo ortus est et occasus.... Alii anni totius, quem in quatuor tempora constat esse divisum. Anni autem esse deum illa res probat, quod ab eo prima pars anni nominatur. Nam a Jano Januarius dicitur. Alii Janum mundum accipiunt, cujus caulæ ideo in pace clausæ sunt, quod mundus undique clausus est, belli tempore aperiuntur ad auxilium petendum, ut pateant.* Addit illum ab aliis, quemadmodum a Cicerone, Janum seu Eanum ab eundo vocitari, eumque esse Martem, ab aliis vero Clusivium aut Patulcum aut Janonium, atque etiam Quirinum appellari. Macrobius vero lib. I Sat., cap. 9, hunc ipsum a quibusdam, uti a Nigidio, eumdem dici atque Solem et Apollinem, a nonnullis vero mundum et cœlum, atque iisdem, quæ Servius recenset, nominibus ab aliis vocatum, imprimisque Janonium, *quasi*, inquit, *non solum mensis Januari, sed mensium omnium ingressus tenentem*. Conf. Augustin., VII de Civ. Dei, c. 7. NOURR., p. 140.—Conf. Joann. Lyd. de Mensibus pag. 55 et seqq., et imprimis doctiss. Creutzer. in l. l. *Symbolik und Mythologie der alten Völker*, t. II, p. 450. seqq. ORELL.

Col. 976, ad not. *Patrem*, post v. ORELL., adde :— Deum *Fontum* seu *Fontinalem* Latinorum Tusci dixere *Fontir* a φυτεύω, *producere* et *emittere*, unde Latinis *fons*, quemadmodum apud eosdem a *scateo* formatur *scaturigo*. GORIUS, *Dissert. de Hellenismo Etrusc. in Symbol. Litter., tom.* II, *pag.* 66.

Ibid., ad notam *Juturnæ*, sub fin., post v. ORELL., adde : — Lacuum dea apud veteres Latinos, teste Virgilio, Æn. XII, 138 :

> Extemplo Turni sic est affata sororem
> Diva deam stagnis quæ fluminibusque sonoris
> Præsidet : hunc illi rex ætheris altus honorem
> Jupiter erepta pro virginitate sacravit.

Conf. Commentatt. Pict. Herculan. in Obss. ad calcem additis. Tom. I, pag. 171. ORELL.

Col. 980, ad notam *Æthereum*, pro verbo ORELL., adde : — Ægyptiorum dogma teste Diodoro Siculo, lib. I, cap. 12, cujus verba servata etiam ab Eusebio Præparat. Evangil. lib. III, cap. 3, cum sint in hanc rem classica, juvat integra exscribere : Τὸν δ' ἀέρα προσαγορεῦσαί φασιν Ἀθηνᾶν, μεθερμηνευομένης τῆς λέξεως, καὶ Διὸς θυγατέρα νομίσαι ταύτην, καὶ παρθένον ὑποστήσασθαι διά τε τὸ ἄφθορον εἶναι τῇ D φύσει τὸν ἀέρα, καὶ τὸν ἀκρότατον ἔχειν τόπον τοῦ σύμπαντος κόσμου· διόπερ ἐκ τῆς κορυφῆς τοῦ Διὸς μυθολογηθῆναι ταύτην γενέσθαι· ὠνομάσθαι δὲ αὐτὴν Τριτογένειαν ἀπὸ τοῦ τρὶς μεταβάλλειν αὐτῆς τὴν φύσιν κατ' ἐνιαυτὸν, ἔαρος καὶ θέρους καὶ χειμῶνος, λέγεσθαι δ' αὐτὴν καὶ Γλαυκῶπιν, οὐχ, ὥσπερ ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων ὑπέλαβον, ἀπὸ τοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχειν γλαυκοὺς (τοῦτο μὲν γὰρ εὔηθες ὑπάρχειν), ἀλλ' ἀπὸ τοῦ τὸν ἀέρα τὴν πρόσοψιν ἔχειν ἔγγλαυκον. NOURR., pag. 443. *seq.*

Col. 981, ad notam *Nulla est*..., pro finali verbo ORELL., adde : — Equidem Mentem et Victoriam deas habitas scio, quarum hanc consecravit primo Attilius Regulus, postea Æmilius Scaurus, illam vero bello Sammitico Attilii collega in consulatu, M. Posthumius Megellus. Sed hoc Romæ, non in Græcia, ubi nata hæc dea. Attamen Victoria etiam Athenis culta, ubi et simulacrum alis privatum habuit. MEURS., *pag.* 99.

Col. 982, ad notulam *Stygii*... adde : — Heuman. conj. *nullius dei est nomen Neptunus*. ORELL.

Col. 983, ad not. *Mercium*... adde :—*Merces* et *commercia*, (*Handel und Wandel*). ORELL.

Col. 984, ad not. *Quam Nigidius*... post v. OCHSN., adde :—Celebris scriptor fuit, vir prætorius, humanarum artium, philosophiæ, astrologiæ et medicinæ consultissimus. Extat autem Ciceronis Fragmentum (p. 25), ubi hujus P. Nigidii doctrina, sicut a Macrobio VI Sat., c. 5; A. Gellio, lib. XIX, cap. 16, et Servio, in Æn. X, 583, commendatur. Conf. Cic. IV, ad Div., Ep. XIII. Ab A. Gellio, lib. VI, cap. 6, Figulus cognominatur (de quo cognomine vid. Augustin, lib. V de Civ. Dei, cap. 3), quo nomine etiam a Lucano, lib. I, vs. 693 :

> At Figulus, cui cura deos secretaque cœli
> Nosse fuit, quem non stellarum Ægyptia Memphis
> Æquaret visu, numerisque moventibus astra.

B Eusebius in Chron. ad ann. 1973 : *Nigidius Figulus, Pythagoricus et magus, exilio moritur*. NOURR. p. 545.

Ibid., ad not. *Quem esse*... adde :—Varro etiam lib. IV de Ling. lat., p. 18 : *Ab ignis jam majore vi ac violentia Vulcanus dictus*, et adhuc expressius Servius ad Æn VIII, vs. 414 : *Vulcanus, ut diximus, ignis est : et dictus Vulcanus, quasi Volicanus quod per aerem volet; ignis enim e nubibus nascitur : unde etiam Homerus dicit eum de aere præcipitatum in terras, quod omne fulmen de aere cadit*. NOURR., *pag.* 449.

Col. 985, ad not. *Proserpinam*, pro verbo ORELL., adde : — Hinc Proserpina numinibus agricolarum accensita. Idem Varro ap. Augustin., de Civ. Dei lib VII, cap. 24 : *Tellurem putant esse Opem, quod opera melior fiat. Matrem, quod plurima pariat; Proserpinam, quod ex ea proserpant fruges; Vestam, quod vestiatur herbis*. Conf. Græv. Lectt. Hesiod., cap. 11, et, qui hac de dea multus est, Munker. ad Fulgent. Mythol. lib. I, cap. 9, pag. 635, ed. van C Staveren. ORELL.

Col. 988, post not. *In unius*... insere sequentem :

Nullis propriis adficiatur e motibus. E παρέλκει, ut supra, lib. I, cap. 39, *in incudibus deos et e malleis fabricatos*, ubi vid. notam Heraldi, tom. I, pag. 323. ORELL.

Ibid., post notulam *Ut neque*... adde sequentem :

Unus Deus constituatur mundus. V. *Mundus* delere vult Heumannus. Male. Loquitur enim Arnobius de iis, qui mundum sive animam mundi Deum statuebant. ORELL.

Col. 990, not. *Novilenses*... pro loco : — excussit, Cum Pisone, —lege : — excussit. Conf. Creutzer. V. Cl. in l. l. *Symbolik und Mythologie*, tom. II, p. 476. Cum Pisone.

Col. 991, ante not. *Concessum*... adde sequentem :

Apud Trebiam constitutos. Trebia fluvius est, non procul a Placentia, qui ex Apennino, ut scripsit Strabo lib. V, pag. 217 (Casaub.), in Padum incidit. Ad hunc porro fluvium Hannibal Scipionem consulem, ut narrat Polybius, lib. III, pag. 220, et seq. (Casaub.), clade maxima profligavit, unde hic Lucani cantus lib. II, vs. 448.

> O miseræ sortis quod non in Punica nati
> Tempora Cannarum fuimus, Trebiæque juventus.
> (NOURR., *pag.* 452.)

Ibid., ad eamdem not. post v. HERALD. adde : — Plura vide ap. Nourr., p. 537 et seq. ORELL.

Ibid., ad notam *Cornificius*... adde : — Fortassis idem est, de quo Eusebius in Chronico ad annum 1576, sic loquitur : *Cornificius poeta a militibus destitutus interiit, quos sæpe fugientes galeatos lepores appellabat. Hujus soror Cornificia, cujus extant insignia Epigrammata*. NOURR. *pag.* 540.

Col. 993, ad not. *Nigidius*... adde : — Conf. Comment. ad Pict. Herculan. tom. IV, tab. XXXI, pag. 147, et in primis Creutzer. V. Cl. in l. l. *Symbolik*

und Mythologie, tom. II, p. 306 et seq., 439. Orell. A

Col. 994, ad notam *Genium*... adde sequentia : — At vero optime locum hunc difficillimum illustravit doctissimus Creutzerus in lib. I, tom. II, pag. 441, ubi de religione veterum Hetruscorum agit (nam ad eorum doctrinam de geniis respicit hoc loco Arnobius). Cujus verba integra hic exscribere liceat : *Jeder Gott, jeder Mensch, jedes Haus, jede Stadt hatte nach dieser Lehre ihren Genius; die der Götter hiessen Penates, und es gab uberhaupt 4 Classen von Genien, die des Tina (Jupiter), des Neptunus, der unterirdischen Gotter, und der Menschen. Es war ein System von Wesen, die in herabsteigender Ordnung die hohern Götter mit den niedrigern, und die Gottheit mit den Menschen verbanden, eine grosse Pyramide gleichsam, deren Spitze sich in dem Weltregierenden Mittelpunk Tina (Jupiter) verlohr. und deren breite Basis nach allen 4 Weltgegenden auf Erden ruhte.* Hæc Creutzerus. Et omnino hoc observandum. Deorum omnipræsentium vel in duobus locis simul agentium apud Græcos nulla vestigia : nisi B fortassis huc referre velis Homeri verba in Necyomantia Odyss. XI, vs. 600, et seq. de Hercule :

> Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,
> Εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
> Τέρπεται ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην.

Ipsi quando vel bonos afficere præmiis vel malos punire statuissent, relicto Olympo, invisunt terras. (Vide fabulas de Deucalione, de Lycaone, de Philemone et Baucide.) Aliud Hetrusci statuerunt. Secundum eorum doctrinam (quæ fontem suum in Ægypto habuit, quamque ab illis acceperunt et Romani aliique Italiæ populi) Jupiter cæterique Deorum numquam sedem suam, cœlum, relinquunt, sed habent singuli suos genios, comites simul et ministros, per quos cum hominibus communicabant : quorum summus erat genius Jovis Arnobio nostro memoratus et in Inscriptione apud Muratorium p. DLXXXVII, Jovi. Libero. aut. Jovis. Genio. Quid quod Jovi tres genios assignatos fuisse ab Etruscis docet Gorius in Museo Etrusco, tom. II, pag. 319. Sic conspicimus genium Minervæ forma pueri alati cum Ægide elegantissime depictum in Pict. Herculan., tom. I, tab. XI; genium Dianæ (puerum alatum cervæ cibum ministrantem in patella) ibid., tab. LX, ubi vide Commentatores de hac re doctissime disputantes, p. 263 et seqq. De populorum, urbium, singulorumque hominum geniis, sive Penatibus, Prudentius adv. Symmachum II, 370 et seqq. ita cecinit :

> At solers orator ait, fataliter urbem
> Sortitam quoniam genio proprium exigat ævum :
> Cunctis nam populis, seu mœnibus inditur, inquit,
> Aut fatum aut genius nostrarum more animarum,
> Quæ sub dispariIi subeunt nova corpora forte. Orell.

Ibid., ad notam *Ac Palem*..., pro verbo Orell., adde : — Servius ad Æn. III, 325 : *Tusci Penates Cererem, Palem et Fortunam dicunt.* Calis effigiem caput spicis redimitam videbis in Pictur. Herculan., tom. V, tab. V. Conf. ibi doctissimum Mazocchium Orell.

Col. 995, ad notam *Hos consentes*..., pro finali verbo Orell., adde :—De diis Consentibus doctissime disputat Salmasius in Epistola ad Menagium ad calcem addita Epistolarum, libro I, post mortem ejus Lugd. Bat. 1656 edito, pag. 15. Orell.

Col. 996, ad notam *Quod una*... adde : — Potius ortus et occasus XII signorum Zodiaci. Sed nec hoc ibi locum habet, *oriri* et *occidere* idem quod *nasci* et *mori :* nihil amplius. Vide quæ mox citabimus, verba doctissimi Schellingii. Orell.

Ibid., ad notam *Et miseratione*. ., pro finali verbo Orell., adde sequentia :—At lux jam reddita est loco vexatissimo a Schellingio V. Cl. in l. t. uber *die Gottheiten von Samothrace. Stuttg.* 1815, in-8°. Legit itaque vir doctissimus, cum F. Ursino, *memorationis parcissimæ*, hoc sensu : quorum nulla vel parca mentio (ap. Etruscos scil.) erat in precibus et sacrificiis, quippe qui nullum prorsus vel minimum imperium habebant in res humanas summo Jovi tamquam consiliarii additi. *Ein Gotterath also* (hæc sunt ejus verba, pag. 59, coll. pag. 115), *ein zusammengehorendes Ganzes von Gottern findet fich bey den alten Etruscern : unbekannt waren die einzelnen Nahmen; aber sie alle zusammen hiessen Consentes und Complices, welches nur Erklarung, ja wortliche Ubersetzung des Cabiren-Nahmens ist. Es waren ihrer 6 mannliche und 6 weibliche Wesen, ausser diesen aber, dem sie gemeinschaftlich untergeordnet waren, Jupiter (in der Etruscersprache Tina). (Hiernach waren sie also nur Mittelwesen, die Jupiter bey der Weltregierung als senine Diener und Dienerinnen gebrauchte.) Verschiedne Gotter sind sie doch zusammen, wie einer Dorthin nach dem Tuscerlande hatten, wie geschichtlich bekannt ist, Pelasgische Pflanzer ihre Gotter gebracht; an Laviniums Kuste schiffte Æneas die Trojanischen Penaten aus. Und von eben diesen Tuscischen Gottern versichert Varro, Complices seyen sie genennt worden, weil sie nur mit einander leben und mit einander sterben konnen. Unmoglich ware zu diesem Ausdruck etwas hinzuzusetzen, oder den wahren Gedanken jener vereinigten Gotter trefflicher zu bezeichnen.* Cæterum deos Consentes Etruscorum eosdem putat doctissimus Schellingius cum Samothracum diis Cabiris, quod vel nomen *Consentes* significet, quod exactissime respondet nomini Cabirorum חבר *consociavit*, חבר *socius*, חברים *socii*, v. c. Iudic. XX, 11. כאיש אחד חברים *omnes in unum consociati, verbunden, alle fur einen Mann. Hinc græcum* κάβειροι *et* κάβιροι, *Consentes, Complices*. Vid. Schelling. ibid. pag. 107 et seqq. Cum quo in explicandis Arnobii verbis consentit etiam Creutzerus V. Cl. in l. t. *Symbolik und Mythologie*, tom II, pag. 439 et seq. Orell.

Col. 999, ad notam *Nunc esse*... adde : — Schellingius in l. l. p. 93 et seqq. putat *Digitos*, Δακτύλους antiquitus appellatos fuisse hos deos ob staturam C parvissimam ac digitalem, qua effingebantur a Samothraciis. *Digiti*, quasi *Nani*, *Pygmæi*, *Daummenschen*, *Liliputer*, *Bergmannlein*. Idem citat Glossam veterem in Scherzii Glossar. Germ. med. ævi II, p. 2011, *Wichtelein*, *Wichte*, *Schretlein*; *Penates*. Orell.

Ibid., not. *Larvas*... : — *Larvam nuncupant*. Hos, lege :—*Larvam nuncupant*. (Si incertum esset, quid mererentur, dicebantur *Manes*, Vide Augustin. de Civit. Dei, lib. IX, cap. 10 et Nourr., pag. 458.) Hos...

LIBER QUARTUS.

Col. 1005, ad notam *Salutem*, post v. Elmenh., adde :—Livius, lib. X, cap. 1... : *C. Junius Bubulcus... ædem Salutis, quam consul (bello Samnitium) voverat, censor locaverat, dictator dedicavit* (Coss. L. Genucio et Ser. Cornelio, anno U. C. 451). Orell.

Ibid., post notam *Virtutem*, insere sequentem :

Honorem, Virtutem. Livius, lib. XXVII, cap. 25, D (cui Plutarchus suffragatur) auctor est, Marcellum bello Gallico ad Clastidium *Honori* et *Virtuti* vovisse ædem, cujus dedicatio impedita est a Pontificibus, qui negabant, unam cellam amplius quam uni deo rite dedicari. At Valerius Maximus, lib. I, cap. 8, testificatur, memorata illa Pontificum admonitione effectum, *ut Marcellus separatis ædibus Honoris ac Virtutis simulacra statueret.* Utriusque autem templi mentionem fecit Vitruvius, lib. III, cap. 1, et lib. VII, in proœm. nec non Symmachus, qui lib. I, Epist. 14, ad Ausonium hæc scripsit in verba : *Bene ac sapienter majores nostri, ut sunt aliæ ætatis illius, ædes Honori ac Virtuti gemellas junctim locarant, commenti, quod in te vidimus, ibi esse præmia honoris, ubi sunt merita virtutis.* Plinius vero Hist. Nat., lib. XXXV, cap. 10, hanc Honoris et Virtutis ædem a Vespasiano Augusto restitutam fuisse tradidit. Denique ex Livio, lib. XXIX, cap. 11, rursum discimus aliud templum Virtutis a M. Marcello, memorati a nobis Marcelli filio, ad Por-

tam Capenam consecratum. Nourr., pag. 483, seq.

Col. 1007, ad notam, *Pax*, post v. Elmenh., adde : — Discimus præterea ex Suetonio (Vesp. cap. 9) conditum a Vespasiano imperatore templum Pacis foro proximum, cujus Plinius H. N., lib. xii, cap. 19; Xiphilinus, Josephus de Bell. Jud. vii, 24, et alii meminere. Chimenis autem statua, attestante Pausania lib. vi, pag. 179, Romam in *Pacis* templum deportata est. Nourr., pag. 484.

Col. 1008, post lineam ult. insere notulam:

Quod illis adversum est. Est ex editione romana supplevit Canterus. Reliquæ et ed Lug. Bat. non habent. Orell.

Col. 1009, post not. *Luperca*... insere sequentem:

Inquit. Heumannus *inquitis*. Quod hunc locum omnino reponendum videtur. Nec enim heic, ut antea, Arnobius alloquitur adversarios christianæ fidei in genere, sed speciatim Romanos rerum dominos, quorum dea erat Luperca. Orell.

Col. 1013, post not. *Dictusque*... adde sequentem :

Quod ex laterculis crudis, etc. Vide Plin. Hist. Nat., lib. xxxv, cap. 14. Orell.

Ibid., in not. *Quid ergo*... pro v. Herald., insere hæc :—Græci appellabant, ἔστι δὲ αὕτη, ἡ τὴν κάπνην, φασὶν, ἔχουσα, inquit Eustathius, κεραμὶς igitur, sive e testa, sive e laterculis. Nam reapse parum est discriminis. Herald.

Ibid., ad notul. *Coquinas*, post v. Elmenh., adde : — Nonius : *Culinam veteres coquinam dixerint.* Etsi quæ profert ibi exempla, arguere videntur scriptum ab eo *colinam*, non *coquinam*. Herald.

Foculis. Plautus in Persa : *Nam jam intus ventris fumant focula.* Idem Capt. act. iv, scen. ii, vers. 65 :

> Juben' an non jubes astitui aulas ? patinas elui ?
> Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus?

Sed foculus *arula*, qua de re dicebamus antea (ad lib. iii, cap. 24). Herald. et Orell.

Dol. 1014, ad not. *Prægustatoris*..., post v. Orell., adde : — *Prægustator*, qui primitias ciborum delibat. Suetonius Claudio, cap. 44 : *Et veneno quid occisum convenit : quidam tradunt, epulanti in arce cum sacerdotibus per Halotum spadonem prægustatorem* (ubi vid. Burmann. pag. 805. Orell.). Inscriptio vetus :

VOTUM. SILVANO. SOLVIT.
LIBENS. MERITO. T. F.
DIADUMENUS. LURNESIANUS.
PRÆGUSTATOR.
AUGUSTI. Elmenh.

Col. 1016, ante notam *Et quæ*... insere parvulam :

Quia ad nodos. Scribendum cum Meursio *qui ad nodos*. Orell.

Col. 1018, ad notam *Libentinam*... adde :— Nourrius pro *Libentinam* legendum putat *Liberam*, quæ, teste Augustino de Civ. Dei, lib. vii, cap. 2, libidini quoque præposita censebatur. Orell.

Col. 1022, ad notam *Patres*..., adde : — Conf. et Hottinger. V. Cl. ad Epistolæ D. Jacobi cap. i, vers. 17, verba : Ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, p. 31. Orell.

Ibid., ad notam *Quia non*... post final. v. Orell., adde :— Conf. Commentatores doctissimos ad Pictur. Herculan., tom. iii, tab. 39, pag. 178, et seqq. et ad Antiquitt. Herculan. (Bronzi) tom. ii, tab. 94, pag. 382. Orell.

Col. 1024, ante not. *Vel quod*, insere sequentem :

Et invocati ab haruspicibus parent. Jul. Firmicus, lib. ii, Mathes., cap. ult.: *Hæc ratio et haruspices turbat. Quodcumque enim ab iis invocatum fuerit, quia minoris est potestatis, quæ est in imperatore, non poterit explicare substantiam.* Herald.

Col. 1031, ad not. *Jovis quarta*... post v. Orell., adde : — Et hæc Ἱππεία a Cræcis appellatur. Coryphæ autem nomen apud Suidam quoque corruptum : Ἱππεία Ἀθηνᾶ. ταύτην Ποσειδῶνος εἶναί φασι θυγατέρα καὶ Κορύφης (sic enim legendum pro Πολύφης) τῆς

A Ὠκεανοῦ· ἅρμα δὲ πρώτην κατασκευάσασαν διὰ τοῦτο Ἱππείαν κληθῆναι. Meurs., pag. 100. — Vide ibi Kuster., tom. ii, pag. 141. Orell.

Col. 1032, post notam *Aut si*... adde sequentem :

Ut hæsitet religio conturbata. Lectio hæc unice vera debetur Salmasio. Ed. princeps rom. *ut hæc sit et religio conturbata.* Gelen. *ut hæc sit religio*, etc. Orell.

Col. 1034, ad notam *Quorum*... adde :— Cæterum de hoc aliisque Minervæ nominibus apud veteres Ægyptios, Græcos, Etruscos (quibus dicebatur *Tana* et *Menerva*), Romanos etc., eorumque etymo multus est doctissimus Commentator ad Antiquitt. Herculan., tom. vi (Bronzi ii), tab. v, pag. 17, et seq. Orell.

Col. 1039, ad notam *Usu*... post verbo Nourrius., adde : — Ms., *usu farreo.* Stewech. conj. *usu, farreatione*, citans Ulpian. in Fragment. Institut., tit. 8, et Boethium in Topicis. Opp. *diffareatio.* Orell.

Col. 1040, ad notam *Et quod*..., post Herald.,

B adde :—Fr. Modius e libro veteri hanc mihi suppeditavit lectionem : *et quod participes, et quid fescenninorum non essent.* Restituo : *et quod participes æque fescenninorum non essent.* Stewech.

Col. 1046, post not. *Quod flectere*... insere hanc :

Lynceus ille. Lynceus notissimus ex Argonautarum historia. De quo Valerius Flaccus, lib. i, vers. 462 seqq. :

> At frater (Idæ) Lynceus magnos servatur in usus ;
> Quem tulit Arene : possit qui rumpere terras,
> Et Styga transmissa tacitam deprendere visu.

Conf. Orph. Argonaut., vers. 175; Hygin., Fab. xiv; et qui omnia de illo veterum testimonia diligentissime collegit P. Burmann. in Catalogo Argonaut. præmiss. Valerio Flacco. Orell.

Col. 1048, notam *Numquid cupidinis*, med., dele verba bis posita : — Et Tertullianus...... *fulmine judicatum.*

C Col. 1051, not. *Quis ei*..., ad fin. :— Fragmentum, pag. 394 sq. ed. nov. Orell.;—lege : — Fragment., pag. 394, seq. ed. nov. et Bochart. in Hieroz., lib. ii, cap. 19, et cap. 56, ubi ex Plutarcho Quæst. Rom. 111, docet, Spartanos etiam Carum exemplum imitatos, quinimmo omnes Græcos canem immolasse in sacris expiatoriis, et teste Plinio, Hist. Nat. lib. xxix, cap. 4. Romæ etiam Lupercos mactare canem mense Februario, qui a *februando* seu purgando dictus est, pag. 798 ed. Rosenmuller. Orell.

Col. 1055, post notam *Arsinoa*... insere sequentem :

Inconsulti pectoris appetisse fervoribus. Hoc ait, quia *consultus* dicitur Apollo, σύμβουλος, ut eum appellat Clemens Alexandrinus hoc ipso loco, quem Arnobius expressit. Herald.

Ibid., ad notam *Jupiter*..., pro v. final. Orell., adde : — Cæterum de Jovis amoribus vide elegantissimum locum Ovidii Met. vi, 102–114, ibique Gierig. Orell.— De iisdem cecinit etiam Gregorius Nazianzenus, tom. ii, carm. 61, pag. 152. (Bill.) :

D

> Ἄθρει δὴ πρώτιστον, ὅσ᾽ ἔπλετο μαργοσύνῃσι,
> Ταῦρος, κύκνος, χρυσός, ὄφις, πόσις, ἄρκτος, ἅπαντα
> Ὅσσα μιν ὠκὺς ἄνωγεν ἔρως, κοῦρός τ᾽ ἀλαπαδνός.
> Ὡς αὐτοί γ᾽ ἐνέπουσι θεῶν πλαστῆρες ἀοιδῶν.

Nourr., *pag.* 395.

Col. 1056, post notam *Modo in*... adde sequentem :

In satyrum ludricrum. Cum Antiopa scil., Nyctei filia, rem habens, ex qua nati sunt gemini Amphion et Zethus. Ovidius Met. vi, vers. 110. seq. :

> Addidit ut Satyri celatus imagine pulchram,
> Jupiter implerit gemino Nycteïda fœtu.

Conf. Hygin., fab. viii; Apollodor., iii, cap. 5; Schol. Apollon. Rhod. iv, 1090; Lutat., ad Stat. Theb. ix, 423. Orell.

Col. 1057, ad notam *Hercules*..., post verb. Orell.,

adde : — Varronis verba sunt l. l. : *Ælius Gallus Dium fidium dicebat Diovis filium, Διόσκουρον Castorem, et putabat hunc esse Sanctum ab Sabina lingua, et Herculem a Græca.* MEURS., pag. 136.

Ibid., ad not. *Hylam*..., post finale verbum. ORELL., adde : — De Hyla vid. Valer. Flacc. III, 530 et seqq. Hyginus, fab. 270. Prudentius lib. I, contra Symmachum. ELMENH.

Col. 1059, ad notam *Matrem*..., pro v. ORELL., adde : — Conf. imprimis doctiss. Creutzer. in l. t. *Symbolik und Mythologie*, tom. II, pag. 319, seqq.; et tom. III, pag. 566 et seqq. ORELL.

Col. 1063, post not. *Specioso*..., insere sequentes : XXX. — *Vel operulam. Operula* rarior forma diminutivi pro *opella*. Habet tamen et Apuleius Metam. lib. I, pag. 105, ed. Elmenh. : *Operulas etiam (in eam contuli), quas adhuc vegetus sagariam faciens merebam.* Ubi vid. Elmenhorst. in Ind., et Gesner. in Thesauro h. v. ORELL.

Magis.... ignominiosius. Duplex comparativus more Arnobii : et *ignominiose*, pro quo probatæ latinitatis scriptores dixerunt *cum ignominia*, adverbium est cadentis latinitatis. Eutropius, lib. IV, cap. 24 et 26, *ignominiose pugnavit;* et Orosius lib. VII, cap. 7 (de Nerone), *ignominiosissime fugiens.* Vid. Cellar. Cur. posterior. de Barbarism. ling. lat. pag. 146, et in Ind. ad Eutropium. ORELL.

Col. 1070, not. *Majestatis*..., init. : — revocavit. Antea legabatur :—lege : — revocavit. Idem, *obministraverit* ex ms. male. Antea legebatur.

Ibid., ead. not., post verb. final. ELMENH., adde : — Hanc legem postea Theodosius Magnus mitigavit. Videsis in Justinianeo Cod. lib. I, tit. 7 et 8 ; et Theodosiano (tom. III, pag. 41) Codice leges de maledictis in principem, et quæ in eas Gothofredus animadvertit. NOURR., pag. 433.

Ibid., ante notam *Senatorem*... insere sequentem : *Magistratum in ordinem redigere.* Alii dicunt eodem sensu *in ordinem cogere* (i. e. auctoritatem vel dignitatem ejus minuere, *demüthigen, herabsetzen.* ORELL.) Livius, lib. XXV, cap. 4 : *Posthumium concilium plebis sustulisse, tribunos in ordinem coegisse;* et lib. XLIII : *Eo facto avocatam a se concionem Tribunus questus et in ordinem se coactum, abiit.* Conf. Plin. lib. I, epist. XXVIII (GUIL. RONCHINUS, *Var. Lectt., lib. I, cap. 12, in I Herrm. Schminkii Syntagmate Critico Var. Auctorum. Marburg.*, 1717, *edito, pag.* 23). — Conf. Doering. ad Liv., lib. VI, cap. 38, pag. 93. ORELL.

Col. 1072, post notam *Quindecim*... insere sequentem :

Nec non et castæ virgines, etc. Prudentius libro contra Symmachum posteriore :

Inde ad consessum caveæ pudor almus..... HERALD.

Quem locum supra citavimus in hac Appendice. ORELL.

Col. 1074, ad notam *Ab officiis*..., pro v. final. ORELL., adde : — Sensu malo pro nota criminis *elogium* frequentissime occurrit apud scriptores ecclesiasticos. Tertullianus de Coron. Milit., cap. 5 : *Elogium sacrilegii;* Apolog. cap. 24 : *Irreligiositatis elogium;* de Monogam., cap. 9 : *Adulterii elogium.* Hieronym. Epist. Select. (a Canisio ed.) I, 8 : *Maledicti hominis distulerat elogium.* Glossator apud Barth. Adversar., lib. XXXVII, cap. 12 : *Elogium.... textus gestorum malorum cum ignominia.* Conf. Casaubon. ad Vulcat. Gallic. Hist. August., tom. I, p. 470, et imprimis Munker. et van Staveren ad Fulgent. Mytholog., lib. I, cap. 1, pag. 623, nec non Perizon. ad Ælian., lib. XIV, Var. Hist., cap. 43. ORELL.

Col. 1076, ad notam *Cur immaniter*..., post v. HERALD., adde : — De conventionibus hisce christianorum antelucanis lectu dignissima est Plinii junioris epistola ad Trajanum lib. X, ep. 97, cujus meminere Orosius lib. VII, Tertulianus in Apologetico et Euse-
A bius in Chronicis. Quinimmo et hæreticis quoque omnibus ab Arcadio et Honorio Augustis memini interdictum *ad litaniam faciendam noctu vel die profanis coire conventionibus.* Ex qua constitutione liquet, Plinium prædicta sua epistola his verbis *carmenque Christo quasi Deo dicere* non aliud quam λιτανείας et supplicationes christianorum publicas designasse. Pertinet ad Plinii epistolam, quemadmodum ad constitutionem imperialem, lex antiqua in XII tabulis : NE QUIS IN URBE COETUS NOCTURNOS AGITET. Meminit Porcius Latro Oratione in Catilinam, neque abs re fuit, quod veteres *noctem intempestivam* appellarint, ut notat Varro ex Bruto et Ælio, lib. V de Ling. lat., eo quod tunc tempus agendi nullum ; idemque notavit Censorinus, libro de Die natali, cap. 10. STEWECH.

Col. 1077, ad notam *Et cum*..., post v. ORELL., adde : — Solens id christianis, ut libenter audirent seu dicerentur *fratres.* Testes B. Pauli et aliorum
B Epistolæ; item Minucius Felix in Octavio, ubi inter alia : *Ac se promiscue appellant fratres et sorores.* STEWECH. — Arnobius junior in Psalm. CXXXII : *Modo dicite mihi, quid convenistis in unum vos, qui fratres nominamini, aut unde estis omnes fratres? ostendite. De uno, inquit, patre Christo, et de una matre Ecclesia.* ELMENH. — Conf. et Tertullian. Apologet., cap. XXXIX, pag. 324, ed. Havercamp. ORELL.

Col. 1078, ante not. *Et propter*... insere sequent. : *Propter præsules non probatos. Præsul* proprie dicebatur apud Romanos princeps Saliorum, ὁ ἐξάρχων τοῦ ὀρχεῖσθαι, ad quem pertinebat cura carminum Saliarium et axamentorum. Vide Turneb. Adversar. lib. XIX, cap. 10, et imprimis Casaubon., et Salmas. ad I Capitolin. Antonin. Philos., cap. 4 Hist. August., tom. I, pag. 302. Hoc loco autem in genere accipiendum pro *præsultor* sive, ut glossæ veteres vocant, *prosaltor.* Respicit enim Arnobius procul dubio ad historiam illam, quam narrat infra
C lib. VII, cap. (nostræ editionis) 36, de servo a domino suo virgis per circum agitato. ORELL.

Ibid., post notulam *Corrupisse*, insere sequentem : *Auras temporum.* Monstrum ! Lego : *auras ventorum.* MEURS. pag. 143. — Mihi præferenda videtur vulgata lectio. *Auras temporum* dicit Arnobius ventos per vices temporarias, i. e. quatuor anni tempestates terram perflantes. ORELL.

LIBER QUINTUS.

Col. 1081, ad notam *Egeriæ*.... adde sequentem : *Egeriæ monitu.* Augustinus, lib. VII de Civ. Dei, cap. 35, narrat Numam hydromantiæ usum, testemque citat Varronem, a quo ille dicitur Nympham Egeriam duxisse uxorem, quia aquam, unde hydromantiam faceret, egesserat, seu exportaverat. Valerius autem Maximus, lib I, cap. 2; Florus, lib. I, cap. 2; Aurelius Victor, de Vir. illustr., cap. 2; Dionysius Halicarnasseus, Antiquitt. lib. II, pag. 122, aliique tradunt, eum simulasse se omnia facere
D uxoris suæ Egeriæ monitu et consiliis. NOURR., p. 463.

Col. 1082, post notam *Sed cum*... insere sequent. *Aviditer.* Ἀρχαϊκῶς. Ita *duriter* ap. Terent. Andr. act. II, scen. I, vs. 47; *blanditer*, Plaut. Asin. act. I, scen. 3, vs. 69; *præclariter*, Quadrigar. Fragm. Annal.; *Et ita rebus præclariter gestis domum revertemur : duriter*, Catull., carm. LXXV, 19, ubi vid. Vulp., pag. 441. ORELL.

Ibid., ad notam *Injecisse*..., pro v. ORELL., adde : — Conf. et Broukhus. ad Tibull. I, Eleg. II, vs. 45, p. 45. ORELL.

Col. 1083, not. *Expiabis*...:—editor Lugd. Bat. *Fulgurita.*—lege : —editor Lugd. Bat. (Ita *cresse, cesse,* pro *crevisse, cessisse*, ap. Lucret. III, 683, et I, 1104. Ita *divisse, produxe, promisse, sumpse, consumpse.* Vid. Auson. Popm. de usu antiquæ locut., lib. I, cap. 12, p. 770, ed. Messerschmid. Et fortassis sic scripsit Valerius Antias, e quo Arnobius sua hausit.) *Fulgurita,*

Col. 1085, ad not. *Et sacrorum*, pro v. fin. ORELL., adde : — In primis familiaris hic usus scriptoribus ecclesiasticis. Vide Munker. ad Fulgent. Mythol., lib. II, c. 6, pag. 674, ed. van Staveren. ORELL. A

Col. 1087, ad not. *Puerilium*..., pro v. fin. ORELL., adde : — Pro *in promptu est*. Stewechius mavult *in promptum est*, more antiquorum. ORELL.

Col. 1090, post not. *Mugitibus*... insere sequentem :

Materno ab nomine cognominatus Acdestis. Nempe ab Agdo petra, in quam libidinem suam Jupiter fudit. At vero ipsam deorum matrem apud Phrygas *Agdistin* fuisse appellatam testis est Strabo, lib. XII, pag. 567 (Casaub.) : Πεσσινοῦς δ' ἐστὶν ἐμπορεῖον τῶν ταύτῃ μεγίστων, ἱερὸν ἔχον τῆς μητρὸς τῶν θεῶν σεβασμοῦ μεγάλου τυγχάνον. καλοῦσι δ' αὐτὴν Ἀγγιδίστην (sic. leg. Ἀγδίστιν). Οἱ δ' ἱερεῖς τὸ παλαιὸν δυνάσται τινὲς ἦσαν, ἱερωσύνην καρπούμενοι μεγάλην· νυνὶ δὲ τούτων μὲν αἱ τιμαὶ πολὺ μεμείωνται· τὸ δ' ἐμπορεῖον συμμένει, etc., cum quo consentit etiam Hesychius : Ἀγδίστης... ἡ αὐτὴ τῇ μητρὶ τῶν θεῶν. Ubi vide interpp. pag. 39, ed. Alberti et Nonnus ad Gregor. Nazian. Στηλιτ. I, 59 : Ἡ παρὰ Φρυξὶ μήτηρ τῶν θεῶν ἀπετμήθη παρὰ τῶν Κορυβάντων τὴν κύστιν διὰ τὰς πολλὰς αὐτῆς πορνείας. Nec abludit Pausanias Achaic. vel lib. VII, cap. 17. Cujus verba integra quidem, sed tribus locis dispersa, dedimus p. 273, 275 et 279 (coll. 1090-92-95), licet non expressis verbis dicat, Agdestin eamdem fuisse cum deorum Matre. Alium itaque fabulæ fundum sequitur Arnobius noster. Cæt. vid. Creutzer. V. Cl. *Symbolik und Mythologie*, tom. II, pag. 37, et seqq.; et in primis qui omnia veterum testimonia et antiquitatis monumenta de Matre deorum ejusque cultu doctissime illustravit Zœga in l. t. *Li Bassirilievi antichi di Roma* tom. I, not. ad Tab. XIII, p. 100, et seqq. ORELL. B

Col. 1091, ad notam *Exhalata*..., post v. ORELL., adde : — Corrigo : *Exultans ille vehementi corripit*, etc., vel etiam : *Excitatus ille*, etc. Nam *ci* facile potuit in *a* migrare et *l* ex *t* duplicato nasci. MEURS., pag. 153. — At unice vera Scaligeri emendatio.

Col. 1092, ad notam *Repertum*..., pro verb. fin. ORELL., adde : — Bochartus in Hierozoico, lib. II, cap. 53, legendum censet : *Repertum nescio quis formis lactis alit hirquini*, id est caseis, ubi Rosenmullerus, tom. I, pag. 741, in nota citat Menagii Gall. Orig. in voce *Fromage*. Idem Bochartus nomen *Attidis* derivat ab Hebraico עתוד *athoud*. ORELL. C

Col. 1093, ad notam *Vel quia*..., post v. Ἀδαγοούς, adde : — Conf. Iablonski de lingua Lycaonica, p. 64, ed. Te Water. ORELL.

Ibid., post notam *Et qua*... insere sequentem :

Et ab eo donis sylvestribus honorari. Proprio et accurate. Dona enim honoris signum. Eleganter Philosophus, lib. I Rhetor., cap. 5 : Δῶρα παρ' ἑκάστοις τίμια· καὶ γὰρ τὸ δῶρόν ἐστι κτήματος δόσις, καὶ τιμῆς σημεῖον· διὸ καὶ οἱ φιλοχρήματοι, καὶ οἱ φιλότιμοι ἐφίενται αὐτῶν· ἀμφοτέροις γὰρ ἔχει ὧν δέονται· καὶ γὰρ κτῆμά ἐστιν, οὗ ἐφίενται οἱ φιλοχρήματοι· καὶ τιμὴν ἔχει, οὗ οἱ φιλότιμοι. HERALD.

Col. 1094, ad not. *Ac ne scævus*, pro v. fin. ORELL., adde : — Sic Orosius, Hist., lib. IV, cap. 6 : *Sicut etiam inter nos sæpe inimicorum oculis videri solet, eos quos exsecrantur, nihil non pravum, nihil non turpe, nihil non subscævum* (ita enim cum Havercampo legendum pro *subsicivum*), *nihil non in vulnus suum dicto factove agere*, ubi vid. Havercamp., p. 231. ORELL. D

Ibid., post notam *Fecit*..., adde sequentem :

Quod esse turritum ratione ab hac cœpit. De Matre deorum turrita locus classicus est apud Lucretium, lib. II, vers 599 et seq. :

Quare magna Deum mater, materque ferarum
Et nostri genetrix hæc dicta est corporis una.
Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ
Sublimem in curru bijugos agitare leones
. . . .
. . . .
Muralique caput summum cinxere corona,
Eximiis munita locis quod sustinet urbeis.

Conf. Phurnut. de Natur. deor., cap. 6, et qui rem doctissime illustrat Zœga in *Bassirilievi antichi* tom I, p. 93. et seq. ORELL.

Col. 1095, ad notam *Rapit*..., pro v. ORELL., adde : — Fistulas, tibias aliaque id genus instrumenta cum cymbalis et tympanis usitatissima fuisse in sacris Cybeles, pluribus docet Zœga l. l. tom I, pag. 104. ORELL.

Col. 1097, ad notam *Pausatæ*..., pro v. ORELL., adde : — Heumannus in margine explicat : *terræ ita infixæ ut staret firmiter*. ORELL.

Ibid., ad notam *Digitorum*..., pro v. ORELL., adde : — Talium superlativorum insolentiorum, v. c. *assiduissimus* (Sueton. Octav. cap. 71), *parissimus* (Plaut. Curcul., act. IV, scen. II), *noxiissimus* (Senec. de Clement. I, 26), *celerissimus* (Ennii ap. Priscianum), *egregiissimus* (ap. Pacuvium), *postremissimus*, *piissimus*, *crebrissimus*, nec non et comparativorum, *idoneior*, *Pœnior*, *Neronior*, *necessarior*, *tenuior*, *extremior*, *noxior*, etc., plura exempla collegit Phil. Carolus in Animadvv. ad Agell. lib. II, cap. 30, pag. 178 et seq. ORELL.

Col. 1099, ad notam *Pausam*... post v. ELMENH., adde : — Conf. Cellar. de Barbarism. *ling*. lat. pag. 252. ORELL.

Col. 1106, ad not. *Idcirco*..., pro v. ORELL., adde : — « *Sufficere*, *officere*, *inficere*, *conficere* (inquit Salmasius in epistola CVIII ad. I. Fr. Gronov. Epist. posthum. pag. 24) tinctorum sunt verba, in diverso tamen tincturæ genere et gradu, quæ omnia minutissima ad Arnobium dispunximus. » Cum vero commentarii viri doctissimi lucem hactenus non viderint, nos pro virili ea explicare tentabimus. *Inficere* itaque est generale verbum, cum pannum tingimus in colorem quemcumque. *Sufficere*, ut supra explicuimus, est substernere colorem, cui alius deinde inducitur, quemadmodum v. c. albi panni rubro colore inducendi prius tinguntur cæruleo, ut rubens color eo firmius inhæreat. *Conficere* videtur esse pannum duobus vel pluribus inducere coloribus, ita ut omnes simul in superficie compareant (*meliert*, *mélange*). *Officere* contra pannum duobus simul coloribus ita inducere, ut, prout vel ad solem vel ad umbram spectes, unus alterum obscuret (*Schillerfarbe*). ORELL.

Ibid., ad notam *Quod ex*..., pro v. ORELL., adde : — Bochartus in Hierozoic. P. II. Lib. IV, cap. 12, legit *ex sanguine saporato*, docens hac occasione, *saporatum* pro *condito* præter nostrum dixisse etiam Tertullianum et Ammianum Marcellinum, nullum vero Augustei ævi scriptorem. ORELL.

Col. 1110, post not. *Priusquam*... insere sequentem :

Lavit utique balsamis atque unxit. Meursius, pag. 161, mavult : *lavit utique atque balsamis unxit*. Sed talis particularum trajectio familiaris Arnobio. ORELL.

Col. 1112, ad not. *Quid enim*..., pro v. fin. ORELL., adde : — Conf. quos citat doctissimus Zœga in *Li Bassirilievi antichi*, tom. I, pag. 102. Not. No. 117. ORELL.

Col. 1114, ante not. *Cur more*... insere sequent. :

Quo se numen ab Cereris fruge. Scribo : *quo se numen Cereris ab fruge*. MEURS. *p*. 162.

Col. 1115, ad not. *Faunam*..., post v. fin. ORELL. adde : — Macrobius, lib. I Saturnal., cap. 12, hæc paulo enodatius Arnobio, non aliquo tamen sine discrimine, huncque in modum retulit. Fauna, inquit, et Fatua a quibusdam, ac potissimum Cornelio Labeone, et in Pontificum libris eadem dicitur atque Maia, Bona Dea, Ops, Terra et Magna Mater, cui mense Maio ipsis hujusce mensis kalendis res divina agitur, ab aliis tamen eadem ac Fauni filia censetur, quæ cum patris sui a quo perdite amabatur, voluntati obstitisset, virga myrtea ab illo verberata est. Tum ille addit : *Horum omnium hoc proferunt indicii, quod virgam myrteam in templo haberi nefas sit; quod super caput ejus extendatur vitis, qua maxime eam pater ejus decipere tentavit; quod vinum in templum ejus non suo nomine soleat inferri, sed vas, in quo vinum inditum sit, mellarium nominetur, et vinum lac nuncupetur, ser-*

pentesque in templo ejus nec timentes appareant. Nourr., pag. 466. — Conf. Gierig. ad Ovid. Fast. v, vers 148, et in Ind. v. *Bona Dea*, et doctiss. Creutzer. in *Symbolik und Mythologie*, tom. ii, pag. 488. Orell.

Col. 1117, ad notam *Quem cum*..., post v. Elmenh. adde : — Eamdem fabulam turpem elegantissimis versibus enarrat Ovidius, Fast. vi, 627—636; ubi vid. Gierig. p. 358. Orell. — Confer. Plinius, lib. xxxvi, cap. 27. Meurs., pag. 164.

Col. 1118, ad not. *Quibus* .., post v. Orell. adde : — De his Omaphagiis et Ophiophagiis multus est doctissimus Visconti in l. t. *Museo Chiaramonte*, tom. i, pag. 96, docens, cum antiquitus in memoriam Penthei dilacerati a Mænadibus Baccho humanis capitibus litatum fuisset, postea, cum abolitum esset immane hoc sacrificium, institutum fuisse, ut Bacchi Mystæ statis diebus in ejus memoriam carnibus juvencorum crudis vescerentur, citansque elegantissimos Catulli versus, Carm. lxiv de Nupt. Pelei et Thetid., vers. 255 et seqq. :

Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
Evoe bacchantes, Evoe capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos :
Pars e divulso raptabant membra juvenco :
Pars sese tortis serpentibus incingebant;
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia quæ frustra cupiunt audire profani.

Conf. Senec., Phœniss., vers. 365; Troad., v. 674. Nec minus docte rem illustrat Creutzerus, v. cl. in *Symbolik und Mythologie*, tom. iii, p. 341. Orell.

Col. 1121, post not. *Invocatus*.... insere sequent. :

Grassatores. Gloss. :... *grassator... qui cædem molitur vel ex lubidine vel propter præmia.* Sic scil. dicebatur apud Romanos genus latronum, quod in urbe vicos obsidebat et obvios injuriæ opportunos verberabat, spoliabat et morte territabat. *Banditen*, *Strassenrauber.* Cicero, de Fato, cap. 15 : *Hoc enim modo viator quoque bene vestitus causa grassatori fuisse diceretur, cur ab eo spoliaretur* ; et Petron., Satyr., c. 82 : *Notavit me miles, sive ille planus fuit, sive nocturnus grassator.* Ubi vide intpp. p. 406, ed. Burm. i Conf. Torrent. et Casaubon. ad Sueton., August., cap. 32, et Ernesti Clav. Cic. h. v. Hoc loco autem Arnobius *grassatores* in genere dixisse videtur pro maleficis, *Frevler*, *Bosewichte.* Orell.

Ibid., not. *Cujus rei*..., med. :— Bacchæ gerebant. nam sacra ; — lege : — Bacchæ gerebant. (Vid. Comment. ad Pict. Herculan., tom. iii, tab. xxxviii, p. 190.) Nam sacra.

Col. 1124, post notam *Bene grandibus*... insere sequentem :

In gremium projicit et jacit hos ejus..Verba *et jacit* mihi delenda videntur tamquam glossema. At tale quid fortassis ferendum in Arnobio. Orell.

Col. 1125, ad notam *Quibus*..., post v. Orell., adde sequentia : — Inscriptio vetus :

SI. METIUS. ZETUS.	IOVI. SEBAZ.
IOVI. SEBAZIO.	Q. NUNNIUS.
D. L. D.	ALEXANDER.
	V. S. L. M.

Elmenh. — A pluribus annotatum fuit, Bacchum vocari *Sabasium* ac mysteria ejus *Sabasia.* Apud Ciceronem quippe (de Nat. deor., iii, 23) scriptum legimus : *Tertium Dionysium* (seu Bacchum) *Caprio patre natum eumque regem Asiæ præfuisse dicunt*, *cujus Sabasia sunt instituta.* Scribit etiam Diodorus Siculus (lib. iv, cap. 4) alterum proferri Dionysium sive Bacchum Jove et Proserpina ortum, τὸν ὑπό τινων Σαβάζιον ὀνομαζόμενον, οὗ τήν τε γένεσιν καὶ τὰς θυσίας καὶ τιμὰς νυκτερινὰς καὶ κρυφίους παρεισάγουσι, διὰ τὴν αἰσχύνην ἐκ τῆς συνουσίας ἐπακολουθοῦσαν· λέγουσι δὲ αὐτὸν ἀγχινοίᾳ διενεγκεῖν καὶ πρῶτον ἐπιχειρῆσαι βοῦς ζευγνύειν, καὶ διὰ τούτων τὸν σπόρον τῶν καρπῶν A ἐπιτελεῖν, ἀφ' οὗ δὴ καὶ κερατίαν αὐτὸν παρεισάγουσι. (Vid. Pict. Herculan. v. tab. v. Orell.) Unde rursus Cicero (de Legib. ii, 18) : *Novos vero deos, et in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes, facetissimus poeta veteris comœdiæ, vexat, ut apud eum Sabazius et quidam alii dii peregrini judicati, e civitate ejiciantur.* Denique, ut Strabonem aliosque missos faciamus, Suidas v. Σεβάσιος aperte declarat. Sebasium eumdem esse ac Dionysium seu Bacchum. Cur ergo, inquies, ipsa quoque mysteria, quibus Jupiter in primis colebatur. *Sabasia* vel *Sebasia* appellantur ? Numquid idcirco, quia Jovi etiam Sabasio cognomen fuit. Nam Gruterus varias exhibet inscriptiones : Jovi Sabasio. At nonnulli, quemadmodum Vossius lib. ii de Orig. Idolol., cap. 14, existimant, Jovem eumdem esse, ac Bacchum seu Liberum. Quid ergo mirum, si turpissima illa mysteria, quibus duplex Jovis adulterium celebrabatur, Sabasia vocarentur ? Huc illud accedit, quod in his mysteriis, uti Clemens Alexandri- B nus annotavit, Corybantum et Bacchi mentio fieret. Nourr., pag. 469. — Juvat hanc in rem afferre verba doctissimi Gœrenzi, ad Cic. de Leg. I. l., p. 159. « De hoc deo, scribit ille, nondum satis quæsitum est. Quæ enim de eo ejusque cultu in veteribus passim leguntur, velut disjecta membra in unum corpus componentis manum non sine maturo judicio desiderant. Hujus dei cultus et a Phrygibus et a Thracibus (Vid. Schol. ad Aristophan. Vesp. vs. 9. Orell.) origo et a Caprio rege, et a Jove repetitur. Nomine autem vel Jupiter dicitur, vel Iacchus ; nam hos diversos statuere, rem accuratius ponderanti, non licet. *Sabazii* denique cognomen item modo a Thracibus, modo a Phrygibus manasse traditur, apud quos σαβάζειν idem cum εὐάζειν esse haud parvo numero grammatici et scholiastæ perhibent. Vix tamen dubium est, a Phrygibus ad Thraces hujus dei sacra transisse. Diversa autem ejus origo et nomen inde esse videtur, quod Græci Romanique, qui peregrinis diis suorum nomina aptare solent, in hoc deo et C Jovis et Bacchi attributa cum deprehendissent, tum hoc, tum illo nomine eum appellarunt. » Hæc Gœrenzius. Conf. Comment. ad Pict. Herculan., tom. iii, tab. xxxviii, pag. 190, et qui doctissime rem illustrat Creutzer. v. cl. in l. t. *Symbolick und Mythologie*, tom. iii, pag. 360 et seqq. Orell.

Col. 1126, post not. *Quod genus*... insere sequent. :

Luteamque personam. Id est vilissimam et nullius pretii. Plautus, Truculent., act. iv, scen. 4, 1 : *Blitea et lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam.* Idem in Pœnulo, act. iv, scen. ii, 3 :

Neque perjurior neque pejor alter est usquam gentium,
Quam herus meus est, neque tam luteus, neque tam cœno [collitus.

Cicero in Verrem iii, cap. 14: *Deinde in hoc homo luteus etiam callidus ac veterator esse vult.* Ubi vid. Hotomann. p. 28. ed. Græv. Elmenh. et Orell.

Col. 1129, notam *Pervigilia*..., init. ; *Nam privilegium* — lege : — Nam *pervigilium.*

D Ibid., ead. not., post med. : — Novimum — lege : — Novimus.

Col. 1133, ad not. *Ludibriorum*..., post v. Orell., adde : — Inde etiam *Miraculæ* meretrices apud Plautum Nervolaria :

Diabolares, schœnicultæ, miraculæ. Meurs. p. 168.

Col. 1137, post not. *Jejunavi*.... insere sequent. :

Jejunavi. Jejunare qui extra Ecclesiam dixerint, non apparet. Tertullianus de Jejun., cap. 2: *Indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ.* Hieronymus, epist. xxii, c. 13 : *Lecturus Tullium jejunabam.* Prudentius Hymn. jejunantium vers. 177 :

Pridem caducis cum gravatus artubus
Jesus dicato corde jejunaverit.

Licet enim Arnobius h. l. hoc verbum ad Eleusinia

sacra transferat, per id tamen e censu ecclesiasticorum vocabulorum non eximendum, quia ille, utpote homo christianus, græca verba græcanici ritus ex suo ingenio latine vertit. Pro hoc verbo Cornelius Nepos Attic. cap. 22, eleganter dixit *cibo se abstinere.* Cellar., *Antibarbar.* pag. 47 *et Cur. poster.* pag. 266.

Ex cista sumpsi. De cista mystica sive arcula, quæ in sacris Eleusiniis circumferebatur a Cistophoris et in qua præter alias res frivolas nemini nisi initiatis usurpandas præcipue reconditus erat phallus, cui accinebant religiosi τὸ φαλλικόν; vide Spanhem. ad Callim. Hymn. in Cerer., vers. 3; Wesseling., ad Diodor. Sic. i, 22; Ernest. Clav. Cic v, Cistophorus; Doering., ad Catull., carm. lxiv, vers. 260; Comment. ad Pict. Herculan., tom. ii, tab. xxviii, pag. 270; et Visconti, in l. l. *Museo Chiaramonte*, tom. i, tab. xxxiv, pag. 83. Orell.

In calathum misi. De calatho in Cereris Eleusiniæ festo a nobilissimis virginibus in capite gestato videsis Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Cerer., vers. 1, pag. 735 seq. ed. Ernesti, ubi ejus iconem nitidissime ære excusam conspicimus, et Comment. ad Pict. Herculan. l. l. Cæterum, ut vel ex hoc Arnobii loco liquet, *calathus* ille minime confundendus cum cista mystica. Calathus enim non ἐν ἀποῤῥήτοις. Orell.

Col. 1141, ad notam *Prosumnus...*, pro v. Orell., adde: — Conf. Verheyk. ad Anton. Liberal., cap. 41, pag. 282 et *Creutzer Symbolik.* tom. iv, pag. 43. Orell.

Col. 1144, ad notam *Heraclito...*, post v. Orell., adde: — Heraclitos quinque Laertius recenset lib. ix, quibus tres alios addidit Menagius. Quæ autem ex Heraclito auctor noster retulit de Liberi et Prosumni fabula, magis convenire videntur aut Heraclito Allegoriarum Homericarum auctori, aut Heraclito poetæ lyrico, qui duo decim deorum laudes decantaverat. Nourr. pag. 543.

Col. 1143, post notulam *Vel nominis...* insere sequentem:

Cum suis virginibus.... patres. Virginibus pro *filiabus*, ut ap. Cornel. Nep. Epaminond., cap. 3: *Nam cum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus, aut virgo amici nubilis propter paupertatem collocari non posset, amicorum concilium habebat*, etc. Orell.

Col. 1154, ad notam *Nebridarum...*, pro verbo finali Orell., adde: — Νεβρίς, Baccharum insigne. Seneca Œdip. 435:

Nunc Cadmeas
Inter matres impia Mænas
Comes Ogygio venit Iaccho
Nebride sacra præcincta latus.

(Ubi vid. Delrio p. 109.) Sidonius Epithal. Ruric. Præfat. vs. 15:

Alcides clava, Mavors tum lusit in hasta,
Arcas tum virga, Nebride tum Bromius.

Vid. Pict. Herculan., tom. iii, tab. xxxvii, ubi Mænas nebride induta, ibique Commentatores doctissimos, pag. 183, seq. Orell.

Col. 1155, ad notam *Atque scaturiginem...*, post v. Orell., adde: — Sic Prudentius περὶ στέφαν.

Ipse rumpatur locus,
Scaturientis perdat ut loquacitas
Sermonis auras. Elmenh.

Col. 1160, ad nat. ult. pro v. Orell., adde: — Pro *sed oratio sordida est.* Vet. edd. habent: *Et oratio sordida sit;* quod Heumannus correxit: *Et oratio sordida fit.* Optime. Orell.

LIBER SEXTUS.

Col. 1161, ad notam *Crimen...*, pro verbo Orell., adde: — Valesius tamen et Gronovius ad Ammian. Marc., lib. xiv, cap. 1, præferunt *affigere*, quod scriptoribus ecclesiasticis, Hieronymo, Facundo, Bœthio, etc., frequentatissimum. Sic etiam Macrobius, lib. vii Saturn., cap. 2, dicit a censoribus *notas alicui affigi* vel *affixas* esse. Orell.

Col. 1163, post not. *Inoffensæ...* insere sequent.:

Non prodigiosas ostentare formidines. Nihil poterat expressius dici. Sic enim prodigia et ostenta simul complectitur. Et ait *prodigiosas formidines*, quia ostenta et monstra nuntiantur numquam aut offeruntur, quin inde hominum animis formido illabatur. Atque ita res est, ut quamvis portenta non sint perpetuo male signata, pestem tamen et calamitatem sæpius portendere videantur. Cedrenus: Λέγεται δὲ σημαίνειν μὴ ἀγαθὰ ταῖς πόλεσιν, ἐν αἷς γίνεται ταῦτα. Herald.

Col. 1170, post not. *Hoc est...* insere sequentem:

Non partiliter uspiam. Glossæ Isidori: *Partiliter... divise, per partes, distribute.* Sic Firmicus, Astron., lib. ii, cap. 18, *partiliter exposita;* et Fulgentius, Mythol., lib. iii, cap. 2: *Melius est enim labore partiliter securiore doceri, quam ex necessitate veniente repentaliter perterreri*, ubi vid. Munker., pag. 707, ed. van Straveren. Sic et *partile* pro divisibili posterior ætas posuit. Claudian. Mamert. de Statu anim., lib. i, cap. 18: *Tunc localem mihi eamdem vel partilem persuadebis*, ubi vid. C. Barth. in Ind. Orell.

Ibid., not. *Non cœnatum...*: Scholiastes Θηριακοῖς addit: — l. — Scholiastes Θηριακοῖς vs. 612, addit.

Col. 1172, ad notam *Tholis...*, pro v. Orell. adde: — Hesychius: Θόλος... κυρίως μὲν καμάρα, καταχρηστικῶς δὲ οἶκος εἰς ὀξὺ ἀπολήγουσαν ἔχων τὴν στέγην κατεσκευασμένος. Videtur itaque *tholi* usus et significatio antiquissima fuisse de tecto rotundo imposito et sustentato a columnis (*la cuppola*, ut bene interpretantur Commentatores doctissimi ad Pict. Herculan., tom. iii, tab. lx, pag. 315, et tom. i, tab. xliv, pag. 231). Servius ad Æn. ix, vs. 408: *Tholus, inquit, proprie est veluti scutum breve, quod in medio tecto est, in quo trabes coeunt: ad quod dona suspendi consueverunt. Alii tholum ædium sacrarum dicunt genus fabricæ Vestæ et Panthei simile. Ædes autem rotundas tribus diis dicunt fieri debere, Vestæ, Dianæ, Herculi vel Mercurio.* Postea vero *tholi* videntur appellati fuisse tecta templorum fastigiata, sive illa rotunda sive quadrata essent. Nec vero templorum solummodo, sed aliorum etiam ædificiorum, v. c. balnearum, erant tholi. Vid. Vales. ad Ammian. Marcellin., xxviii, cap. 4, tom. iii, pag. 241, ed. Wagner.; et in primis qui de h. v. doctissime disputat, Schneider. V. S. ad Vitruv., lib. iv, cap. 8, pag. 294 et seqq. Orell.

Col. 1184, ante not. *Si simulacra...*, ad not. præced., pro v. Orell., adde: — Aliam loci hujus obscurissimi explicationem attulit Ian. Broukhusius ad Tibull. l. ii, eleg. 1, v. 55, pag. 219 et seq.: « Alludit (inquit ille) Arnobius ad fabulam, qua Bacchus cum gigantibus decertasse perhibetur leonis specie indutа, eosque unguibus ac dentibus discerpsit. Vid. Horat., lib. ii, od. xix, vs. 21, ubi Scholiastes ineditus in marg. cod. Græviani: *Fabulam tangit. Dum gigantes per montes montibus impositos peterent regna Jovis, Liber Pater, filius Jovis, inducta pelle leonis, cum unguibus et mala retorsit unum gigantum Rhœtum nomine, ac retro præcipitavit illum. Quæ pellis fertur fuisse Nemæi leonis, quam Hercules dedit illi.* Bacchum autem cur Frugiferum nominarit, non est obscurum ex Diodoro Siculo, lib. i, cap. 11, quem sequitur in Georgicis Maro et Tibullus i, eleg. viii, 29. Tamen si quis Arnobii verba ad Solem referri malit, non ego pertinaciter repugnabo: nam solem eumdem esse quem Bacchum, et leonis nonnunquam effigie designari, docent nos veteris sapientiæ magistri. (Vid. Diodor l. l. Orell.) Bacchi statua apud Phelloenses lignea conspiciebatur minio illita: aliam habebant Phigalenses itidem minio inluminatam, auctore in Achaicis et Arcadicis Pausania. » Hæc Broukhus. De more antiquorum minio tingendi deorum, in primis agricolarum, Bacchi, Panis, Priapi, statuas

vid. Dalecamp. et Harduin. ad Plin. Hist. Nat., lib. A xxxiii, cap. 7 (36 Hard.) et Comment. ad Pict. Herculan., tom. iv, tab. lii, pag. 253, et de Sole sub leonis specie culto a Persis Munker. ad Albric. de Deor. imag., cap. 5, pag. 901, ed. van Staveren. Orell.

Col. 1187, ad not. *Itaque Hammon* adde sequentem: *Hammon*. De forma et habitu Jovis Hammonis locus classicus est ap. Curtium, lib. iv, cap. 7, § 23: *Id quod pro deo colitur, non eamdem effigiem habet, quam vulgo diis artifices accommodaverunt, umbilico tenus arieti similis est, habitus smaragdo et gemmis coagmentatus.* Ubi vide intpp. et icones Jovis Hammonis in nummis expressas in ed. Snakenburgii pag. 215 seq. Conf. Sil. Ital. lib. iii, vs. 8 seqq.:

Prisca fides adytis longo servatur ab ævo.
Qua sublime sedens Cyrrheis æmulus antris
Inter anhelanteis Garamantas corniger Hammon
Fatidico pandit venientia sæcula luco.

Ubi vid. Dausqueium p. 101. Macrob., Sat. 21, putavit B Hammonem solem esse occidentem. Conf. Corrig. et Addend, p. 476. Orell.

Col. 1188, post notam *Liber...*, insere sequentem: *Venus nuda et aperta*. Clemens Alexandr. Adhort. p. 38: Κἂν ἴδῃ τις ἀνάγραπτον γυναῖκα, τὴν χρυσῆν Ἀφροδίτην νοεῖ. De illa autem et Baccho Theodoretus, serm. 3, de angel. et dæmon., tom. iv, p. 520: Ἀφροδίτην τὴν τούτων διδάσκαλον γυμνὴν καὶ οἱ ἀνδριαντοποιοὶ, καὶ οἱ ἀγαλματογλύφοι κατασκευάζουσι, καὶ οὐδὲ χιτωνίσκῳ καλύπτουσι..... καὶ μέντοι καὶ ὁ Διόνυσος λυσιμελής τε καὶ γυμνὸς ὑπὸ τούτων κατασκευάζεται. Nourr. p. 489.

Col. 1197, post notulam *Diducere...*, insere sequentem:

Augustat. Id est augustos reddit. Verbum ἅπαξ λεγόμενον. Vid. Gesner. in Thesaur. Orell.

Col. 1198, post not. *Sub istorum...* insere sequent.:

Stelliones. *Stellio* animal e lacertarum genere in ædificiis nidificans. Græce ἀσκαλαβώτης. Phavori- C nus: Σκαλαβώτης... ζωΰφιον ἐοικὸς σαύρα ἐν τοῖς τοίχοις τῶν οἰκημάτων ἀνέρπον; de quo multus et Bochartus in Hierozoic. lib. iv toto capite 7, ubi Rosenmullerus in nota tom. ii, pag 515, descriptionem hujus animalculi ex Hasselquistii Itinerario subjungit. Italis vocatur *Gekko*. Conf. Schneider. ad Nicandr. Alexipharm. pag. 260, seq. Orell.

Col. 1202, ante notam *Sacra...*, ad not. præced., post v. Herald., adde: — Etiam *itus*, *us*, antiquum vocabulum et Lucretianum, v. c. iii, vs. 589. seq.:

Nec repentis itum cujusviscumque animantis
Sentimus, nec priva pedum vestigia quæque.

Utitur tamen eo et Suetonius Tiber. cap 38. Conf. Laurenberg. Antiquar. h. v. Orell.

Col. 1203, not. *Sub ipso...*: — Alii *nomine*. Vide supra — lege: — Alii *nomine*, Heumanmus *molimine*. Vide supra.

Col. 1206, post notam *Cur oris...* insere sequent.: D *Cur oris contumeliam levigati... non justa persecutus est ultione?* In eamdem sententiam Ambrosius, lib. ii de Virginib. cap. 5: *Dii*, inquit, *ita ludibrio habiti sunt, ut neque Jupiter vestem suam defendere potuerit, nec barbam Æsculapius, nec Apollo adhuc pubescere cœperit, neque omnes qui dicuntur dii retrahere potuerint pateras, quas tenebant, non tam furti reatum timentes, quam sensum non habentes. Quis igitur eos colat, qui nec defendere se quasi dii, nec abscondere quasi homines possunt?* Nour., p. 498.

Col. 1208, post notam *Cum Capitolium...* insere sequentem:

Jovemque ipsum Capitolinum cum uxore corripuisset et filia. Præter ædem Junoni a Camillo dicatam in Aventino, præter eam, quæ Junoni Monetæ posita, fuit alia in Capitolio communiter cum Jove et Minerva, ubi tria numina diversis cellis colebantur junctim et invocabantur, ut ap. Silium Ital., lib. x, vs. 433, et seqq.; Cic., Or. pro Domo, cap 57, et in Verr. v, 72; Valer. Max., v, 10 ex. 2. Conf. Lactant., lib. i, cap. 11, et Augustin. de Civ. Dei lib. iv, c. 10. Plura vide sis ap. Dausque ium, ad Sil. l. l. pag. 435, et Ruperti tom. ii, pag. 89. Orell.

Col. 1210, ad notam *Varro...* pro v. fin. Orell., adde: — *Menippeum* Varronem appellat etiam Symmachus in Epistola ab eodem Carrione, l. i, primum vulgata: *Studium quidem Menippei Varronis imitaris, sed vincis ingenium.* Conf. Havercamp. ad Tertullian. Apologet., c. 14, p. 146. Orell.

Col. 1211, ante notam *Habitationibus...* ad notam præced., prov. Orell., adde: — « Fortasse legendum *Chanabeni*. *Chanabeni* vox orientalis corrupta ex Hebr. גנבים *fures*. Eodem sensu etiam *Saraceni* dicere potuisset Arnobius ab Arab. *sarak*, furatus est, rapuit. » Hæc doctissimus Censor Ienensis. Etiam Censor Lipsiensis putat, hac voce Arnobium significare voluisse fures clandestinos, non raptores vi et impetu januarum claustra effringentes. Orell.

Col. 1213, ad not. *Riciniatus...*, pro v. fin. Orell., adde: — Cicero de Legg. ii, 23, testatur, ricinium fuisse pallium muliebre, quo in adversis rebus et luctibus utebantur. Conf. Ernest. in Clavi h. v. et qui rem more suo doctissime illustrat, Salmas. ad Vopisc. Aurelian. 45, Hist. August. tom. ii, p. 541 et seqq. Orell.

Col. 1214, ante notam *Cum psalteriis...* insere sequentem:

Deum Mater cum tympano: cum tibiis et cum psalteriis Musæ. Dubito, annon interpungendum sit: *Deum Mater cum tympano, cum tibiis: et cum psalteriis Musæ*, ut tibiæ attribuantur Deorum Matri. Tibia enim Phrygum inventum. Pollux, lib. iv, § 74: Αὐλῶν δὲ εἴδη, πλάγιος, λώτινος, Λιβύων τὸ εὕρημα.......... ἔλυμος τὴν μὲν ὕλην πύξινος, τὸ δὲ εὕρεμα Φρυγῶν· κέρας δὲ ἑκατέροις τοῖς αὐλοῖς ἀνανεῦον πρόσεστιν, αὐλεῖ δὲ τῇ Φρυγίᾳ θεῷ. Et tibiæ usitatissimæ in Cybeles sacris. Ovidius Fast. vi, 189 (de festo Matris Idææ):

Quærere multa libet, sed non sonus æris acuti
Terret, et horrendo lotos adunca sono.

Conf. qui rem doctissime illustrat, Zœga in *Bassirilievi antichi*, tom. i, p. 104 (et de tympano Cybeles, p. 94, et Commentat. ad Pict. Herculan., tom. ii, tab. xxix, p. 175). Quid quod et ipsa Cybele in antiquis monumentis nonnumquam conspicitur tibia ornata, v. c. in Antiquitt. Montefalconii, tab. i, fig. 5, Compend. Schaz. Sed cum Arnobius dixerit *tibiis* plurali numero, nolim deserere lectionem vulgatam. Orell.

Ibid., ad eamdem notam *Cum psalteriis...*, pro v. final. Orell., adde: — De differentia psalterii et citharæ exscribere juvat Isidori verba Origg., l. iii, c. 21: *Psalterium*, inquit, *quod vulgo canticum dicitur, a psallendo nominatum, quod ad ejus vocem chorus consonando respondeat. Est autem similitudo citharæ barbaricæ in modum Δ literæ: sed psalterii et citharæ hæc est differentia, quod psalterium lignum illud concavum, unde sonus redditur, superius habet, et deorsum feriuntur cordæ et desuper sonant, cithara autem e contra concavitatem ligni inferius habet*, etc. Musam cum cithara elegantissime delineatam spectamus in Pict. Herculan., tom. ii, tab. v, et Musam cum psalterio, tab. vi; ubi vide annotationes vel potius disputationes doctissimi Mazocchii, p. 33 et seqq. Cæterum h. l. Arnobius voce psalteriorum comprehendisse videtur etiam lyram, citharam et id genus alia instrumenta, quæ Musis tribuuntur. Conf. qui doctissime de his instrumentis disputant, Commentatores ad Pict. Herculan., tom. ii, tab. vi, p. 34 et seqq. Orell.

Ibid., post notam *Æsculapius...* insere sequentem:

Aut in Liberi dextra pendens potorius cantharus. *Cantharus* erat genus vasis potorii majoris et ansati, unde vinum infundebatur in minora pocula vel pateras, de cujus figura vid. Scaliger. ad Auson. Epigr. xxx, p. 26, ed. Tollii; et Drakenborg. ad Sil. Ital. vii,

vers. 196 : *Plenis cantharis bibere* (ut nos dicimus *aus vollen Humpen trinken*) bibonum erat, ut ex Plauto liquet Pers. act. v, scen. II, vers. 40 :

> Age, circumfer mulsum ; bibere da adusque plenis can-
> [tharis

Hinc *cantharus* perpetuum Bacchi et Sileni insigne. Virgilius Eclog. VII, 17 :

> Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.

Macrobius, l. v Saturn., c. 21 : *Scyphus Herculis poculum est, ita ut Liberi patris cantharus*. Iconem Bacchi cum cantharo vide sis in Montefalconii Antiq., tab. XXVIII, fig. 9; Compend. Schaz. ORELL.

Ibid., post notulam : *Anubis*... insere sequentem :

Aut genitalibus propriis inferior Priapus. Inferior, id est minor, brevior. HEUMANN., *in marg.*

Ibid., post notam *Caliendra* insere sequentem :

Talaria. Sic vocantur κατ' ἐξοχὴν alata Mercurii calceamenta. Virgilius Æn. IV, 249 et seqq. :

> Ille patris magni parere parabat.
> Imperio ; et primum pedibus talaria nectit
> Aurea, quæ sublimem alis, sive æquora supra,
> Seu terram, rapido pariter cum flumine portant.

De quibus doctissimam disputationem memini me legisse in Vossi, v. cl. *Mythologiscen Briefen*, quem librum jam ad manus non habeo. ORELL.

Col. 1215, not. *Personarum*..., post versum citatum Persii, insere hæc : — Ubi scholiastes ad Sat. I : *Tria genera sannarum, aut manu significare ciconiam, aut opposito temporibus pollice auriculas asininas, aut linguam sitientis canis. Sanna autem dicitur os distortum cum vultu, quod facimus, cum alios deridemus. Inde sanniones dicti, qui non rectum vultum habeant.* Conf. Comment. ad Antiquitt. Herculan., t. VI (*Bronzi*, t. II), p. 379.

LIBER SEPTIMUS.

Col. 1221, ante notam primam *Et habere*... insere sequentem :

Alicujus alimonii genere. Supra, l. IV, c. 21, et infra, l. VII, c. 16 et 39, habemus *alimonia, æ*. Sed occurrit utrumque jam apud vestustissimos scriptores, Plautum, Lucretium, etc. ORELL.

Ibid., ad notulam *Aut animalis*..., post v. ORELL., adde : —Verba Macrobii sunt, l. III Sat., c. 5 : *Trebatius, lib. I de Religionibus docet, hostiarum genera esse duo, unum, in quo voluntas dei per exta disquiritur ; alterum, in quo sola anima deo sacratur, unde etiam haruspices animales has hostias vocant.* Sic etiam Strabo, l. XV, p. 732 (Casaub.), de Persis ait : Τῆς γὰρ ψυχῆς φασι τοῦ ἱερείου δεῖσθαι τὸν Θεὸν, ἄλλου δὲ οὐδενός. NOURR., p. 501. — Sed hoc loco *animalis hostia* est victima, vel hostia ex cæso animali, nil amplius. ORELL.

Col. 1223, ad notam *Deos*..., post v. final. HERALD., adde : — Pro *credit* annon legendum *credat? Sollte jemand wohl glauben konnen?* ORELL.

Col. 1226, ad notam *Silentio*..., pro v. ORELL., adde : —Heumannus conj. *silentio patior abire damnatum.* Male. Significat enim Arnobius, se gratificari velle adversariis, quod hæc missa faciat et silens prætergrediatur. Itaque *donatum* minime sollicitandum. ORELL.

Ibid., ad notam *Pavus*... pro v. ORELL., adde : — Sic Ausonius aliquoties, verbi causa, epigr. LXIX, vs. 4 :

> Pavaque de pavo constitit ante oculos.

Et epist. XX, 10 :

> Vincit centum oculos, regie pave, tuos.

Ad eumdem modum dixerunt etiam *capo* et *capus*. Vid. Munker. ad Fulgent. Mythol. II, c. 3, p. 668, ed. van Staveren. ORELL.

Ibid., ad notam *Passerculos*... adde sequentem :

Passerculos. Passerculi puerorum ludicrum usitatissimum apud antiquos, cujus jam mentio facta in

A Veteri Testamento, Job. XL, 24 : Παίξῃ δὲ ἐν αὐτῷ ὥσπερ ὀρνέῳ, ἢ δήσεις αὐτὸν ὥσπερ στρουθίον παιδίῳ. Et cui non noti suavissimi Catulli versus :

> Passer, deliciæ meæ puellæ.

Conf. qui hac de re multus est Bochart. in Hieroz., p. II, l. I, c. 22, t. II, p. 727 et seq., ed. Rosenmuller. ORELL.

Col. 1227, ad notam *Numquid*..., pro v. ORELL., adde : — Heumannus conj. *tuum numen qui ostenderet, aut te traduci.* Pessime. ORELL.

Col. 1229, not. *Dissignationibus*... : — *Dissignationibus* scil. victimarum. — Dele hæc verba et adde : — *dissignationes* (ut bene explicat Heumannus in margine) sensu prorsus insolito dixit Arnobius pro peccatis, quæ paulo ante *commissa* vocavit. Cæterum v. *dissignatio* ἅπαξ λεγόμενον. Vid. Gesner. in Thesauro.

Col. 1230, post notulam *Et ex*... insere sequentes :

Universus ille doctissimorum chorus. Stoicos intelligit. Vid. J. Lips. de Constantia, l. I, c. 18 ; Opp.,
B t. IV, p. 553, seqq., ed. Vesal. ORELL.

Vacant odia. Vacant id est nullius sunt usus. Sic Tertullianus in Apologet., c. 2 : *Et jam si confessione præveniantur (tormenta), vacabunt.* Ubi vid. Havercamp., p. 41, nostrum quoque locum citantem. ORELL.

Ibid., post notulam *Si voluerint*... insere sequent. :

Quibunt. Hoc futurum alibi legisse non memini. *Nequibunt* habet Lucretius, I, vs. 380 :

> Concedere porro
> Quo poterunt undæ, cum pisces ire nequibunt?

Col. 1231, ad notam *Sed ineluctabili*, pro v. ORELL., adde : — Vid. Ernesti Clav. Cic. hoc verbo ; Oudendorp., ad Sueton. Cæs., c. 20, qui docet *confici* et *confieri* sæpissime confundi a librariis ; et van Staveren ad Hygin. Poet. Astronom., l. IV, c. 1, p. 545. ORELL.

Ibid., post notulam *Si cum*... insere sequentem :

Frustratoriis. Frustratorius Afrorum est. Sic Ter-
C tullianus, de Anima, c. 47, somnia vocat : *Vana et frustratoria et turpida et ludibriosa et immunda.* Conf. Cellar. Antibarb., p. 41. ORELL.

Col. 1232, ad not. *Si modo*..., post v. HERALD., adde : — Heumannus conj. : *Neque in hujus nominis exceptione ponendi.* Male. Sensus est : *Si digni sunt, qui excipiantur ab iis, quos vos nominatis deos, qui non sunt dii veri.* ORELL.

Col. 1233, not. *Ut si*..., sub fin. : — Vesal. Peculiaris — lege : — Vesal. et Ph. Carol. ad Agell. lib. II, cap. 2, pag. 114. et seqq. Peculiaris.....

Ibid., post. eamd. not. *Ut si*... insere sequentem :

Via decedat. Hoc admonebant populum lictores consuli præeuntes hac formula, quam conservavit nobis Plautus Aulul., act. III, scen. I :

> Date viam consuli, facite plateæ pateant.

Conf. Senec. Epist. XCIV. Vid Phil. Carolus Animadvv. in A. Gell. pag. 115, et Brisson. de Formul. lib. VIII, 34, pag. 700. ORELL.

D Col. 1234, ad notam *Cum etiam*..., pro v. ORELL., adde : — Respicit fortassis Arnobius ad verba illa Christi Marc. X, 42, 43. ORELL.

Col. 1236, ad notam *Ab omni*..., post v. final. HERALD., adde : — De hac ablutione Macrobius lib. III Saturn. cap. 1 : *Constat diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari : cum vero inferis litandum est, satis actum videretur, si aspersio sola contingit.* NOURR. *pag.* 509.

Col. 1238, post not. *Immussulos*... insere sequentes :

Salamandras. De salamandris sic Entecnius in Paraphrasi ad nicandri Theriac. vs. 818 : Χαλεπὸν δέ ἐστι θηρίον καὶ ἡ καλουμένη σαλαμάνδρα· ἀδικεῖται δ' οὐν ὑπὸ πυρὸς οὐδέν, ἀλλὰ ἐν τούτῳ διαιτᾶται, καὶ μένει παρὰ τῷ πυρί, καὶ διέρχεται ἀβλαβῶς, καὶ τὸ δέρμα ἡ σαλαμάνδρα πᾶν κατάστικτον ἔχει. Scoliastes addit : Τὰ δὲ ἔντερα αὐτῆς ψιλοῖ τὰς τρίχας· ἔστι δὲ τὸ ζῶον ὅμοιον σαύρᾳ, τετράπουν, βραχύκερκον. Ubi vid. Schneider.

pag. 267, et, ubi antiquorum medicorum de animaculo hoc venenato testimonia collegit ad Alexipharm., vs. 538, pag. 260 seq. ORELL.

Viperas solifugas. Sic ut, verissime judicat doctissimus Censor Ienensis, legendum, non *solipugas.* Nam h. l. ut et lib. II, cap. 23, de amphibiis, non de insectis, sermo, et amat Arnobius talia epitheta. Sic dixit lib. VI, cap. 16, *blattas lucifugas.* ORELL.

Ibid., ante notulam *Carduos* insere notam :

Bulbos. Bulbi proprie dicebantur radices omnes rotundæ, tunicatæ, quales sunt lilii, crossi, narcissi, colocasiæ et arundinum. Vide Gesner. in Thes. H. l. autem videtur peculiare quoddam genus designari ab Arnobio, ab antiquis ad cibos adhibitum, præcipue in cœnis nuptialibus, quia venerem stimulabant, teste Martiali, lib. XIII, Epigr. 34, et Apicio, qui modum bulbos ad cibum præparandi indicat, de Arte Coquin. lib. VII, cap. 12. Ubi M. Listerus, pag. 207, ed. Janssonii intelligit vel orchidarum quamdam speciem vel radices tuliparum, quæ edules et suavissimi bulbi sunt, et in Asia Græciaque valde frequentes atque ad cibos adhibiti. Conf. Schneider. v. cl. in Lex. Rust. h. v. ORELL.

Ibid., post notulam *Radices* adde notas :

Cucurbitas. Cucurbitæ inter gratissimos cibos apud antiquos. Intelligendæ autem, ut observat M. Listerus ad Apic., lib. III, cap. 4, pag. 79, istæ prælongæ et tenues, quæ etiamnum in magno et quotidiano usu sunt in Italia et calidioribus regionibus, nostris vero olitoribus prorsus ignotæ. Earum condimentum apud Romanos, teste eodem Apicio l. l., erant *mentha, apium, pulegium,* de quibus h. l. disserit Arnobius noster. ORELL.

Rutam. Ruta, imprimis *bacca rutæ,* h. e. folliculus cum semine ; inter usitatissima ciborum condimenta laudatur ab Apicio aliquoties, v. c. lib. VI, cap. 2. ORELL.

Mentam. Menta sive *mentha.* Dioscorid., lib. III, cap. 41, μίνθη. Plinius, lib. XIX, cap. 8 : *Menthæ nomen suavitas odoris apud Græcos mutavit, cum alioqui mentha vocaretur, unde veteres nostri nomen declinaverunt.* Dicebatur scil. Græcis ἡδύοσμος. Strabonem vero, lib. VIII, secutus Jul. Pollux Onomast. lib. VI, cap. 10, notat mentham dici a Mintha Plutonis pellice in hanc plantam transformata. Jo. RHODIUS, *in Lexic. Scribon. h. v.*— Idem Plinius, lib. XX, cap. 14 : *Stomacho accommodata est menthæ et in condimentorum usum multifariam recipitur.* Erat autem duplex menthæ genus, agrestis scil. et hortensis, cujus posterioris, qua Judæi imprimis utebantur ad pavimenta ædium et synagogarum aspergenda, ἡδύοσμου mentio etiam facta a D. Sotere ap. Matth., XXIII, 23. Vide Schleusner., qui de h. v. multus est, in Lexic. N. Test. et Lister. ad Apic. I, cap. 29., pag. 44. Nostr. *Münze, Gartenmünze.* ORELL.

Ibid., post notam *Ocimum* insere sequentem :

Puleium. Puleium vel *pulegium* (vid. Rhod. Lex. Scribon.), nostr. *Poley, Poleymünze,* hodiernis est planta officinalis, antiquis autem erat cibus vel potius ciborum, in primis olivarum, condimentum frequentatissimum, teste Palladio Novembr. c. 22. Vid. Schneider. v. cl. in Lex. rust. et Lister. ad Apic. III, 5, pag. 79. ORELL.

Col. 1240, post notul. *Ea quæ...* insere sequentem :

Offis sævitias ponere. Annon legendum *offis oblatis sævitias ponere?* ORELL.

Col. 1242, ad notam *Color furvus* adde hæc :

Cæterum de diverso genere hostiarum immolandarum diis superis et inferis et de modo, quo singulis litari oporteat, extat celeberrimum oraculum Apollinis, quod ex Porphyrio nobis servavit Eusebius in Præparat. Evangel., lib. IV, cap. 9, quodque cum Eusebii opus in paucorum manibus sit, integrum exscribere liceat. Sic scil. fatur Apollo :

Ἐργάζευ, φίλε, τήνδε θεόσδοτον ἐς τρίβον ἐλθὼν,'
Μηδ' ἐπιλήθεο τῶν μακάρων θυσίας ἐναρίζων
Πῇ μὲν ἐπιχθονίοις, πῇ δ' οὐρανίοις, ποτὲ δ' αἴθρης
Αὐτοῖσιν βασιλεῦσι, καὶ ἠέρος ὑγροπόροιο
Ἠδὲ θαλασσαίοις, καὶ ὑποχθονίοισιν ἅπασι·
Πάντα γὰρ ἐνδέχεται φύσεως μεστώματα τῶνδε.
Ζώων δ', ὡς θέμις ἐστὶ, τελευτῆσαι καθαγισμοὺς
Ἀείσω, δέλτοις δὲ χαράσσετε χρησμὸν ἐμεῖο.
Τρεῖς μὲν ἐπιχθονίοις, τρεῖς δὲ οὐρανίοισι θεοῖσι.
Φαιδρὰ μὲν οὐρανίοις, χθονίοις δ' ἐναλίγκια χροιῇ
Τῶν χθονίων διάειρε τριχῇ θυσίας ἐναρίζων,
Νερτερίων κατάθαπτε, καὶ εἰς βόθρον αἷμα ἴαλλε.
Χεῦε μέλι νύμφῃσι Διονύσοιό τε δῶρα,
Ὅσσοι δ' ἀμφὶ γαῖαν ποτώμενοι αἰὲν ἴασι,
Τοῖσδε φόνου πλήσας πάντη περιπληθέα βωμὸν,
Ἐν πυρὶ βάλλε δέμας, θύσας, ζώοιο ποτανοῦ,
Καὶ μέλι φυρήσας, δηΐῳ ἀλφίτῳ ἔνθεν
Ἀτμούς τε λιβάνοιο, καὶ οὐλοχύτας ἐπίβαλλε.
Εὖτε δ' ἐπὶ ψαμάθοισιν ἴῃς, γλαυκὴν ἅλα χεύας
Κακκεφαλῆς θυσίαζε καὶ εἰς βαθὺ κῦμα θαλάσσης
Ζῶον ὅλον προΐαλλε. τελευτήσας τάδε πάντα
Ἐς πλατὺν ἠερίων χορὸν ἔρχεο οὐρανιώνων.
Ἀστραίοις δ' ἤπειτα καὶ αἰθερίοις ἐπὶ πᾶσιν
Αἷμα μὲν ἐκ λαιμῶν κρουνώμασιν ἀμφὶ θυηλὰς
Λιμνάζειν· τὰ δὲ γυῖα θεοῖς ἐν δαιτὶ πονεῖσθαι·
Ἄκρα μὲν Ἡφαίστῳ δόμεναι, τὰ δὲ λοιπὰ πάσασθαι,
Ἀτμοῖσιν λαροῖσιν ἐνιπλήσαντες ἅπαντα
Ἠέρα ῥευσταλέον· ἐπὶ δ' εὐχὰς πέμπετε τοῖσδε.

NOURR., *pag.* 507 *et* ORELL.

Col. 1243, post not. *Tetreque...* insere sequentem :

Lacte, oleo sanguini. Legendum videtur : *Lacte, aleo sanguinem.* Sensus est : *Inficite omnia quæ diis offertis thura, salsas fruges, et libamina, sanguinem, hunc quidem lacte et oleo, ut ponat colorem purpureum ; in illa autem (cum flavi sint coloris), ut nigra fiant, fuliginem infundite cum favillis.* Constructio nonnihil impeditior et intricatior errori ansam dedit. ORELL.

Col. 1244 ad notam *Certaque..,* pro verb. ORELL., adde : — Cæterum *supplicamentum* (pro quo veteres Romani, v. c. Livius, lib. XXII, cap. 57, et Sallustius Catil., cap. 9, dixerunt *supplicium*), vocabum est cadentis latinitatis et Afris scriptoribus, Apuleio (Met. XI, p. 265), Tertulliano imprimis usitatum, et designat tam victimas et sacrificia, quam preces et supplicationes, in genere omnem cæremoniarum apparatum, quibus dii propitii redduntur. ORELL.

Col. 1245, post notul. *Hic ut...* insere sequentem :

Aliarum eadem rejiciantur ab victibus. Meursius, p. 211, conj. *aliorum eadem,* etc. Male. Præcessit enim : *ut gentibus fieri moris diversissimi fama est.* ORELL.

Col. 1246, post not. *Quam cuncti...* insere sequent.:

Virgo Tritonia. Minervam Tritoniæ nomen meruisse fabulantur, quod in ripa lacus Tritonis in Africa primitus visa sit, temporibus Ogygii regis, quod notavit Festus. STEWECH. — Pomp. Mela, lib. I, c. 8 : *Super hanc* (Syrtim) *majorem ingens palus amnem Tritoni recepit, ipsa Tritonis, unde et Minervæ cognomen inditum est, ut incolæ arbitrantur, ibi genitæ : faciantque ei fabulæ aliquam fidem quod quem natalem ejus putant, ludicris virginum inter se decertantium celebrant.* Ubi vide intpp. Conf. Serv., ad Æn., II, 171, et Broukhus., ad Lucan. phars., IX, 354, p. 699, ed. Oudendorp. ORELL.

Col. 1247, ad notam *Et ad...,* pro v. fin. ORELL., adde : — At jam iterata horum verborum lectione meliora edoctus reprobo Canteri conjecturam *quæ fati sunt ;* hoc scil. esset i. q. *minati.* Sed Arnobius noster h. l. non loquitur de minis deorum, sed de natura illorum ad iram et vindictam prona. Nec etiam bene dicere potuisset, deos necessitate irresistibili duci ad id quod minati fuissent. Quare donec Græcismus ille, quem Heraldus assumit, exemplis probari possit, malo sequi Heumannum legentem *ad ea, ad quæ facti sunt.* ORELL.

Col. 1249, post notam *Quid offæ* insere sequent. :

Ex quibus quod primum est. Tæda scil. (nam singula, quæ antea nominaverat, jam explicat Arnobius). Erant itaque *tædæ* botuli minuti farti arvina vel adipe in exiguas miculas dissecta. *Speckwürste.* ORELL.

Ibid., post notam *In exiguas...* insere sequentem :

Suxis perexsiccata vitalibus. Næniam jam describit

Arnobius, quæ erat intestinum, per quod proluvies emittitur (*der Mastdarm*), sive prelo sive alia ratione, porrectum, deinde fumo exsiccatum, adeo ut, amisso omni succo vitali, per longum tempus maneret putredine intactum. ORELL.

Col. 1250, ad notam *Ex quibus...*, pro v. ORELL., adde : — *Omentum*, græce ἐπίπλοον, membrana est tenuis et pinguis, qua inferiores ventris partes teguntur; et intestinorum involvuntur anfractus. Supra lib. III, cap. 13, dixit *omentorum membranulas*. Conf. Plin. Hist. nat., lib. IX, cap. 37, et Isidor. Origg. lib. II, cap. 1. NOURR. *pag.* 512. — Germ. *das Netz*. ORELL.

Ibid., post eamd. not. *Ex quibus* insere sequent. :

Bovis cauda est palasea, siligine et sanguine delibuta

Siligo est farina ex optimo tritico exactissime a furfuribus repurgata (*Semmelmehl*. ORELL.). Unde hic Juvenalis (Sat. V, 69) de pane versus :

> Sed tener et niveus, mollique siligine factus
> Servatur domino. NOURR., *p.* 512.

Ibid., ad notam *Quid fitilla...* pro v. ORELL., adde : — Varia itaque his nominibus ignotis liborum sive placentarum, quarum usus erat in sacris (hæc enim antiquis dicebantur *liba*), genera describit Arnobius. Et omnino constat multiplicia liborum genera, materia æque ac figura pro ratione deorum, quibus offerebantur, diversa, antiquitus adhibita fuisse in sacrificiis. Sic apud Græcos invenimus πόπανα, πέλανοι, ψαιστά, φθοῖς, etc., de quibus vid. Spanhemiusm ad Aristoph. Plut., vers. 660. Sic Pollux Onom. VI, § 76 : Πέλανοι δὲ κοινοί πᾶσι θεοῖς, κέκληνται δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος, ὥσπερ ὁ βοῦς· πέμμα γάρ ἐστι κέρατα ἔχον πεπηγμένα, προσθερόμενον Ἀπόλλωνι, καὶ Ἀρτέμιδι, καὶ Ἑκάτῃ, καὶ Σελήνῃ, μελιττοῦτα μέντοι Τροφωνίῳ, καὶ ἀρεστὴρ (quod nomen similitudinem quamdam habere videtur cum *gratilla* Arnobii) καὶ ὑγίεια ὁμοίως· καὶ γὰρ ὑγίεια μάζης ἐστὶν εἶδος. Ita etiam Priapo liba in formam phalli, Cereri in formam pudendi muliebris efficta, quæ dicebantur μύλλοι, oblata fuisse in sacrificiis, constat ex Athenæo Deipnos., lib. XIV, cap. 14, ubi complura placentarum genera recenset. Conf. et Commentatores doctissimos ad Pict. Herculan., tom. III, tab. XXXVI, pag. 178. ORELL.

Ibid., ad notam *Carnem...* pro v. ORELL. , adde : — Festi verba sunt : *Strebula Umbrico nomine Plautus appellat coxendices hostiarum, quas Græci μηρία dicunt, quæ in altaria imponi solebant, ut Plautus in Frivolaria : strebula agmina tene*. Ubi vid. Dacer, pag. 529 seq. ORELL.

Ibid., post notam *Pulpamenta* adde sequentes :

Pulpamenta non assa, quæ in verubus exta sunt, etc. Hujus textus obscuritas illum ab imperito aut oscitante librario adulteratum esse satis ostendit. Quapropter ut lux aliqua, si fieri queat, illi afferatur, observare juvat, *pulpamentum* a *pulpa* procul dubio derivari. *Pulpa* autem, uti animadvertit Donatus (ad Terent. Hecyr. act. III, scen. IV), *proprie ea est caro, quæ manducatur, eoquod pulsetur et conscindatur*. Isidorus vero (Orig. lib. II, c. 1) : *Pulpa*, inquit, *dicta quia cum pulteolim commixta vescebatur*; et alibi (lib. XX, cap. 2), ut multis videtur, melius : *Pulpa est caro sine pinguedine, dicta, quod palpitet; resilit enim sæpe. Hanc plerique et viscum vocant, cum glutinosa sit*. His ita observatis, particula negativa *non* in Arnobii textu nobis suo loco mota videtur et reponenda ante nomen *pulpamenta*, atque ante verbum *exta* aut subaudienda, aut iterum collocanda, ita ut sic scribatur : *Non placet nominare carnem strebulam....... non pulpamenta assa, quæ in verubus sunt, non exta animata*, etc. Sic enim apertus erit hic Arnobii sensus : In sacrificiis frustra adoleri assa in verubus pulpamenta, hoc est molles et delicatas carnis sine pinguedine partes, quæ suam propter mollitiem palpitant, frustra etiam litari animalium exta, prius animata et carbonibus torrefacta , quæ quidem non in verubus, sed succensis tantum carbonibus torreri poterant. Ea autem diis oblata fuisse si dubites, certiorem te Festus faciet v. *exta*, qui inde nomen suum sortita esse existimat. *Exta*, ait, *dicta, quod ea diis prosecentur, quæ maxime extant, eminentque*. NOURR., *pag.* 514.

Non salsamina denique, quæ sunt una commixtio quadrinis copulata de frugibus. Intelligit sine dubio salsas fruges, vel molam salsam, cujus notissimus usus in sacris. Hanc autem molam præparare in usus sacros munus virginum Vestalium fuisse dicimus ex Servio ad Virgil., eclog. VIII, 81 : *Far*, inquit, *pium, id est mola casta, salsa, ita sit : virgines Vestales tres maximæ ex Nonis Maiis ad pridie Idus Maias, alternis diebus spicas adoreas in corbibus messuariis ponunt, easque spicas ipsæ virgines torrent, pinsant, molunt, atque ita molitum condunt. Ex eo farre virgines ter in anno molam faciunt, Lupercalibus, Vestalibus, Idibus Septembris, adjecto sale cocto et sale duro*. Hæc Servius, a quo dissentit nonnihil Arnobius noster dicens salsamina illa vel molas salsas non ex adore tantum confectas, sed ex quadrinis (h. e. quadruplicis generis) frugibus commixtas fuisse (fortassis adore, farre, tritico et hordeo). ORELL.

Ibid., ad notam *Non similiter*, post v. ORELL., adde : — Macrobius in Somn. Scip. , lib. I, cap. 6, tria intestina esse docet, quorum primum *dissipium*, alias disseptum nuncupatur, a Græcis διάφραγμα, secundum medium, μεσεντέριον, et tertium, *quod veteres hiram vocaverunt, habeturque præcipuum intestinorum omnium et cibi retrimenta deducit*. Arnobius itaque dicit fendicas easdem esse ac hiras, quæ nomine plebeio vocabantur *hillæ*, nihilque aliud sunt quam intestinum jejunum. NOURR., *pag.* 515.

Col. 1252, ad notam *Impensarum*, pro verb. final. ORELL.; adde : — Conf. Corrigend. et Addend. p. 479, init. At omnino probanda Th. Marcilii explicatio. Sic enim Apicius lib. XIII, cap. 8 : *impensam in leporem*, ubi partes ejus enumerat, *piper* scil., *dactylum, laser, liquamen*, etc. Hic itaque de conditura sermo , nam deinceps addit *in leporem farsum* et modum ejus conficiendi docet : et apud Arnobium etiam de conditura accipiendum, cum modo præcellerit *fartibus*. ORELL.

Col. 1253, ad notam *Frustilla...*, pro v. ORELL., adde: — Cæterum *frustillum* pro *frustulum* deminutivum peculiare Arnobio nostro. Sic supra l. II, c. 58, dixit *frustilla hæc ignea*. ORELL. — *Frustillatim* legimus ap. Plaut. Curcul. act. IV, scen. IV :

> Jam ego te faciam ut hic formicæ frustillatim differant.
> NOURR., *pag.* 555.

Ibid., post notam *Sed ut...* insere sequentem :

Appetitu voracitatis. Voracitas pro edacitas vox argenteæ latinitatis. Eutropius, lib. VII, cap. 18, de Vitellio : *Hic cum multo dedecore imperavit et gravi sævitia, notabilis præcipue ingluvie et voracitate*. Ubi Grosse in Indice citat Apulei. Met. VII, prope finem et Plin. Hist. Nat., II, 107, init. hac voce usos. Plura exempla adfert Cellarius in Cur. poster. ad Antibarbar. ling. lat., p. 130. ORELL.

Col. 1255, ante not. *Locum...* insere notulam :

Tempestatibus tantis, i. e. *tam longis*. ORELL.

Ib., post eamd. not. *Locum...* adde quoque notul. :

Novitas. H. l. pro *posterior, recentior ætas*, sensu insolentissimo. ORELL.

Col. 1256, post not. *Suffitionibus* insere sequent. :

Spiraminibus. H. e. spirandi facultatibus. Sic Lucanus Phars. lib. II, vers. 180 :

> Hic aures, alius spiramina naris aduncæ
> Amputat.

et Statius Theb. XII, vers 269. :

> Reficit spiramina fessi
> Ignis et horrendos irrumpit turbida campos.
> NOURR., *pag.* 566.

Col. 1257, ad notam *Non si...* pro v. fin. ORELL..

adde : —Scriptor Anonymus de Thure ap. Salmasium in Exercitt. Plin. p. 1151 : Καὶ ὁ μὲν ἄῤῥην ὀνομάζεται χαλκολίβανος, ἡλιοειδής (lege χαλκοειδής) καὶ πυῤῥὸς ἤγουν ξανθός. Conf. Bochart. in Hierozoic., part. II, l. VI, c. 16, tom. III, p. 895, ed. Rosenmuller. Orell.

Ibid., post notam *Non sit*... insere sequentem :

Nebulositate. I. e. redundantibus incensi thuris vaporibus quibus tamquam nebula totus aer claudatur et tegatur. Nourr., *p*. 560. — *Nebulositas* ἅπαξ λεγόμενον. Orell.

Col. 1258, post not. *Hostiumque*... insere sequent.:

Date bibant. Heumannus conj. *date, ut bibant*. Sed *ut* ἐλλείπει constructione græca. Orell.

Col. 1262, post notam *Dormitiones* adde sequent.:

Lenes audiendæ sunt næniæ. Vide Annotationes ad lib. VI, cap. 12, col. 1190 : « Notandum scil. *næniam* etiam de re læta dici, ut de carminibus, quæ ludis Trojanis canebantur. Varro, lib. IV, de Vita Pop. Rom. ap. Nonium, emendante ac jungente Scaligero : *Ibi a muliere, quæ optima voce esset, Pergama laudari, deinde Næniam cantari solitam ad tibiam et fides eorum, qui ludis Troicis cursitassent*. Quia, ut reor, laudabantur illi, qui ad Troiam occubuissent, vel alii, certe laudatio fuit. Et quia his in Næniis frivola multa canebantur, hinc etiam de carmine puerili et inconditio vox illa usurpatur. Horatius, lib. II, epist. I, vers. 62, seq. :

> Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum
> Nænia, quæ regnum recte facientibus offert.

Hæc et plura alia Gisb. Cuperus, qui de h. v. multus est in Obss., lib. I, cap. 1, pag. 6, seq. ed Lips. De vocis etymo ita Joannes Lydus de Magistr. Rom., lib. I, cap. 33, fin., p. 56, ed. Fuss. : Λέγεται δὲ παρ' αὐτοῖς (Ῥωμαίοις) τὸ ἐπιτάφιον νηνία, ἐξ Ἑλληνικῆς μᾶλλον ἐτυμολογίας, ὅτι νήτην τὴν ἐσχάτην τῶν ἐν κιθάρᾳ χορδῶν Ἕλληνες καλοῦσιν. Orell.

Ibid., ad notam *Lavatio*..., post v. final. Nourr..., adde : — Cum hac ablutione solemni Matris Deorum Dausqueius ad Sil. Ital., lib. VIII., pag. 345, apposite comparat simillimum veterum Germanorum ritum a Tacito memoratum de Morib. Germ., cap. 11 : *Mox vehiculum (Deæ Herthæ) et vestes et, si velis credere, numen ipsum secreto lacu abluitur*. Cæterum multa nefanda et turpia in hoc festo cantata patrataque fuisse conqueritur Augustinus de Civ. Dei, lib. II, cap. 4 : *Ludis turpissimis, qui diis deabusque exhibebantur, oblectabamur. Cœlesti Virgini et Berecynthiæ matri omnium, ante cujus lecticam die solemni lavationis ejus talia per publicum cantabantur a nequissimis scenicis, qualia, non dico matrem Deorum, sed nec matrem ipsam scenicorum deceret audire*. Conf. doctissime rem illustrantem Zœgam in *Bassirilievi antichi*, tom. I, ad tab. XIII et XIV, not. 109, p. 103. Orell.

Col. 1264, ad notulam *Telluris*, post v. Orell., adde : — At non unius tantum Telluris, sed variorum quoque deorum, uti Mercurii, Minervæ, et Jovis Ammonis natales dies in veteri notantur Calendario, in quod Lambecii notas legere poteris. Unde Lactantius Instit., lib. VI, cap. 19 : *Ludorum*, inquit, *celebrationes deorum festa sunt, siquidem ob natales eorum vel templorum novorum dedicationes sunt constituti*. Nourr., *pag*. 526.

Col. 1265, ad not. *Et Megalensibus*, post v. Orell., adde : — In Calendario Prænestino, ap. Foggin. *Fast. Verr.*, p. 108, *prid. non. apr. ludi. m. d. m. i. Megalesia vocantur, quod ea dea migale* (μεγάλη) *appellatur*. In alio Calendario antiquo, in Thesaur. Græv., t. VIII, *pr. n.... Vid. apr. ludi Megalesiaci*, h. e. a 4—9 diem Aprilis. Plura vide ap. Zœgam in *Bassirilievi antichi*, tom. I, pag. 91. Orell.

Col. 1267, ante not. *Salapittarum*, ad not. præced., pro v. final. Orell., adde : — Stupidos apud antiquos in deliciis fuisse eosque capite rasos, doctissimus Commentator ad Antiquitt. Herculan., t. VI (*Bronzi*, *t*. II), tab. XCII (ubi tales homines elegantissime depictos conspicimus), p. 370. Probare vult Epigrammate Luciani Anthol., l. II, c. 3, 6 (*Analect. Brunk.*, *t*. II, *pag*. 311) :

> Ἢν ἐσίδῃς κεφαλὴν μαδαράν, καὶ στέρνα καὶ ὤμους,
> Μηδὲν ἐρωτήσῃς, μῶρον ὁρᾷς φαλακρόν.

Quod autem Jacobs V. C. verius interpretatur tamquam σκῶμμα in Cynicum quemdam. Orell.

Ib., post eamd. not. *Salapittarum*... adde sequent.:

Fascinorum ingentium rubore. Fascinos appellat phallos, quos veteres pro amuletis pueris in collo suspendebant ad depellendas fascinationes. Varro, de Ling. lat., VI (pag. 80, ed. Dordr.) : *Pueris turpicula res in collo quædam suspenditur, ne quid obsit, bonæ scævæ causa*. Ubi vid. Scaliger, pag. 152. (*Bonæ scævæ causa* scil. i. q. boni ominis causa. Nam, teste Festo, *scæva* erat vocabulum medium. *Scævam vulgus quidem et in bona et in mala re vocat, cum aiunt bonam et malam scævam ; at scriptores in mala parte ponere consueverunt. Scævus* a Græco σκαιός: inde *bona scæva*, quæ erat Romanis sinistra manus; Græcis vero et barbaris dextra fausta erant, ut bene explicat Dacerius.) Suidas : Φαλλὸς.... αἰδοῖον σκύτινον· ὕστερον δὲ ἐκ δερμάτων ἐρυθρῶν, σχῆμα αἰδοίου ἔχων ἀνθρώπου· καὶ τοῦτο ἑαυτοῖς περιθέμενοι ἔν τε τοῖς τραχήλοις καὶ μέσοις τοῖς μηροῖς, ἐξωρχοῦντο τιμὴν τῷ Διονύσῳ ἐν τοῖς Διονυσίοις ἄγοντες. Conf. Gonsal. de Salas., ad Petron., c. 138, p. 243, ed. Burm., et Comment. ad Antiquitt. Herculan., tom. VI (*Bronzi* II), tab. XCVII, pag. 398. Orell.

Col. 1269, ad notam *Si ex*..., post v. Orell., adde : — Locus Livii est lib. VII, cap. 2 : *Id genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit juventus, nec ab histrionibus pollui passa est, et institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur et stipendia tamquam expertes ludicræ artis faciant*. Ubi Dœring : « Atellana ludicrum dramatis genus ac dicax, iis fere simile, quæ vocabulo a Gallis desumpto *Farcen* appellamus. Nomen trahebat ab Atella, Campaniæ oppido Capuam inter et Neapolim sito. » Nourr., *p*. 348.—Atellam eamdem putat, quæ hodie Aversa. Orell.

Ibid., ad notam *Et clunibus*..., pro v. Orell., adde : — Canterus legendum putat *et clunibus fluctuare crissatis*, citans Juvenal. Sat. VI, vs. 322 :

> Ipsa Medullinæ fluctum crissantis adorat.

Male. Vid. ad lib. II, l. l. Orell.

Ibid., ad notam *Et quia*... pro v. Orell., adde : — Heumannus conj. *gaudere lætioribus*. Orell.

Col. 1274. post notulam *Sed flecti*... insere sequentem :

Altiore in culmine figeretur. Vid. Cicero, Orat. in Catilin. III, cap. 8. Orell.

Ibid., post ult. lin. adde notam :

Evocarique se hoc genere ludicri. Lego *avocarique*, etc. Ita supra eodem libro, cap. 8 : *Ut parvuli pusiones... passerculos, populos, equuleos, Panes accipiunt, quibus avocare se possint*. Hieronymus, Epist. ad Læt. : *Discat primo psalterium. His se canticis avocet et in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam*. Idem ad Marcellum : *Sudans messor psalmis se avocat, et curva attondens vitem falce vinitor aliquid Davidicum canit*. Veteres glossæ : *Avocat* .... περισπία (leg. περισπᾷ). καταργεῖ, ἀποσχολεῖ. Eodem sensu Plutarchus in Vit. Solon. usus est τῷ παράγειν. Herald., *Adversar. lib*. I, *c*. 3, *pag*. 8 *et seqq*. — Palmaria hæc Heraldi correctio et merito in textum recipienda. Orell.

Col. 1275, post notam *Cantherios*... insere sequentem :

Eos tamen gaudere transire. Vide, annon legendum sit : *eos tamen gaudere videntem* (scil. Jovem) *transire*, etc. Orell.

Col. 1276, post not. *Pestilentiam*... adde sequent. :

Exhibitor ludorum. Id est editor ludorum. V. *exhibitor* tanquam barbaram notat Cellarius in Antibarbar. ling. lat., p. 37, et Cur. post. pag. 209. Orell.

Col. 1278, ante notam *Quænam* insere hanc :

Urere. Peste scil.; vid. Anot. ad lib. II, cap. 3. Orell.

Col. 1279, post ult. lin. adde notulas :

Sanctus Deus. Inscriptio vetus Romæ reperta ap. Gruter. pag. LXX :

ÆSCULAPIO. SANCTO.
D. JUNIUS. AGATHOPUS. ET. TERENTIA. RUFINA.
GRATIAS. AGENTES. NUMINI TUO. D. D.

ORELL.

Prohibitor. Vox cadentis latinitatis. Apuleius de Deo Socr., pag. 52 : *Socrates nullo adhortatore unquam indigebat, at vero prohibitore nonnunquam.* ORELL.

Col. 1280, post notam *Quo mentiri...* insere sequentem :

Quam infirmiter invalideque dicatur. Infirmiter pro *infirme* (quo usus Cicero, ad Div. XV, Epist. 1) adverbium suspectæ latinitatis. Vide Cellar., Antibarb., pag. 57. ORELL.

Col. 1282, ad notam *Silex...* post v. ELMENH., adde : — *Libris fatalibus*, id est Sibyllinis, *vatum responsis*, Apollinis. NOURR., *pag.* 477.

Col. 1283, ante notulam *Coloris...* insere hanc :

Ab Attalo rege. Attalus, scil. Phrygiæ rex, cum Romanis fœdus inierat adversus Philippum Macedonicum, qui Hannibalis socius erat. Vid. liv., lib. XXIX, cap. 11. ORELL.

Ibid., ad eamdem not. *Coloris...* pro v. ORELL., adde : — Prudentius Martyr. Rom. 206 :

Nigellus lapis evehendus essedo
Muliebris oris clausus argento sedet.

et Martialis, lib. III, Epigr. 41, ad colorem furvum alludens *Phrygiæ Matris farrum* vocat. Conf. Claudian., de Rapt. Proserp., I, 200 et seqq., et qui locus est classicus Herodian., Hist., lib. I, cap. 11, §. 7. Omnia autem veterum testimonia diligentissime collegit Zœga in *Bassirilievi antichi*, tom. I, pag. 88 et seqq. ORELL.

Col. 1284, post notam *Angellis...* insere sequentem :

Et simulacro faciem minus expressam simulatione præbentem. Zœga l. l. putat, lapidem illum ab Attalo Romam missum excisum fuisse e petra quadam in Phrygia, quæ hominibus superstitiosis e longinquo spectantibus figuram quamdam oris humani ostendebat. ORELL.

SYLLABUS RERUM
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

LIBER PRIMUS. — INDEX CAPITUM.

Profitetur Arnobius a se susceptum opus ut sæpius inculcatam calumniam propulsaret, qua ethnici propter abdicatum a Christianis falsorum numinum cultum eos publicarum omnium calamitatum auctores esse falso ac temere accusabant. Cap. 1, 2. — Manifestum itaque facit, a christianæ religionis exordio, nihil in rerum natura, nihil in privatis publicisque hominum negotiis, aut mutatum aut relaxatum et dissolutum. Cap. 2, 3. — Ethnicos refutat objicientes, impietate christianorum deos offensos, mundum pestilentia aliisque calamitatibus obruere; ex ipsis enim gentilium historiis compertum est homines ante auditum unquam christianorum nomen aut iisdem aut etiam gravioribus cladibus fuisse vexatos. Cap. 3, 4. —Demonstrat quoque tam certum esse crudelia bella ab Atlanticis, Assyriis, Bactrianis, Persis, Græcis, Trojanis et Romanis, a Nino, Zoroastre, Xerxe, Alexandro Magno, aliisque olim gesta fuisse, quam constare, illa post Christi ortum imminuta fuisse. Cap. 5, 6.— Inquirit, cur tot tantisque malis ex ethnicorum sententia mundus prematur. Docet vel hæc ad causas naturales referenda esse; vel mala videri hominibus, omnia commoditate sua metientibus, quæ certe toti naturæ et mundo utilia sunt. Cap. 7-12. — Quam præpostere autem ethnici mala omnia in Christianos trecentis circiter abhinc annis exortos refundenda esse clamitarent, variis rationibus scite coarguit. Cap. 13-16.—Absurdum vero dictu esse demonstrat, iram cadere in deos immortales, nullamque simul æquitatem iisdem inesse, si ob illatas sibi a Christianis injurias, earum pœnas tam ab ipsis quam ab insontibus, ut aiebant, ethnicis ullo absque discrimine repetierint. Concluditque has ridiculas criminationes sola aruspicum, ariolorum et vatum avaritia esse confictas. Cap. 17-24. — Respondet ethnicis objicientibus deos ideo in homines sævire, quia Christiani novum cultum in terrarum orbem invexerant. Hinc edocet, in quo potissimum totius christianæ religionis summa consistat. Cap. 25, 26, 27. — Exinde arguit meliorem esse Christianorum causam, quam eorum, qui falsa numina reverentur. Patrem enim illum adorant, a quo ipsimet gentilium dii, si qui sunt, accipere debuerant quidquid numinis et majestatis habere creduntur. Cap. 28. — Illum autem verum Deum rerum omnium esse opificem ex effectibus probat Arnobius; Apolline, Mercurio aliisque omnibus numinibus fictitiis antiquiorem, infinitum, ingenitum, immortalem, æternum. Cap. 29, 30, 31.—Cuilibet a natura insitum esse asserit, ut hunc agnoscat regem summum et omnium moderatorem: quin et animalia et saxa ipsa, si forte loquerentur, id aperte palamque clamarent. Frustra igitur ethnici Jovem summum Deum prædicant, quem scilicet solito hominum more natum noverunt, cum tamen summus Deus ingenitus sit atque æternus. Cap. 31-35 — Occurrit ethnicis Christianos insimulantibus, non quod Deum omnipotentem venerentur, sed quia hominem natum et infami crucis supplicio interemptum Deum esse contendant. Cap. 36, 37. — Si vero, inquit Arnobius, fas fuit ethnicis, quosdam in deorum numerum referre propter collata sibi, ut putabant, beneficia: quanto magis Christus honore divino ab hominibus habendus est, qui illis multa majora et infinita abundantissime contulit? Cap. 38, 39. — At ille, inquiebant ethnici, crucis patibulo affixus interiit. Quid inde? Non enim mors Christi, sicut nec Pythagoræ nec Socratis, ejus doctrinæ egregiisque factis ullam attulit detrimentum. Quid vero, quod nulla mortis infamia innocens homo, quemadmodum Aquilius, Trebonius et Regulus, inuri unquam potest? Quid insuper irrisione magis dignum hac argumentatione gentilium, qui Liberum a Titanibus discerptum, Æsculapium fulmine percussum, Herculem vivum combustum aliosque morte violenta sublatos superstitioso cultu honorabant? Cap. 40, 41. — Christus porro a summo Rege ad nos missus innumeris, quæ patravit, miraculis tam certo quam evidenter verus esse Deus comprobatur. Christi miracula summatim exposita, ex quibus divinitas ejus adstruitur. Cap. 42-47.—Neque his opponi poterant curatæ ab ethnicorum diis infirmæ nonnullorum hominum valetudines. Nam, hoc interim gratis dato, certum est, a nullo unquam gentilium Deo, sicuti a Christo ægris hominibus, sola adhibita manu aut voce, redditam sanitatem. Cap. 48.—Neque patitur auctor sibi objici, opem a diis ferri non malis quidem, sed bonis piisque hominibus. Christus enim malis omnibus æqualiter ac bonis succurrit. Vera præterea esse Christi miracula ostendit adhuc Arnobius ex illa prorsus mirabili potestate, quam dedit etiam infimæ plebis hominibus, quælibet solo ipsius nomine prodigia edendi. Cap. 49-52. —Et sane quantæ magnitudinis et potestatis sit ipse Christus, sublimis et ab intima radice Deus, tametsi hominibus olim incognitus, vel solis quæ, ipso moriente, facta sunt miraculis evidentissime demonstratum est. Cap. 53. — Christi miraculorum veritas comprobata primum ex testibus locupletissimis, Christi discipulis, qui certo capitis periculo ea publicarunt et posteris tradiderunt: deinde vero ex eo, quod Christiana religio iis stabilita et confirmata, brevissimo tempore in toto terrarum orbe suscepta est. Cap. 54, 55. — Neque demum ea miracula a scriptoribus nostris aut scripta mendaciter aut nimium exaggerata probat Arnobius. Quin etiam tam vera sunt, quæ nostris in Libris de Christo scripta fuere, quam falsa, quæ gentiles de diis suis tradiderunt. Cap. 56, 57. — Retundit Arnobius ethnicos urgentes, hinc scripta sua esse antiquiora atque idcirco veriora, illinc vero nostra fuisse ab indoctis hominibus sermone rudi atque impolito exarata. Cap. 58, 59. — Satisfacit auctor ethnicis, qui a Christianis postulabant, cur Christus, si Deus sit, humanam formam induit et more humano est interemptus. Cap. 60, 61, 62.—Respondet iisdem reponentibus, incredibile prorsus esse Christum Deum et hominem humana tantum natura visum ac patibulo adfixum vitam finisse: ostenditque Christum ad sanandos erudiendosque homines, tanta lenitate, quanta libertate passum esse se ab impiis occidi. Cap. 63. — Quapropter Arnobius acriter arguit ethnicos, qui tamen tyrannis divinos deferrent honores aliosque omni impietatis ac sceleris genere conta-

minatos summis extollerent laudibus statuisque donarent; solum nihilominus Christum, verum, maximum ac maxime salutarium nuntium, iniquissimo atque implacabili odio persequebantur. Cap. 64. — Quid enim iniquius, inquit, et crudelius, quam virtutum omnium Dominum mortisque extinctorem bello acerbissimo semper lacessere, qui permissa morte hominis, quem gestabat, certam de futura animarum nostrarum salute, si pie vixerimus, spem omnibus fecit? Cap. 65. 718-810

LIBER II. — INDEX CAPITUM.

Ab ethnicis inquirit Arnobius cur demum Christum nullius in eos peccati reum ita oderint, ut vel ejus nomine audito ira protinus excandescant: qui tamen, etiamsi cui credatur dignus non esset, eo saltem non aspernandus erat, quod cunctis viam ad cœlum monstravit. Cap. 1. — Occurrit auctor gentilibus respondentibus, summo illum odio se propterea prosequi, quia omnem deorum cultum evertit. Cap. 2, 3. — Ostendit ethnicos prorsus immerito Christi dictis propterea non credere, quod ea, quæ pollicetur, se unquam reipsa daturum nos non convincit. Si quidem plurima suppetunt eorum quæ Christus promisit, haud omnino incerta rerum argumenta: quæ quidem quum in promptu sint, de aliorum quoque ab eo promissorum eventu dubitandi nulla ratio est. Cap. 4, 5. — Ethnicorum jactantiam retundit, quippe qui se solos sapientia et scientia ornatos gloriarentur, cæteros vero, qui per totum terrarum orbem Christo nomen dederunt, magno etiam ingenio præditos, obtusos, hebetes ac fatuos existimarent. Cap. 6, 7. — Nulla igitur ratione aliis non doctiores ethnici christianos divino magistro suo credentes vituperabant. Sine prævia namque fide nullum profecto negotium suscipitur. Ipsimet gentiles opinionibus credebant philosophorum, qui de primis tamen rerum principiis aliisque de rebus nihil certi exploratique proferunt ac semper inter se digladiantur. Cap. 8, 9, 10. — Inde colligit Arnobius æquius esse credere Christo, qui tantis miraculis doctrinam suam stabilivit, quam philosophis quantumlibet ob morum integritatem atque sapientiam laudandis, qui nihil vel minimum quid his simile unquam potuerunt. Cap. 11 — Et certe si Christus humanis tantum argumentis usus fuisset, nemo ei fidem adhibuisset, quam tamen plerique dare coacti sunt ob edita ab ipso ejusque discipulis miracula; edita, inquam, ubique in Oriente et Occidente et potissimum Romæ, ubi Simon magus a Petro ex sublimi aere in terram dejectus perhibetur. Cap. 12. — Quid plura? Non vexanda certe, sed ideo laudanda erat ab ethnicis christianorum fides, quia illis communes erant cum philosophorum coryphæis de Deo, de corporum resurrectione de salute animarum, et futuris impiorum pœnis sententiæ, quamvis ab his aliter atque a Christianis explicentur. Cap. 13, 14. — Hinc occasionem captat Arnobius edisserendi, cujus naturæ sit anima nostra, quo ex fonte prodeat et cur variis affectibus et vitiis fiat obnoxia. Illos deinde refutat, qui nostram animam ejusdem cum Deo immortalitatis et naturæ participem esse pronuntiabant. Cap. 14, 15, 16. — At divina est, inquiebant, anima hominis, qui ratione cæteris præstat animalibus. Optime quidem, reponit Arnobius, si homo hac sua ratione bene semper uteretur. Deinde nonnullis occurrens instantiis vulgi opinationes de animæ humanæ præstantia exponit ac diluit. Cap. 17, 18. — Pergit porro demonstrare, humanas animas neque divinas esse neque omnium scientia eruditas in hunc mundum e cœlo advolasse, atque inde ruit placitum illud quorumdam philosophorum, quo ea quæ discimus reminiscentias esse somniabant. Cap. 19. — Et hanc quidem conjectationem falsam esse aliis adhuc rationum momentis evincit: imprimis vero proposita hypothesi pueri, in desertissima et inaccessa solitudine nati atque ibidem summo in silentio a muta nutrice educati. Cap. 20, 21. — Hinc evidenter concludit, humanam animam in mundum non venisse omnium scientia instructam. Cap. 22, 23. — Exinde Arnobius contrarium Platonis argumentum ex puero de numeris interrogato petitum luculenter diluit. Cap. 24, 25. — Eorum objectionem dissolvit, qui dicunt animam, ubi corpori conjungitur, priorum oblivisci atque, ut aiunt, ex docta elementariam fieri. Cap. 26, 27. — Idem argumentum pertractat. Cap. 28. — Ex disputatis colligit auctor hominem proletarium ac prorsus inopem ordini primo h. e. divino non ascribendum nec ei eamdem atque Deo immortalitatem tribuendam. Cap. 29, 30. — Eadem ratione impugnat Arnobius contrariam Epicuri opinionem, qui animam humanam mortalem esse garriebat. Deinde statuit auctor noster, animam mediæ cujusdam mortalem inter et divinam naturam esse substantiæ. Cap. 30-34. — Instantibus vero ethnicis, quo pacto immortalis fieri possit anima, si mediæ illius qualitatis sit, facit satis Arnobius Cap. 35, 36. — Deinde animam nostram a postrema quadam potestate fuisse quidem creatam, sed neque divinæ prolis neque summi Dei filiam esse demonstrat. Nec patitur auctor sibi objici, mundum sine homine esse imperfectum; adeoque Deum uniuscujusque animam ex se ipso genitam in humanum corpus misisse. Cap. 36, 37, 38. — Longa autem inductione conatur ostendere, hominem non ad perfectionem mundi, qui quidem sine illo esse poterat, sed ad privatam ipsiusmet hominis utilitatem esse creatum. Atque ex his concludit, divinam non esse animam, quæ postmodum in corpus aliquod a Deo missa fuerit. Cap. 39-43. — At sua, inquiunt, voluntate, non Dei jussu venit in mundum. Cui quidem instantiæ occurrit Arnobius. Cap. 44-46. — Urgebant ethnici, unde igitur anima progenita sit aut prolata inquirentes. Quibus respondet Arnobius, illud primum nobis esse compertum, illam nec divinam nec Dei esse progeniem: nihil enim a Deo summo fieri unquam potuisse, nisi omnibus numeris absolutum. Deinde subdit, illud nos certo cognoscere, homines nihil esse aliud nisi animus corpori alligatas, quæ omni vitiorum genere corrumpuntur. Cap. 47, 48. — Sunt quidem nonnulli optimis moribus: etsi sane paucissimi sunt. Ecquinam vero perfecti sunt homines? Non igitur divina est anima humana. Cap. 49, 50. — Neque vero est quod rideant ethnici, si negemus nobis esse compertum quo modo illa sit creata. Si enim recte a Platone assertum putant, illas non a Deo summo, sed a minoribus quibusdam potestatibus esse creatas: cur nobis non licebit ipsas esse mediæ qualitatis longe certius asserere, quæ tamen a Deo immortalitate donentur? Cap. 51, 52, 53. — Neque dixeris, nihil penitus sine Dei voluntate fieri, neque etiam curiosius inquiras, unde mala oriantur et cur ea Deus permittat. Hoc unum pro certo habendum, nihil a vero Deo fieri malum, vitiosum et noxium quodque omnibus non sit salutare atque amoris plenissimum. Cap. 54, 55. — Nemini vero mira videri debet nostra de tot aliis rebus ignoratio. Quis enim nescit tantas esse hominum de re qualibet contentiones, ut nihil a quoquam asseratur, quod ab alio statim destrui non possit? Cap. 56, 57. — Quamvis ergo ignorarent Christiani, a quo et unde creata sit anima humana: nihil inde adversus illos efficere poterant ethnici, quibus multo plura sunt incomperta. Cap. 58, 59. — Recte itaque Christus, verus Deus, sub hominis forma locutus jubet nos, relictis omnibus quæstionibus, ad rerum universarum Dominum tota mente attolli; qui tametsi comprehendi nequeat, nullus tamen nisi amens illum solum esse Deum ambigit. Ethnicos igitur, qui eum non agnoscunt, manent sævi post mortem cruciatus. Cap. 60, 61, 62. — Urgentibus ethnicis, quid ergo actum sit de eorum animabus, qui ante Christi adventum mortui sunt, et cur omnes animæ non sint æquali munificentia donatæ: respondet primum Arnobius, æqualiter in omnes divina beneficia fuisse diffusa; deinde, omnes Deum æqualiter vocare omnibusque ad se veniendi potestatem fecisse, sed nulli necessitatem afferre. Cap. 63, 64. — Docet, cur Deus non faciat, ut inviti homines ipsius credant promissis; deinde, quod soli christiani salutem consequantur ope Christi atque auxilio, cui a Deo patre facultas ista concessa. Cap. 65. — Transit ad veterem ethnicorum querimoniam, qua novellam esse christianam religionem atque antiquos et patrios ritus in barbaros ac peregrinos non esse mutandos expostulabant. Cap. 66, 67, 68. — Tametsi christiana religio recens esset instituta, nonne res omnes humanæ, nonne inprimis, vel ipsis fatentibus ethnicis, eorum Dii esse cœperunt? Cap. 69, 70. — Si ergo ante quadringentos annos christiana religio non erat, neque etiam ante duo annorum millia nullos deos suos fuisse negare poterant. At demum religionis auctoritas non est tempore æstimanda, sed numine. Cap. 71. — Objectionem illam deinceps infringit Arnobius, qua ethnici obtendebant eorum religionem multo vetustiorem christiana esse adeoque veriorem. Cap. 72, 73. — Respondet, postulantibus ipsis ethnicis, cur tam sero Christus a Deo missus fuerit. Cap. 74, 75. — Satis iisdem facit inquirentibus, cur Deus, cui Christiani serviebant, patiatur illos omni persecutionum ac pœnarum genere vexari et opprimi. Cap. 76, 77, 78. 809-936.

LIBER III. — INDEX CAPITUM.

Christiana religio ab eximiis viris jamdudum satis superque adserta; quæ tamen nullo prorsus vindice indiget per seipsam plane inconcussa. Cap. 1. — Interceptam defensionem resumens Arnobius, ethnicis respondet cur christiani deos nec colerent nec adorarent. In Deo rerum omnium creatore quidquid colendum et adorandum est, a christianis coli et adorari. Si qui ergo dii sint, ab illo originem suam ducunt atque in eo coluntur. Cap. 2, 3. — At illos revera esse deos probari numquam potuit ab ethnicis, quibus incompertum semper fuit, aut unde nomina sua acceperint, aut quanta sit eorum multitudo. Cap. 4, 5. — Ulterius progreditur auctor atque ex his quæ ethnici de diis suis prædicabant, nullos esse apertissime demonstrat. Primo enim deos mares et feminas venerabantur, at divinam naturam nullius esse sexus capacem comprobatur. Præterea si dii gentium generare ac generari possent, quum fingantur immortales, jam infinitus esset eorum numerus. Cap. 6, 7, 8, 9. — Ad

hæc fœdis cupiditatibus ac voluptatibus contaminarentur dii. Non est ergo cur ethnici ægre ferant deos ejusmodi generantes ac genitos reprobari a christianis. Cap. 10, 11, 12.— Deinde perstringit gentiles Arnobius, quod persuasum habebant, quemadmodum saducæi, deos corporea humanaque forma figurari atque componi. Cap. 12, 13. — Hoc autem semel admisso, dii sibi invicem aut similes aut dissimiles dici deberent. Utrumque vero absonum. Cap. 14, 15. — Neque eos esse audiendos, qui diis humanam formam accommodari, honoris tantum causa, respondebant, evincit Arnobius. Cap. 16. — Nulla igitur Dei, tametsi audiat, videat, intelligat, species aut figura esse potest. Unum scimus, nihil corporei aut humanorum affectuum esse in Deo, cujus natura nullo potest explicari mortali sermone. Cap. 17, 18, 19. — Irridet Arnobius ethnicos, quod deos inducant humanis officiis, negotiis, rebusque aliis, sive bonis, sive malis, præsidentes. Cap. 20, 21. — Suam sententiam confirmat auctor, horum officiorum, quibus dii præsunt, enumeratione peracta. Cap. 22, 23, 24, 25. — Idem persequitur argumentum, concluditque placita ejusmodi neminem unquam persuasurum christianis, quantumlibet impii et athei dicantur. Cap. 26, 27, 28. — Fictitios prœterea omnino esse gentilium deos luculenter demonstrat Arnobius ex variis illorum opinionibus, quæ de iisdem numinibus circumferuntur, et primum de Jano, Saturno, Jove et Junone. Cap. 29, 30. — Deinde de Minerva, Neptuno, Mercurio, Magna Matre, Libero atque Apolline. Ad hæc de Diana, Cerere aliisque, nec non de Mundo, quem frustra nonnulli Deum æternum esse putarunt. Ex qua quidem opinionum plane ridicularum varietate cæterorum deorum falsitas evidentissime ostenditur. Cap. 31, 36. — Idem non minus efficaciter conficit Arnobius ex eorumdem ethnicorum absurdis dissidiis de origine et numero deorum suorum. Ubi primum de Musis. Cap. 37. — De Novensilibus. Cap. 38, 39. — De Penatibus. Cap. 40. — De Laribus. Cap. 41, 42. — Atque inter tantas dissensiones nulli homini ethnico discernere licuit quis ex illis verus erat Deus, quis honorandus, invocandus et exorandus. Cap. 43, 44. 937-1003.

LIBER IV. — INDEX CAPITUM.

Inceptam adversus gentilium deos disputationem persequitur Arnobius ostenditque Pietatem, Concordiam, Salutem aliaque hujuscemodi numina nec joco nec serio dici posse vim habere divinam et in censum deorum referri; cum ea omnia in hominum actionibus atque affectibus posita constent. Cap. 1, 2. — Nec minus præpostere ab ethnicis propter nonnulla benefacta, uti somniaverant, plures dii, quemadmodum Luperca, Præstana, Panda seu Pantica, Pellonia aliæque ignotorum numinum catervæ educebantur. Cap. 3, 4. — Garriebant prœterea gentiles quosdam esse deos sinistrarum regionum præsides, dexterarum inimicos. Cap. 5. — Ab iisdem quoque gentilibus insulse omnino fingebantur quidam dii rebus quibusdam nec aliis præfecti : quorum nonnullos recenset Arnobius. Cap. 6, 7. — Alia item ejusmodi nomina enumerare pergit rideique. Cap. 8, 11. — Neque est quod aliquis objiciat, illos ideo deos esse, quod ab haruspicibus vocati continuo veniant, certaque responsa reddant. Quam quidem objectionem refellit Arnobius. Cap. 11, 13. — Sed instat auctor planumque facit absurdissima ab ethnicis produci, deorum suorum monstra : tres videlicet Joves, quinque Soles, totidem Mercurios, Minervas et Dionysos, etc. Cap. 13, 14, 15 — At hi omnes dii ejusdem nominis esse non possunt, aut quis ex illis verus Deus sit penitus ignoratur. Atque id exemplo Minervæ confirmat Arnobius. Cap. 15, 16, 17. — Occurrit deinde, urgentibus ethnicis, incompertum esse, an theologi aliive suis in libris cognita et explorata, vel facta fictaque pro libidine de diis scripserint. Cap. 18, 19. — Demonstrat, iis in libris nihil veri indicari posse, in quibus iidem dii summis contumeliis affecti ubique passim perhibentur. Cap. 19, 22. — Idem persecutus argumentum concludit publicas humani generis calamitates ipsis ethnicis, hæc numinum portenta impie colentibus, esse adscribendas; non autem christianis, qui ea quo par est horrore detestantur. Cap. 22, 23, 24. — Alia probrosa diis suis ab ethnicis tributa commemorat. Cap. 24, 25. — Nec insanas deorum libidines ac furentem petulantiam dissimulat. — Cap. 26, 27. Atqui hæc omnia aut falsa sunt aut vera. Si primum, dii tantas tanque impudentes calumnias vindicare debuere; si secundum, iidem dii miseri, infames ac sceleratissimi homines fuisse convincuntur. Cap. 27, 28. — Homines autem fuisse deos ejusmodi manifestissime comprobatur. Verum declarat Arnobius, se id, quod facile alias erat, demonstrandum non suscepisse, sed illud tantummodo, deos nimirum a nemine contumeliosius quam ab ethnicis vexari. Cap. 29, 30, 31. — Neque ista esse poetarum commenta evidenter demonstrat. Cap. 32, 33, 34. — Sed eo major erat ethnicorum iniquitas, quod summa legum severitate in famosi alicujus dicti, carminis et libelli auctores animadverterent; patientissime vero ferrent tanta deorum dedecora scribi et decantari. Cap. 34, 35. Neque satis hæc culpa est : ea enim scribentes atque etiam histriones et mimos eadem in theatris repræsentantes laudibus ac præmiis augebant. Dii ergo, si ira, uti opinabantur ethnici, accenduntur, non christianis, sed ipsismet ethnicis omnium ante oculos dedecus illorum statuentibus irasci debebant. Si vero iræ expertes sunt, christianis frustra irati dicuntur. Cap. 35, 36, 37. 1003-1080.

LIBER V. — INDEX CAPITUM.

Ad aliud contra gentilium deos argumentum transit Arnobius, illudque petit ex historiis : quas quum ethnici usu quotidiano retinerent festisque celebrarent annuis, eas profecto verissimas esse arbitrabantur. Prima est Numæ Pompilii, qui a Jove Elicio dolis et artibus decepto fulminis procurationem impetrasse perhibetur. Cap. 1, 2. — Ex omnibus autem hujus historiæ circumstantiis manifestum facit auctor nihil fingi posse a veritate et divinitate magis alienum. Cap. 3, 4. — Secunda Acdestis et Attidis historia est, quæ turpissimis Jovis, Matris Deum, Nanæ et Iæ flagitiis, ignominiosa Attidis castratione illiusque et Iæ morte aliisque illi adjunctis famosissima fuisse comperitur. Cap. 5, 6, 7. — Contra illam igitur Arnobius haud aliter ac contra alias argumentatur. Urget ethnicos, eorumque ridet insaniam. Cap. 8, 9. — Alia excutit in eadem historia ineptiarum plenissima. Cap. 10, 11. — Eam tamen ostendit ab ethnicis non posse falsitatis coargui; quæ scilicet ab antiquissimis illorum scriptoribus tradita fuerit et ab ipsis ethnicis annuo Matris Deum festo celebrari consueverit. Cap. 12, 17. — Plures alias his similes Arnobius execranda earum fœditate deterritus se prætermittere declarat. Paucis tamen perstringit Faunam Fatuam, sive Bonam Deam, virgis cæsam, turpem Servii ortum, ac nefanda quæ in Omophagiis, Corybantibus, Bacchanalibus, Phrygiis sacris ac mysteriis fieri solebant. Cap. 18, 19. — Horum autem occasione Jovis incestus cum Cerere matre ac Proserpina filia ethnicis exprobrat. Cap. 20, 21. — Quibus expositis scite observat, tot tantaque Jovis narrari adulteria aliaque flagitia, ut non alia causa natus videatur, nisi ut in eum omnis infamiæ colluvies derivaretur. Cap. 22, 23. — Tum deinde alia persequitur sacra, videlicet Thesmophoria, Eleusinia. Cap. 24, 27. — Atque Alimontia; in quibus non minor quam in aliis lascivia ac petulantia. Cap. 28, 29. — His enarratis ab ethnicis postulat, utrum christiani ad hæc sacra agenda omni suppliciorum genere cogi debeant; simulque mirum sibi videri profitetur illum qui hos esse deos neget vel dubitet, atheum ac sacrilegum ab ipsis appellari. Denique concludit, hujusmodi deos non christianis eos respuentibus, sed ethnicis tanta illorum crimina prædicantibus infensos esse debuisse. Cap. 29, 30, 31. — Gentilium responsionem exsufflat, qui omnes hasce historias allegorico tantum sensu intelligendas esse contendebant. Cap. 32, 33. — Ejusmodi tergiversationis absurditatem vehementius urget. Cap. 34, 35, 36. — Id adhuc plenius evincit, Summani et Proserpinæ, nec non Jovis ac Cereris historiis excussis. Cap. 37, 38, 39. — Fac tamen, si velis, in historiæ cujuslibet descriptione aliud omnino quam verba sonant significari : non minus certe illud ad deorum dedecus et contumeliam redundabit. Cap. 40, 41, 42. — Denique multa in deorum historiis lectitari ostendit Arnobius, quæ allegorico sensu explicari nequeant, ex quibus concludit, nefas prorsus esse deos ab gentilibus, si eos revera existere persuasum habebant turpissimis et divina majestate plane indignis vocari nominibus. Cap. 43, 44, 45. 1080-1160.

LIBER VI. INDEX CAPITUM.

In hoc et subsequenti libro aliam Arnobius gentilium diluit criminationem, qua christianos maximæ impietatis accusabant, quod nulla deorum haberent templa aut simulacra, nec ulla unquam iis sacrificia facerent. Cap. 1, 2. — A templis deorum orditur ac profitetur, iis quidem christianos carere, non in deorum, si modo tales quidam existant, contemptum, sed quia ea despiciant, quum ipsis nulli usui esse possint, sitque diis magis prœterea injuriosum temere asseverare, quemvis Deum templo concludi. Cap. 3. — Reponentibus vero ethnicis, propterea diis templa extrui, ut cum eis quodammodo præsentibus colloquantur, respondet Arnobius, verum Deum tacitas etiam animi nostri cogitationes agnoscere, cuncta æqualiter audire, nullibi abesse; uno verbo, immensitate sua ubique esse præsentem. Cap. 4, 5. — Accedit, pleraque deorum templa nihil aliud esse nisi mortuorum sepulchra. Atque inde conficit Arnobius, diis frustra et contra eorum decus templa esse constructa. Cap. 6, 7. — Colendi vero eorum simulacra non potior utique est ratio. Dii quippe si sunt in cœlo, ad eos potius quam ad illorum simulacra fundendæ sunt preces. Alia prœterea adversus deorum simulacra congerit auctor. Cap. 8, 9, 10. — Ab ethnicis jure merito derisi sunt prisci homines, qui pro diis fluvium, acinacem, lapidem, informe lignum aut quid simile colebant. Verum illos ipsos non minus irridendos demonstrat Arnobius, qui de diis confinxere non minus absurda. Cap. 11, 12. — Neque indigna tantum ethnici dii

suis ornamenta dederunt; sed quorumdam etiam hominum et meretricum formam et lineamenta. Cap. 13. — Quapropter ethnicos hortatur Arnobius, ut ad saniorem mentem redeuntes tandem intelligant simulacra, quæ tanto honore adorabant, ossa esse, lapides, æs, argentum, aurum ac vilissimam sæpius materiam. Cap. 14, 15. —Huc accedit, quod si quis in Olympiaci Jovis aut alterius simulacri partes mas introiret, quid præter laminas vel ligni saxique parietes plumbo suffuso aut catenis, uncis et ansulis compactas conspiciet? caput, ventrem simulacri aliasque partes intus vacuas atque inanes? quidquid vero exterius apparet, de colorari, corruere et coinquinari. Cap. 16. — Variis argumentis ethnicorum opinionem infringit Arnobius, adstruentium, non simulacrorum materiam, sed deos coli in simulacris degentes. Cap. 17, 18, 19. — Instat, cur simulacra tueantur ac diligenter custodiant, ne qua injuria afficiantur? Cap. 20, 21. — Si dixeris, de his nihil deos curare: at illi saltem debuerunt simulacra et fana, in quibus habitabant, a perditorum hominum petulantia, ab incendio aliisque casibus intacta servare. Cap. 22, 23. — Ultimum denique gentilium suffugium evertit Arnobius, hæc omnia scilicet dictitantium aliquos haud latuisse, sed illo simulacrorum cultu imperitum vulgus in officio et religione retinendum existimasse. Cap. 24-27. 1161 — 1216.

LIBER VII. INDEX CAPITUM.

Hoc in libro probat Arnobius, sive auctoritate, sive ratione diis nulla esse sacrificia facienda. Non enim his sacrificiis nutriuntur: quando quidem, quidquid nutritur, mortale est. Cap. 1, 2, 3. — Neque etiam voluptatis causa diis hostiæ cæduntur, mortalis quippe adhuc est, qui hujusmodi afficitur delectatione. Cap. 4. — Vulgarem autem opinionem illam subruit Arnobius, quæ sacrificiis deorum iram placari statuebat. Non iræ motus diis indignus in immortalem animum cadere nequit. Cap. 5, 6, 7. — Præterea nemini probabitur, eos pecude aliqua mactata et oblata iram ponere aut injuriarum suarum oblivisci: aut his sacrificiis, tanquam pacta mercede, peccatorum in se commissorum veniam largiri. Cap. 8, 9. — Neque est certe quod quis arguat, hostias diis immolari, ut res tribuant prosperas et adversas removeant. Nam missa interim illa philosophorum opinione, fato omnia regi, certe, si penes deos sit secunda et adversa tribuere hominibus, ingrato animo sinunt eos qui victimis aras illorum onerant, ad extremas redigi angustias. Cap. 10, 11. — Deinde vero dictu absurdum est deos sacrificiorum pretio beneficia sua vendere. Cap. 12. — Neque potiori ratione asseritur sacrificiis diis honoris atque amplificandæ illorum potentiæ fieri. Cap. 13, 14. — Fatetur tamen Arnobius honorem habendum vero Deo, qui, sicut ira non ardescit, ita nec collato gaudet honore, nec negato indignatur, nec se fieri majorem alienis officiis existimat. Adde vero, nihil honoris diis accedere ex mactatis animalibus, quorum fumo simulacra ac sanguine et putore templa atque altaria coinquinantur. Cap. 15, 16— Quod si hoc animalium cruore deos honorari contendas, cur eis non immolantur elephanti, cameli, leones aliaque animalia longe plurima. Neque dicas, iis tantum deos honestari, quæ ad victum nobis benigne suppeditant: nam et cuminum, nasturtium, rapas et cætera, quæ nostro sunt usui, iisdem diis litari debebunt. Cap. 16, 17. — Urget insuper Arnobius, deorum sicut unum genus, ita unam esse debere sententiam: Cur ego, inquit, uni una, altera alteri hostia immolatur? Cap. 18-21.— Neque respondere juvat antiquitate ac longa consuetudine diversis diis victimas diversas mactari. Non enim inquiritur, utrum homines, sed utrum dii sanciverint, aliquam hostiam uni deo magis quam alteri convenire. Cap. 21, 22. — Objicientibus ethnicis, diis bonis, ut prosint, et malis, ne noceant, sacrificandum, respondet Arnobius, deos omnes natura sua bonos esse debere, adeoque, licet nullo honore ab hominibus afficiantur, illis tamen idcirco nocere nequibunt; prælerea, si vera sit hæc ethnicorum opinio, ex ea sequitur, bonum deum, si debita illi hostia non mactetur, malum fieri: contra vero deum malum fieri bonum, sacrificio peracto. Cap. 23. — Cæterum quamvis fas fieri posset ut tauri aliaque animalia diis immolarentur, quid eis conducere valebant farciminum, pultium liborumque genera, quæ in ethnicorum mysteriis adhibebantur? Cap. 24, 25. — Turis quoque eorum aris adolendi non melior est ratio. Recens quippe est ritus ille ac temporibus ignotus antiquis. Quamobrem aut inutilis censeri debet, aut peccavere prisci homines, quibus numquam usu venisse constat. Cap. 26. 27. — Quid vero quod ture dato diis honoris aliquid tribui jactitatur. Nihil quippe tus est aliud nisi viscus ex quibusdam corticibus profluens. Cur ergo ex aliis arboribus coalescens ipsis similiter non incenditur? An quia non ita suavis est odoris? Ergone diis, quemadmodum hominibus, alii odores grati sunt, insuaves alii atque injucundi? At, fatentibus philosophis, incorporei sunt dii adeoque haud possunt ullo turis aut odore alio mulceri. Cap. 27, 28. — Frustra etiam ac nulla pariter adducti ratione merum in sacris suis turis socium libabant. Diis enimvero nec siti sicut nec fame laborantibus, inutilis plane vini usus. Illud autem fundi aut in deorum honorem, aut ut propitii fierent, perperam quoque opinabantur ethnici. Cap. 29, 30. — Quid enim magis insulsum quam certis verbis vini aliquid libari, ne quodlibet aliud vinum fiat sacrum atque humanis usibus eripiatur? Cap. 31. — Nec minus ridiculum esse ostendit Arnobius deos sertis, coronis, cymbalis, tympanis ac symphoniis oblectari. Ad hæc dies eorum festos irridet ac ludos in ipsorum honorem institutos exagitat. Cap. 32. — Nihil etiam a recta ratione magis alienum esse convincit, quam existimare, turpibus, quæ tum agebantur, comœdiis ac tragœdiis, deos delectari atque animos ponere. Cap. 33. — Demonstrat vero tot tantaque opinionum portenta inde orta esse, quia ethnici nesciebant quæ sit veri Dei natura, sibique falso persuadebant, deos suos ejusdem secum esse substantiæ. Cap. 34. — Ad evertendum deinceps accedit ultimum illudque, ut putabatur, validius ethnicorum propugnaculum, quo ii ex variis prodigiorum, sicut aiebant, historiis probare nitebantur, deos peccatis hominum offensos ira exarsisse, sed eorum satisfactione postea placatos, et primum quidem ludorum Circensium restitutionem in Jovis honorem excutit; qua rite peracta lues cessasse ferebatur. Cap. 35, 36, 37. — Transit deinde ad historiam Capitolii fulmine icti et simulacri Jovis de sede sua deturbati; quo deinum ex haruspicum responsis altiore in loco ad orientem solem collocato tum patuisse res abditas existimabant, hisque relatis palam facit, nihil posse umquam excogitari, quod summa deorum amplitudine atque etiam nomine sit magis indignum. Cap. 37-41. — Deinceps ad examen revocat narrationem de Æsculapii simulacro in insulam Tiberinam translato: unde subito sedatam esse putabant diram luem, quæ iniquis reipublicæ temporibus grassabatur. Cap. 41, 45. — Sermonem instituit de simulacro Matris deum ex Phrygio Pessinunte Romam advecto: quo tempore hostem ab Italia pulsum, decus urbis pristinum restitutum, fines imperii longe lateque propagatos aliaque in Romanam gentem collata beneficia dictitabant. Quibus in medium adductis demonstrat Arnobius, nihil esse aut fingi posse, quod veritati magis repugnet quodque fidem minus mereatur. Cap. 46-48. — Postremo secum comparat ac sibi invicem opponit ethnicorum christianorumque opiniones, atque hinc concludit, christianos pios esse, gentiles vero dementis impietatis, quam illi exprobrabant, reos esse revera ac conscios. Cap. 49, 50, 51. 1217-1388.

FINIS TOMI QUINTI.